COLLECTIO PISAURENSIS

OMNIUM POEMATUM, CARMINUM, FRAGMENTORUM LATINORUM,

SIVE AD CHRISTIANOS, SIVE AD ETHNICOS, SIVE AD CERTOS, SIVE AD INCERTOS POETAS,

A PRIMA LATINÆ LINGUÆ ÆTATE

Ad ſextum uſque Chriſtianum Seculum & Longobardorum in Italiam Adventum pertinens,

Ab omnium Poetarum Libris, Collectionibus, Lapidibus, Codicibus exſcripta.

TOMUS PRIMUS

ETHNICOS POETAS MAJORES CONTINENS.



PISAURI)(MDCCLXVI.)(

EX AMATINA CHALCOGRAPHIA.

PUBLICA AUCTORITATE.

PA
6121
A7A56
t. 1

LIBRARY
DEC 6 1971
UNIVERSITY OF TORONTO

AMPLISSIMO VIRO
CAROLO MOSCÆ BARZIO
EQUITI, COMITI, ET MARCHIONI.

PASCHALIS AMATUS
CHALCOGRAPHUS.
S. P. D.

CRebro ſermone mecum uſurpare conſueveras præteritis annis, ampliſſime Eques, Litterarum & Litteratorum Hominum amantiſſime, tum Poeticam omnem juxta celeberrimas Sapientum voces Religionis & Philoſophiæ illuſtrem pediſequam judicandam, tum vero Latinam Poeſim hoc nomine, ſecundum Hebræam, ceterarum omnium principem exiſtimandam. Nonne enim, mihi ajebas, Divinæ Naturæ Attributa, Divinarum Perſonarum Relationes, Chriſtiana Myſteria, Præcepta, Sacramenta, humana Arbitria, divinæ Electiones, Antiſtitum Officia, Romani Pontificis ſumma Jura, totius denique Catholicæ noſtræ Theologiæ Diſciplinæque Apoſtolicæ Antiquitates, a veteribus Chriſtianis Poetis, vel uti ampliſſimis teſtibus confirmari, vel uti Poetis non tantum deſcribi & pronunciari, ſed fere pingi poetico more, & oculis ipſis ſubjici videntur? Nonne ſacræ adhortationes, animorum erectiones, terrenarum rerum contemtus, ſaluberrimi timores, conſolatrix Spes, viva Fides, ardentiſſima Caritas ab iiſdem ſacratiſſimis Poetis, præter ceteros Scriptores omnes, poetico illo ſuo lumine vehementiſſime excitari & infigi & exprimi comperiuntur? Jam vero, ſubjungebas, naturalis ipſa Moralium Officiorum Honeſtas ab antiquis Ethnicis Poetis, a quibus etiam tamquam injuſtis Poſſeſſoribus illam repetendam nos monet D. Auguſtinus,

non ita abunde commendari & diſquiri & tradi conſpicitur, ut eorum fere unuſquiſque, non ſecus ac unus Homerus apud Horatium Epi. II. Lib. I.

... Quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius & melius Chryſippo & Crantore dicat?

Deinde quoque belli gerendi ratio, regendæ Reipublicæ munus, Imperatorum & Regum illuſtria geſta nonne in ampliſſimo omnium monumento apud eoſdem Ethnicos Poetas conlocata reperiuntur? Nonne ipſæ Phyſicæ Diſciplinæ, naturalia Phænomena, Senſuum præjudicia, Aſtronomia, Geographia, Hiſtoria, Antiquitas, Grammatica, Rhetorica, fere omnis eruditio, fere ſcientiæ & artes omnes maxima cum legentium utilitate ab iiſdem Ethnicis Poetis dilucidiſſime traduntur, & exponuntur? Non denique locorum amoenitas, exercituum fulgor, pugnarum ſtrepitus, montes, urbes, flumina, ira, ſuperbia, cupido, gloria, ſublimis, humilis vita, quæ fœda, quæ pulchra, ita mirifice ab iis deſcribuntur, ut & ſummam utilitatem & liberaliſſimam etiam animis legentium remiſſionem ſufficere poſſint? Quæ cum ita eſſent, illum, affirmabas, qui Latinorum hujuſmodi Poetarum Collectionem abſolutam edendam ſuſcepiſſet, vel Litteris, vel Litteratis viris, vel Italiæ ipſi optime omnino fuiſſe conſulturum; Litteris quidem, omni penitiori ſacra & profana eruditione, ex horum Poetarum commodiori uſu, facilius augendis & cumulandis; Litteratis Viris, minimo ſumtu tot Poetas habituris, quorum pleroſque maximis diſpendiis, pleroſque etiam, quorum rariſſima ſint exemplaria, ne impenſo quidem pretio parare hactenus potuerint; Italiæ denique ipſi, poſt tot tranſmontanas editiones, aliquam ſaltim Italicam ſuam horum Poetarum, qui Italici fere omnes & noſtrates fuiſſent, haud ultra ſatis indecora forte, quod hactenus evenit, deſideraturæ.

Cum ego autem ſententiam hanc tuam eximie, ut par erat, laudarem, hortari cepiſti, ut de Terra Italia, de Litteris, de Litteratis Viris benemereri, & egregium opus ſuſcipere vellem. Ego enimvero de opibus meis, de ingenio diffidere, renuere. Tu vero inſtare adeo, & contendere, & valde velle, & opes & conſilium polliceri, ut ego, qui tibi nihil negatum vellem, tradiderim denique manus victas, meque propediem opus aggreſſurum deſponderim. Cum igitur Piſauri Eloquentiam publice docerem Profeſſor primus maximo conſenſu evocatus (quod grati animi cauſſa erga hanc meritiſſimam Urbem ſemper meminiſſe mihi libeat) ab illuſtri Gymnaſio me abdicans, ad Chalcographiam me tranſtuli, Editionem incepi, biennio fere confeci, eamque ipſam nunc tibi, ampliſſime Eques, qui egiſti, interfuiſti, præfuiſti, qui opes, qui conſilium tuliſti, tibi uni proinde debitam, totam proinde tuam, jure optimo meritiſſimo ego trado, nuncupo, dedicoque.

Quæres a me forſan, ampliſſime Eques, hic reddi rationem conſiliorum, quibus, te hortatore, te duce, in hac Italica prima Collectione inſtruenda ſim uſus? Bene profecto mones; Operæ pretium eſt enim, te & omnes ſcire, me ne latum quidem unguem a communibus conſiliis diſceſſiſſe.

Itaque cum tres hactenus Latinorum Poetarum, eæque omnes transmontanæ, Collectiones haberentur, Genevenſis nimirum Anni MIↃCXI., Lugdunenſis Anni MIↃCXVI., & Londinenſis Anni MIↃCCXIII, de quibus abunde in Prolegomenis primis hujus ejuſdem voluminis agetur, cumque ſuperiores duo & numero & ordine

dine & emendatione Poetarum ſatis incomtæ & mancæ exiſtimarentur, tertia vero a Cl. V. Michaele Maittaire digeſta, cunctorum Eruditorum ſuffragiis celebraretur, hinc me ſatis vel Litteris, vel Litteratis Viris, vel Italiæ ipſi facturum, ſi hanc tantum celeberrimam recuderem, ab initio conſtitutum fuit.

Verum enimvero paullo poſt inceptam Editionem, eiſdem tribus vitiis, quibus alteras duo, Londinenſem etiam ſcatere, eamque nec tot Transmontanorum laudibus, nec Italicis prelis dignam eſſe compertum fuit.

Primo itaque numerus ipſe Poetarum, licet ſuperiorum Collectionum numero valde affluentior, non ſatis tamen in Londinenſi expletus eſt viſus. Et profecto Ciceronis, Pedonis, Calvi, Macri, Cypriani, Victorini, Damaſi, Ambroſii, Paullini Nolani, aliorumque aliqua tantum, ſed non omnia Carmina ab illa Collectione referuntur. Deinde Cæſaris, Neronis, Plinii, Solini, Hadriani, Symmachi, Commodiani, Claudiani Mamerti, Paullini Petrocorii, Helpidii, Orientii, Ennodii, Aratoris, Dracontii, Corippi, aliorumque, omnia omnino carmina prætereuntur. Plura Fragmenta, & omnia Carmina incertorum Auctorum, ſive Ethnica, ſive Chriſtiana, ſive ex lapidibus, ſive ex codicibus exſcripta, quæ plura circumferri ſolent, omittuntur. Omnia Indicia auctorum ſive antiquorum, ſive recentiorum, Fragmenta ſingula referentium, quæ doctis Viris ſunt apprime neceſſaria, non curantur. Exactiora Critica Prolegomena de vita, de editionibus, de metaphraſibus, de commentariis ſingulorum Poetarum deſiderantur, eorumque loco neſcio quæ tantum farcimina ruris plena & inficetiarum ex Giraldo & Crinito deſumta obtruduntur.

Secundo ordinem ipſum Londinenſis fluctuare eſt animadverſum. Dividuntur quidem, & in extremum locum conjiciuntur Poetæ Chriſtiani, ſed Poetæ Chriſtiani, Sidonius, Boethius, Capella, Auſonius, inter Ethnicos invenuſto ordine conſeruntur. Plauti, Virgilii, Ovidii, Senecæ Carmina, alia aliis locis, per primum & ſecundum volumen disjiciuntur. Collectio ipſa univerſa incipiens a Plauto, & ordine Chronologico uſque ad Boethium Poetam ſexti Chriſtianorum ſeculi progrediens, regreditur inde ſecundo ad Livium Andronicum antiquiſſimum Latinorum Poetarum, unde ordine iterum Chronologico ad Septimium Afrum Veſpaſianorum Ævi Poetam procurrens, redit tertium ad Varronem, inde per quoſdam male inſertos dubiæ ætatis Poetas, ad Mæcenatem tranſit, Ciceronem, Germanicum, Senecam, Petronium, Petronios Piſaurenſes, Alcimum, Eugenium, reditura quartum ad Virgilium, Ovidium, Valerium Catonem, inde proſecutura item quartum ad Lucanum uſque, Samonicum, Marcellum, Rufinum & Priſcianum, ordine quidem perridiculo, & eo profecto, quem ipſe

Non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes.

Tertio denique Emendatione ipſa plurimum laborare Londinenſis Collectio eſt viſa, cum vel pravis emendatoribus uſa, ſphalmatis Typographicis, quæ ad oculos pertinent, vel non optimas editiones ſecuta, ſphalmatis Criticis, quæ ad judicium & ſcientiam pertinent, ubique redundet, quorumque omnium, cum ſpecimen brevitatis ergo hic tradi nequeat, ſi Londinenſis cum Piſaurenſi conlata fuerit, numerum eſſe maximum cuilibet docto Lectori liquebit.

Quocirca tot tantiſque vitiis per nos occurrendum, totaque Londinenſis Editio diffingenda, & concinnius deinde recudenda viſa eſt.

Pri-

Primo autem numerus ipſe Poetarum eſt abunde auctus, &, niſi fallor, fere omnino abſolutus. Quotquot Poetæ, ſive Ethnici, ſive Chriſtiani, quotquot Carmina, ſive Ethnica, ſive Chriſtiana, ſive ad certos, ſive ad incertos, ſive ad Lapides, ſive ad Codices, a primis Latinæ Linguæ temporibus ad ſextum uſque Chriſtianum ſeculum & Longobardorum in Italiam adventum pertinentia, quæ vel ope Bibliothecæ Latinæ Fabricianæ, aliorumque librorum, vel Litteratorum Hominum admonitu cognoſci potuerunt, aut comparatis Libris, quibus potiri fas fuit, aut fideliſſime tranſcriptis, qui, utpote rariſſimi, quolibet impenſo pretio acquiri non potuerunt, omnia adjecta ſunt. Plurium Poetarum, qui in Londinenſi non integre haberentur, carmina ſuppleta, plurium Poetarum etiam, & fere lectiſſimorum & rariſſimorum, qui in illa omnino deſiderarentur, Carmina integra per me adjecta fuiſſe, ſi Londinenſis Series cum Piſaurenſi conlata fuerit, conſtabit. An alia vero carmina & Poetæ, qui vel diligentiam meam, vel cognitionem effugerint, ſuperſint, me latet. Perpaucula tamen hæc futura mihi perſuaſum habere licet. Sed hic præterire non auſim, nec enim quoque fas eſt, rariſſimorum Poetarum quæque carmina a literatiſſimo Abate Joanne Chriſtophoro Amadutio, Amico ſummo & Populari meo, e Romanis Bibliothecis mihi tranſcripta fuiſſe. Enimvero præſenti clariſſimi Juvenis appellatione tum virtutem ejus, & communem amicitiam, & gratum animum meum, tum vero etiam tranſcriptorum carminum, & ſcientiſſimi tranſcriptoris fidem teſtatam volo.

Secundo Ordo ipſe adhibendus cum duplex eſſe poſſet, vel Claſſicus, quo temporibus neglectis in quaſdam commodas partes Poetæ omnes digererentur, vel Chronologicus, quo nulla Claſſe ſervata unius temporis ratio haberetur, utrum horum ſequerer, cum diu cogitatum, diu quæſitum, adhibitis etiam ad conſilium ſapientibus viris, fuiſſet, pleroſque claſſici ordinis non chronologici ſervandi mihi Auctores fuiſſe comperi. Qui decet enim, ajebant, Chriſtianos & Ethnicos Scriptores, ſacratiſſimas & profanas Res, veram Religionem & falſam, ſanctam & non ſemper honeſtam Ethicam, lumina denique & tenebras eodem loco ſatis importune miſceri? Qui decet quoque in Ethnicis ipſis abſciſſa Fragmenta inter integra Opera, unum forte aut alterum Cornelii Galli, aut Rabirii verſiculum ſuperſtitem inter maxima Virgilii aut Ovidii Opera, quaſi Pygmæos inter Gigantes, aut inter cupreſſus viburna perridicule interſeri & ſociari? Præclaræ ita viſæ hæ rationes doctorum virorum, ut ad hos ſequendos inclinaverit animus. Claſſicum ordinem itaque ſum amplexus, ita tamen ut contraria ſententia non omnino negligeretur, & Chronologicus Ordo ſaltim in ſingulis claſſibus ſervaretur.

In ſex igitur Volumina hæc univerſa Piſaurenſis Collectio diviſa eſt. Primo Volumini Prolegomena generalia de Collectionibus Poetarum & Carminum Latinorum, ſive generalibus, ſive particularibus, quæ huc uſque editæ ſunt, & ex quibus hanc noſtram congeſſimus, præmittuntur. Deinde vero Prolegomena particularia de Vita, de Editionibus, de Commentariis, de Metaphraſibus ſingulorum Poetarum, qui in ſingulis voluminibus continentur, & huic primo & ceteris Voluminibus præfiguntur. Prolegomena hæc a Bibliotheca Latina Joannis Alberti Fabricii, & ab aliis auctoribus etiam, eo deficiente, petita ſunt. Quæ ad alios auctores pertinent, nomen auctoris inſcribunt, quæ vero ad Fabricium, quoniam pleraque ſunt, brevitatis cauſſa nullo nomine notantur.

Tria

Tria priora Volumina, nimirum primum, ſecundum, & tertium, decem & ſeptem Poetas ordine chronologico digeſtos complectuntur, qui majores ob molem aut famam majorem operum vocitari ſolent. Si eorumdem Poetarum Fragmenta aut Epigrammatia habeantur, majoribus eorum operibus ſubjiciuntur; omnia enim unius auctoris carmina quæcumque ſimul conjungi oportere judicavimus. Indicia ſingulorum Auctorum, qui ſingula Fragmenta & Epigrammatia nobis ſervaverunt, in fronte ſingulorum inſcribuntur.

Volumen quartum in quatuor veluti partes commode diſpeſcitur. Prima quidem ordine chronologico omnes minores Poetas Ethnicos continet, illos nimirum, quorum Poemata nec ad magnitudinem vel claritatem majorum adſurgunt, nec infra quinquageſimum fere verſum, ad Fragmentorum & Epigrammatum parvitatem deprimuntur. Secunda Pars Ethnica carmina minora incerta complectitur, quorum nimirum vel incertus vel incertæ ætatis eſt auctor, & magnitudo vel claritudo magnitudini vel claritudini minorum Poetarum æquatur. Hæc vero Pars non jam chronologico ordine, quem ſervare incertis temporibus, quod quiſque videat, pote non fuit, ſed tumultuario & libito eſt digeſta. Tertia pars eodem ordine chronologico inſtructos Poetas Ethnicos minimos continet, illos nimirum, quorum tantum vel divulſa Fragmenta, vel minima & paucula Epigrammatia ſuperſunt. Singula fere hæc Fragmenta & Epigrammatia, ſingula pariter indicia auctorum referentium (ut habeant docti Viri, quo, ſi uſus ſit, eant conſultum), improbo heu quantum per me labore conlecta, præſeferunt. Quarta Pars demum continet diu deſideratam, a nemine adhuc perfectam Anthologiam novam Ethnicam Latinam, nimirum minima Epigrammatia, & divulſa Fragmenta incertorum aut incertæ ætatis auctorum, ex caſcis MS. codicibus Bibliothecarum omnium, ex lapidibus omnibus per univerſum orbem diſperſis, per Viros doctos exſcripta, maximo item per me labore huc congeſta, ſinguliſque indiciis auctorum, aut referentium, aut notis maxime illuſtrantium, inſignita. Iſta Pars etiam cum Chronologicum ordinem reſpueret, in decem tamen Claſſes, quarum unaquæque Epigrammatia & Fragmenta diſtinctam materiem exhibentia complecteretur, concinne eſt digeſta. Mihi autem perſuaſum eſt profecto, hoc Volumen, ceteris etiam ſua mole majus, fere rariſſima & lectiſſima quæque carmina Ethnica continere, & fortaſſe apud quoſdam pretium maximum totius Collectionis eſſe facturum.

Denique quintum & ſextum Volumen ordine Chronologico diſpoſitos Poetas omnes Chriſtianos, qui rariſſimi etiam ſunt, & perquiſitiſſimi jure merito eſſe ſolent, a primis Chriſtianorum temporibus uſque ad ſeculum ſextum continent. Ad calcem Voluminis ſexti adjiciuntur Chriſtiana Carmina vel minora, vel ad incertos auctores pertinentia, ſive ex codicibus ſive ex lapidibus conlecta, ſingulis indiciis etiam referentium auctorum prædita, & quamdam fere Chriſtianam Anthologiam ſuppeditantia.

Atque hic eſt Ordo univerſus, quem in hac Collectione adhibendum te adprobante putavi; ordo is quidem, qui ab aliis commendetur, improbetur ab aliis. Quid? Inquies fortaſſe mihi: An futuri, qui Chronologicum illum ordinem percupientes Claſſicum hunc reprehendant? Quid ni, ampliſſime Eques?

Tres mihi convivæ prope diſſentire videntur,

Po-

Poſcentes vario multum diverſa palato,

Lepidiſſime ajebat Horatius. Sed ſcin' autem, qui hi futuri? Non jam qui ſapientes revera fuerint, ſed qui ſapientes (quæ indoctiorum eſt tentigo) videri cupiunt, quibus ad id aſſequendum nulla via reliqua eſt, niſi ut omnia laudanda damnent, quique proinde eadem facilitate, qua Claſſicum, Chronologicum ipſum ordinem, ſi adhibuiſſem, omnino fuiſſent damnaturi. Hos autem non morari cur non expediat?

Reliquum eſt de Emendatione dicere. De re autem hujuſmodi, quam præſtare difficillimum, hac utar moderatione dicendi, me illi anxiam quamdam & ſollicitam fere operam navaſſe; ne Typographica ſphalmata exciderent, minuta & diuturna oculorum diligentia me & emendatores caviſſe; ne vero Critica ſphalmata relinquerentur, vel per exactiores Editiones, quas conſului, vel per Criticas rationes, quas hinc inde petivi, providiſſe; denique hiſce duabus curis me ſaltim effeciſſe, (idque factum omnino polliceor & ſpondeo) ut innumeris in locis Londinenſem, aliquando etiam Cominianas, aliaſque exactiores Editiones emendaverim. Exempli loco ſit Lucretius præſertim, qui & ad imaginem priſcorum verborum, & ad concinniorem ſententiam juxta celebriores Editiones in Piſaurenſi Collectione redactus ſingulis fere verſibus a Lucretio Londinenſis diſcedere comperietur. Locus Militis Glorioſi Plautini, jactantis machæram ſuam hoſtes omnes minutatim conciſuram Act. I. Scen. I., longe commodius ita legitur in Piſaurenſi Collectione juxta recentem paraphraſim notaſque P. Lacermi:

Quæ miſera geſtit ſartum facere ex hoſtibus:

quam in Cominiana Editione, quæ inſulſiſſimam hanc exprimit, & merito alienam a propoſito ſententiam:

Quæ miſera geſtit fratrem facere ex hoſtibus.

Plurimi alii Loci hujuſmodi ubique occurrent in Piſaurenſi Collectione, qui a communibus editionibus recedere videantur, quoſque, Lectores hic maxime oratos velim, ne ſtatim erroneos, ſed potius a commodiori aliqua lectione, vel critico aliquo judicio conſulto profectos exiſtiment. Id eo vero impenſius dico, quo certius novi, quoſdam non jam doctos viros, ſed de circo hariolos ex præſentibus, quæ nec ſatis vident, nec videre ſolent, abſentia quoque inficetiſſime conjicere conſueviſſe. Hi autem, ne fallantur, omnino viderint.

Sed cum hæc ita ſint, forſitan emendatiſſimum hoc opus, & abſolutiſſimum putandum? Minime vero gentium. Fateor, immo pervideo nunc repetens, aliqua mihi, (præſertim cum publico adhuc munere diſtinerer,) aliqua exſcriptoribus meis, aliqua emendatoribus, inexercitatis etiam artificibus aliqua excidiſſe, ſed id etiam contendo, ea & non multa eſſe, & facili negotio a legentibus Doctis cognoſci & ſanari poſſe. Ceterum id mihi accidiſſe quis miretur, qui non tantum homo ſim, Litterarum ſatis expers, Typographicæ vero artis omnino rudis, ſed etiam qui tot libros evolvere, tot Poetas, tot carmina, tot eorum difficillima inventu indicia cognoſcere, eaque omnia per Italiam & exteras regiones conradere, inde tranſcribere, in ordinem redigere, emendare, atque ita uno biennii tempore, tumultuario labore, inter artifices, qui urgerent, inter Typos, qui calerent, opus iſtud conficere ſim coactus, quod plurium annorum otium & curam a quolibet etiam erudito Viro, antequam prelo ſubjiceretur, expoſcere videbatur? Quare quis mihi vitio vertat, ſi, cum Piſaurenſem Collectionem hanc & numero & ordi-

ordine & emendatione Poetarum ceteris Collectionibus omnibus longe antecellere iterum ſpondeam, pauculis deinde nævis ita diſtincta reperiatur, ut ad Opus abſolutiſſimum (quod tamen deſiderare, neque humanum eſt) adſurgere non omnino potuerit? Aut cur potius cum Horatio non quilibet dicat in arte Poetica,

Verum opere in longo fas eſt obrepere ſomnum?
Verum, ubi plura nitent in carmine, cur ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit Natura?

Aut cur etiam me cum Horatio dicentem quilibet non audiat Epi. VI. Lib. I.

. . . . . *Si quid noviſti rectius iſtis,*
Candidus imperti: ſi non, his utere mecum?

Utinam vero quæ de numero Poetarum, quæ de ordine, quæ de emendatione, eadem de charta, quam adhibuiſſe mihi contigit, diſſerere etiam poſſem. Sed enim cum hic Piſauri ex Lege Urbinatis Provinciæ non aliunde quam a publicis chartæ vendundæ redemtoribus comparari ea poſſit, factum eſt, ut, licet magno pretio proſtans, non tamen mihi ſemper ab illis candida & nitida, ſed ſæpius etiam tenuis & ſubobſcura, quod heu nimis doleo, ſuppeditaretur. Quocirca cum damnum hoc Operi jam illatum averti nullo modo poſſit, oratos hic maxime Lectores velim, ut æqui bonique conſulere id vitium, quod meum non eſſe quiſque videat, commode in animum inducant.

Non prætermittam vero etiam, me ſexto Volumini Indicem poeticum univerſalem Rerum & Materiarum, quæ in hac Collectione a Poetis pertractantur, ſatis abunde Litteratorum uſui ſuppetentem adjeciſſe, ſed ſpem, quam ſemper fovi, non abſcondo, me, ſi hanc Collectionem publico favore exceptum iri videro, aliquando aliud Volumen, quo minutus Index vocabulorum omnium, & ſignificationum etiam omnium cujuslibet vocabuli contineatur, editurum. Mihi enim in animo ſedet, niſi me vota neſcio quomodo feſellerint, tum alias poſt hanc auctorum omnium veterum Collectiones, (profecto apprime neceſſarias, quo tot librorum & numero & pretio & raritati conſulatur,) tum vero eas etiam numeris omnibus abſolutas, quoad ejus fieri poterit, in publicum aſpectum lucemque prolaturum.

Sed jam finis ſit. Ampliſſime Eques, Opus, quod ſuſcepi, ut potui, confeci: ejus, ut licuit, rationem reddidi: illud tibi & litteratis Viris tradidi, & commendavi. De eo Judicium nunc apud vos eſto; quod mihi Deus Optimus Maximus, qui me ſua ope juvit, bene vertat, & fortunet. Vale.

Dabam Piſauri ex Chalcographia, Calendis Septembribus Anni Chriſtiani MDCCLXVI.

INDEX
CLASSICUS POETARUM ET CARMINUM,
Prout in hac Collectione diſponuntur.

VOLUMEN PRIMUM.

PROLEGOMENA de Collectionibus Poetarum ſive Chriſtianorum ſive Ethnicorum huc uſque editis. P. I.
PROLEGOMENA de Vita, Editionibus, Metaphraſibus, Commentariis M. Accii Plauti. P. VI.
PROLEGOMENA de Vita &c. P. Terentii. P. XVI.
PROLEGOMENA de Vita &c. T. Lucretii Cari. P. XXV.
PROLEGOMENA de Vita &c. C. Valerii Catulli. P. XXXI.
PROLEGOMENA de Vita &c. P. Virgilii Maronis. P. XXXV.

M. ACCII PLAUTI

Amphitruo. p. 1.
Aſinaria. p. 16.
Aulularia. p. 26.
Capteivei. p 36
Curculio. p 48.
Caſina. p. 56.
Ciſtellaria. p 67.
Epidicus. p. 73.
Bacchides. p 82.
Moſtellaria. p. 97.
Menæchmei. p. 110.
Miles glorioſus. p. 123.
Mercator. p. 142.
Pſeudolus. p. 155.
Pœnulus. p. 172.
Perſa. p. 188.
Rudens. p. 199.
Stichus. p 216.
Trinummus. p. 225.
Truculentus. p. 239.
Fragmenta cum indiciis. p. 251.

P. TERENTII AFRI

Andria. p. 257.
Eunuchus. p 270.
Heautontimorumenos. p. 284.
Adelphi. p. 297.
Phormio. p 310.
Hecyra. p. 324.

T. LUCRETII CARI

Libri ſex de Rerum Natura. p. 336.

C. VALERII CATULLI

Liber Carminum. p. 392.

P. VIRGILII MARONIS

Bucolica. p. 412.
Georgica. p. 420.
Aeneis. p. 437.
Culex. p. 513.
Ciris. p. 516.
Catalecta. p. 520.

VOLUMEN SECUNDUM.

PROLEGOMENA de Vita, Editionibus, Metaphraſibus, Commentariis Q Horatii Flacci. P. I.
PROLEGOMENA de Vita &c. Albii Tibulli. P. XII.
PROLEGOMENA de Vita &c. Sexti Aurelii Propertii. P. XIV.
PROLEGOMENA de Vita &c. P. Ovidii Naſonis. P. XV.
PROLEGOMENA de Vita &c. Senecarum. P. XXX.

Q. HORATII FLACCI

Libri quatuor Carminum. p. 1.
Liber Epodon. p. 27.
Libro duo Sermonum. p 3
Libri duo Epiſtolarum. p. 49.
Liber de Arte Poetica. p. 61.

ALBII TIBULLI

Libri quatuor Carminum. p. 65.

SEXTI AURELII PROPERTII

Libri quatuor Carminum. p. 81.

PUBLII OVIDII NASONIS

Heroides Epiſtolæ. p. 114.
Libri tres Amorum. p. 145.
Libri tres Artis Amatoriæ. p 165.
Liber unus Remediorum Amoris. p. 183.
Libri quindecim Metamorphoſeon. p. 190.
Libri ſex Faſtorum. p. 282.

Libri

Libri quinque Triſtium Elegiarum. p. 320.
Libri quatuor Epiſtolarum Ponticarum. p. 348.
Ibis. p. 374.
Nux Elegia. p. 379.
Medicamina Faciei, Fragmentum. p. 381.
Halieuticon, Fragmentum. p. 382.
Fragmenta alia. p. 383.

L. ANNÆI SENECÆ

Medea. p. 384.
Hippolytus. p. 392.
Œdipus. p. 402.
Troas. p. 411.
Agamemnon. p. 420
Hercules furens. p. 429.
Thyeſtes. p. 439.
Thebais. p. 448.
Hercules Oetaeus. p. 454.
Octavia. p. 470.
Apocolocynthoſis. p. 478.
Epigrammata. p. 479.

VOLUMEN TERTIUM.

PROLEGOMENA de Vita, Editionibus, Paraphraſibus, Commentariis M. Annæi Lucani. P. I.
PROLEGOMENA de Vita &c. C. Silii Italici. P. V.
PROLEGOMENA de Vita &c. P. Papinii Statii. P. VIII.
PROLEGOMENA de Vita &c. C. Valerii Flacci. P. XI.
PROLEGOMENA de Vita &c. Decimi Junii Juvenalis. P. XIII.
PROLEGOMENA de Vita &c. M. Valerii Martialis. P. XVI.
PROLEGOMENA de Vita &c. Claudii Claudiani. P. XX.

M. ANNÆI LUCANI

Libri decem Pharſaliæ. p. 1.

C. SILII ITALICI

Libri decem & ſeptem de Bello Punico. p. 63.

P. PAPINII STATII

Libri quinque Silvarum. p. 156.
Libri duodecim Thebaidis. p. 187.
Liber unus Achilleidis. p. 261.

C. VALERII FLACCI

Libri octo Argonauticon. p. 270.

D. JUNII JUVENALIS

Satiræ ſexdecim. p. 313.

M. VALERII MARTIALIS

Liber unus de Spectaculis. p. 343.
Libri quatuordecim Epigrammatum. p. 346.

CLAUDII CLAUDIANI

Carmen Panegyricum in Probini & Olybrii conſulatum. p. 450.
Libri duo in Rufinum. p. 452.
Panegyricum de Conſulatu tertio Honorii Auguſti. p. 459.
Panegyricum de Conſulatu quarto Honorii. p. 461.
In Nuptias Honorii, & Mariæ. p. 466.
Liber de Bello Gildonico. p. 4[illegible]0.
Panegyricum de Conſulatu Mallii Theodori. p. 4[illegible].
Libri duo in Eutropium. p. 4[illegible].
Libri tres de laudibus Stiliconis. p. 4[illegible].
Liber de Bello Getico. p. 4[illegible].
Panegyricum de ſexto Conſulatu Honorii. p. 502.
Laus Serenæ Reginæ. p. 5[illegible].
Epithalamium Palladii & Celerinæ. p. 509.
Libri duo de Raptu Proſerpinæ. p. 51[illegible].
Gigantomachia. p. 5[illegible].
Epiſtolæ. p. 521.
Eidyllia. p. 522.
Epigrammata. p. 52[illegible].

VOLUMEN QUARTUM.

PROLEGOMENA de Vita, Editionibus, Commentariis Poetarum minorum.
M. Tullii Ciceronis. P. I.
Valerii Catonis. P. IV.
Pedonis Albinovani. ibidem.
Auli Sabini. P. V.
Gratii Faliſci. ibidem.
Cornelii Severi. P. VI.
M. Manilii. P. VII.
Cæſaris Germanici. P. X.
T. Phædri. P. XI.
L. Columellæ. P. XVII.
T. Petronii Arbitri. P. XVIII.
A. Perſii. P. XXIII.
Sulpiciæ. P. XXVI.
Terentiani Mauri. ibidem.
Palladii Rutilii. P. XXVII.
Sereni Sammonici. P. XXVIII.
Olympii Nemeſiani. P. XXIX.
T. Julii Calpurnii. P. XXX.
Rufi Feſti Avieni. P. XXXI.
C. Rutilii Numatiani. P. XXXIII.
Maximiani Galli. ibidem.
PROLEGOMENA de Auctoribus, Editionibus, Commentariis Carminum minorum incertorum.
Queroli Comœdiæ. P. XXXIV.
Summæ Iliadis pſeudo Pindari Thebani. P. XXXV.
Pervigilii Veneris. ibidem.

Medeæ Tragœdiæ. P. XXXVI.
Elegiæ de Fortunæ viciſſitudine. P. XXXVII.
Vitæ P. Virgilii a Foca Grammatico deſcriptæ. P. XXXVIII.
Elegiæ de Spe. ibidem.
Carminis, Mars & Venus. P. XXXIX.
Elegiæ ad Virginem nimis cultam. ibidem.
Carminis de Alea. ibidem.
Carminis, Dido Æneæ. P. XL.
Carminis, Verba Achillis. ibidem.
Carminis, Hippodamia. P. XLI.
Carminis, Alceſta. ibidem.
Carminis de Ponderibus & Menſuris. ibidem.
Panegyrici ad Calpurnium Piſonem. P. XLII.
Catonis Diſtichorum. ibidem.
Verſuum Rufini de compoſitione & metris Oratorum. P. XLIII.
Carminis, Moretum. ibidem.
Veſpæ, Judicium Coci & Piſtoris. P. XLIV.
Carminis, Laudes Herculis. ibidem.
Metaphraſis Periegeſeos Dionyſianæ. ibidem.
PROLEGOMENA de Vita, Editionibus, Commentariis Poetarum minimorum.
Livii Andronici. P. XLV.
Q. Ennii. ibidem.
Gn. Nævii. P. XLVII.
M. Pacuvii. P. XLVIII.
Statii Cæcilii. P. XLIX.
L. Accii Piſaurenſis. ibidem,
C. Lucilii. P. LIII.
Sexti Turpilii. P. LV.
Cnæi Matii. ibidem.
Lucii Afranii. ibidem.
Q. Trabeæ. P. LVI.
C. Licinii Imbricis. ibidem.
Q. Novii. P. LVII.
L. Pomponii Bononienſis. ibidem.
D. Laberii. ibidem.
Q. Catuli. P. LVIII.
Q. Attæ. ibidem.
P. Syri. ibidem.
Porcii Licinii. P. LIX.
Valerii Æditui. ibidem.
M. Terentii Varronis. P. LX.
C. Julii Cæſaris. ibidem.
Titinii. P. LXI.
Q. Ciceronis. ibidem.
C. Caſſii Parmenſis. ibidem.
C. Licinii Calvi. P. LXII.
C. Helvii Cinnæ. ibidem.
M. Furii Bibaculi. P. LXIII
Varronis Atacini. ibidem.
C. Ticidæ. P. LXIV.
Furii Antiatis. ibidem.
Laureæ Tullii. ibidem.
C. Cæſaris Auguſti. ibidem.
Q. Vari. ibidem.
C. Rabirii. P. LXV.
T. Valgii. ibidem.
Cornelii Galli. ibidem.
L. Varii. P. LXVI.
Domitii Marſi. ibidem.
Caſſii Baſſi. ibidem.
Æmilii Macri. P. LXVIII.
C. Annii Galli. ibidem.
Alphii Aviti. ibidem.
Pomponii Secundi. P. LXIX.
Cnæi Getulici. ibidem.
C. Domitii Neronis Imp. ibidem.
Sextilii Hænæ. P. LXX.
Volcatii Sedigiti. ibidem.
C. Plinii Secundi. ibidem.
Sentii Augurini. P. LXXI.
C. Julii Solini. ibidem.
Auli Septimii Sereni. P. LXXII.
Hadriani Imp. & Flori. P. LXXIII.
Ablavii Conſulis. ibidem.
Q. Aurelii Symmachi. P. LXXIV.
Turcii Rufi Aſterii. ibidem.

PARS PRIMA

Continens Poetas Ethnicos minores certos.

M. TULLII CICERONIS

Carminum Fragmenta. p. 1.
Arati Phænomena Latine verſa. p. 2.
Carmina plurium Græcorum Poetarum Latine verſa. p. 7.

VALERII CATONIS

Diræ. p. 7.

C. PEDONIS ALBINOVANI

Elegia ad Liviam Auguſtam. p. 11.
Elegiæ duo in Mæcenatis obitum. p. 15.
Fragmentum de Navigatione Druſi Germanici. p. 16.

AULI SABINI

Epiſtolæ tres. p. 17.

GRATII FALISCI

Cynegeticon. p. 20.

CORNELII SEVERI

Carmen Ætna. p. 24.
Carminis in obitum M. Tullii Ciceronis Fragmentum. p. 29.
Fragmenta alia. ibidem.

M. MANILII.

Libri quinque Aſtronomicon. p. 30.

GERMANICI CÆSARIS.

Arati Phænomena in Latinum verſa. p. 62.
Epigrammata. p. 67.

PHÆDRI.

Libri quinque Fabularum. p. 67.

L. JU-

L. JUNII MODERATI

COLUMELLÆ

Liber de Cultu hortorum. p. 83.

PETRONII ARBITRI

Carmina ex Satyrico. p. 86.
Fragmenta alia. p. 91.

A. PERSII FLACCI

Satiræ ſex. p. 95.

SULPITIÆ

Satira. p. 100.

MAURI TERENTIANI

Tractatus de Litteris, Syllabis, Pedibus, ac Metris. p. 101.

PALLADII RUTILII TAURI ÆMILIANI

Liber de Inſitione. p. 126.

Q. SERENI SAMONICI

Liber de Medicina. p. 128.

M. AURELII OLYMPII NEMESIANI

Cynegeticon. p. 139.
Bucolica. p. 142.

T. CALPURNII SICULI

Bucolica. p. 145.

RUFI FESTI AVIENI

Arati Phænomena Latine verſa. p. 151.
Deſcriptio Orbis Terræ. p. 166.
Deſcriptio Oræ maritimæ. p. 177.
Liber Fabularum Æſopicarum. p. 183.

RUTILII CLAUDII NUMATIANI GALLI

Libri duo Itinerarii. p. 189.

MAXIMIANI GALLI

Liber Elegiarum. p. 195.

PARS SECUNDA

Continens Carmina Ethnica Minora Incertorum.

Querolus Comœdia. p. 201.
Pindari Thebani Summa univerſæ Iliados Homeri. p. 216.
Veſpæ Judicium Coci & Piſtoris. p. 224.
Pervigilium Veneris, ſeu Carmen de vere. p. 225.
Medea Tragœdia nunc integra. p. 226.
Elegia de Fortunæ viciſſitudine. p. 230.
Virgilii Maronis vita a Foca Grammatico deſcripta. p. 231.
Elegia de Spe. p. 233.
Carmen Mars & Venus Repoſiani. ibidem.
Elegia ad Virginem nimis cultam. p. 235.
Carmen Alea. p. 236.
Carmen Dido Æneæ. p. 237.
Carmen Verba Achillis continens. p. 238.
Carmen Hippodamia. p. 240.
Carmen Alceſta. p. 241.
Carmen Laudes Herculis continens. p. 242.
Metaphraſis Periegeſeos Dionyſianæ. p. 243.
Carmen de Ponderibus & Menſuris. p. 252.
Panegyricum Carmen ad Calpurnium Piſonem. p. 253.
Catonis Diſticha de Moribus, Libri quatuor. p. 255.
Ruffini Verſus de Compoſitione & Metris Oratorum. p. 258.
Carmen Moretum. p. 259.

PARS TERTIA

Continens Poetas Ethnicos Minimos.

Fragmenta aut Epigrammatia Livii Andronici. p. 261.
Q. Ennii. p. 263.
Gn. Nævii. p. 288.
M. Pacuvii. p. 298.
Statii Cæcilii. p. 308.
L. Accii Piſaurenſis. p. 314.
C. Lucilii. p. 342.
Sex. Turpilii. p. 358.
Gn. Matii. p. 363.
L. Afranii. p. 364.
Q. Trabeæ. p. 373.
C. Licinii Imbricis. ibidem.
Q. Novii. ibidem.
L. Pomponii Bononienſis. p. 374.
Decimi Laberii. p. 379.
Q. Catuli. p. 383.
Q. Attæ. ibidem.
P. Syri. ibidem.
Porcii Licinii. p. 388.
Val. Æditui. ibidem.
M. Terentii Varronis. p. 389.
C. Cæſaris Dictatoris. p. 411.
Titinii. p. 412.
Q. Ciceronis. p. 416.
C. Caſſii Parmenſis. ibidem.
C. Licinii Calvi. ibidem.
C. Helvii Cinnæ. p. 417.
M. Furii Bibaculi. p. 418.
P. Terentii Varronis Atacini. ibidem.
C. Ticidæ. p. 419.

Furii Antiatis. ibidem.
Laureæ Tullii. ibidem.
C. Cilnii Mæcenatis. p. 420.
C. Caes. Octav. Auguſti. ibidem.
Q. Vari. ibidem.
C. Rabirii. ibidem.
T. Valgii. p. 421.
Corn. Galli. ibidem.
L. Varii. ibidem.
Domitii Marſi. p. 422.
Cæhi Baſſi. ibidem.
Æmilii Macri. ibidem.
C. Aſinii Galli. p. 423.
Fl. Alphii Aviti. ibidem.
Pomponii Secundi. ibidem.
Cn. Gætulici. p. 424.
C. Dom. Neronis Imp. ibidem.
Sextilii Hænæ. ibidem.
Volcatii Sedigiti. ibidem.
C. Plinii Secundi. p. 425.
Sentii Augurini. ibidem.
C. Julii Solini. p. 426.
Auli Septimii Sereni. ibidem
Hadriani Imp. & Flori. p. 427.
L. Apuleii. ibidem.
Galieni Imperatoris. p. 428.
Ablavii Conſulis. p. 429.
Q. Aurelii Symmachi. ibidem.
Aſterii Conſulis. p. 430.

PARS QUARTA

Continens Anthologiam Ethnicam Latinam, ſeu Carmina minima Auctorum Incertorum aut incertæ ætatis, cum ſingulis indiciis Auctorum referentium.

CLASSIS prima continens Epigrammata & Fragmenta ad Deos Deaſque pertinentia, cum indiciis. p. 431.

CLASSIS ſecunda continens Epigrammata & Fragmenta ad Heroes Heroidaſque pertinentia, cum indiciis eiſdem. p. 437.

CLASSIS tertia continens Epigrammata & Fragmenta ad Viros Feminaſque illuſtres pertinentia, cum indiciis eiſdem. p. 443.

CLASSIS quarta continens Epigrammata & Fragmenta ad Viros Uxoreſque pertinentia, cum indiciis eiſdem. p. 463.

CLASSIS quinta continens Epigrammata & Fragmenta ad Juvenes Puellaſque ingenuas pertinentia, cum indiciis eiſdem. p. 467.

CLASSIS ſexta continens Epigrammata & Fragmenta ad Libertos Libertaſque pertinentia, cum indiciis eiſdem. p. 473.

CLASSIS ſeptima continens Epigrammata & Fragmenta ad Loca & Ædificia pertinentia, cum indiciis eiſdem. p. 479.

CLASSIS octava continens Epigrammata & Fragmenta Moralia, & Didaſcalica, cum indiciis eiſdem. p. 484.

CLASSIS nona continens Epigrammata & Fragmenta amoeniora, & Scommatica, cum indiciis eiſdem. p. 497.

CLASSIS decima continens Epigrammata & Fragmenta Miſcellanea, cum indiciis eiſdem. p. 507.

VOLUMEN QUINTUM

CHRISTIANOS POETAS CONTINENS.

PROLEGOMENA de Vita, Editionibus &c. Q. Sept. Flor. Tertulliani. P. I.

PROLEGOMENA de Vita &c. Commodiani Afri. ibidem.

PROLEGOMENA de Vita &c S. Cypriani. P. II.

PROLEGOMENA de Vita &c. L. Cæcilii Firmiani Lactantii. ibidem.

PROLEGOMENA de Vita &c. P. Optatiani Porphyrii. P. IV.

PROLEGOMENA de Vita &c. Juvenci Presbyteri. P. V.

PROLEGOMENA de Vita &c. Fabii Marii Victorini Afri. P. VI.

PROLEGOMENA de Vita &c. S. Hilarii Pictavienſis. P. VII.

PROLEGOMENA de Vita &c. S. Damaſi Papæ. ibidem.

PROLEGOMENA de Vita &c. D. Magni Auſonii. P. VIII.

PROLEGOMENA de Vita &c. S. Ambroſii. P. XI.

PROLEGOMENA de Vita &c. Severi Sancti Endelechii. P. XII.

PROLEGOMENA de Vita &c. Valeriæ Faltoniæ Probæ. ibidem.

PROLEGOMENA de Vita &c. Aurelii Prudentii Clementis. P. XIII.

PROLEGOMENA de Vita &c. Pontii Paullini. P. XV.

PROLEGOMENA de Vita &c. Coelii Sedulii. P. XVI.

PROLEGOMENA de Vita &c. Cl. Marii Victoris. P. XVII.

PROLEGOMENA de Vita &c. Tironis Proſperi Aquitani. P. XVIII.

PROLEGOMENA de Vita &c. Claudiani Mamerti. ibidem.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

Libri quinque adverſus Marcionem. p. 1.
Liber de Judicio Domini. p. 11.
Carmen ad Senatorem Apoſtatam. p. 14.
Carmen de Jona & Ninive. p. 15.

COMMODIANI AFRI

Liber Inſtructionum octoginta adverſus Paganos. p. 16.

S. CYPRIANI.

Carmen Geneſis. p. 20.
Carmen Sodoma. p. 30.

L. CÆC. FIRMIANI LACTANTII

Carmen de Paſſione Domini. p. 32.
Ænigmata centum. ibidem.
Carmen Phoenix. p. 37.

PUB. OPTATIANI PORPHYRII

Panegyricum Carmen dictum Conſtantino Auguſto viginti partibus conſtans, & per varias formas Acroſtichi-

ſtichides, & Teloſtichides minio pictas operoſe ornatum. p. 39.
Juvenci Presbyteri Libri tres de Hiſtoria Evangelica. p. 58.

FABII MARII VICTORINI

Carmen de Fratribus Machabæis. p. 82.
Hymnus de Homouſio. p. 86.
Carmen de Jeſu Chriſto Deo & Homine. p. 87.
Carmen de Cruce Domini. p. 88.

HILARII PICTAVIENSIS

Geneſis Carmen. p. 89.
Hymnus. p. 90.

S. DAMASI PONTIFICIS ROMANI

Epigrammata & Elogia quadraginta duo. p. 91.

D. MAGNI AUSONII

Præfationes. p. 95.
Epigrammata. p. 96.
Ephemeris. p. 106.
Parentalia. p. 108.
Commemoratio Profeſſorum Burdigalenſ. p. 112.
Epitaphia Heroum. p. 117.
De duodecim Cæſaribus. p. 119.
Ordo nobilium Urbium. p. 121.
Septem Sapientum Luſus & Dicta. p. 123.
Edyllia. p. 126.
Eclogarium. p. 139.
Epiſtolæ. p. 142.
Periochæ in Homeri Iliadem. p. 152.

S. AMBROSII

Hymni viginti novem. p. 153.
Diſticha de picturis Ambroſianæ Baſilicæ. p. 158.

SEVERI SANCTI ENDELECHII

Carmen Bucolicum de mortibus boum. p. 159.

PROBÆ FALTONIÆ

Centones Virgiliani in vetus & novum Teſtamentum cum indiciis ſingulis Virgilianis. p. 160.

AURELII PRUDENTII CLEMENTIS

Liber Pſychomachiæ. p. 170.
Liber Cathemerinon. p. 177.
Liber Periſtephanon. p. 192.
Liber Apotheoſi. p. 222.
Liber Hamartigeniæ. p. 231.
Libri duo contra Symmachum. p. 239.
Enchiridion veteris & novi Teſtamenti. p. 255.

S. PAULLINI NOLANI EPISCOPI

Carmina & Precationes. p. 258.
Carmen de S. Joanne Baptiſta. p. 259.
Paraphraſes Pſalmorum trium. p. 262.
Epiſtolæ ad Auſonium. p. 263.
De S. Felice natalitium Carmen primum. p. 266.
Carmen natalitium ſecundum. p. 267.
Carmen natalitium tertium. ibidem.
Carmen natalitium quartum. p. 268.
Carmen natalitium quintum. p. 271.
Carmen ad Nicetam redeuntem in Daciam. p. 273.
Carmen natalitium ſextum. p. 276.
Carmen ad Jovium. p. 279.
Carmen natalitium ſeptimum. p. 281.
Carmen de naufragio Martiniani. p. 283.
Epithalamium Juliani & Iae. p. 291.
Carmen natalitium octavum. p. 292.
Carmen natalitium nonum. p. 296.
Carmen natalitium decimum. p. 301.
Carmen natalitium undecimum. p. 303.
Carmen natalitium duodecimum. p. 309.
Carmen natalitium decimum tertium. p. 312.
Carmen de Nolana Baſilica. p. 318.
Carmen natalitium decimum quartum. p. 319.
Carmen natalitium decimum quintum. p. 320.
Carmen natalitium decimum ſextum. ibidem.
Carmen natalitium decimum ſeptimum. ibidem.
Carmen natalitium decimum octavum. ibidem.
Carmen de obitu Celſi pueri. p. 321.
Carmen de nomine Ieſu. p. 325.
Epigrammata Baſilicarum. p. 326.
Poema adverſus Paganos. p. 328.

SEDULII PRESBYTERI

Libri quinque Mirabilium Divinorum. p. 331.
Collatio veteris & novi Teſtamenti. p. 345.
Hymnus de Chriſto. p. 346.

CLAUDII MARII VICTORIS

Libri tres commentariorum in Geneſin. p. 347.
Epiſtola ad Salomonem Abbatem. p. 361.

TIRONIS PROSPERI AQUITANI

Liber Epigrammatum in ſententias D. Auguſtini. p. 363.
Carmen de Ingratis. p. 375.
Epigrammata alia. p. 384.
Carmen ad uxorem. p. 385.

CLAUDIANI MAMERTI

Carmen in Poetas vanos. p. 386.
Alia carmina. p. 387.

VOLUMEN SEXTUM

POETAS CHRISTIANOS CONTINENS.

PROLEGOMENA de Vita, de Editionibus, de Commentariis Paullini Petrocorii & Paullini Pellæi. P. I.

PRO-

PROLEGOMENA de Vita &c. C. Sollii Apollinaris Sidonii. ibidem.
PROLEGOMENA de Vita &c. Martiani Minei Felicis Capellæ. P. III.
PROLEGOMENA de Vita &c. Ruſtici Helpidii. P. V.
PROLEGOMENA de Vita &c. S. Orientii Eliberitani. P. VI.
PROLEGOMENA de Vita &c. Magni Felicis Ennodii. P. ibidem.
PROLEGOMENA de Vita &c. Anicii Manlii Torq. Severini Boethii. P. VII.
PROLEGOMENA de Vita &c. Aratoris Subdiaconi. P. XI.
PROLEGOMENA de Vita &c. Fl. Creſconii Corippi. P. XII.
PROLEGOMENA de Vita &c. Dracontii Toletani. ibidem.
PROLEGOMENA de Vita &c. Venantii Honorii Clementiani Fortunati. ibidem.

PAULLINI PELLÆI

Euchariſticon. p. 1.

PAULLINI PETROCORII

Libri ſex de Vita B. Martini. p. 6.
Alia Carmina. p. 33.

C. SOLLII SIDONII APOLLINARIS

Epiſtolæ. p. 35.
Carmina viginti quatuor. p. 40.

MARTIANI MINEI FELICIS CAPELLÆ

Libri novem de Nuptiis Mercurii & Philologiæ. p. 69.

RUSTICI HELPIDII

Hiſtoriæ Teſtamenti Veteris & Novi. p. 77.
Carmen de Chriſti Jeſu beneficiis. p. 78.

SANCTI ORIENTII ELIBERITANI

Libri duo Commonitorii Fidelium. p. 80.
Alia Carmina. p. 88.

MAGNI FELICIS ENNODII

Carmina viginti & unum. p. 91.
Liber Epigrammatum. p. 99.
Alia Carmina. p. 110.

ALCIMI AVITI

Libri ſex Geneſeos. p. 112.

ANICII MANLII TORQUATI SEVERINI BOETHII

Libri quinque de Conſolatione Philoſophiæ. p. 127.

ARATORIS SUBDIACONI

Libri duo in Acta Apoſtolorum. p. 135.

DRACONTII TOLETANI

Hexaemeron. p. 154.
Liber ad Theodoſium Juniorem. p. 155.

FL. CRESCONII CORIPPI

Libri quatuor in laudem Juſtini minoris. p. 157.
Fragmentum Panegyrici in laudem ejuſdem. p. 169.
Panegyricum Carmen in laudem Anaſtaſii Quæſtoris. p. 170.

VENANTII HONORII FORTUNATI

Liber unus de Partu Virginis. p. 171.
Libri quatuor de Vita B. Martini. p. 174.
Libri decem Poematum ſacrorum. p. 192.

ANTHOLOGIA CHRISTIANA,

Seu Carmina Chriſtiana Minora, vel Incertorum Auctorum.

Carmen de laudibus Domini. p. 249.
Carmen de Bebiani Baptiſmo & Uxoris Apræ obitu. p. 250.
Canticum Moſis. p. 251.
Hymnus de Nativitate Chriſti. ibidem.
Hymnus de Die Paſchatis. ibidem.
Hymnus in Die Aſcenſionis. ibidem.
Helpidis Siculæ Hymni duo. p. 252.
Martini Dumienſis Carmina. ibidem.
S. Gregorii Hymni decem. p. 253.
Carmina Sibyllina. ibidem.
Licentii Carmen ad S. Auguſtinum. p. 256.
Carmen de Providentia divina. p. 257.
S. Hilarii Hymni tres. p. 275.
S. Aurelii Auguſtini Hymnus, & Precatio. p. 275.
Andreæ Oratoris Carmen de Maria Virgine. p. 276.
Liberii & Beliſarii Acroſtichis. p. 277.
Luxorii Carmina. p. 277.
Epitaphia Chriſtiana. p. 277.
Prætermiſſa & addenda. p. 283.
Index univerſalis. p. 287.

IN-

INDEX CHRONOLOGICUS POETARUM OMNIUM,

Qui in hac Piſaurenſi Collectione digeſti ſunt.

I. Livius Andronicus. T. 4. p. 261.
II. Q. Ennius. T. 4. p. 264.
III. M. Accius Plautus. T. 1. p. 1. & in Prætermiſſis. T. 6. p. 283.
IV. Cn. Nævius. T. 4. p. 288.
V. Marc. Pacuvius. T. 4. p. 298.
VI. Stat. Cæcilius. T. 4. p. 308.
VII. Luc. Accius Piſaurenſis. T. 4. p. 314.
VIII. Pub. Terentius. T. 1. p. 257.
IX. C. Lucilius. T. 4. p. 331.
X. Sex. Turpilius. T. 4. p. 358.
XI. Cn. Matius. T. 4. p. 363.
XII. L. Afranius. T. 4. p. 364.
XIII. Q. Trabea. T. 4. p. 373.
XIV. C. Licinius Imbrex. T. 4. p. 373.
XV. Q. Novius. T. 4. p. 373.
XVI. Tit. Lucretius. T. 1. p. 336.
XVII. Luc. Pomponius Bon. T. 4. p. 374.
XVIII. Dec. Laberius. T. 4. p. 379.
XIX. Q. Catulus. T. 4. p. 383.
XX. Q. Atta. T. 4. p. 383.
XXI. P. Syrus. T. 4. p. 383.
XXII. Porcius Licinius. T. 4. p. 388.
XXIII. Valerius Æditnus. T. 4. p. 388.
XXIV. M. Terentius Varro. T. 4. p. 389.
XXV. C. Cæſar Dictator. T. 4. p. 411.
XXVI. Titinius. T. 4. p. 412.
XXVII. M. Tullius Cicero. T. 4. p. 1.
XXVIII. Q. Cicero. T. 4. p. 416.
XXIX. C. Val. Catullus. T. 1. p. 392.
XXX. Valerius Cato. T. 4. p. 9.
XXXI. C. Caſſius Parmenſis. T. 4. p. 416.
XXXII. C. Licinius Calvus. T. 4. p. 416.
XXXIII. C. Helvius Cinna. T. 4. p. 417.
XXXIV. M. Furius Bibaculus. T. 4. p. 418. & in Prætermiſſis. T. 6. p. 285.
XXXV. P. Ter. Varro Atacinus. T. 4. p. 418.
XXXVI. C. Ticida. T. 4. p. 419.
XXXVII. Furius Antias. T. 4. p. 419.
XXXVIII. Laurea Tullius. T. 4. p. 419.
XXXIX. C. Cilnius Mæcenas. T. 4. p. 420. & in Prætermiſſis. T. 6. p. 285.
XL. C. Cæſar Octav. Auguſtus. T. 4. p. 420.
XLI. Q. Varus. T. 4. p. 420.
XLII. C. Rabirius. T. 4. p. 420.
XLIII. P. Virgilius Maro. T. 1. p. 412.
XLIV. Q. Horatius Flaccus. T. 2. p. 1.
XLV. T. Valgius. T. 4. p. 421.
XLVI. Albius Tibullus. T. 2. p. 65.
XLVII. Cn. Cornelius Gallus. T. 4. p. 421. & in Prætermiſſis. T. 6. p. 284.
XLVIII. Sext. Aur. Propertius. T. 2. p. 81.
XLIX. L. Varius. T. 4. p. 421.
L. P. Ovidius Naſo. T. 2. p. 114.
LI. Domitius Marſus. T. 4. p. 422.
LII. Cn. Pedo Albinovanus. T. 4. p. 11.
LIII. Aulus Sabinus. T. 4. p. 17.
LIV. Gratius Faliſcus. T. 4. p. 20.
LV. Cornelius Severus. T. 4. p. 24.
LVI. Mar. Manilius. T. 4. p. 30.
LVII. Cæſ. Baſſus. T. 4. p. 422.
LVIII. Æmilius Macer. T. 4. p. 422.
LIX. C. Annius Gallus. T. 4. p. 423.
LX. Germanicus Cæſar. T. 4. p. 62.
LXI. Phædrus. T. 4. p. 67.
LXII. Fl. Alphius Avitus. T. 4. p. 423.
LXIII. Jun. Moder. Columella. T. 4. p. 83.
LXIV. L. Annæus Seneca. T. 2. p. 384.
LXV. M. Annæus Lucanus. T. 3. p. 1.
LXVI. Petronius Arbiter. T. 4. p. 86.
LXVII. Aul. Perſius Flaccus. T. 4. p. 94.
LXVIII. Pomponius Secundus. T. 4. p. 423. & in Prætermiſſis. T. 6. p. 286.
LXIX. Cn. Gætulicus. T. 4. p. 424.
LXX. C. Domitius Nero Imp. T. 4. p. 424.
LXXI. Sextilius Haena. T. 4. p. 424.
LXXII. Volcatius Sedigitus. T. 4. p. 424.
LXXIII. C. Silius Italicus. T. 3. p. 63.
LXXIV. P. Papinius Statius. T. 3. p. 156.
LXXV. C. Valerius Flaccus. T. 3. p. 270.
LXXVI. D. Junius Juvenalis. T. 3. p. 313.
LXXVII. Sulpitia. T. 4. p. 100.
LXXVIII. M. Valerius Martialis. T. 3. p. 343.
LXXIX. C. Plinius Secundus. T. 4. p. 425.
LXXX. Sentius Augurinus. T. 4. p. 425.
LXXXI. C. Julius Solinus. T. 4. p. 426.
LXXXII. A. Septimius Serenus. T. 4. p. 426.
LXXXIII. Hadrianus Imp. & Florus. T. 4. p. 427. & in Prætermiſſis. T. 6. p. 285.
LXXXIV. L. Apuleius. T. 4. p. 427.
LXXXV. Maurus Terentianus. T. 4. p. 101.
LXXXVI. Palladius Rut. Taur. Æm. T. 4. p. 126.
LXXXVII. Q. Sept. Fl. Tertullianus. T. 5. p. 1.
LXXXVIII. Q. Serenus Samonicus. T. 4. p. 128.
LXXXIX. M. Aur. Ol. Nemeſianus. T. 4. p. 139.
XC. Tit. Calpurnius. T. 4. p. 145.
XCI. Commodianus Afer. T. 5. p. 16.
XCII. Cæc. Cyprianus. T. 5. p. 29.
XCIII. L. Cæc. Firm. Lactantius. T. 5. p. 32.
XCIV. Galienus Imp. T. 4. p. 428.
XCV. P. Optatianus Porphyr. T. 5. p. 39.
XCVI. Juvencus Presbyter. T. 5. p. 58.
XCVII. Ablavius Conſul. T. 4. p. 429.
XCVIII. Fabius Marius Victorinus. T. 5. p. 83.
XCIX. Hilarius Pictavienſis. T. 5. p. 89.
C. S. Damaſus Pontif. T. 5. p. 91.
CI. Dec. Auſonius. T. 5. p. 91.
CII. Rufus Fe. Avienus. T. 4. p. 151.
CIII. S. Ambroſius Ep. T. 5. p. 153.
CIV. Q. Aur. Symmachus. T. 4. p. 429.
CV. Severus Sanctus Endelechius. T. 5. p. 159.
CVI. Proba Faltonia. T. 5. p. 160.
CVII. Aur. Prudentius Clem. T. 5. p. 170.
CVIII. Cl. Claudianus. T. 4. p. 450.
CIX. S. Paullinus Nol. Ep. T. 5. p. 258.
CX. S. Auguſtinus. T. 6. p. 275.
CXI. Rutilius Cl. Numat. T. 4. p. 189.
CXII. C. Sedulius. T. 5. p. 331.
CXIII. Licentius. T. 6. p. 256.
CXIV. Cl. Mar. Victor. T. 5. p. 347.
CXV. Tiro Proſper Aquit. T. 5. p. 363.
CXVI. Claudianus Mamertus. T. 5. p. 386.

CXVII. Paullinus Pellæus. T. 6. p. 1.
CXVIII. Paullinus Petrocorius. T. 6. p. 6.
CXIX. C. Soll. Sid. Apollinaris. T. 6. p. 35.
CXX. Mart. Min. Fel. Capella. T. 6. p. 69.
CXXI. Ruſticus Helpidius. T. 6. p. 77.
CXXII. Orientius Eliberitanus. T. 6. p. 80.
CXXIII. Magnus Felix Ennodius. T. 6. p. 91.
CXXIV. Alcimus Ecd. Avitus. T. 6. p. 112.
CXXV. An. Manl. Torq. Sev. Boethius. T. 6. p. 127.
CXXVI. Helpis ejus Uxor. T. 6. p. 252.
CXXVII. Arator Subdiaconus. T. 6. p. 135.
CXXVIII. Dracontius Toletanus. T. 6. p. 154.
CXXIX. Fl. Creſc. Corippus. T. 6. p. 157.
CXXX. Corn. Maximianus Gallus. T. 4. p. 195.
CXXXI. Martinus Dumienſis. T. 6. p. 252.
CXXXII. Venant. Honor. Fortunatus. T. 6. p. 171.
CXXXIII. S. Gregorius Papa. T. 6. p. 253.

POETÆ INCERTÆ ÆTATIS.

CXXXIV. PSeudo Pindarus Thebanus. T. 4. p. 216.
CXXXV. Veſpa. T. 4. p. 224.
CXXXVI. Phoca Grammaticus. T. 4. p. 231. 451. 459.
CXXXVII. Repoſianus. T. 4. p. 233.
CXXXVIII. Priſcianus Grammaticus. T. 4. p. 243.
CXXXIX. Rhennius Fannius. T. 4. p. 252.
CXL. Rufinus Grammaticus. T. 4. p. 258.
CXLI. Q. Valerius Soranus. T. 4. p. 431.
CXLII. Callimachus. T. 4. p. 431.
CXLIII. Attilius Fortunatianus. T. 4. p. 432.
CXLIV. Modeſtinus. T. 4. p. 433.
CXLV. Petronius Afranius. T. 4. p. 436.
CXLVI. Petronius Antigenides Piſaurenſis. T. 4. p. 437. c. 1. 2. p. 443.
CXLVII. Petronius Hilarus Piſaurenſis. T. 4. p. 462.
CXLVIII. Euſebius. T. 4. p. 437.
CXLIX. Pentadius. T. 4. p. 437. 439. 440. 458. 489.
CL. C. Abronius Silo. T. 4. p. 437.
CLI. Palladius. T. 4. p. 439. 450. 456. 457. 458. 486. 490. 491. 492. 493. 493. 494.
CLII. Vincentius. T. 4. p. 440.
CLIII. Julianus. T. 4. p. 441.
CLIV. Coronatus. T. 4. p. 442.
CLV. Senarius. T. 4. p. 449.
CLVI. Valerianus. T. 4. p. 450.
CLVII. Julianus. T. 4. p. 450. 456. 457. 458. 486. 490. 491. 492. 493. 493. 493.
CLVIII. Hilaſius. T. 4. p. 450. 456. 457. 458. 458. 486. 490. 491. 492. 492. 493. 493.
CLIX. Aſclepiadius. T. 4. p. 450. 456. 457. 457. 486. 490. 491. 492. 492. 493. 494.
CLX. Euſthenius. T. 4. 450. 456. 457. 457. 486. 491. 491. 492. 493. 493 494.
CLXI. Pompejanus. T. 4. p. 450. 456. 457. 457 486. 491. 492. 492. 493. 494.
CLXII. Maximianus. T. 4. p. 450. 456. 457. 457. 486. 491. 491. 492. 492. 493 494.
CLXIII. Vitalis. T. 4 p. 450. 456. 456. 457. 486. 491. 491. 492. 492 493. 494.
CLXIV. Vomanus. T. 4. p. 450. 455. 457. 457. 486. 490. 491. 492. 493. 493. 493.
CLXV. Armenus. T. 4. p. 451. 456. 457. 457. 486. 491. 492. 493. 493. 493. 494.
CLXVI. Baſilius. T. 4. p. 451. 452. 456. 457. 457. 486. 490. 491. 492. 492. 493 494
CLXVII. Modeſtus. T. 4. p. 451.
CLXVIII. C. Sulpicius Apollinaris. T. 4. p. 451.
CLXIX. Alcimus. T. 4. p. 451.
CLXX. Alcinous. T. 4. p. 451.
CLXXI. Euphorbus. T. 4. p. 456. 457. 457. 486. 490. 491. 492. 492. 493. 493.
CLXXII. C. Aurelius Romulus. T. 4. p. 459.
CLXXIII. Citerius Sidonius Syracuſanus. T. 4. p 460.
CLXXIV. Lætus Avianus. T. 4. p. 460.
CLXXV. Valerius Probus. T. 4. p. 460.
CLXXVI. Rufus Feſtus Avienus. T. 4. p. 484.
CLXXVII. Sulpicius Servaſtus Junior. T. 4 p. 488.
CLXXVIII. Porphyrius. T. 4. p. 489.
CLXXIX. Veſpricius Sparinna. T. 4. p 496.
CLXXX. Andreas Orator. T. 6. p. 276.
CLXXXI. Liberius. T. 6. p. 277.
CLXXXII. Beliſarius. T. 6. p 277.
CLXXXIII. Luxorius. T. 6. p. 277.
CLXXXIV. Regianus. T. 4. p. 505.
CLXXXV. Saevius. T. 4. p. 509.
CLXXXVI. Albinus. T. 4. p. 509.
CLXXXVII. Rutilius Geminus. T. 4. p. 510.
CLXXXVIII. Mummius. T. 4. p. 509.
CLXXXIX. Sempronius Gracchus. T. 4. p 510.
CXC. Marinus. T. 4. p. 509.
CXCI. C. Julius Cæſar Strabo. T. 4. p. 510.
CXCII. Ælius Saturninus. T. 4. p. 509.
CXCIII. Cornificius. T. 4. p. 510.
CXCIV. Cornutus. T. 4. p. 510.
CXCV. Hoſtius. T. 4. p. 510.
CXCVI. Lævius, ſeu Lælius. T. 4. p. 510.
CXCVII. Ilius. T. 4. p. 510.
CXCVIII. C. Granius. T. 4. p. 510.
CXCIX. Memor, ſive Memmius. T. 4. p. 510.
CC. Plurima Carmina incertorum Auctorum, ex codicibus & lapidibus omnibus tranſcripta, & Anthologiam Ethnicam & Chriſtianam conſtituentia. T. 4. pag. 201. uſque ad p. 260., p. 431 uſque ad p. 514., & T. 6. p. 249. uſque fere ad p. 282.

PRO-

PROLEGOMENA
DE COLLECTIONIBUS POETARUM
Sive Chriſtianorum, *Sive Ethnicorum*,
HUC USQUE EDITIS.

CORpus omnium Veterum Poetarum Latinorum ſecundum ſeriem temporum digeſtum & quinque libris diſtinctum, præfixa uniuſcujuſque Poetæ vita, Genev. 1611. 4. 2. voluminibus, quibus continentur: Fragmenta *Livii Andronici & Q. Ennii*. *M. Accii Plauti* comœdiæ XX. Fragmenta *Cn. Nævii*, *Q. Novii*, *M. Pacuvii*, *Statii Cæcilii*, *L. Accii*, *Pub. Terentii comœdiæ VI.* Fragmenta *C. Lucilii*, *Sex. Turpilii*, *Cn. Matii*, *L. Afranii*, *Q. Trabeæ & Caii Licinii Imbricis*. Hactenus liber primus. *T. Lucretii Cari* de rerum natura libri ſex. Fragmenta *L. Pomponii Atellanarum Poetæ*, *Decii Laberii*, *Q. Catuli*, *& Attæ*, *Pub. Syri*, *Porcii Licinii & C. Valerii Æditui*. *C. Valerii Catulli* Poematum & Epigrammatum liber ad Cornelium Nepotem. Fragmenta *Corn. Licinii Calvi*, *C. Helvii Cinnæ*, *M. Furii Bibaculi*, *Pub. Terentii Varronis Atacini*, *C. Ticidæ*, *Furii Antiatis*, *& Laureæ Tullii*. Hactenus ſecundus liber. *P. Virgilii Maronis Bucolica*, *Georgica & Æneis* cum vita a *Donato* ſcripta, variiſque de Virgilio teſtimoniis. *Q. Horatii Flacci* Odarum libri IV. Epodon liber, qui clauditur carmine ſeculari pro imperii Romani incolumitate. Libri duo Satyrarum. Epiſtolarum libri totidem, & de arte Poetica liber ad Piſones. *Fragmenta pauca T. Valgii*. *Albii Tibulli* Elegiarum libri IV. Libellus elegiarum ſub nomine *Cn. Cornelii Galli*, & carmen Lyricum, quod incipit, *Lydia bella puella candida*. *Sex. Aurelii Propertii* Elegiarum libri IV. Fragmenta pauca *L. Varii*. *P. Ovidii Naſonis* Libri VI. Faſtorum. Triſtium libri V. De Ponto libri IV. Ibis ex edit. Andreæ Naugerii. Conſolatio ad Liviam de morte Druſi. Epiſtolæ XIV. Heroidum. Amorum libri III. De arte amandi, totidem: libri II. de remedio amoris. Fragmentum de medicamine faciei. Nux. Somnium, Epigrammata duo, fragmentum Halieuticon. Pulex. Philomela. Metamorphoſeon libri XV. Fragmenta pauca *Domitii Marſi*, *C. Germanici Auguſti*, *Cæſii Baſſi & Æmilii Macri*. *L. Annæi Senecæ* Tragœdiæ X. Fragmentum *C. Aſinii Galli*. *A. Perſii Flacci* Satyræ VI. Fragmenta *Cornelii Severi*. *M. Annæi Lucani* Pharſaliæ libri X. ſubjecta Jo. Sulpicii Verulani appendice, & querela de interitu Poetæ, opere nondum perfecto. Ejusdem *Lucani* Poemation ad Calpurnium Piſonem. Fragmenta exigua *Cn. Getulici* & *C. Pedonis Albinovani*. Hactenus liber tertius, quo volumen prius clauditur. *P. Statii Papinii* Silvarum libri V. Thebaidos libri XII. Achilleidos libri II. *Silii Italici* de bello Punico ſecundo libri XVII. *C. Valerii Flacci* Argonauticon libri VIII. *D. Jun. Juvenalis* Satyrarum libri V. *M. Valerii Martialis* Epigrammata in Amphitheatrum Cæſaris, Epigrammatum libri XIV. Fragmenta *Auli Sereni*. *Rufi Feſti Avieni* fabulæ 42. *Alphii Aviti* fragmentum. *Alcimi Aviti* Archiepiſcopi Viennenſis poematum ſacrorum libri V. Ejusd. de conſolatoria caſtitatis laude ad Fuſcinam ſororem. Fragmenta pauca *Septimii Afri*. *T. Calpurnii Siculi Eclogæ VII.* ad Nemeſianum Carthaginenſem. *M. Aurelii Olympii Nemeſiani Cynegeticon & Eclogæ IV.* Hactenus liber IV. *Cl. Claudiani* de raptu Proſerpinæ libri III. In Rufinum libri II. In Eutropium libri totidem. De bello Gildonico liber, alius de bello Getico, in tertium, quartum & ſextum conſulatum Honorii, & in Mallii Theodori Conſulatum panegyricum. Libri III. de laudibus Stiliconis. De Probini & Olybrii fratrum Conſulatu panegyricum. In nuptias Honorii Imp. & Mariæ. Laus Serenæ uxoris Stiliconis, aliaque minora carmina & Epigrammata. *D. Magni Auſonii Burdegalenſis* Epigrammata 141. Ephemeris, Parentalia, commemoratio Profeſſorum Burdegalenſium, Epitaphia Heroum qui bello Trojano interfuerunt & aliorum quorumdam. Epigrammata de XII. Cæſaribus, Ordo nobilium Urbium. Ludus VII. Sapientum. Idyllia XX. Eclogarum & Epiſtolarum XXIV. *Damaſi* Epiſcopi Romani elogia de Paulo Apoſtolo, Agnete Martyre, Apoſtolo Andrea, Agatha martyre, de Felice, de nomine Jeſu, de Chriſto, de Aſcenſione

Chriſti, & de cognomentis Salvatoris. *Juvenci* Hiſtoriæ Evangelicæ libri IV. *Aurelii Prudentii Clementis* Pſychomachia, liber Cathemerinon, Periſtephanon, Apotheoſis, Hamartigenia, contra Symmachum liber, & Enchiridion hiſtoriarum Vet. & Novi Teſtamenti. *Pontii Paulini carmen* de Joh. Baptiſta, & III. Epiſtolæ. *Venantii Honorii Clementiani Fortunati libri IV.* poematum 1. de partu virginis, 2. de Chriſti Jeſu beneficiis, 3. de vita hominum, 4. de certaminibus & miraculis piorum. *C. Sollii Sidonii Apollinaris*, quæ inter ejus Epiſtolas carmine ſcripta occurrunt, & Panegyrici, Epithalamia, aliaque poematia & Epigrammata. *Mauri Terentiani* de literis, ſyllabis, pedibus & metris carmen, in quo liber quintus atque adeo tota hæc collectio deſinit.

Idem corpus Poetarum emaculatum & in duos choros ſacrorum profanorumque digeſtum, cum notis prodiit Lugduni *1616.* 4. Curante Alexandro Ficheto Jeſuita, qui nomen ſuum tum diſſimulatum prodidit in arcana ſtudiorum omnium methodo p. 223.

Chorus Poetarum luſtratus & illuſtratus, ſive Corpus, quod *Alexandro Ficheto* S. I. curante prodiit Lugd. *1616.* 4. obſcœna expungit, cæterum auctius priore eſt, adjectis poetis *Manilio*, *Columella*, *Boethio*, *Sereno Sammonico*, *Rhemnio*, *Mario Victore*, *S. Paulino*, *Sedulio*, *Aratore*, *Proſpero* Aquitanico, *Ennodio*, Idylliis *Cypriani*, *Lactantii*, *Hilarii*, *Dracontii*, fragmentiſque *Senecæ* & *Petronii*: & adjuncto muſeo ſive indice duplici Rhetorico & Poetico in omnes poetas, Kalendario item veteri Pontificio & ruſtico Romanorum cum Ficheti notis p. 1171. 1208. Exſtat & tertia corporis Poetarum Latinorum editio A. *1627.* primæ Anni *1611.* veſtigiis inſiſtens.

Denique auctius longe & e melioribus editionibus expreſſum 2. Volum. in fol. typis nitidis, Lond. 1713. apud J. Nicholſon, B. Tooke & J. Tonſon, cum indice poetico Farnabiano deſcriptionum, imaginum, rerumque dedit Clariſſimus Vir *Michael Maittaire*, atque Sereniſſ. Subaudiæ Duci, Franciſco Eugenio dedicavit hoc titulo: *Opera & fragmenta veterum Poetarum Latinorum, Profanorum & Eccleſiaſticorum.*

Volumen I.

M. Accius Plautus. Publ. Terentius. Tit. Lucretius. C. Val. Catullus. Pub. Virgilius Maro. Q. Horatius Flaccus. Alb. Tibullus. Sext. Aul. Propertius. P. Ovidius Naſo. Gratius Faliſcus. M. Manilius. Phædrus. Jun. Moder. Columella de cultu hortorum.

Volumen II.

L. Ann. Senecæ Tragœdiæ. Aul. Perſius Flaccus. M. Ann. Lucanus. Silius Italicus. P. Papinius Statius. C. Valerius Flaccus. D. Jun. Juvenalis. M. Val. Martialis. Maurus Terentianus. Palladii Rutilii Tauri liber de inſitione, ad Paſiphilum. M. Aur. Olymp. Nemeſianus. Tit. Calphurnius. Dec. Auſonius. Ruf. Feſt. Avieni Periegeſis, ora maritima & fabulæ. Arati Metaphraſis. Cl. Claudianus. Rutilius Claud. Numatianus. C. Soll. Sidonius Apollinaris. Mart. Min. Fel. Capella. A. Manl. Torq. Sev. Boethius.

Authores quorum Fragmenta & varia quædam opuſcula, ex Rob. Stephani, Petr. Scriverii, Joſ. Scaligeri, & P. Pithæi collectaneis potiſſimum decerpta ſunt.

LIv. Andronicus. Quint. Ennius. M. Acc. Plautus. Cn. Nævius. Mar. Pacuvius. St. Cæcilius. Lu. Accius. Cai. Lucilius. Sex. Turpilius. Cn. Matius. Lu. Afranius. Quint. Trabeas. C. Licinius Imbrex. Quint. Novius. Lu. Pomponius. Dec. Laberius. Quint. Catulus. Quint. Atta. Pub. Syrus. Por. Licinius. Val. Æedituus. C. Licinius Calvus. C. Helvius Cinna. M. Furius Bibaculus. P. Ter. Varro Atacinus. C. Ticida. Furius Antias. Laur. Tullius. T. Valgius. Lu. Varius. Dom. Marſus. Cæſ. Baſſus. Æm. Macer. C. Rabirius. C. Aſin. Gallus. Corn. Severus. Pomponius Secundus. Cn. Getulicus. Sex. Hæna. C. Pedo Albinovanus. Volc. Sedigitus. Sentius Augur. Aul. Serenus. Septimius Afer. M. Ter. Varro. Titinius. Suevius. Albinus. Alphius Avitus. Ilius. C. Granius. Memor, al. Memmius. C. Julius Cæſar Strabo. Sempronius Gracchus. Varius. Cil. Mæcenas. P. Pomponius Secundus. Rutilius Geminus. Incerti Tragici. M. Tull. Cicero. Germanicus Cæſar. Seneca Philoſophus. Petronius Arbiter. Petronius Venuſianus. Petronius Antigenides. Petronius Hilarius. Petronius Levita. Alcimus. Eugenius. Evantius. Q. Cicero. Pentadius. P. Virgilii Juve

Juvenilia, &c. P. Ovidius. Incerti Auctoris Moretum. Val. Cato. Incerti Auctoris Copa. M. Ann. Lucani ad Piſonem. Q. Serenus Sammonicus. Incerti Auctoris Phœnix. Marcellus. Ruffinus de metris. Priſciani Periegeſis. Cœl. Sympoſius.

Poetæ Eccleſiaſtici.

Q. Sept. Flor. Tertullianus. Cæc. Cyprianus. Juvencus. Hilarius. Marius Victorinus. Ambroſius. Cl. Marius Victor. Damaſus. Aur. Prudentius Clemens. Proba Falconia. Sedulius. Epigramma ex Barthii X. 9. Adverſar. Liberii & Beliſarii de Sedulio acroſtichides. Honorii I. Pontif. Max. de Apoſtolis CHriſto aſcendente obſtupeſcentibus. Alcimus Avitus. Venantius Honorius Fortunatus.

Ad calcem ſubjiciuntur.

Omiſſi.

Cornel. Gallus Maximianus. L. Apulejus.

Hæc leguntur in *Virgilii Catalectis* Ven. 1472. 1484. fol. Pariſ. 1500. fol. apud Jo. Parrum & Jo. de Confluentia, & apud Aldum Anno 1517. 8. atque ad calcem editionum Virgilii Antvverp. 1561. & 1575. fol. & Lugd. 1555. 1581. 12. & ſub titulo appendicis Virgilii cum notis Joſ. Scaligeri & Frid. Lindenbrogii prodierunt Lugd. Bat. 1595. & 1617. 8. & cum prædictorum notis leguntur etiam in luculenta edit. Virgilii Maſviciana Leovard. 1717. 4. licet pauca genuina Virgilii poemata continent, & pleraque ex iis fere conſtat non eſſe tanti auctoris.

Cornelii Severi Ætna, & carmen ſive fragmentum in necem M. Tullii Ciceronis. Moretum. Diræ Valerii Catonis. Priapeja. C. Pedonis Albinovani elegia in obitum C. Mæcenatis. Ejuſdem Pedonis elegia perquam elegans ad Liviam Auguſtam de morte Druſi Germanici per Oceanum ſeptentrionalem. M. Annæi Lucani Panegyricum Carmen ad Calpurnium Piſonem. C. Petronii Arbitri de mutatione Reip. Romanæ. Vita Virgilii verſibus edita a Foca Grammatico. Ejuſdem Focæ, Modeſtini JCti, & C. Sulpitii Apollinaris, aliorumque Scholaſticorum Poetarum in Virgilium, & librorum Virgilianorum argumenta. Duodecim Poetarum ſcholaſticorum, Volmani, Euphorbi, Juliani, Hilaſii, Palladii, Aſclepiadii, Euſthenii, Pompejani, Maximiani, Vitalis, Baſilii & Almeni argumenta in Æneidem, aliique luſus Poetici.

Denique Joſephus Scaliger in Appendice Virgilii exhibuit etiam una cum caſtigationibus ſuis *Catalecta veterum Poetarum* in *duos* a ſe digeſta *libros*, in quibus præter plurima innominatorum, occurrunt Epigrammata latina aliaque poematia minuta vel fragmenta Q. Ennii. *M.* Terentii Varronis. P. Terentii Varronis Atacini. Puppii. M. Accii Plauti Sarſinatis. C. Nævii. M. Pacuvii. Domitii Marſi. C. Cæſaris Germanici. M. Tullii Ciceronis. Q. Ciceronis. P. Virgilii Maronis. Furii Bibaculi. C. Petronii Arbitri. Afranii. C. Laberii. Porphyrii Poetæ. Porcii Licinii. Q. Catuli. L. Apuleji. Gallieni Imp. Val. Æditui. C. Plinii Cæcilii Secundi. C. Cæſaris Octaviani Auguſti. Laureæ Tullii. M Val. Martialis. C. Helvii Cinnæ. P. Syri. L. Pomponii. L. Manilii. Ablabii Cos. Julii Flori. Hadriani Imp. C. Julii Cæſaris dictatoris. C. Caſſii Severi Parmenſis. C. Val. Catulli. A. Septimii Severi Faliſci. C. Volcatii Sedigiti. Sentii Augurini. Pollucis. Citerii Sidonii Syracuſani. Sulpitii Servaſti junioris. C. Julii Solini & Romanæ Sapphus Sulpiciæ.

Fragmenta veterum Poetarum Latinorum, Accii. Valer. Æditui. Alphei Aviti. Albini. Afranii. Petronii Arbitri. Baſſi. M. Furii Bibaculi. C. Licinii Calvi. Cæcilii Statii. Q. Catuli. C. Helvii Cinnæ. Ennii. Furii. A. Galli. Corn. Galli. Getulici. Decimi Laberii. Laureæ Tullii. Porcii. Licinii. Livii Andronici. Lucilii. Æmilii Macri. Domitii Marſi. Cn. Matii. Nævii. Pacuvii. C. Pedonis Albinovani. L. Pomponii. Septimii. Publii Syri. A. Sereni. Corn. Severi. Svevii ſive Succii. C. Ticidæ. Titinnii. Trabeæ. Turpilii. T. Valgii. Varii. M. Varronis. Varronis Atacini. Hæc a Rob. Stephano & Henrico filio collecta digeſtaque prodierunt Pariſ. 1564. 8.

Fragmenta Veterum Tragicorum Latinorum poſt Stephanorum & Martini Delrionis induſtriam diligentius collecta a Petro Scriverio, cum præmiſſis auctorum, qui Tragicos laudant, teſtimoniis, & ſubjectis caſtigationibus, notiſque uberioribus Gerh. Jo. Voſſii Lugd. Bat. 1620. 8. Notæ Voſſii in fragmenta veterum Tragicorum recuſæ in ipſius operibus junctim editis Amſt. 1703. fol. tomo quarto.

Occurrunt in hac collectione fragmenta Livii Andronici. Q. Ennii. Cn. Nævii. M. Pacuvii. L. Accii. Verſus Tragici interprete M. Tull. Cic. Fragmenta Ilii ex Tragœdia Theutrante, C. Cranii (Graji vel Gracchi) ex Peliadibus, Memoris vel Memmii ex Hercule, C. Jul. C. Strabonis ex Adraſto, Sempronii Gracchi ex Atalanta & Thyeſte, C. Cilnii Mæcenatis ex Octavia & incerta Tragœdia, Ovidii Naſonis ex Medea, Pomponii Secundi ex armorum judicio, Atreo, & Tragœdiis incertis, Rutilii Gemini ex Aſtyanacte.

Denique leguntur fragmenta incertorum tragicorum, & pars Tragœdiæ Medeæ quam Virgilianis verſibus expreſſit Oſidius Geta.

Epigrammata vetera, quorum pleraque nunc primum ex antiquis codd. & lapidibus, alia ſparſim ante hac errantia, jam undecumque collecta, emendatius vulgata, diſtinctaque in libros IV. quorum 1. ad Sacra & mores ſpectantia. 2. Elogia. 3. Epitaphia & tumulos. 4. Miſcellanea & omiſſa complectitur. Pariſ. 1590. 12. apud Dionyſium Durallium; & Lugduni ſumtu Genevenſis typographi Jacobi Chovet 1596. 8. ex Bibliotheca & cum emendationibus P. Pithœi. Nomina auctorum, quæ Epigrammatis in iſta collectione (dubia non raro fide) præfiguntur, hæc ſunt: Ablavii Coſ. Albii Tibulli. Alcimi Alcinoi. Aſclepiadii. A. Septimii Sereni. Aſmeni. Avieni. Baſilii. Callimachi. C. A. Romuli. C. Cæcilii Plinii Secundi. Cœlii Firmiani Symphoroſii. C. Caſſii Parmenſis. C. Cilnii Mæcenatis. C. Helvii Cinnæ. Citerii Sidonii Syracuſani. C. Julii Cæſaris. C. Licinii Calvi. C. Nævii. Cornelii Celſi. Cornelii Severi. C. Silonis. C. Sulpicii Apollinaris Carthaginienſis. D. Laberii Mimi. Epicteti. Domini Evantii ſive Eugenii. Eucheriæ Poetriæ. Euphorbii. Euriali Morani. Euſebii. Euſthenii. Focæ Grammatici. Furii Bibaculi. Gerberti. Germanici Cæſaris. Hadriani Imperatoris. Hilaſii. Juliani. Julii Flori. L. Annæi Senecæ. L. Apuleji. Laureæ Tullii. C. Lucilii. M. Annæi Lucani. Maximiani. Julii Modeſti. M. Pacuvii. M. Terentii Afri. M. Tullii Ciceronis. M. Valerii Martialis. Palladii. Pentadii. Pompejani. Porphyrii Poetæ. Porcii Licinii. P. Ovidii Naſonis. P. Syri mimi. P. Virgilii Maronis. Pulicis. Puppii Poetæ. Q. Aurelii Symmachi. Q. Catuli. Q. Ennii. Regilani. Rufi Feſti Avieni. Sex. Aurelii Propertii. Sulpiciæ. Sulpicii Luperci Servaſti junioris. Tullii Marci. Valeriani. Val. Catonis Grammatici. Varronis Terentii & Atacini. Vitalis Mimi. Volcatii Sedigiti. Vomani ſive Vovianii. Poematia vetera cum Epigrammatibus iſtis ab eodem Pithœo collecta & emendata, hæc ſunt. Q. Ennii Phageſiorum Fragmentum. C. Laberii Mimi Prologus. P. Virgilii Maronis Culex. Ejusdem Ciris. Elegia ad Valerium Meſſalam. Cornelii Severi Ætna. Incerti Moretum. Valerii Catonis Diræ. C. Pedonis Albinovani, Elegia de morte Druſi Neronis. Ejusdem duæ Elegiæ in obitum Mæcenatis. Ejusdem de Navigatione Germanici Fragmentum. Q. Ciceronis de XII. Signis Zodiaci. P. Ovidii Naſonis Halieuticon Fragmentum. Gratii Cynegeticon, M. Annæi Lucani Catalecton de laude Piſonis. C. Julii Solini Polyhiſtoris Fragmentum Ponticon. Sulpiciæ Poetriæ Satyra. Q. Sereni Sammonici de Medicina Carmen. M. Aurelii Olympii Nemeſiani Cynegeticon. Ejusdem Eclogæ Bucolicæ IV. T. Calpurnii Siculi Eclogæ VII. P. Optatiani Porphyrii ad Conſtantinum Imperatorem Panegyricus. Phœnix Elegia incerti auctoris. Marcelli Viri illuſtris de medicina Carmen. Rufi Avieni deſcriptio Orbis Terræ. Ejusdem Oræ maritimæ deſcriptio. Ejusdem Æſopicæ Fabulæ. Licentii ad Auguſtinum præceptorem Carmen. Rutilii Numatiani Itineraria duo. Priſciani Periegeſis. De ponderibus & menſuris libellus. Incerti auctoris de Aſtronomia Fragmentum. Cœlii Firmiani Sympoſii Ænigmata centum. Elegia Cornelii Galli. Ejusdem Epigrammata tria. Maximiani Etruſci Elegiæ VI. Incerti Scriptoris in laudem Solis. Fabula Paſiphaes. Severi Rhetoris Carmen bucolicum. Veſpæ judicium Coci & Piſtoris. Domitii Marſi Octaſtichon.

Fragmenta quædam veterum poetarum, ab aliis prætermiſſa vel minus emendate poſita, una cum opuſculis ſuis, ſive Antiquitatum e ſacris profanarum ſpecimine vulgavit vir doctiſſ. & humaniſſ. Theodorus ab Almeloveen Amſt. 1668. Ubi habes quædam Accii, Ælii, Afranii, Attæ, Cæcilii, Licinii, Calvi, Cornuti, Domitii, Ennii, Hoſtii, Laberii, Lævii, ſive Lelii, Livii Andronici, Æmilii Macri, Mariani, ſive Marini, Mummii, Nævii atque Novii, Pacuvii, Pomponii, Porcii, Suecii, ſive Suevii, Titinnii, Valgii, Vari & Volcatii. Idem Cl. Almeloveenius

Epi-

Epigrammata & poemata vetera ad exemplum P. Pithœi ex Scriptis poſt Pithœum demum vulgatis Reineſii, Sponii, Salmaſii, Barthii, aliorumque collegit, & inter amœnitates ſuas Theologico Philologicas vulgavit ibidem 1694. 8.

Errores Venerei ſive Petronii Arbitri Appendix, Varia Erotica, aliaque poemata & Epigrammata incertorum auctorum complectens, quæ a P. Pithœo editioni Petronii Patiſſonianæ A. 1587. primum ſubjecta, deinde juxta edit. Lugdun. Frellonianam & Simonis Abbes Gabbemæ a Mich. Hadrianide exhibita ad calcem Petronii, quem cum variorum animadverſionibus elegantiſſime excudi curavit Amſtelod. A. 1687. 8. Priapeja. Pervigilium Veneris. Epigrammata quæ pertinent ad Valerium Æditųum, Porcium Licinium, Q. Catulum, C. Cæſarem Octavianum Auguſtum, C. Cilnium Mæcenatem, Gallienum Imperatorem, L. Pomponium, Aſinium Gallum, P. Virgilium Maronem, C. Plinium, L. Apulejum, Petronium, Afranium, Alcimum, Claudium Claudianum, Licinium Calvum, Regianum, Sentium Augurinum, & incertos. Fabula Paſiphaes. L. Apuleji Ανεχόμενος. Auſonii Cento nuptialis. Ejusdem, Roſæ Elegia.

Anthologia Latina Petri Burmanni ſecundi Amſteledami 1759. Volumen primum in tres libros dividitur. Primus liber continet Epigrammata & Poematia fere 117. ad Deos, Deaſque, Heroes, Heroidaſque pertinentia. Liber ſecundus continet Epigrammata & Poematia fere 268. ad Viros illuſtres pertinentia. Tertius liber continet Epigrammata & Poematia 293. exornativa, moralia, amatoria. Plurima inedita hæc ſunt Epigrammata & Poematia, cetera omnia tum e lapidibus tum ex omnibus collectoribus petita magna induſtria ſunt. Volumen ſecundum, auctore defuncto pridem vita, non ultra expectandum.

Denique Franciſcus Maria Bonada edidit & ipſe Anthologiam Latinam e lapidibus collectam Romæ 1751. duobus tomis, notis ubique illuſtratam.

Poetarum veterum Eccleſiaſticorum opera Chriſtiana & operum reliquiæ ac fragmenta poſt συνχγωγὴν Aldinam 1502. 4. & Baſileenſem 1541. diligentius collecta, recenſita & notis illuſtrata a Georgio Fabricio Baſileæ 1562. 4. In hoc volumine nulla habita ratione temporis quo ſcriptores vixerunt, continentur. Aurelius Prudentius Clemens, ejuſque Pſychomachia, Cathemerinon, Periſtephanon, Apotheoſis, Hamartigenia, libri duo contra Symmachum, Q. Septimius Florens Tertullianus, Libri adverſus Marcionem, Liber de judicio Domini, Expoſtulatio ad Senatorem, de Jona & Ninive. Cæcilius Cyprianus, Geneſis, & Sodoma. Hilarius Pictavienſis, Geneſis. Claudius Marius Victor, Geneſis, Epiſtola ad Salomonem Abbatem. Dracontius Toletanus, Hexaemeron Liber primus. Divus Ambroſius Hymni ſeptem. Alcimus Ecdicius Avitus, Libri quinque de mundi origine, Liber ad Fuſcinam Sororem. Fabius Marius Victorinus Afer, de Fratribus Machabæis. Juvencus Presbyter, Libri quatuor Hiſtoriæ Evangelicæ. Cœlius Sedulius, Libri quatuor Operis Paſchalis. Arator Subdiaconus, Libri duo Hiſtoriæ Apoſtolicæ, Tiro Proſper Aquitanus, Liber Epigrammatum, Carmen de libero arbitrio, Anacreontici ad Conjugem. Venantius Honorius Clementianus Fortunatus, Libri XI. Poematum, Libri quatuor de vita B. Martini. Drepanius Florus, Carmina. Pontius Meropius Paulinus, pauca carmina. Amœnus, Enchiridion. Ruſticus Elpidius, Triſticha. L. Cœlius Lactantius Firmianns, Carmen de Domini Paſſione. Victorinus Pictavienſis, Carmen de Jeſu Chriſto. Merobaudes Hiſpanus, Carmina. Damaſus Pontifex, Elogia XI. Claudianus Mamertus Carmen. Columbanus Hibernus, Epiſtola. Auctor incertus, de Bebiani Baptiſmo.

Plurima horum Carminum Chriſtianorum, inſerta etiam ſunt in Bibliothecis Patrum, ſive Scriptorum Eccleſiaſticorum Collectionibus.

DE M.

DE M. ACCIO PLAUTO.

Umbro Sarſinate. (*a*)

I. M. Accius a pedum planitie ſive πλατύτητι initio *Plotus*, poſtea Plautus (*b*) eſt dictus, patria Sarſinas ex Umbria, lepidiſſimus Poeta Comicus. A temporibus belli Punici ſecundi floruit, ingenio magis dives quam opibus, ita ut ad molas manuarias (*c*) ſe locare coactus ſit piſtori. Fatis conceſſit Romæ cum Terentius vix novennis eſſet Anno U. C. DLXX. (*d*) ante Chriſtum natum CLXXXIV. P. Claudio & L. Porcio Coſs. Plautum *ad exemplum Siculi properare Epicharmi* ſcripſit Horatius, (*e*) non tam quod ejus fabulas expreſſerit, quam quod ut ille Græcas, ſic hic Latinas Comœdias cum ſingulari laude compoſuerit. Quintiliani tamen judicio X. 1. in Comœdia maxime claudicant Latini, nec comparandi Græcis ſunt, licet Varro dicat Muſas, Ælii Stilonis ſententia, Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latine loqui vellent: licet Cæcilium veteres laudibus ferant; licet Terentii ſcripta ad Scipionem Africanum referantur, quæ tamen ſunt in hoc genere elegantiſſima, & plus adhuc habitura gratiæ, ſi intra verſus trimetros ſtetiſſent. Sane Muretum ſi audimus lib. XVI. cap. 13. Var. Lect. cui acutiſſimus Burmannus ad Quintilian. pag. 913. aſſentitur, ſi Plautino ore loquerentur Muſæ, meretricio ſæpius quam virginali more locuturæ eſſent, & plebejo quam honeſto. In Rabani Mauri libro II. de arte Grammatica T. 2. Opp. pag. 46. edit. Colon. 1627. fol. Horatio teſte laudato afferuntur hi verſus.

Dicitur & Plautus vexiſſe poemata theſpis
Quæ canerent agerentque infecti faucibus ora.

Sed ex Horatii arte poetica v. 276 obvium erat emendare:

Dicitur & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis.

Eadem pagina apud Rabanum; *Poetæ primi Comici, Suſſurim, Bullus & Magnes.* Lege *Suſarion, Mullus, & Magnes*, ex Diomedis lib. III. pag. 486. Sequitur apud Rabanum: *Secunda ætate fuerunt Ariſtophanes, Eupolis & Horatius* (legge *Cratinus*) *qui & principum vitia inſectati acerbiſſimas comœdias compoſuerunt. Tertia ætas fuit Menandri, & Phili* (fortaſſe *Philippidis*) *& Philemonis, qui omnem acerbitatem comœdiæ mitigaverunt, atque argumenta multiplicia græcis erroribus* (Diomedes, *autoribus*) *ſecuti ſunt. Ab his Romani fabulas tranſtulerunt, & conſtat apud illos primo Latino ſermone comœdiam Libæum* (lege *Livium*) *Andronicum ſcripſiſſe.* Corruptiſſimus etiam locus apud eundem Rabanum pag. 47. *Cujus planipedis Acta togatarum ſcriptor ita in ædilicia fabula meminit: daturineſt Scaurus exultat planipes.* Lege ex Diomede pag. 487. *Cujus planipedis* (ſive Mimi) *Atta togatarum ſcriptor ita in ædilicia fabula meminit: daturin' eſtis aurum? exultat planipes.* S. Hieronymus Epiſt. 101. ad Pammachium de optimo genere interpretandi: *Terentius Menandrum, Plautus & Cæcilius veteres Comicos* (Græcos) *interpretati ſunt. Numquid hærent in verbis? ac non decorem magis & elegantiam in traslatione conſervant?* Rufinus eidem Hieronymo objicit, quod in Monaſterio Bethlehem pueris ad diſcendum Dei timorem ſibi traditis, Maronem ſuum, Comicoſque Plautum & Terentium, ac Lyricos & Hiſtoricos auctores expoſuit. Nimirum non putavit timori Dei adverſum eſſe Hieronymus, efficere, ut lingua Græca & Latina, & ſuavitates atque elegantiæ, quæ in Ethnicorum libris exſtant, non fugerent Chriſtianos, & ab illis intelligi, atque in uſum verti poſſent. Nihilominus majus merito ſtudium idem poſuit in Chriſti fide & obſequio teneris animis inſtillando.

II. Exſtant ex ipſius Comœdiis, quarum CXXX. ætate Gellii ſub Plauti nomine circumferebantur, ut ipſe auctor eſt libro & capite tertio Noctium Atticarum, hæ *viginti*, ordine fere literarum a Grammaticis digeſtæ, ad evolvendi, ut credibile eſt, facilitatem. Plauti quas habemus Comœdias collocatas ordine literarum a *Priſciano* putant, qui *Acroſticha* ſingulis Comœdiis præmiſſa (*f*) ad

(*a*) Arnoldus Pontacus ad Euſebii Chron. p. 462.

(*b*) Feſtus in *Plotu*.

(*c*) Hieron. Chronico, & Gellius III. 3. qui e Varrone refert binas illum fabulas Satyrionem & Addictum & tertium, cujus nomen non adſcripſit, in piſtrino compoſuiſſe. Apud Minucium quoque Felicem cap. 14. *Plautinæ proſapiæ hominem* pro piſtore poni obſervant Viri docti. Utrum vero, quod in truſatili mola aſinorum veluti vicem geſſerit Plautus in piſtrinis verſatilibus molentium, ideo *Aſinii* cognomento veniat in quibuſdam libris, in medio relinquo.

(*d*) Cicero Bruto c. 15. Apud Voſſium de Poetis latinis, etiam in nova Operum editione in fol. perperam excuſus Urbis annus CIↃ. LXXV.

(*e*) Horat. lib. 2. Epiſt. 1. v. 58.

(*f*) Vide infra.

ad eundem referunt, quod tanquam incertum & non magnæ rei relinquo.

1. *Amphitruo*, in qua poſt actus IV. ſcenam 2. inſerti ſunt a recentiore manu verſus CLXXXII. *Amphitruo* Tragico-comœdia dicitur a Luctatio ad Statii 4. Thebaid. v. 47. Verſus CLXXXII. ſive ſcenas tres *Amphitruoni* poſt Actus IV. ſcenam 2. a recentiore manu adjectas, perperam pro genuinis Plauti habuerunt Pylades Brixianus aliique. In Plauto Taubmanni ad calcem voluminis rejecti leguntur, pag. 1271. ſeq. A Plauti dictione abire, magiſque tumentia eſſe, & vetera licet, tamen omnino ſequioris ævi adjectamenta notat Voſſius lib. 1. de vitiis ſermonis cap. 27. In Plautinis ſuis exemplaribus non reperiri teſtatur Jac. Moſantus Brioſius pag. 105. Epiſt. Amphitruonem Plauti Hiſpanice vertit D. Villabolos, Hiſpali 1574. 8. Imitatus eſt in Amphitruone ſuo Jo. Baptiſta Poquelinus Molierius, ac Bælio judice longe poſt ſe reliquit. Imitatus etiam eſt Italus Poeta ſive Bocacius ſive alius in dramate cui titulus: *Gieta*, *e Birria*. Vide Diarium Venetum, Giornale de' letterati d' Italia Tom. VI. p. 236.

2. *Aſinaria* ex ὀνάγρῳ Demophili Comici Græci expreſſa. *Aſinariam* Plauti imitatus eſt, & ad ſacrum argumentum de Saule filiam Davidi dote cruenta præputiorum Philiſtæorum deſpondente deflectit *Jo. Burmeiſterus*. Luneb. 1625.

3. *Aulularia* ſic dicta ab aulula ſive olla Euclionis. Extremam hujus dramatis partem ſupplevit & adtexuit *Antonius Codrus Urceus*, Profeſſor Bononienſis, qui clarebat ſub Sigiſmundo & Friderico III. Imp. Aliud brevius ſupplementum legitur in editione Plauti Lugdunenſi, quam dedit Gryphius, in Colonienſi Gyberti Longolii, tum in Pareana, & aliis recentioribus. Alia denique ex ingenio adornarunt Joach. Camerarius & Georgius Reimannus Leibſchutz. Jamque olim Plauti Aululariæ alienos verſus inſertos fuiſſe colligas e Plinii XVIII. 1. Aululariam ſeorſim illuſtravere Steph. Riccius, Mauritius Sydelius &c. *Aululariam* verſibus Germanicis ut illa ætate rudibus reddere non dubitavit quidam *Joachimus Greff*, ZWickavienſis, Magdeburg. 1535. 8. Sed meritam ingenii laudem ætate noſtra tulit *Molierius* (*g*) Comicorum Gallicorum princeps, qui ex Aulularia Plauti *Avarum* ſuum expreſſit amœniſſima imitatione. Supplementum Aululariæ neſcio an diverſum ab editis, de quo Goldaſtus in literis MSS. ad Johannem Meurſium XI. Kal. Nov. 1604. *ſupplementum Aululariæ illud quæro, quod Camerarius ait apud Georg. Fabricium vidiſſe, non quod abs te* (*h*) *editum. Numquid ſuper eo aliquid ex Scaligero? tenta, & vale mi Meurſi, ac amicitiam noſtram fove*. Camerarii verba ſunt: *Noſter quidem Fabricius annotarat quædam Romæ reperta, quibus ſupplerentur hæc deficientia, ſed ne illa quidem ſatis Plautina, neque cauſa, cur adjici vellemus, viſa fuit:* Sane præter illud ſupplementum verſuum CXXII. quod *Codro Urceo* (*i*) Profeſſori Bononienſi debemus, quodque incipit: *quod non habeo. LY. feram, Velis nolis cum te quadrupedem ſtrinxero*. Exſtat aliud brevius XXVIII. verſuum, quod incip. *Quid hic quondam pervicus addit?* quod ante *Meurſium* variæ Plauti editiones exhibuerant, ut Simonis Carpentarii Pariſienſis, Lugdunenſis Gryphii, Gyberti Longolii Colonienſis, & Hervagii Baſileenſis, neque aliud a Camerario innui ſuſpicor. Eo puto etiam pertinere quod legas in Pithœanis, *il y a quelque choſe au Plaute de Gryphe, qui n' eſt pas aux autres*. Præter hæc duo exſtat etiam ſupplementum recentius verſuum CCLXXV. *Martino Dorpio* (*k*) auctore, cujus initium: *Non feram, carnifex*. Nec non aliud *Joachimi Camerarii* ipſius: aliud item *Georgii Reinmanni Leibſchutz*, Profeſſoris Regiomontani. Prodiit ſeparatim Plauti Aulularia cum Urcei ſupplemento Daventriæ 1512. 4. & Argentorati 1514. 4. & adjuncto altero longiore Martini Dorpii, Antuerp. 1537. 8.

4. *Captivi*, de qua Comœdia ſua Auctor ipſe, Prologo.

Non pertractate facta eſt, neque item ut cæteræ,

Ne-

(*g*) Molierius *Plautus noſtri ſæculi* vocatur a clariſſ. Burmanno p. 91. ad Petronium.

(*h*) In Meurſii curis Plautinis Lugd. Bat. 1599. Confer Plautum Taubmanni p. 1279.

(*i*) Codrus Urceus lepidi vir ingenii obiit Bononiæ A. 1500. ætat. 54. cujus vita ſcripta a Bartholomæo Blanchino exſtat ad calcem Urcei operum junctim excuſorum A. 1540. De eodem conſulendus Bernardus Moneta in obſervationibus Gallice editis ad Menagiana T. IV. p. 150. ſeq. & Memoriarum literariarum ſcriptor, editarum Gallice A. 1716. 8. Tom. 1. pag. 331. ſeq.

(*k*) Martinus Dorpius vir egregius & amicus Eraſmi in flore ætatis extinctus Lovanii A. 1525. De eo Valerius Andreas in Bibl. Belgica & in Athenis Belgicis Franciſcus Svveertius. Rich. Simon T. 1. Bibl. ſelectæ p. 88. Jo. Clericus Bibl. ſelectæ T. V. p. 210. ſeq. &c.

Neque ſpurcidici inſunt verſus immemorabiles.

Et in calce dramatis:

Spectatores, ad pudicos mores facta hæc fabula eſt.

Hujuſmodi paucas Poetæ reperiunt Comœdias.

Ubi boni meliores fiant. ---------------

Captivos Plauti Joach. Camerarius putabat intercidiſſe; huic autem quæ ætatem tulit Comœdiæ titulum fuiſſe *Captivi duo*. Illam elegante proſa Gallica nuper donavit præſtantiſſ. Vir Petrus Coſteus Pariſ. 1713. & Amſtelod. 1616. 8. Gallice & Latine cum notis. De ſpatio temporis, quod ad actionem hujus dramatis requiritur, num ad leges theatri ſit exactum, vide ſi placet Anonymi Criticas Obſervationes, quæ editæ ſunt in Hiſtoria Critica Reip. litterariæ celeberrimi Maſſoni Gallice edita T. XIII. p. 1. & laudati Coſtei Epiſtolam in Novellis Reip. litterar. A. 1716. pag. 464. Memoriis Trevoltinis A. 1716. Jul. p. 1388. & A. 1717. p. 317. Hiſtoria Critica Reip. literar. Tom. XIV. pag. 56. Dalliſche Nachleſe der Neven Bibliothec. V. pag. 404.

5. *Curculio*, quod eſt nomen paraſiti impoſitum a verme, qui frumentum exedit, unde jocus Auſonii Epiſt. XXII. *Tota illa familia hominis literati non ad Ciceronis frumentariam* (3. in Verrem,) *ſed ad Curculionem Plauti pertinebit.*

6. *Caſina*, pro quo nomine *Caniſſam* malebat Sam. Petitus II. 19. Miſc. ſed infelici conjectura, ut docuit Sam. Bochartus parte I. Hierozoici II. 55. Vide etiam ſi placet Guil. Canterum VII. 22. Nov. lect. Johannes Meurſius in mantiſſa ad librum de luxu Romanorum cap. 17. Caſinam dictam conjicit a *caſu* ſive ſorte; translata enim eſt de Græco Diphili dramate, quod inſcribebatur κληρούμενοι ſive ſortientes. Feſto in *remiligines* hæc Plauti fabula laudari videtur ſub titulo *Patinæ* ſive *Patinariæ*. Confer Caſinam IV. 3. 7. De *Caſina* Plauti, ejuſque latranti nomine adeundus etiam Deſiderius Heraldus animadverſionibus in Salmaſii obſervationes ad Jus Atticum & Romanum lib. 2. cap. 17. p. 189. ſeq. qui tamen non perſuadet, cum apud Plautum *latratæ* pro *latranti nomine* ſcribendum conjicit, quod Caſinam omnes latrarent, ſcilicet, hoc eſt poſcerent & ſuper qua ſortitiones fierent.

7. *Ciſtellaria*.

8. *Epidicus*, auctori ſuo præ cæteris probata. Vide Bacchides II. 2. 36. Hanc ſeparatim illuſtravit Andreas Wilckius, Erfurt. 1604. 8.

9. *Chryſalus* ſive *Bacchides*. Prologus ac ſcenæ primæ initium a Laſcari repertum eſt Meſſinæ in Sicilia; ab aliquibus tribuitur Franciſco Petrarchæ. Exſtat in editione Plauti Longoliana Colonienſi, atque inde etiam in aliis.

10. *Phaſma* ſive *Moſtellaria*, ſic dicta a *Moſtella* ſive monſtro ædes infeſtante.

11. *Menæchmus*, cujus Dramatis uti Pœnoli quoque Italicam translationem vide editam Venetiis 1526. 8. In *Menæchmos* lepida exſtat Angeli Politiani præfatio inter ejus Poemata in Operibus Politiani & Tom. 2. Delic. poetar. Italorum pag. 363. Menæchmi Plauti & Miles glorioſus Hiſpanice verſi prodiere A. 1555. forma minore. Militem Italica proſa reddidit Cœlius Calcagninus.

12. *Pyrgopolinices* ſive *Miles glorioſus*.

13. *Mercator*, translata ex ἐμπόρῳ Philemonis Comici Græci. In hac quoque poſt Actus IV. ſcenam quintam bene multi verſus adſuti ſunt a recentiore manu, nec non & verſus undecim præmiſſi ſcenæ III. Actus V.

14. *Pſeudolus*. Cicero Catone Majore c. 14. *Quam gaudebat bello ſuo Punico Nævius, quam Truculento Plautus, quam Pſeudolo!*

15. *Pœnolus*, qui & *Patruus*, & *Phagon*. Punica in hoc dramate occurrentia, quæ parum a puritate Hebraiſmi abeſſe affirmat Joſephus Scaliger Epiſt. CCCLXII. & Hebraicis literis in ſua Plauti editione deſcripſit Pareus, illuſtraverat Joſephus Scaliger ad fragmenta Græcorum p. 32. Salmaſius Epiſt. XVIII. Thom. Reineſius de lingua Punica c. XII. Sed maxime Sam. Petitus lib. III. c. 1. 2. 3. eoque felicius Bochartus II. 6. Chanaan, & Jo. Clericus Vir Cl. Tomo IX. Bibl. Univerſalis p. 256. qui rhythmos eſſe docet, quod ſubodoratus quoque fuerat Jo. Seldenus prolegom. de Diis Syris c. 2. Vide præterea ſi lubet Hugonem Grotium Epiſtola CVI. ad Gallos (collectionis majoris CCLVII.) Brianum Waltonum apparatu ad Biblia Polyglotta prolegom. II. num. 6. ſeq. Stephanum le Moyne ad Varia Sacra p. 112. Jo. Chriſtoph. Wagenſeilium in telis igneis Satanæ retulis p. 411. Jo. Braunium Virum Cl. in ſelectis ſacris p. 484. & Valentinum Erneſtum Lœſcherum de cauſſis linguæ Hebrææ

p. 31. Poſt actus poſtremi ſcenam ſextam Jo. Sambucus e MSto Codice aliam ſubjunxit, quam in manu exaratis libris reperit etiam Juſtus Lipſius V. 19. Antiq. Lect. De Punicis in Plauti *Pœnulo* videndus etiam Iſ. Caſaubonus in Caſaubonianis editis nuper a Joanne Chriſtophoro Wolfio, pag. 121. Athanaſius Kircherus in prodromo Copto pag. 179. Bernardus Aldrete in Antiquitatibus Africæ & Hiſpaniæ Hiſpanica lingua vulgatis p. 207. Antonius Bynæus de Natali Chriſti pag. 102. & Olaus Rudbeckius T. 3. Atlanticæ pag. 731. ſeq. Ad dialectum Aramæam refert Georgius Henricus Saphunius in commentatione erudita ad Plauti Punica, quam édidit Lipſiæ 1713. 8. Vide Acta Eruditorum T. V. ſupplementi pag. 421. Specimen divinationum ſuarum in Pœnulum Plauti memorat Thomas Erpenius Epiſtola ad Caſaubonum, quæ inter Caſauboni Epiſtolas pag. *661*. legitur edit. novæ in fol. Linguam Punicam in hodierna Melitenſi ſupereſſe, ſpecimine linguæ Punicæ Marpurgi A. 1418. 8. edito demonſtratum ivit exquiſitæ eruditionis & præclari ingenii vir Jo. Henricus Majus, filius, humaniorum litterarum in Giſſenſi Academia digniſſimus Profeſſor.

16. *Perſa*.

17. *Rudens*, quo titulo perinde ut Trinummo & Truculento non expleri indicationem argumenti diſputat Julius Cæſar Scaliger p. 766. Poetices. *Rudentem* Anna Daceria, quæ eleganti illam fabulam veſte Gallica induit, inſcribit *Felix Naufragium*. Eam e Diphilo Plautus tranſtulit, fortaſſe ex ejus ἀναγωζομένοις.

18. *Stichus*. In hac fabula leguntur loca bina, quæ e *Nervolaria* Plauti producit Feſtus in *Naſiterna*, & *Oſculana*: forte quod Plautus ſimiles verſus in diverſis quandoque adhibuit Comœdiis. Sane quæ e Nervolaria tum apud Feſtum, tum apud alios plura leguntur, in Sticho fruſtra quæras.

19. *Trinumus*, quam ſeparatim illuſtravit in Plauto Philologo Critico *Henningus Succovius*. Julio Cæſare Scaligero judice rectius feciſſet Plautus, ſi *Theſaurum* inſcripſiſſet. *Trinumum* ex Philemonis comici Græci Θησαυρῷ expreſſum conſtat. *Henningi Succovii* commentarius in Trinumum vidit lucem Francof. 1643. 8.

20. *Truculentus*, cæteris depravatior hodie exſtat, etſi ut ſupra in Pſeudolo dixi, Plauto ipſi hoc drama ſuum mire placuit.

III. Ætatem igitur tulerunt (præter unam *Vidulariam*) Comœdiæ Plauti Varronianæ omnes, ſive XXI. illæ, quas *Varro in libris de Comœdiis Plautinianis* conſenſu omnium pro genuinis habuit teſte Gellio III. 3. Vidularia quoque exſtitit olim in antiquiſſimis membranis Palatinis, in quibus ejus titulum poſt Truculentum obſervarunt Viri docti, ſed fabula ipſa deſiderabatur, quam plus ſimplici vice in teſtimonium citant Nonius, Priſcianus, & alii.

IV. Poſt mortem Plauti ejus Comœdiæ, quæ incertæ ferebantur, Plautinæ tamen eſſe de jocorum copia cognitæ ſunt, ut narrat Macrobius lib. 2. Saturnal. c. 1. Aliarum Plauto paſſim tributarum auctores fuere *M. Aquilius* quidam, vel *M. Accius* ſive *Acutius*, vel *Plotius* vel denique *Turpilius* (*a*).

V. Nomina deperditarum Comœdiarum ſub Plauti nomine hæc apud veteres Grammaticos obſervata ſunt Viris doctis, Georgio Fabricio præcipue, Taubmanno, ac Pareo, qui fragmenta Plauti collegerunt. 1. *Acariſtio*, pro quo alii apud Nonium legunt ἄχχρι *ſtudium*. 2. *Abroicus*, al. Ambroicus vel Agroicus, ἄγροικος. 3. *Addictus*. 4. *Anus*. 5. *Artemon*. 6. *Aſtraba* ſive *Clitellaria*. 7. *Baccharia*. 8. *Bis compreſſa*. 9. *Bœotia*. 10. *Cæciſtus*. 11. *Calceolus*. 12. *Carbonariæ*. *Clitellaria* (ſupra *Aſtraba*.) 13. *Cæcus* ſive *Prædones*. 14. *Colax*. 15. *Commorientes* e Diphili fabula, cui titulus συναποθνήσκοντες expreſſa teſte in Adelphis Terentio. Tamen hanc quoque Varro videtur Plauto abjudicaſſe. 16. *Condalium* e Menandri δακτυλίῳ. 17. *Cornicularia*. 18. *Dyſcolus*. 19. *Fœneratrix*. 20. *Fretum*. 21. *Frivolaria*. 22. *Fugitivi*. 23. *Gaſtron*, aliis *Reſtio* vel *Geſtio*, vel *Quæſtio* denique. 24. *Hortulus*. 25. *Leones* (al. *lenones*) *gemini*. 26. *Lipargus*, ſive Paraſitus piger. 27. *Medicus paraſitus*. 28. *Mæchus*. 29. *Nervolaria*. *Prædones*, (ſupra *Cæcus*.) 30. *Plocinus*, al. Plociona, Πλοκιώνης, ſtuparum inſtitor. 31. *Saturio*. 32. *Scytha lithurgus*, ex Antiphontis Σκύθῃ. 33. *Syrus*. 34. *Trigemini*. 35. *Vidularia*. Poſſent & catalogo deperditarum inſeri *Paraſitus* (ſupra, *Medicus*:) *Patina* ſive *Patinaria*, (niſi eadem hæc fuerit cum Caſina:) Phaſma (niſi eadem cum Moſtellaria) & *Siſennaria* (niſi falſa lectio Camerarium deceperit.)

VI.

(*a*) Gellius III. 3. e Varrone refert *Plautinum fuiſſe quempiam Poetam Comœdiarum, cujus quoniam fabulæ Plauti inſcriptæ forent, acceptas eſſe quaſi Plautinas, cum eſſent non a Plauto Plautinæ, ſed a Plautio Plautianæ*.

VI. Plautum olim illuſtraverunt Grammatici veteres *Aruntius Celſus*, *Flavius Caper* & *L. Siſenna*. Indices ſuper fabulis Plautinis ſcriptos a *Vulcatio Sedigito*, *L. Ælio*, *Claudio* quodam, itemque *Accio*, & *Aurelio*, *Manilioque* memorat Gellius: *Varronis* librum ſecundum Plautinarum quæſtionum Diomedes. Sed horum omnium labores pridem intercidere. Veteribus Grammaticis, quorum monumenta Plauto illuſtrando deſtinata non tulerunt ætatem, addendus etiam *Q. Terentius Scaurus*.

VII. *Acroſticha* ſive verſus nomina ſingulorum dramatum primis litteris indicantes, eorumque argumentum complexi, qui in codicibus, & editionibus Plauti ante ſingulas fabulas leguntur, *Priſciano* nonnulli tribuunt; alii e ſtylo colligunt illa vel ipſius eſſe Plauti, vel alterius prope æqualis, ut viſum Bocharto T. I. Hierozoici p. *664*.

VIII. Plauti Comœdiæ XX. primum e MS. Florentino prodiere Venetiis opera & impendio Joannis de Colonia Agrippinenſis, & Vindelini de Spira Anno 1472. fol. cura *Georgii Merulæ* Alexandrini Statielenſis, & Tarviſii 1482. fol. opera & impendio Pauli de Ferraria atque Dionyſii de Bononia. Sed annotamenta ejus & Plautinæ quas promittit quæſtiones dubito an viderint lucem. Cornelius Vitellius de obſervatione dierum, menſium, annorumque ad Pyladem Buccardum Brixianum: *Habeo ſexcentos & amplius errores ipſius* (Merulæ) *ex commentariis Juvenalis & Orationis in Ligarium ac emendatione Plauti, Columellæ, Catonis Cenſorii, & Varronis collectos, quos jam edidiſſem, niſi expectarem ipſius* quæſtiones Plautinas, *quas jam decem annos in utero geſtat, & adhuc* (A. 1481.) *non modo non parit, ſed ne parturit quidem, cum ei opus ſit recantare, quæ in toto Plauto depravavit*. Confer Diarium Venetum, Giornale de' Letterati d' Italia T. XVII. p. *297*. ſeq.

Poſt Merulam recognitæ Plauti Comœdiæ ab ejus diſcipulo ſunt *Euſebio Scutario* Vercellenſi Mediolan. 1490. fol. in officina egregii mancipis Ulderici Scinzenzeler, ipſius & magiſtri Joannis Legnani opera & impendio.

A *Jo. Petro Valla*, cum cujus commentario & *Bern. Saraceni*, ſine anni nota Plautum habeo editum Venetiis fol. ut omittam editionem hujus Comici Venetam A. 1495. 4.

A *Pylade Buccardo* Brixiano, Brixiæ 1506. fol. qui Plautum termille amplius erroribus a Saraceno & Pio corruptum queritur. Hinc ut omittam editiones Daventrienſem Anni 1482. & Brixienſem cum Commentario *Bern. Saraceni*, quam procuravit Simon Papienſis, Venetaſque cum commentario ejuſdem Saraceni, & *Jo. Petri Vallæ* additis etiam commentariis *Jo. Baptiſtæ Pii* Bononienſis 1499. 1511. fol. & Ulmenſem A. 1499. Plautus cum commentariis *Jo. Baptiſtæ Pii* prodiit Mediolan. 1500. fol. (Sed caſtigationes, & retractationes notarum ſuarum in Plautum Pius ſubjecit commentariis ſuis in Lucretium editis Bonon. 1511. fol. & Pariſ. 1514. fol.) & cum *Burchardi Pyladis* Brixiani, & *Thaddæi Ugoleti* commentario Parmæ 1511. fol. Præterea cum notis Saraceni, Vallæ, Pii, Pyladis, Ugoleti, & *Franciſci Marii Grapaldi*, additis iconibus quibuſdam ligno inciſis Venet. 1518. fol. In Parmenſi vero editione an. 1511. fol. præter *Pyladis Buccardi* Brixiani ſcholia in quinque priores Comœdias, occurrunt ad undecim ſequentes & principium Rudentis, hypomnemata *Thaddæi Ugoleti*: commentarii *Franciſci Marii Grapaldi*, & in reliqua *Georgii Anſelmi* Epiphyllides. Commemorandæ porro veniunt editiones.

Argentinenſis, curante Adolfo *Mulingo*, An. 1508. quam laudat Taubmannus.

Lipſienſis ſingularum Plauti Comœdiarum Anno 1506. 1511. 1512., &c. fol.

Pariſienſis, *Simonis Carpentarii* A. 1513. 8. In qua primum editum eſt ſupplementum Aululariæ, quod deinde Gryphius, Meurſiuſque vulgaverunt.

Florentinæ, Philippi Juntæ, A. 1514., & 1522. 8. cura *Nicolai Angeli* Buccinenſis recenſita. Exſtat & editio Florentina, A. 1554. 8.

Aldina, Venet. 1522. 4. quæ in titulo ipſo carmina Plauti magna ex parte in menſum ſuum reſtituta promittit, & Franciſcus Aſulanus in præfatione profitetur ſe exemplar ab Aldo & Eraſmo caſtigatum typographis exſcribendum propoſuiſſe. *Roberti Stephani* editio Aldum ſecuti prodiit Pariſiis 1529. fol.

Lugdunenſes apud *Gryphium*, 1535. 1540. 8. 1554. 16.

Pariſienſis apud *Rob. Stephanum*, exemplaribus viginti invicem collatis, A. 1535. fol.

Colonienſis *Gyberti Longolii* Ultrajectini, 1538. 8. apud Joannem Gymnicum. Prodierant etiam Comœdiæ Plauti ſelectiores cum notis Longolii Pariſ. 1530. 4.

Joachimi Camerarii, qui membranis antiquiſſimis Palatinæ poſtea illatis, atque inde iterum ereptis, Bibliothecæ uſus, plurima reſtituit, & quin-

quinque primum Comœdias recenſuit, Anno 1545. 8. deinde totum Plautum A. 1551. & 1558. 8. Baſileæ apud Hervag. cum fragmentis a *Georgio Fabricio* collectis, & præfixa ejuſdem Camerarii de Carminibus Comicis diſſertatione. *Joachimus Camerarius* de Plauto in primis præclaræ meritus, uſum ſe eſſe teſtatur membranis antiquis *Viti Verleri* Franci, quem Lipſiæ Comœdias Plautinas interpretantem audiverat. Quanquam vero privilegium Friderici I. Imperatoris, quod in quinquennium accepit Camerarius pro editione ſcriptorum ſuorum quorumcunque ad humaniores literas ſpectantium, jam datum eſt A. 1538. *26*. Novembr. in quo Plautinarum etiam emendationum fit mentio, nihil tamen ex illis lucem videtur vidiſſe ante A. 1545. quo Lipſiæ in 8. ex officina Valentini Papæ Camerarius edidit a ſe recenſitas illuſtrataſque Amphitruonem, Aſinariam, Curculionem, Caſinam, atque Ciſtellariam: niſi quod jam A. 1536. 8. Magdeburgi, edente Georgio Majore, prodiere Captivi, Aulularia, Miles, Menæchmi, Moſtellaria, & Trinumus, emendati & numeris reſtituti ab eodem, ut non dubito, Camerario, licet nomen ſuum proditum vetuit. Quod itaque in Catalogo Bibl. publicæ Leidenſis noviſſimo pag. 271. mentio fit Comœdiarum Plauti viginti per Joachimum Camerarium editarum Baſileæ A. 1538. 8. puto em ego errorem eſſe pro 1558.

Plantiniana cum caſtigationibus ejuſdem Camerarii, *Cœlii Secundi Curionis*, *Jo. Sambuci*, *Adr. Turnebi*, *Adriani Junii*, *Caroli Langii*, & aliorum, Antwerp. 1566. 12. Genev. 1581. 1587.

Baſileenſis Hervagiana Anno 1568. 8. in qua præter caſtigationes jam memoratas Virorum doctorum & Caroli Langii lectiones in Plautum occurrit *Andreæ Alciati* Mediolanenſis de Plautinorum Carminum ratione libellus, & Lexicon Plautinum.

Baſileenſis Andreæ Cratandri, A. 1573. 8.

Lambinianæ cum commentariis inſignibus *Dionyſii Lambini*, Pariſ. 1577. 1587. fol. Col. 1578. Genev. 1595. 1605. 1622. 4.

Plautus ex recenſione Lambini Heidelberg. A. 1581. 8.

Plautus cum variis Lect. ex Lambini & aliorum variorum obſervatione adſcriptis. Lugd. apud Sanctandreanum. 1587. 8.

Lambino notas ſuas in Plautum retractanti manus injecerunt fata, cum perveniſſet ad tertiam decimam Comœdiam. Cætera peregit Collega ejus *Jacobus Helius*, Græcarum literarum Regius Profeſſor.

Plautum a ſe emendatum promiſit in publicum emittere elegantiſſimus *Muretus* p. 178. b. notis ad Terentium. *Gabriel Faernus* quoque, qui in reſtituendo Plauto multa Camerarii laboribus accepta libenter retulit: & *Latinus Latinius*, opera etiam Longolii adjutus. Vide Latinii Epiſtolas T. 2. p. 43. Etiam *Antonius Panormitanus* ſui in Plautum Commentarii meminit in Epiſtolis ſuis pag. 19. 22. 51. 99., &c.

Jani Gruteri editio caſtigata ad Codices Palatinos A. 1592. tanto minus prætereunda, quod illa prima eſt, in qua Comœdiæ ſingulæ actibus & ſcenis, verſuumque numeris magno lectorum commodo diſtinguuntur. Grutero iniquior Jo. Philippus Pareus, de quo ſuo quondam diſcipulo Gruterus queritur Epiſt. 121. 122. poſt Gudianas: nec Pareo parcit in ſcriptis ſuis Gruterus, quam miſeram virorum doctorum certantium invicem maledictis conditionem merito dolet Michael Piccartus litteris ad Jo. Kirchmannum, poſt Gudianas pag. 260. atque acerbe nimis, noviſque maledictis exagitat Jac. Gretſerus lib. I. rerum variarum, Ingolſtad. 1628. 8. capite IX.

Plautus cum non contemnendo indice dictionum & phraſium excuſus Cothenis 1618. 8.

Plautus ex recenſione *Jani Douſæ* filii, cum brevibus ejus animadverſionibus, Antuerp. 1589. Lugd. Bat. 1595. Francof. 1610. 12.

Ex recenſione, & cum præfatione *Auguſti Buchneri*, Witteb. 1640. 12. 1652. 1659., &c. Præfationem in poſterioribus Plauti editionibus omiſſam queritur Tho. Crenius Vir Clar. parte 2. animadverſ. p. 2. De editione ipſa non præclare ſentit Jo. Frid. Gronovius præf. ad Plautum.

Joannes Paſſeratii Commentaria in Plautum laudata Adriano Bailleto nuſquam terrarum neque typis exſcripta, neque manu exarata comparuiſſe affirmat Ægidius Menagius T. 2. Anti-Bailleti p. 158. At in Philippi Labbei Bibliotheca nova MSS. p. 371. memorari video Paſſeratii Commentaria in Plauti Militem, Caſinam & Moſtellariam.

E recenſione *Jo. Iſaaci Pontani* Plautus prodiit. Amſt. 1650. forma minore.

Præſtantiſſimæ ad intelligendum hunc Comicum ſunt editiones Taubmannianæ, quarum prima Franc. 1605. altera 1612. cum ſecundis *Frid. Taubmanni* curis, tertia poſt illius obi-

tum (vita enim exceſſit Wittebergæ A. 1613. IX. Cal. April.) accedente eximii Viri *Jani Gruteri*, ſed variis invectivis (*a*) in Jo. Philippum Pareum moleſti, induſtria A. 1621. 4. (*b*) Hæ editiones licet non uſquequaque ſunt emendatiſſimæ, primæ enim ſe ideo pudere ſcribit Taubmannus in literis ad Godofr. Jungermannum datis prid. Cal. Septembr. A. 1606. & tertiam hoc nomine reprehendit Jo. Clericus Vir Cl. T. 3. Bibl. ſelectæ p. 364. ſeq. tamen contextum pluribus locis exhibent meliorem, ac præter luculentos commentarios omnium, quiqui ante Plauto manus admoverant, induſtriam delibantes ac vincentes, fragmenta ex amiſſis Plauti Comœdiis poſt G. Fabricium diligentius collecta, tum hypobolimæa ſeorſim ad calcem conjecta notiſque illuſtrata exhibent. Eadem fragmenta deinceps ſubjuncta ſunt Plauto cum Indice phraſium excuſo Cothenis Anno 1620. 8. tum editionibus Plauti eximiis, quas magno ſtudio adornavit *Jo. Philippus Pareus* Francof. 1610. 8. Neapoli Nemetum ſive Spiræ (*c*) 1619. 4. & Francof. 1641. 8. tum illis quas cum variorum notis vulgarunt Lugduni Batavorum M. *Zuerius Boxhornius* A. 1645. 8. a Nic. Heinſio exemplar manu *Joſephi Scaligeri* notatum nactus, & Anno 1664. 1684. 8. *Jo. Frid. Gronovius* e ſex Codd. MSS. atque ex ſagaci ingenio non paucis Plauti locis novam lucem fœneratus. *Jo. Fridericum Gronovium* in Plauto ſenariorum verſuum rationem non ſatis habuiſſe perſpectam, arguit Rich. Bentlejus V. C. in emendationibus ad Menandri reliquias pag. 54. cui facile fuerit loca illa monſtrare, atque ita lectores ſibi obſtringere.

De corpore Poetarum Latinorum Genevæ, Lugduni, & nuper præſtantiſſimo viro Michaele Mattaire curante Londini edito, in quo & ipſe Plautus obvius, dixi alibi.

In uſum ſereniſſimi Galliæ Delphini Plautus editus eſt à *Jacobo Operario* Conſtantienſi Præsbytero, & Domus de charitate S. Mariæ Proviſore Pariſ. 1679. 4. duobus Voluminibus, cum interpretatione, ſive paraphraſi & notis, omniumque (*d*) Indice Vocabulorum, quod ne ſæpius monere neceſſe ſit, ſemel annotaſſe ſufficiat ita adornatas eſſe omnes auctorum editiones, quas moderantibus Carolo Sanctamauræo Montauſerii Duce, Jacobo Benigno Boſſueto (*e*) Epiſcopo Condomenſi atque inde Meldenſi, & Petro Daniele Huetio Epiſcopo hodie Abrincenſi doctrinæ & ingenii laude illuſtriſſimo, in Delphini uſum Galli vulgarunt. *Jacobus Operarius* (*f*) qui Plautum in uſum Delphini vulgavit, teſtatur ſe uſum fuiſſe ineditis notis *Jacobi Corbinelli* Florentini, ad oras editionis Plauti a Sambuco factæ, manu auctoris adſcriptis. *Lævini Torrentii* notas & caſtigationes ex Codice illius, qui erat in Bibl. Gudiana, ſervo adſcriptas huic in uſum Delphini publicatæ editioni manu præclari viri & amici Jo. Chriſtiani Wolfii.

Prodiit etiam Plautus cum variis lectionibus in Corpore Poetarum latinorum Genev. 1603. 1611. 4. & ex *Franciſci Gueti* Critici ſeveriſſimi recognitione, addita Gallica translatione proſaria *Michaelis Marolefii* Pariſ. 1658. 8. Ab eo tempore *Anna T. Fabri* filia quaſdam Plauti Comœdias, Amphitruonem puta, Rudentem atque Epidicum nova veſte eleganti Gallica induit, notiſque & dramatum ad leges theatri examine illuſtravit, Pariſ. 1683. & Amſt. 1691. 12. tribus Voluminibus. Hæc Plautum Terentio ita notat præſtare ingenio & inventione atque apparatu, ut Terentius vincit arte & dictionis elegantia.

Ad *Janum Hautenum* de verſione ipſius *Belgica* aliquot Plauti Comœdiarum, hendecaſylla-

(*a*) Hæ totis plauſtris etiam in Pareum effunduntur a Grutero in epiſtola monitoria ſub Chriſtophori Pflugii Typographiæ Schurerianæ præfecti nomine edita, tum in ἀντιλήψει Erfordiana, & in Euſtachii SV. P. Aſini Cumani fraterculo e Plauti electis electo. Reſpondit Pareus non minus acerbe in provocatione ad Senatum Criticum pro Plauto, & in Analectis Plautinis, quæ theſauro, ſive faci artium Gruterianæ tomi ſeptimi inſtar maligne ſubjuncta ſunt.

(*b*) Hanc minus emendatam eſſe monet Thom. Crenius par. 16. animad. hiſt. philolog. pag. 221.

(*c*) Hæc editio a Jo. Grævio collata cum MSS., & paſſim caſtigata fuit in Bibl. Jo. Morl Elienſis in Anglia Epiſcopi.

(*d*) Multi reprehenderunt, quod in indicibus hiſce laborioſis ſane ac perutilibus nulla tamen phraſium ratio habita eſt, neque acceptionis variæ vocabulorum, ut laudatiſſimo ſtudio factum eſt in indicibus Matthiæ Berneggeri, Jo. Freisheimi, &c. ſed hæc ſimplicia, & nuda modo exhibentur, atque parum utilis ſive ſuperſtitioſa potius diligentia jactatur in ejuſmodi, qualia nemo ſanus requiſierit, uti ſunt *&*, *eſt*, *qui*, &c. Prætereo, quod librariorum vitio numeri interdum perperam poſiti, vocabulaque omiſſa, ut in Plauto ipſo annotavit Tho. Crenius T. V. animad. p. 197.

(*e*) Diem obiit ſupremum an. 1704. 12. Aprilis, ætat. 78. Vide Ephemerides Pariſienſes ejus anni p. 905. ſeq. edit. Amſtelod.

(*f*) Giornale de' Letterati di Roma A. 1679. pag. 59.

ſyllabos Juſti Lipſii habes in ejus poematis n. 17.

Noviſſime binas metaphraſes amœnas Plauti nacti ſumus ſermone Gallico proſario, alteram *H. P. Limierii*, pluribus aliis ſcriptis, & Ludovici XIV. Galliarum Regis hiſtoria clariſſimi, qui Captivos ex Coſtei, Amphitruonem, Epidicum, & Rudentem ex Daceriæ interpretatione ſervavit, notaſque adjunxit: Stichum vero & Trinummum totidem verſibus Gallicis reddidit. Hæc verſio Latinis Plauti ex adverſo poſitis lucem vidit Amſtelodami 1718. 12. decem Voluminibus. Alteram debemus ex Benedictino celeberrimo *Gueudevillio*, cujus verſionem Moriæ Eraſmi, & diſſertationes Atlanti Hiſtorico inſertas aliaque ingenii monumenta habemus. Hujus Plautus circa idem tempus ſumptu Petri Vander Aa prodiit Leovardiæ octo Voluminibus, in quo & dramata, quæ Coſteus, & Daceria verterant, ex nova Gueudevillii interpretatione comparent, & notæ ſingulis Comœdiis ab interprete ſunt adjunctæ. Qui utramque translationem inter ſe & cum Latino Plauto conferent, (*g*) fatebuntur illam Limierii adſtrictiore ac modeſtiore toga: hanc Gueudevillii fluxa magis magiſque Comica veſte incedere. In utraque nonnulla notant Acta Eruditor. A. 1719. pag. 329.

IX. Præterea Plauti Comœdiis lucem attulere *Juſtus Lipſius* (*h*) in antiquarum Lectionum libris quinque, uſus quatuor Codd. MSS. *Hermannus Buſchius* in decimationibus Plautinis: *Janus Mellerius Palmerius* in ſpicilegiis, Tom. V. facis Artium Gruterianæ. *Janus Guilielmus* in quæſtionibus Plautinis Pariſ. 1583. 8. & jam dictæ facis Artium Tom. III. *Janus Douſa*, Pater, in Centurionatu, ſive Plautinarum explanationum libris IV. Lugd. Bat. 1587. 12. Francof. 1600. 12. *Janus Gruterus* in IX. libris ſuſpicionum, Witeberg. 1591. 8. *Caſpar Scioppius* in ſuſpectarum lectionum libris V. quibus amplius ducentis locis Plautus caſtigatur & illuſtratur, Norim. 1597. 8. *Jo. Meurſius* in Curis Plautinis, ſive parte priore Exercitationum Criticarum, Lugd. Bat. 1598. 8. *Valens Acidalius* in libris viginti divinationum & interpretationum Plautinarum, Francof. 1607. 8. & Tom. VI. facis Artium Gruterianæ. *Franciſcus Diſſaldeus* in animadverſionibus ad Plautum, Salmur. 1611. 8. *Jo. Philippi Parei* Lexicon Plautinum editum Hanoviæ 1634. 8. Ejuſdem Calligraphia Plautina, Commentarius de metris Plautinis, de imitatione Plauti Terentiana, de vita, & ſcriptis Plauti diſſertatio. Electa denique & Analecta Plautina, ut animadverſiones, quas Clariſſimus vir Petrus Francius ineditas habuit, omittam. Jo. Philippi Parei electa Plautina perſtringuntur in libro, qui inſcribitur *Aſini Cumani fraterculus ex Plauti electis electus* per Euſtachium Swartium. 1619. 8. Reineri Neuhuſii electa Plautina, ac Terentiana prodierunt Amſtelod. 1646. 12.

Analectis in Tomo VII. facis Artium ſubjiciuntur *Jo. Brantii* breves notæ in Plautum, *Georgii Reiteri* cenſura in aliquot loca Plauti, & variæ lectiones e tribus Caroli Langii Codicibus MSS. Videndus quoque in varia Plauti loca *Octavius Ferrarius* vir doctiſſimus lib. II. electorum cap. 27. ſeq. *Simonis Ulrici Piſtoris* animadverſiones in Plautum affectæ, lucem opinor haud viderunt, laudatæ & inſpectæ Taubmanno. Loca in quibus Ciceronem cum Terentio, Terentium cum Plauto comparat *Gaudentius Merula* in dialogo, petiit magnam partem e Camerarii commentario ad lib. I. Tuſculanarum diſp. Ciceronis, ut notavit Antonius Majoragius in Apologia contra Merulam p. 28. Loca Plauti quæ *imitatus* videtur *Terentius*, ſingulis paginis ſingulari ſtudio annotata ſunt in editione nitida Terentii, quam adornavit *Martinus Hugenius* Amſt. 1710. 8.

Henrici Stephani diſſertatio de Plauti latinitate ejuſdem libello de latinitate falſo ſuſpecta ſubjicitur Pariſ. 1578. 8. *Franciſcus Floridus Sabinus* in diſſertatione adverſus calumniatores Plauti vulgata, Baſil. 1540. atque in editione Plauti Pareana, & *Benedictus Florettus* in Apologia pro Plauto, quam ex ejus progymnaſmatis

(*g*) Journal Hiſtorique Amſt. 1719. Jan. pag. 19. *il ſemble que Mr. Limiers s' attache d' avantage à ſon original, & qu' il en fait mieux ſentir le veritable caractere: & que le Sr. Gueudeville eſt plus badin, plus vif, plus bouffon.* Confer Acta Erud. A. 1719. pag. 335. Journal literaire. Tom. IX. pag. 485. Hiſtoire Critique de la Rep. des lettres Tom. XV. p. 396. Bibliotheque ancienne & moderne de Mr. le Clerc. T. XI. p. 220., &c.

(*h*) Is Lipſius cum eloquentiam publice doceret in Academia Jenenſi, his verbis ſolebat ſtudioſæ juventuti lectionem Plauti commendare, ut video a quodam ejus auditore annotatum; *Diligenter legite Plautum, plus eſt doctrinæ in Plauto, quam in Terentio; nihil poteſt utilius legi poſt Ciceronem: hic eſt, qui proprietatem, qui puritatem ſuppeditat, qui urbanitatem, jocos, ſales, & eam Atticorum Venerem quam fruſtra in reliquo Latio quæras.* Norunt tamen ſtudioſi fugiendos eſſe in illo Comico non minus putidos quoſdam, & obſcœnos ſales, quam obſoleta verba, quæ longe plura e deperditis quoque Plautinis Comœdiis annotarunt Fulgentius Planciades, Nonius, Feſtus.

tis poeticis (*i*) petitam ex Hetruſco Idiomate vertit latine Janus Panelius Middelburgenſis, Philippus vero Pareus edidit, eam ſubjunxit commentario ſuo de particulis latinæ linguæ Francof. A. 1647. 12. Plautum extollunt contra judicium (*k*) Volcatii Sedigiti, Horatiique, probatum Danieli Heinſio in diſſ. quæ Terentii quibuſdam editionibus præmitti ſolet. Tuetur etiam Plautum H. Stephanus adverſus Naugerium in diſſ. de Criticis p. 16. ſeq. & 27. - 34.

Georgii Caſſandri ſententiæ ſelectiores ex Plautinis Comœdiis, una cum ſcholiis in loca obſcuriora prodiere Gandavi 1536. 8. ut omittam *Georgii Fabricii* e Plauto & Terentio collectas ſententias, *Reineri Neubuſii* electa Plautina, ac Terentiana, *Chriſtophori Uladeracci* flores Plauti, *Bernhardi Heupoldi* Plautum redivivum, ſive ſententias e Plauto excerptas, &c.

Non inutilis labor eloquentiæ ſtudioſis offertur in *Auguſtini Gambarelli* libello quem inſcripſit: Oppoſita ſive Antitheta e Plauto, Terentio, & Cicerone, Mediol. 1606.

Denique *Caſpar Sagittarius*, Anno 1671. 8. Altenburgi edidit diatribam de vita ac ſcriptis Plauti, Terentii, ac Ciceronis, in qua memorat nonnulla a me ante omiſſa, ut Lælii Patavini notas in Aulularium, Epidicum, Bacchides, Moſtellariam, & Pſeudolum: Lodevei Odeberti Eduenſis in Amphitruonem, Haſenmulleri in Aulularium, &c.

Plauti editionem adornare voluit *Joſephus Scaliger*, ut notatum Clariſs. Almeloveenio in Bibliotheca promiſſa, & latente pag. 51. Notas quaſdam Scaligeri MStas, quemadmodum & emendationes *Salmaſii* ſervat Bibliotheca publica Leidenſis, in qua præter Aulularium in membraneo Codice cum variis Lect. ex Codice Pithœi, obvii etiam tres Codices membranacei Comœdiarum octo, & alius in charta. *Antonius* etiam *Clementius* Plautum recenſere inſtituit, ut diſces ex Epiſtola IX. Merici Caſauboni A. 1657. ad eum ſcripta. D. *Caſparis Eraſmi Brochmandi* prælectiones ineditæ in quaſdam Plauti Comœdias Hafniæ adhuc aſſervantur.

Baſileæ ex officina Hervagiana per Euſebium Epiſcopium 1568. 8. prodiit Volumen hoc titulo: Eruditorum aliquot virorum de Comœdia & Comicis verſibus commentationes, itemque in Plautum annotationes, & alia quibus totus fere Plautus explicatur. In hoc continentur *Lilii Gyraldi* ex dialogis de poetis excerpta diatriba de Comœdia ejuſque apparatu, p. 1. & *Julii Cæſ. Scaligeri* de Comœdiæ origine, & de comicis verſibus, ex ejus opere de Poetica: p. 32. *Andreæ Alciati* de Plautinorum carminum ratione p. 71., & Lexicon breve vocum Plautinarum pag. 79. *Joachin Camerarii* de Comicis verſibus pag. 126., & in Plauti Comœdias annotationes ab ipſo auctore correctæ, & auctæ pag. 153. *Caroli Langii* Variæ Lectiones ex tribus Codicibus Plauti MSS. pag. 301. *Adr. Turnebi* in Plautum obſervationes ex libris Adverſariorum. p. 333. *Hadr. Junii* pag. 336. *Cælii Secundi Curionis* Plautinæ Lectiones pag. 340. - 343., & 355. 364. Loci ex XLI. amiſſis Comœdiis citati pag. 344. Loci ex Comœdiis quæ exſtant citati, qui in noſtris Codicibus non reperiuntur. p. 352. 355.

Ex Bibliotheca V. C. Marquardi Gudii accepi editionem Plauti Douſianam, & alteram Seb. Gryphii A. 1549. 12. utramque innumeris locis Joſiæ Merceri, & alterius viri docti manu caſtigatam e MSS. Codd. & variis obſervationibus. Plauti Codex inſignis membranaceus, qui olim fuit Hieronymi Suritæ Cæſaraugustani, poſtea pervenit ad Illuſtrem Frid. Adolphum Hanſem ab Ehrencron. Vide Catalogum ejus Bibliothecæ p. 420.

Subactius judicium jam requirit lectio Plautina, ut mirer in tractatione ſcriptorum Latinorum adoleſcentibus commendanda Plautum Terentio prælatum eſſe a Scioppio in Epiſtola de compendioſa Linguæ Latinæ exactius cognoſcendæ ratione, quæ ejus lucubrationis de arte Critica præmittitur. Confer Morhofium III. 4. polyhiſt. pag. 623. ſeq. Cæteroqui norunt omnes, proprietatis & leporis Linguæ Latinæ Magiſtrum Plautum eſſe utique egregium.

Plenus ingenioſis dictis ac facetiis eſt hic Comicus jociſque, non de illis pertractatis jam loquor, ſed de amœnis & honeſto homine haud indignis. Itaque Illuſtriſſimus Cardinalis *Henr. Noriſius* Johannem Harduinum, & Franciſcum Macedo cum ab illis impetitus fuiſſet, inſultus utriuſque Plautinis ferme ſententiis vel repreſſit, vel eluſit. Vide Noriſii paræneſin ad Harduinum, & Annibalis Corradini Veronenſis (quo ſub nomine idem Noriſius latet) Thraſonem ſeu militem Macedonicum Plautino ſale perfrictum. Amſt. 1709. 8.

Non

(*i*) Hæc progymnaſmata Italice edita Florentiæ 1639. 4. quinque voluminibus, acceſſiones & 1661. 4.

(*k*) Sedigitus apud Gellium XV. 24. Horatius in Arte Poet. V. 270. ſeq. Confer ſi placet G. Jo. Voſſium II. 23. Inſtitut. Poet. & Franciſcum Vavaſſorem de ludrica dictione p. 160. ſeq.

Non contemnendam quoque pulchrarum ſententiarum, & prudentium monitorum Plautus ſuppeditat copiam, ex quibus unicum hoc loco adſcribam ex Perſa Act. IV. Scen. 4.

Satin' Athenæ tibi viſæ fortunatæ atque opiparæ?
Si incolæ bene ſunt morati, pulchre munitas arbitror,
Perfidia & peculatus ex urbe & avaritia ſi exulant,
Quarta invidia, quinta ambitio, ſexta obtrectatio,
Septimum perjurium, octava indiligentia,
Nona, injuria: decimum quod peſſimum aggreſſu ſcelus:
Hæc niſi inde aberunt, centuplex murus rebus ſervandis parum eſt.

Hermanni Buſchii decimationes Plautinæ Pariſ. 1521. 4. editæ ſententias e Plauto excerptas cum ſcholiis in tironum uſus continent. Et Robertus Stephanus A. 1536. 8. edidit feſtivum delectum ſententiarum & proverbiorum ex Plauto, Terentio, Virgilio, Ovidio, Horatio, Juvenale, Perſio, Lucano, Seneca, Lucretio, Martiale, Silio Italico, Statio, Valerio Flacco, Catullo, Propertio, Tibullo, & Claudiano, cum indice ſententiarum, & Proverbiorum. Spectat huc etiam ſapientia ſcenæ Romanæ cum notis nuper edita a V. C. Chriſtoph. Auguſto Heumanno, Iſenaci 1716. 12. Vide Acta Erud. illius anni p. 325. Georgii Fabricii ſententiarum e Plauto & Terentio decerptarum libri duo prodiere Lipſiæ 1558. 8.

X. Joannes Philippus Pareus editioni ſuæ Plauti præclaræ, quam Neapoli Nemetum prodiiſſe dixi An. 1619. 4. ſubjecit antiquam Comœdiam (*l*) quæ inſcribitur *Querolus ſive Aulularia* diverſa ab Aulularia, quam inter Plautinas jam poſui. Hæc primum in lucem prolata eſt a *Petro Daniele* Pariſ. 1564. 8. apud Rob. Stephanum: hinc prodiit cum notis ejuſdem Danielis, *Conradi Reittersbuſii*, & *Jani Gruteri*, adjecta ejuſdem argumenti Aulularia, quam elegis pridem deſcripſit Gallus quidam Bleſenſis, *Vitalis* nomine, ſub initia ſæculi XIV. a CHRISTO nato clarus, Heidelbergæ apud Commelin. 1595. 8. Etſi vero Querolus illa in MSto antiquiſſimo Palatino ad Plautum refertur, ſub Plauti quoque nomine allegatur a Servio in III. Æneid. p. 279. edit. P. Danielis, Jo. Sariſberienſi II. 2. Policratici, & Luitprando de rebus per Europam geſtis I. 3. unde Plauto alicui juniori tribuitur a Caſp. Barthio XLIV. 13. 14. Adverſariorum: M. Accii Plauti certe minime eſt, quoniam auctor ipſe in prologo hanc fabulam *inveſtigatam Plauti per veſtigia* profitetur, & pag. 34. locum profert e Ciceronis Oratione pro Sex. Roſcio Amerino. Quemcunque vero parentem agnoſcit, exploratum videtur vel e Servii teſtimonio, Imp. Theodoſii ſaltem junioris tempora ſive antecedere, ſive æquare, quamobrem *Rutilium*, cui hoc drama Auctor inſcripſit, viri docti (*m*) haud putant diverſum eſſe a Claudio Rutilio ſcriptore Itinerarii, de quo infra ſuo loco. Non me fugit quidem a Pareo & aliis auctorem hujus Queroli exiſtimari *Gildam Lidonicum*, qui poſt medium ſæculi a CHRISTO nato ſexti floruit. Ita ſane vir inſignis Jo. Fridericus Gronovius IV. 18. de ſeſtertiis, ſcriptorem hujus dramatis appellans *Gildam*, *Anacharſin Britanniæ*. Sed vereor ne anſam huic ſententiæ parum veriſimili dederit toto cœlo diverſa ab hoc dramate Epiſtola Gildæ Sapientis de excidio Britanniæ, & Caſtigatio Ordinis Eccleſiaſtici, quæ *liber Querolus* inſcribitur in Codd. MSS. *Queroli* auctorem non eſſe *Gildam*, ipſe deinde Pareus a Reineſio monitus agnovit. Vide Reineſii Epiſt. XXXIX. ad Boſium pag. 175. Gildæ liber de excidio Britanniæ occurrit etiam in Tomo VIII. Bibliothecæ Patrum edit. Lugdunenſ. pag. 707. De illo libro adi ſi placet Jac. Uſſerii Antiquitates Eccleſiarum Britannicarum cap. XIV. & de Gilda Taubmannum ad Plautum p. 1498. Cavei Hiſt. literar. Script. Eccleſ. ad A. 581. & Act. Sanctor. T. 2. Januar. p. 952. ſeq.

XI. Joſias Simlerus in Bibl. affirmat Achillem Statium habuiſſe Comœdiam Plauti ineditam *Philodoxium*. Sed non magis Plauti eſt hoc drama quam alterius Comici veteris *Lepidi*, ſub cujus nomine illud Lucæ Anno 1588. edidit Aldus Manutius Pauli F. Vide, ſi placet, quæ dixi inferius, ubi recenſeo fragmenta veterum Comicorum latinorum.

DE

(*l*) Scripta eſt ſermone Poetico, non tamen accurata certaque pedum ratione obſervata, unde *clodo pede incedere* ſe affirmat in prologo, ad quem vide ſis notas Petri Danielis. Recte igitur *drama proſaicum* vocat G. Jo. Voſſius cap. 2. de natura Poetices & *fabulam proſam* Tho. Reineſius p. 175. Epiſt. ad Boſium.

(*m*) Vide Voſſium de Poetis latinis p. 59., & Paulum Colomeſium ad dialogos Gyraldi de Poetis p. 431.

DE P. TERENTIO.

Terentii ætas. 1. *Sex Comœdiæ quando actæ ſingulæ, & ex quibus Græcis dramatis expreſſæ.* 2. *De Donati & Eugraphii editis aliorumque deperditis veterum in Terentium Commentariis.* 3. *Codices Terentii celebriores MSti, atque de Calliopio qui Terentium recenſuit.* 4. *Terentii editiones.* 5. *Alii Terentii.* 6. *Index Scriptorum in Donati, & Eugraphii Commentariis citatorum,* 7.

I. P. TERENTIUS, Afer, natus Carthagine Anno conditæ urbis Romæ DLXII. ante CHRISTUM natum CXCII. decem annis poſt finem belli ſecundi Punici. Romam venit ſervus, ſed a Terentio Lucano Senatore ob ingenii ac formæ elegantiam mature manumiſſus, amicitia virorum nobiliſſimorum, P. Corn. Scipionis Africani, & C. Lælii Sapientis uſus eſt, ita ut etiam ab his adjuvari (*a*) in componendis fabulis diceretur, quemadmodum etiam a Furio Publio, C. Sulpicio Gallo, Q. Fabio Labeone, & M. Popilio. Obiit (teſte Euſebio) in Arcadia, Anno U. C. ſi Marianum Scotum ſequimur, D. XCIX. ante CHRISTUM natum CLV. ætatis XXXVII. ſex annis ante cœptum bellum Punicum tertium, cum itinere in Aſiam ſuſcepto naufragium feciſſet, atque in illo CVIII. fabulas (*b*) e Menandro verſas perdidiſſet. Detractorem habuit Terentius L. Lavinium, cujus meminit S. Hieronymus I. in Rufinum. Luſcium Lanuinum vocant Eugraphii Codices, ad Eunuchum p. 256. Terentius ab Ovidio 2. Triſtium 359. negatur eſſe *conviva*, hoc eſt paraſitus: non itaque ibi eo nomine intelligit hominem qui non illubenter nec injucundus hoſpes intereſt epulis, & conviviis, *un bon vivant*, ut viro docto viſum ad Petronium pag. 133. Engelbertus Abbas libro de ortu & fine Romani Imperii cap. XVI. (Tom. 25. Bibl. Patrum edit. Lugd. p. 370.) *Terentius poeta devicta Carthagine captus & ductus Romam, cum interrogaretur in Senatu quæ fuiſſet major cauſſa expugnationis Carthaginenſis, utrum vires Romanorum vel impotentia Cartaginenſium? reſpondit quod neutrum: ſed quod ſicut concordia civium conſervabat ſtatum, ita diſcordia cauſſabat excidium Carthaginenſium.* Confundit Engelbertus perinde ut Oroſius IV. 19. Terentium Comicum cum Q. Terentio Culleone Senatore, quem Scipio devicta Carthagine aſſertum a vinculis Romam adduxit, de quo Livius XXX. 45. & Themiſtius Oratione XIII. pag. 179. S. Hieronymus prologo quæſtionum Hebr. *Urgebat L. Terentium Lavinius noſtro Lucio ſimilis, & quaſi publici ærarii, poetam furem criminabatur.* Ille Hieronymi Lucius, ſive Luſcius, haud diverſus a Rufino, ut colligas ex his ejuſdem Hieronymi lib. 1. in Rufin. p. 383. *Sin autem contra invidos loquor, & Luſcium Lavinium, vel Aſinium Pollionem de genere Corneliorum, ſtyli mei mucro convulnerat: ſi biſtriculæ & lividæ mentis hominem a me ſubmoveo, & ad UNUM ſtipitem cuncta jacula dirigo, quid vulnera SUA partitur in multos? quid ex impatientia reſpondendi oſtendit ſe eſſe qui petitur?* De Terentii obtrectatore L. Lavinio, quem ipſe tacito nomine perſtringit, nominatim meminit etiam Donatus in prologum Andriæ & Eunuchi, ac ſæpe Eugraphius cui Luſcius appellatur pag. 501. 547. 548. 565. 573. Non modo ob terſum ſcribendi genus puroque ſimillimum amni ſemper probavit ſe Terentius & ſuis quibus vixit & inſecutis temporibus: ſed etiam ob nativos morum quos depingit characteres, animorumque humanorum imagines ad vivum deſcriptas expreſſaſque. Et Hugo Grotius (*c*) ob Terentii Comœdiarum lectionem velut ſe indignum arguenti, *alia*, inquit, *legimus in his pueri, alia viri.* Vitam Terentii per *Franciſcum Petrarcham* & Paulum Oroſium, & argumenta omnium ipſius quæ ſuperſunt Comœdiarum, MSS. in Bibl. Cæſarea memorat Lambecius Tom. 2. p. 937. Duos Codices MStos Terentii cum Petrarchæ notis ſervant Bibliothecæ Angliæ, Oxonii Collegii Mariæ Magd. n. 23., & Londini inter Codices Franciſci Bernardi, Collegii Medicorum Lond. ſocii n. 36.

II. Extant *ſex* Terentii *Comœdiæ*, neque plures veteribus cognitæ fuerunt, qui in eis nativam elegantiam puri, ac ſimplicis laudarunt ſermonis, ingeniumque ſuave, & τὸ ἠθικὸν, quod

(*a*) Cicero VII. ad Attic. Quintil. X. 1. Donatus ad prologum Adelph. & in Terentii Vita, quam nonnulli Codices auctori tribuunt Svetonio.

(*b*) Volcatius ſedigitus apud Donatum. Auſonius in Gripho Senarii Epiſt. XVIII. *Protulit in ſcenam quot dramata fabellarum, Arcadia medio qui jacet in gremio.*

(*c*) Morhofii polyhiſt. lib. III. cap. 9. §. 20. pag. 665.

quod e Græcorum, Menandri (*d*) præcipue imitatione feliciter conſecutus eſt, licet vim Comicam in eo deſideravit Cæſar. E recentioribus juvat audire Evremonium: *Terence eſt peut etre l' Auteur de l' Antiquitè qui entre le mieux dans le naturel des perſonnes. I' y trouve cela à redire, qu' il a trop peu d' ètendue, & tout ſon talent eſt bornè à faire bien parler des Valets & des Vieillards, un Pere avare, un fils debauchè, une eſclave, une eſpece de Briguelle. Voilà ou s' etend la capacitè de Terence. N' attendez de lui ni galanterie, ni paſſion, ni les ſentimens, ni les diſcours d' un honnète homme.* Hæc vir politiſſimi ingenii T. 2. Opp. p. 18. Actæ ſunt fabulæ Terentii hoc ordine & tempore, de quo præter interpretes conſulendus Samuel Petitus lib. I. Obſervationum cap. VIII.

Andria Anno U. C. DLXXXVIII. *Andriam* ſeparatim in tironum gratiam Germanica expoſitione, & medulla quam vocat Philologica illuſtravit *Wilhelmus Lymberger* Rinthelii 1674. 8. Gallica interpretatione ſingularum phraſium, indiceque copioſo *Carolus Stephanus* Pariſ. 1547. 8. typis Franciſci Stephani, & Lugd. 1548. apud Jo. Tornæſium. Eandem fabulam Gallicis verſibus reddiderat *Bonaventura Pererius* (des Periers) Lugd. 1530. *Anglicis* Georgius Webbe Lond. 1629. vide Antonii Wood Antiquitates Oxon. Tom. 2. p. 241. *Italicis* Joannes Juſtinianus Venet. 1544. 8. In Andriam præ cæteris laudantur ab Anteſignano annotationes *Joannis Rivii*, quæ ad mores facere inprimis videntur.

Hecyra Anno DLXXXIX. atque iterum DXCIV. cum prima vice non multum plauſus meruiſſet.

Heautontimorumenos Anno DXCI. Priores binos Actus hujus Dramatis veſpere dedit, reliquos docuit proximo mane. De controverſia, quæ Ægidio Menagio ſuper hac Comœdia cum Hedelino Abbate Albignacenſi interceſſit, vide ſi placet Ephemerides litterarias Pariſienſes Anni MDCXCI. p. 65. ſeq. edit. Amſterod. Hedelini liber lucem vidit Gallice Pariſ. 1656. 4. *Terence juſtifiè par Hedelin*. Menagii diſſertatio Ultraj. 1690. 8. In *Heautontimorumeno duplex argumentum feciſſe* ſe affirmat Poeta *ex ſimplici*, hoc eſt cum Menander ſingula πρόσωπα induxiſſet, duos ſe exhibuiſſe filios familias amatores, amicas duas, duos ſenes, duos ſervos, ut notat Petrus Nannius lib. 1. Miſcell. cap. 4. qui lib. 2. cap. 3. probe quoque obſervat univerſas hujus Comici fabulas fingi ut quæ agantur Athenis. Heautontimorumenos Terentii reſpicitur ab Horatio lib. 1. Sat. 2. v. 20. *Terentianus ipſe ſe puniens*, Ciceroni III. 28. Tuſc. quem & aliis in locis ad Comici dicta libenter alludere notavit Petrus Victorius lib. VI. var. Lect. cap. 14. *Franciſci Hedelini*, & *Ægid. Menagii* diſſertationes Gallica lingua ſcriptæ de tempore hujus dramatis (quod Athenis in Dionyſiis (Pithœgiis) actum fingitur a veſpera diei intra ſpatium decem ut Hedelinus, vel ut Menagius, amplius duodecim horarum) recuſæ Amſt. 1715. 8. cum ejuſdem Hedelini de rationibus, & uſu Theatri: *la pratique du Theatre par l' Abbè d' Aubignac*. Prior Menagii diſſertatio prodierat A. 1640. recuſa inter ejus Miſcellanea Pariſ. 1652. 4. Altera poſt Hedelinum jam defunctum Ultrajecti 1690. 8. Confer librum Memoires de literature Hag. 1715. 8. Tom. 1. pag. 289. ſeq.

Phormio (*e*) Anno DXCIII. *Phormionem* Terentii imitatus fuit Molierius in dramate Gallico cui titulus: *Les fourberies de Scapin*. Phormio apud Apollodorum Græcum Comicum paraſiti nomen ἀπὸ τῆς φορμίδος a ſportula viminea. Vide Iſ. Caſauboni notas ad Theophraſti Characteres p. 133.

(*d*) *Converſum expreſſumque latina voce Menandrum* a Terentio *efferri* dixit Cicero in Limone: Cæſari quoque Terentius vocatur *dimidiatus Menander*. Hecyram Terentii & Menandri Epitrepontem ejuſdem argumenti fabulas vocat Sidonius IV. 9. Epiſt. Adelphos, Heautontimorumenon, Andriam & Eunuchum a Menandro accepiſſe Donatus tradit, Phormionem & Hecyram a comico Apollodoro. Ipſe Terentius prologo Heautontimorumeni queritur rumores malevolos diſtuliſſe *quod multas contaminaſſet fabulas* Græcas, *dum fecit paucas latinas*. In Andria duas imitatus eſt *Menandri* Andriam & Perinthiam, in Eunucho Colacem Menandri, Eunuchum & Phaſma: In Adelphis, Menandri ἀδελφοὺς & *Diphili* συναποθνήσκοντας. Sic potuit in Hecyra & *Apollodori* fabulam quandam habere ante oculos & ſimul Menandri ἐπιτρέποντα. Nam Phormionem quidem ex Apollodori ἐπιδικαζομένῃ expreſſam eſſe idem nobis Donatus fidem facit. *Latinos Comicos* antiquiores Plautum, Nævium &c. quoque expilatos a Terentio inimici criminabantur, ſed hoc ipſe quidem conceptis verbis negat, neque in iis quæ habemus Plauti Comœdiis furtorum Terentianorum vel minima veſtigia apparent, licet de Terentiana Plauti imitatione liber exſtat Jo. Philippi Parei, Plauto ipſius, ut ſupra cap. 1. notare me memini, ſubjunctus.

(*e*) Phormio Paraſiti nomen ἀπὸ τῆς Φορμίδος a ſportula viminea obſonio ferendo. Vide Erycii Puteani Amœnitates p. 43.

Eunuchus, eodem Anno DXCIII. quæ pretium 8000. ſeſtertium (*f*) quantum nulla ante cujuſquam Comœdia meruit, iterato tertiumque acta. *Eunuchi* metaphraſin verſibus Gallicis factam a *Baifio* laudat Daceria, quam ante paucos menſes hoc anno 1720. Lutetiæ elegantioribus literis mors eripuit. Idem drama Latine, & Gallice cum *Jo. Enrici* ſcholiis Lugd. 1553. Sed & Gallicis verſibus reddidit *Fontanus*, Pariſ. 1654. 4. Italicis *Joannes Juſtinianus*, Venet. 1544. 8. Etiam Comœdia Æthiopiſſa expreſſit Italice *Catharinus Dulcis* Tubing. 1599. 12. Latine prodiit Eunuchus Terentii ſeparatim, ſed verſibus haud diſtinctus Daventriæ 1513. 4. ex officina literatoria Theodorici de Borne. Stephani Doleti obſervationes Latini ſermonis in Andriam, & Eunuchum, &c.

Adelphi, Anno DXCIV. *Adelphos* Italica Metaphraſi pridem redditos accepi ab Alberto Lollio. *Nathan* autem *Chytræus* Adelphos ſeparatim vulgavit Latine, notatis morum, & affectuum characteriſmis, atque ita totum voluit Terentium in lucem dare, quod non perfectum ab illo dolet Morhofius libro tertio polyhiſtoris cap. *9.* pag. *666.* Idem ſpeciminis in modum quædam ex illo adducit pag. *664.* ſeq.

III. E veteribus Grammaticis præter (*g*) *Ælium Donatum*, & *Eugraphium* (*h*) qui exſtant, Terentius illuſtratus olim fuit ab *Helenio Acrone*, *Adeſione* (niſi nomen apud Donatum p. 163. corruptum ſit) *Aſpro*, *Flavio Capro*, *Aruncio Celſo*, *Annæo Cornuto*, *Evanthio*, *Nigidio Figulo*, & *Valerio Probo*, quos laudant Hieronymus Apologia 1. in Rufinum, Soſipater Chariſius, Donatus, & in libello de metris Terentianis Rufinus Grammaticus Antiochenus.

IV. Antiquiſſimum Comœdiarum Terentii Codicem olim habuit Petrus Bembus, exaratum ante annos amplius mille, cui Politianus hæc verba manu ſua inſcripſit: *Ego Angelus Politianus, homo vetuſtatis minime incurioſus, nullum æque me vidiſſe ad hanc diem Codicem vetuſtiorem fateor.* Hic ab illo tempore pervenit in manus Fulvii Urſini, qui dum vixit auro quovis pretioſiorem habuit, & moriens Bibliothecæ legavit Vaticanæ, ut referunt Janus Nicius Erythræus Pinacotheca 1. p. 10. & Leo Allatius animadverſ. ad Antiquitates Hetruſcas p. 59. Franciſcus vero Cardinalis Toletus, qui Urſinum cum vetuſto ſuo libro uſque adeo deriſit, neſcio an multo fecit elegantius quam Hadrianus VI. ſummus Pontifex, à quo viros litteratos & humaniori doctrinæ deditos per contemptum dictos *Terentianos* narrat Jo. Pierius Valerianus de infelicitate litteratorum libro II. Specimen MSti Codicis antiquiſſimi Vaticani Comœdiarum Terentii dedit Jo. Mabillonius C. V. in opere de re diplomatica p. 354. Hic eſt ille liber Petri Bembi, quem laudans Muretus pag. 189. b. ad Terentium: *Sed in libro Petri Bembi non tantum, ut in aliis,* exercerent, *legitur,* verum *etiam adſcripta eſt ad latus explicatio quædam hujus vocis, quæ ſcripturæ illius integritatem confirmet. Multum autem ejus libri valere debet auctoritas, eſt enim ita antiquus, ut Angelus Politianus, qui multos veteres libros viderat, teſtatus ſit omnium cujuſque generis librorum quos ipſe unquam vidiſſet, eum ſibi antiquiſſimum videri.* Petrus Victorius IX. 15. Var. Lect. ubi Menandri loca quædam confert cum Terentianis, addit domi ſe habere Terentium collatum cum illo Bembi codice manu

(*f*) Non 8000. nummum ſive thalerorum, ut e Bailleto legas in Ephemeridibus litterariis Pariſienſibus Anno 1686. p. 508.

(*g*) *Donati* in ſolas quinque Comœdias commentaria habemus, neque integra fortaſſis, ſed e Donato & aliis excerpta atque collectanea. Confer Jani Parrhaſii Epiſt. LVIII., & LIX. In Heautontimorumenon nihil Donati hodie exſtat. Itaque interpretationes quas inde nonnulli producunt, vindicandæ ſunt *Joanni Calpurnio* Politiani æquali, ut obſervat G. Jo. Voſſius lib. 1. de Vitiis ſermonis cap. 5. De Donato ipſo plura dixi infra, ſuo loco, inter Grammaticos.

(*h*) Eugraphii præter illa quæ Gabriel Faernus & (locupletiora longe) Fridericus Lindenbrogius edidit, Pariſiis in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi exſtat *commentum in Terentium*, Eugraphii titulo inſignitum, quod inſulſum luceque indignum duxit idem Lindenbrogius. Vixit Eugraphius iſte ſub Othone III. circa A. C. DCCCC. XCVIII. Vide illuſtris viri Gisberti Cuperi Obſervationes p. 127. Meminit Eugraphii Gerbertus qui poſtea Sylveſter II. Epiſtola VII. ad Airardum. *Evanthius* vero cujus commentarius in Terentium laudatur a *Rufino in libello de metris Terentianis* inter Grammaticos Eliæ Putſchii p. 2075. Lindenbrogio videtur eſſe auctor *brevis diſſertationis de Tragœdia & Comœdia*, quæ tanquam ex *Aſpro* vel *Cornuto* petita, Terentio in melioribus editionibus præmittitur. *Anonymi explicatio vocum aliquot apud Terentium* e veteribus membranis, primum edita eſt a Bonav. Vulcanio cum Iſidori Hiſpalenſis Originibus, deinde inter Autores Latinæ linguæ prodiit vulgatus a Dionyſio Gothofredo, & in Terentio editionis Lindenbrogianæ p. 583. Addamne his quod Petrus Lambecius lib. 2. Commentar. de Bibl. Vindobonenſi p. 937. teſtatur MStam in illo theſauro librario exſtare *Vitam Terentii* ſcriptam a *Franciſco Petrarcha*, & *Paulo Oroſio*, & inedita argumenta omnium Comœdiarum.

manu Angeli Politiani. Alterum Codicem Terentii pervetuſtum manu exaratum poſſidere ſe teſtatus eſt Joannes Gothofredus Olearius in ſcrinio antiquario, Halæ Sax. Anno 1681. 8. editio pag. 210. Is olim fuit Georgii Fabricii qui manu ſua hos ei verſiculos inſcripſit:

Ut ſapor eſt veteri vino, veteri decus auro,
Sic libri veteres nomina digna tenent.
Nam minus his nocuit ſtultorum audacia, haberi
Forſan Ariſtarcho qui voluere pares.
Corrigere e priſcis libris licet atque probatis,
Quæ fecit ſtudium deteriora recens.
Dum quiſque ingenii confiſus viribus, illa
Emendat quæ non percipit ipſe ſtatim.
Hinc tantum errorum libros invaſerat æquor,
Quantum nulla diu tollere ſecla queant.

Ibidem Olearius narrat ſibi eſſe editionem Terentii Pariſienſem A. 1541. excuſam, quam idem Fabricius a capite ad calcem contulit cum codice jam laudato Vaticano. Donati commentariorum codex MS. membranaceus in Bibl. Ehrencroniana pag. 421. Terentii veterem effigiem, quam binæ tenent perſonæ Comicæ, e Codice ſuo vulgavit Fulvius Urſinus in illuſtribus imaginibus p. 42. atque exinde Jacobus Gronovius U. C. Tomo 3. theſauri Antiquitatum Græcarum. Occurrit & in fronte quarundam editionum, ut Lindenbrogianæ, ſed omiſſis perſonis illis quas dixi Comicis, & Gallicæ Dacerianæ. Exſtat præterea Terentii icon in veteri nummo apud Jacobum Stradam & Andream Morellum Bernatem, incredibili jactura elegantioribus litteris nuper (*i*) ereptum in ſpecimine univerſæ rei nummariæ antiquæ p. 47. In Bibliotheca etiam Vaticana jampridem aſſervatur celebris alter Codex Terentii Georgio Fabricio olim inſpectus, quem ævo (*k*) Caroli Magni quidam *Hrodogarius* ſcripſit, & (*l*) *Calliopius Scholaſticus* recenſuit, ut poſt ſingulas Comœdias apparet. Scholaſticus hac ætate erat dignitas Eccleſiaſtica eorum qui Scholis præerant Eccleſiaſticis, ut docet Cangius in Gloſſario latino. *Joſephus Scaliger in Scaligeranis pag.* 151. Calliopius recenſui. Hic Terentium recenſuit, ut Vegetium *Eutropius* in MSS. Vegetii apud Puteanum. C' eſtoient des Grammairiens, qui corrigeoient un livre, & la deſſus on le copioit. A la fin de Ceſar dans les vieux exemplaires, *Julius Celſus*, c' eſtoit un autre Grammairien. Apres Aurelius Victor (non celui qui ſe met apres Juſtin) il y a un *Symmachus* ou *Theodorus*, c' eſtoient des Grammairiens. In MS. veteri Priſciani Grammatici, qui eſt in Bibliotheca Puteana, illius Grammatici *Theotori* cenſura reperitur: comme auſſi *Acro* & *Porphyrio*, qui eſtoient de beaux & grands Commentateurs, (nous n' en avons que les reſtes) & d' autres vieux commentateurs, qui ſon citez par Chariſius. Auctor eruditus notarum Terentio edit. Cantabrig. 1701. 4. adjunctarum Evanthium ſecutus relinquit dubium, utrum Calliopius fuerit Grammaticus & Criticus, (*m*) qui Co-

 mici

(*i*) Obiit Vir præſtantiſſimus inopina correptus apoplexia Arnſtadii, ubi illuſtriſſimi Comitis Schwartzburgici theſauro nummario præerat Anno 1703. feria tertia Paſchatis. Quantam jacturam ejus morte fecerit res litteraria, æſtimare licet ex eo quod cum ipſo occiderit opus nummos veteres hactenus vel editos vel ineditos complexurum ultra 25000. eleganter & accurate depictos, atque erudite illuſtratos.

(*k*) Juſtus Fontanini U. C. in Vindiciis antiquorum diplomatum adverſus Bartholomæum Germonium p. 37.

(*l*) De *Calliopio*, qui Terentii Comœdias recenſuit, non. ut Eugraphio in extremo Andriæ traditum, recitavit, vide ſi juvat Caſp. Barthium VI. 20. Adverſariorum, & Euſtathii Swartii Analecta III. 12. p. 132. Hi *Alcuinum* qui Caroli M. ætate ſcholaſticum geſſit, Calliopii nomine a Calliope Muſa ducto librariis venire ſcribunt. Sed videtur potius eſſe nomen proprium alterius viri, quoniam & alios Calliopios reperio, ut præsbyterum Nicænum apud Socratem VII. 25. tum illum, ad quem exſtat Epiſtola Dionyſii Sophiſtæ Antiocheni, denique Martyrem, de quo Martyrologia ad diem VII. Aprilis. Calliopium quoque pro Callipione Diacono reponit Barthius III. 5. in tertio dialogo Severi Sulpitii, ſed ni fallor citra neceſſitatem. Calliopium pro viro Muſico iterum ponit XLVI. 3. ubi ait ad Venantium Fortunatum *velut ad Calliopium quempiam, magiſtrum & coryphæum Muſicorum modulaminum reſpexiſſe omnium ſequentium Poetarum chorum*. Sed ſive verum ſive fictum habeatur nomen, Criticus certe fuit, qui Terentii fabulas ad priſca exemplaria correxit. Sic Vettius Agerius Baſilius Mavortius U.C. & INL. ex commendatione Dom. Exconſ. ord. legit, & emendavit Horatium: Nicomachus Dexter, & Victorianus V.V. CC. Titum Livium: Julius Celſus Conſtantinus V.C. & Flavius Licerius Firminus Lupicinus Ephemerin Julii Cæſaris: Flaccus Theodorus Memorialis ſacri ſcrinii Epiſtolarum & adjutor viri magni Quæſtoris ſacri Palatii, Priſcianum. Securus Melior Felix Aſper Comes conſiſtorii Rhetorem urbis Romæ Martianum Capellam, uti hæc nomina in vetuſtiſſimis ſcriptis Codicibus adnotantur. Sic Apuleji Mileſiarum libros, & Apologeticum Criſpus Saluſtius quidam legit, emendavit & recognovit: ita enim in antiquiſſimis Codicibus legitur, qui Florentiæ in Bibliotheca Magni Ducis Hetruriæ aſſervantur, quas obſervationes debere me fateor Lindenbrogio pag. 596. ad Terentium.

(*m*) Bibl. choiſie de Mr. le Clerc. T. 3. p. 262.

mici dramata emendaverit, an eorum unus qui ad ſpectatores dixerit *plaudite*. Sed quod additum legitur, *Calliopius recenſui*, perſpicue evincit Critici functum eſſe partibus, & quoniam in pluribus Codicibus nomen ejus obvium eſt, recenſionem illius præ cæteris probatam fuiſſe, & librariis placuiſſe. Eruditiſſimus Vir Richardus Bentlejus, qui ab aliquot annis novam Terentii editionem ſingulari ſtudio caſtigatam prælo parare inſtituit, in parte prima obſervationum Anglica editarum lingua adverſus Antonii Collini libellum pro licentia cogitandi vulgatum pag. *66*. teſtatur ſe collatis variis Codicibus notaſſe farraginem variarum lectionum ad vicies mille.

Terentius manu Theodorici de Palude ſcriptus A. 1442. extat in Bibl. publica Leidenſi ut alios Codices MSS. & collatos Comici in eodem theſauro librario obvios prætercam.

V. Univerſas Terentii editiones perſequi velle inepti haud dubie ſit; pleroſque tamen qui vel inter primos, vel cum laude in illo edendo atque illuſtrando verſati ſunt, prorſus præterire, negligentis. Niſi antiquiſſima ſit, quam forma folii excuſam ſine loci temporiſque nota memorat Catalogus Gudianus p. 248. nullam reperio antiquiorem Terentii editionem Mediolanenſi 1470. per Antonium Zarotum impendio Jo. Legnani, & Donati in Terentium Rom 1472. fol. per Conrad. Sweynheim & Arnoldum Pannartz. Hanc ſequitur Tarviſina (*n*) an. 1474. fol. tum Veneta an. 147*6*. fol. cum Donati, & in Heautontimorumenon Jo. Calpurnii commentariis: quam laudans Muretus, *etſi*, inquit, *uti erant illa tempora*, *mendis innumerabilibus ſcatet*, *tamen ita multa*, *ita præclara veteris ſcripturæ veſtigia retinet*, *incredibile ut mihi auxilium tulerit ad locos perplurimos corrigendos*. Altera deinde Tarviſina an. 1477. fol. quæ ſicuti & prior Donati in quinque Comœdias & in Heautontimorumenon Jo. *Calpurnii* commentarios adnexos habent. Parmenſis A. 1480. cum caſtigationibus *Pomponii Leti*. Tarviſina cum iiſdem commentariis 1477. fol. & Franciſci Dianæ recognitione Venet. 147*9*. fol. Venet. 1482. 1487. fol. Veneta 1480. & Neapolitana 1481. fol. ex caſtigatione *Auli Sabini*. Has excipit Mediolanenſis & Veneta 1483. fol. Venetæ iterum 149*4*. 15*67*. & 1580. fol. &c. Argentoratenſis 149*6*. fol. in qua gloſſa interlinearis & directorium adagiorum, artiſque comicæ, commentariique Donati, *Guidonis* & *Jo. Badii Aſcenſii*, atque in Heautontimorumenon expoſitio Calpurnii continentur; & 14*99*. fol.

Argentorati Anno 1503. fol. cum Donati Commentar. additis iconibus ligno ſatis ridicule deſcriptis, & 150*6*. 4. cum commentario Petri Marſi, & Pauli Malleoli.

Cum notis Badii Aſcenſii, Pariſ. 1504. 4. & 1508. fol.

Lipſienſis A. 1508. Argentoratenſis A. 1513. Tubingenſis 151*6*. 4.

Editiones *Aldinæ*, Venet. 1517. & 1521. 8.

Terentius cum *Petri Marſi* & *Pauli Malleoli* annotationibus. Argent. 151*9*. 4.

Editio *Rob. Stephani* Pariſ. 152*9*. fol. 153*6*. 4. 1541. 4. cum commentario Donati &c. & ſine commentariis 1533. 1545. 8. & minori forma 1532.

Eraſmi editio Baſil. 1532. 1538. fol. cum Scholiis e Donato, Cornuto & Aſpero.

Editio Gryphiana A. 1544.

Baſileenſis apud Bryllingerum 8. cum Melanchthonis & variorum Commentariis.

Pariſienſis A. 1552. fol. e MSS. caſtigata cum variis lect. & reſtituta verſuum ratione, ſcholiiſque præter Donatum & Calpurnium *Melanchthonis*, Eraſmi, Goveani, Jul. Cæſ. Scaligeri, L. Victoris Fauſti, P. Bembi, A. Barlandi, B. Latomi, P. Marſi, *J. Rivii*, Steph. Doleti, H. Loritti Glareani, J. Theodorici, & Jodoci Willichii.

Antonii Goveani. Lovanii 1552. 4. Pariſ. 1558. 4. *Goveanum* hominem ingenioſiſſimum vocat & paſſim ad Terentium laudat elegantiſſimus Muretus. Idem *Æmilii Ferreti* operam in Terentio poſitam celebrat pag. 181. b.

Veneta A. 1553. fol. apud Barthol. Cæſanum cum commentariis Donati, *Guidonis Juvenalis* Cenomani, *Petri Marſi* in omnes fabulas, *Stephani Doleti* in Andriam, & Eunuchum, & Jo. Calpurnii in Heautontimorumenon.

Colonienſis A. 1555. cum commentario *Jodoci Willichii*.

M. Antonii Mureti Venet. 1555. 8. apud Paulum Manut. & Antuerp. 1567. 12. 1580. 8. apud Plantin. & Lugd. 1573. 8. Venet. 1575. 8. apud Aldum, & Franequ. 1597. 8. Muretum dum metro conſulere ſtudet, nimium ſibi in Terentio indulſiſſe queruntur viri docti. Dedicationem Mureti in poſterioribus editionibus præ-

(*n*) Cornel. Beughem in incunabilis Typographiæ pag. 132. Obſerva, primas Terentii editiones deſtitui verſuum diſtinctione.

prætermiſſam dolet Tho. Crenius V. C. parte 2. animadverſ. p. 7. Cum *M. Antonii Mureti* quatuor Codicibus MStis uſi argumentis & notis, Venet. 1558. apud Paulum Manutium, quam editionem ipſius Mureti manu paſſim notatam vidi in Bibliotheca Marquardi Gudii, qui eam ab Octavio Falconerio V. C. Romæ A. 1662. dono acceperat. Eodem A. 1558. 12. lucem iterum vidit Pariſiis, ſæpiuſque deinceps recuſa ut Antuerp. 1565. 12. Erſ. 1575. 1592. 8. Venet. 1603. Editio Lugd. 1573. 8. manu Iſaaci Caſauboni trita & ejus notis paſſim inſignis exſtat in Bibl. Jo. Mori Elienſis Epiſcopi. Ceterum in recentioribus editionibus non modo dedicatio Mureti ad Jacobum Surianum Patricium Venetum (ut in Pareana) deſideratur, ſed etiam in Elmenhorſtii Epiſtolis MSS. ad Holſtenium lego hæc verba: *Laboramus etiam de Terentio Mureti Venetiis edito, quem rogo omni niſu nobis extorqueas, ſaltem ad menſis ſpatium. In Antuerpienſi enim editione multa omiſſa a ſacris hominibus.*

Petri Anteſignani editio Terentii triplex Lugd. 1560. 8. 1. cum argumentis, brevibuſque notis, & proſodia atque carminum ratione, 2. cum notis variorum, & 3. cum notis brevibus novis ad oram libri, & trium priorum dramatum verſione & paraphraſi Gallica, notatis in verſione per uncinulas ſingulis vocabulis, quæ in latino non exſtant. Confer Bælii dictionar. edit. ſecundæ p. 260., & Hendreichii Pandectas in Anteſignano. In *Anteſignani* Rapiſtagenſis editione hoc eſt ſingulare, quod ſingulis verſibus per Siglas in interiore margine adſcripti ſunt pedes, quibus metrum conſtat, verbi gratia verſui in prologo Andriæ: *Poeta quam primum animum ad ſcribendum appulit*, adſcriptæ ſunt literæ ii d ſſp, quæ ſignificant verſum illum conſtare jambo iterumque jambo & dactylo tum ſpondæis duobus & pyrrichio. Veneta A. 1561. fol. *Ambroſii Berndtii*, ſive *Bernardi* notas in Terentium A. 1540. compoſitas edidit A. 1566. Stephanus Riccius. De Ambroſio illo A. 1542. Witebergæ, ubi Oratoriæ Profeſſorem geſſit, defuncto vide Car. Frid. Pezoldi Miſcellanea Lipſienſia T. V. pag. 354. ſeq. A. 1717. 8.

P. Terentii Comœdiæ vetuſtiſſimis libris & verſuum ratione a *Gabr. Faerno* emendatæ, Florent. 1565. 8. editio nitida & accuratiſſima, curante Petro Victorio. Recuſa etiam exſtat A. 1587. 8. Heidelbergæ apud Commelin. cum Eugraphii Commentariorum fragmento: & 1607. 8. De Terentio præclare promeritus poſt Muretum *Gabriel Faernus*, de quo Latinus Latinius in Epiſtola A. 1555. data Tom. 2. Epiſt. pag. 41. *Faernus intermiſſo Livio ad Terentium abſolvendum iterumque nova diligentia caſtigandum rediit, jamque ad Phormionem pervenit. Sperat autem ſe multis locis poſtrema hac opera lucem pulcherrimam attuliſſe adjutus cum aliquot Codicum ope, tum veteris cujuſdam Scholiaſtæ, qui apud Canonicos D. Petri in Bibliotheca tamdiu latuit, ut pæne omnibus ſæculis ignotus nunc primum videatur in lucem prodire.*

E caſtigatione & cum notis *Matthiæ Bergii* Lipſ. 1574. 8. adjunctis Joh. Camerarii, Jo. Rivii, Georgii, & *Franciſci Fabricii* caſtigationibus atque annotationibus. *Theodori Pulmanni* notæ cum Eugraphii, Mureti, Fabricii, &c. Antuerp. 1580. 8.

Terentius ex Eraſmi & Melanchthonis recognitione Francof. 1575. 8. cum ejuſdem Melanchthonis argumentis. Eraſmi præfatio ad Terentium exſtat inter ejus Epiſtolas XXVIII. 20. edit. Lond.

Auguſtini Gambarelli Mediolanenſis obſervationes in Terentium, ſive voces ejus & locutiones una cum conjunctis, oppoſitis & epithetis Alphabeti ordine deſcriptæ prodiere Bergomi 1597. forma majore octava. Ejuſdem Gambarelli antitheta ex Plauto, Terentio, Cæſare, & Cicerone digeſta ordine literarum lucem viderunt Mediolani 1619. 4.

Jo. Weitzii notæ ſive collectanea in Terentium Lipſ. 1610. 8.

Frid. Lindenbrogii editio inſignis atque reliquis præferenda, cum Ælii Donati, & Eugraphii veteris Scholiaſtæ integris commentariis ad MSS. Codices recenſitis, additis propriis, & Gabr. Faerni de Terentio præclare meriti obſervationibus, Pariſ. 1602. 4., & Francof. 1623. 4. quæ editio auctior, & emendatior eſt, niſi quod Epiſtola Lindenbrogii ad Suffridum Calignonum, & Faerni notæ in illa ſunt omiſſæ.

Stephani Riccii e prælectionibus doctorum Wittebergenſium, Mulhuſæ 1568., & Gorlicii 1570. 1574. 8. atque iterum Lipſ. 1614. tribus Vol. 8.

Terentius ex recenſione *Dan. Heinſii*, præmiſſa diſſertatione de Plauto, & Terentio, ſæpius vidit lucem in Belgio, & in Germania poſt editionem Amſtelod. 1618. 12.

Jo. Philippi Parei, Neapoli Nemetum 1619. 4. in qua editione præter notas Rivii, G. Fabricii,

bricii, Faerni, Mu reti, Pareique ipſius habetur index omnium vocabulorum. Idem Pareus Plauto ſuo diſſertationem de Terentiana Plauti imitatione adtexuit, quod argumentum ante eum tractaverat quoque *Gaudentius Merula* in dialogo Terentiano.

Cum Epiſtolis VII. Criticis, ſive notis brevibus *Chriſtophori Coleri*, & indice phraſium Francof. 1584. 12. Genev. 1593. 12. Francof. 1685. 12.

Cum notis, indicibus & medulla ſive Phraſeologia Terentiana *Martini Hayneccii*, Lipſ. 1592. 1606. 1614. 1624. 1634. 8. quam editionem Caſpari Barthio cum primis probatam fuiſſe teſtatur Caſpar Sagittarius libro de Plauti, Terentii, & Ciceronis vita ac ſcriptis Altenb. 1671. 8. p. 65.

Editio Regia typis luculentis & majoribus, Pariſ. 1642. fol.

Cum locupletiſſimo indice Philologico verborum phraſiumque, & collectaneis *Jac. Kockerti*, Lubeccæ 1651., & 1667. 8.

Cum *Jo. Henrici Bæcleri* annotationibus, & Chreſtomathia Terentiana ſive ſelecto Indice locutionum, Argentorat 1657. 8. Huic editioni adjunctæ ſunt etiam *Franciſci Guieti* Andegavenſis in Terentium notæ eruditæ, ſed juſto paſſim audaciores, unde Terentium indignis modis a Guieto tractari ſcripſit Chr. Waſius in Senario p. 244. Obierat jam Guietus A. 1655. cum notæ illæ ederentur. Vide vitam ab Antonio Periandro ſcriptam notiſque in Terentium præmiſſam.

Cum notis *Tho. Farnabii* in quatuor priores, & *Merici Caſauboni* in Phormionem, & Hecyram, Lond. 1651. 12. Amſtel. 1651. 1660. 1669. 12.

Jo. Minelli Roterd. 1670. 12. Ejuſque æmuli V. C. *Chriſtiani Junckeri* Dreſdenſis Lipſiæ 1702. 12. Hic meus cum viveret amicus diem (*o*) obiit Altenburgi A. 1714.

Tan. Fabri. Salmurii A. 1671. 12.

Cum Commentariis Donati, & ubi hic deficit, Eugraphii, atque ſelectis (*p*) *variorum* notis Lugd. Bat. 1644. 8. & 1651. 1657. 8. curante *Cornelio Schrevelio*, qui poſterioribus editionibus nomen ſuum adſcripſit.

In uſum Delphini, a *Nic. Camo* Pariſ. 1675. 4. quæ editio ſemel iterumque repetita eſt ab Anglis Lond. 1688. & 1700. 8. omiſſa tamen quædam haud abſurde, quæ Camus in Pariſienſi editione præmittenda eſſe duxerat.

Cum integris notis *variorum*, Donati, Eugraphii, Faerni, Bœcleri, Farnabii, M. Caſauboni & Tan. Fabri, Amſtelod. 1686. 8.

Denique Pariſiis Terentii comœdiæ expurgatæ cum notis viri egregii *Joſephi Juvenci* e Societate Jeſu, quæ auctiores occurrunt in editione Rothomag. 1711. & Pariſ. 1715.

Terentii Comœdiæ captui puerorum accommodatæ per Emanuelem Sincerum. Auguſtæ Vindel. 1717. 8.

Editio Comici nitida atque emendata A. 1601. Cantabrigiæ typis majoribus Academicis in 4. lucem vidit curante clariſſ. D. *Leng*, ex aula S. Catharinæ, additis notis criticis & diſſertatione de ratione & licentia metri Terentiani, de quo argumento etiam conſulendus, Chriſtoph. Waſe in ſenario, ſive libro erudito de legibus & licentia veterum Poetarum. Oxon. 1687. 4.

Elegans quoque Terentii editio eſt, quæ cum ſcito & accuratiſſimo *Martini Hugenii* indice vocabulorum & phraſium Terentianarum omnium (jam ante A. 1701 vulgato) prodiit Amſt. 1710. 8. curante Hugenii fata filio cognomi-

ne, &

(*o*) De Junckero ejuſque ſcriptis vide ſi placet Epiſtolam quam Dreſdæ A. 1714. 4. edidit atq; mihi pro ſuo in me amore inſcripſit C. V. Jo. Gideon Gelius. Nova litteraria Hamb. A. 1703. p. 35. Secretarium Tom. 2. p. 885. ſeq.

(*p*) Frequens eſt in Virorum eruditorum ſcriptis, ut in illas *variorum* quæ ſolenni vocabulo dicuntur *notas*, quæ non integras hominum celebrium animadverſiones ſed excerpta tantum ex illis ſcholia exhibent,

man-

graviter invehantur. Ita doctiſſimus Grævius præf. ad Sveton. Hanninius V. C. præfat. ad Juvenal., & ad Britannici in Juvenalem notas. Antonius Borremanſius in variis Lect. cap. 7. Adrianus Bailletus T. 1. judicior. de Scriptoribus p. 462. 519. multique alii. Neque diffitendum eſt quandoque potuiſſe editionum illarum curatores quoſdam majore delectu, majoreque fide uti in decerpendis, vel digerendis doctorum virorum obſervationibus, ut probe obſervatum etiam Jo. Clerico V. C. eſt T. 1. Parrhaſianorum p. 230. At enim ſi cum judicio adornatæ hujuſmodi Variorum notæ in optimos quoque ſcriptores veteres exſtent, non dubitem affirmare earum editionum auctores tanto melius prometitos de publico bono, quanto ceteri illi magis forte conſulere ſe exiſtimant virorum doctorum famæ, qui uni ſcriptori horum plurium integros commentarios, atque in his tamen multa ſæpius repetita, multa parum ad rem facientia ſubjungunt. Nolim ſane commentaria illa perire vel non integra conſervari, ſed hæc qui typis exſcribenda dant, eos viciſſim nolim invidere ſtudioſorum compendio, quod ex altero genere notarum, ſi ita ut par eſt conficiantur, haud dubie ſibi promittere poſſint.

ne, & imitationem Terentii Plautinam, ſive loca Plauti phraſeſque quas imitatus Terentius videri poſſit, in ſingularum paginarum calce annotante. Index Hugenii ſervatus quoque in editione Terentii Londinenſi, quam curavit præclarus Vir *Mich. Mattaire* 1715. 12. qui in corpore poetarum Latinorum poſt Genevenſes auctiore Terentium jam vulgaverat Lond. 1713. folio.

Cum locis Terentii ipſius parallelis, & indice formularum ſive phraſium uberrimo cura V. C. *Davidis Hoogſtratani*. Amſt. 1718. 4.

Chriſtophorus Cellarius Vir præſtantiſſimus in diſſ. de ſolutæ Orationis ſcriptoribus ſcholarum uſui publico commendandis edita Halæ Sax. A. 1706. p. 4. *Longiores ſunt fabulæ Terentii quam ut puerili æta.i adprehendantur, periculoſiores adoleſcentiæ (q) quia quam caſte videntur ſcribere, tamen res ipſa turpis eſt, ſtuprum in fabellis ſingulis. Habemus excerptas ex iis præſtantiores formulas atque locutiones, quas qui juventuti proponunt, conſultius nobis videntur agere quam qui integras interpretantur Comœdias.* Eum in finem *Hieronymus Freyerus* laudabili inſtituto Colloquia Terentiana cum de Plauto excerptis, & Phædri fabulis ad innoxium Scholaſticæ juventutis uſum accommodata edidit Halæ Sax. 1714. 8.

Terentium cum pluribus MStis diligenter contulerat *Chriſtophorus Waſe*, & uberioribus commentariis illuſtraverat, ut teſtatur Henricus Newtonus (r) vir nobiliſſimus Epiſtola LXIX. qui illo Doctore olim uſus fuit. Hos intercidiſſe dolebit mecum, qui Waſii hujus librum de ſenario ſupra etiam mihi memoratum evolverit.

Nuper admodum ex amici beneficio in manus meas inciderunt notæ ineditæ doctiſſimi viri *Jo. Frid. Gronovii*, quas ubi Terentius apud nos recudetur, ſtudioſis Latinæ linguæ non invidebo. Utinam vero brevi in lucem ferri contingat elaboratiſſimam *Rich. Bentleii* editionem, (ſ) qui Terentium cum ſcholiis Donati, & ſuis caſtigationibus jam pridem dare cogitat, & in parvo Comici volumine ad mille vocabula emendare ac reſtituere (t) promiſit. Nam audacem licet, ut in Horatio, juvabit fortuna ingenii, & eruditio recondita nihil non elegantis atque exquiſiti proferre ſinet.

Verſiones quoque Terentii extant *Gallicæ*; antiquiores quidem qualis proſa & verſu regi Galliæ Franciſco I. oblata auctore *Octavio Gallæſio* prodiit Pariſ. 1539. fol. apud Antonium Verardum, & Jo. Petit. *Jacobi Bourlei* verſum verſu reddentis metapraſis memoratur Franciſco de Cruce Cenomano Bibl. Gallicæ p. 179. *Petri Anteſignani* Rapiſtagnenſis verſio Gallica proſaria Pariſ. 1574. 1583. 614. forma minore, & Lugd. 1560. 8. Eſt mihi ad manum editio Latino Gallica Pariſ. 1586. 12. ſine nomine interpretis. Recentiores vero ſunt. Una *S. Albini*, quæ poſt primam editionem Pariſ. 1646. ſæpius lucem vidit hoc titulo: *Comedies de Terence traduites en Francois avec le latin à cotè & rendues tres honnettes (u) en y changeant fort peu de choſes.* Andriæ, Adelphorum, & Phormionis verſio Gallica proſaria auctore *San Albino* jam quartum prodierat Pariſ. 1658. 12. Reliquæ tres Eunuchus, Heautontimorumenos, & Hecyra *Martignato* interprete, primum viderunt lucem Pariſ. 1670. & deinde 1678. 12. Latino ut in prioribus etiam Comœdiis facto e regione poſito. Altera *Michaelis de Marolles* Abbatis Villalongani, quæ ſubjunctas habet *Johannis Peyraredei* obſervationes, & e regione Latina Pariſ. 1660. 8. duob. volum. Tertia denique, cui itidem latina adpoſita ſunt, *Annæ Daceriæ* T. Fabri filiæ Pariſ. 1688. & Amſt. 1698. 12. tribus volumini-

(q) S. Auguſtinus lib. 1. Confeſſion. cap. 16. Terentium velut turpitudinis magiſtrum deteſtatus: *non accuſo verba quaſi vaſa electa atque pretioſa, ſed vinum erroris quod in eis nobis propinatur ab ebriis doctoribus.*

(r) Henr. Neutoni Epiſtolæ, Orationes & carmina prodierunt Lucæ 1710. 4. vide Acta Erud. Tom. VI. ſupplem. p. 85. & cave hunc confundas cum Iſaaco Neutono, Philoſopho & Mathematico acutiſſimo.

(ſ) Hæc Bentlei editio in Anglia primum, tum Amſtel. lucem vidit an. 1727. Omnium vero Terentii editionum præcipua videtur, quam cum antiquis interpretibus Donato, Eugraphio, Calpurnio, aliorumque recentiorum obſervationibus, ac ſuis emiſit Hayæ Comitum 2. vol. 4. 1726. Arn. Henr. Weſterhovius.

(t) Journal des Savans A. 1714. p. 351. ſeq. edit. Amſt.

(u) Terentius ab obſcœnitate purgatus lucem quoque vidit alias, ut Ingolſtadii 1589. 8. Etiam in editione ad uſum Delphini Pariſienſis, turpia verba omiſſa ſunt & ad calcem rejecta. Ab illis obſcœnis ut deduceret juventutem, ſine Terentianæ dictionis purique ſermonis latini jactura *Cornelius Schonæus* Goudanus (A. C. 1611. denatus) Terentium Chriſtianum compoſuit, ſæpiuſcule recuſum; & *Jo. Fichtelius* Æſchinum Comœdiam vulgavit Lubeccæ 1669. 12. continentem phraſes & elegantias Terentii, addito ſupplemento ſeptem Colloquiorum. Ceterum primordia latini ſermonis non a Terentio, ſed a Cicerone capienda eſſe pulchre docet Conr. Sam. Schurtzfleiſchius Witebergæ lumen in ſingulari Diſſ. A. 1704. edita.

minibus. Quanquam vero elegantiſſima hæc eſt interpretatio, tamen ex illa ipſa repetitis exemplis, quam difficile ſit vim atque elegantiam verborum latinorum vernacula lingua reddere, oſtendit Joann. Clericus V. C. in arte Critica Tom. prim. pag. 208. ſeq. Illa autem ſemel iterumque recuſa eſt in Belgio, & Zittaviæ 1705. 12. ac Budiſſinæ in Germania, & cum novis illius animadverſionibus, Roterd. 1717. 8. Latine, & Gallice tribus Volum. (Journal des Savans 1717. Aout. pag. 169.) & Latinis omiſſis Halæ Sax. 1720. 12. ex Martini Deſchneri recenſione, qui Budiſſinenſem editionem inemendatiſſimam eſſe queritur. Andriam, Adelphos, & Phormionem eleganti quoque veſte Gallica induit *Iſaacus le Maitre de Sacy*, Andriam verſibus Gallicis nuper donatam audio a Petro Clerico S. I. Toloſæ, eodem qui Electram Sophoclis metaphraſi Gallica reddidit.

Terentius *Italice* Venet. 1533. 8. & 1558. *Jo. Fabrino* da Fighine Florentino interprete, cujus etiam eadem lingua ſcripti exſtant commentarii, interpretationis vice Latino Terentio adjuncti Venet. 1580. 4. & 1594. 4.

Flammetta Maleſpina, Marchioniſſa Terentium Italicis verſibus quam feliciſſime expreſſit teſte Jo. Maria Creſcimbenio in Hiſtoria Poeſeos Italicæ lib. 2. p. 241. Celebratur & Italica *Jo. Juſtiniani* translatio.

Germanice & *Italice* per *Antonium Gagliardi* Lipſ. 1692. 12.

Germanice expoſuerunt multi, Jo. Rhenius, Val. Boltzius, Steph. Riccius, & noviſſime Dan. Hartnaccius. Carmine Germanico Jo. Epiſcopius Herbipolitanus Francof. 1563. 8.

Terentius cum Germanica verſione editus *Davide Hyſchelio* & *Matthia Schenckio* Auguſtæ Vindel. 1624. 8. memoratur in Theoph. Spizelii templo Honoris pag. 334.

Verſio Germanica cum præf. M. Jo. Kromayeri Concionatoris aulici & inſpectoris Vinarienſis, qua Terentium in ſcholis retinendum ſuadet. Vinariæ 1626. 8. Eadem verſio recuſa Hamb. 1670. 8. omiſſis ſummariis notiſque. Vidi etiam vulgaria Terentii in Teutonicam linguam traducta, ſeu phraſes Comici cum Germanica verſione excuſas Daventriæ 1489. 4.

Carmine Germanico, Terentius per *Henricum Ham*, Isleb. 1586. 8.

Belgice Antuerp. 1555. 8. Latine ac *Belgice* vidit lucem cum notis Henr. Swaerdekroonii Roterd. 1648. 8.

Cum emendata *Belgica* verſione, & Minellii notis marginalibus Roterd. 1663. 8. Weſterbanii interpretatio eodem anno Hagæ 4.

Latine, & *Anglice*, Lond. 1629. 4.

Hiſpanica verſio auctore *Petro Simone Avril* edita A. 1577. & Compluti A. 1582. atque iterum Barcinone A. 1599. 8. ad addiſcendam linguam Hiſpanicam commendatur in primis a Gaſpare Scioppio in conſultationibus.

Argumenta in ſingula dramata habemus a *C. Sulpitio Apollinari*, illo qui Pertinacem Imp. Latinas literas docuit. Etiam e recentioribus argumenta in Comœdias Terentii Melanchthon, & Muretus: in ſingulas fabularum Terentii ſcenas compoſuere Paullus Malleolus, Chriſtophorus Hegendorfinus, Hadrianus Barlandus, Barthol. Latomus, &c.

Juvatne etiam commemorare libellos tyronum deſtinatos uſibus, *Georgii Fabricii* elegantiarum e Plauto, & Terentio libros duos, cum P. Syri mimis ab Eraſmo, & eodem Georgio expoſitis excuſos Lipſiæ 1558. 8. *Henrici Decimatoris* Giſhornenſis ſuccum & medullam Terentianam, libris V. Halæ Sax. 1597. 8. *Pauli Perdicis* latine dicendi formulas e Terentio collectas, Budiſſinæ 1545. 8. *Martini Hayneccii* medullam & fructus Terentianos, ſive ſententias Ethicas, Politicas, Œconomicas, Phyſicas & Hiſtoricas cum adagiis & proverbiis Comicis Lipſ. 1608. 1614. 1625. 1634. 8. *Cornelii Graphei* phraſes Terentianas laudatas Vignolio Marvillio ſive quicunque ſub illo nomine latet T. 2 Miſc. Hiſtoricolitterar. pag. 121. *Pauli Toſſani* Phraſeologiam Terentianam, Oppenheim 1613. in 8. *M. Friderici Haberſack* Rectoris Scholæ Gryphiſwaldenſis nucleum Terentianum, Roſtoch. 1655. 8. *Bartholdi Feind* phraſeologiam Plautino - Terentianam Hamburg. 688. 8., &c.

VI. Fuit diverſus a noſtro, licet ſunt qui utroſque confundant, *Terentius Culleo* Senator Romanus, quem captum a Carthaginenſibus Scipio Africanus major vindicavit in libertatem, & triumphans eum cum pileo capiti impoſito pone currum ſequentem habuit, ut traditum Livio XXX. ult. Alius *Terentius Libo* Fregellanus Poeta, cujus meminit Donatus, ut omittam *Terentium*, a quo exaratos Numæ libros repertos in arca juſſu Senatus crematos refert Victor de Viris illuſtribus cap. 3. Sed plures Terentios collectos videre licebit a Jo. Glandorpio p. 833. ſeq. Onomaſtici, & a Jo. Lomejero dierum genialium parte I. diſſ. VI. De

M. Te-

M. Terentio Varrone Atacino, & Terentio Clemente JCto dicturus ſum inferius ſuis locis. Variis Terentiis a me commemoratis addere licebit Priſcum Terentium, de quo Mæcenate ſuo Martialis XII. 4. 14. 63. Terentium Comitem de quo S. Baſilii Epiſt. 272. & 349. Theodoritus IV. 28. Terentium Epiſcopum Seleucianenſem, qui Concilio Africano A. C. 424. interfuit, & Collationi Carthaginienſi A. 411. Terentium item Tomorum Epiſcopum in Scythia, de quo Sirmondus ad Facundi IV. 3. T. 2. Opp. p. 521. Terentium monachum ac præsbyterum novæ Lauræ, qui ſubſcripſit Concilio CPol. ſub Mena A. C. 536. M. Terentium Coracem, quem, dum tabellas ſcripſit, in foro mortuum narrat Plinius VII. 53. Hiſt., &c.

Verba CHRISTI ad Paulum, *grave tibi erit adverſus ſtimulum calcitrare* Act. IX. 5. ridicule quidam petita eſſe duxerunt e Terentii Phormione 1. 2. 28. *nam quæ inſcitia eſt adverſum ſtimulum calces?* Vide Jo. Euſebium Nierembergium XII. 14. de origine S. Scripturæ, & Jo. Frid. Mayeri Exercitationem, *Utrum CHRISTUS legerit Platonem vel Terentium?* editam Hamburgi 1701. Sane obvium eſt idem proverbium in multis ſcriptoribus etiam Terentio antiquioribus, ut annotatum Jo. Pricæo, & Doughteio ad Actorum locum, & Joanni Nicolai in libro de calcaribus cap. XIV. Uſus quoque diu poſt Julianus Imp. Oratione VIII. ſive Epiſtola ad Salluſtium fol. 246.

DE T. LUCRETIO CARO.

Lucretii ætas 1. *Libri VI. de rerum natura*. 2. *Eorum editiones atque interpretes*. 3. *Poetæ quos Lucretius imitatus fuit*. 4.

I. T. Lucretius Carus, patria ut videtur Romanus, natus eſt, teſte Euſebio, Olymp. CLXXI. 2. anno U. C. DCLIX. ante CHRISTUM XCV. *Poſtea amatorio poculo* (*a*) *in furorem verſus, quum aliquot libros per intervalla inſaniæ* (*b*) *conſcripſiſſet, quos poſtea Cicero emendavit, propria ſe manu interfecit anno ætatis quadrageſimo quarto*, U. C. DCCIII. (*c*) ante CHRISTUM LI. Philoſophus de Epicuri Schola acutiſſimus, quem qui legunt, videntur, ut IX. 3. ait Vitruvius, cum eo velut coram de rerum natura diſputare. Poeta ſublimis, idemque elegans, & multæ artis luminibus pictus, ac Latinæ linguæ auctor egregius. De hoc Poeta conſulendæ Caſp. Barthii notæ ad Statium Tom. 1. pag. 260. - 263. De eodem Barlæus lib. 2. Miſcell.

Hic Phœbi furiis, furiiſque exarſit Oreſtis,
Quam præſtat ſolis verſiculis furere.

Amatorio poculo verſum in furorem, propria ſe manu interfeciſſe tradit poſt Euſebium etiam Proſper in Chronico. Scriptor vitæ Virgilii eo die quo togam virilem ſumſit Maro, periiſſe Lucretium teſtatur (A. U. C. 698.) *Alii eodem die quo natus eſt Virgilius, obiiſſe ferunt: & aliquis Pythagoreus credat Lucretii animam in Maronis corpus tranſiiſſe, ibique longo uſu & multo ſtudio exercitatum Poetam perfectiſſimum obiiſſe. An ſibi ipſi manus attulerit, incertum: interiit anno ætatis ſuæ XLIII. & miſerrimam, quam olim ludibrio habuerat, nimis cito expertus eſt immortalitatem*. Hæc Tho. Crech.

II. Exſtant ejus *libri VI. de rerum Natura* ad C. Memmium Gemellum (*d*) Heroico poemate, verſibus jucundo antiquitatis ſapore conditis, Epicuri de rebus naturalibus ſententiam, ſed & impios ejus errores diſertiſſime explicantes. Non plures a Lucretio libros hujus argumenti ſcriptos eſſe, ut male conjiciebat Barthius LII. 4. Adverſar. Lucretio ipſi teſti credimus, qui libro ſexto v. 91. *ſupremæ præſcripta ad candida calcis ſpatium* currere ſe affirmat. Exordium Operis idem quoque, quod nos hodie, legit olim Ovidius 2. Triſt. v. 261.

Sumſerit Æneadum genetrix, *ubi prima requiret*.
Æneadum genetrix, unde ſit alma Venus,

Hoc eſt, ſi in manus ſumſerit Lucretium, cujus prima hæc ſunt verba: *Æneadum genetrix, hominum divumque voluptas*, quem Ovidii ſenſum eſſe jam pridem notavit Ludovicus Carrio lib. I. emendationum cap. VIII. Uſitatum enim fuiſſe veteribus, ut vocibus initialibus ſcripta ipſa denotarent, pluribus exemplis docet Jo.

 Jon-

(*a*) Euſebius Chron.

(*b*) Hoc vix credibile mihi videtur. Neque eo reſpicere putem Statium lib. 2. Silva 7. in verbis, *& docti furor arduus Lucretii*, Poetarum enim furor laudabilis. ἐνθουσιασμός. Pro arduo *difficilem* dixit Quintilianus X. 1.

(*c*) Triennio citius mortem Lucretii aſſignat Iſ. Voſſius p. 83. ad Catullum, e ſcriptore Vitæ Virgilii.

(*d*) De hoc conſulenda Giſanii prolegomena.

Jonſius II. 5. de Scriptoribus Hiſt. Philoſ. p. 136. ſeq., & Scaliger ad Euſeb. num. M. D CCCCLX. Quod vero in limine Operis invocet Venerem Lucretius homo Epicureus, qui a Diis omnia humana ſuſque deque putabat haberi, ſatis ſe duxiſſe exiſtimandus eſt excuſari more vulgato Poetarum, neque alia opus eſſe reſponſione arbitror ad dubitationem hanc diſſolvendam, quam multos viros doctos exercuiſſe docet, præter interpretes Lucretii Creechium alioſque, Petrus Bælius vir ingenioſiſſimus in dictionario Hiſtorico p. 1923. editionis ſecundæ, quem de Poeta lector, ubi volet, conſulet. *Memmium*, cui poema ſuum Lucretius inſcripſit, ſcripſiſſe & ipſum verſus, colligas ex Plinii lib. V. Epiſt. 3. Eundem Mæcenatibus ac liberalibus ſtudiorum Patronis accenſet Martialis XII. 36.

Piſones, Senecaſque, Memmioſque,
Et Criſpos mihi redde ----- -----

Quæ vero a recentiore ætate in Gallia etiamnum claret illuſtris Memmiorum gens, Gallice *des Meſmes*, ſi Bernhardum Monetam audimus, Latine Maximorum potius nomine appellanda erat. Vide Menagiana T. IV. p. 175.

Lucretii placita Epicurea carmine confutanda ſibi ſumſerunt, Latino Heroico quidem *Aonius Palearius*, *Scipio Capicius*, *Polignacus* Cardinalis, & *Thomas Ceva* S. I. Anglico *Henricus Morus*, & *Richardus Blanckmore*, Gallico *Carolus Claudius Geſtus*, & Italico *Alex. Marchetti*. De *Scipionis Capicii* libris II. de rerum principiis, & *Palearii* libris tribus pro animæ immortalitate, Lucretio oppoſitis, infra. *Polignaci* libri IX. de DEO auctore univerſi necdum lucem viderunt, quod ſciam, ſed ut quam primum prodeant, deſiderabit mecum quiſquis legerit initium primi & fragmenta, quæ ex eo producuntur in libro Gallico, Memoires de litterature Tom. 1. pag. 413.-418. & in Jo. Clerici Bibl. ſelecta Tom. XXVI. pag. 155. ſeq. *Cevæ* Philoſophia novantiqua, qua confutavit Lucretium, excuſa eſt Mediolani 1704. 12. & merita laude celebratur in Diario Veneto, Giornale de' Letterati d' Italia Tom. VII. pag. 114. ſeq. *Henrici Mori* poemata Philoſophica, in quibus præcipue multa pro animorum immortalitate, prælo evaſere Cantabrigiæ 1647. 8. *Blackmorii*, Equitis & Medici Londinenſis poema inſigne de creatione, ſeptem conſtans libris, quo Providentiam Numinis adverſus Lucretium defendit, jam tertium prodiit Londini A. 1714. *Geneſti* poema pulcherrimum Pariſiis primum, deinde Amſterodami A. 1717. 12. excuſum hoc titulo eſt: *principes de philoſophie, ou preuves naturelles de l' exiſtence de Dieu, & de l' immortalitè de l' ame*. Sed *Marchetti* (ejuſdem cujus metaphraſin Lucretii Italicam infra memorabo) Poema Philoſophicum imperfectum ab auctore relictum, nec luci datum eſt, cujus initium exſtat in Diario Veneto Tom. XXI. p. 258.-260. Nec Germanis noſtris deerit, quem hiſce Religionis aſſertoribus ingenioſiſſimis Poetis accenſere cum laude, & Lucretio opponere licebit, ſi ampliſſimo *Brockeſio* noſtro carmina ſua vernacula de Creatoris & rerum creatarum admirandis colligere & in lucem edere placuerit.

Si quis titulum modo conſulat, facile putet Lucretio etiam oppoſitum eſſe librum Belgica proſa Amſt. 1710. 8. ab Henrico Wyermaſio vulgatum. Sed qui ſcriptum ipſum evolverunt, putidum Spinoſæ aſſeclam, deriſorem ſacrarum litterarum impium, & religionis contemptorem Lucretio ipſo haud meliorem illo prodi obſervant.

Subſtantiam & corpus æque late patere, omne extenſum eſſe corporeum, (cum ſuo conſectario, Spiritus nuſquam eſſe) nihil fieri poſſe niſi ex præjacenti materia; vel, quod idem eſt, nihil poſſe creari. Omne corpus motum ab alio corpore moveri. Omnia Mundi phænomena rationibus pure mechanicis poſſe explicari. Cohærentiam corporum atomorum hamatarum unione contineri, & id genus alia fere infinita, præſertim apud Democriti, & Epicuri *ſectatores, apud* Lucretium *præ ceteris: quem cum admodum adoleſcens evolverem, putabam profecto ſubinde, me ſatyrum quempiam ſimiumve ſenem e ſylvis philoſophantem audire, adeo omnia ex ſolo ſenſu externo, craſſaque imaginatione deducebantur. Quod genus Philoſophos innumeros e luſtris lociſque deſertis credibile eſt jamdudum confluxuros fuiſſe, ſi DEUS ac Natura brutis animalibus loquendi ſcribendique facultatem conceſſiſſent. Ipſa enim facile potuiſſent prolixas craſſarum imaginationum concatenationes ſive carmine ſive ſoluta oratione, ornate & copioſe deducere & enarrare. Hoc vero proprie philoſophari non eſt, ſed materialia* αἰσθήματα καὶ φαντάσματα *inani opera recenſere.* Hæc Henricus Morus, Theologus, & Philoſophus Anglus in Confutatione Cabbalæ Ætopædomeliſſæ Tom. 1. Opp. Philoſoph. pag. 527.

Invocationem Veneris, in limine libri primi Lucretii, expoſuit Gallicis verſibus pluribus Poetria

tria ingenioſiſſima Deshoulieria Tom. 2. carminum editorum Gallice Bruxell. 1708. 8. pag. 80. *imitation de Lucrete, en galimatias fait exprès*. De invocatione illa videndus etiam Petrus Victorius, Epiſtola ad Joannem Caſam. Jo. Clerico viro doctiſſimo T. XXVI. Bibl. ſelectæ pag. 154. rectius facturus fuiſſe videtur Lucretius, ſi Rationem ſive Mentem tanquam Deum in limine poematis potius, quam Venerem imploraſſet. Sed Lucretius ſenſibus plus quam rationi tribuens, & generationem rerum cupiens exponere, nullum magis phyſicum numen quam Venerem appellare ſe poſſe exiſtimavit.

III. Prima Lucretii editio eſt *Veronenſis* curante Hieronymo Avantio A. 1486. fol. per Paulum Fridenperger Paſſavienſem (de Patavia Alemagnæ .) Inſcribitur : *De rerum natura lib. VI. ad Epicuri mentem deſcripti*. Hanc ſecuta eſt Veneta An. 1495. 4.

Veneta apud Aldum A. 1500. 4. ex Avantii editione: atque iterum 1515. 8. ad veterum exemplarium fidem caſtigata.

Florentina Phil. Juntæ A. 1512. 8. cum præfatione & caſtigationibus *Petri Candidi*, qui ex *Joviani Pontani*, & *Mich. Marulli* caſtigatione & MStis Florentinis Lucretium emendatiorem ſe dare profitetur. Marullum vero nimis indulſiſſe ingenio, graviter conqueſtus eſt Petrus Victorius ad Ciceronis lib. XI. ad diverſos Epiſt. 20. & Scaligero notis ad Catullum pag. 93. judice, *nullus veterum auctorum ita male ab ullo correctorum acceptus eſt, ut Lucretius ab illo audaculo Græco Marullo*.

Bononienſis cum commentario *Jo. Baptiſtæ Pii* 1511. fol. apud Aſcenſium. Jo. Baptiſta Pius in ſuo ad Lucretium commentario varias lectiones e MSS. paſſim advocat, quæ excerptæ exſtant ad calcem editionum Lucretii Lond. 1712. 4. & fol.

Vicentina, Lambino memorata, & Giſanio, quam non vidi, uti neque illam quam Geſnerus in Bibl. cum commentariis *Petri Aponi* impreſſam dubius ipſe ſcripſit.

Baſileenſis apud Henr. Petri A. 1531. 8.

Lugdunenſes A. 1536. & 1540. 8. apud Seb. Gryphium, & minore forma A. 1546. 1558. atque A. 1564. 8. & 1576. 12.

Lovanienſis A. 1542. 4.

Lambinianæ editiones viri doctiſſimi Dionyſii Lambini, qui Codicibus quindecim MStis & Adr. Turnebi atque Jo. Aurati conſilio uſus octingenta Lucretii loca reſtituiſſe ſe profitetur, ac primum edidit Lucretium cum commentariis ſuis inſcriptum Carolo IX. Galliæ Regi, Pariſ. 1563. 4. Deinde ſine commentariis, tamen cum brevibus ſcholiis conjectis ad calcem, & emendationibus *Adr. Turnebi* Pariſ. 1565. 12. Denique ex tertia recognitione & cum commentariis locupletioribus, & vita Lucretii Pariſ. 1570. 4. quæ editio recuſa eſt Francofurti A. 1583. 8. Præclare profecto de hoc Poeta promeritum Lambinum nemo æquus ac peritus lector negabit, etſi commentariorum molem reprehendit Janus Rutgerſius IV. 1. variarum lectionum, atque Lambinus ipſe in editione A. 1570. iniquiorem ſe præbuit Giſanio. Confer quæſo Jac. Thomaſii librum de plagio litterario §. 447. 448.

Editio Lucretii Antuerp. 1565. 8. cum MSS. collata a Franciſco Nanſio & Iſ. Voſſio exſtat in Bibl. publica Leidenſi, nec non editio Lugd. 1576. 12. notata manu Iſ. Caſauboni.

Oberti Giſanii utiliſſima editio, quam diligenti ſtudio adornavit adhibitis Codicibus plus quam octo, & editis ante ipſum fere omnibus, Turnebi præcipue atque Lambini, tum, quæ *P. Nannius* (*e*) ad Codicem MStum Ultrajectinum contulerat, quæque obſervaverat Cornelius Valerius Giſanii Præceptor, & Antonius Goldingamus Anglus. Præmiſit & e veteribus libris indicem argumentorum, quæ ab Epicuro tractantur, & præter Laertii & Ciceronis loca de Epicuri Philoſophia & Thucydidis deſcriptionem peſtilentiæ Atticæ, quam Lucretius libro ſexto imitatur, (*f*) ſubjunxit Collectanea ſua ſive commentarios in Lucretium ordine litterarum digeſtos, atque dictionem ejus cumprimis erudite illuſtrantes, & Scioppio quantumvis inimico mirifice probatos: Antuerp. 1566. 8. & Lugd. Batav. 1595. 8. apud Plantin. Jo. Sambucus, cui Lucretium ſuum inſcripſit, Giſanio copiam fecerat editionis Veronenſis manu Marulli caſtigatæ. Uberiores vero, quos promiſit, commentarii Giſaniani non viderunt lucem. In contextu ipſo non ſemper optimam videtur lectionem amplexus eſſe, ut obſervavi collatis lectionibus, quas habeo, Codicis antiquiſſimi Gottorpienſis. Vide ſis etiam Barthii Adverſaria lib. 50. p. 2355. ſeq.

(*e*) Eum Lucretii editionem molitum ex Adr. Junii Epiſtolis obſervat Tho. Crenius V. C. parte 6. animadverſ. pag. 17.

(*f*) Vide ſi lubet quæ notavi Bibliotheca Græca lib. 2. cap. 25. §. 4.

Lucretius a Turnebo & Lambinio recognitus Lugd. 1596. 12.

Prælo datus etiam Lucretius eſt in Corpore Poetarum Latinorum Lugdunenſi, & ubi variæ lectiones adjectæ ſunt, Genevenſi, nec non ſeparatim Antuerp. 1589. 12., & Lugd. Bat. 1597. 12. & 1611. 12. apud Raphelengium: ſed & Lugd. 1606. 12. & Amſtelod. 1616. 1626. forma minore.

De Raphelengiana editione *Gaſpar Barthius*, cum ipſe infinita ſe in Lucretium notata habere ſcripſiſſet Tom. 3. ad Statium pag. 81. *Habet autem*, inquit, *omnino optimus ſtili Romani auctor opus nova & tali recenſione, quæ proponat diverſas Codicum & doctorum hominum lectiones, ac de veritate ſtatuat. Quod qui nobis jam forte ſepultis molietur, ei ſuademus, ne negligat minimam Raphelengianam editionem toties & jam ab aliis typographis repetitam: ejus enim recenſio & conſtitutio debetur* Juſto Lipſio, *qui vir ut Poeta non fuerit, & fuit tamen, vidit nihilominus ingenii bonitate plurima in literis, in quibus cæcutiunt multi docti.*

A *Joſepho Caſtalione* indicem in Lucretium, indici Erythræi in Virgilium haud diſſimilem adornatum, pridem teſtatus eſt Caſpar Scioppius Epiſtola ad Præceptorem ſuum Conradum Rittershuſium ſcripta A. 1599. qua ipſum rogat, ut typographum ei quærat excudendo.

Lucretius cum variis lect. editus in *Corpore Poetarum latinorum*. Genev. 1611. 4. 1627. 4.

Amſtelodamenſis editio Lucretii 1620. 1631. forma minore.

Danielis Parei, veſtigia Giſanii fere legentis Francoſ. 1631. 8. quo anno etiam Lexicon ejus Lucretianum lucem vidit, e Giſanianis fere collectaneis repetitum. Præ cæteris vero hoc habet eximium editio Lucretii Pareana, quod illi ſubjuncta ſunt duo Poemata recentia, lectu haud indigna, *Scipionis Capicii* Neapolitani de rerum principiis libri duo, & *Aonii Palearii* libri III. de immortalitate animarum, quos ex merito laudat Jacobus Sadoletus lib. V. Epiſtolar. p. 200. ſeq. Poema de animarum immortalitate libris tribus, Lucretio oppoſitum & *Aonii Palearii* nomine ſæpius editum, a Paleario ſcriptum eſſe negavit, præter rem, ut opinor, Robertus Titius litteris ad Marcum Velſerum. Vide Velſeri opera pag. 878. *Scipionis Capicii* libri duo de rerum principiis prodiere Venetiis 1546. 8. cum ejus libris tribus de Vate maximo.

Cum explanatione paraphraſtica & notis *Jo. Nardi*, Florentini, non adeo feliciter in illuſtrando Lucretio verſati. Florentiæ 1647. in 4.

Cum Gallica verſione proſaria *Mich. Marolleſii*. Pariſ. 1650. 8. dicata Reginæ Sveciæ Chriſtinæ, a qua ne reſponſum (*g*) quidem accepit, atque iterum 1663. 8. addito libro decimo Laertii Gallice translato. Laudat hanc Marolleſii verſionem Rolandus Mareſius pag. 364. Epiſt. *Gallicam* Lucretii Verſionem proſariam a *Marolleſio* concinnatam & A. 1659. 8. primum Pariſiis cum Latino Lucretio ex Giſanii recenſione editam notiſque illuſtratam commendat præter Rolandum Mareſium, Guido Patinus in Epiſtolis a Joanne Brantio editis. Ut adeo iniquius ſit judicium perſonati Vignolii Marvillii (Bonaventuræ de Argonna, Pariſienſis, Monachi Carthuſ.) Tom. I. miſcellan. pag. 150. *L' Abbè de Marolles s' eſt comſumè a faire de pitoyables verſions, ſans que jamais ni les conſeils de ſes amis, ni les railleries, & la cenſure des Critiques, & ſur tout celle de MS. de l' Eſtang dans ſa methode de traduire, ayent pui lui arracher de l' eſprit cette maudite paſſion.* Verſibus Gallicis pridem reddidit Lucretium *Guilelmus Altarius* ſive *des Autels* circa A. 1560. ut notavit Franciſcus a Cruce Cænomana in Bibl. Gallica pag. 138. Vidit & lucem Metaphraſis nova Lucretii Gallicis verſibus neſcio quo auctore A. 1677. 4.

Cum brevibus ſed eruditis notis *Tan. Fabri*. Salmur. 1662. 4. & Cantabrig. 1675. & 1686. 12.

In uſum *Delphini* Lucretius interpretatione & notis illuſtratus eſt a *Michaele Fayo* (*h*) Pariſ. 1680. 4. addito, ut in aliis ejuſmodi editionibus fieri ſolet, indice omnium vocabulorum. Pareo fere & Nardo uſus eſt, cujus etiam diatribam de funeribus Athenienſium, integram p. 569. ſeq. ſubjunxit.

Cum interpretatione magis latina ac brevioribus ſed diſertioribus argumentis notiſque doctioribus & Philoſophum magis ſapientibus, in quibus tamen nec grammaticum acumen deſideres, edidit qui Lucretium totum imbiberat, ejuſdem poſtea infauſtum exitum triſti fato imitatus (*i*) *Thomas Creech* Collegii omnium animarum

(*g*) Bælii Lexicon Tom. 2. pag. 1926. edit. 2.

(*h*) Creechius notat cum *barbara interpretatione incrustaviſſe latinum Poetam, in contextu uni Pareo fidere, eas vero adjeciſſe notas, quæ Philoſophum faciant ſæpe abſurdum, ſe ipſum ſemper ridiculum.*

(*i*) Sibi ipſi necem conſcivit A. 1700. ſuſpendio propter perditos ut fertur amores, nondum natus annos quadraginta. Vide Jacobi Bernhardi V. C. Novellas

marum in Academia Oxonienſi Socius Oxon. 1695. 8. In hac quoque editione Index omnium vocabulorum Poetæ occurrit. Idem Creechius jam ante *Anglico carmine* quam feliciſſime reddiderat Lucretium, cujus tertia mihi ad manum eſt editio excuſa Londini 1683. in 8. In notis Anglicæ huic metaphraſi ſubjunctis potius cenſorem Poetæ agit, erroreſque ejus graviores refellit, vel etiam a perverſis acceptionibus ſententiam ejus tuetur, quam Scholiis, vel commentariis Lucretium illuſtrat. Ante Creechium *Jo: Evelinus*, ſed primum duntaxat librum verſione metrica Anglica donatum & notis illuſtratum edidit Lond. 1656. 8.

Cum *Gallica* verſione proſaria, & notis lectu digni *Cultorii*. (Mr. Baron des Coutures) Pariſ. 1685. 12. & Amſtelod. 1692. 12. duobus voluminibus. Proſaria interpretatio elegans ſecundis Baronis *Couturii* curis una cum Latino Lucretio recuſa eſt Pariſ. 1708. 12. duobus voluminibus, adjunctis novis notis, quibus priores vel emendantur vel defenduntur. Vide Ephemerides literarias Pariſ. A. 1709. menſe Decembri pag. 468. ſequent. Dicitur & *Molierius* manum admoviſſe Gallicæ Lucretii Metaphraſi concinnandæ, ſed quam affectam Vulcano conſecravit, cum folium illius vidit imprudentem forte ex ſuis aliquem crinibus criſpandis adhibuiſſe. Vide vitam Molierii pag. 198. Initium libri primi ex eleganti Metaphraſi verſibus Gallicis facta auctore *Henaulto*, exſtat in diario Hagenſi, Journal literaire Tom. IV. pag. 418.

Vehementer laudari audivi *Italicam* Metaphraſin Poeticam Lucretii adornatam ab (*k*) *Alexandro Marchetti* Mathematum apud Senenſes nuper Profeſſore. Sed editam non eſſe exiſtimo. Ejus ſpes adipiſcendæ facta fuerat, cum in Italia verſaretur, *Jacobo Tollio* viro doctiſſimo, qui novam Lucretii editionem meditabatur, & ineditas *Gaſp. Scioppii* in Lucretium notas Neapoli dono acceperat a Joſepho Valletta viro Nobiliſſimo. Specimen venuſtiſſimæ Metaphraſeos Lucretii *Italicæ*, auctore *Alexandro Marchetti* concinnatæ produxit A. 1710. illuſtris vir Guil. Godfridus Leibnizius in libro digniſſimo lectu, cui titulum fecit: Eſſais de Theodicèe ſur la bontè de Dieu, la libertè de l'homme & l'origine du mal. pag. 511. ſeqq. Sed bella illa Lucretii interpretatio tota jam edita habetur Londini. Tollius morti vicinus ſuas in Lucretium animadverſiones commendavit Viro egregio *Gerardo de Vries*, qui commentariis Philoſophicis illuſtrare Lucretium inſtituit, ut refert Henricus Chriſtianus Henninius in notis ad Epiſtolas Tollii itinerarias pag. 77. *Iſaaci* quoque *Voſſii* viri ſummi ineditas in Lucretium laudat Teodorus J. F. Grævius ad Callimachum pag. 174. Exſtat & Italica Lucretii translatio auctore *Hieronymo Franchetta* Rhodigino.

Editio *Neapolitana* Lucretii A. 1693. 12. præter notas Tan. Fabri, argumenta Fayi habet adjuncta. Apud Anglos noviſſime Lucretius excuſus eſt perquam nitide, & ſæpius. Londini inprimis apud Jacobum Tonſon An. 1712. 4. de qua editione vide Jo. Clerici Bibl. ſelectam Tom. XXVI. pag. 150. Eodem tempore Lond. 1712. fol. apud eundem Tonſonum, de qua ſplendidiſſima editione Acta erud. T. VI. ſupplementi pag. 193. & Diarium Lipſienſe Germanicum Neuer Bucher Caal parte XLIX. p. 1. In utraque harum adjunctæ tabulæ æneæ nitidiſſimæ & variæ Lectiones ex editione Jo. Baptiſtæ Pii, & ex codicibus collatis a Nic. Heinſio & Jac. Suſio, & Theodoro Munckero, qui ex ſectione librorum V. C. Petri Francii pervenere in Bibliothecam illuſtris Epiſcopi Elienſis Joannis Mori: nec non lectionibus Codicis Bodlejani notatis a Thoma Creech. Has ſecutus eſt *Mich. Mattaire* in Lucretio edito cum indice Lond. 1715. 12. (Bibl. ancienne & Moderne de Mr. le Clerc Tom. V. pag. 153.) Idem Mattaire Lucretium etiam recenſitum a ſe dedit in Corpore poetarum Latinorum vulgato Lond. 1713. fol. *Thomæ* quoque *Creech* Lucretius cum notis ejus auctioribus recuſus Lond. 1716. 8. de qua editione vide ſi placet Ephemerides Pariſ. A. 1717. pag. 667. edit. Amſt. Ejuſdem quoque Creechii Anglicam Metaphraſin Lucretii emendatam paſſim ac ſuppletam additis animadverſionibus iterum exhibuere Londinenſes 1715. 8. duobus voluminibus. Denique *Alexandri Marchetti* Metaphraſis perpulchra quam verſibus Italicis ἀῤῥύθμοις abſolvit A. 1669. inſcripſitque Coſmo III. magno Florentiæ Duci, Londini primum in lucem data eſt luculenter, editore Paulo Antonio Rullo Romano 1717. 8. De qua

Tom.

---

vellas relationes Reip. litterariæ A. 1700. menſe Septembri p. 931. & Novembri p. 580. & A. 1701. menſe Septembri p. 267.

(*k*) Memorat Gregorius Leti in Italia regnante T. 3. pag. 497.

vide Bibl. Anglicam V. C. Michaelis de la Roche editam Gallice Tom. I. pag. 332. & memorias Trevoltinas A. 1718. pag. 382. & de Marchetto ipſo qui A. 1714. 6. Sept. Piſis obiit, ejuſque ſcriptis cæteris, Diarium Venetum, Giornale de' Letterati d' Italia T. XXI. pag. 213. ſeq. ubi etiam iconem ejus deſcriptam ære, & epitaphium reperies.

In hiſtoria Critica Reip. litterar. celeberrimi Maſſoni A. 1713. Tom. 2. pag. 284. nova Lucretii editio Londini curanda promittitur a Medico celeberrimo Garthio. *Mr. G...... fameux Docteur en Medecine travaille a nous donner une nouvelle edition de Lucrece. Il à la reputation d' etre entrè auſſi avant, que perſonne dans les ſentimens de cet ancien Epicurien. Il dedie ſon ouvrage au Grand prince, ſur qui l' Angleterre a les yeux.* Audio eam prodiiſſe A. 1714. & dedicationem ad potentiſſimum Electorem tunc Hannoveranum, hodie Regem magnæ Britanniæ Georgium, ſeparatim excuſam verſamque Anglice ab Oldmixonio. Librum ipſum non vidi, uti nec editionem quam notaſſe me video Londinenſem A. 1709. 4.

In memoriis Trevoltinis A. 1718. pag. 478. Johnſonus Hagæ tres prælis ſubjicere Lucretios traditur, Latinum cum notis, Italicum Marchetti, Anglicumque Creechii, ex quibus nullus adhuc quod ſciam abſolutus in lucem exiit. (*l*)

Anglicam Metaphraſin libri primi, quam ante Creechium dedit *Jo. Evelinus* Eques, laudat Mericus Caſaubonus Epiſtola 17. Ex interpretatione vero, quam verſibus *Belgicis* compoſuit *Jeremias de Dekker*, ſpecimis loco initium libri ſecundi affert Petrus Rabus in Diario ſub (bœkſaal van Europe) A. 1693. T. II. pag. 251. & 1699. Tom. I. pag. 91. Cum *Belgica* verſione proſaria *Joannis de Wit* eleganter excuſus Lucretius eſt Amſtelod. apud Sebaſtianum Pezoldum 1701. 8. Libris ſingulis diviſis in ſectiones, quibus argumenta præmiſſa, uti toti operi præfixæ breves animadverſiones, quibus præcipui errores poetæ rejiciuntur, & venuſta *Adriani Relandi* V. C. Oda in poeſin Lucretianam.

Alſarium a Cruce Profeſſorem Patavinum A. 1632. Lucretianis Commentario vere Philoſophico illuſtrandis occupatum ſe inveniſſe teſtatur Gabriel Naudæus pag. 231, Epiſt. Promiſit etiam Lucretium *Iſ. Voſſius* notis ad Catullum pag. 249. cujus paucas quaſdam animadverſiones MSS. (eaſdem fortaſſe quas citat Grævius ad Callimachum pag. 174.) nactus ſum. Ante hos dicitur *Lucas Fruterius* in Lucretium affecta habuiſſe, quibus non parum adjuti ſint ii, qui poſt Lambini labores ſcriptorem illum collectaneis illuſtrarunt. Vide Valerium Andream Bibl. Belgica pag. 579. & Franc. Swertii Athenas Belgicas p. 518. *Titi Joannis Scandinienſis* doctiſſimi in Lucretium commentarii, non opinor editi, citantur a Bernardino Realino Carpenſi cap. 14. annotat. in varia ſcriptorum loca T. 2. Lampadis Artium Gruterianæ p. 367. *Andreæ Riveti* notas MSS. in Lucretium laudat Servatius Gallæus ad Lactantii II. 1. pag. 138. quod monuit me V. C. Chriſtianus Schœtgenius. Noviſſime cum Berolini adhuc verſaretur vir cultiſſimæ doctrinæ *Joannes Barbeyracus*, poſtea ingens gloria Academiæ Lauſannenſis, hodie Grœningenſis, ſpem fecit editionis hujus Poetæ novo ſtudio caſtigandi ad Codices MSS. ac veteres editiones, vulgandique cum paraphraſi Creechii, notiſque ſuis & aliorum ſelectis atque ad examen revocatis. Conſilium ſuum & ſpecimen operis expoſuit in diatriba A. 1709. inſerta T. XVII. Bibliothecæ ſelectæ Joannis Clerici V. C. pag. 242. ſeq. De *Richardi* (*n*) *Burridge* Angli promiſſis in Lucretium animadverſionibus vide Acta Erud. A. 1716. pag. 64.

Non paucis quoque Lucretii locis inſignem lucem attulit vir eruditiſſimus *Petrus Gaſſendus* in Opere de Philoſophia Epicuri, quanquam & Gaſſendum reprehendunt hinc inde interpretes Lucretii, qui alias paſſim eum libenter ſequi ſe profitentur, Creechius ac Couturius. Franciſco Gacono credat, qui volet, præfatione ad Anacreontem Gallica donatum metaphraſi p. XXXI. ſcribenti, Gaſſendum quotquot diebus mane centuriam verſuum Lucretii e memoria citaſſe. *Mr. Gaſſendi, qui merite d' ètre cru ſur cet article, ſavoit tout Lucrece par cœur, & de peur de l' oublier, il en recitoit tous les matins une centaine de vers.*

Lucre-

(*l*) Prodiit quidem Lugd. Batav. 1725. 2. Vol. in 4. curante Sigiberto Havercampio optima Lucretii editio cum notis integris Lambini, Gifanii, Fabri, Creech, & ſelectis Pii, aliorumque cum venuſtiſſimis Figuris.

(*n*) Male Eduardus hic vocatur in gelehrten Zeitungen A. 1716. pag. 53. atque inde in Clariſſ. Falſterii cogitat. Philolog. pag. 112.

Lucretii duo Codices MSti membranacei in Bibl. Leidenſi inter libros Iſ. Voſſii n. 30. & 94. nec non variæ lectiones ex Codice antiquiſſ. Gottorpienſi.

IV. Poetas imitatus eſſe Lucretius cum primis videtur e Græcis Homerum & Empedoclem, e latinis Ennium. Lucretii veſtigia non puduit legere Virgilium, neque ſemper eum vicit aut poſt ſe reliquit, ut præ ſe fert Alexander Roſſæus, qui loca Lucretii nonnulla cum Virgilianis contulit libro tertio Virgilii triumphantis capite VI. Non opus eſt monere eruditos, quod commentitia eſt inſcriptio Cæſenas obvia in Aldi Manutii Orthographia pag. 129. & Fulvii Urſini imaginibus, atque apud Gruterum pag. CCCCXXXII. laudataque a Mabillonio itineris Italici pag. 42. *A. Lucretii Hiſtorici ac Poetæ Conditoris veriſſimi, cui ob excellentiam ingenii ſtatua condonata, ac Civitati Cæſenæ Roman. Coloniæ deductæ in hoc ſacro monte dedicata.*

Claudant præſens de Lucretio caput hi verſus Marulliani:

Amor Tibulle, Mars tibi Maro debet,
Terentio ſoccus levis.
Cothurnus olim nemini ſatis multum,
Horatio ſatira & chelys.
Natura magni verſibus Lucretii
Lepore muſeo illitis.
Epigramma cultum, teſte Rhallo, adhuc nulli,
Docto Catullo ſyllabæ.
Hos ſi quis inter cæteros locat vates,
Onerat quam honorat verius.

DE C. VALERIO CATULLO.

Catulli ætas. 1. *Carmina* 2. *reperta a Franciſco quodam Veronenſi.* 3. *Diviſio in libros.* 4. *Editiones una cum Tibullo, & Propertio ſine notis.* 5. *cum notis.* 6. *Editiones Catulli ſeparatim illuſtrati.* 7. *Alia ſcripta Catullo lucem afferentia.* 8. *Male ad Catullum referuntur Ciris & pervigilium Veneris.* 9. *Catulli carmina deperdita.* 10.

I. C. Valerius Catullus (*a*) natus Anno U. C. DCLXVIII. claro genere in peninſula Sirmione lacus Benaci in agro Veronenſi, Poeta lepidus & priſca ſuavitate venuſtus, at ſalibus admiſtis paſſim, quod merito fugias, obſcœnis. Hinc veluti a nequitiis, *docti* nomen tuliſſe Barthio viſus lib. LII. cap. 16. Adverſar. Sapphonis non infelix imitator. Obiit Romæ, cum jam Julii Cæſaris magna eſſet in Rep. auctoritas, (*b*) circa Annum U. C. DCCV. quo bellum civile Pompejo ac Reip. funeſtum cœpit anno ante natum CHRISTUM XLIX. Catullus carmine LIII. meminit Conſulatus Vatinii, quem geſſit ille ſuffectus Anno U. C. 707.

Per Conſulatum pejerat Vatinius,
Quid eſt, Catulle, quod moraris emori?

Itaque ad illud ſaltim tempus Catullus ſupervixit. Jo. Maſſono (*c*) autem non abſurde videtur liber carminum non editus ante Cæſaris mortem, hoc eſt poſt Annum U. C. 710. licet nonnulla ex illis jam quindecim annis ante compoſuit.

Catullus Romam perductus fuit a Manlio, ad quem plura Catulli epigrammata directa exſtant. Gellio *elegantiſſimus Poetarum* VII. 20. ubi verborum

(*a*) *Quintum* pro *Cajo* vocant nonnulli Catulli Codices, & Plinii XXXVII. 6. atque cum his Joſephus Scaliger. Sed *Cajum* cum Apulejo in Apologia & S. Hieronymo in Chron. Iſ. Voſſius. Alius certe *Q. Catullus* fuit, cujus integrum nomen *Q. Lucatius Catullus*, mimographus, de quo videndus Scholiaſtes ad Juvenal. VIII. 185. ad verba: *clamoſum ageres ut phaſma Catulli*, & ad XIII. 109. Q. Catulli Epigramma e Callimachi Epigr. XLIII. ſuaviter expreſſum refert Gellius XIX. 9. quod incipit: *Aufugit mi animus, credo, ut ſolet, ad Theotimum.* Omitto Cinam Catullum Stoicum, quem audivit M. Antoninus Imperator teſte Capitolino in Marci Vita c. 3. Nam & illius verum nomen Catullus erat, ut conſtat ex M. Antonini lib. I. ſect. 13.

(*b*) Quod Catullus Cæſarem quoque ſupervixerit, contendit Joſephus Scaliger ad Euſebii num. MDCCCCLX. aſſentiente Iſ. Caſaubono ad Svetonii Cæſarem cap. 73. Sed vide quæſo, quæ contra illam ſententiam diſputat Iſ. Voſſius ad Catullum p. 35. 72. 81. ſeq. & 317. Petrus item Bælius in Lexico. Quod vero Martialis IV. 14. ſcripſit.

Sic forſan tener auſus eſt Catullus
Magno mittere paſſerem Maroni,

hoc non ita poteſt intelligi, ac ſi revera ad Virgilium carmina ſua vel carmen de paſſere miſerit Catullus, nam alioqui non dixiſſet Martialis, *ſic forſan*: ſed quod Martialis ſua voluerit Epigrammata cum Catullianis, & Silium ad quem ſcribit, comparare cum Marone; licet accurate loquendo non jam ita claruerit Virgilius, cum Catullus ſcriberet, ut ad eum miſiſſe carmina ſua credi poſſit. Sed quantacunque etiam deinde fuit Virgilii fama, non dubitaſſet forte Catullus, ſi tum vixiſſet, paſſerem ſuum illi jocoſque mittere. Ita Martialis quoque Epigrammata ſua ait ſe offerre Silio.

(*c*) T. V. Hiſt. Critic. Reip. litterar. p. 158.

borum collocationem in eo commendat. Laudant & Nepos in vita Attici, Vellejus II. *36.* Martialis X. 78. &c. Appellationem vero *doƈti* unde tulerit ab Ovidio III. amor. elegia *9.* Tibullo III. *6* Martiali I. *62.* VII. *98.* VIII. 73. &c. non debuerat dubitare & ſe neſcire fateri in hypercritico Jul. Cæſar Scaliger, cum doƈti Poetæ proprie a Latinis diƈti ſint, qui non tantum proprio ingenio valebant, & intaƈti carminis auƈtores erant, ſed qui ſe ad imitationem Græcorum componebant. Ita dicitur Ennius doƈtus a Claudiano III. præf. de laude Stiliconis, Lucretius a Statio 2. ſilv. 7. verſ. *76.* Pacuvius ab Horatio lib. 2. Epiſt. 1. 55. Vide & Propertium lib. 2. eleg. 25. verſ. 8*9.* & eleg. 18. Sveton. Caligula pag. 34. & ita uſos Latinos ea voce docet Cicero 1. de Offic. cap. 1. & de claris Oratoribus cap. 45. & 30. de Rutilio. *Hæc erudite vir clariſſimus Petrus Burmannus.*

Lesbiam Catulli ſunt qui putant fuiſſe Clodiam, Metelli Celeris filiam. Paſſerem amicæ tribuit, avem veneream, & ſalacem, qua Venerem veƈtari notavit Sappho: Turneb. XV. 22. Adverſar.

II. Extat ejus *Liber Epigrammatum*, *variorumque Poematum* diverſo carminis genere ſcriptorum, dicatus Cornelio Nepoti. In hoc libro occurrunt etiam num. LXII. LXIII. LXV. Epithalamia quædam perquam amœna & ſæculare carmen, (*d*) atque nonnulla e Sapphone (*e*) verſa ac (*f*) Callimacho. Tum Elegia, qua fratris Troade Bithyniæ deſunƈti mortem (*g*) molliſſimo affeƈtu luget. Denique Galliambi (*h*) in Atyn.

III. Catulli, quæ habemus, in Gallia primum reperta fuiſſe, idque eum ipſum, qui publicavit, Epigrammate ſcripto eſſe teſtatum, notat Joſephus Scaliger. *At enim qui Epigramma conſcripſit, Baptiſta Guarinus Veronenſis eſt, uti patet etiam in editione Catulli quæ apud me eſt, ubi legitur Hexaſtichum Guarini Veronenſis Oratoris clariſſimi in libellum Valerii Catulli ejus Concivis:*

Ad patriam venio longis de finibus exul,
Cauſa mei reditus compatriota fuit.
Scilicet à calamis tribuit cui Francia nomen,
Quique notat turbæ prætereuntis iter,
Quo licet ingenio veſtrum celebrate Catullum,
Quovis ſub modio, clauſa papirus erat.

Neque vero ille verſus: Scilicet à calamis tribuit cui Francia nomen, *aliam interpretationem recipit, quam a Franciſco quodam repertum alicubi, & forte in horreo codicem Catulli.* Hæc Laurentius Pignorius, Epiſt. XVI. Andreas Schottus lib. 2. Obſervationum cap. *16.* pag 53. teſtatur Toleti ſibi ad Antonio Covarruvia JCto egregio utendum datum Codicem Catulli in membranis non contemnendæ vetuſtatis An. 1428. manu Matthæi Palmerii ſcriptum, qui & A. 1425. primum repertum Catullum, peſſimeque acceptum in manus hominum veniſſe annotavit. Hexaſtichon vero quod ſupra exhibui, & Joſephus Scaliger Guarini Veronenſi tribuit, auƈtorem videtur habere Baptiſtam Guarinum filium, non patrem, quem laudatus Burmannus non poteſt ſibi perſuadere tam deteſtabiles verſus feciſſe, idque vel ex ejus diſcipulis T. Strozza & Jano Pannonio liquere ait. Sententiam porro illius Hexaſtichi ita explicant auƈtores Diarii Veneti, Giornale de' letterati d' Italia Tom XII. pag. *363.* ut per *compatriotam* intelligatur Guarinus Veronenſis, ateque adeo Catulli civis & popularis, qui ejus carmina a tenebris & ab oblivione, reperto codice MSto, aſſeruit. *A calamis* autem eſt amanuenſis ſive librarius, qui Codicem deſcripſit, Franciſcus quidam nomine, portæ cuſtos.

Variis Catullis adde illum, de quo Martialis XII. 74.

IV. Catulli Poemata in *libros tres* dividi, lyricorum unum, alterum elegiarum, & tertium epigrammatum ſcribit Petrus Crinitus in Poetæ vita; hæc enim diſtinƈtio apparet in editione Veneta 1487. fol. cum commentariis *Antonii Parthenii Laſicii* Veronenſis. Verum in MSS. antiquis codicibus, quemadmodum in eximio illo membranaceo, quem in Bibl. Gudiana inſpexi, neutiquam reperitur, atque reƈte in reliquis fere omnibus editionibus omiſſa eſt, etiam in Veneta A. 1493. fol. apud Simeonem Bevilaquam Papienſem, in qua Tibullus primo loco cum commentariis Bernardini Cyllænii Veronenſis, Catullus deinde cum Parthenii, & denique Propertius cum Phil. Beroaldi commentario exhibetur. Repetita editio cum commentariis *Palladii Fuſci Patavini*, *A-*

lax.

(*d*) Carmen XXXV. p. 80. edit. Iſ. Voſſii, quanquam ſæculare eſſe carmen negat Jo. Taſhnus libro de ludis ſæcularibus cap. 16.

(*e*) Pag. 112. carmen LII. confer Longinum Jac. Tollii p. 76.

(*f*) Coma Berenices pag. 253. eſt carmen LXVII.

(*g*) Carmine LXIX. ad Manlium pag. 278. edit. Iſ. Voſſii.

(*h*) Carmine LXIV.

lex. Guarini Ferrarienſis, & emendationibus *Hieron. Avantii* in Catullum, Venet. 1500. fol.

V. Præter indicatas editiones Catullus per Stephanum Corallum editus Parmæ 1473. fol. memoratur in V. C. Michaelis Mattaire annalibus typograph. pag. 104.

Catullus Tibullus Propertius Venet. 1475. fol. & per Joannem Renenſem & Dionyſium Bertochum, Vicent. 1482. fol. & eodem anno Regii per Proſperum Odoardum & Albertum Mazali, Regienſes fol.

Catullus cum commentario Antonii Parthenii, Tibullus item & Propertius cum notis, Brixiæ 1486. fol. quæ editio fuit Hafniæ in Bibliotheca Nobiliſſimi Viri Nicolai Benzonis.

In Veneta editione Anni 1500. fol. quam ſervat Bibl. Paulina Lipſienſis, habetur Tibullus cum commentario Cyllænii, Catullus cum notis Parthenii, Palladii (*i*) Fuſci ſive Nigri Patavini, & Hieron. Avantii, nec non ejuſdem Avantii in Priapeia caſtigationibus: & Propertius denique cum commentariis Philippi Beroaldi, Domitii Calderini & Joannis Cottæ, curante Hieron. Avantio.

Sæpius deinde hi amorum triumviri *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius* conjunctim prodierunt, *ſine notis* quidem Venetiis apud Aldum, 1502. 8. & 1515. 8. Catulli editio Aldina collata cum MS. per Nicolaum Heinſium fuit in Bibl. Menarſiana pag. 523.

Pariſ. 1529. 8.

Baſil. 1530. 8. 1569. 8.

Antuerpiæ 1569. 12. e recenſione *G. Canteri* ap. Plantin &c.

Lugd. Bat. 1588. 12.

Lugd. 1559. 8. 1594. 12. & apud Gryph. 1546. 1551. 1573. cum *Galli* fragmentis 12.

Baſil. 1592. 8.

Hanoviæ 1608. cum *Corn. Galli* poematis & indice omnium verborum, quem concinnavit *Horatius Tuſcanella* Florentinus.

Amſterod. 1619. 1630. 1664. 1670. 1686. forma minore.

Pariſiis e typographia Regia, typis majoribus, fol.

Cum variis Lect. Cantabrig. 1702. 4. eximia editio.

VI. *Cum notis M. Antonii Mureti* Lugd. 1559. 8. Venet. 1558. 1562. 8.

(*i*) Hic Palladius circa A. 1470. floruit. Vide Voſſium de Hiſtoricis Latinis p. 601. & Diarium Venetum, Giornale de' letterati d'Italia T. XVII. p. 278. ſeq.

Cum commentario erudito *Joſephi Scaligeri*, Pariſ. 1577. 8. apud Patiſſonium.

Heidelb. ap. Comelin. 1600. 8.

Cum notis Mureti & Scaligeri. Antvv. 1582. 8.

Cum præcidaneis *Jani Douſæ* pro Catullo & conjectaneis *Jani Douſæ filii* in Catull. Tibull. Propert. & *Patris* paralipomenis in Propertium, Lugd. Bat. 1588. & 1592. 12.

Cum notis Variorum, Pariſ. 1604. fol. curante Fed. Morello, qua in editione exſtant notæ integræ ad *Catullum* quidem Antonii Parthenii, Palladii Fuſci, Achillis Statii, Mureti, Douſæ fil. Joſephi Scaligeri, & Theodori Marcilii, Roberti item Titii prælectiones in carmen LXIV. & Franciſci Robortelli ac Conſtantini Landi, Complani Comitis, in Epithalamium Juliæ & Manlii (LXII.) Florentis quoque Chriſtiani Metaphraſis Græca Carminis LXIII. cum notis. Præterea *ad Tibullum* Bernardini Cyllænii Veronenſis, Achillis Statii, Mureti, Scaligeri, & Douſæ fil. Denique *in Propertium* Philippi Beroaldi, Mureti, Douſæ patris, filiique, & Joſephi Scaligeri, tum Jo. Annii in Propert. IV. 2. Subjiciuntur quoque Douſæ præcidanea & ſuccidanea in Catull. Tibull. Propert. & Hieron. Avantii Veronenſis in Catullum emendationes. Roberti Titii prælectiones ad Catulli Galliambos in editione Pariſienſi Anno 1604. minus emendatæ ſunt excuſæ, ut apparet ex his Marci Velſeri pag. 874. *Nell' edizione di Catullo Parigina non è dubbio che ſe le ha fatto notabil torto. Ma queſte ſono ſaccenterie di perſone che preſumono di correggere quello che non intendono.* Conſulenda igitur editio illarum prælectionum Bononienſis, excuſa Anno 1599. 4.

Cum eximio *Jo. Paſſeratii* commentario, Pariſ. 1608. fol.

Cum *Jani Gebhardi*, qui ſubinde Scaligero iniquior eſt, notis Hanov. 1618. 8.

Cum notis Jani Gebhardi & Jo. Livineii Francof. 1621. 8. addito *Jani Meleagri* ſpicilegio & indice Tuſcanellæ.

Cum interpretatione Gallica proſaria *Michaelis de Marolles*. Pariſ. 1653. 8. 3. Vol.

Cum ſelectis *Variorum* commentariis, curante *Simone Abbeſio Gabbema*. Trajecti 1659. 8. ſubjunctis elegiis, quæ Cornelio Gallo tribuuntur.

In uſum Delphini, opera *Philippi Sylvii*, Pariſ. 1685. 4. In qua editione Sylvius exiguum operæ pretium fecit, unde paſſim exagitatur ab acutiſſimo Brœkhuſio ad Propertium. Vide

etiam

etiam ſis illuſtrem Ez. Spanhemium ad Callimachum pag. 424. & Nic. Diſpontini præfationem exquiſitis ad Phædrum collectaneis præmiſſam. In hac editione ut in aliis ad Delphini uſum editis ſcriptoribus omnibus, obſcœna & laſciva ad calcem rejecta ſunt, conſilio non improbando, niſi hac ratione plures etiam ad ea legenda allicerentur, quorum forte oculos eadem Scriptoris corpori ſuo loco inſerta citius latuiſſent. Nam πλεῖϛοι κακοὶ, πλεῖϛοι ἀργοί, pauci ſolidam eruditionem conſectati integros legunt auctores: multi contra qui eos obiter evolvunt miſſis utilibus, inſtar κανθάρων irruunt εἰς τὴν κοπρίαν, cujus guſtu tenentur, quamque gaudent & gratulantur ſibi ab editoribus congeſtam veluti in cumulum. Angli quidem quoties editiones in uſum Delphini curarunt recudi, loca illa ſuis quæque locis reſtituerunt, etſi viciſſim indices omnium vocabulorum minus plenos paſſim ab illis exhiberi dolet Tho. Crenius V. C. part. III. animadverſ. p. 6.

Cum notis integris Scaligeri, Mureti, Achillis Statii, Rob. Titii, Hier. Avantii, Jani Douſæ patris & filii, Theodorique Marcilii & ſelectis *Paſſeratii aliorumque* notis, ex recenſione *Jo. Georgii Grævii*, Trajecti ad Rhen. 1680. 8.

VII. *Catullus ſeorſim editus* cum *A. Mureti* notis apud Aldum Pauli F. 8. 1558. non adeo emendate, ut notavit Tho. Crenius parte X. animadverſ. p. 61. Secuti deinde ſeparatis voluminibus Tibullus & Propertius.

Cum commentario *Achillis Statii* Luſitani Venet. 1566. 8.

Cum eruditiſſimo *Iſ. Voſſii* commentario Lond. 1684. 4. quæ editio reliquis quidem hactenus præſtat. Uſus Voſſius eſt præter alios Codices omnium vetuſſimo Mediolanenſi, quem laudat paſſim, & reliquis uti antiquiorem ita emendatiorem quoque eſſe prædicat p. 215. Utinam vero politiſſimi vir ingenii, cui nuper Propertium debere cœpimus ac mox debebimus Tibullum, ſimiliter etiam Catullum ingenio atque doctrina ſua illuſtrandum ſibi ſumat, ita nihil erit amplius quod ad venuſtiſſimi Poetæ lucem Studioſi poterunt deſiderare. Iſ. Voſſii Catullo per Hadr. Beverlandum curato in quibuſdam exemplaribus præfixus novus titulus Lugd. Bat. 1697. 4. Nitida Catulli Tibulli & Propertii editio ante paucos annos lucem vidit Cantabrigiæ typis Academicis, curante *D. Annesley* 4.

Præclara quoque horum triumvirorum editio Patavina non prætereunda, quæ A. 1710. 4. lucem vidit cum Nobiliſſimi Viri *Jo. Antonii Vulpii* annotationibus & inſigni indice omnium ferme vocum, obſervationibus Grammaticis, Hiſtoricis, Geographicis & Mythologicis illuſtrato.

Catullus, Tibullus, Propertius ex recenſione *Michaelis Mattaire* (*k*) Lond. 1715. 12. Ab eodem Corpus Poetarum poſt Geneveſes & Lugdunenſes editum, in quo Catullus ſimiliter cum Tibullo, & Propertio exſtat. Lond. 1713. fol.

Codex carminum Catulli eleganter ſcriptus in membrana, qui olim fuit V. C. Marquardi Gudii, una cum aliis ejuſdem MSS. optimæ notæ pervenit in Bibliothecam Guelferbytanam Sereniſſimi Ducis Brunſwicenſis. Aldinam editionem Catulli, Tibulli ac Propertii vulgatam Anno 1602. 8. habeo caſtigatam paſſim & emendatam manu viri docti.

Codicem Catulli, Tibulli & Propertii, Sylvarumque Statii ab Antonio Sinibaldo Florentiæ Anno 1484. deſcriptum Neapoli in Bibliotheca Olivetanorum, vidit Bernhardus de Montfaucon, ut refert ipſe in Diario Italico. p. 305.

VIII. *Bernardini Realini* commentarius in nuptias Pelei & Thetidis, cum annotationibus ejus in varia ſcriptorum loca, vidit lucem Bononiæ 1551. 4.

Vir meritiſſimus *Samuel Pitiſcus* in dedicatione præclari Curtii ſui jam An. 1684. ſcripſit ſe *jamdudum prælo commiſſurum fuiſſe Lexicon Catullo Tibullo Propertianum, ad quod concinnandum ultra trecentos, inquit, auctores improbo labore excuſſeram, niſi Johannem Sommeren, Bibliopolam Amſtelodamenſem fatum præcepiſſet.* Simile fatum intercepit etiam conatus Nobiliſſimi Viri *Jani BroeKhuſii*, qui ut Tibullum & Propertium, ita Catullum quoque expolitum & illuſtratum edere inſtituerat. Etiam inter ineditas & affectas lucubrationes *M. Georgii Friderici Thryllitii* Roda Miſnici, video memorari non contemnendum volumen obſervationum in Catullum, Tibullum, & Propertium. Obiit Thryllitius ille in flore ætatis A. 1715. de quo Miſcellanea Lipſienſia Tom. II. pag. 566. & Tom. V. pag. 398. Gelehrte Zeitungen A. 1716. pag. 398. Neue Bücher Saal LVIII pag. 376.

Rob. Titii prælectiones ad Catulli Galliambum ſive Carmen LXIV. Bonon. 1599. 4. cum aliis quibuſdam ejus viri ſcriptis prodierunt, & in Græ-

(*k*) Bibl. ancienne & moderne Tom. V. p. 155.

Grævii editione Catulli leguntur, atque in Pariſina A. 1604. fol p. 216.

Catulli Epithalamium Græca Metaphraſi poetica donatum a *Q. Septimio Florente Chriſtiano*. Pariſ. 1587. 4. apud Morell. & in editione Pariſienſi Catulli, Tibulli, Propertii, A. 1604. fol. 197. ſeq.

Catulli Phaſelus cum annotationibus doctorum virorum per *Sixtum Octavianum*. Eboraci 1579. 8. & Lugd. 1593. 12. Idem Catulli carmen cum *Andreæ Senftlebii* commentario & parodiis amplius quinquaginta, & Græca Joſephi Scaligeri Metaphraſi, e Bibliotheca Nic. Henelii. Lipſ. 1642. 8.

Amores Catulli ex poematis ipſius petito argumento Gallica proſa ingenioſe deſcripſit, conjecturiſque ſuis explicuit *Joannes Capellanus* Pariſ. 1680. & Amſt. 1699. 12. duobus voluminibus, atque inter ejus opera Pariſ. 1700. 12. Gallum ſecutus Germanus eſt in libro cui titulus: *Joachim Meyers* von Perlenberg Durchlauchtigſte Romerin Lesbia &c. Lipſ. 1690. 8.

Catulli caſta carmina, ſelecta a *Raph. Eglino Iconio*, cum ejuſdem vindiciis *Ciris* Catullianæ, adverſus Joſephum Scaligerum. Francof. 1606. 12. additis Scioppii epithetis & ſynonymis poeticis & notis ejuſdem ad Claudii Verdierii cenſionem. Qui ſub *Imperialis* nomine complures fabulas Romanenſes ſermone vernaculo Germanico (ut *Jo. Capellanus* ſive *de la Capelle* Gallico) edidit, teſtatur etiam prælo paratam ſe habere Deliam, Cynthiam & Lycoridem, ſive Catulli Tibulli ac Propertii poemata verſibus Germanicis expreſſa ſic ut fabulæ eroticæ illa intexuerit, & rerum Auguſti Imperio Romæ geſtarum non inamœnam narrationem fuerit perſecutus.

Epithalamium Thetidis & Pelei redditum carmine Italico a *Ludovico Alamanno*, qui primus in Heroicis uſus fuit genere verſuum liberiori quod Italis *verſi ſciolti* appellatur: uti poſt Alamannum deinde fecere Ludovicus Martelli in Metaphraſi libri quarti, & Hippolytus de Medicis in Metaphraſi libri ſecundi Æneidos.

Petrus Taiſſand Quæſtor Burgundiæ A. 1715. ætat. 72. defunctus, inter alia inedita, quæ in ejus vita memorantur, reliquit verſionem Gallicam Officiorum Ciceronis & Metaphraſin Catulli. Vide Journal des Savans 1716. Sept. pag. 300.

IX. Dubitandum vero minime eſt, opus Catulli ad nos lacerum perveniſſe. Longe enim plura ſcripſiſſe teſtes ſunt veteres Grammatici, qui de ejus poematiis ea producunt, quæ hodie non extant. Itaque apud Virgilium lib. V. per mille coloribus arcum, *ibi Servius*: De iride arcum in genere maſculino dixit. Virgilius, Catullus & alii in fœminino, referentes ad originem. *Atqui tale nihil hodie in Catullianis. Præterea ejus opus videtur in genera carminum diſtincta fuiſſe,* Hendecaſyllabos, Heroica, Lyrica, Elegiaca. *Itaque Chariſius citat Catullum* in Hendecaſyllabis, *quod ſane non feciſſet, niſi ita tributum fuiſſet volumen. Rurſus apud Virgilium legimus* -- Et quo te carmine dicam Rætica? -- *Ibi Servius refert, Virgilium quum ſciret Ræticum vinum ſummopere laudari a Catone, contra autem vituperari a Catullo, ne ſe in eam diſſenſionem interponeret, hoc modo locutum; atqui in hodiernis Catullianis nulla nota ejus rei extat. Denique Nonius ex Priapeo Catulli adducit:* de meo ligurire libido eſt. *Quare admodum mutilum opus Catullianum ad nos perveniſſe minime dubium. Quid præterea dicam, quæ citat ex Catullo Maurus Terentianus, quæ nuſquam comparent.* Hæc de carminibus Catulli perditis Joſephus Scaliger.

Carmen Catulli *de incantamentis* citat Plinius XXVIII. 2. *Ithyphallica* memorat Terentianus Maurus.

DE P. VIRGILIO MARONE.

Virgilii ætas. 1. *Bucolica.* 2. *Georgica.* 3. *Æneis.* 4 *Editiones cum commentariis veterum, ubi de Servio, Probo, Tib. Donato, Junio Philargyrio & Fulgentio Planciade.* 5. *Editiones ſine commentariis vel cum notis ac commentariis virorum doctorum recentis ætatis.* 6. *Codices quidam MSti ac perdita veterum ſcripta in Virgilium & de Virgilio nonnulla.* 7. *Virgilii Ciris, Culex.&c.* 8. *Virgilius Græcorum imitator. Virgiliocentones, & Zoili Virgilii. Scripta nonnulla ad Virgilium ſpectantia.* 9. *Sortes Virgilianæ, & alia quædam.* 10. *Virgilii alii.* 11.

I. P. Virgilius Maro, natus in agro Mantuano, (quæ civitas Taſſum quoque poſtea Poetarum Italicorum Principem protulit) Anno U. C. DCLXXXIV. Idibus Octobris: non Euſebii (*a*) tantum, ſed omnium facile judicio ἐξοχώτατος τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ποιητῶν, *princeps Poetarum latinorum*. Auguſto Imp. & Mæcenati chariſſimus obiit Brunduſii

 Anno

(*a*) Cap. 19. Orat. Conſtantini in Sanctor. cœtum.

Anno Urbis DCCXXXV. ante CHRISTUM natum XIX. ætatis LI. (*b*) X. Cal. Octobr. Epitaphium ejus hoc refertur apud Jo. Mabillonium V. C. T. I. Muſei Ital. p. 113. SISTITE. VIATORES. QUÆSO. PAUCA. LEGITE. HIC. MARO. SITUS. EST. Vide etiam, quæ idem vir doctus p. 207. narrat de ſtatua Virgilii a Carolo de Malateſtis Mantuæ everſa. Præter alias virtutes & artificium carminis in Virgilio proprietatem ſermonis latini admiratos etiam veteres accepimus, unde Auſonius Epiſtola XVII. ad Symmachum: *quis ita ad opulentiam Tullianam, aut proprietatem noſtri Maronis accedat? Vergilium* (potius Svidæ Οὐεργίλιον Malalæ Βεργίλλιον quam *Virgilium* ſcribendum eſſe, antiquis quibuſdam monumentis & Codicibus perſuaſi contendunt Politianus lib. V. Epiſt. pag. 165. 171. ſeq. & Miſcellaneorum capite LXXVII. atque Cœlius Rhodiginus lib VII. antiqu. Lect. c. 4. quibus aſſentitur Jo. Faber de Vverde in carmine de litteratura nominis Vergilii, quod Lipſiæ in 4. ſine anni notatione excuſum evolvit vir clariſſ. Chriſtianus Shœtgenius. His a *verendo*, quaſi Partheniæ, vel a *vergiliis* ſtellis nomen Poetæ derivatur. Vide Arnoldum Pontacum ad Euſebii Chron. p. 492. & Joſephi Caſtalionis Varias lect. cap. 50. T. I. miſcellaneor. Gaudentii Roberti. Sed longe plura ſunt & potiora, quæ permoverunt Pierium Valerianum in IV. ult. Georgic. Sebaſtianum Corradum in Virgilii vita, Taubmanni etiam Virgilio præmiſſa, Aldum Manutium in Orthographia pag. 783. ſeq. alioſque, ut *Virgilium*, (Claudiano & Steph. Byz. Βιργίλιον) dicendum eſſe ſicut communis & receptus uſus fert, non dubitarent, ſive nomen illud pluribus etiam ante Poetam commune a *virore*, ſive a *virginitate* (unde idem Parthenias) ſive a *virga laurea* (*c*) denique petitum ponamus ex ſententia Calvi veteris poetæ; *& vates cui denique memorabile nomen laurea*. Nullarum porro frequentior permutatio literarum quam E & I in Latinis monumentis obſervatur: cujus rei exempla complura vide ſi placet apud Gudium ad Phædri lib. I. fab. 26. Sirmondum Tom I. pag. 873. ſeq. 881. 889. & Tom. IV. p. 589. Sponium Miſc. p. 88. 91. Noriſii Cenotaph. Piſan. 475. &c. Virgilius natus eſt Pompejo & Craſſo COSS. ante CHRISTUM LXIX. Andibus prope Mincium in agro Mantuano, unde Mantuanus paſſim & Andinus vates, atque Juvenco in prologo v. 10. Minciades dicitur. Idibus Octobris in lucem editum eſſe innuit Martialis XII. 68. Diem obiit Sentio Saturnino & Lucretio Cinna COSS. ante CHRISTUM XIX. Olaus Wormius in Muſeo Amſt. 1655. fol. p. 162. *In agro Neapolitano mons celebris exſtat Pauſilipus, ad cujus ferme radicem qua urbem ſpectat Neapolitanam, ſacellum viſitur D. Virgini ſacrum, juxta quod, ſepulchrum Virgilii Maronis, Poetæ iſtius incomparabilis, hac inſcriptione* (*d*) *inſigne*.

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope; cecini paſcua, rura, Duces.

Hunc ejus tumulum inumbrat annoſa Laurus, cujus cum tria teneam folia, hic prætereunda minime videntur: ita tamen, ut cum vulgaribus Lauri foliis nihil diſcrepent, de iis uberior non inſtituatur diſcurſus. Nathan vero Chytræus in deliciis itinerum Herbornæ primum A. 1594. editis & 1599. 8. recuſis pag. 70. *Virgilii ſepulchrum ſupra aditum ſive introitum cryptæ Puteolanæ per montem Pauſilypum itineris gratia actæ olim conſpiciebatur: nunc hi verſiculi recens candido marmori inſculpti ibidem leguntur:*

Qui cineres? tumuli hæc veſtigia; conditur olim
Ille hoc, qui cecinit paſcua, rura, duces.

Vitam Virgilii ſcripſit præter *Phocam* Grammaticum in Catalectis Poetarum & *Probum*, *Ti. Claudius Donatus* (*e*) ad filium Ti. Claudium Maximum Donatianum, cui merito plurimum tribuit P. Catrovius S. I. qui eam metaphraſi Gallicæ eclogarum nuper ſubjunxit. E recentioribus non omittendus *Seb. Conradus*. Ruſticus (Epiſcopus Narbonenſis an alius) Epiſtola ad Eucherium Lugdunenſem, quam edidit Sirmondus ad Sidonium T. I. Opp. pag. 900. refert in Bibliotheca quadam inter variorum Oratorum & Poetarum imagines Epigrammatis ornatas, Virgilio *præjudicati eloquii Poetæ* hos verſus ſubjectos:

Virgilium vatem melius ſua carmina laudant,
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Luſtrabunt convexa, polus dum ſidera paſcet,
Semper honos nomenque tuum laudeſque manebunt.

Ennodio lib. I. Epiſt. 18. ad Avienum: *Docto-*

(*b*) Confer præter alios vitæ Virgilii ſcriptores Carolum Rueum in vita Poetæ per Conſules digeſta, quæ exſtat in editione ad uſum Sereniſſ. Delphini, & hinc in illa quam V. C. Chriſtianus Junckerus amicus noſter cum notis ſuis edidit.

(*c*) Laureum ramum enixam ſe ſomniavit Maja mater.

(*d*) Eadem eſt quæ refertur a Probo & Donato in Poetæ vita & ab S. Hieronymo in Chronico.

(*e*) Cum Jo. Frid. Gronovii notis præmittitur Virgilio Clariſſ. Maſvicii.

Doctorum radix Maro, veſtri formator eloquii. Auguſtino X. 1. de Civitate DEI, *Latini eloquii magnus auctor*. Hildeberto Cenomanenſi lib. 1. Epiſt. 12. ad Henricum I. Angliæ Regem, *Poetarum doctiſſimus*. Alexandro Severo Imp. apud Spartian. c. 31. *Plato Poetarum*. Quintiliano denique VIII. 3. *acerrimi judicii*.

II. Exſtant ejus *Bucolica* ſive *Eclogæ X.* ſcriptæ intra an. V. C. 713. ad 716.. de quibus credat qui volet Ti. Donato ita ſcribenti: *Cur non plures quam decem Eclogas conſcripſerit Virgilius, nequaquam mirandum videbitur ei, qui conſideraverit varietatem ſcenarum paſtoralium, quæ ultra hunc numerum proferri non poteſt*. Nomina Eclogarum hæc ſunt: 1. *Tityrus*. 2. *Alexis*, nomen pueri Virgilio a Mæcenate donati. Martial. V. 16. 3. *Palæmon*. 4. *Pollio*, quæ Ecloga ſcripta eſt Anno U. C. 713. cum filius Aſinius Gallus C. Aſinio Pollioni Conſuli jam deſignato natus eſſet. Itaque de Conſulatu tanquam futuro loquitur:

Teque adeo decus hoc ævi, Te Conſule, inibit,
Pollio, & incipient *magni procedere menſes.*
Te duce, ſi qua manent &c.

Aſconius quoque Pedianus apud Servium refert ex ipſo Aſinio Gallo Salonini fratre, filio Pollionis ſe audiiſſe, quod hanc Eclogam in ipſius laudem Poeta ſcripſiſſet. Unde apparet a Virgili ſententia alienam eſſe utcunque doctam atque ingenioſam viri egregii conjecturam, qui in Memoriis litterariis Trivultinis ſive Dombenſibus Anno 1703. menſe Januario p. 8. ſeq. Virgilium exiſtimat hanc Eclogam compoſuiſſe in honorem Druſi Tiberii F. Pollionem Maronis Badius Aſcenſius accepit de Marcello Octavio Auguſti ſororis filio nato Anno U. C. 714. Neque minus a Poetæ ſententia aberrarunt Euſebius lib. 1. præparat. Evangel. & Orat. ad Sanctorum cœtum c. 19. S. Auguſtinus X. 27. de C. D. & in Rom. 1. & Epiſt. 258. S. Proſper 3. de promiſſionibus, & auctor Homiliæ ad Catechumenos contra Judæos Paganos & Arianos aliique hos inſecuti, (*f*) qui de CHRISTI ſalutificatoris noſtri adventu præclara ceciniſſe Poetam, & e Sibyllino carmine hauſiſſe ſibi perſuadent. Græce verſiculos quoſdam ex hac Ecloga Euſebius dicto loco profert p. 993. edit. H. Valeſii. Integram græca metaphraſi donatam edidit Fed. Morellus Pariſ. 1580. 4. Alia Danielis Halſworthi Angli exſtat apud Poſſevinum XVII. 16. Bibl. ſelect. 5. *Daphnis*. 6. *Silenus*, quam perinde ut Pollionem ac Gallum

(*f*) Marſilius Ficinus cap. 24. de veritate religionis Chriſtianæ, Rich. Montacutius p. 130. ſeq. Apparatus ad Origines Eccleſiaſticas, Iſaacus Voſſius de Sibyllinis Oraculis c. 5. Beveregius Codice canonum vindicato p. 145. Dan. Heinſius proleg. ad Ariſtarch. ſacrum pag. 670. edit. in fol. multique alii. Paulus Sherlogus in dioptra antiquitatum Hebraicarum lib. 1. diſſ. 4. p. 175. *Hoc Virgilii metrum cum Marcellianus Orator eloquentiſſimus Secundiano & Veriano interpretatus fuiſſet de Salvatoris ortu ex immaculatæ genitrice, & germanam hanc eſſe conſtructionem probaſſet, a paganiſmo ad fidem converſi cum eodem Marcelliano fortiter pro Chriſto martyrium ſubiere, ut habet Calendarium Romanum nona Auguſti die.* Hæc ille e Vincentii ſpeculo hiſt. XI. 50. cui miror tamquam narrationem ſeriam adjungi a Theodoro Zvvingero T. 1. theatri Vitæ hum. p. 1143. & Balth. Bonifacio XV. 7. hiſt. ludicræ, quod in poemate de purgatorio carm. 21. ſeq. commentus eſt Dantes, Statium poetam ad Chriſti ſacra amplectenda permotum eſſe his Maronis verbis: *Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna*. De Marcelliano Oratore per lectionem Eclogæ hujus Virgilianæ ad Chriſtianam fidem converſo vide Acta Sanctor. Junii Tom. 1. pag. 37. Vide etiam, ſi placet, rhythmos veteres Germanicos, quos refert Jo. Conradus Dietericus in prolegomenis ad Antiquitates Biblicas V. T. pag. 21. & Dietericus von Stade in Specimine Otfridiano p. 34. additis notis. Porro Virgilium in hac Ecloga de CHRISTO non loqui, jam obſervarunt Jo. Henricus Bœclerus in exercitatione de vero ſenſu illius Eclogæ, quæ legitur tom. 2. diſſert. ejus Academ. junctim nuper recuſarum Argentor. p. 387. ſeq. & ampliſſimus Frid. Benedictus Carpzovius, tum admodum adoleſcens, ſingularibus exercitationibus, Auguſtus item Buchnerus in Oratione de hoc argumento, ut alios omittam. Per *Cumæum carmen* Heſiodum potius quam Sibyllina reſpici a Poeta, recte notavit Probus, ut diſputavi lib. 1. Bibl. Græcæ cap. 30. num. 14. Sane qui Virgilium de Salvatore noſtro illa ceciniſſe ſibi perſuaſerit, idem fidem quoque habeat Lucæ Tudenſi qui l. 1. contra Albigenſes (T. 25. Bibl. Patrum edit. Lugd. pag. 210.) miratur in Virgilio etiam legi de precibus & meritis Sanctorum quibus defunctos adjuvant, quoniam nempe Poeta ſcripſerat VI. Æneid. 664. *quique ſui memores alios fecere merendo*. Vel ut recentioris ſcriptoris hariolationes in medium afferam, idem aſſentiatur Abbati Favdito, qui in Obſervationibus in Virgilium & Homerum ac de ſtylo Scripturæ S. Gallice editis pag. 152. ſeq. contendit dogma de SS. Trinitate a Virgilio tradi Ecloga VIII. 73. ſeq.

Terna tibi hæc primum triplici diverſa colore
Licia circumdo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco, numero Deus impare gaudet.

hauſtum ſcilicet e ſcriptis Platonis; & mortem CHRISTI, obſcuratumque illo mortuo Solem

Sol tibi ſigna dabit. Solem qui dicere falſum
Audeat? ille etiam cæcos inſtare tumultus
Sæpe monet, fraudemque & operta tumeſcere bella,
Ille etiam extincto miſeratus Cæſare Romam
Cum caput obſcura nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt ſecula noctem.

deſcribit Georgic. I. 463. ſeq. Vide Rich. Simonis Bibliothecam Criticam Tom. 2. cap. 32. & T. 1. cap. 31. Virgilii Eclogam pro teſtimonio veritatis Chriſtianæ laudavit etiam Henricus Nevvtonus Epiſt. XXXIX. Vide ſis etiam Surium ad IX. Auguſt. pag. 605.

lum bucolicas eclogas proprie eſſe negat Servius. Hanc Eclogam a Cicerone auditam narrat Ti. Donatus, illumque admirabundum exclamaſſe: *Magnæ ſpes altera Romæ*. Sed videtur Cicero jam interfectus eſſe antequam hanc Eclogam ſcriberet Virgilius. Vide, ſi lubet, Vavaſſorem de ludicra dictione, p. 122. ſeq. 7. *Melibœus*. 8. *Pharmaceutria*, ex qua anſam petiere nugivenduli ridicula quædam de Magia Virgilii comminiſcendi. Vide, ſi placet, Naudæum in Apologia pro Magis, Gallice plus ſimplici vice & nuper Germanice vulgata cap. XVII. & Bælii Lexicon in *Virgile*, nota (E.) Bergierium de viis Rom. T. 10. Antiqu. Rom. p. 164. 689. De Theocriti, quam imitatus Virgilius eſt, Pharmaceutria dixi Bibl. Græc. III. 17. p. 431. De Magiæ crimine quod Virgilio ob Pharmaceutriæ luſum nugivenduli quidam impegerunt, vide vitam S. Guilelmi (*g*) in Actis Sanctor. T. V, Jun 25. nec non Naudæana p. 89. ubi mentio montis Pauſilypi, quem Magica arte ſua diviſiſſe medium, Virgilium nugantur. Petrarcham quoque detulere ut Magum aliqui apud Innocentium VI. Papam, (*h*) adjunxeruntque cauſam criminationis, quod Maronis carmina diligenter lectitaret. 9. *Mœris*. 10. *Gallus*, quam Dorico carmine reddiderunt Joſephus Scaliger & Dan. Heinſius. Utraque Metaphraſis occurrit in Theocrito Heinſii. Antibucolica obſcuri cujuſdam Poetæ Virgilio oppoſita, quæ auctor vitæ memorat, interciderunt. Sunt mihi in manibus Bucolica Virgilii Daventriæ excuſa 1488. 4. Ludovici Vivis in Bucolica notæ, quibus allegorias removet & ſenſum poetæ Hiſtoricum rimatur, recuſæ ſunt Tomo I. Operum eruditiſſimi illius Hiſpani pag. 640. ſeq. Lectu etiam dignæ Galli ſcriptoris diſſertationes quatuor non ita pridem editæ hoc titulo: *Diſſertations ſur la Poeſie Paſtorale ou de l' Idylle & de l' Eglogue par Mr. l' Abbé Geneſt*. Pariſ. 1707. 12. Et acutiſſimi Fontenellii *diſſertation ſur l' Eglogue*: ſcriptum plus ſimplici vice cum ejus aliis lucubrationibus excuſum, in quo nonnulla in Theocrito notat & Virgilio. Antibucolica ſcripſerat obſcurus quidam Virgiliomaſtix, hoc eſt duas Eclogas Virgilii inſulſiſſime παρῳδηθεῖσας cujus utriuſque initium Donatus auctor vitæ memorat.

III. *Georgica* C. Cilnio Mæcenati inſcripta *libris IV.* quibus, ut ait Columella, *agricolationem fecit carmine potentem*. Græco carmine Epico donaverat *Arrianus* quidam Poeta, Suida teſte, ſed quod pridem intercidit. Argumentum de hortorum cultura, quod Virgilius prætermiſit (confer, ſi placet, Plinium præfat. libri XIV.) occupavit poſtea *Columella*, de quo infra ſuo loco: & noſtra memoria *Renatus Rapinus* libris IV. hortorum, atque *Jacobus Vanierius* in prædio ruſtico, non ſane infeliciter. Ineditus Antonii Majoragii in Georgica Commentarius fuit in Bibl. Marqu. Gudii. Gniſonis & aliorum veterum commentarii non tulerunt ætatem. Georgicorum ſcriptores veteres deperditos bene multos, qui Græce maxime de re ruſtica ſcripſerunt, referunt Varro, Columella, Plinius, Athenæus, & Geoponicon auctor: plures collegit Fulvius Urſinus in Virgilio cum Græcis ſcriptoribus collato pag. 82. ſeq. e quo illos hoc loco commemorare juvat. Fuerunt itaque *Æſchrion*, *Agathocles* Chius, *Amphilochius* Athenienſis, *Anaxipolis* Thaſius, *Androtion* cujus meminit Theophraſtus lib. περὶ φυτῶν ἱστορίας, & Athenæus lib. 3. *Antigonus* Cymæus ſive Cumanus, *Apollodorus* Lemnius, cujus ſit mentio apud Ariſtotelem in Politicis & Plinium lib. 8. *Apollonius* Pergamenus, *Archytas* Tarentinus Pythagoreus, quamvis alium Archytam Diogenes Laertius refert Georgica ſcripſiſſe, non Tarentinum illum, qui Pythagoram ſecutus eſt: *Ariſtomenes*, *Ariſtophanes* Mallotes, ſive ut eſt apud Plinium, Mileſius: *Ariſtander* Athenienſis, *Ariſtoteles* Peripateticus, *Athenagoras*, *Attalus* Philometor, *Bacchius* Mileſius, *Bion* Soleus, *Chæreas* Athenienſis, *Chæreſteus* Athenienſis vel *Chæriſtus*, ſi Plinium ſequamur, quem tamen *Chreſtum Euphronis* appellare videtur Columella lib. 1. *Crates*, *Democritus* Abderites Phyſicus, quem περὶ γεωργίας librum edidiſſe teſtatur etiam Laertius: *Diodorus* Prienæus, *Dion* Colophonius, *Dionyſius* περὶ φυτῶν, ſive ut Petrus Victorius emendavit *Euphyton*, *Diophanes* Nicæenſis, *Diophanes* Bithynicus, cujus epitomen Georgicorum *Dionyſii* Uticenſis citat etiam Plinius. *Epicharmus* Siculus, *Epigenes* Rhodius, *Evagon* Thaſius, quem Plinius alibi Evagoram nominat: *Eubolus* qui Columellæ & Plinio *Cleobolus*, ego vero *Eubulus* malim; *Euphorion*, *Euphron*, *Euphonius* Athenienſis, *Euphronius* Amphipolites, *Hegeſias* Maronites, mendoſe enim legitur apud Varronem *Ægeſias*; *Hieron* Siculus, *Hoſtilii Saſernæ* pater & filius, *Incertus auctor* περὶ γεωργίας,

(*g*) Mem. de Trevoux 1711. pag. 380.

(*h*) Papyrius Maſſonus in Petrarchæ vita, Tom. 2. elogior. pag. 124.

νίας, *Lyſimachus*, *Mago* Carthaginienſis a *Dionyſio* Uticenſi converſus Græce, *Menander* Prienæus, *Menander* Heracleotes, *Menecrates* Epheſius Poeta, quem de apibus ſcripſiſſe intelligere poſſumus ex Varrone lib. 3. cujus etiam meminit Nicandri interpres; *Meneſtratus*, *Mnaſeas* Mileſius, *Niceſius* Maronites, vel, ut ego puto, *Hiceſius*, cujus ſit mentio apud Athenæum & Plinium lib. XV. *Oades* qui *Dadis* appellatur a Columella, eamque ſcripturam probat Petrus Victorius: *Perſis*, vel ut alii, *Perſeus*, mihi tamen placeret *Perſes*: *Pleutiphanes*, *Pythion* Rhodius, *Xenophon* Socraticus, & (latinus ſcriptor) *Tremellius Scrofa*. Hæc ex M. Varrone, & Columella. *Orpheum* etiam τὰ γεωργικὰ ceciniſſe, eumque libellum ἔργα & ἡμέρας inſcriptum fuiſſe, auctor eſt Iſaacus Zetzes in ſuis in Heſiodum commentariis, qui nonnullos etiam ex eo opere verſus profert. Sed alibi idem eruditus Grammaticus Orphei Georgicorum meminit. Videant autem docti, ſit nec ne opus illud Orpheo tribuendum, cum nullum fuiſſe Orpheum Ariſtoteles & eum ſecutus M. Tullius exiſtimarint. *Nicandrum* quoque Colophonium de rebus ruſticis non ruſtica præclare ſcripſiſſe teſtatur Cicero de Oratore libro I. & Athenæus libro III. qui ejuſdem τὰ μελιττουργικὰ lib. II. adducit, quæ fortaſſe Virgilius expreſſit in IV. Georgicorum. *Phaniam* etiam Ereſium ἐν τῷ περὶ φυτῶν, *Antiphontem*, *Dorionem* & *Æſchylidem* ἐν τοῖς γεωργικοῖς idem Athenæus citat libro III. XII. & XIV. *Neoptolemi* præterea, *Ariſtomachi* & *Philiſti* ἐν τοῖς μελιττουργικοῖς meminit Plinius. *Pythoclis* Samii ἐν τρίτῳ γεωργικῶν Plutarchus; *Chryſippi*, *Pamphili* & *Paxami*, ἐν γεωργικοῖς Laertius & Svidas: & *Oppii* (latini ſcriptoris) *de ſilveſtribus arboribus*, Macrobius. Quem igitur e tot Georgicorum ſcriptoribus ſit potiſſimum imitatus Virgilius, quærendum non eſt, cum ipſe Heſiodum ſe Aſcræum ſecutum eſſe fateatur, cum cecinit:

Aſcræumque cano Romana per oppida carmen.

Quin tamen ex aliis quoque auctoribus, præſertim iis qui deſiderantur, nonnulla ſit mutuatus, nullo modo dubitari poteſt, nam & res ipſa loquitur, & a Plinio, Quintiliano, ac Macrobio traditum eſt. Servius etiam optimus in primis Grammaticus multa Virgilium e Magone Afro, Xenophontis & Ciceronis Oeconomicis (*k*) ſumpſiſſe tradit. *Hactenus Fulvius Urſinus.* Præter Columellæ, Rapini & Vanierii poemata ad rem hortenſem ornandam & ſupplenda Maronis Georgica faciunt *Coſſartii* & *Spinelli* de palma, atque ejuſdem Spinelli de olea & cedro: nec non *Thomæ Ravaſini* Parmenſis carmina de pratis, fico & vite. Libri Georgicorum Virgilii prodierunt ſeparatim Lipſiæ 1494. 4. Troili Sabini prælectiones in Georgica Rom. 1526. 4. Petri Rami Francof. apud Wechel. 1584. 8. Germanica proſa interpretatus eſt Steph. Riccius Lipſ. 1571. 8. Polonico carmine Valerianus Otrinovius A. 1614.

IV. *Æneidos libri XII.* (*l*) Poema illud Heroicum elegantiſſimum atque incomparabile, cui Virgilius duodecim annos (uti Georgicis annos ſeptem, & Bucolicis tres) impendiſſe traditur, tametſi nec ſic auctoris, a quo paulo ante obitum flammis pæne traditum fuiſſet, ultimam manum (*m*) eſt expertum. Imperfectum quoque Poema nonnullis eſt viſum, atque extremum librum deſiderari, unde *decimum tertium librum* conſcripſit haud abſurda vena (*n*) *Mapheus Vegius* Laudenſis, qui in Pulmannianis, & in editionibus Nic. Erythræi, atque aliis quibuſdam legitur, ſed & nuper admodum *C. S. de Novavilla* Ducis Aurelianenſis Archi-tricliniarcha Pariſ. 1698. 8. librum ſupplementi in Æneidem edere auſus eſt cum interpretatione ſua, paraphraſi & notis, nec dubitavit nomen ſuum carmini ipſi intexere verſ. 215.

Villanovas quondam meritum affectabit honorem.

Verſus imperfectos in Æneide additis hemiſtichiis ſupplevit Joannes de Peyrarede, nobilis Aquitanus. Argumenta ſingulorum librorum Georgicorum & Æneidos, verſibus olim ſcripſit *Modeſtinus* JCtus, quæ in pluribus editionibus ante ſingulos libros præmittuntur. De Æneidos parte in Græcum verſa mentio apud Hug. Grotium Epiſt. 576. ad Voiſinium. Commentarii Annæi Cornuti & aliorum veterum in Ænei-

(*k*) Probus etiam e *Varrone*.

(*l*) Servius in VI. Æneid. p. 457. *Qui bene conſiderant, inveniunt omnem Romanam hiſtoriam ab Æneæ adventu uſque ad ſua tempora celebraſſe Virgilium, quod ideo latet, quia confuſus eſt ordo... Unde etiam in antiquis invenimus opus hoc appellatum eſſe non Æneidem, ſed* geſta populi Rom. *quod ideo mutatum eſt, quia nomen non a parte, ſed a toto debet dari.*

(*m*) Abbas Urſpergenſis in Chron. p. 51. *Varius & Tucca Virgilii & Horatii contubernales poetæ habentur illuſtres, qui Æneidum libros poſtea emendandos ſuſceperunt ab Auguſto, ea lege, ut nihil de ſuo adderent.*

(*n*) De hoc Mapheo Vegio conſulendæ Additiones ad Naudæana p. 194. ſeq. Diem obiit ſupremum A. C. 1458.

Æneidem, uti quoque Carbilii Pictoris Æneomaſtix diu eſt, quod perierunt. Verſus quatuor primi Æneidos, qui præcedunt, *Arma virumque cano*, a Vario ſubiati ſunt, teſte Donato in vita Virgilii, & in antiquiſſimo Codice Mediceo deſiderantur, neque videntur lecti olim Ovidio II. Triſt. 543.

Et tamen ille tuæ felix Æneidos auctor
Contulit in Tyrios arma virumque toros.

Uti enim Lucretii opus a primis verbis eidem Naſoni dicitur *Æneadum genetrix*, ita hoc loco per *arma virumque* Æneidem ab initio primi verſiculi denotavit. Plinius VII. 30. Hiſt. *Divus Auguſtus carmina* (Æneidem) *Virgilii cremari contra teſtamenti ejus verecundiam vetuit.* Confer Donatum in Poetæ vita, Macrobium lib. 1. Saturnal. cap. 24. & verſus ſub Auguſti nomine ferri ſolitos, quorum initium:

Ergone ſupremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas --- --- ---

Jo. Henricus Bœclerus in calce notarum ad Æneidem pag. 166. *Et ſic abſolutum eſt opus Virgilianum, cui nihil addi, nec demi poteſt. Unde magnam famæ ſuæ fecit jacturam* Maffeus Vegius *Laudunenſis, qui librum unum adhuc ei adjunxit de ſepultura Turni & nuptiis Æneæ. Decore enim finivit opus ſuum Virgilius cæde Turni, requirente id* πραγματεία *operis Epici, quod ad modum Tragœdiæ debet confici. Alterum autem fœdius crimen commiſit idem Maffeus Italus, quod non veritus eſt comparare verſus ſuos cum Virgilianis.* Utut *enim non ſint aſpernendi, ipſeque diligenter Virgilium imitetur, immo tota hemiſtichia ſublegat, genius tamen contextus eſt humillimi ingenii ſi cum Virgilio conferas* -- -- *Sic etiam ineptus ille, qui Argenidem Barclaji continuare eſt auſus.* Decimus tertius liber Æneidi additus a *Mapheo Vegio*, non modo legitur in variis Virgilii editionibus antiquis, ut Argentoratenſi Anni 1502. fol. ſed etiam, ubi fateor eum neutiquam a me quæſitum, in Tomo XXVI. Bibliothecæ Patrum edit. Lugdunenſis pag. 759. intra alia Maphei opera, quibus vide ſi placet, quæ pag. 632. de auctore ipſo præmittuntur, de quo conſuli etiam poſſunt Pauli Jovii elogia. Inter ſcripta Maphei in primis placuerunt mihi libri VI. proſa ſcripti de educatione liberorum & claris eorum moribus. Vita S. Bernardini Senenſis a Vegio compoſita prodiit in Actis Sanctor. ad diem XX. Maji Tomo V. pag. 287. Joſephi Seizii clavis anterioris Æneidos, itinera Æneæ notis & tabulis referans, lucem vidit Halæ Svevor. 1657. 4. Chriſtophori Landini Allegoriæ in libros Æneidos Baſil. 1577. fol. Virgilius defenſus, ſive apologia Virgiliani certaminis Æneæ cum Turno, Leodii 1685. 8. *Fulgentius*, qui *de continentia* ſeu argumento *Virgiliani poematis* moraliter ſive allegorice expoſiti libellum ſcripſit, Chalcidii æqualis fuit, adeoque ſub initia quarti a CRISTO nato ſæculi vixit, Cordubæ an alibi, Chriſtianus, (ut videtur) an alienus a noſtris ſacris non plane exploratum. Cæterum titulo libelli ſui imitatus eſt L. CALPURNII PISONIS *libros duos de continentia Veterum Poetarum*, nec dum, quod mirum, dolendumque eſt, in lucem editos, ex quibus fragmenta quædam affert Paulus Merula in Commentario ad Ennii fragmenta: de ipſo autem Piſone hæc ſcribit in Ennii vita p. 15. ſeq. quæ hoc loco apponam, ſi forte poſſim aliquem permovere ad Codicem illum MS. perquirendum & in dias luminis auras protrahendum: *L. Calpurnius Piſo V. C. Sic enim exaratum erat ejus nomen in ſcripto exemplari, fuit forte, ſi conjecturæ locus, nepos iſtius Calpurnii L. F. L. N. Piſonis, qui cum Nerone Claudio Cæſare Auguſto ſecundum Conſulatum geſſit Anno ab U. C. DCCCX. Vixit ſub Trajano, coætaneus C. Plinio Cæcilio Secundo, M. Valerio Meſſalæ, Ser. Sulpicio Camerino, C. Bellicio Torquato & Poetis aliis, qui id temporis in* Rep. *Romana clari & magni. Conſul videtur fuiſſe ordinarius cum Vettio Ruſtico Bolano, Anno ab U. C. DCCCLXIII. Hic præter* ἱρωτοπαίγνιον *quod mire extollit Plinius lib.* 1. *Epiſt.* 17. *ſcripſit* Veterum Poetarum continentiam, *quem poſtea imitatus* Fulgentius Planciades *fecit* continentiam Virgilianam. *Hic paulo attentius Virgilium deſcribere conatus eſt quam Calpurnius, cui cum Virgilio plures erant diſcutiendi. Calpurnii certe elegantior & ſuccinctior ſtilus quam Fulgentii, & majus quid ille quam hic dare mihi viſus. Hæc ejus Continentia, vox hæc* συνέχεια *Græcis*: Pariſiis, *ubi eſſe indicarat mihi olim N. V. Wolfgangus Zindelinus, quo Germanorum Principum nomine Venetiis agente familiariter ſum uſus, ſervatur* in Bibliotheca S. Victoris, *utinam religioſius, timeo enim illi a plagio, novi quorundam Criticorum mores. Conjuncta erat cum Lucano MS. cui ſuæ ad marginem adjectæ notæ, rei non magnæ. Ego admittente armariis præfecto, homine perhumano vidi triduum, amplius non poteram propter ſubitum ex Galliis in Angliam, vocante vento,*

diſceſ-

diſceſſum, *ejus lectioni impendi*, *& enotavi quæ in H. Stephani editione deſiderabantur nonnullorum Poetarum fragmenta*, *multa quæ jam edita ſupplens & emendans*. *Inſcriptio erat:* L. Calpurnii L. F. Piſonis V. C. de Continentia Veterum Poetarum ad Trajanum Principem liber I. feliciter incipit, *rei*, *ut mihi viſum*, *quam moliebatur auctor parum conveniens*, *& neſcio an ab ipſo auctore*. *Calpurnius enim ibi erudite notabat quæ in Poetis notanda*, *quæ minus*: *id eſt digito quaſi indicabat*, *præmiſſis*, *quibus univerſim Poetarum commendabat imitationem*, *nominans quoſdam ſui ævi Poetas*, libro primo virtutes, ſecundo vitia. *Ut brevibus dicam*, *& priore & poſteriore libro committebat*, *quaſi is illi fuiſſet ſcopus*, *magno judicio inter ſe modo Poetas veteres*, *modo novos* (Caninium, Octavium, Sulpicium, Secundum, Scantinium, Sextilium, Gallonium, Fabianum) *nunc novos cum veteribus*, *nunc hos cum illis*, *interdum Poetas cum Oratoribus*. *Aliquando his*, *illis nonnunquam*, *ſæpe utriſque prætoriam illam mappam mittens*, *præcipue ut ſubodorabar* ἐν τοῖς χήμασι ϗ λέξεως ϗ διανοίας, *quod cuivis facile eſt videre*, *ſi lucem videre contingat aliquando ſcriptori doctiſſimo & lectionis multæ*. Hæc Merula. Affertur etiam locus ex iſthoc Calpurnii libro MS. in Jani Douſæ notis ad fragmenta Lucilii pag. 106.

Argumenti loco ſingulis *Georgicorum* libris tetraſtichon, ſive quatuor verſus hexametros præmiſit *Modeſtinus JCtus*. Mæcenatis juſſu ſuſcepiſſe ſe hoc opus teſtatur Poeta III. 40.

Interea Dryadum ſilvas ſaltuſque ſequamur
Intactos; tua, *Mæcenas*, *haud mollia juſſa*.

Vita Virgilii, quam *Donato* ſcriptore habemus, videtur præmiſſa ab eo fuiſſe commentariis in Bucolica, qui interciderunt. In Servii commentariis citantur ex Donato, quæ etiamnum in ejus commentariis in Æneidem leguntur, qui ſoli ætatem tulerunt. Ti. Donatus hic ab Ælio Donato S. Hieronymi præceptore diverſus, in præfat. ait Æneidem non a Grammaticis, ſed ab Oratoribus præcipue tradi, & illuſtrari debuiſſe: itaque & in univerſis commentariis ſuis id agit potiſſimum, ut vim dicendi & artificium rhetoricum in ſingulis explanet, & ſimul proprietatem vocum, delectum atque conſilium & motus, affectuſque & pondus & τὸ πρέπον morum, ſive, ut Donatus appellat, moralitatem accurate ſervatam a poeta demonſtret, atque egregiam inventionem a principio per totum opus decurrentem in AEneæ laudibus ad Turni uſque necem perducendis. Scriptores laudat perraro & pauciſſimos. Libri quarti & octavi partes extremæ deſiderantur, & initium libri ſexti in verſus primores centum & duodeſexaginta. Et in libro duodecimo a verſ. 619. ad 664. & a verſ. 689. ad 756. & a verſ. 780. ad 847. Expoſitionem ſuam diviſit in libros duodecim, eiſque tertium decimum voluit ſubjungere, de quo ad lib. VII. 641. Pandite nunc Helicona, Deæ, cantuſque movete; Qui bello exciti Reges &c. *Catalogus iſte huic interpretationum libro non fuerat inſerendus*, *nihil enim habet quod artificioſe* (ῥητορικῶς) *poſſet exponi - - tamen ne quid libro decerpi videatur*, *dicemus aliqua ejus uno libro*, *qui tertius decimus erit*, *cum totius operis complexione dicturi*, *ut hiſtoriæ per duodecim libros ſparſæ*, *& cetera*, *quæ ſupra dicta non ſunt*, *poſſint evidenter apparere*. In Epiſtola vero, quæ libro duodecimo ſubjicitur, teſtatur ſe illum monobiblon necdum ſcripſiſſe, atque incertum vitæ dum ſenex metuit, curſim interim abſolviſſe AEneidos interpretationem. Si ſuppetat longior vita, ſe ex commentariis veterum collecturum deſcriptiones ſingularum perſonarum, locorum, herbarum etiam lignorumque. Hunc ſi in uſum filii ſui deinde elaboravit, liber ille ad nos haud pervenit.

Servius in Virgilius allegatur a Græco ſcriptore Joanne Malala pag: 206. & 229. καθὰ Βεργίλλιος, ὁ σοφὸς Ῥωμαίων ποιητὴς συνεγράψατο. ὁ δὲ σοφώτατος Σέρβιος ὁ Ῥωμαῖος ἐν τοῖς αὐτῦ συγγράμμασιν ἐξέθετο, εἰπὼν ὅτι μετὰ τὸ τελευτῆσαι τὸν Αἰνείαν κ. τ. λ. Commentarios in Virgilium reſpicit etiam Servium laudans Lupus Ferrarienſis Epiſtola XV. Servius *Magiſter Urbis* dicitur ab Acrone ad Horatii lib. I. Sat. IX. 78. Valentiniani Imper. temporibus ſcripſiſſe notat Jo. Andreas Boſius (*a*) de Pontifice maximo Romæ veteris cap. IX. §. 9. atque patet e Macrobio, qui ſub Honorio & Theodoſio Præpoſitus ſacri cubiculi fuit, & Servium in Saturnalibus ſuis inter confabulatores convivaſque Prætextati ætate provectiores inducit, quaſi literatorum omnium longe maximum doctiſſimumque doctorem. Et lib. VI. cap. 6. *quotidie enim Romanæ indoli enarrando eundem vatem* (Virgilium) *neceſſe eſt habeat hujus annotationis ſententiam promtiorem*.

Prima editio Servii eſt Romana apud Udalricum

(*a*) Tomo V. theſauri Antiq. Rom. Græviani.

ricum Gallum in fol. ſine anni nota, (*b*) ſed non multo junior Virgilio, quem Venetiis 1470. fol. excudit Vindelinus Spira, adjunctis hiſce ad calcem verſibus.

Progenitus Spira formis monumenta Maronis
Hæc Vindelinus ſcripſit apud Venetos.
Laudent ergo alii Polycletos, Parrhaſioſve,
Et quoſvis alios id genus artifices.
Ingenuus quiſvis Muſarum diligit artes,
In primis illum laudibus afficiet.
Nec vero tantum quia multa volumina, quantum
Quod perpulchra ſimul optimaque exhibeat.

Mox in eadem Veneta urbe 1471. fol. Servius excuſus per Chriſtophorum Baldarfer Ratiſponenſem, adſcripto hoc octoſticho:

In commune bonum mandaſti plurima formis
Ratiſponenſis gloria, Chriſtophore.
Nunc etiam docti das commentaria Servi,
In quibus exponit carmina Virgilii.
Divulgaſque librum, qui rarior eſſe ſolebat,
Ut parvo pretio quiſque parare queat.
Hunc emite, o juvenes, opera Carbonis *ad unguem*
Correctus veſtris ſerviet ingeniis.

Præter editionem vero Virgilii Venetam cum Servii commentariis excuſam per Jacobum Rubeum Gallicum 1475. fol. prodiit etiam Servius eodem anno Mediolani fol. & Virgilius cum Servio Venet. 1480. fol. arte Petri Pinſii Cremonenſis, Barthol. Blavii Alexandrini & Andreæ Toreſani de Auſula, & 1482. fol. per Reynoldum de Novimagio, & 1486. fol. per Antonium Bartholomei. In Pariſienſi editione Aſcenſiana, quæ primum A. 1505. mox 1512. prodiit, in Lugdunenſi A. 1529. & aliis, nec non in Baſileenſi, quæ poſt Georgii Fabricii recenſionem curante Lud. Lucio 1613. vidit lucem, *Servius Maurus Honoratus* dicitur: in opuſculis ejus a Putſchio editis *Servius Marius Honoratus:* in aliis editionibus ſimpliciter *Marius Servius Grammaticus:* in Roberti Stephani, Pariſ. 1532. & Junctina Venet. 1542. & Petri Danielis Pariſ. 1600. *Maurus Servius Honoratus:* in MS. Cod. Pariſienſi ſimpliciter *Servius Honoratus*. Hinc Clariſſimo Maſvicio placet *Maurus Servius Honoratus*. Servium editis locupletiorem inter MSta Iſaaci Voſſii memorat Colomeſius pag. 139. Opuſc. Sed nec in illo vel integrum vel ſincerum Servium exſtare crediderim. Iſte Codex hodie exſtat in Bibl. publica Leidenſi, dignus qui ab aliquo viro docto accurate cum editis conferatur; quemadmodum & Codex alter inſignis membranaceus Virgilii cum Servii commentariis, quem ex MStis D. Abrahami Hinckelmani ſervat Joachimus Morgenvveg, Paſtor Orphanotrophii Hamburgenſis. Jac. Bongarſius in Epiſtola, quam edidit Clariſſ. Struvius faſciculo ſexto miſcellaneorum p. 10. *Servium poſt* (Petrum) *Danielem emendandum ſuſcepit noſter* (Carolus) *Labbeus: nam alteram editionem morte præventus dare Daniel non potuit, cum in ea, quam habemus, negligentiſſime verſatus eſſet typographus, & correctore uſus eſſet ineptiſſimo, ipſo Daniele negotiis domeſticis & litibus moleſtiſſimis occupato*. Oudinum S. I. Divione præclaro MS. Servii uſum novam ejus editionem meditari didici e memoriis Trevoltinis A. 1714. pag. 2034. Præſtantiſſimæ editiones commenriorum Servii ſunt præter duas, quas jam memoravi, perquam nitidas Pariſienſem 1532. fol. Rob. Stephani, cui additæ etiam Pierii in Virgilium caſtigationes: & Junctinam 1542., nec non quam ex MSto Fuldenſi locupletavit novis acceſſionibus A. 1600. Petrus Daniel, Baſileenſes ex Georgii Fabricii recenſione 1547. 1551. 1561. 1575. 1586. cum Servio in totum Virgilium, Probo (*c*) in Eclogas & Georgica, & Donato (*d*) in AEneidem, atque recentiorum ſcriptorum in Poetam obſervationibus Pomponii, Sabini, Phil. Beroaldi, Joannis Hartungi, Jod. Willichii, G. Fabricii, Bonfinis, Jo. Lud. Vivis, Cœlii Rhodigini, Hadr. Barlandi aliorumque, præcipue quam magno ſtudio expolivit M. Lud. Lucius Baſil. 1613. fol. præfixo indice ſcriptorum a Servio laudatorum. Ne de aliis in præſenti dicam ut Pariſienſi A. 1500. Veneta 1558. fol. & Commeliniana A. 1603. quam expreſſit, qui Virgilium cum Servii & variorum commentariis dedit Lugd. Bat. 1680. 8. tribus voluminibus, Jacobus Emmeneſſius,

(*b*) Maittaire Annal. typograph. p. 72. 92. 115.

(*c*) Apud Macrobium VI. 6. Servius locum Virgilii eclog. VI. 76. *Dulichias vexaſſe rates*, ex *Probi* ſententia interpretatur, ſed in Probi quos habemus commentariis, nihil ſimile legas. Igitur vel alius Probus, quod non crediderim, vel Servius ex Probo coram, non ex ejus commentariis ſcriptis hæc accepit, vel illi minus integri ad nos pervenerunt.

(*d*) Pierius paſſim integriores laudat Donati commentarios, quos miriſicis modis conſpurcatos queritur Barthius ad Statii IV. Thebaid. 445. Suppoſititium Donatum ſine cauſſa ut opinor appellat Merula pag. LVI. ad Ennii fragmenta.

neſſius, & cum hunc in medio opere fatum rapuiſſet, Pancratius Maſvicius. Sed omnium, qui in Servio emendando & expoliendo ſtudium poſuere & operam, longe idem hic, quem dixi, Maſvicius, Gymnaſii Hagenſis Rector celeberrimus vicit ac ſupergreſſus eſt in præclariſſima editione nova Virgilii, quam Leovardiæ excudit Franciſcus Halma 1717. 4. In hac Poeta ipſe typis majoribus & luculentis excuſus eſt, & accurate emendatus ad Codicem optimum Pariſienſem, nec non illos, quos Pierius & quos Nic. Heinſius inſpexerant, Florentinum, Romanum, Longobardicum, & ad codicem membranaceum nobiliſſimi viri Henr. Adriani Marckii. Poetæ verbis per ſingulas paginas ſubjiciuntur commentarii Servii & Jo. Pierii Valerii caſtigationes. In Eclogas & Georgica etiam notæ breves ſed doctæ Philargyrii ſcriptoris veteris a Petro Daniele primum publicati. Servius emendatus & ſuppletus potiſſimum ex Codice Pariſienſi, tum etiam ex Daventrienſi & ex collationibus MSS. variorum doctiſſimorum virorum, & editionibus præſtantioribus, etiam antiquiſſima Uldarici Galli typis excuſa. Additamenta Codicis Fuldenſis ex Petri Danielis editione, uncis ubique incluſit Maſvicius: quoniam licet Servio non indigna, ab ipſo tamen Servio profecta eſſe haud ſibi perſuaſit, ſed ex Græcis Latiniſque ſcholiis a viro quodam docto collecta & addita, atque ita vel per errorem deinde, vel dedita quoque opera Servio adſcripta ſuſpicatur. Plane integrum vel ſincerum ſe nobis dare Servium vel ita affirmare doctiſſimus Maſvicius non audet, meliorem tamen, quam in aliis quæ exſtant editionibus quibuſcumque, ſine dubio dedit, locupletiſſimiſque indicibus inſtruxit. Indicem etiam Erythræi in Virgilium addidit, ſed in numeris libri primi Aeneidos propter neglectos ab auctore indicis quatuor primores verſiculos ſemper quaternarius eſt addendus, niſi in inveniendo fruſtra eſſe velis. Editum paſſim Servium multi viri docti jam notarunt farraginem eſſe non modo ex antiquioribus commentariis Alexandro, Aſpro, Capro, Carminio, Celſo, Hygino aliiſque, ſed etiam ex Cornuto, Donato & Probo, qui nomine tenus in illis allegantur. Quandoque etiam Commentarii citantur, nullo addito nomine auctoris, ut in 1. Georg. 147. *ſuperfluam enim quæſtionem movent quidam commentarii*. Etiam Servius ipſe allegatur ad Eclog. IX. 1. *& hæc ecloga continuum ut ait Servius non habet carmen, ſed de diverſis locis Theocriti aliqua ad eam contulit*. Sic enim legas in editione Petri Danielis. Sed in illa Rob. Stephani & aliis ſincerioribus, quas Maſvvicius (*e*) ſecutus eſt, Servii nomen eſt omiſſum.

V. Editiones Virgilii jam referre animus eſt non ſane omnes, ſed potiores, atque initio eas, quæ commentaria veterum adjuncta habent. Princeps editio cum *Mauri Servii Honorati* (*f*) Grammatici commentariis prodiit Venetiis 1475. fol. memorata Labbeo Bibl. nov. MSS. pag. 340. qui pag. 342. etiam veterem Servii editionem ſine contextu Virgilii commemorat, eam credo innuens, quæ vulgata Ratisbonæ eſt A. 1471. fol. Hinc Virgilius una cum Servio excuſus Venet. 1482. fol. Venetiis 1492. in ſecundam, ut habet titulus, Donati editionem, & 1497. fol. Norimb. 1492. fol. Argentorat. 1507. & 1515. fol. apud Badium Aſcenſium & Lugd. 1517. fol. Venet. 1507. 1520. 4. additis Tib. Donati, Chriſtoph. Landini & Domitii Calderini notis, itemque Mancinelli, Auguſtini Dathi, &c. Cum Servii commentariis antiquorum exemplarium ope integritati ſuæ reſtitutis, Pariſ. apud Rob. Stephanum 1532. fol. perquam nitida editio, caſtigationes & notas Jo. Pierii Valeriani eruditiſſimas in Virgilium habens adjunctas, quæ ſeparatim prodierunt Rom. 1521. & apud Rob. Steph. 1529. fol. Ex recenſione Jo. Baptiſtæ Egnatii Veneti, Virgilius Servii commentariis illuſtratus,

(*e*) Per lapſum typographi *Vvaſevvickius* appellatur in Actis Erud. 1714. p. 47. Rectius A. 1717. pag. 390.

(*f*) Inter editiones Servii dici non poteſt quanta ſit varietas: cæteris vero facile præſtant duæ Pariſienſes, una Rob. Stephani, atque altera Petri Danielis. Quamquam neque in his ut ut minus contaminatis, neque in Franciſci Modii, neque in alio, qui hodie exſtant, quocumque, vel integrum vel ſincerum ſe Servium legere perſuaſi ſunt viri docti, ſed jam truncatos ejus commentarios, jam recentiorum Grammaticorum obſervationibus interpolatos. Vide Tan. Fabri lib. 1. Epiſt. 62. Illuſtriſs. Gisb. Cuperi Obſervationes p. 202. Jo. Clerici V. C. artem Criticam T. 1. p. 37. Barthii ad Statium T. 1. p. 1386. Hic porro eſt Servius, qui in Macrobii Saturnalibus colloquens inducitur, & de cujus aliis quibuſdam ſcriptis dixi alio loco inter Grammaticos. Lapſus quoſdam Servii annotarunt Philippus Beroaldus juſto ferme opuſculo (dum pæne adhuc puer eſſet, ut notat Hieron. Magius lib. 1. Miſc. cap. 2.) & Bochartus parte 2. Geographiæ ſacræ lib. 2. c. 10. ubi Punica Servii ad examen revocat. Nonnulla ejus loca emendavit ac reſtituit laudatus Cuperus libro ſecundo Obſervationum & Tho. Munkerus ad Mythographos latinos.

apud Jo. Walderum, Baſil. 1534. 4. qui vetuſto præterea exemplari uſum ſe eſſe ſignificat. Cum Probo & Servio, Venet. 1534. 8. apud Alex. Vellutellum. Editio Pariſienſis 1541. 4. cum Servii commentar. Cum Servii & *Tiberii Claudii Donati* (*g*) commentariis, ex recenſione Georgii Fabricii, additis J. Hartungi in Æneidem annotationibus, Baſil. 1551. fol. Idem Fabricius Indicem ſcriptorum a Servio allegatorum præfixit. Editio Veneta A. 1562. fol. 1574. fol. cum notis Servii & varior. Cum Commentariis Servii & Donati ex editione G. Fabricii, *Probi* (*h*) præterea Grammatici antiqui in Bucolica & Georgica, notis item recentiorum Pomponii Sabini, Phil. Beroaldi, Jo. Hartungi, Jodoci Willichii, G. Fabricii, Bonfinis, Jo. Lud. Vivis, Cœlii Rhodigini, Adriani Barlandi, Scoppæ, Conſtantii, Campani, Crucii & aliorum Baſil. 1561. 1575. 1586. fol. & curante Ludovico Lucio, ibid. 1613. fol. Virgilius & in ea Servii Commentarii ex antiquiſſimis exemplaribus longe meliores & auctiores e Bibliotheca *Petri Danielis*: acceſſit *Fabii Planciadis Fulgentii* libri de continentia (*i*) Virgiliana, Chalcidio Grammatico dicatus, auctior e MSS. Codd., item *Junii Philargyrii* (*k*) commentariolus in Bucolica & Georgica Virgilii ad Valentinianum. Pariſ. 1600. fol. Præter vitam Virgilii brevem proſa ſcriptam a Servio, & alteram prolixiorem auctore, ut creditur, *Donato*, præmittitur & tertia a *Foca* (*l*) Grammatico urbis Romæ ſcripta verſibus Hexametris, ſed mutila. Subjiciuntur denique loca multa Servii in 1. & 2. Æneidos reſtituta & locupletata ex inſigni MS. Codice Fuldenſi. Repetita hæc editio Genevæ 1610. 1620. & 1636. 4. Cum commentariis Servii (ex Salmaſii & Nic. Heinſii Codd. caſtigati, ſed haud ſane integri) & variorum, curante Cornelio Schrevelio, Amſt. 1646. 4. Cum notis integris Servii, Philargyrii, nec non Pierii variis lectionibus, & ſelectis annotationibus Donati, Probi, Nannii, Sabini, Germani, Cerdæ, Taubmanni aliorumque, quibus accedunt Obſervationes Jacobi Emmeneſſii, & index luculentus Valerii Erythræi per Anton. Mariam Baſſum Cremonenſem libris & verſibus accomodatus, inſertis quas Baſſus omiſerat Erythræi notis, Lugd. Bat. & Amſt. 1680. tribus vol. contextu Virgilii ex edit. Nic. Heinſii caſtigato.

VI. Editiones præcipuæ ſine commentariis veterum, per recentis ætatis viros doctos recenſitæ atque illuſtratæ hæ fere ſunt: Venetæ 1470., & 1472. fol. cui catalecta primum acceſſere, repetita etiam in Virgilio exeuſo Venetiis 1475. fol. & 1473. fol. *in alma urbe Roma - - - - non atramento, plumali calamo neque ſtylo æreo, ſed artificioſa quadam adinventione imprimendi ſeu characterizandi opus ſic effigiatum eſt ad Dei laudem, induſtrieque eſt conſummatum per Udalricum Gallum & Simonem de Luca, M. CCCC. LXXIII. die IIII. Novemb. Sixti quarti tertio.* Tum Mediolanenſis 1474. fol. per Philippum de Lavagna. Hujus & Venetæ A. 1472. (quæ ambæ aſſervantur in Bibl. Illuſtriſſimi Comitis Sunderlandiæ) Varias lectiones nuper V. C. Mich. Maittaire,

(*g*) Hic Donatus (Aelio Donato junior) commentarios iſtos ſcripſit ſenex in uſum filii ſui Tiberii Claudii Maximi Donatiani. Idem auctor eſt vitæ Virgilii, qui, ut Voſſio VI. 2. Inſt. Or. videtur, vix Lucilianum illud meritus eſt elogium: *Sarcinatorem eſſe ſummum, ſuere centonem optime.*

(*h*) Non videntur ſcholia hæc eſſe M. Valerii Probi qui ſub Nerone vixit, licet neutiquam ſint pro illa brevitate contemnenda; ſed vel Probi illius, quem laudat Lupus Ferrarienſis Epiſt. 20. & 34. vel ex M. Val. Probo aliiſque excerpta. Confer quæ de Commentariis in alios Poetas Probo tributis Barthius p. 514. ſeq. Adverſar.

(*i*) *Continentia Virgiliana* hoc loco notat περιοχὴν ſive argumentum Virgiliani poematis, ſi moraliter vel allegorice exponas. In Vaticano Codice viri docti teſtantur hanc ſe reperiſſe inſcriptionem: *Fabius Placius de Fulgentio moralis expoſitio Virgilianæ continentiæ.* Prima editio hujus libelli eſt, quam A. 1589. Hieron. Commelinus dedit ex officina Sant. Andreana in 8. ſubjecto *Junii Philargyrii* veteris Grammatici in Bucolica & Georgica Virgilii commentariolo, *Fulvii Urſini* caſtigationibus in *Servium* ad Virgil. Velio Longo de Orthographia & Caſſiodori de Orthographia libro, cum caſtigationibus Commelini, qui in Longo emendando fatetur ſe adjutum opera Franciſci Junii. Fulgentii libellum eodem anno cum Hygino aliiſque Fulgentii ſcriptis & Albrico iterum edidit Commelinus in 8. Denique Tho. Munckerus V. C. notis ſuis illuſtratum recudi fecit inter Mythographos latinos Amſtelodami 1681. 8.

(*k*) Barthius XIX. 2. Adverſar. verum hujus nomen fuiſſe contendit *Pilarguruni*, occurrens inter ſervilia in teſſeris vulgatis ab Aldo & illuſtratis a Pignorio lib. de ſervis & Thomaſino de teſſeris hoſpitalitatis. Mentio tamen etiam Perſannii Philargyrii apud Iſidorum Hiſpal. lib. 1. Orig. cap. 21. Itaque nolo nomen auctoris ſollicitare, cujus brevia & erudita ſcholia neminem legiſſe pœnitebit. At in Jo. Halfervordi Bibliotheca curioſa p. 224. ubi Junii Philargyrii notæ ad Catonem Varronem & Columellam de re ruſtica memorantur excuſæ Rom. 1587. 8. pro Junio Philargyrio Fulvii Urſini nomen reponendum.

(*l*) Hujus Focæ ſive Phocæ artem inter Grammaticos edidit Putſchius p. 1683.

re, ſubjunxit Virgilio, quem Londini 1715. 12. a ſe recenſitum edidit. Exſtat quoque editio Veneta 1474. fol. per Nicolaum Jenſon, Gallicum. Virgilii Maronis Partheniæ opera omnia diligenter emendata & accurate impreſſa ab Antonio Zaroto Parmenſi Mediolan. 1476. fol. fuere cum notis MSS. *Jani Parrhaſii*, Neapoli in Bibl. Joſephi Valettæ. Pariſiis 1478. fol. per Udalricum Gering. & Parmæ 1479. fol. impenſa & opera Andreæ Portiliæ. Editio Aldina 1501. 8. primus liber eorum quos typis ut vocant Italicis currentibus Aldus impreſſit. Vide Novellas Reip. litterariæ præſtantiſſimi viri Jacobi Bernhardi, A. 1704. menſe Majo p. 521. Literas ſculpſit Franciſcus Bononienſis. Virgilius cum argumentis *Philippi Beroaldi*, Lipſ. 1503. fol. *Georgii Merulæ* in Virgilium opuſculum lectitatum a ſe laudat Franciſcus Philelphus lib. XIX. Epiſt. pag. 128. De ineditis *Petrarchæ* in Poetam notis vide Diarium Venetum, Giornale de' letterati d'Italia Tom. IX. 143. Codex Maronis, reſperſus annotatis manus Petrarchæ, ſervatur in Bibl. Ambroſiana Mediolani, teſte celeberr. Montfaucono p. 20. Diarii Italici. Virgilii Æneis excuſa Lipſiæ A. 1505. apud Jacobum Thanner ſive Abiegnum Herbipolenſem, commendatur hoc tetraſticho Gregorii Laticephali de Konitz:

Hoc opus Abiegnus vir doctus in arte Jacobus
Abſolvit nitidum, Lips ubi pulcra nitet.
Lips urbes vincit ſtudiis doctiſſima cunctas,
Hic totas ſedes diva Minerva tenet.

Editiones Aldinæ A. 1505. 1514. 1527. 8. Hæ Catalecta etiam habent adjuncta, ut monuit me V. C. Chriſtianus Schœtgenius. Georgica excuſa Daventriæ 1514. 4. cum commentario Hermanni Torrentini. Virgilius Venetiis apud Bernhardum Stagnium, 1531. 12. editio Pariſina 1539. 4. Rob. Stephani 1540. 8. & 1549. forma minore. Ex caſtigatione Antonii Goveani, Lugd. 1542. 8. apud Seb. Gryphium. Cum notis Melanchthonis & Chriſtoph. Hegendorphini Mogunt. 1554. 8. Virgilius innumeris locis ad veterum P. Bembi & A. Naugerii exemplarium fidem caſtigatus, Venet. 1552. fol. Editio Paulli Manutii, 1558. 8. Cum Scholiis Melanchthonis, & Culice ex P. Bembi recognitione, Lugd. 1537. 8. Jul. Pomponii Sabini commentar. in Virgilium, Baſil. 1544. 8. Lamberti Hortenſii Montfortii, Baſil. 1559. 1577. 1796. fol. cum Naſcimbæno Naſcimbænio in ſex libros Æneidos priores. Cum notis Melanchthonis, & aliorum, Tiguri, 1564. 1570. 8. *Nic. Friſchlini* Commentarius in Virgilium *Ioanniſque Pricæi* notæ, quas prælo paratas habuit, & *Petri Petiti* in Georgica non viderunt lucem. *Joachimi Camerarii* prælectiones MSS. in Virgilium latent Norimbergæ apud V. C. Godfridum Thomaſium. *Achillis Statii* notas in Virgilium, ſed itidem ineditas adhuc, memorat Andreas Schottus in Bibil. Hiſpaniæ pag. 484. P. Gabiæ variæ lectiones, Brixiæ 1565. 8. Sebaſt. Corradus in lib. 1. Æneidos, Florent. 1555. 8. Bonon. 1563. 8. Franciſcus Robortellus J. Baptiſta Busdrago, Lugd. 1543. 8. Florent. 1548. 8. In librum tertium Hadr. Junius; in librum IV. Petrus Nannius Lovanii 1544. 4. *Franciſci Robortelli* in librum I. Æneidos, *Hadr. Juvii* in tertium, *Petri Nannii* in quartum, *Hadr. Barlandi* in alios laudantur in Hadr. Junii Epiſtolis p. 7. Petrus Nannius in Bucolica, Baſil. 1559. 8. Mich. Barthius, id. 1570. 8. Lud. Vives, 1509. 8. Rich. Gorræus, Lugd. 1554. 8. L. Kulmannus & Eobanus Heſſus, Colon. 8. Joach. Camerarius, Argent. 1555. 8. Melanchthon & Steph. Riccius, 1568. 8. Jod. Willichius, Baſil. 1539. 7. Jo. Stigelius, Mulhuſ. 1574. 8. Herm. Torrentinus Antvverp. 1548. 8. & Seb. Macer, Leſnæ 1642. 8. Petrus Ramus in Bucolica & Georgica, Pariſ. 1572. 8. Francof. 1578. 8. Eobanus Heſſus, Hagenoæ 1529. 8. In Georgica Herm. Torrentinus, Colon. 1500. Benedictus Cerutus, Veron. 1598. 8.

Virgilius e *Theodori Pulmanni* emendatione Antvverp. 1561. 8. & 1564. 12. addito *Maphæi Vegii* Laudenſis libro, quem veluti *decimum tertium* Æneidi ſubjunxit, & appendice variorum Poematum & carminum veterum Virgilio a nonnullis tributorum. *Chriſtophori Landini* commentarius ſive allegoriæ in Virgilium exſtant in editionibus Baſil. fol. Virgilius *Germani Valentis Guellii*, Antvv. 1575. fol. una cum commentario & appendice Virgiliana Joſ. Scaligeri notis illuſtrata. *Germani Valentis Guellii*, Præſulis Pimpontini notas ad Virgilium paſſim laudat Cerda, & ſummi judicii Virum vocat ad Eclog. VIII. 85. laudat etiam Jo. Robertus in animadverſionibus juris civilis lib. 2. c. 1. pag. 138. Cum ſcholiis *Joannis a Meyen*, Bergizomii Belgæ ad Vinc. Gonzagam Principem Mantuanum, Venet. 1580. 8. apud Aldum Paulli F. & Francof. 1629. 1664. 8. Cum notis Georgii Berſmanni, Lipſ. 1581. Serveltæ 1586. Lipſ. 1596. 1616. 8. Ex caſtigatione G. Fabricii, Lipſ. 1591. 8. Vir

8. Virgilius a Pulmanno correctus, una cum Paulli Manutii notis ad Homeri loca, quæ Virgilius imitatus eſt, & G. Fabricii obſervationibus, Antvv. 1566. 1580. apud Plantin. & Lugdun. Bat. 1596. ap. Rapheleng. 8. Cum *H. Stephani* ſcholiis 8. atque iterum 1583. & 1599. 8. tertia editio apud Paullum Stephanum, addita H Stephani diatriba de delectu in diverſis apud Virgilium lectionibus adhibendo. Vide etiam ejuſdem H. Stephani diſſ. de Criticis, Pariſ. 1587. 4. Virgilius e MS. Carpenſi recenſitus cum notis Paulli Manutii, Venet. 1583. 8. Steph. Riccii in libros AEneidos, Witteb. 1588. 1593. 8. in Bucolica, Germanica interpretatio, 1589. 8. Nic. Friſchlini paraphraſis Bucolicorum, Georg. & AEneidos Virgilii, Francof. 1602. 8. Editio Virgilii Commeliniana, A. 1603. 8. ex antiquiſſimo *MS. Palatino*, ſed haud optima fide vulgata, ut notat Allatius p. 58. ad antiquitates Hetruſcas. Eam tamen correctiſſimo indice ornatam laudat Barthius ad Statium T. 1. p. 258. Alberici Gentilis lectiones Virgilianæ in Bucolica, Hanov. 1603. 8. Tarquinii Gallutii Virgilianæ vindicationes, Romæ 1621. 4. Virgilius cum argumentis, paraphraſi ſive explicatione & commentario luculento *Jo. Ludovici de la Cerda* e Soc. Jeſu, fol. tribus vol. Lugd. 1619. atque iterum Coloniæ 1628. & 1647. Bucolica & Georgica cum *Cerdæ* commentario lucem primum viderunt Madrit. 1608. fol. & in ſex priores AEneidos libros 1612. & in ſex poſteriores 1617. fol. Cum commentario eximio *Jac. Pontani*, ex eadem Soc. Aug. Vindel. 1599. fol. & Lugd. 1604. fol. qui in calce voluminis adjunxit paraphraſin librorum trium primorum & trium poſtremorum AEneidos. Cum *Nic. Erythræi* Veneti ſcholiis, & indice præſtantiſſimo omnium verborum rerumque & diatriba de licentia ac diligentia carminis Virgiliani, Francof. 1583. 8. 1613. 8. editio a plurimis nævis per Jo. Obſopœum, & Frid. Sylburgium perpurgata. Sed ante prodierat Venet. 1555. 8. deinde Hanov. 1608. 8. Index ille ad paginas editionis accommodatus eſt in Erythræi editionibus. Sed ad numeros librorum verſuumque, adeoque ad quamcumque editionem aptatum ſeparatim edidit *Antonius Mariæ Baſſa* (non Baſſus, ut excuſum eſt in Ephemeridibus literariis Germanicis editis Lipſiæ A. 1710. p. 886.) Cremonenſis Venet. 1586. 8. & apud Commelin. 1601. 8. atque ad calcem Virgilii cum notis Servii, Farnabii & Variorum Lugd. Bat. 1680. 3. Vol. 8. & ad calcem editionis in uſum Delphini. Sed obſervationes ab Erythræo paſſim indici inſertas Baſſa malo conſilio omiſit; ſunt enim lectu dignæ & eruditiſſimæ, ut adeo Octavius Ferrarius vir & ipſe eruditiſſimus in Epiſtolis p. 132. vere ſcripſerit, Indicem illum Virgilianum plus doctrinæ in receſſu habere, quam in fronte pollicetur. Integer itaque index ille iterum exhibetur in præclara editione Virgilii Maſviciana. Cum commentario inſigni *Frider. Taubmanni* Francof. 1618. 4. in qua editione Culicem etiam & Cirin doctis annotationibus illuſtratos habes, quæ duo poemata a pleriſque aliis omittuntur.

Pauli Benii Eugubini in Virgilii AEneidem commentarius, Venet. 1623. fol. *Nic. Abrami* e Soc. Jeſu commentarius in AEneidem, Muſſiponti 1632. 8. Toloſæ 1633. Rothomagi 1637. Toloſæ 1644. Rothomagi 1648. 8. *Jo. Weitzii*, Francof. 1647. 8. *Barthol. Moraviæ* Luculliana quæſtiones. Baſil. 1659. Joſephi Seitzii clavis AEneidos, itinera AEneæ tabulis referans, Halæ Svevor. 1657. 4. Jod. Willichii Chronologia in AEneidem, Francof. 1551. 8. Melch. Laubani Analyſis AEneidos laudata M. Frid. Wendelino in inſtitutionibus Logicis. Vide Tho. Crenii partem IV. animadverſ. p. 10. Seb. de Matienzo commentationes ſelectæ in AEneidem Lugd. 1662. 4. Virgilius ex *Dan. Heinſii* recenſione perquam nitide apud Elzevir. Lugd. Bat. 1636. Amſt. 1652. & *Nic. Heinſii* 1664. 1671. 12. Et majoribus typis Pariſ. 1641. fol. e typographia Regia. Nicolaus Heinſius *elegantiſſimus Muſarum amaſius in ſua Virgilii editione* (Anni 1676. Amſt. recuſa 1688. 12.) *Medicei Codicis orthographiam in accuſativis tertiæ declinationis modo per IS, modo per ES locupletiſſime expreſſit* (nam per EIS (*m*) non videtur Auguſteæ ætatis) *quamvis, ut verum fatear, frequenter eoſdem accuſativos ſecus ac in laudato MS. leguntur extulerit, quod tamen amanuenſis incuriæ deputandum cenſeo.* Hæc Illuſtriſſimus Noriſius Cenotaph. Piſan. diſſ. IV. §. 2. pag. 459. Similiter in Horatio circa eandem orthographiam, licet plerumque diligentius obſervatam, etiam peccatum aliquando ab eruditiſſimo Bentleio notavit Clariſſimus Burmannus præfat. ad Horatium A. 1713. minori

(*m*) Idem Noriſius pag. 460 463.

noti forma editum. Hoc laudato Burmanno curante Nic. Heinſii Virgilius prælo iterum ſubjectus eſt A. 1704. 12. Commentarios vero, quos in Maronem parabat idem Heinſius Poetarum Latinorum, ut Bentleio (*n*) audit, ſoſpitator unicus, non vidiſſe lucem, dolebunt mecum omnes harum litterarum ſtudioſi. Cum notis poſthumis *Jo. Henrici Bœcleri*, qui Virgilium e *Codice Argentoratenſi* recenſuit, Ulm. 1698. 8. Cum notis eruditis *Tan. Fabri*, Salmur. 1675. 12. Cum ſcholiis brevibus ſed perquam utilibus *Tho. Farnabii*, Lond. 1634. 8. Amſt. 1642. 12. Lipſ. 1702. 12. &c. Cum ſcholiis *Jo. Minellii* Roterd. 1674. 697. 12. Hafn. 1698. 8. Herborn. 1700. 8. Et *Chriſtiani Junckeri* V. C. Lipſ. 1703. 8. Præmiſit vitam Virgilii a Donato ſcriptam, cum caſtigationibus J. Fr. Gronovii, & alteram *Poetæ vitam deſcriptam per Conſules* a Carolo Rueo. Cum notis integris Farnabii & variorum, opera & ſtudio Cornelii Schrevelii, Lugd. Bat. 1652. 1666. 8. In uſum *Delphini* curante *Carolo Rueo S. J.* Pariſ. 1675. 4. Lond. 1686. 8. Amſtel. 1690. 4. & ſecundis curis A. 1692. 4. textu etiam e Nic. Heinſii caſtigatione emendato. Hæc ſecunda editio recuſa eſt Lond. 1695. 1707. 8. & Venetiis (*o*) 1713. 4. & cum indice emendatiore Pariſ. 1714. 4. & quatuor tomis in 12. Rueus, perinde ut in aliis Poetis ac ſcriptoribus Galli fecerunt, præter notas & indicem omnium verborum, utiliſſimo inſtituto *interpretationem paraphraſticam* adjecit, qualem expoſitionem in omnia Virgilii pridem confecit Nicod. Friſchlinus, & in tres primos totidemque ultimos AEneidos libros Jac. Pontanus e Soc. Jeſu.

Denique e Codd. MSS. pæne triginta iiſque antiquiſſimis Virgilium de integro recenſuit *Nic. Heinſius*, Amſt. 1676. 12. quæ caſtigatiſſima eſt editio viri de Poetis latinis eorumque principe præclariſſime promeriti. Dicata eſt Reginæ Svecorum Chriſtinæ. Sed exemplo, quod Regi Chriſtianiſſimo editor obtulit, hoc præfixit tetraſtichon:

Grandiloquum tueare precor Rex Maxime Vatem,
Cui nihil æquandum Roma canore tulit.
Tangere ſi dias fas eſt mortalia laudes
Carmina, debuerant his tua bella cani.

Editio Virgilii luculenta Cantabrigienſis ad optimor. exemplarium fidem A. 1701. 4. cum diſſertatione Critica debetur *Henrico Laugthono*, Bibl. publicæ Cantabrigienſis præfecto. Pariſiis A. 1707. minore forma apud Muſierium Virgilius ſingulari ſtudio emendatus. Rothomagi A. 1711. apud Lallemantium (*p*) cum notis ſelectis Abrami, Farnabii, Juvencii, & aliorum, omniumque verborum indice. Ex *Michaelis Maittaire* recenſione (*q*) Lond. 1715. 12. *Guil. Binaldi* editio cum vocum differentiis ad faciliorem intelligentiam (*r*) per accentus notatis, Dublini & Amſt. 1716. 12. *Benedicti Averanii* diſſertationes XLV. in varia Virgilii loca, (*ſ*) Tomo ſecundo Operum Averanii junctim excuſorum Florentiæ 1716. fol.

Gallicis verſibus Virgilium pridem, atque Crucimanio pag. 296. Bibl. Gall. judice non infeliciter (*t*) reddidit *Ludovicus Maſurius* Nervius, quæ ejus Metaphraſis excuſa Pariſiis, & Lugduni 4. &c. *Octavianus* item *de Sancto Gelaſio* Pariſ. id. 364. Gallica verſio *Roberti* & *Antonii Cevalieriorum* (*u*) fratrum lucem vidit Pariſ. 1582. 4. Liber IV. & VI. AEneidos ex metaphraſi *Joachimi de Bellay* Pariſ. 1561. 4. cum Didonis querela ad AEneam ex Ovidio, & morte Palinuri ex V. AEneidos, & vale Muſis dicto ex Buchanano. *Michaelis Marolleſii* Virgilius gallica proſa primum prodiit ibid. 1649. fol. cum commentariis, indice Geographico & compendio Originum & Hiſtoriæ Romanæ a regno Jani uſque ad Auguſti tempora, libris tribus. Deinde Pariſiis 1662. 8. tribus vol. *Æneis* Gallicis donata verſibus & obſervationibus illuſtrata a Perrino. Pariſ. 1658. 4. & 1634. 8. 1. vol. *Jo. Renaldi Segræſii* poetica Metaphraſis AEneidos, quæ inſignem præfationem præmiſſam habet, ac edita eſt Pariſ. 1668. 4. Amſterod. 1700. 2. vol. omnibus aliis præfertur ab Evremonio Tom. 3. Operum Miſc. edit. Amſtelod. pag. 191. Ex ejuſdem Segræſii tum adhuc inedita Metaphraſi

(*n*) Pag. 52. ad Horatium.

(*o*) Giornale de' letterati d' Italia T. XV. p. 471.

(*p*) Mem. de Trevoux 1711. pag. 1678. & 1707. pag. 1488.

(*q*) Bibl. ancienne & moderne de Mr. le Clerc. Tom. IX. pag. 108.

(*r*) Id T. V. pag. 159. & Nouvell. de la Rep. des lettres A. 1716. pag. 458.

(*ſ*) Giornale de' letterati d' Italia T. XXIV. pag. 433. Bibl. ancienne & moderne T. XII. pag. 181.

(*t*) Forte heureuſement.

(*u*) Robert & Antoine Chevaliers, Sieurs d' Aigneaux *traduiſirent en François avec aſſez d' elegance pour leurs temps les oeuvres d' Horace & de Virgile.* Melanges Hiſtoriques Amſt. 1718. 12. p. 74.

phraſi Georgicorum, quam vivus in lucem edere auſus non fuit, (*x*) ſpecimen productum eſt in Memoriis literariis Trevoltinis A. 1708. pag. 1776. laus vitæ ruſticæ, in extremo libri 2. Deinde tota illa metaphraſis poſtuma vidit lucem A. 1711. de qua in iiſdem memoriis A. 1711. pag. 1474. Librum IV AEneidos Gallica proſa vertit *Tertræus*, in quam hoc exſtat tetraſtichon Nic. Borbonii pag. 116. poematum:

Ridebam quæ ſunt de me mentita Maronis
Carmina, carminibus jure neganda fides.
En alius noſtrum renovat ſermone pedeſtri
Dedecus, & Gallis ſomnia blanda refert.
Heu vereor graviora meo ne damna pudori
Hiſtoriæ ſimilis jam ferat ille labor.

Georgica Gallico carmine pereleganti tranſtulit poſt Segræſium & *P. de la Rue*, Voiturii propinquus *Martinius*, quæ poſt auctoris fata vidit lucem Pariſ. 1708. 8. Eodem anno Eclogas Virgilii proſa Gallica eleganti cum notis Criticis & Hiſtoricis, ingenioſis certe, ſi non uſquequaque ſcopum ferientibus, emiſit in lucem *P. F. Catrou* S. J. Pariſ. 1708. 12. ſubjecta vita Poetæ ſcripta latine a Ti. Claudio Donato ad filium Tiberium Claudium Maximum Donatianum, cui merito plurimum tribuit. Idem Catrovius deinde eundem in modum metaphraſi Gallica proſaria notiſque ac diſſertationibus illuſtravit Pariſ. 1716. 12. ſex voluminibus. *Hiſtoire Critique de la Rep. des lettres Tom. X. pag.* 383. *Journal des Savans* 1708. *Avril. pag.* 92. *& A.* 1716. *Aout pag.* 196. *& Sept. pag.* 261. *Memoires de Trevoux A.* 1708. *pag.* 841. & A. 1716. *pag.* 1297. *&* 1428. Eclogæ verſibus Gallicis *Richerio* auctore prodierunt Rothomagi A. 1717. *Mem. de Trevoux* 1717. *pag.* 814 *Europe ſavante A.* 1718. *Martio* pag. 70. Scarronii *Virgile traveſti* ſive AEneidos libri VII. verſibus Gallicis ludicris expoſiti Pariſ. 1655. 1667. Amſt. 1668. 12. Poſtremos quinque libros ſimili genere carminis nuper ſupplevit Jacobus Morellus Braſeus (Meſſire Jaques Moreau Chevalier Seigneur de Braſey Capitaine de Cavallerie dans le Regiment de Cuiraſſiers Eſpagnols du Comte de Louvigni) Amſterd. 1706. 12. Hoc inſtitutum indigne ferunt Menagius in Originibus Gallicis p. 141. & Franciſcus Vavaſſor libro elegantiſſimo de ludicra dictione p. 180. &c. Prætereo verſiones Malingrei, Martigniaci &c. Andreæ vero Dacerii interpretis feliciſſimi translatio nondum credo ad umbilicum perducta eſt. Voiturii Metaphraſin Georgicorum ineditam, verſibus compoſitam Gallicis memorat Vignolius Marvillius perſonatus ſcriptor parte 1. Miſcell. Hiſtorico litterar. p. 44.

Italice, variis auctoribus, Hippoliti Medicei, Piccolominei, Jo. Pollionis Polaſtrini &c. Venet. 1568. 8. & cum commentariis B. Danielis, Venet. 1549. 4. Bucolica verſibus *Italicis* reddidit *Evangeliſta* Foſſa Cremonenſis: AEneidos librum primum *Andreas d' Anguillara*, a quo optes cæteros libros ſimiliter expreſſos videre: librum ſecundum *Hippolytus Medices* Cardinalis, quartum *Lud. Martellus* & *Sertorius Quatromanus* Neapoli 1624. & cum aliis ejus ſcriptis 1714. 8. Octavum *Joannes Juſtinianus* Cretenſis, de quo Diarium Venetum Tom. XI. pag. 278. Metaphraſis Æneidos *Hercule Udino* interprete edita eſt Venet. 1600. 12. Alia variis auctoribus, cum commentariis haud contemnendis *Jo. Fabrini*, (*y*) *Caroli Malateſtæ* & *Philippi Venuti*. Venet. 1623. fol. Præclara *Annibalis Cari* interpretatio verſibus ſolutis (*z*) ſive ab homœoteleutorum obſervatione liberis lucem vidit etiam Romæ 1608. 8. Patavii 1609. 1631. 12. *Theodori Angelucii*, (*a*) Neapoli 1649. 12. Barthol. Beverini, in Lucca 1680. 12. Omitto antiquam translationem Thomæ Cambiatoris Regienſis, quem Hetruſcarum interpretationum primum auctorem celebrat Jo. Maria Creſcimbenus in hiſtoria poeſeos Hetruſcæ patrio idiomate edita Rom. 1668. 4. p. 528. Æneis octoſtichis Italicis donata ab *Alexandro Marchetti* viro præſtantiſſimo, adhuc MSta deliteſcit, cujus ſpecimen exſtat in Diario Veneto T. XXI. p. 248. Verſibus Italicis ludicra & maccaronica dictione AEneidem prodidit *Jo. Baptiſta Lallus*, Rom. 1634. Venet. 1635. 1651. 12. unde Paulus Scarronius anſam ſumſit Gallicis verſibus maccaronicis idem tentandi, & meliori etiam, ut urbanis & doctis videtur, cum ſucceſſu. Vide Menagiana Tom. 3. pag. 145. & Naudæi dialogum Maſcurati & S. Angeli &c. Hiſpanice quoque Toleti 1648. 4. prodiit *Virgilio deguiſato, o l' Eneido burleſco en langue Guaſconne del Sr. de Valles de Mountech*. Et carmine

Belgico

(*x*) Mem. de Trev. 1708. pag. 1771.

(*y*) Laudat Rich. Simon T. 1. Bibl. ſelectæ p. 345.

(*z*) Verſi ſciolti.

(*a*) Giornale de' letterati d' Italia T. XII. p. 281. T. XXII. p. 311. T. XXIV. p. 442.

Belgico ludicro per W. V. Fockenbrog. Hujuſmodi dictione ludicra ſive maccaronica, ut obiter id attingam, primus apud Italos uſus eſt Theophilus Folengus ſub Merlini Coccaji nomine: nam perinde ut Fidentianus phraſin latinam voceſque per jocum immiſcuit idiomati Italico, ſic ille verba Italica & phraſes Hetruſcas latinæ inſeruit compoſitioni, quod deinde Galli, Belgæ, & aliæ nationes ſunt imitatæ. Illud ſcribendi genus aſpernatur Boilæus in Arte Poetica carmine 1. & multis reprehendit Franciſcus Vavaſſor in libro politiſſimo ac pereruditio de ludicra dictione. Verum ſi otioſis hominibus placet ridere, ita etiam moveri riſum quid vetat?

Polonico carmine Nicolaus Cochanovius.

Hiſpanice Las obras de Virgilio traducidas en proſa Caſtellana por Didaco Lopez de Alcantara, Pinciæ 1601. 4. Madriti 1614. 4. & cum notis Ulyſſipone 1627. 1650. 4. Valentiæ 1698. 4. Æneis a Gregorio Ferdinando de Velaſco, Toleti 1574. 4. & Compluti 1585. 8. A Chriſtoph. de Meſa, Madrit. 1615. 8. Eclogæ & Georgica eodem auctore, ib. 1618. 8. Eclogæ a Jo. Ferdinando Idiaqueſio, proſa Caſtellana, Barcinone 1574. 8. Georgica a Joanne de Guzmann, Salmanticæ 1586. 12.

Anglice. Carmine per J. Ogilby Equitem, cum notis, Lond. 1649. 8. & 1654. 1668. 1673. fol. * Æneis ex metaphraſi egregia Joannis Drydenii Lond. 1709. 8. Nec hos tamen, nec ullos ut videtur alios ſatis dignos Virgilii interpretes habere nos judicat Guilelmus Nicols, quotquot vernaculis linguis feruntur, ita enim ille in poemate de literis inventis lib. V. pag. 324.

Dii prohibete boni, ut tanta inſcitia linguæ
Græcæ & Romanæ regnet in orbe diu,
Quanta per hos annos centum regnavit in illis &c.
Qui pro vatibus ipſis Virgilium Drydeni,
Mæonidemve legunt, peſſime Ogylbe, tuum.
Quorum ſcripta legens quoties puer ipſe viderem,
Quam male ab his vates eſſet uterque habitus,
Sæpe, Maro, dixi, quantum mutatus ab illo es,
Romani quondam quî ſtupor orbis eras.
Si te ſic tantum voluiſſet vivere Cæſar,
Quam ſatius flammis te periiſſe foret.
Tu quoque, Mæonides, cujus dedit inclyta Muſa
Antiquis ducibus, non potuiſſe mori,
Si ſic ſcripſiſſes, potuiſſes forte videri
Non tam luminibus quam ratione carens.
Te nec Alexander tanto cumulaſſet honore,
Sed te juſſiſſet rex bonus ire foras.

Idem libro V. p. 220. faſtidium ſuum nimis delicatum fortaſſe & αρχαιοφιλον his etiam verbis teſtatur:

Carmina quæ veteres Græci aut ſcripſere Latini
Barbaricis rhythmis reddita nulla probo.

Georgica a Tho. Majo, Lond. 1628. 8. Scaronides, ſive libri duo primores Æneidos, carmine Anglico ludicro, Lond. 1664. 8. neſcio quo auctore. *Scotica* interpretatio, facta circa A. C. 1512. ab Gavino Duglas, Epiſcopo Dunkeldenſi, vetuſtiori illius regni dialecto cum gloſſario ſcholiiſque verba ab uſu præſenti remotiora explanantibus, (*a*) prælo iterum ſubjecta eſt Edimburgi A. 1710.

Germanice præter Henricum von Veldeck Virgilius D. Murnero interprete, Argentorat. 1515. fol. Æneis ex illa veteri verſione, ſed paſſim interpolata, Jen. 1606. 9. Ex proſaria Bernhardi Melethræi Conrectoris Hamburgenſis verſione, Hamb. 1644. 8. Ex interpretatione Jo. Valentini, Francof. 1660. 1697. 8. Georgica interpretatus proſa Germanica eſt Steph Riccius, Lipſ. 1571. 8. Carmine, Jo. Sprengerus, Auguſtæ Vindel. 1610. Francof. 1630. 4. Bucolica Fr. Calemus, Hall. 1648. 8.

Belgice, ut veterem Æneidos verſionem Antverp. 1589. 8. vulgatam prætereeam, Virgilius ex Jo. Vondelli Metaphraſi, Amſt. 1646. 4. & editio quarta A. 1659. 12. Bucolica a Jo. Vondello & W. van Foquenbrocht., Amſt. 1679. 8. & carmine ludicro W. U. FocKenbrog. Bucolica & Georgica *Danico* reddidit carmine A. 1680. 8. Petrus Barous Ripenſis.

VII. Tempore Gellii adhuc Idiographum Virgilii oſtentabatur, ad quod provocat IX. 14. Ad Autographum Virgilii provocat Valerius Probus apud Gellium XIII. 19. *Nam in primo Georgicon, quem ego librum manu ipſius Virgilii correctum legi*: Supereſt & hodie præclarus Virgilii Codex MS. in Bibliotheca magni Hetruriæ Ducis, correctus manu Turcii Rufi Aſterii Aproniani, qui Conſul fuit A. C. 494. Confer H. Noris ad Cenotaph. Piſan. diſſ. IV. cap. 2. & Jo. Mabillonium de re diplomatica p. 354. ubi ſpecimen ejuſdem & inſcriptionem integram exhibet. De Aſterio

g Apro-

[*a*] Journal literaire T. I. p. 470.

Aproniano, qui Codicem Virgilii Mediceum emendaſſe dicitur, vide Tillemontium in Hiſtoria Imperatorum, in vita Juliani cap. 18. Tom. IV. p. 981. Cum Codice illo præſtantiſſimo Virgilii Mediceo, litteris ſcripto uncialibus ſive majoribus Romanis forma quadrata minori, ante mille ac trecentos amplius annos in membrana, Marquardus Gudius V. C. A. 1662. contulit Bucolica (incipit ab Eclog. VI. 49.) Georgica & partem Æneidos. Ex Codice Gudiano lectiones diligenter annotatas habeo, & hoc Achillis Statii Luſitani Epigramma ad Rudolphum Cardinalem Carpenſem, cujus ille Codex fuit, antequam in Bibliothecam Mediceam ad templum D. Laurentii inferretur.

Purpureos ſparge in frontem atque in cornua flores,
Albaque ter plenis lilia da manibus.
Namque vides ſæcli monumentum inſigne prioris,
Quo neque nobilius, nec prius exſtat opus.
Felix ſorte ſua & vita Maro dignior, unum
Hoc ſupereſt de tot millibus archetypum.
Mecenas ne tu cum re ſimul ipſe perires,
Arma feri juſſit militis eſſe procul.
Et tua, Rudolphi, quæ non oblitterat ætas
Ulla, piæ ſervant hæc monumenta manus.

Aliud MStum Virgilii volumen, quod mille annorum eſſe creditur, exſtat in Bibl. Vaticana, licet illius characteres ad Gothicos ductus accedentes juniorem ætatem prodere videntur Maximiliano Miſſono in itinere Italico p. 463. editionis Lipſienſis. Alius Codex Virgilii, minus antiquus quidem, ſed tamen & ipſe eximiæ vetuſtatis, atque iconibus amœnis ornatus exſtat in Bibl. Vaticana, quas diligenter delineatas æri incidi edique curare voluit humaniſſimus & doctiſſimus Vir Jo. Carolus Schottus (*b*) Sereniſſimi Regis Pruſſiæ ab Antiquitatibus & Bibliotheca, a quo Virgilium nummis & veteribus monumentis illuſtratum, ſed eheu incaſſum (*c*) exſpectavimus.

Ex antiquis Grammaticis Virgilium illuſtraverat Alexander quidam artigraphus, Aruſianus Meſſus, Æmilius Aſper, L. Annæus Cornutus, Carminius, Aruntius Celſus, Flavius Caper, Grillius, Julius Hyginus, Martius Salutaris, Octavius Avitus, Q. Aſconius Pedianus, Pius, M. Valerius Probus, Rufus Aproniarius, Scaurus & Velius Longus. In Georgica ſcripſerat etiam M. Antonius Gnipho. Sed horum omnium lucubrationes perierunt, perinde ut Calvi & Julii Titiani Rhetorum, qui controverſiarum materias e Virgilio petierant, vel Avieni, qui Virgilium verſibus Jambicis latinis reddidit. Vide Catalogum Scriptorum, quem Servio ſuo Georgius Fabricius præmiſit, & Barthium LXVII. 14. Adverſar.

Perierunt etiam Virgilii ipſius nonnulla, ſed his non accenſendum *Scylla* poema, quod laudat Seneca Epiſt. XCII. Illud ipſum enim eſt quod Ciris inſcribitur. Servius in Eclog. III. 20. rem nuſquam lectam incerta fide a quibusdam tradi narrat, quod Varus [Donato in vita Virgilii *Varius*] tragœdiarum ſcriptor tragœdiam [*Thyeſten* idem Donatus appellat] pro ſua recitaverit, quam uxor, quam habebat Varius literatiſſimam, marito tanquam a ſe ſcriptam dedit ſcilicet, ſed a Virgilio illa acceperat.

VIII. Refertur præterea ad Virgilium veluti auctorem *Culex*, dicatus Octavio Auguſto Imp. Poema Heroicum venuſtum & jucundum, quod ſenem Virgilium luſiſſe putabat Joſephus Scaliger, etſi Papinius in Epiſtola ad Stellam adoleſcentis potius proludium fuiſſe innuit, cui ſententiæ favet etiam Martialis VIII. 56. Emendavit Culicem Virgilii P. Bembus laudatus P. Victorio XXV. 5. var. Lect. Poſt Bembum P. Pithœus in Poematum veterum editione. Notis illuſtrarunt Joſ. Scaliger & Frid. Lindebrogius in appendice Virgilii, & in Virgilio ſuo Frid. Taubmannus. *Culex* Virgilio tribuitur a Martiali XIV. 185.

Accipe facundi Culicem, ſtudioſe, Maronis,
Ne nugis poſitis arma virumque canas.

Statius Genethliaco Lucani verſ. 74. lib. 2. Silv. 7. a juvene ſcriptum innuit:

Hæc primo juvenis canes ſub ævo
Ante annos Culicis Maroniani.

Confer Barthii notas Tom. I. p. 259. Culex, quod poema admodum inquinatum & vitioſum ad nos perveniſſe notant viri docti, cum Petri Bembi caſtigationibus prodiit Lugd. 1537. Veterem editionem Lipſienſem in 4. ſine anni nota evolvit clariſſimus Schœtgenius.

Ci-

(*b*) Journal des Savans 1708. Octobr. pag. 117.
(*c*) Obiit vir clariſſimus Berolini 12. Dec. 1717.

Ciris quoque Val. Meſſalæ inſcriptus, ſive ut a Seneca Epiſt. XCII. vocatur, *Scylla*, continet enim fabulam de Scylla Niſi F. in Egrettam mutata, videtur recte ad Maronem referri, quamquam Giſanius & III. 21. Adverſar. Barthius, Cornelio Gallo, Raphael Eglinus in vindiciis Ciris Catullianæ adverſus Scaligerum Francof. 1606. 12. & alii Catullo maluerunt tribuere. Virgilio aſſerere non dubitaverat etiam Barthius, cum hoc poema ſeparatim cum commentario ſuo ederet natus annos duodeviginti, Ambergæ 1608. Cirin quoque inter Poemata antiqua P. Pithœus recenſuit: Joſ. Scaliger, Frid. Lindebrogius in appendice Virgilii, & Taubmannus in Virgilio ſuo notis illuſtrarunt. *Cirin* Virgilii eſſe negat elegantiſſimus Broukuſius ad Propertium pag. 90. & Raphaelis Eglini vindicias, quibus poema iſtud contendit tribuendum eſſe Catullo, (qui vix nato Meſſala diem obiit ſupremum) Philippus Sylvius in ſua Catulli editione ad uſum Delphini illuſtrata pag. 191. recudi curavit. Virgilio adſcribit Barthius ad Claudian. 1. in Rufin. v. 253. & commentario in hoc poema: licet Cornelio Gallo malit tribuere ad Statii lib. 1. Thebaid. 335. 617. & lib. 6. 693. Cirin aliquot locis illuſtrat Reineſius lib. V. c. 7. Var. lect. ad calcem epiſtolarum ad Boſium p. 332. fol.

Ad Virgilium quoque pertinere creduntur, quæ leguntur in *Virgilii Catalectis* Ven. 1472. 1484. fol. Pariſ. 1500. fol. apud Jo. Parrum & Jo. de Confluentia, & apud Aldum A. 1517. 8. atque ad calcem editionum Virgilii Antvverp. 1561. & 1575. fol. & Lugd. 1555. 1581. 12. & ſub titulo appendicis Virgilii cum notis Joſ. Scaligeri, & Frid. Lindenbrogii prodierunt Lugd. Bat. 1595. & 1617. 8. & cum prædictorum notis leguntur etiam in luculenta edit. Virgilii Maſviciana Leovard. 1717. 4. licet pauca genuina Virgilii poemata continent, & pleraque ex iis fere conſtat non eſſe tanti auctoris.

Aſſiduus Græcorum imitator Virgilius fuit, Theocriti præſertim in Eclogis, in Georgicis Heſiodi, & in Æneide (*d*) Homeri. Vide Gellium, Macrobium, & e recentioribus H. Stephanum, [*e*] Julium Cæſarem Scaligerum (*f*) & ſingularem librum Fulvii Urſini, quo Virgilium collatione Græcorum Scriptorum illuſtravit, Antvverp. 1568. 8. Exſtat & præclara diſſertatio Renati Rapini, qua Virgilium confert cum Homero, quæ Gallice primum tum latine reddita [V. C. Jano Broukhuſio, ni fallor, interprete] lucem adſpexit ſub titulo: Obſervationes in Poemata Homeri & Virgilii, Traject. ad Rhen. 1684. 12. Præterea, quæ ex Rapino & aliis diſſerit Bailletus parte 2. judiciorum de poetis. Quam longe reliquis latinis poetis Maro præferendus ſit, oſtendit Alexander Roſſæus in Virgilio triumphante, Roterdam. 1661. 12. Virgilii verſus in Jure civili laudatos illuſtrat Scipio Gentilis lib. 2. parergon. cap. 16. 17. 18. De imitatione Virgilii Homerica præter alios legendus Vincentius Gravina vir acutiſſimus ſcripto de ratione poetica, quod Italice ante paucos annos edidit lib. 1. pag. 96 ſeq. Cl. Franc. Fragvierii diſſertationem inſertam Tomo tertio memoriarum Academiæ Gallicæ elegantiorum litterarum p. 184. ſeq. *ſur la maniere dont Virgile a imitè Homere*. Non ab re *græciſſimus* dictus Pontico Virunio in declarationibus ad Guarini erotemata Græcæ linguæ, ſic ut eruditorum judicio Maro ſit.

Aſcræo major, Siculo (*g*) *minor, æquet Homerum.*

Homero etiam præfert Andreas Baccius lib. IV. de vinis antiquorum c. ult. & Claudius Peraultus in comparatione veterum ingeniorum cum recentibus, Gallice edita, atque ante utroſque Angelus Politianus in Nutricia:

Proximus huic [Homero] *autem, vel ni veneranda vetuſtas*
Obſtiterit, fortaſſe prior, canit arma virumque
Virgilius, cui rure ſuo, cui gramine ſacro
Aſcræus, Siculuſque ſimul ceſſere volentes.

Neque Zoilos ſuos Virgilio defuiſſe conſtat, de

(*d*) Quod Homeri Virgilius nuſquam meminerit, *ingratiſſimus erga eum cui nihil non debebat* vocatur ab Iſ. Caſaubono ad XIV. Strabonis p. 236. Virgilium ab hoc crimine excuſat, quod non impoſuit Poemati ſuo ultimam manum.

(*e*) H. Stephani obſervationes in Virgilianas & Naſonianas ſ. Ovidianas imitationes Theocriti exſtant ad calcem Theocriti ab eodem Stephano vulgati A. 1579. 12.

(*f*) Jo. Dunæi carmen Scazonticum, quo vindiciæ Virgilianæ pro Jul. Cæſare Scaligero Virgilium Homero præferente adverſum Juſtum Lipſium continentur, exhibet Georgius Hackvvill Anglus in Apologia pro providentia DEI p. 288. ſeq.

[*g*] Theocrito Confer Menagiana tom. IV. p. 166

de quibus, ne recentioribus exemplis inſiſtam, conſulenda Virgilii vita lectu inprimis digna, quæ Tiberio Donato tribuitur. In ea memoratur etiam Aſconii Pediani liber adverſus Virgilii obtrectatores ſcriptus, quorum unus Carbilius Pictor ſcripto ſuo titulum præfixerat, *Æneidomaſtix*. De Zoliis Virgilii Servius ad Eclogam VII. *Multi volunt in hac Ecloga eſſe allegoriam, ut Daphnis ſit Cæſar, Corydon Virgilius, Thyrſis qui vincitur, Virgilii obtrectator ſcilicet, aut* Bavius, *aut* Anſer, *aut* Mævius, *peſſimi Poetæ*. Item in Georgic. I. *Sane reprehenſus Virgilius dicitur a Bavio & Mævio hoc verſu: Hordea qui dixit ſupereſt ut critica* [lege *crithina*] *dicat*. In vita Virgilii a Ti. Donato ſcripta inter ejus obtrectatores etiam refertur *Cornificius*, qui ut Zoilus Homeri in proverbium abiiſſe videtur. Petrus Bleſenſis Epiſt. 92. *Scio*, inquit, *unde ſpiritum elationis conceperit, & quare veſter Cornificius intumeſcat*. In Clariſſ. Heſſelii Epiſtola de celebrando Natali Maronis, male audit *C. de Malateſtis*, quod ſtatuam Poetæ Mantuani deturbandam Mantuæ curare non dubitaverit.

Alii viciſſim Virgilium coluere ad ſuperſtitionem uſque, uti rarus ſolet eſſe in plerifque mortalibus vel amoris & admirationis vel viciſſim odii modus. Quis vero non miretur ex ejus poematis velut ex oraculis ſortes lectas in rebus maximi momenti, cujus rei plura exempla collegit Antonius Vandale libro erudito de Oraculis p. 301. ſeq. edit. ſecundæ.

E recentioribus Virgilium adverſus inſectatores defenſitavit Jovianus Pontanus. Penitus edidiciſſe ejus poema Adamus Sasbouthus traditur, ita ut totos XII. Æneidos libros a capite ad calcem poſſet citra hæſitationem e memoria reddere. Sic Tacitum ſæpius lectitando familiarem ſibi reddidit Lipſius, T. Livium Buchananus, de quo ſupra p. 205. Natalium Virgilii recentiore memoria celebratorum veſtigia, ne de Sannazario, A. Naugerio, (*b*) Lotichio, & C. Kinſchotio jam memorem, exſtant in poematibus Eobani Heſſi p. 468. & 497. & in Nic. Heinſii adoptivis pag. 114. nec non in poematibus Davidis Hoogſtratani pag. 249. qui A. 1707. cum Franciſco Heſſelio, & Cornelio van Arckel Latino carmine, ut Belgico J. Sudermannus & J. de Haes Genethliacon Maronis condecoravit. De veterum Poetarum ſtudio conſimili teſtantur hæc Martialis XII. 68. *quæ magni celebras Maronis idus*, & illa Plinii 3. Epiſt. 7. ubi de Silio: *Virgilii natalem religioſius quam ſuum celebrabat*.

Fuit & Virgilius quidam Tragœdus ſub Nerone Imp. cujus meminit Scholiaſtes Perſii ad Sat. V. 9. Sed & Virginius Romanus Poeta Comicus, ſub Trajani Imperio clarus, cujus apud Plinium lib. VII. Epiſt. 21. mentio occurrit, a Lilio Gyraldo, Petro Crinito, Glandorpio & Voſſio Virgilius appellatnr. Virgilii *Arelatenſis* Epiſcopi meminit Hincmarus Remenſis Tom. 2. p. 731. De illo acta Sanctorum V. Martii Tom. 1. p. 398. ſeq. Virgilii Epiſcopi *Salesburgenſis* Epitaphium habes apud Mabillonium Tom. IV. Analect. p. 527. De illo Carinthiæ Apoſtolo plura apud H. Caniſium Tom. 2. Antiquar. Lect. p. 257. ſeq. Jac. Uſſerium in Epiſtolis Hibernicis ad Epiſt XVI. Bælii Lexicon Tom. 3. p. 2977. Thomaſiſche Bibliothec. Tom. 1. pag. 944. &c.

[*b*] Naugerius dicitur recurrenti Virgilii natali, velut ejus manibus inferias inficetorum quorundam Poetarum carmina infelicibus uſtulanda flammis immolaſſe.

M. ACCII PLAUTI COMŒDIÆ SUPERSTITES XX.

AMPHITRUO.

Dramatis Perſonæ.

SOSIA.	MERCURIUS.
JUPPITER.	ALCUMENA.
AMPHITRUO.	THESSALA.
BLEPHARO.	BROMIA, *ancilla.*

ARGUMENTUM.

IN faciem vorſus Amphitruonis Juppiter,
Dum bellum gereret cum Thelebois hoſtibus,
Alcmenam uxorem cepit uſurariam.
Mercurius formam Soſiæ ſervi gerit
Abſentis: his Alcumena decipitur dolis.
Poſtquam rediere veri, Amphitruo, & Soſia,
Uterque luduntur dolis mirum in modum.
Hinc jurgium, tumultus, uxori & viro.
Donec cum tonitru voce miſſa ex æthere,
Adulterum ſe Juppiter confeſſus eſt.

ALIUD.

AMore captus Alcumenas Juppiter,
Mutavit ſeſe in ejus formam conjugis.
Pro patria Amphitruo dum cernit cum hoſtibus,
Habitu Mercurius ei ſubſervit Soſiæ.
Is advenienteis ſervom & dominum fruſtra habet.
Turbas uxori ciet Amphitruo: atque invicem
Raptant pro mœchis. Blepharo captus arbiter,
Uter ſit, non quit, Amphitruo decernere.
Omnem rem noſcunt: geminos Alcmena enititur.

PROLOGUS.

Mercurius.

UT vos in voſtris voltis mercimoniis
Emundis, vendundiſque me lætum lucris
Afficere, atque adjuvare in rebus omnibus:
Et ut res, rationeſque voſtrorum omnium
Bene expedire voltis peregreque & domi,
Bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro
Quaſque incœpiſtis res, quaſque incœptabitis,
Et uti bonis vos voſtroſque omneis nuntiis
Me afficere vultis, ea afferam, eaque ut nuntiem,
Quæ maxume in rem voſtram communem ſient;
Nam vos quidem id jam ſcitis conceſſum & datum
Mi eſſe ab diis aliis, nuntiis præſim & lucro,
Hæc ut me voltis approbare, annitier,
Lucrum ut perenne vobis ſemper ſuppetat:
Ita huic facietis fabulæ ſilentium;
Itaque æqui & juſti hic eritis omnes arbitri.
Nunc cujus juſſu venio, & quamobrem venerim,
Dicam, ſimulque ipſe eloquar nomen meum.
Jovis juſſu venio, nomen Mercurii eſt mihi.
Pater huc me miſit ad vos oratum meus.
Tametſi pro Imperio, vobis quod dictum foret,
Scibat facturos, quippe qui intellexerat
Vereri vos ſe & metuere, ita ut æquom eſt, Jovem:
Verum profecto hoc petere me precario
A vobis juſſit leniter dictis bonis.
Etenim ille, coju' huc juſſu venio, Juppiter,
Non minus quam voſtrum quivis, formidat malum:
Humana matre natus, humano patre,
Mirari non eſt æquom, ſibi ſi prætimet.
Atque ego quoque etiam, qui Jovis ſum filius,
Contagione meæ matris metuo malum;
Propterea pace advenio, & pacem ad vos affero.
Juſtam rem & facilem eſſe oratum a vobis volo.
Nam juſte ab juſtis juſtus ſum orator datus.
Nam injuſta ab juſtis impetrare non decet:
Juſta autem ab injuſtis petere, inſipientia eſt:
Quippe illi iniqui jus ignorant, neque tenent,
Nunc jam huc animum omnes ea quæ loquar advortite.
Debetis velle quæ velimus: meruimus
Et ego & pater de vobis & republica.
Nam quid ego memorem, ut alias in tragœdiis
Vidi Neptunum, Virtutem, Victoriam,
Martem, Bellonam commemorare quæ bona
Vobis feciſſent? quis benefactis meus pater,
Deum regnator, architectus omnibus?
Sed mos illic nunquam fuit patri meo,
Ut exprobraret, quod bonis faceret boni.
Gratum arbitratur eſſe id a vobis ſibi,
Meritoque vobis bona ſe facere quæ facit.
Nunc quam rem oratum huc veni, primum proloquar,
Poſt argumentum hujus eloquar Tragœdiæ.
Quid contraxiſtis frontem? quia Tragœdiam
Dixi futuram hanc? Deus ſum: commutavero
Eandem hanc, ſi voltis: faciam ex Tragœdia,
Comœdia ut ſit, omnibus iiſdem verſibus.
Utrum ſic, an non, voltis? ſed ego ſtultior,
Quaſi neſciam vos velle, qui divos ſiem!
Teneo quid animi voſtri ſuper hac re ſiet.
Faciam ut commiſta ſit Tragicocomœdia:
Nam me perpetuo facere ut ſit Comœdia,
Reges quo veniant & Di, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam hic ſervos quoque parteis habet,
Faciam hanc, proinde ut dixi, Tragicocomœdiam.
Nunc hoc me orare a vobis juſſit Juppiter:
Conquiſitores ſinguli in ſubſellia
Eant per totam caveam ſpectatoribus,

Si quoi favitores delegatos viderint,
Ut his in cavea pignus capiantur togæ.
Sive etiam qui ambiſſent palmam hiſtrionibus,
Seu quoiquam artifici, ſeu per ſcriptas literas,
Seu qui ipſi ambiſſent, ſive per internuntium,
Sive adeo ædiles perfidioſe quoi duint,
Sirempſe lege juſſit eſſe Juppiter,
Quaſi magiſtratum ſibi alterive ambiverit.
Virtute dixit vos victores vivere,
Non ambitione, neque perfidia: qui minus
Eadem hiſtrioni ſit lex, quæ ſummo viro?
VIRTUTE ambire oportet, non favitoribus.
Sat habet favitorum ſemper, qui recte facit:
Si illis fides eſt, quibus eſt ea res in manu.
Hoc quoque etiam mihi in mandatis dedit,
Conquiſitores fierent hiſtrionibus,
Qui ſibi mandaſſent, delegati ut plauderent,
Quive, quo placeret alter, feciſſent minus,
Eis ornamenta & corium uti conciderent.
Mirari nolim vos, quapropter Juppiter
Nunc hiſtriones curet; ne miremini.
Ipſe hanc acturu'ſt Juppiter Comœdiam.
Quid admirati eſtis? quaſi vero novum
Nunc proferatur, Jovem facere hiſtrioniam.
Etiam hiſtriones anno cum in proſcenio hic
Jovem invocarunt, venit: auxilio iis fuit.
Præterea certo prodit in Tragœdia.
Hanc fabulam, inquam, hic Juppiter hodie ipſe aget,
Et ego una cum illo. Nunc vos animum advortite,
Dum hujus argumentum eloquar Comœdiæ.
Hæc urbs eſt Thebæ: in illiſce habitat ædibus
Amphitruo natus Argis ex Argo patre,
Quicum Alcumena eſt nupta Electri filia.
Is nunc Amphitruo præfectu'ſt legionibus.
Nam cum Thelebois bellum eſt Thebano poplo.
Is priuſquam hinc abiit ipſemet in exercitum,
Gravidam Alcumenam fecit uxorem ſuam.
Jam ego vos noviſſe credo, ut ſit pater meus:
Quam liber harum rerum multarum ſiet,
Quantuſque amator ſiet, quod complacitu'ſt ſemel.
Is amare occœpit Alcumenam clam virum,
Uſuramque ejus corporis cepit ſibi,
Et gravidam fecit is eam compreſſu ſuo.
Nunc, de Alcumena ut rem teneatis rectius,
Utrinque eſt gravida, & ex viro, & ex ſummo Jove.
Et meus pater nunc intus hic cum illa cubat:
Et hæc ob eam rem nox eſt facta longior,
Dum ille, quacum volt, voluptatem capit.
Sed ita aſſimulavit ſe, quaſi Amphitruo ſiet.
Nunc ne hunc ornatum vos meum admiremini,
Quod ego huc proceſſi ſic cum ſervili ſchema,
Veterem atque antiquam rem novam ad vos proferam;
Propterea ornatus in novum inceſſi modum.
Nam meus pater intus nunc eſt; eccum Juppiter
In Amphitruonis vortit ſeſe imaginem.
Omneſque eum eſſe cenſent ſervi, qui vident:
Ita verſipellem ſe facit, quando lubet.
Ego ſervi ſumpſi Soſiæ mihi imaginem,
Qui cum Amphitruone abivit hinc in exercitum:
Ut præſervire amanti meo poſſem patri:
Atque ut ne, qui eſſem, familiares quærerent,
Verſari crebro hic quom viderent me domi.
Nunc quom eſſe credent ſervom, & conſervom ſuum,
Haud quiſquam quæret qui ſiem, aut quid venerim.
Pater nunc intus ſuo animo morem gerit:
Cubat complexus cujus cupiens maxumu'ſt:
Quæ illi ad legionem facta ſunt, memorat pater
Meus Alcumenæ: at illa illum cenſet virum
Suum eſſe, quæ cum mœcho eſt: ibi nunc meus pater
Memorat legiones hoſtium ut fugaverit:
Quo pacto donis ſit donatus plurimis.
Ea dona, quæ illic Amphitruoni ſunt data,
Abſtulimus, facile meus pater quod volt facit.
Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu,
Et Soſia ſervos, cujus ego hanc fero imaginem,
Nunc internoſſe ut vos poſſitis facilius,
Ego has habebo hic uſque in petaſo pinnulas.
Tum meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaſo: id ſignum Amphitruoni non erit.
Ea ſigna nemo horuncce familiarium
Videre poterit: verum vos videbitis.
Sed Amphitruonis illic eſt ſervos Soſia,
A portu illic nunc cum laterna huc advenit.
Abigam jam ego illunc advenientem ab ædibus.
Adeſt, ferit: operæ pretium hic ſpectantibus
Jovem atque Mercurium facere hiſtrioniam.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Soſia, Mercurius.

QUI me alter eſt audacior homo? aut qui me confidentior?
Juventutis mores qui ſciam, qui hoc noctis ſolus ambulem?
Quid faciam nunc, ſi tres viri me in carcerem compegerint?
Inde quaſi e promtuaria cella depromar ad flagrum,
Nec cauſam liceat dicere mihi, neque in hero quicquam auxilii ſiet,
Nec quiſquam ſit, quin me omnes eſſe dignum deputent: ita
Quaſi incudem me miſerum homines octo validi cædant:
Peregre adveniens hoſpitio publicitus accipiar.
Hæc heri immodeſtia coegit, me qui hoc
Noctis a portu ingratiis excitavit,
Nonne idem hoc luci me mittere potuit?
Opulento homini hoc magis ſervitus dura eſt,
Hoc magis miſer eſt divitis ſervos,
Nocteſque dieſque aſſiduo ſatis ſuperque eſt,
Quo facto aut dicto adeſt opus, quietus ne ſis.
Ipſe dominus dives operis, & laboris expers,
Quodcumque homini accidit, libere poſſe retur,
Æquom eſſe putat, non reputat laboris quid ſit,
Nec, æquom anne iniquom imperet, cogitabit.
Ergo in ſervitute expetunt multa iniqua:
Habendum & ferendum hoc onus eſt cum labore.
Merc. Sati'eſt me queri illo modo ſervitute hodie,
Qui fuerim liber, eum nunc potivit pater
Servitutis; hic qui verna natus eſt, queritur;
Sum vero verna verbo. *Soſ.* Numero mihi in mentem fuit,
Dis advenientem gratias pro meritis agere, atque alloqui.
Næ illi edepol, ſi merito meo referre ſtudeant gratias,
Aliquem hominem allegent, qui mi advenienti os occillet probe:
Quoniam bona, quæ in me fecerunt, ingrata ea habui atque irrita.
Merc. Facit ille quod volgo haud ſolent, ut quid ſe ſit dignum ſciat.
Soſ. Quod nunquam opinatus fui, neque alius quiſquam civium

Sibi

Sibi eventurum, id contigit, ut ſalvi potiremur domi.
Victores victis hoſtibus legiones reveniunt domum,
Duello extincto maxſumo, atque internecatis hoſtibus,
Qui multa Thebano populo acerba objecerunt funera.
Id vi & virtute militum victum atque expugnatum oppidum eſt,
Imperio atque auſpicio heri mei Amphitruonis maxume,
Qui præda atque agro, adoreaque affecit populares ſuos,
Regique Thebano Creonti regnum ſtabilivit ſuum.
Me a portu præmiſit domum, ut hæc nuntiem uxori ſuæ:
Ut geſſerit rempublicam ductu, imperio, auſpicio ſuo.
Ea nunc meditabor, quo modo illi dicam, quom illo advenero.
Si dixero mendacium, ſolens meo more fecero.
Nam quom illi pugnabant maxume, ego tum fugiebam maxume.
Verumtamen quaſi affuerim ſimulabo, atque audita eloquar.
Sed quo modo & verbis quibus me deceat fabularier,
Prius ipſe mecum etiam volo hic meditari; ſic hoc proloquar.
Principio ut illo advenimus,ubi primum terram tetigimus
Continuo Amphitruo delegit viros primorum principes,
Eos legat: Thelebois jubet ſententiam ut dicant ſuam.
Si ſine vi & ſine bello velint rapta & raptores tradere,
Si quæ aſportaſſent, redderent, ſe exercitum extemplo domum
Reducturum, abituros agro Argivos,pacem atque ocium
Dare illis; ſin aliter ſient animati, neque dent quæ petat:
Seſe igitur ſumma vi, viriſque eorum oppidum expugnaſſere.
Hæc ubi Thelebois ordine iterarunt, quos præfecerat
Amphitruo, magnanimi viri freti virtute & viribus
Superbe nimis, ferociter legatos noſtros increpant.
Reſpondent, bello & ſe & ſuos tutari poſſe: proinde uti
Propere de finibus ſuis exercitus deducerent.
Hæc ubi legati pertulere, Amphitruo caſtris illico
Producit omnem exercitum: contra Theleboæ ex oppido
Legiones educunt ſuas, nimis pulcris armis præditas.
Poſtquam utrinque exitu' eſt maxuma copia,
Diſpertiti viri, diſpertiti ordines,
Nos noſtras more noſtro & modo inſtruximus
Legiones: item hoſtes contra ſuas inſtruunt:
Deinde utrique imperatores in medium exeunt
Extra turbam ordinum, colloquuntur ſimul.
Convenit, victi utri ſint eo prælio,
Urbem, agrum, aras, focos, ſeque uti dederent.
Poſtquam id actu'ſt, tubæ utrinque canunt: contra
Conſonat terra, clamorem utrinque efferunt.
Imperator utrinque hinc & illinc Jovi
Vota ſuſcipere, hortari exercitum:
Pro ſe quiſque id, quod quiſque poteſt & valet,
Edit: ferro ferit: tela frangunt: boat
Cœlum fremitu virum: ex ſpiratu atque anhelitu
Nebula conſtat: cadunt volneris vi & virium.
Denique, ut voluimus, noſtra ſuperat manus,
Vicimus vi feroces.
Hoſtes crebri cadunt: noſtri contra ingruunt.
Sed fugam in ſe tamen nemo convortitur,
Nec recedit loco, quin ſtatim rem gerat.
Animam amittunt, priuſquam loco demigrent:
Quiſque uti ſteterat, jacet, obtinetque ordinem.
Hoc ubi Amphitruo herus conſpicatus eſt meus,
Illico equites jubet dextera inducere.
Equites parent citi: ab dextera maxumo
Cum clamore involant, impetu alacri
Fœdant & proterunt hoſtium copias jure injuſtas.
Merc. Nunquam etiam quicquam adhuc verborum eſt prolocutus perperam.
Namque ego fui illic in re præſenti, & meus, quom pugnatu'ſt, pater.
Soſ. Perduelles penetrant ſe in fugam, ibi noſtris animus eſt additus:
Vortentibus Thelebois telis complebantur corpora.
Ipſuſque Amphitruo regem Pterelam ſua obtruncavit manu.
Hæc illi eſt pugnata pugna ab uſque mane ad veſperum.
Hoc adeo hoc commemini magis, quia illo die impranſus fui.
Sed prælium id tandem diremit nox interventu ſuo.
Poſtridie in caſtra ex urbe ad nos veniunt flentes principes:
Velatis manibus orant, ignoſcamus peccatum ſuum;
Deduntque ſe, divina humanaque omnia, urbem & liberos,
In ditionem atque arbitratum cuncti Thebano poplo.
Poſt ob virtutem hero Amphitruoni patera donata aurea eſt,
Qui Pterela potitare rex ſolitus eſt. hæc ſic dicam heræ.
Nunc pergam heri imperium exequi, & me domum capeſſere.
Merc. At at, illic huc ituru'ſt, ibo ego illi obviam.
Neque ego hunc hominem hodie ad ædeis has ſinam unquam accedere:
Quando imago eſt hujus in me,certu'ſt hominem eludere:
Et enimvero quoniam formam cepi hujus in me & ſtatum,
Decet & facta moreſque hujus habere me ſimiles item.
Itaque me malum eſſe oportet, callidum, aſtutum admodum,
Atque hunc telo ſuo ſibi, malitia a foribus pellere.
Sed quid illuc eſt? cœlum aſpectat: obſervabo quam rem agat.
Soſ. Certe edepol ſcio, ſi quicquam eſt quod credam, aut certo ſciam,
Credo ego hac noctu Nocturnum obdormiſſe ebrium.
Nam neque ſe ſeptemtriones quoquam in cœlo commovent,
Neque ſe luna quoquam mutat, atque uti exorta eſt, eſt ſemel.
Nec jugula, neque veſperugo, neque vergiliæ occidunt.
Ita ſtatim ſtant ſigna, neque nox quoquam concedit die.
Merc. Perge nox ut occœpiſti: gere patri morem meo.
Optume optumo optumam operam das: datam pulchre locas.
Soſ. Neque ego hac nocte longiorem me vidiſſe cenſeo,
Niſi item unam, verberatus quam pependi perpetem.
Eam quoque edepol etiam multo hæc vicit longitudine.
Credo edepol equidem dormire ſolem, atque appotum probe.
Mira ſunt, niſi invitavit ſeſe in cœna pluſculum.
Merc. Ain' vero verbero? deos eſſe tui ſimiles putas?
Ego pol te iſtis tuis pro dictis & malefactis, furcifer,
Accipiam, modo ſis veni huc:invenies infortunium.
Soſ. Ubi ſunt iſti ſcortatores,qui ſoli inviti cubant?
Hæc nox ſcita'ſt exercendo ſcorto conducto male.
Merc. Meus pater nunc pro hujus verbis recte & ſapienter facit.
Qui complexus cum Alcumena cubat amans, animo obſequens.
Soſ. Ibo, ut herus quod imperavit, Alcumenæ nuntiem.
Sed quis eſt hic homo, quem ante ædeis video hoc noctis? non placet.

Merc. Nullus eſt hoc meticuloſus æque. *Soſ.* Quom in mentem venit,
Illic hoc homo denuo volt pallium detexere.
Merc. Timet homo: deludam ego illum. *Soſ.* Perii, dentes pruriunt.
Certe advenientem hic me hoſpitio pugnæ accepturus eſt.
Credo miſericors eſt, nunc propterea quod me meus herus
Fecit ut vigilem, hic pugnis faciet hodie ut dormiam.
Oppido interii; obſecro hercle quantus & quam validus eſt?
Merc. Clare advorſum fabulabor, hic auſcultet quæ loquar.
Igitur magis modum in majorem in ſeſe concipiet metum.
Agite pugni, jam diu 'ſt quod ventri victum non datis:
Jam pridem videtur factum, heri quod homines quatuor
In ſoporem collocaſtis nudos. *Soſ.* Formido male,
Ne ego hic nomen commutem meum, & Quintus fiam e Soſia.
Quatuor viros ſopori ſe dediſſe hic autumat;
Metuo ne numerum augeam illum. *Merc.* Hem nunc jam ergo ſic volo.
Soſ. Cingitur, certe expedit ſe. *Merc.* Non feret quin vapulet.
Soſ. Quis homo? *Merc.* Quiſquis homo huc profecto venerit, pugnos edet.
Soſ. Apage. non placet me hoc noctis eſſe, cœnavi modo.
Proin tu iſtam cœnam largire, ſi ſapis, eſurientibus.
Merc. Haud malum huic eſt pondus pugno. *Soſ.* Perii, pugnos ponderat.
Merc. Quid ſi ego illum tractim tangam ut dormiat? *Soſ.* Servaveris.
Nam continuas has tres noctes pervigilavi. *Merc.* peſſumum eſt
Facinus; nequiter ferire malam male diſcis manus.
Alia forma eſſe oportet, quem tu pugne legeris.
Soſ. Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.
Merc. Exoſſatum os eſſe oportet, quem probe percuſſeris.
Soſ. Mirum, niſi hic me quaſi murænam exoſſare cogitat,
Ultro iſtic qui exoſſat homines, perii, ſi me aſpexerit.
Merc. Olet homo quidam malo ſuo. *Soſ.* Hei! numnam ego obolui?
Merc. Atque haud longe abeſſe oportet, verum longe hinc abfuit.
Soſ. Illic homo ſuperſtitioſus eſt. *Merc.* Geſtiunt pugni mihi.
Soſ. Si in me exerciturus, quæſo, in parietem ut primum domes.
Merc. Vox mihi ad aures advolavit. *Soſ.* Næ ego homo infelix fui,
Qui non alas intervelli: volucrem vocem geſtito.
Merc. Illic homo a me ſibi malam rem arceſſit jumento ſuo.
Soſ. Non equidem ullum habeo jumentum. *Merc.* Onerandus eſt pugnis probe.
Soſ. Laſſus ſum hercle e navi, ut vectus huc ſum, etiam nunc nauſeo.
Vix incedo inanis; ne ire poſſe cum onere exiſtumes.
Merc. Certe enim hic neſcio quis loquitur. *Soſ.* Salvos ſum, non me videt.
Neſcio quem loqui autumat; mihi certo nomen Soſia eſt.
Merc. Hinc enim mihi dextera vox aureis, ut videtur, verberat.
Soſ. Metuo vocis ne vice hodie hic vapulem, quæ hunc verberat.
Merc. Optume eccum incedit ad me. *Soſ.* Timeo; totus torpeo.
Non edepol nunc ubi terrarum ſim ſcio, ſi quis roget.
Neque miſer me commovere poſſum præ formidine.
Ilicet mandata heri perierunt, una & Soſia.
Verum certu' ſt confidenter hominem contra colloqui.
Igitur qui poſſim videri huic fortis, a me ut abſtineat manum?
Merc. Quo ambulas tu, qui Volcanum in cornu concluſum geris?
Soſ. Quid id exquiris tu? qui pugnis os exoſſas hominibus?
Merc. Servos eſne, an liber? *Soſ.* Utcunque animo collubitum eſt meo.
Merc. Ain' vero? *Soſ.* Ajo enimvero. *Merc.* Verbero. *Soſ.* Mentiris nunc jam.
Merc. At jam faciam ut verum dicas dicere. *Soſ.* Quid eo eſt opus?
Merc. Poſſum ſcire quo profectus, quovis ſis, aut quid veneris?
Soſ. Huc eo: heri mei ſum ſervos. Numquid nunc es certior?
Merc. Ego tibi iſtam hodie ſceleſtam comprimam linguam. *Soſ.* Haud potes.
Bene pudiceque aſſervatur. *Merc.* pergin' argutarier?
Quid apud haſce ædeis negotii eſt tibi? *Soſ.* Immo quid tibi 'ſt?
Merc. Rex Creo vigiles nocturnos ſingulos ſemper locat.
Soſ. Bene facit, quia nos eramus peregre, tutatu' ſt domum.
At nunc abi ſane, adveniſſe familiares dicito.
Merc. Neſcio quam tu familiaris ſis: niſi actutum hinc abis,
Familiareis accipere faxo haud familiariter.
Soſ. Hic, inquam, habito ego, atque horum ſum ſervos. *Merc.* At ſcin' quomodo?
Faciam ego hodie te ſuperbum, ni hinc abis? *Soſ.* Quonam modo?
Merc. Auferere, non abibis, ſi ego fuſtem ſumpſero.
Soſ. Quin med hujus eſſe familiæ familiarem prædico.
Merc. Vide ſis quam mox vapulare vis, niſi actutum hinc abis.
Soſ. Tun' domo prohibere peregre me advenientem poſtulas?
Merc. Hæccine tua domus eſt? *Soſ.* Ita, inquam. *Merc.* Quis herus eſt igitur tibi?
Soſ. Amphitruo, qui nunc præfectu'ſt Thebanis legionibus.
Quicum nupta eſt Alcumena. *Merc.* Quid ais? quid nomen tibi eſt?
Soſ. Soſiam vocant Thebani, Davo prognatum patre.
Merc. Næ tu iſtuc hodie malo tuo, compoſitis mendaciis,
Adveniſti, audaciæ columen, conſutis dolis.
Soſ. Immo equidem tunicis conſutis huc advenio, non dolis.
Merc. At mentiris etiam: certo pedibus non tunicis venis.
Soſ. Ita profecto. *Merc.* Nunc profecto vapula ob mendacium.
Soſ. Non edepol volo profecto. *Merc.* At pol profecto ingratiis.
Hoc quidem profecto certu' ſt, non eſt arbitrarium.
Soſ. Tuam fidem obſecro. *Merc.* Tun' te audes Soſiam eſſe dicere.
Qui ego ſum? *Soſ.* Perii. *Merc.* Parum etiam, præut futurum eſt, prædicas.
Quojus nunc es? *Soſ.* Tuus, nam pugnis uſu feciſti tuum.
Proh fidi Thebani cives! *Merc.* etiam clamas carnufex?
Eloquere, quid veniſti? *Soſ.* Ut eſſet quem tu pugnis cæderes.
Merc. Cujus es? *Soſ.* Amphitruonis, inquam, Soſia.
Merc. Ergo iſtoc magis,

Quia

Quia vaniloquos, vapulabis: ego ſum, non tu Soſia.
Soſ. Ita dii faciant, ut tu potius ſis, atque ego te ut verberem.
Merc. Etiam mutis? *Soſ.* Jam tacebo. *Merc.* Quis tibi heru 'ſt? *Soſ.* Quem tu voles.
Merc. Quid igitur? qui nunc vocare? *Soſ.* Nemo, niſi quem juſſeris.
Mer. Amphitruonis te eſſe ajebas Soſiam. *Soſ.* Peccaveram.
Nam Amphitruonis ſociennum me eſſe volui dicere.
Merc. Scibam equidem nullum eſſe nobis, niſi me, ſervom Soſiam.
Fugit te ratio. *Soſ.* Utinam iſtuc pugni feciſſent tui.
Merc. Ego ſum Soſia ille, quem tu dudum eſſe aiebas mihi.
Soſ. Obſecro ut per pacem liceat te alloqui, ut ne vapulem.
Merc. Immo induciæ parumper fiant, ſi quid vis loqui.
Soſ. Non loquar niſi pace facta, quando pugnis plus vales.
Merc. Dicito quidvis, non nocebo. *Soſ.* Tuæ fidei credo? *Merc.* Meæ.
Soſ. Quid ſi fallet? *Merc.* Tum Mercurius Soſiæ iratus fiet.
Soſ. Animum advorte: nunc licet mihi libere quidvis loqui.
Amphitruonis ego ſum ſervos Soſia. *Mer.* Etiam denuo?
Soſ. Pacem feci, fœdus feci, vera dico. *Merc.* Vapula.
Soſ. Ut lubet, quod tibi lubet, fac, quoniam pugnis plus vales.
Verum utut es facturus, hoc quidem hercle haud reticebo tamen.
Merc. Tu me vivos hodie nunquam facies, quin ſim Soſia.
Soſ. Certe edepol tu me alienabis nunquam, quin noſter ſiem.
Nec nobis præter me alius quiſquam eſt ſervos Soſia.
Qui cum Amphitruone hinc una ieram in exercitum.
Merc. Hic homo ſanus non eſt. *Soſ.* Quod mihi prædicas vitium, id tibi eſt.
Quid malum, non ego ſum ſervos Amphitruonis Soſia?
Nonne hac noctu noſtra navis ex portu Perſico
Venit, quæ me advexit? nonne me huc herus miſit meus?
Nonne ego nunc ſto ante ædes noſtras? non mi eſt laterna in manu?
Non loquor? non vigilo? nonne hic homo me pugnis contudit?
Fecit hercle, nam mihi etiam miſero nunc malæ dolent.
Quid igitur ego dubito? aut cur non intro eo in noſtram domum?
Merc. Quid domum noſtram? *Soſ.* Ita enimvero. *Merc.* Quin quæ dixti modo,
Omnia ementitus; equidem Soſia Amphitruonis ſum.
Nam noctu hac ſoluta eſt navis noſtra e portu Perſico,
Et ubi Pterela rex regnavit, oppidum expugnavimus.
Et legiones Theleboarum vi pugnando cepimus.
Et ipſus Amphitruo obtruncavit regem Pterelam in prælio.
Soſ. Egomet mihi non credo, quum illæc illum autumare audio.
Hic equidem certe, quæ illic ſunt res geſtæ, memorat memoriter.
Sed quid ais? quid Amphitruoni a Thelebois datum eſt?
Merc. Pterela rex qui potitare ſolitus eſt, patera aurea.
Soſ. Elocutus eſt, ubi patera nunc eſt? *Merc.* Eſt in ciſtula.
Amphitruonis obſignata ſigno. *Soſ.* Signi dic qnid eſt?
Merc. Cum quadrigis ſol exoriens: quid me captas carnufex?
Soſ. Argumentis vincit, aliud nomen quærendum eſt mihi:
Neſcio unde hæc hic ſpectavit. Iam ego hunc decipiam probe.
Nam quod egomet ſolus feci, nec quiſquam alius affuit,
In tabernaculo, id quidem hodie nunquam poterit dicere.
Si tu Soſia es, legiones quom pugnabant maxume.
Quid feciſti in tabernaculo? victus ſum, ſi dixeris.
Merc. Cadus erat vini: inde implevi cirneam. *Soſia.* Ingreſſu' ſt viam.
Merc. Eam ego, ut matre fuerat natum, vini eduxi meri.
Soſ. Mira ſunt, niſi latuit intus illic in illac cirnea.
Factum eſt illud, ut ego illic vini cirneam ebiberim meri.
Merc. Quid nunc? vincon' argumentis te non eſſe Soſiam?
Soſ. Tu negas med eſſe? *Merc.* Quid ego ni negem, qui egomet ſiem?
Soſ. Per Jovem juro med eſſe: neque me falſum dicere.
Merc. At ego per Mercurium juro tibi Jovem non credere.
Nam injurato ſcio plus credit mihi, quam jurato tibi.
Soſ. Quis ego ſum ſaltem, ſi non ſum Soſia? te interrogo.
Merc. Ubi ego Soſia nolim eſſe, tu eſto ſane Soſia.
Nunc quando ego ſum, vapulabis, ni hinc abis ignobilis.
Soſ. Certe edepol quom illum contemplo, & formam cognoſco meam,
Quemadmodum ego ſæpe in ſpeculum inſpexi, nimis ſimilis eſt mei.
Itidem habet petaſum, ac veſtitum: tam conſimile eſt atque ego.
Sura, pes, ſtatura, tonſus, oculi, naſum, dens, labra,
Malæ, mentum, barba, collum: totus; quid verbis opu' ſt?
Si tergum cicatricoſum, nihil hoc ſimili eſt ſimilius.
Sed quom cogito, equidem certo idem ſum, qui ſemper fui.
Novi herum: novi ædeis noſtras, ſane ſapio, & ſentio.
Non ego illi obtempero, quod loquitur; pultabo foreis.
Merc. Quo agis te? *Soſ.* Domum. *Merc.* Quadrigas ſi nunc inſcendas Jovis,
Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.
Soſ. Nonne heræ meæ nunciare, quod herus meus juſſit, licet?
Merc. Tuæ ſi quid vis nunciare, hanc noſtram adire non ſinam.
Nam ſi me irritaſſis, hodie lumbifragium hinc auferes.
Soſ. Abeo potius, di immortales, obſecro voſtram fidem.
Ubi ego perii? ubi immutatus ſum? ubi ego formam perdidi?
An egomet me illic reliqui, ſi forte oblitus fui?
Nam hic quidem omnem imaginem meam, quæ antehac fuerat, poſſidet.
Vivo fit, quod numquam quiſquam mortuo faciet mihi.
Ibo ad portum, atque hæc ut ſunt facta, hero dicam meo.
Niſi & is quoque me ignorabit, quod ille faciat Juppiter,
Ut ego hodie raſo capite calvos capiam pileum.

ACTUS I. SCENA II.

Mercurius.

BEne proſpereque hoc hodie operis proceſſit mihi.
Amovi foribus maxumam moleſtiam,
Patri ut liceret tuto illam amplexarier.
Jam ille illuc ad herum quom Amphitruonem advenerit,
Narrabit ſervom hinc ſeſe a foribus Soſiam
Amoviſſe, ille adeo illum mentiri ſibi
Credet, neque credet huc profectum, ut juſſerat.
Erroris ambo ego illos & dementiæ
Complebo, atque omnem Amphitruonis familiam.
Adeo uſque ſatietatem dum capiet pater
Illius quam amat; igitur demum omnes ſcient

Quæ

Quæ facta ; denique Alcumenam Juppiter
Rediget antiquam conjugis in concordiam.
Nam Amphitruo actutum uxori turbas conciet,
Atque inſimulabit eam probri. tum meus pater
Eam ſeditionem illi in tranquillum conferet.
Nunc de Alcumena dudum quod dixi minus,
Hodie illa pariet filios geminos duos,
Alter decumo poſt menſe naſcetur puer
Quam ſeminatus alter menſe ſeptimo.
Eorum Amphitruonis alter eſt, alter Jovis,
Verum minori puero major eſt pater,
Minor majori ; jamne hoc ſcitis quid ſiet?
Sed Alcumenæ hujus honoris gratia,
Pater curavit uno ut fœtu fieret ;
Uno ut labore abſolvat ærumnas duas,
Et ne in ſuſpicione ponatur ſtupri,
Et clandeſtina ut celetur ſuſpicio.
Quanquam, ut jam dudum dixi, reſciſcet tamen
Amphitruo rem omnem ; quid igitur ? nemo id probro
Profecto ducet Alcumenæ, nam deum
Non par videtur facere delictum ſuum
Suamque culpam expetere in mortalem ut ſinat.
Orationem comprimam, crepuit foris.
Amphitruo ſubditivos eccum exit foras
Cum Alcumena uxore uſuraria.

ACTUS I. SCENA III.

Juppiter, *Alcumena*, *Mercurius*.

BEne vale Alcumena, cura rem communem, quod facis.
Atque imperce, quæ ſo: menſes jam tibi exactos vides.
Mihi neceſs' eſt ire hinc: verum quod erit natum tollito.
Alc. Quid iſtud eſt mi vir negotii, quod tu tam ſubito domo
Abeas? IV. edepol haud quod tui me, neque domi diſtædeat.
Sed ubi Summus Imperator non adeſt ad exercitum,
Citius quod non fact' eſt uſus, fit, quam quod facto 'ſt opus.
Merc. Nimis hic ſcitus eſt ſycophanta, qui quidem meus ſit pater,
Obſervatote, quam blande mulieri palpabitur.
Alc. Ecaſtor, te experior, quanti facias uxorem tuam.
Jup. Satin' habes, ſi fœminarum nulla 'ſt quam æque diligam?
Mer. Edepol næ illa ſi iſtis rebus te ſciat operam dare,
Ego faxim te Amphitruonem eſſe malis, quam Jovem.
Alc. Experiri iſtuc mavellem me, quam mi memorarier.
Prius abis quam lectus ubi cubuiſti, concaluit locus.
Here veniſti media nocte, nunc abis : hoccine placet?
Merc. Accedam atque hanc appellabo, & ſupparaſitabor patri :
Nunquam edepol quemquam mortalem credo ego uxorem ſuam
Sic efflictim amare, proinde ut hic te efflictim deperit.
Jup. Carnufex, non ego te novi? abin' a conſpectu meo?
Quid tibi hanc curatio eſt rem, verbero, aut mutitio?
Quoi pol ego jam hoc ſcipione. *Alc.* Ah noli. *Jup.* Mutito modo.
Merc. Nequiter pene expetivit prima paraſitatio.
Jup. Verum quod tu dicis mea uxor, non te mihi iraſci decet.
Clanculum huc abii a legione, operam hanc ſurripui tibi:
Ex me primo prima ſcires, rem ut geſſiſſem publicam.
Ea tibi omnia enarravi : niſi te amarem plurimum,
Non facerem. *Merc.* Facit ne ut dixi? timidam palpo percutit.

Jup. Nunc, ne legio perſentiſcat, clam illic redeundu' ſt mihi,
Ne me uxorem prævortiſſe dicant præ republica.
Alc. Lacrumantem ex abitu concinnas tu tuam uxorem. *Jup.* Tace.
Ne corrumpe oculos, redibo actutum. *Alc.* Id actutum diu 'ſt.
Jup. Non ego te hic lubens relinquo, neque abeabs te. *Alc.* Sentio:
Nam qua nocte ad me veniſti, eadem abis. *Jup.* Cur me tenes?
Tempu' ſt; exire ex urbe, priuſquam luciſcat, volo.
Nunc tibi hanc pateram, quæ dono mi illic ob virtutem data eſt,
Pterela rex qui potitavit, quem ego mea occidi manu ;
Alcumena, tibi condono. *Alc.* Facis ut alias res ſoles.
Ecaſtor condignum donum, quali 'ſt qui donum dedit.
Merc. Imo ſic condignum quali 'ſt, quoi dono datu 'ſt.
Jup. Pergin autem? nonne ego poſſum, furcifer, te perdere?
Alc. Noli amabo Amphitruo iraſci Soſiæ cauſa mea.
Jup. Faciam ita ut vis. *Merc.* Ex amore hic admodum quam ſævos eſt?
Jup. Nunquid vis? *Alc.* Ut quom abſim, me ames, me tuam abſentem tamen.
Merc. Eamus Amphitruo: luciſcit hoc jam. *Jup.* Abi præ, Soſia,
Jam ego ſequar, nunquid vis? *Alc.* Etiam: ut actutum advenias. *Jup.* Licet.
Prius tua opinione hic adero : bonum animum habe modo.
Nunc te nox, quæ me manſiſti, mitto, ut cedas die,
Ut mortalibus illuciſcas luce clara & candida.
Atque quanto nox fuiſti longior hac proxuma,
Tanto brevior dies ut fiat, faciam, ut æque diſparet,
Et dies e nocte accedat : ibo & Mercurium ſubſequar.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

Amphitruo, *Soſia*.

AGe, i tu ſecundum. *Soſ.* Sequor, ſubſequor te.
Am. Sceleſtiſſimum te arbitror. *Soſ.* Nam quamobrem?
Am. Quia id quod neque eſt, neque fuit, neque futurum eſt,
Mihi prædicas. *Soſ.* Eccere, jam tuatim
Facis, ut tuis nulla apud te ſit fides.
Am. Quid eſt? quo modo? jam quidem hercle ego tibi iſtam
Sceleſtam ſcelus linguam abſcindam. *Soſ.* Tuus ſum:
Proinde ut commodum ſiet & lubet quicquid facias:
Tamen, quin loquar hæc uti facta ſunt hic,
Nunquam ullo modo me potes deterrere.
Am. Sceleſtiſſime, audes mihi prædicare id,
Domi te eſſe nunc, qui hic ades? *Soſ.* Vera dico.
Am. Malum quod tibi dii dabunt, atque ego hodie dabo.
Soſ. Iſtuc tibi eſt in manu, nam tuus ſum.
Am. Tu me verbero audes herum ludificari?
Tun' id dicere audes? quod nemo unquam homo ante hac
Vidit, nec poteſt fieri, tempore uno
Homo idem duobus locis ut ſimul ſit?

Soſ. Profecto, ut loquor, ita res eſt. *Am.* Juppiter te perdat.
Soſ. Quid mali ſum here tua ex re promeritus?
Am. Rogaſne improbe etiam, qui ludificas me?
Soſ. Merito maledicas mihi, ſi id ita factum eſt.
Verum haud mentior, reſque uti facta dico.
Am. Homo hic ebrius eſt, ut opinor. *Soſ.* Utinam ita eſſem.
Am. Optas quæ facta. *Soſ.* Egone? *Am.* Tu iſtic ubi bibiſti?
Soſ. Nuſquam equidem bibi. *Am.* Quid hoc ſit hominis:
Soſ. Equidem decies dixi, domi ego ſum, inquam, ecquid non audis?
Et apud te aſſum Soſia idem ego. Satin' hoc plane. Satin' diſerte here nunc videor tibi locutus
Eſſe? *Am.* Vah! apage te a me. *Soſ.* Quid eſt negotii?
Am. Peſtis te tenet. *Soſ.* Nam cur iſtuc dicis?
Equidem valeo & ſalvos ſum recte, Amphitruo.
Am. At te ego faciam hodie proinde ac meritus es,
Ut minus valeas, & miſer ſis, ſalvus domum ſi rediero. jam
Sequere, herum qui ludificas dictis delirantibus.
Qui quoniam herus quod imperavit, neglexiſti perſequi.
Nunc venis etiam ultro irriſum dominum: quæ neque fieri
Poſſunt, neque fando unquam accepit quiſquam, profers carnifex.
Quojus ego hodie in tergum faxo iſta expetant mendacia.
Soſ. Amphitruo miſerrima iſtæc miſeria eſt ſervo bono.
Apud herum qui vera loquitur, ſi id vi verum vincitur.
Am. Quo id, malum, pacto poteſt (nam mecum argumentis puta)
Fieri? nunc uti tu hic ſis & domi, id dici volo.
Soſ. Sum profecto & hic & illic, hoc cuivis mirari licet.
Neque tibi iſtuc mirum magis videtur, quam mihi Amphitruo.
Am. Quo modo? *Soſ.* Nihilo inquam mirum magis tibi iſtuc quam mihi.
Neque ita me dii ament credebam primo mihimet Soſiæ,
Donec Soſia ille egomet fecit ſibi uti crederem.
Ordine omne uti quidque actum eſt, apud hoſtes dum ſedimus,
Ediſſertavit, tum formam una abſtulit cum nomine.
Neque lac lacti magis eſt ſimile, quam ille ego ſimil' eſt mei.
Nam ut dudum ante lucem a portu me præmiſiſti domum,
Amp. Quid igitur? *Soſ.* Prius multo ante ædeis ſtabam quam illo adveneram.
Am. Quas malum nugas? ſatin' tu ſanus es? *Soſ.* Sic ſum, ut vides.
Am. Huic homini neſcio quid eſt mali mala objectum manu,
Poſtquam a me abiit. *Soſ.* Fateor, nam ſum obtuſus pugnis peſſime.
Am. Quis te verberavit? *Soſ.* Egomet memet, qui nunc ſum domi.
Am. Cave quicquam, niſi quod rogabo te, mihi reſponderis.
Omnium primum iſte qui ſit Soſia, hoc dici volo.
Soſ. Tuus eſt ſervos. *Am.* Mihi quidem uno te plus etiam eſt quam volo.
Neque poſtquam ſum natus, habui niſi te ſervom Soſiam.
Soſ. At ego nunc Amphitruo dico. Soſiam ſervom tuum
Præter me alterum, inquam, adveniens faciam ut offendas domi,
Davo prognatum patre, eadem qua ego ſum forma, ætate item
Qua ego ſum, quid opu 'ſt verbis? geminus Soſia hic factu 'ſt tibi.
Am. Nimia memoras mira, ſed vidiſtin' uxorem meam?
Soſ. Quin introire in ædeis nunquam licitum eſt. *Am.* Quis te prohibuit?
Soſ. Soſia ille, quem jam dudum dico, is qui me contudit.
Amp. Quis iſtic Soſia eſt? *Soſ.* Ego, inquam: quoties dicendum eſt tibi?
Amp. Sed quid ais? num obdormiviſti dudum? *Soſ.* Nuſquam gentium.
Amp. Ibi forte iſtum ſi vidiſſes quendam in ſomnis Soſiam.
Soſ. Non ſoleo ego ſomniculoſe heri imperia perſequi.
Vigilans vidi, vigilans nunc te video, vigilans fabulor,
Vigilantem ille me jam dudum vigilans pugnis contudit.
Amp. Quis homo? *Soſ.* Soſia inquam ego ille. quæſo nonne intelligis?
Amp. Qui, malum, intelligere quiſquam potis eſt, ita nugas blatis.
Soſ. Verum actutum noſces. *Amp.* Quem? *Soſ.* Illum noſces ſervom Soſiam.
Amp. Sequere hac igitur me: nam mi iſtuc primum exquiſito eſt opus.
Sed vide ex navi efferantur, quæ imperavi jam omnia.
Soſ. Et memor ſum, & diligens, ut, quæ imperes, compareant.
Non ego cum vino ſimitu ebibi imperium tuum.
Amp. Utinam di faxint, infecta dicta re eveniant tua.

ACTUS II. SCENA II.

Alcumena, Amphitruo, Soſia, Theſſala.

Alc. SAtin' parva res eſt voluptatum in vita,
Atque in ætate agunda,
Præ quam quod moleſtum eſt, ita quoique comparatum
Eſt in ætate hominum,
Ita dis placitum, voluptati ut mœror comes conſequatur:
Quin incommodi plus malique illico aſſit, boni ſi obtigit quid.
Nam ego id nunc experior de me, atque ipſa de me ſcio, cui voluptas
Parumper data 'ſt: dum viri mei mihi poteſtas videndi fuit
Noctem unam modo, atque is repente abiit a me hinc ante lucem,
Sola hic mihi nunc videor; quia ille hinc abeſt, quem ego amo præter omnes.
Plus ægri ex abitu viri, quam ex adventu voluptatis cepi.
Sed hoc me beat ſaltem, quod perduelles vicit, & domum
Laudis compos revenit, id ſolatio eſt. Abſit, dummodo
Laude parta domum recipiat ſe; feram & perferam uſque
Abitum ejus animo forti atque obfirmato: id modo ſi mercedis
Datur mihi, ut meus victor vir belli clueat, ſatis
Mihi eſſe ducam. Virtus præmium eſt optimum,
Virtus omnibus rebus anteit profecto.
Libertas, ſalus, vita, res, parentes,
Patria, & prognati tutantur, ſervantur:
Virtus omnia in ſe habet, omnia aſſunt bona, quem penes eſt virtus.
Amph. Edepol me uxori exoptatum credo adventurum domum,

Quæ

Quæ me amat: quam contra amo, præſertim re geſta bene,
Victis hoſtibus, quos nemo poſſe ſuperari ratu 'ſt:
Eos auſpicio meo atque ductu, primo cœtu vicimus.
Certe enim me illi expectatum optato venturum ſcio.
Soſ. Quid? me non rere expectatum amicæ venturum meæ?
Alc. Meus vir hic quidem eſt. *Amp.* Sequere hac tu me. *Alc.* Nam quid ille revertitur?
Qui dudum properare ſeſe ajebat, an ille tentat ſciens?
Atque id ſi vult experiri, ſuum abitum ut deſiderem,
Ecaſtor med haud invita ſe domum recipit ſuam.
Soſ. Amphitruo redire ad navem meliu 'ſt nos. *Amph.* Qua gratia?
Soſ. Quia domi daturus nemo eſt prandium advenientibus.
Amph. Qui tibi iſtuc in mentem venit? *Soſ.* Quia enim ſero advenimus.
Amph. Qui? *Soſ.* Quia Alcumenam ante ædeis ſtare ſaturam intelligo.
Amph. Gravidam ego illanc hic reliqui quom abeo. *Soſ.* Hei perii miſer!
Amph. Quid tibi eſt? *Soſ.* Ad aquam præbendam commodum adveni domum,
Decumo poſt menſe, ut rationem te dictare intelligo.
Amph. Bono animo es. *Soſ.* Scin' quam bono animo ſim? ſi ſitulam cepero?
Nunquam edepol tu mihi divini quicquam creduis poſt hunc diem,
Ni ego illi puteo, ſi occepſo, animam omnem intertraxero.
Amph. Sequere hac me modo, alium ego iſti rei allegabo; ne time.
Alc. Magis nunc meum officium facere, ſi huic eam advorſum, arbitror.
Am. Amphitruo uxorem ſalutat lætus ſperatam ſuam,
Quam omnium Thebis vir unam eſſe optimam dijudicat,
Quamque adeo cives Thebani vero rumificant probam.
Valuiſtin' uſque? expectatus ne advenio? *Soſ.* Haud vidi magis
Expectatum: eum ſalutat magis haud quiſquam, quam canem,
Amph. Et cum te gravidam, & cum pulcre plenam aſpicio, gaudeo.
Alc. Obſecro ecaſtor quid tu me deridiculi gratia
Sic ſalutas? atque appellas quaſi dudum non videris?
Quaſique nunc primum recipias te domum huc ex hoſtibus?
Atque me nunc proinde appellas, quaſi multo poſt videris?
Amph. Immo equidem te, niſi nunc, hodie nuſquam vidi gentium.
Alc. Cur negas? *Amph.* Quia vera didici dicere. *Alc.* Haud æquom facit,
Qui quod didicit, id dediſcit, an periclitamini
Quid animi habeam? ſed quid huc vos revortimini tam cito?
An te auſpicium commoratum eſt? an tempeſtas continet?
Qui non abiiſti ad legiones ita uti dudum dixeras?
Amph. Dudum? quamdudum iſtuc factum eſt? *Alc.* Tentas? jamdudum, pridem, modo.
Amph. Qui iſtuc potis eſt fieri quæſo, ut dicis, jamdudum, modo?
Alc. Quid enim cenſes? te ut deludam contra luſorem meum,
Qui nunc primum te adveniſſe dicas, modo qui hinc abieris?

Amph. Hæc quidem deliramenta loquitur. *Soſ.* Pauliſper mane,
Dum edormiſcat unum ſomnum. *Amph.* Quæve vigilans ſomniat.
Alc. Equidem ecaſtor vigilo, & vigilans id quod factum eſt fabulor.
Nam dudum ante lucem & iſtunc & te vidi. *Amph.* Quo in loco?
Alc. Hic in ædibus ubi tu habitas. *Amph.* Nunquam factum eſt. *Soſ.* Non taces?
Quid ſi e portu navis huc nos dormienteis detulit?
Amph. Etiam tu quoque aſſentaris huic? *Soſ.* Quid vis fieri?
Non tu ſcis; Bacchæ bacchanti ſi velis adverſarier,
Ex inſana inſaniorem facies, feriet ſæpius:
Si obſequare, una reſolvas plaga. *Amph.* At pol quin certa res
Hanc eſt objurgare, quæ me hodie advenientem domum
Noluerit ſalutare. *Soſ.* Irritabis crabrones. *Am.* Tace.
Alcumena unum rogare te volo. *Alc.* Quid vis rogare? roga.
Amph. Num tibi aut ſtultitia acceſſit, aut ſuperat ſuperbia?
Alc. Qui iſtuc in mente eſt tibi, mi vir, percontarier?
Amph. Quia ſalutare venientem me ſolebas antidhac:
Appellare itidem ut pudicæ ſuos viros quæ ſunt ſolent,
Eo more expertem te factam adveniens offendi domi.
Alc. Ecaſtor equidem te certo heri hic advenientem illico
Et ſalutavi, & valuiſſes ne uſque exquiſivi ſimul
Mi vir: & manum prehendi & oſculum tetuli tibi.
Soſ. Tun' heri hunc ſalutaviſti? *Alc.* Et te quoque etiam Soſia.
Soſ. Amphitruo, ſperavi ego iſtam tibi parituram filium.
Verum non eſt puero gravida, *Amph.* Quid igitur? *Soſ.* Inſania.
Alc. Equidem ſana ſum, & deos quæſo ut ſalva pariam filium.
Verum tu magnum malum habebis, ſi hic ſuum officium facit:
Ob iſtuc omen ominator capies quod te condecet.
Soſ. Enimvero prægnanti oportet & malum, & malum dari.
Vt quod obrodat ſit, animo ſi male eſſe occæperit.
Amph. Tu me heri hic vidiſti? *Alc.* Ego inquam ſi vis decies dicere.
Amph. In ſomnis fortaſſe. *Alc.* Immo vigilans vigilantem. *Amph.* Væ miſero mihi!
Soſ. Quid tibi eſt? *Merc.* Delirat uxor. *Soſ.* Atra bili percita eſt.
Nulla res tam deliranteis homines concinnat cito.
Amph. Ubi primum tibi ſenſiſti mulier impliciſcier?
Alc. Equidem ecaſtor ſana & ſalva ſum. *Am.* Cur igitur prædicas
Te heri me vidiſſe, quia hac noctu in portum advecti ſumus?
Ibi cœnavi, atque ibi quievi in navi noctem perpetem:
Neque meum pedem huc intuli etiam in ædeis, ut cum exercitu
Hinc profectus ſum ad Theleboas hoſteis, eoſque ut vicimus.
Alc. Immo mecum cœnaviſti, & mecum cubuiſti. *Amph.* Quid eſt?
Alc. Vera dico. *Amph.* Non quidem hercle de hac re, de aliis neſcio.
Alc. Primulo diluculo abiviſti ad legiones. *Amph.* Quomodo?
Soſ. Recte dicit, ut commeminit; ſomnium narrat tibi.

Sed

Sed mulier, poſtquam experrecta es, prodigiali Jovi,
Aut mola ſalſa hodie, aut thure comprecatam oportuit.
Alc. Væ capiti tuo. *Soſ.* Tua iſtuc refert, ſi curaveris.
Alc. Iterum jam hic in me inclementer dicit; atque id ſine malo.
Amph. Tace tu: tu dic, egone abs te abii hinc hodie cum diluculo?
Alc. Quis igitur niſi vos narravit mihi, illi ut fuerit prælium?
Amph. An etiam id tu ſcis? *Alc.* Quippe quæ ex te audivi, ut urbem maxumam
Expugnaviſſes, regemque Pterelam tute occideris.
Amph. Egone iſtuc dixi? *Alc.* Tute iſtic etiam aſtante hoc Soſia,
Amph. Audiſtin' tu me narrare hoc hodie? *Soſ.* Ubi ego audiverim?
Amph. Hanc roga. *Soſ.* Me quidem præſente nunquam factum eſt, quod ſciam.
Alc. Mirum quin te advorſus dicat. *Amph.* Soſia age, me huc aſpice.
Soſ. Specto. *Amph.* Vera volo loqui te, nolo aſſentari mihi.
Audiviſtin' tu hodie me illi dicere ea, quæ illa autumat.
Soſ. Quæſo edepol num tu quoque etiam inſanis, cum id me interrogas?
Qui ipſus equidem nunc primum iſtanc tecum conſpicio ſimul.
Amph. Quin nunc mulier audin' illum? *Alc.* Ego vero, ac falſum dicere,
Amph. Neque tu illi, neque mi viro ipſi credis. *Alc.* Eo fit quia mihi
Plurimum credo, & ſcio iſta hæc facta proinde ut proloquor.
Amph. Tun' me heri adveniſſe dicis? *Alc.* Tun' te abiſſe hodie hinc negas?
Amph. Ego enimvero, & me advenire nunc primum ajo ad te domum.
Alc. Obſecro etiam ne hoc negabis? te auream pateram mihi
Dediſſe dono hodie, qua te illic donatum eſſe dixeras?
Amph. Neque edepol dedi, neque dixi: verum ita animatus fui.
Itaque nunc ſum, ut ea te patera donem, ſed quis iſtuc tibi
Dixit? *Alc.* Ego equidem ex te audivi, & tua accepi manu
Pateram. *Amph.* Mane, mane obſecro te, nimis demiror Soſia,
Qui illæc illic me donatum eſſe aurea patera ſciat,
Niſi tu dudum hanc conveniſti,& narraviſti hæc omnia.
Soſ. Neque edepol ego dixi, neque iſtam vidi, niſi tecum ſimul.
Amph. Quid hoc ſit hominis! *Alc.* Vin' proferri pateram? *Amph.* Proferri volo.
Alc. Fiat, tu Theſſala intus pateram proferto foras,
Qua hodie meus vir donavit me. *Amph.* Secede huc tu Soſia.
Enimvero illud præter alia mira miror maxume,
Si hæc habet pateram illam. *Soſ.* An etiam id credis, quæ in hac ciſtellula
Tuo ſigno obſignata fertur? *Amph.* Salvom ſignum eſt? *Soſ.* Inſpice.
Amph. Recte, ita eſt ut obſignavi. *Soſ.* Quæſo quin tu iſtanc jubes
Pro cerrita circumferri? *Amph.* Edepol quin facto eſt opus.
Nam hæc quidem edepol larvarum plena eſt. *Alc.* Quid verbis eſt opus?
Hem tibi pateram, eccam. *Amph.* Cedo mihi. *Alc.* Age aſpice huc ſis nunc jam,
Tu, qui quæ facta inficiare, quem ego jam hic convincam palam.
Eſtne hæc patera qua donatus illic? *Am.* Summe Juppiter,
Quid ego video! hæc eſt ea profecto patera: perii Soſia.
Soſ. Aut pol hæc præſtigiatrix mulier multo maxuma eſt,
Aut pateram hic ineſſe oportet. *Am.* Agedum eam ſolve ciſtulam.
Soſ. Quid ego iſtam exſolvam? obſignata 'ſt recte, res geſta eſt bene.
Tu peperiſti Amphitruonem, ego alium peperi Soſiam.
Nunc ſi pateram patera peperit,omnes congeminavimus.
Amph. Certum eſt aperire, atque inſpicere. *Soſ.* Vide ſis ſigni quid ſiet,
Nec poſterius in me culpam conferas. *Am.* Aperi modo.
Nam hæc quidem nos delirantes facere dictis poſtulat.
Alc. Unde hæc igitur eſt niſi abs te, quæ mihi dono data eſt?
Amph. Opus mi eſt iſtuc exquiſito. *Soſ.* Juppiter, proh Juppiter!
Amph. Quid tibi eſt? *Soſ.* Hic patera nulla in ciſtula 'ſt. *Amp.* Quid ego audio?
Soſ. Id quod verum eſt. *Amph.* At cum cruciatu jam, ni apparet, tuo.
Alc. Hæc quidem apparet. *Amph.* Quis igitur tibi dedit? *Alc.* Qui me rogat.
Soſ. Me captas, quia tute ab navi clanculum huc alia via
Præcucurriſti: atque hinc pateram tute exemiſti, atque eam
Huic dediſti, poſthac rurſus obſignaſti clanculum.
Amph. Hei mihi, jam tu quoque hujus adjuvas inſaniam.
Ain' heri nos adveniſſe huc? *Alc.* Ajo, adveniensque illico
Me ſalutaviſti, & ego te, & oſculum tetuli tibi.
Amph. Jam illud non placet principium de oſculo, pergam exequi.
Alc. Laviſti. *Amph.* Quid poſteaquam lavi? *Alc.* Accubuiſti. *Soſ.* Euge optume.
Nunc exquire. *Amph.* Ne interpella,perge porro dicere.
Alc. Cœna appoſita eſt, cœnaviſti mecum, ego accubui ſimul.
Amph. In eodem lecto? *Alc.* In eodem. *Soſ.* Hei non placet convivium.
Amph. Sine modo argumenta dicat. quid poſtquam cœnavimus?
Alc. Te dormitare ajebas, menſa ablata eſt, cubitum hinc abiimus.
Amph. Ubi tu cubuiſti? *Alc.* in eodem lecto tecum una in cubiculo.
Amph. Perdidiſti. *Soſ.* Quid tibi eſt? *Amph.* Hæc me modo ad mortem dedit.
Alc. Quid jam, amabo? *Amph.* Ne me appella. *Soſ.* Quid tibi eſt? *Amph.* Perii miſer,
Quia pudicitiæ hujus vitium me hic abſente eſt additum.
Alc. Obſecro ecaſtor, cur iſtuc mi vir ex ted audio?
Amph. Vir ego tuus ſim? ne me appella falſo falſo nomine.
Soſ. Hæret hæc res: ſiquidem hæc jam mulier facta 'ſt ex viro.
Alc. Quid ego feci? qua iſtæc propter dicta dicantur mihi?
Amph. Tute edictas facta tua; ex me quæris quid deliqueris?
Alc. Quid ego tibi deliqui, ſi, cui nupta ſum, tecum fui?
Amph. Tun' mecum fueris? quid illac impudente audacius?

Saltem tute, ſi pudoris egeas, ſumas mutuum.
Alc. Iſtuc facinus quod tu inſimulas, noſtro generi non decet.
Tu ſi me impudicitiæ captas, non potes capere.
Amph. Proh di immortales! cognoſcin' tu me ſaltem Soſia?
Soſ. Propemodum. *Amph.* Cœnavi ego heri in navi in portu Perſico?
Alc. Mihi quoque aſſunt teſtes, qui illud quod ego dicam aſſentiant.
Amph. Qui teſtes? *Alc.* Teſtes. *Amph.* Quid teſticulare? *Alc.* Enim uno ſat eſt.
Nec nobis præſente aliquis niſi ſervos Soſia affuit.
Soſ. Neſcio quid iſtuc negotii dicam, niſi quiſpiam eſt
Amphitruo alius, qui forte te hic abſente ſic tamen
Tuam rem curet, teque abſente hic munus fungatur tuum.
Namque de illo ſubditivo Soſia mirum nimis eſt.
Certo de iſto Amphitruone jam alterum mirum eſt magis.
Neſcio quis præſtigiator hanc fruſtratur mulierem.
Alc. Per ſupremi regis regnum juro, & matremfamilias
Junonem, quam me vereri & metuere eſt par maxume,
Ut mi extra unum te mortalis nemo corpus corpore
Contigit, quo me impudicam faceret. *Amph.* Vera iſthæc velim.
Alc. Vera dico, ſed nec quicquam; quoniam non vis credere.
Amph. Mulier es, audacter juras. *Alc.* Quæ non deliquit, decet
Audacem eſſe, confidenter pro ſe & proterve loqui.
Amph. Satis audacter. *Alc.* Ut pudicam decet. *Amph.* Tu verbis probas.
Alc. Non ego illam mihi dotem duco eſſe, quæ dos dicitur:
Sed pudicitiam & pudorem, & ſedatum cupidinem,
Deum metum, parentum amorem, & cognatum concordiam:
Tibi morigera, atque ut munifica ſim bonis, proſim probis.
Soſ. Næ iſta edepol ſi hæc vera loquitur, examuſſim eſt optuma.
Amph. Delinitus ſum profecto ita, ut me qui ſim neſciam.
Soſ. Amphitruo es profecto; cave ſis ne tu te uſu perduis:
Ita nunc homines immutantur, poſtquam peregre advenimus.
Amph. Mulier, iſtam rem inquiſitam certum eſt non amittere.
Alc. Edepol me libente facies. *Amph.* Quid ais? reſponde mihi.
Quid ſi adduco tuum cognatum huc a navi Naucratem?
Qui mecum una vectu 'ſt una navi, atque is ſi denegat
Facta. quæ tu facta dicis, quid tibi æquom eſt fieri?
Nunquid cauſam dicis, quin te hoc multem matrimonio?
Alc. Si deliqui, nulla cauſa eſt. *Amph.* Convenit: tu Soſia
Duc hos intro, ego huc ab navi mecum adducam Naucratem.
Soſ. Nunc quidem præter nos nemo eſt: dic mihi verum ſerio,
Ecquis alius Soſia intu 'ſt qui mei ſimilis fiet?
Alc. Abin' hinc a me dignus domino ſervos? *Soſ.* Abeo, ſi jubes.
Alc. Nimis ecaſtor facinus mirum eſt, qui illi collibitum ſiet
Meo viro, ſic me inſimulare falſum facinus tam malum.
Quicquid eſt, jam ex Naucrate cognato id cognoſcam meo.

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

Juppiter,

EGo ſum ille Amphitruo, cui eſt ſervos Soſia.
Idem Mercurius qui ſit, quando commodum 'ſt,
In ſuperiore qui habito cœnaculo,
Qui interdum fio Juppiter, quando lubet.
Huc autem quom extemplo adventum apporto, illico
Amphitruo fio, & veſtitum immuto meum.
Nunc huc honoris veſtri venio gratia,
Ne hanc inchoatam tranſigam comœdiam.
Simul Alcumenæ, quam vir inſontem probri
Amphitruo accuſat, veni, ut auxilium feram:
Nam mea ſit culpa, quod egomet contraxerim,
Id Alcumenæ ſi innocenti huic expetat.
Nunc Amphitruonem memet, ut occœpi ſemel,
Eſſe aſſimilabo, atque in horum familiam
Fruſtrationem hodie hic injiciam maxumam.
Poſt igitur demum faciam res fiat palam:
Atque Alcumenæ in tempore auxilium feram.
Faciamque ut uno fœtu, & quod gravida eſt viro,
Et me quod gravida 'ſt, pariat ſine doloribus.
Mercurium juſſi me continuo conſequi,
Si quid vellem imperare: nunc hanc alloquar.

ACTUS III. SCENA II.

Alcumena, Juppiter.

DUrare nequeo in ædibus, ita me probri,
Stupri, dedecoris a viro argutam meo?
Ea quæ ſunt facta infecta refert, ac clamitat.
Quæ neque ſunt facta, neque ego in me admiſi, arguit,
Atque id me ſuſque deque eſſe habituram putat.
Non edepol faciam, neque me perpetiar probri
Falſo inſimulatam: quin ego illum aut deſeram,
Aut ſatis faciat mihi, atque adjuret inſuper
Nolle eſſe dicta quæ in me inſontem protulit.
Jup. Faciundum eſt mi illud, fieri quod illæc poſtulat,
Si me illam amantem ad ſeſe ſtudeam recipere,
Quando ego quod feci, id factum Amphitruoni obfuit,
Atque ille dudum meus amor negotium
Inſonti exhibuit: nunc autem inſonti mihi
Illius ira in hanc & maledicta expetent.
Alc. Et eccum video illum qui me miſeram arguit
Stupri, dedecoris. *Jup.* Te volo uxor colloqui.
Quonam ted avertiſti? *Alc.* Ita ingenium meum eſt,
Inimicos ſemper oſa ſum obtuerier.
Jup. Eja autem inimicos. *Alc.* Sic eſt, vera prædico,
Niſi etiam hoc falſo dici inſimulaturus es.
Jup. Nimis verecunda es. *Alc.* Potin' ut abſtineas manum?
Nam certo ſi ſis ſanus, aut ſapias ſatis,
Quam tu impudicam eſſe arbitrere & prædicas,
Cum ea tu ſermonem nec joco, nec ſerio
Tibi habeas, niſi ſis ſtultior ſtultiſſimo.
Jup. Si dixi, nihilo magis es, neque eſſe arbitror.
Et id huc revorti uti me purgarem tibi.
Nam nunquam quicquam meo animo fuit ægrius,
Quam poſtquam audivi ted eſſe iratam mihi.
Cur dixiſti? inquies, ego expediam tibi.
Non edepol quo te eſſe impudicam crederem:
Verum periclitatus animum ſum tuum,

Quid faceres, & quo pacto id ferre induceres.
Equidem joci illa dixeram dudum tibi
Ridiculi cauſſa; vel id hunc rogato Soſiam.
Alc. Quin huc adducis meum cognatum Naucratem,
Teſtem quem dudum te adducturum dixeras
Te huc non veniſſe? *Jup.* Si quid dictum eſt per jocum,
Non æquom eſt id te ſerio prævortier.
Alc. Ego illud ſcio quam doluerit cordi meo.
Jup. Per dexteram tuam te Alcumena oro, obſecro,
Da mihi hanc veniam, ignoſce, irata ne ſies.
Alc. Ego iſtæc feci verba virtute irrita:
Nunc quando factis me impudicis abſtines,
Ab impudicis dictis avorti volo.
Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.
Juben' mi ire comites? *Jup.* Sanan' es? *Alc.* Si non jubes,
Ibo egomet, comitem pudicitiam duxero.
Jup. Mane, arbitratu tuo jusjurandum dabo,
Me meam pudicam eſſe uxorem arbitrarier.
Id ego ſi fallo, tum te ſumme Juppiter
Quæſo, Amphitruoni ut ſemper iratus ſies.
Alc. Ah propitius ſit potius. *Jup.* Confide fore.
Nam jusjurandum verum te advorſum dedi.
Jam nunc irata non es? *Alc.* Non ſum. *Jup.* Bene facis,
Nam in hominum ætate multa eveniunt hujuſmodi.
Capiunt voluptates, capiunt rurſum miſerias.
Iræ interveniunt, redeunt rurſum in gratiam.
Verum iræ ſi quæ forte eveniunt hujuſmodi,
Inter eos rurſum ſi reventum in gratiam eſt,
Bis tanto amici ſunt inter ſe quam prius.
Alc. Primum caviſſe oportuit ne diceres;
Verum eadem ſi idem purgas, mihi patiunda ſunt.
Jup. Jube vero vaſa pura adornari mihi,
Ut, quæ apud legionem vota vovi, ſi domum
Rediſſem ſalvos, ea ego exſolvam omnia.
Alc. Ego iſtuc curabo. *Jup.* Evocate huc Soſiam,
Gubernatorem qui in mea navi fuit
Blepharonem arceſſat, qui nobiſcum prandeat.
Is adeo impranſus ludificabitur,
Quom ego Amphitruonem collo hinc obſtricto traham.
Alc. Mirum qui ſolus ſecum ſecreto ille agat.
Atque aperiuntur ædes. exit Soſia.

ACTUS III. SCENA III.

Soſia, Juppiter, Alcumena.

Amphitruo, aſſum, ſi quid opus eſt, impera, imperium exequar.
Jup. Optume advenis. *Soſ.* Jam pax eſt inter vos quæſo duos.
Nam quia vos tranquillos video, gaudeo, & volupe eſt mihi,
Atque ita ſervom par videtur frugi ſeſe inſtituere;
Proinde heri ut ſint, ipſe item ſit; voltum ex voltu comparet:
Triſtis ſit, heri ſi triſtes: hilarus ſit, ſi gaudeant.
Sed age reſponde, jam vos rediſtis in concordiam?
Jup. Derides, qui ſcis hæc dudum me dixiſſe per jocum.
Soſ. An id joco dixiſti? equidem ſerio ac vero ratus.
Jup. Habui expurgationem, facta pax eſt. *Soſ.* Optume eſt.
Jup. Ego rem divinam intus faciam, vota quæ ſunt. *Soſ.* Cenſeo.
Jup. Tu gubernatorem a navi huc evoca verbis meis
Blepharonem, ut re divina facta mecum prandeat.
Soſ. Jam hic ero, quom illic cenſebis eſſe me. *Jup.* actutum huc redi.
Alc. Nunquid vis quin abeam jam intro, ut apparentur quibus opu'ſt?
Jup. I ſane, & quantum poteſt parata fac ſint omnia.
Alc. Quin veni, quando vis, intro, faxo haud quicquam ſit moræ.
Quando iſthæc omnia exjuraſti te mihi dixe per jocum.
Jup. Recte loquere, & proinde diligentem ut uxorem decet.
Jam hi ambo & ſervos & hera fruſtra ſunt duo,
Qui me Amphitruonem rentur eſſe, errant probe.
Nunc tu divine fac huc aſſis Soſia.
Audis quæ dico, tametſi præſens non ades:
Fac Amphitruonem jam advenientem ab ædibus
Ut abigas quovis pacto, fac commentus ſies.
Volo deludi illum, dum cum hac uſuraria
Uxore nunc mihi morigero: hæc curata ſint
Fac ſis, proinde adeo, ut me velle intelligis,
Atque ut miniſtres mihi, mihi cum ſacruficem.

ACTUS III. SCENA IV.

Mercurius.

Concedite atque abſcedite, omnes de via decedite.
Nec quiſquam tam audax nunc ſuat homo, qui obviam obſiſtat mihi.
Nam mihi quidem hercle qui minus liceat Deo minitarier
Populo, ni decedat mihi, quam ſervolo in comœdiis?
Ille aut navem ſalvam nunciat, aut irati adventum ſenis;
Ego ſum Jovi dicto audiens, ejus juſſu nunc huc me affero.
Quamobrem mi magis par eſt via decedere, & concedere.
Pater vocat me, eum ſequor, ejus dicto imperio ſum audiens;
Ut filium bonum patri eſſe oportet, itidem ego ſum patri.
Amanti ſupparaſitor, hortor, aſto, admoneo, gaudeo.
Si quid patri volupe'ſt, voluptas ea mihi multo maxuma eſt.
Amat, ſapit: recte facit, animo quando obſequitur ſuo:
Quod omnes homines facere oportet, dum id modo fiat bono.
Nunc Amphitruonem volt deludi meus pater; faxo probe
Jam hic deludatur, ſpectatores; vobis ſpectantibus
Capiam coronam mi in caput, aſſimulabo med eſſe ebrium:
Atque illuc ſurſum aſcendero; inde optume ſic ciſpellam virum.
De ſupero, quum huc acceſſerit, faciam ut ſit madidus ſobrius.
Deinde illi actutum ſufferet ſuus ſervos pœnas Soſia.
Eum feciſſe ille hodie arguet, quæ ego fecero hic; quid id mea?
Meo me æquom eſt morigerum patri, ejus ſtudio ſervire addecet.
Sed eccum Amphitruonem, advenit: jam ille hic deludetur probe,
Siquidem vos voltis auſcultando operam dare.
Ibo intro, ornatum capiam, qui potius decet.
Dein ſurſum aſcendam in tectum, ut illum hinc prohibeam.

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

Amphitruo.

NAucratem quem convenire volui, in navi non erat.
Neque domi, neque in urbe invenio quemquam, qui illum viderit.
Nam omneis plateas perreptavi, gymnaſia, myropolia.
Apud emporium, atque in macello, in palæſtra atque in foro.
In medicinis, in tonſtrinis, apud omneis ædeis ſacras.
Sum deſeſſus quæritando: nuſquam invenio Naucratem.
Nunc ibo domum, atque ex uxore hanc rem pergam exquirere;
Quis fuerit, quem propter corpus ſuum ſtupri compleverit:
Nam me, quam illam quæſtionem inquiſitam hodie amittere,
Mortuum ſatius eſt, ſed ædeis occluſerunt. eugepæ!
Pariter hoc fit, atque ut alia facta ſunt, feriam foreis.
Aperite hoc: heus ecquis hic eſt? ecquis hoc aperit oſtium?

ACTUS IV. SCENA II.

Mercurius, Amphitruo.

QUis ad fores eſt? *Am.* Ego ſum. *Merc.* Quid ego ſum?
Amph. Ita loquor. *Merc.* Tibi Juppiter
Dique omnes irati certo ſunt, qui ſic frangas fores.
Amph. Quomodo? *Merc.* Eo modo, ut profecto vivas ætatem miſer.
Amph. Soſia. *Merc.* Ita ſum Soſia, niſi me eſſe oblitum exiſtumas.
Quid nunc vis? *Amph.* Sceleſte, at etiam quid velim, id tu me rogas?
Merc. Ita rogo, pene effregiſti fatue foribus cardines.
An foris cenſebas nobis publicitus præberier?
Quid me aſpectas ſtolide? quid nunc vis tibi? aut quis es tu homo?
Amph. Verbero, etiam quis ego ſim me rogitas? ulmorum acheruns?
Quem pol ego hodie ob iſthæc dicta faciam ferventem flagris.
Merc. Prodigum me fuiſſe oportet olim in adoleſcentia.
Amph. Qui dum? *Merc.* quia ſenecta ætate a me mendicas malum.
Amph. Cum cruciatu tuo iſthæc hodie verna verba funditas.
Merc. SACRUFICO ego tibi. *Amph.* qui? *Merc.* quia enim te macto infortunio.

Qui ſequuntur verſus alio characterum genere editi deſunt in veteribus ſcriptis.

Amph. *Tun' me mactes carnufex? niſi formam dii hodie meam perduint,*
Faxo ut bubulis coriis onuſtus ſis, Saturni hoſtia:
Ita ego te certo cruce & cruciatu mactabo, exi foras
Maſtigia. Mer. *Larva umbratilis, tu me minis territas?*
Niſi hinc actutum fugias, ſi denuo pulsaveris,
Si minuſculo digito increpuerint fores, hac tegula
Tuum diminuam caput, ut cum dentibus linguam excreas!
Amph. *Tun' furcifer meis me procul prohibeſſis ædibus.*
Tun' meas pultare foreis? haſce illico toto demoliar cardine.
Mer. *Pergin'?* Amph. *Pergo.* Mer. *Accipe.* Amph. *Sceleſte, in herum? ſi te hodie apprehendero,*
Ad id redigam miſeriarum, ut ſemper ſis miſer.
Mer. *Bacchanal te exercuiſſe oportuit ſenex.* Amph. *qui dum?*
Mer. *Quando tu me tuum ſervom cenſes.* Amph. *Quid cenſeo?*
Mer. *Malum tibi præter Amphitruonem herum novi neminem.*
Amph. *Num formam perdidi? mirum quin me norit Soſia.*
Scrutabor: eho dic mihi, quis videor? num ſatis Amphitruo?
Mer. *Amphitruo? ſanuſne es? nonne tibi prædictum ſenex,*
Bacchanal te exercuiſſe, quom qui ſis, alium rogites?
Abſcede, moneo, moleſtus ne ſies, dum Amphitruo
Cum Uxore modo ex hoſtibus adveniens voluptatem capit.
Amph. *Qua uxore?* Mer. *Alcmena.* Amph. *Quis homo?*
Mer. *Quotiens vis dictum? Amphitruo*
Herus meus: moleſtus ne ſies. Amph. *Quicum cubat?*
Mer. *Vide ne infortunium quæras, qui me ſic ludifices.*
Amph. *Dic quæſo mi Soſia.* Merc. *Blandius. cum Alcumena.* Am. *In eodemne*
Cubiculo? Mer. *Imo ut arbitror, corpore corpus incubat.* Am. *Væ miſero mihi.*
Mer. *Lucri'ſt quod miſeriam deputat, nam uxorem uſurariam*
Perinde eſt præbere, ac ſi agrum ſterilem fodiendum loces.
Amph. *Soſia.* Mer. *Quid (malum) Soſia?* Amph. *Num me noviſti verbero?*
Mer. *Novi te hominem moleſtum, qui ne emas litigium.* Amph. *Adhuc*
Amplius; nonne ego herus ſum tuus Amphitruo? Mer. *Tu Bacchus es,*
Haud Amphitruo. quotiens tibi dictum vis? num denuo?
Meus Amphitruo uno cubiculo Alcmenam complexu tenet.
Si pergas, eum hic ſiſtam, neque ſine tuo magno malo.
Amph. *Cupio accerſi. utinam pro benefactis, dii, patriam,*
Aedeis, uxorem, familiam, cum forma una perduam.
Mer. *Accerſam equidem; ſed de foribus tu interea ſis vide.*
Credo jam quæ volebat ſacruficia ad epulum conduxit:
Si moleſtus ſis, evades nunquam, quin te ſacruficem.

Amphitruo, Blepharo, Soſia.

D*I voſtram fidem, quæ intemperiæ noſtram agunt familiam? quæ mira*
Video, poſtquam advenio peregre? nam veru'ſt, quod olim eſt auditum
Fabularier, mutatos Atticos in Arcadia homines,
Et ſævas belluas manſitaſſe, nec unquam denuo parentibus
Cognitos. Bleph. *Quid illuc Soſia? magna ſunt, quæ mira prædicas.*
Ain' tu alterum reperiſſe domi conſimilem Soſiam?
Soſ. *Ajo, ſed heus tu, quom ego Soſiam, Amphitruonem Amphitruo; quid ſcis an*
Tu forte alium Blepharonem parias? o di faciant, ut tu quoque
Conciſus pugnis, & illiſis dentibus, id impranſus creduas.
Nam ego ille alter Soſia, qui illic ſum, me malis multavit modis.
Bleph. *Mira profecto, ſed gradus condecet grandire: nam ut video,*
Exſpectat Amphitruo, & vacuus mihi venter crepitat. Am. *Ecquid aliena*
Fabulor? in noſtro olim Thebano genere pluſquam mira memorant.
Martigenam ille aggreſſus belluam magnus Europæ quæſitor, anguineo

Reſen-

Repente hoſteis peperit ſeminio: & pugnata illac pugna
Frater trudebat fratrem haſta,. & galea, & noſtræ auctorem gentis.
Cum Veneris filia anguis repſiſſe tellus Epirotica
Vidit. de ſummo ſummus Juppiter ſic ſtatuit, ſic fatum habet.
Optumi omnes noſtrates pro claris factis diris aguntur malis.
Fata iſtæc me premunt, pertolerarem vim tantam, cladeſque
Exantlarem impatibiles. Soſ. Blepharo. Bleph. Quid eſt? Soſ. Neſcio quid mali ſuſpicor.
Bleph. Quid? Soſ. Vide ſis, herus ſalutator oppeſſulatas ante foreis graditur.
Bleph. Nihil eſt, famem exſpectat obambulans. Soſ. Curioſe quidem: foreis enim
Clauſit, ne prævorteretur foras. Bleph. Oggannis. Soſ. Nec gannio, nec latro.
Si me audias, obſerves, neſcio quid ſecum ſolus; puto
Rationes colligit: quid memoret, hinc excipiam. ne propera.
Amph. Ut metuo, ne victis hoſtibus di partam expungant gloriam.
Totam miris modis noſtram video turbatam familiam.
Tum vero uxor vitio, ſtupro, dedecore me plena enecat.
Sed de patera miru' ſt: erat tamen ſignum obſignatum probe.
Quid enim? pugnas pugnatas prolocuta, & Pterelam oppugnatum,
Noſtris occiſum manibus fortiter. at at, novi jam ludum:
Id Soſiæ factu' ſt opera, qui me hodie quoque præſentem auſit
Indigne prævortier. Soſ. De me locutus, & quæ velim minus.
Hominem ne congrediamur quæſo, priuſquam ſtomachum detexerit.
Bleph. Ut lubet. Amph. Si illum datur hodie maſtigiam apprehendere, oſtendam quid ſit
Herum fallere, minis & dolis inceſſere. Soſ. Audin' tu illum? Bleph. Audio.
Soſ. Illæc machina meas onerat ſcapulas, compellemus ſis hominem.
Scin' quid volgo dici ſolet? Bleph. Quid dicturus ſis, neſcio:
Quid tibi patiundum, fere hariolor. Soſ. Vetu' ſt adagium, Fames & mora
Bilem in naſum conciunt. Bleph. Verum quidem. e loco compellemus
Alacre. Amphitruo. Amph. Blepharonem audio. Mirum quid ad me veniat.
Opportune tamen ſe offert, ut uxoris facta convincam turpia.
Quid huc ad me Blepharo? Bleph. Oblitus tam cito, quum diluculo
Miſiſti ad navim Soſiam, ut hodie tecum conviverem?
Amph. Nuſquam factum gentium, ſed ubi illic ſceleſtus? Bleph. Quis? Am. Soſia.
Bleph. Eccum illum. Amph. Ubi? Bleph. Ante oculos, non vides? Am. Vix video præ ira, adeo me iſtic
Hodie delirum fecit: ne te ſacruficem, nunquam evades.
Sine me Blepharo. Bleph. Auſculta precor. Am. Dic, auſculto, tu vapula.
Soſ. Qua de re? num ſatis tempori? non ocius quivi, ſi me
Dædaleis tuliſſem remigiis. Bleph. Abſtine, quæſo, non potuimus
Noſtros grandius grandire gradus. Amph. Sive grallatorius, ſive
Teſtudineus fuerit, certum 'ſt mihi hunc ſceleſtum perdere.
En tectum, en tegulas, en obductas fores, en ludificatum herum,
En verborum ſcelus. Bleph. Quid mali fecit tibi? Am. Rogas? ex illo
Tecto excluſum foribus, me deturbavit ædibus. Soſ. Egone?
Amph. Tu. quid minitabas te facturum, ſi iſtas pepuliſſem fores?
Negas ſceleſte? Soſ. Quin negem? en teſtis ampliter, quicum venio:
Miſſus ſedulo, ut ad te vocatum ducerem. Amph. Quis te miſit
Furcifer? Soſ. Qui me rogat. Amph. Quando gentium? Soſ. Dudum, jam pridem, modo,
Ubi cum uxore domi rediſti in gratiam. Am. Bacchus te irritaſſit.
Soſ. Nec Bacchum ſalutem hodie, nec Cererem. tu purgari juſſeras
Vaſa, ut rem divinam faceres: & hunc me arceſſitum mittis,
Ut tecum prandeat. Amph. Blepharo, diſperearn, ſi aut intus adhuc fui,
Aut ſi hunc miſerim. dic ubi me liquiſti? Soſ. Domi cum Alcumena conjuge.
Ego a te abiens portum vorſus volito, hunc tuis verbis voco.
Venimus, nec te niſi nunc video poſtea. Amph. Sceleſtum caput, cum uxore?
Nunquam abis, quin vapules. Soſ. Blepharo. Bleph. Amphitruo, mitte hunc mea gratia,
Et me audias. Amph. En mitto, quidvis loquere. Bleph. Iſtic jamdudum mihi
Maxuma memoravit mira. præſtigiator forte, aut veneficus
Hanc excantat tibi familiam: inquire aliunde, vide quid ſiet.
Nec ante hunc excruciatum miſerum facias, quam rem intellegas.
Amph. Recte mones: eamus: te advorſum uxori etiam advocatum volo.

Juppiter, Amphitruo, Soſia, Blepharo.

QUis tam vaſto impete has foreis toto convolſit cardine?
Quis ante ædeis tantas tamdiu turbas concitat? quem ſi compererο,
Thelebois ſacruficabo manibus. Amph. Nihil eſt, ut dici ſolet,
Quod hodie bene ſuccedat mihi. Deſerui Blepharonem, & Soſiam,
Ut cognatum Naucratem convenirem: hunc non reperi, & illos perdidi.
Sed eos video; ibo advorſum, ut ſi quid habent, ſciſciter. Soſ. Blepharo, illic qui
Ex ædibus, herus eſt, hic vero veneficus. Bleph. Prob Juppiter,
Quid intueor? hic non eſt, ſed ille Amphitruo; iſtic ſi fuat,
Illum ſane non eſſe oportuit, niſi quidem ſit geminus.
Jup. Eccum cum Blepharone Soſiam; compellabo hos prius. Soſia,
Tandem ad nos? eſurio. Soſ. Dixin' tibi hunc veneficum?
Amph. Imo ego hunc, Thebani cives, qui domi uxorem meam, Soſia,
Impudicitia impetivit, per quem teneo theſaurum ſtupri.
Soſ. Here, ſis tu nunc eſuris, ego ſatur pugnis ad te volito.
Amph. Pergin' maſtigia? Soſ. Abi ad Acheruntem venefice. Amph. Men' veneficum?
Vapula. Jup. Quæ hoſpes intemperiæ, ut tu meum verberes? Am. Tuum? Jup. Meum.
Amph. Mentiris. Jup. Soſia, i intro: dum hunc ſacrufico, fac paretur prandium.
Soſ. Ibo. Amphitruonem (arbitror) ita comiter Amphitruo
Accipiet, ut dudum memet ego ille alter Soſia Soſiam.
Interea dum iſti certant, in popinam devortundum 'ſt mihi:
Lances detergam omneis, omneiſque trullas hauriam.
Jup. Tun' me

Men-

Mentiri ais? Amph. Mentiris inquam, meæ corruptor familiæ.
Jup. Ob iſtuc indignum dictum, te obſtricto collo hac arripiam.
Amph. Væ miſero mihi. Jup. At id præcaviſſe oportuit. Am. Blepharo ſuppetias mihi.
Bleph. Conſimiles ſunt adeo, ut utri aſſim, neſciam: rixam tamen,
Ut poteſt, diriman. Amphitruo, noli Amphitruonem duello perdere.
Linque collum precor. Jup. Hunc tu Amphitruonem dictitas?
Bleph. Quid ni? unus olim, nunc vero partus eſt geminus.
Dum tu vis eſſe, alter quoque eſſe forma non deſinit.
Interea quæſo collum linque. Jup. Linquo: ſed dic mihi: videturne tibi
Iſtic Amphitruo? Bleph. Uterque quidem. Amph. Proh ſumme Juppiter! ubi hodie
Mihi formam adimis, pergo quærere: tun' Amphitruo? Jup. Tu negas?
Amph. Pernego, quando Thebis, præter me, nemo'ſt alter Amphitruo.
Jup. Imo, præter me, nemo; atque adeo tu Blepharo judex ſies.
Bleph. Faciam id, ſi queo, ſignis palam: tu reſponde prius. Amph. Lubens.
Bleph. Antequam cum Taphiis a te pugna ſit inita, quid mandaſti mihi?
Amph. Parata navi clavo hæreres ſedulo.
Jup. Ut ſi noſtri fugam facerent, illuc me tuto reciperem.
Am. Item aliud, ut bene nummatum ſervaretur marſupium.
Jup. Quæ pecuniæ? Bleph. Tace ſis tu, meum'ſt quærere: ſciſti numerum?
Jup. Talenta quinquaginta Attica. Bleph. Hic examuſſim rem enarrat: & tu,
Quot Philippei? Amph. Duo millia. Jup. Oboli vero bis totidem. Sol. Uterque
Rem tenet probe: intus in crumena clauſum alterum eſſe oportuit.
Jup. Attende ſis, hac dextera (ut noſti) regem mactavi Pterelam,
Spolia ademi, & pateram, qua ille potare ſolitus eſt, in ciſtella
Pertuli: dono uxori meæ dedi, quicum hodie domi lavi,
Sacrificavi, cubui. Amph. Hei mihi, quid audio? vix apud me ſum:
Vigilans quippe dormio: vigilans ſomnio, vivos & ſanus intereo.
Ego idem ille ſum Amphitruo, Gorgophones nepos, imperator Thebanorum,
Et Creontis unicus Theleboarum perduellis, qui Acarnanes
Et Taphios vi vici, & ſumma regem virtute bellica
Illiſce præfeci Cephalum, magni Deionei filium.
Jup. Ego idem latrones hoſtes bello & virtute contudi.
Electryonem perdiderant, noſtræ & germanos conjugis,
Achaiam, Aetoliam, Phocidem: per freta Jonium & Aegæum, & Creticum
Vagati, vi vortebant piratica. Amph. Di immortales, mihimet
Non credo, ita omnia, quæ facta illic, examuſſim loquitur, vide
Blepharo. Bleph. Unum ſupereſt: id ſi fuat, Amphitruones ſitote gemini.
Jup. Quid dicas, novi: cicatricem in dextro muſculo ex illoc volnere
Quod mihi impegit Pterela. Bleph. Eam quidem. Amph. appoſite. Jup. Viden'? en aſpice.
Bleph. Detegite, aſpiciam. Jup. Deteximus, vide. Bleph. Supreme Juppiter,
Quid intueor! utrique in muſculo dextero, eodem in loco,
Signo eodem apparet probe, ut primum coivit cicatrix rufula,
Sublurida. Rationes jacent, judicium ſilet, quid agam neſcio.

ACTUS IV. SCENA III.

Blepharo, Amphitruo, Juppiter.

VOs inter vos partite: ego abeo, mihi negotium eſt.
Neque ego unquam uſquam tanta mira me vidiſſe cenſeo.
Amph. Blepharo quæſo, ut advocatus mihi aſſis, neve abeas. Bleph. Vale.
Quid opus me advocato? quin utri ſim advocatus neſcio.
Jup. Intro ego hinc eo. Alcumena parturit. Amph. Perii miſer!
Quid ego? quem advocati jam atque amici deſerunt.
Nunquam edepol me inultus iſtic ludificabit, quiſquis eſt.
Nam jam ad regem recta me ducam, reſque ut facta eloquar.
Ego pol illum ulciſcar hodie Theſſalum veneficum,
Qui perverſe perturbavit familiæ mentem meæ.
Sed ubi ille'ſt? intro edepol abiit, credo ad uxorem meam.
Qui me Thebis alter vivit miſerior? quid nunc agam?
Quem omnes mortales ignorant, & ludificant, ut lubet.
Certum 'ſt, introrumpam in ædibus, ubi quemque hominem aſpexero,
Sive ancillam, ſive ſervom, ſive uxorem, ſive adulterum;
Seu patrem, ſive avom videbo, obtruncabo in ædibus.
Neque me Juppiter, neque di omnes id prohibebunt, ſi volent,
Quin ſic faciam uti conſtitui: pergam in ædibus nunc jam.

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

Bromia, ancilla, Amphitruo.

SPes atque opes vitæ meæ jacent ſepultæ in pectore,
Neque ulla 'ſt confidentia jam meo in corde quin amiſerim;
Ita mihi videntur omnia, mare, terra, cælum, conſequi,
Jam ut opprimar, ut enecer. me miſeram! quid agam neſcio.
Ita tanta mira in ædibus ſunt facta. væ miſeræ mihi!
Animo male 'ſt, aquam velim, corrupta ſum atque abſumpta ſum.
Caput dolet, neque audio, neque oculis proſpicio ſatis,
Nec me miſerior femina eſt, neque ulla videatur magis.
Ita heræ meæ hodie contigit, nam ubi parturit, deos ſibi invocat.
Strepitus, crepitus, ſonitus, tonitrus: ut ſubito, ut propere, ut valide tonuit!
Ubi quiſque inſliterat, concidit crepitu, ubi neſcio quis maxuma
Voce exclamat ſic: Alcumena, adeſt auxilium, ne time:
Et tibi & tuis propitius cœli cultor advenit.
Exurgite, inquit, qui terrore meo occidiſtis præ metu.

Ut

Ut jacui, exurgo. ardere cenſui ædeis, ita tum conſulgebant.
Ibi me inclamat Alcumena: tam ea res me horrore afficit.
Herilis prævortit metus: ocius accurro, ut ſciſcam quid velit:
Atque illam geminos filios pueros peperiſſe conſpicor:
Neque noſtrum quiſquam ſenſimus quom peperit: neque prævidimus.
Sed quid hoc? quis hic eſt ſenex,
Qui ante ædeis noſtras ſic jacet? numnam hunc percuſſit Juppiter?
Credo edepol: nam proh Juppiter ſepultus eſt, quaſi ſit mortuus.
Ibo & cognoſcam quiſquis eſt. Amphitruo hic quidem eſt herus meus.
Amphitruo. *Amph.* Perii. *Bro.* Surge. *Amph.* Interii. *Bro.* Cedo manum, *Amph.* Quis me tenet?
Bro. Tua Bromia ancilla. *Amph.* Totus timeo, ita me increpuit Juppiter,
Nec ſecus eſt, quam ſi ab Acherunte veniam. ſed quid tu foras
Egreſſa es? *Bro.* Eadem nos formido timidas terrore impulit:
In ædibus, ubi tu habitas, nimia mira vidi: væ mihi
Amphitruo, ita mihi animus etiam nunc abeſt. *Amph.* Agedum expedi.
Scin' me tuum eſſe herum Amphitruonem? *Bro.* Scio. *Amph.* Vide etiam nunc? *Bro.* Scio.
Amph. Hæc ſola ſanam mentem geſtat meorum familiarium.
Bro. Imo omnes ſani ſunt profecto. *Amph.* At me uxor inſanum facit
Suis fœdis factis. *Bro.* At ego faciam, tu idem aliter prædices,
Amphitruo, piam & pudicam eſſe tuam uxorem ut ſcias.
De ea re ſigna atque argumenta paucis verbis eloquar.
Omnium primum Alcumena geminos peperit filios.
Amph. Ain' tu geminos? *Bro.* Geminos. *Amph.* Di me ſervant. *Bro.* Sine me dicere,
Ut ſcias tibi tuæque uxori deos eſſe omnes propitios.
Amph. Loquere. *Bro.* Poſtquam parturire hodie uxor occœpit tua,
Ibi utero exorti dolores, ut ſolent puerperæ:
Invocat deos immortales, ut ſibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite operto, ibi continuo contonat
Sonitu maximo, ædes primo ruere rebamur tuas.
Ædes totæ confulgebant tuæ, quaſi eſſent aureæ.
Amph. Quæſo abſolvito hinc me extemplo, quando ſatis deluſeris.
Quid fit deinde? *Bro.* Dum hæc aguntur, interea uxorem tuam
Neque gementem, neque plorantem noſtrum quiſquam audivimus:
Ita profecto ſine dolore peperit. *Amph.* Jam iſtuc gaudeo,
Utut erga me eſt merita. *Bro.* Iſtæc mitte, atque hæc quæ dicam accipe.
Poſtquam peperit pueros, lavere juſſit nos. occœpimus:
Sed puer ille quem ego lavi, ut magnus eſt, & multum valet!
Neque eum quiſquam colligare quivit incunabulis.
Amph. Nimia mira memoras: ſi iſtæc vera ſunt, divinitus
Non metuo quin meæ uxori latæ ſuppetiæ fient.
Bro. Magis jam faxo mira dices: poſtquam in cunas conditu'ſt,
Devolant angues jubati deorſum in impluvium duo
Maxumi: continuo extollunt ambo capita. *Amph.* Hei mihi!
Bro. Ne pave, ſed angues oculis omnes circumviſere.
Poſtquam pueros conſpicati, pergunt ad cunas citi.
Ego cunas receſſim ſurſum vorſum trahere & ducere,
Metuens pueris, mihi formidans: tantoque angues acrius
Perſequi: poſtquam conſpexit angues ille alter puer,
Citus e cunis exilit, facit recta in angueis impetum:
Alterum altera apprehendit eos manu perniciter.
Ampp. Mira memoras: nimis formidoloſum facinus prædicas.
Nam mihi horror membra miſero percipit dictis tuis.
Quid fit deinde? porro loquere. *Bro.* Puer ambo angues enecat.
Dum hæc aguntur, voce clara exclamat uxorem tuam.
Amph. Quis homo? *Bro.* Summus imperator divom atque hominum Juppiter.
Is ſe dixit cum Alcumena clam conſuetum cubilibus,
Eumque filium ſuum eſſe qui illos angues vicerit:
Alterum eſſe tuum dixit puerum. *Amph.* Pol me haud pœnitet,
Scilicet boni dimidium mihi dividere cum Jove.
Abi domum, jube vaſa pura actutum adornari mihi,
Ut Jovis ſupremi multis hoſtiis pacem expetam.
Ego Tireſiam conjectorem advocabo, & conſulam
Quid faciendum cenſeat: ſimul hanc rem, ut facta eſt, eloquar.
Sed quid hoc? quam valide tonuit? di obſecro voſtram fidem!

ACTUS V. SCENA II.

Juppiter.

BOno animo es, aſſum auxilio, Amphitruo, tibi & tuis:
Nihil eſt quod timeas; hariolos, haruſpices
Mitte omneis: quæ futura & quæ facta, eloquar:
Multo adeo melius, quam illi, quom ſim Juppiter.
Primum omnium Alcumenæ uſuram corporis
Cepi, & concubitu gravidam feci filio.
Tu gravidam item feciſti, quom in exercitum
Profectus: uno partu duos peperit ſimul.
Eorum alter, noſtro qui eſt ſuſceptus ſemine,
Suis factis ſe immortali afficiet gloria.
Tu cum Alcumena uxore antiquam in gratiam
Redi. haud promeruit, quamobrem vitio vorteres.
Mea vi ſubacta eſt facere: ego in cœlum migro.

ACTUS V. SCENA III.

Amphitruo.

FAciam ita ut jubes, & te oro promiſſa ut ſerves tua.
Ibo ad uxorem intro, miſſum facio Tireſiam ſenem.
Nunc ſpectatores Jovis ſummi cauſſa clare plaudite.

FINIS AMPHITRUONIS.

ASINARIA.

Dramatis Perſonæ.

LIBANUS *ſervus.*
DEMÆNETUS *ſenex.*
ARGYRIPPUS *adoleſcens.*
CLEÆRETA *lena.*
LEONIDA *ſervus.*
PHILENIUM *meretrix.*
DIABOLUS *adoleſcens.*
PARASITUS.
ARTEMONA *uxor.*
MERCATOR.
GREX.

ARGUMENTUM.

AManti argento filio auxiliarier
Sub imperio vivens volt ſenex uxorio.
Itaque ob aſinos relatum pretium Saureæ
Numerarier juſſit ſervolo Leonidæ.
Ad amicam id fertur. cedit noctem filius.
Rivinus amens ob præreptam mulierem:
Is rem omnem uxori per Paraſitum nunciat.
Accurrit uxor, ac virum e luſtris rapit.

PROLOGUS.

HOc agite ſultis ſpectatores nunc jam,
Quæ quidem mihi atque vobis res vortat bene,
Gregique huic & dominis, atque conductoribus.
Face jam tu præco nunc omnem auritum poplum.
Age nunc reſide: cave modo ne gratiis.
Nunc, quid proceſſerim huc, & quid mihi voluerim,
Dicam, ut ſciretis nomen hujus fabulæ.
Nam quod ad argumentum attinet, ſane breve 'ſt.
Nunc quod me dixi velle vobis dicere,
Dicam: Huic nomen Græce eſt Onagos Fabulæ.
Demophilus ſcripſit, MARCUS vortit barbare,
ASINARIAM volt eſſe, ſi per vos licet.
Ineſt lepos, luduſque in hac Comœdia.
Ridicula res eſt, date benigne operam mihi,
Ut vos item alias, pariter nunc Mars adjuvet.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Libanus ſervus, *Demænetus* ſenex.

SIcut tuum vis unicum gnatum tuæ
Supereſſe vitæ, ſoſpitem & ſuperſtitem:
Ita te obteſtor, tum per ſenectutem tuam,
Perque illam quam tu metuis uxorem tuam:
Si quid med erga tu hodie falſum dixeris,
Ut tibi ſuperſtes uxor ætatem ſiet:
Atque illa viva vivos ut peſtem oppetas.
Dem. Per Deum Fidium quæris; jurato mihi
Video neceſſe eſſe eloqui quicquid roges,
Ita me obſtinate aggreſſus, ut non audeam
Profecto, percunctanti quin promam omnia.
Proinde actutum iſtud quid ſit, quod ſcire expetis,
Eloquere: ut ipſe ſcibo, te faciam ut ſcias.
Lib. Dic obſecro hercle ſerio, quod te rogem.
Cave mihi mendacii quicquam. *Dem.* Quin tu ergo rogas?
Lib. Num me illuc ducis ubi lapis lapidem terit?
Dem. Quid iſtuc eſt? aut ubi eſt iſtuc terrarum loci?
Lib. Ubi flent nequam homines, qui polentam pranſitant.

Dem. Quid iſtuc ſit, aut ubi iſtuc ſit, nequeo noſcere,
Ubi flent nequam homines, qui polentam pranſitant.
Lib. Apud fuſtitudinas ferricrepinas inſulas,
Ubi vivos homines mortui incurſant boves.
Dem. Modo pol percepi, Libane, quid iſtuc ſit loci,
Ubi ſit polenta, te fortaſſe dicere. *Lib.* Ah!
Neque hercle ego iſtuc dico, nec dictum volo.
Teque obſecro hercle, ut quæ locutus deſpuas.
Dem. Fiat, geratur mos tibi. *Lib.* Age age uſque excrea.
Dem. Etiamne? *Lib.* Quæſo hercle uſque ex penitis faucibus.
Dem. Etiam? *Lib.* Amplius. *Dem.* Nam quouſque? *Lib.* Uſque ad mortem volo.
Dem. Cave ſis malam rem. *Lib.* Uxoris dico, non tuam.
Dem. Dono te ob iſtuc dictum, ut expers ſis metu.
Lib. Di tibi dent quæcunque optes. *Dem.* Redde operam mihi.
Cur hoc ego ex te quæram? aut cur miniter tibi,
Propterea quod me non ſcientem feceris?
Aut cur poſtremo filio ſuccenſeam,
Patres ut faciunt cæteri? *Lib.* Quid iſtuc novi eſt?
Dem. Equidem ſcio jam filius quod amet meus
Iſtanc meretricem e proximo Philenium.
Eſtne hoc ut dico Libane? *Lib.* Rectam inſtas viam.
Ea res eſt. ſed eum morbus invaſit gravis.
Dem. Quid morbi eſt? *Lib.* Quia non ſuppetunt dictis data.
Dem. Tune es adjutor nunc amanti filio?
Lib. Sum vero, & alter noſter eſt Leonida.
Dem. Bene hercle facitis, & a me initis gratiam.
Verum meam uxorem Libane neſcis qualis ſit?
Lib. Tu primus ſentis, nos tamen prænoſcimus.
Dem. Fateor eam eſſe importunam atque incommodam.
Lib. Poſterius iſtuc dicis, quam credo tibi.
Dem. Omnes parentes, Libane, liberis ſuis,
Qui mihi auſcultabunt, facient obſequelam jam:
Quippe qui mage amico utantur gnato & benevolo,
Atque ego me id facere ſtudeo, volo amari a meis,
Volo me patris mei ſimilem, qui cauſſa mea
Nauclerio ipſe ornatu per fallaciam,
Quam amabam abduxit ab lenone mulierem.
Neque puduit eum id ætatis ſycophantias
Struere, & beneficiis me emere gnatum ſuum ſibi.
Eos me decretum eſt perſequi mores patris.
Nam me hodie oravit Argyrippus filius,
Uti ſibi amanti facerem argenti copiam:
Et id ego percupio obſequi gnato meo.
Volo amori obſecutum illius, volo amet me patrem,
Quanquam illum mater arcte contenteque habet,
Patres ut conſueverunt: ego mitto omnia hæc.
Præſertim quom is me dignum, quoi concrederet,
Habuit, me habere honorem ejus ingenio decet:
Quom me adiit, ut pudentem gnatum æquom eſt, patrem;
Cupio eſſe amicæ quod det argentum ſuæ.
Lib. Demiror quid ſit, & quo evadat, ſum in metu.
Dem, Equidem ſcio jam filius quod amet meus.
Lib. Cupis id, quod cupere te nequicquam intelligo;
Dotalem ſervom Sauream uxor tua
Adduxit, cui plus in manu ſit quam tibi.
Dem. ARGENTUM accepi, dote imperium vendidi.
Nunc verba in pauca conferam, quid te velim.
Viginti jam uſu 'ſt filio argenti minis.
Face id ut paratum jam ſit. *Lib.* Unde gentium?
Dem. Me defraudato. *Lib.* Maxumas nugas agis.
Nudo detrahere veſtimenta me jubes.

Defru-

Defrudem te ego? age ſis tu ſine pennis vola.
Tene ego defrudem, cui ipſi nihil eſt in manu?
Niſi quid tu porro uxorem defraudaveris.
Dem. Qua me, qua uxorem, qua tu ſervom Sauream
Potes, circumduce, aufer. promitto tibi
Non offuturum, ſi id hodie effeceris.
Lib. Jubeas una opera me piſcari in aere,
Venari autem rete jaculo in medio mari.
Dem. Tibi optionem ſumito Leonidam,
Fabricare quidvis, quidvis comminiſcere.
Perficito argentum hodie ut habeat filius,
Amicæ quod det. *Lib.* Quid ais tu Demænete?
Quid ſi forte in inſidias devenero?
Tu redimes me, ſi me hoſtes interceperint?
Dem. Redimam. *Lib.* Tum tu igitur aliud cura quid lubet.
Dem. Ego eo ad forum, niſi quid vis. *Lib.* i. etiamne ambulas?
Dem. Atque audin' etiam? *Lib.* Ecce. *Dem.* Si quid te volam, ubi eris?
Lib. Ubicunque libitum fuerit animo meo.
Profecto nemo eſt, quem jam dehinc metuam mihi,
Ne quid nocere poſſit: cum mihi tua
Oratione omnem animum oſtendiſti tuum.
Quin te quoque ipſum facio haud magni, ſi hoc patro.
Pergam quo occœpi, atque ibi conſilia exordiar.
Dem. Audin' tu? apud Archibulum ego ero argentarium.
Lib. Nempe in foro? *Dem.* Ibi, ſi quid opus fuerit.
Lib. Meminero.
Dem. Non eſſe ſervos pejor hoc quiſquam poteſt.
Nec magis verſutus, nec quo ab caveas ægrius.
Eidem homini, ſi quid recte curatum velis,
Mandes. moriri ſeſe miſere mavolet,
Quam non perfectum reddat quod promiſerit.
Nam ego illud argentum tam paratum filio
Scio eſſe, quam me hunc ſcipionem contui.
Sed quid ego ceſſo ire ad forum, quod incœperam?
Ibo, atque ibi manebo apud argentarium.

ACTUS I. SCENA II.

Argyrippus adoleſcens.

SIccine hoc fit? foras ædibus me ejici?
Promerenti optume hoccine pretii redditur?
Bene merenti mala es, male merenti bona es.
At malo cum tuo: nam jam ex hoc loco
Ibo ego ad tres viros, veſtraque ibi nomina
Faxo erunt: capitis te perdam ego & filiam,
Perlecebræ, pernicies, adoleſcentum exitium.
Nam mare haud eſt mare, vos mare acerrimum.
Nam in mari repperi, hic elavi bonis.
Ingrata atque irrita eſſe omnia intellego
Quæ dedi, & quod benefeci: at poſthac tibi,
Male quod potero facere, faciam, meritoque id faciam tuo.
Ego pol te redigam eodem unde orta es, ad egeſtatis terminos.
Ego edepol te faciam, ut quæ ſis nunc, & quæ fueris, ſcias.
Quæ priuſquam iſtam adii, atque amans ego animum meum iſti dedi,
Sordido vitam oblectabas pane, in pannis inopia * *
Atque ea ſi erant, magnas habebas omnibus dis gratias:
Eadem nunc, quom eſt melius, me, cujus opera eſt, ignoras, mala.
Reddam ego te ex fera fame manſuetem, me ſpecta modo.
Nam iſti quod ſuccenſeam ipſi, nihil eſt: nihil quicquam meret.
Tuo facit juſſu; tuo imperio paret: mater tu, eadem hera es.
Te ego ulciſcar, te ego ut digna es, perdam, atque ut de me meres.
At ſceleſta viden' ut ne id quidem me dignum eſſe exiſtumat,
Quem adeat, quem colloquatur, cuique irato ſupplicet?
Atque eccam illecebra exit. tandem opinor hic ante oſtium
Meo modo loquar quæ volam, quoniam intus non licitum eſt mihi.

ACTUS I. SCENA III.

Lena Cleæreta. *Argyrippus* adoleſcens.

UNumquodque iſtorum verbum nummis Philippeis aureis
Non poteſt auferre hinc a me, ſi quis emptor venerit.
Nec recte quæ tu in nos dicis, aurum atque argentum merum 'ſt.
Fixus hic apud nos eſt animus tuus clavo Cupidinis.
Remigio veloque quantum poteris, feſtina & fuge.
Quam magis te in altum capeſſis, tam æſtus te in portum refert.
Arg. Ego pol iſtum portitorem privabo portorio.
Ego te dehinc, ut merita es de me, & mea re, tractare exſequar:
Quom tu me ut meritus ſum, non tractas, quæ ejicis domo.
Le. Magis iſtuc percipimus lingua dici, quam factis fore.
Arg. Solus ſolitudine ego ted atque ab egeſtate abſtuli:
Solus ſi ductem, referre gratiam nunquam potes.
Le. Solus ductato, ſi ſemper ſolus quæ poſcam dabis:
Semper tibi promiſſum habeto hac lege, dum ſuperes datis.
Arg. Qui modus dandi? nam nunquam tu quidem expleri potes.
Modo quod accepiſti, haud multo aliquid poſt quod poſcas, paras.
Le. Quid modi 'ſt? ductando, amando, nunquamne expleri potes?
Modo remiſiſti, continuo jam ut remittam ad te rogas.
Arg. Dedi equidem, quod mecum egiſti. *Le.* Et tibi ego miſi mulierem.
Par pari datum hoſtimentu 'ſt, opera pro pecunia.
Arg. Male agis mecum. *Le.* Quid me accuſas, ſi facio officium meum?
Nam NEQUE uſquam fictum, neque pictum, neque ſcriptum in poematis.
Ubi lena bene agat cum quiquam amante, quæ frugi eſſe volt.
Arg. Mihi quidem te parcere æquum eſt tandem, ut tibi durem diu.
Le. Non tu ſcis, quæ amanti parcet, eadem ſibi parcet parum.
Quaſi piſcis, itidem eſt amator lenæ, nequam eſt niſi recens.
Is habet ſuccum, is ſuavitatem: eum quovis pacto condias;
Vel patinarium vel aſſum: verſes quo pacto lubet.
Is dare volt, is ſe aliquid poſci. nam ubi de pleno promitur,

Neque ille ſcit quid det, quid damni faciat, illi rei ſtudet:
Volt placere ſeſe amicæ, volt mihi, volt pediſſequæ,
Volt famulis, volt etiam ancillis: & quoque catulo meo
Subblanditur novus amator, ſe ut quom videat, gaudeat.
Vera dico. AD SUUM quemque hominem quæſtum eſſe æquum eſt callidum.
Arg. Perdidici iſthæc eſſe vera damno cum magno meo.
Le. Si ecaſtor nunc habeas quod des, alia verba perhibeas:
Nunc quia nihil habes, maledictis te eam ductare poſtulas.
Arg. Non meum eſt. *Le.* Nec meum quidem edepol, ad te ut mittam gratiis.
Verum ætatis atque honoris gratia hoc fiet tui:
Quia nobis lucro fuiſti potius, quam decori tibi.
Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum,
Hanc tibi noctem honoris cauſſa gratiis dono dabo.
Arg. Quid, ſi non eſt? *Le.* Tibi non eſſe credam illa? alio ibit tamen.
Arg. Ubi illæc quæ dedi ante? *Le.* Abuſa. nam ſi ea durarent mihi,
Mulier mitteretur ad te: nunquam quicquam poſcerem.
Diem, aquam, ſolem, lunam, noctem, hæc argento non emo:
Cætera quæque volumus uti, Græca mercamur fide.
Quom a piſtore panem petimus, vinum ex œnopolio,
Si æs habent, dant mercem: eadem nos diſciplina utimur.
Semper oculatæ noſtræ ſunt manus, credunt quod vident.
Vetus eſt, nihili cocio eſt: ſcis cujus? non dico amplius.
Arg. Aliam nunc mihi orationem deſpoliato prædicas:
Longe aliam præbes, inquam, nunc atque olim quom dabam:
Aliam atque olim quom illiciebas me ad te blande ac benedice:
Tum mihi ædes quoque arridebant, cum ad te veniebam, tuæ.
Me unice unum ex omnibus te atque illam amare, ajebas mihi.
Ubi quid dederam, quaſi columbæ pulli in ore ambæ meo
Uſque eratis: meo de ſtudio ſtudia erant veſtra omnia.
Uſque adhærebatis: quod ego juſſeram, quod volueram
Faciebatis: quod nolebam ac vetueram, de induſtria
Fugiebatis, neque conari id facere audiebatis prius.
Nunc neque quid velim, neque nolim, facitis magni, peſſumæ.
Le. Non tu ſcis? hic noſter quæſtus aucupii ſimillimu'ſt.
Auceps quando concinnavit aream, offundit cibum:
Aves aſſueſcunt. NECESSE eſt facere ſumtum, qui quærit lucrum.
Sæpe edunt: ſemel ſi ſunt captæ, rem ſolvont aucupi.
Itidem hic apud nos. ædis nobis area eſt, auceps ſum ego,
Eſca eſt meretrix, lectus illix eſt, amatores aves:
Bene ſalutando conſueſcunt, compellando blanditer,
Oſculando, oratione vinnula, venuſtula.
Si papillam pertractavit, haud id eſt ab re aucupis.
Suavium ſi ſumpſit, ſumere eum licet ſine retibus.
Hæccine te eſſe oblitum, in ludo qui fuiſti tam diu?
Arg. Tua iſta culpa eſt, quæ diſcipulum ſemidoctum abs te amoves.
Le. Remeato audacter, mercedem ſi eris nactus: nunc abi.
Arg. Mane, mane. audi: dic quid me æquom cenſes pro illa tibi dare,
Annum hunc ne cum quiquam alio ſit? *Le.* Tene? viginti minas.
Atque ea lege, ſi alius ad me prius attulerit, tu vale.
Arg. At ego, eſt etiam, priuſquam abis, quod volo loqui. *Le.* Dic quod lubet.
Arg. Non omnino jam perii: eſt reliquom quo peream magis.
Habeo, unde iſtuc tibi quod poſcis dem: ſed in leges meas
Dabo, ut ſcire poſſis perpetuum annum hunc mihi uti ſerviat.
Nec quenquam interea alium admittat prorſus, quam me, ad ſe virum.
Le. Quin ſi tu voles, domi ſervi qui ſunt, caſtrabo viros.
Poſtremo ut voles nos eſſe, ſyngrapham facito afferas.
Ut voles, ut tibi lubebit, nobis legem imponito:
Modo tecum una argentum afferto, facile patiar cætera.
Portitorum ſimillimæ ſunt januæ lenoniæ:
Si affers, tum patent: ſi non eſt quod des, ædes non patent.
Arg. Interii, ſi non invenio ego illas viginti minas.
Et profecto, niſi illud perdo argentum, pereundum eſt mihi.
Nunc pergam ad forum, atque experiar opibus, omni copia:
Supplicabo, exobſecrabo, ut quemque amicum videro:
Dignos, indignos adire, atque experiri certum eſt mihi.
Nam ſi mutuas non potero, certum eſt ſumam fœnore.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

Libanus ſervus.

Hercle vero Libane nunc te meliu'ſt expergiſcier,
Atque argento comparando fingere fallaciam.
Jam diu eſt factum quom diſceſti ab hero, atque abiiſti ad forum,
Igitur inveniundo argento ut fingeres fallaciam.
Ibi tu ad hoc diei tempus dormitaſti in otio.
Quin tu abs te ſocordiam omnem rejice, & ſegnitiem amove;
Atque ad ingenium vetus verſutum te recipis tuum.
Serva herum: cave tu idem faxis, alii quod ſervi ſolent,
Qui ad heri fraudationem callidum ingenium gerunt.
Unde ſumam? quem intervortam? quo hanc celocem conferam?
Impetritum, inauguratum 'ſt, quovis admittunt aves.
Picus & cornix eſt ab læva, corvos porro ab dextera.
Conſuadent. certum hercle eſt voſtram conſequi ſententiam.
Sed quid hoc, quod picus ulmum tundit? non temerarium 'ſt:
Certe hercle ego quantum ex augurio auſpicii intellego,
Aut mihi in mundo ſunt virgæ, aut atrienſi Saureæ.
Sed quid illuc quod exanimatus currit huc Leonida?
Metuo, quod illic obſcœvavit meæ falſæ fallaciæ.

ACTUS II. SCENA II.

Leonida, Libanus, ſervi.

UBi ego nunc Libanum requiram, aut familiarem filium?
Ubi ego illos lubentiores faciam, quam Lubentia 'ſt?
Maxumam prædam & triumphum eis adfero adventu meo.
Quan-

Quando mecum pariter potant, pariter ſcortari ſolent:
Hanc quidem quam nactus prædam, pariter cum illis partiam.
Lib. Illic homo ædeis compilavit, more ſi fecit ſuo.
Væ illi qui tam indiligenter obſervavit januam.
Leon. Ætatem velim ſervire, Libanum ut conveniam modo.
Lib. Mea quidem hercle opera liber nunquam fies ocius.
Leon. Etiam de tergo ducentas plagas prægnanteis dabo.
Lib. Largitur peculium, omnem in tergo theſaurum gerit.
Leon. Nam ſi huic occaſioni tempus ſeſe ſubterduxerit,
Nunquam edepol quadrigis albis indipiſcet poſtea.
Herum in obſidione linquet, inimicum animos auxerit.
Sed ſi mecum occaſionem opprimere hanc, quæ obvenit, ſtudet,
Maxumas opimitates gaudio effertiſſimas
Suis heris ille una mecum pariet, gnatoque & patri:
Adeo ut ætatem ambo ambobus nobis ſint obnoxii,
Noſtro devincti beneficio. *Lib.* Vinctos neſcio quos ait.
Non placet. metuo in commune ne quam fraudem frauſus ſit.
Leon. Perii ego oppido, niſi Libanum invenio, jam ubi ubi eſt gentium.
Lib. Illic homo ſocium ad malam rem quærit, quem adjungat ſibi.
Non placet. pro monſtro exemplum eſt, quando qui ſudat tremit.
Leon. Sed quid ego hic properans conceſſo pedibus, lingua largior?
Quin ego hanc jubeo tacere, quæ loquens lacerat diem?
Lib. Heu edepol hominem infelicem, qui patronam comprimat.
Nam ſi quid ſceleſte fecit, lingua pro illo pejerat.
Leon. Approperabo, ne poſt tempus prædæ præſidium parem.
Lib. Quæ illæc præda eſt? ibo advorſum atque electabo quicquid eſt.
Jubeo te ſalvere voce ſumma, quoad vires valent.
Leon. Gymnaſium flagri, ſalveto. *Lib.* Quid agis, cuſtos carceris?
Leon. O catenarum colone. *Lib.* O virgarum laſcivia.
Leon. Quot pondo ted eſſe cenſes nudum? *Lib.* Non edepol ſcio.
Leon. Scibam ego te neſcire: at pol ego qui te expendi ſcio.
Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.
Lib. Quo argumento iſtuc? *Leon.* Ego dicam, quo argumento & quo modo.
Ad pedes quando alligatum eſt æquom centupondium,
Ubi manus manicæ complexæ ſunt, atque adductæ ad trabem,
Nec dependis, nec propendis, quin malus nequamque ſis.
Lib. Væ tibi. *Len.* Hoc teſtamento ſervitus legat tibi.
Lib. Verbis velitationem fieri compendio volo.
Quid iſtuc negotii eſt? *Leon.* Certum eſt credere? *Lib.* Audacter licet.
Leon. Sis amanti ſubvenire familiari filio,
Tantum adeſt boni improviſo, verum commixtum malo.
Omnes de nobis carnificum concelebrabuntur dies.
Libane, nunc audacia uſus eſt nobis inventa & dolis.
Tantum facinus inveni modo ego, ut nos dicamur duo
Omnium digniſſimi eſſe, quo cruciatus confluant.
Lib. Ergo mirabar, quod dudum ſcapulæ geſtibant mihi
Hariolari quæ occœperunt ſibi eſſe in mundo malum.
Quicquid eſt eloquere. *Leon.* Magna eſt præda cum magno malo.
Lib. Siquidem omnes conjurati cruciamenta conferant,
Habeo opinor familiarem tergum, ne quæram foris.
Leon. Si iſtam firmitudinem obtines animi, ſalvi ſumus.
Lib. Quin ſi tergo res ſolvenda eſt, rapere cupio publicum.
Pernegabo atque obdurabo, perjurabo denique.
Leon. Hem ISTA VIRTUS eſt, quando uſu'ſt, qui malum fert fortiter.
Fortiter malum qui patitur, idem poſt patitur bonum.
Lib. Quin rem actutum ediſſeris? cupio malum nanciſcier.
Leon. Placide ergo unumquidque derogita, ut acquieſcam. non vides
Me ex curſura anhelitum etiam ducere? *Lib.* Age, age, manſero
Tuo arbitratu, vel adeo uſque dum peris. *Leon.* Ubinam eſt herus?
Lib. Major apud forum'ſt, minor hic eſt intus. *Leon.* jam ſatis eſt mihi.
Lib. Tum tu igitur es dives factus? *Leon.* Mitte ridicularia.
Lib. Mitto. iſtud quod affers aures exſpectant meæ.
Leon. Animum advorte, ut æque mecum hæc ſcias. *Lib.* Taceo. *Leon.* Beas.
Meminiſtin' aſinos Arcadicos mercatori Pelleo
Noſtrum vendere atrienſem? *Lib.* Memini. quid tum poſtea?
Leon. Hem ergo is argentum huc remiſit, quod daretur Saureæ
Pro aſinis. adoleſcens venit modo, qui id argentum attulit.
Lib. Ubi is homo'ſt? *Leon.* Jam devorandum cenſes, ſi conſpexeris.
Lib. Ita enimvero. ſed tamen tu nempe eos aſinos prædicas
Vetulos, claudos, quibus ſubtritæ ad femina jam erant ungulæ.
Leon. Ipſos, qui tibi ſubvectabant rure huc virgas ulmeas.
Lib. Teneo: atque iidem te hinc vexerunt vinctum rus. *Leon.* Memor es probe.
Verum in tonſtrina ut ſedebam, me infit percontarier:
Ecquem filium Stratonis noverim Demænetum?
Dico me noviſſe extemplo, & me ejus ſervom prædico
Eſſe, & ædeis demonſtravi noſtras. *Lib.* Quid tum poſtea?
Leon. Ait ſe ob aſinos ferre argentum atrienſi Saureæ,
Viginti minas, ſed eum ſeſe non noviſſe hominem qui ſiet:
Ipſum vero ſe noviſſe callide Demænetum:
Quoniam ille elocutus hæc ſit. *Lib.* Quid tum? *Leon.* Auſculta ergo, ſcies.
Extemplo facio facetum me, atque magnificum virum,
Dico med eſſe atrienſem, ſic hoc reſpondit mihi:
Ego pol Sauream non novi, neque qua facie ſit ſcio:
Te non æquom mi eſt ſuccenſere. ſi herum vis Demænetum,
Quem ego novi, adduce: argentum non morabor quin feras.
Ego me dixeram adducturum, & me domi præſto fore.
Ille in balneas iturus eſt, inde huc veniet poſtea.
Quid nunc conſilii captandum cenſes? dic. *Lib.* Hem iſtuc ago,
Quomodo argentum intervortam, & adventorem, & Sauream.
Jam hoc opus eſt exaſciatum. nam ſi ille argentum prius

Hoſpes huc adfert, continuo nos ambo excluſi ſumus.
Nam me hodie ſenex ſeduxit ſolum, ſeorſum ab ædibus,
Mihi, tibique interminatu 'ſt nos futuros ulmeos,
Niſi hodie Argyrippo viginti eſſent argenti minæ.
Juſſit vel nos atrienſem, vel nos uxorem ſuam
Defraudare: dixit operam ſeſe promiſſam dare.
Nunc tu abi ad forum adque herum, & narra, hæc ut acturi ſumus:
Te ex Leonida futurum eſſe atrienſem Sauream,
Dum argentum afferat Mercator pro aſinis. *Leon.* Faciam uti jubes.
Lib. Ego illum interea hic oblectabo, prius ſi forte advenerit.
Leon. Quid ais? *Lib.* Quid vis? *Leon.* Pugno malam ſi tibi percuſſero,
Mox cum Sauream imitabor, caveto ne ſuccenſeas.
Lib. Hercle vero tu cavebis, ne me attingas. ſi me tangis,
Næ hodie malo cum auſpicio nomen commutaveris.
Leon. Quæſo æquo animo patitor. *Lib.* Patitor tu item, cum ego te referiam.
Leon. Dico ut uſus fieri. *Lib.* Dico hercle ego quoque ut facturus ſum.
Leon. Ne nega. *Lib.* Quin promitto inquam hoſtire contra, ut merueris.
Leon. Ego abeo; tu jam ſcio patiere. ſed quis hic eſt? is eſt,
Ille eſt ipſus. jam ego recurro huc. tu hunc interea hic tene.
Volo ſeni narrare. *Lib.* Quin tu officium facis ergo, ac fugis?

ACTUS II. SCENA III.

Mercator, Libanus.

Ut demonſtratæ ſunt mihi, illaſce ædeis eſſe oportet,
Demænetus ubi dicitur habitare. I puere, pulta,
Atque atrienſem Sauream, ſi eſt intus, evocato huc.
Lib. Quis noſtras ſic frangit fores? ohe, inquam, ſi quid audis.
Mer. Nemo etiam tetigit: ſanusne es tu? *Lib.* At cenſebam attigiſſe,
Propterea huc quia habebas iter. nolo ego fores conſervas meas
A te verberarier: ſane ego ſum amicus noſtris ædibus.
Mer. Pol haud periculum eſt, cardines ne foribus effringantur,
Si iſtoc exemplo tu omnibus qui quærunt reſpondebis.
Lib. Ita hæc morata eſt janua: extemplo janitorem
Clamat, procul ſi quem videt ire ad ſeſe calcitronem.
Sed quid venis? quid quæritas? *Mer.* Demænetum volebam.
Lib. Si ſit domi, dicam tibi. *Mer.* Quid? ejus atrienſis?
Lib. Nihilo magis intus eſt. *Mer.* Ubi eſt? *Lib.* Ad tonſorem ire dixit.
Mer. Quom veniſſet, poſt non rediit? *Lib.* Non edepol, quid volebas?
Mer. Argenti viginti minas, ſi adeſſet, accepiſſet.
Lib. Qui pro iſtuc? *Mer.* Aſinos vendidit Pellæo mercatori
Mercatu. *Lib.* Scio; tu id nunc refers. jam hic credo eum affuturum.
Mer. Qua facie veſter Saurea eſt? ſi is eſt, jam ſcire potero.
Lib. Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventrioſus,
Truculentis oculis, triſti fronte, commoda ſtatura.
Mer. Non potuit pictor rectius deſcribere ejus formam.
Atque hercle ipſum adeo contuor: quaſſanti capite incedit.

Lib. Quiſque obviam huic hic occeſſerit irato, vapulabit.
Siquidem hercle Æacidinis minis animiſque expletus incedit,
Si me iratus tetigerit, iratus vapulabit.

ACTUS II. SCENA IV.

Leonida, Mercator, Libanus.

Quid hoc eſt negotii? neminem meum dictum magnifacere.
Libanum in tonſtrinam ut juſſeram venire, is nullus venit.
Næ ille edepol tergo & cruribus conſuluit haud decore.
Mer. Nimis imperioſus eſt. *Lib.* Væ mihi hodie. *Leon.* Salvere juſſi
Libanum libertum. jam manu emiſſus? *Lib.* Obſecro te.
Leon. Næ tu hercle cum magno malo mihi obviam occeſſiſti.
Cur non veniſti, ut juſſeram, in tonſtrinam? *Lib.* Hic me moratu 'ſt.
Leon. Siquidem hercle nunc ſummum Jovem te dicas detinuiſſe,
Atque is precator aſſiet, malam rem effugies nunquam.
Tu verbero, imperium meum contempſiſti? *Lib.* Perii hoſpes.
Mer. Quæſo hercle noli, Saurea, mea cauſſa hunc verberare.
Leon. Utinam nunc ſtimulus in manu mihi ſit! *Mer.* Quieſce quæſo.
Leon. Qui latera conteram tua, quæ occalluere plagis.
Abſcede, & ſine me hunc perdere, qui ſemper me incendit ira.
Cui nunquam unam rem me licet ſemel præcipere furi,
Quin centies eadem imperem, atque oggarriam, itaque jam hercle
Clamore ac ſtomacho non queo labori ſuppeditare.
Juſſin' ſceleſte, ab janua hoc ſtercus hinc auferri?
Juſſin' columnis dejicier operas aranearum?
Juſſin' in ſplendorem dari bullas has foribus noſtris?
Nihil eſt: tanquam ſi claudus ſim, cum fuſti eſt ambulandum.
Quia triduum hoc unum modo foro operam aſſiduam dedi,
Dum reperiam qui quæritent argentum in fœnus, hic vos
Dormitis interea domi: atque herus in hara, haud ædibus habitat.
Hem ergo hoc tibi. *Lib.* Hoſpes te obſecro, defende. *Mer.* Saurea, oro,
Mea cauſſa ut mittas. *Leon.* Eho, ecquis pro vectura olivi
Reſolvit? *Lib.* Reſolvit. *Leon.* Cui datum eſt? *Lib.* Sticho vicario ipſi
Tuo. *Leon.* Vah! delenire apparas. ſcio mihi vicarium eſſe,
Neque eo eſſe ſervom in ædibus heri, qui ſit pluris, quam ille ſit.
Sed vina heri quæ vendidi vinario Exaerambo,
Jam pro iis ſatisfecit Sticho? *Lib.* Feciſſe ſatis opinor:
Nam vidi huc ipſum adducere trapezitam Exaerambum.
Leon. Sic dedero. prius quæ credidi, vix anno poſt exegi.
Nunc ſatagit: adducit domum etiam ultro, & ſcribit nummos.
Dromo mercedem rettulit? *Lib.* Dimidio minus opinor.
Leon. Quid reliquom? *Lib.* Ajebat reddere quam extemplo ſibi redditum eſſet:
Nam retineri, ut quod ſit operis efficeret locatum.

Leon. Scyphos quos utendos dedi Philodamo, rettulitne?
Lib. Non etiam. *Leon.* Hem, non? ſi velis, da, commoda homini amico.
Mer. Perii hercle. jam hic me abegerit ſuo odio. *Lib.* Heu jam ſatis tu.
Audin' quæ loquitur? *Leon.* Audio, & quieſco. *Mer.* Tandem opinor
Conticuit: nunc adeam optumum eſt, priuſquam incipit tinnire.
Quam mox mihi operam das? *Leon.* Ehem, optume: quamdudum tu adveniſti?
Non hercle te provideram. quæſo ne vitio vortas;
Ita iracundia obſtitit oculis. *Mer.* Non mirum factum eſt,
Sed ſi domi eſt, Demænetum volebam. *Leon.* Negat eſſe intus.
Verum iſtuc argentum tamen mihi ſi vis denumerare,
Repromittam iſtoc tibi nomine ſolutam rem futuram.
Mer. Sic potius, ut Demæneto tibi hero præſente reddam.
Lib. Herus iſtunc novit, atque herum hic. *Mer.* Hero huic præſente reddam.
Lib. Da modo meo periculo: rem ſalvam ego exhibebo:
Nam ſi ſciat noſter ſenex fidem non eſſe huic habitam,
Succenſeat, cui omnium rerum ipſus ſemper credit.
Leon. Non magni pendo ne duit: ſi non vult, ſic ſine aſtet.
Lib. Da, inquam. vah formido miſer, ne hic me tibi arbitretur
Suaſiſſe, ſibi ne crederes. da quæſo, ac ne formida.
Salvom hercle erit. *Mer.* Credam fore, dum quidem ipſe in manu habeo.
Peregrinus ego ſum, Sauream non novi. *Lib.* At noſce ſane.
Mer. Sit, non ſit; non edepol ſcio. ſi is eſt, eum eſſe oportet.
Ego certe me incerto ſcio hoc daturum nemini homini.
Leon. Hercle iſtum di omnes perduint: verbo cave ſupplicaſſis.
Ferox eſt, viginti minas meas tractare ſeſe.
Nemo accipit, aufer te domum, abſcede hinc, moleſtus ne ſis.
Mer. Nimis iracunde. NON DECET ſuperbum eſſe hominem ſervom.
Lib. Malo hercle jam magno tuo nunc iſti nec recte dicis:
Impure, nihili, non vides iraſci? *Leon.* perge porro.
Lib. Flagitium hominis, da obſecro argentum huic, ne male loquatur.
Mer. Malum hercle vobis quæritis. *Leon.* Crura hercle diffringentur.
Age impudice, ni iſtum impudicum percies. *Lib.* Perii hercle.
Sceleſte, non audes mihi ſceleſto ſubvenire?
Leon. Pergin' precari peſſumo? *Mer.* Quæ res? tun' libero homini
Male ſervos loquere? *Leon.* vapula. *Mer.* Id quidem tibi hercle fiet,
Ut vapules, Demænetum ſimulac conſpexero hodie.
In jus voco te. *Leon.* Non eo. *Mer.* Non is? memento, *Leon.* Memini.
Mer. Dabitur pol ſupplicium mihi de tergo veſtro. *Leon.* Væ te.
Tibi quidem ſupplicium carnufex de nobis detur?
Mer. Atque etiam pro veſtris dictis maledictis pœnæ pendentur mihi hodie.
Leon. Quid, verbero? ain'? tu furcifer herum noſmet fugitare cenſes?
I nunc jam ad herum, quo vacas jamdudum, quo volebas.
Mer. Nunc demum tamen nunquam hinc feres argenti nummum, niſi me
Dare juſſerit Demænetus. *Leon.* Ita facito, age ambula ergo.
Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?
Tam ego homo ſum, quam tu. *Mer.* Scilicet ita res eſt. *Leon.* Sequere hac ergo.
Præfiſcine hoc nunc dixerim: nemo etiam me accuſavit
Merito meo, neque me Athenis eſt alter hodie quiſquam,
Cui credi recte æque putent. *Mer.* Fortaſſis! ſed tamen me
Nunquam hodie induces, ut tibi credam hoc argentum ignoto.
Lupus eſt homo homini, non homo, quom qualis ſit non novit.
Leon. Jam nunc ſecunda mihi facis. ſcibam huic te capitulo hodie
Facturum ſatis pro injuria. quanquam ego ſum ſordidatus,
Frugi tamen ſum, nec poteſt peculium enumerari.
Mer. Fortaſſe! *Leon.* etiam nunc dico: Periphanes Rhodo mercator
Dives, abſente hero ſolus mihi talentum argenti
Soli annumeravit, & mihi credidit, neque deceptus in eo.
Mer. Fortaſſe! *Leon.* Atque etiam tu quoque ipſe ſi eſſes percunctatus
Me ex aliis, ſcio pol crederes nunc quod fers. *Mer.* Haud negaſſim..

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

Cleæreta lena, *Philenium* meretrix.

NEQUEON' ego te interdictis facere manſuetam meis?
An ita tu es animata, ut qui expers matris imperii ſies?
Phil. Ubi piem Pietatem, ſi iſto more morata tibi
Poſtulem placere, mater, mihi quo pacto præcipis?
Cle. An decorum eſt adverſari meis te præceptis? *Phil.* Quid eſt?
Cle. Hoccine eſt pietatem colere, matris imperium minuere?
Phil. Neque quæ recte faciunt culpo, neque quæ delinquunt amo.
Cle. Satis dicacula es amatrix. *Phil.* Mater, is quæſtu'ſt mihi:
Lingua poſcit, corpus quærit, animus orat, res monet.
Cle. Ego te volui caſtigare, tu mi accuſatrix ades.
Phil. Neque edepol te accuſo, neque me id facere fas exiſtumo.
Verum ego meas queror fortunas, quom illo quem amo prohibeor.
Cle. Ergo una pars orationis de die dabitur mihi.
Phil. Et meam partem loquendi, & tuam trado tibi.
Ad loquendum, atque ad tacendum tute habeas portiſculum.
Quin pol ſi repoſui remum ſola ego in caſteria
Ubi quieſco, omnis familiæ cauſſa conſiſtit tibi.
Cle. Quid ais tu, quam ego unam vidi mulierem audaciſſimam?
Quoties te vetui Argyrippum filium Demæneti
Compellare aut contrectare, colloquive aut contui?

Qudi

Quid dedit? quid deportat? juſſit ad nos? an tu tibi
Verba blanda eſſe aurum rere? dicta docta pro datis?
Ultro amas, ultro expeteſſis, ultro ad te arceſſi jubes,
Illos qui dant, eos derides: qui deludunt, deperis.
An te id exſpectare oportet, ſi quis promittat tibi
Te facturum divitem, ſi moriatur mater ſua?
Ecaſtor nobis periculum magnum & familiæ portenditur.
Dum ejus exſpectamus mortem, ne nos moriamur fame.
Nunc adeo niſi mihi huc argenti affert viginti minas,
Næ ille ecaſtor hinc trudetur largus lacrumarum foras.
Hic dies ſummu'ſt apud me inopiæ excuſatio.

Phil. Patiar, ſi cibo carere me jubeas, mater mea.

Cle. Non veto ted amare, qui dant qua amentur gratia.

Phil. Quid ſi hic animus occupatu'ſt, mater, quid faciam? mone. *Cle.* Hem.
Meum caput contemples, ſi quidem ex re conſultas tua.

Phil. Etiam opilio, qui paſcit, mater, alienas oves,
Aliquando habet peculiarem, qui ſpem ſoletur ſuam.
Sine me amare unum Argyrippum animi cauſſa quem volo.

Cle. Intro abi: nam te quidem edepol nihil eſt impudentius.

Phil. Audientem dicto, mater, produxiſti filiam.

ACTUS III. SCENA II.

Leonida, Libanus: ſervi duo.

PErfidiæ laudes gratiaſque habemus merito magnas,
Quom noſtris ſycophantiis, dolis, aſtutiiſque,
Scapularum confidentia, virtute ulmorum freti;
Qui advorſum ſtimulos, laminas, cruceſque, compedeſque,
Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, bojas,
Tortoreſque acerrimos, gnaroſque noſtri tergi,
Qui ſæpe ante in noſtras ſcapulas cicatrices indiderunt,
Eas nunc legiones, copias, exercituſque eorum,
Vi pugnando perjuriis noſtris, euge, potiti.
Id virtute hujus collegæ, meaque comitate
Factum eſt. *Lib.* Qui me vir fortior eſt ad ſufferendas plagas?

Leon. Edepol virtutes qui tuas nunc poſſit collaudare,
Sicut ego poſſim, quæ domi duellique male feciſti?
Næ illa edepol pro merito nunc tuo memorari multa poſſint.
Ubi fidentem fraudaveris, ubi hero infidelis fueris,
Ubi verbis conceptis ſciens libenter perjuraris,
Ubi parietes perfoderis, in furto ubi ſis prehenſus,
Ubi ſæpe cauſſam dixeris pendens adverſus octo
Aſtutos, audaces viros, valentes virgatores.

Lib. Fateor profecto ut prædicas, Leonida, eſſe vera.
Verum edepol næ etiam tua quoque malefacta iterari multa
Et vera poſſunt. ubi ſciens fideli infidus fueris:
Ubi prehenſus in furto ſies, & manifeſto verberatus.
Ubi perjuraris, ubi ſacro manus ſis admolitus.
Ubi heris damno, moleſtiæ, & dedecori ſæpe fueris.
Ubi creditum tibi quod ſit, tibi datum eſſe pernegaris.
Ubi amicæ quam amico tuo fueris magis fidelis,
Ubi ſæpe ad languorem tua duritia dederis octo
Validos lictores ulmeis affectos lentis virgis.
Num male relata eſt gratia? ut collegam collaudavi!

Leon. Ut meque teque maxume atque ingenio noſtro decuit.

Lib. Jam omitte iſta, atque hoc quod rogo reſponde. *Leon.* Rogita quod vis.

Lib. Argenti viginti minas habeſne? *Leon.* Ariolare.
Edepol ſenem Demænetum lepidum fuiſſe nobis.
Ut aſſimulabat Sauream med eſſe! quam facete!
Ægre nimis riſum continui, ubi hoſpitem inclamavit,
Quod ſe abſente mihi fidem habere noluiſſet.
Ut memoriter me Sauream vocabat atrienſem!

Lib. Manedum. *Leon.* Quid eſt? *Lib.* Philenium eſtne hæc quæ intus exit?
Atque Argyrippus una. *Leon.* Os opprime: is eſt. etiam ſubauſcultemus.
Lacrumantem lacinia tenet lacrumans. quidnam eſſe dicam?
Tacite auſcultemus. *Lib.* attate, modo hercle in mentem venit.
Nimis vellem habere perticam. *Leon.* Quoi rei? *Lib.* Qui verberarem
Aſinos, ſi forte occœperint clamare hinc ex crumena.

ACTUS III. SCENA III.

Argyrippus, Philenium, Libanus, Leonida.

CUr me retentas nunc? *Phil.* Quia tui amans abeuntis egeo.

Arg. Vale. *Phil.* Aliquanto amplius valerem, ſi hic maneres.

Arg. Salve. *Phil.* Salvere me jubes, quoi tu abiens affers morbum.

Arg. Mater ſupremum mihi tua dixit, domum ire juſſit.

Phil. Acerbum funus filiæ facit, ſi te carendum eſt.

Lib. Homo hercle hinc excluſu'ſt foras. *Leon.* Ita res eſt. *Arg.* Mitte quæſo.

Phil. Quo nunc abis? quin tu hic manes? *Arg.* Nox ſi voles manebo.

Lib. Audin' tu hunc? opera ut largus eſt nocturna! nunc enim hic eſt
Negotioſus interdius. videlicet Solon eſt,
Leges ut conſcribat, quibus ſe populus teneat. gerræ,
Qui ſeſe parere apparent hujus legibus, profecto
Nunquam bonæ frugi fient, dies nocteſque potent.

Leon. Næ iſte hercle ab iſta non pedem diſcedat, ſi liceſſit,
Qui nunc feſtinat, atque ab hac minatur ſeſe abire.

Lib. Sermoni jam finem face tuo: hujus ſermonem accipiam.

Arg. Vale. *Phil.* Quo nunc properas? *Arg.* Bene vale: apud Orcum te videbo.
Nam equidem me, jam quantum poteſt, a vita abjudicabo.

Phil. Cur tu obſecro immerito meo me morti dedere optas?

Arg. Ego te? quam ſi intellegam deficere vita, jam ipſe
Vitam meam tibi largiar, & de mea ad tuam addam.

Phil. Cur ergo minitaris tibi te vitam eſſe amiſſurum?
Nam quid me facturam putas, ſi iſtuc quod dicis, faxis?
Mihi certum eſt, efficere in me omnia eadem quæ tu in te faxis.

Arg. O melle dulci dulcior mihi tu es. *Phil.* Certe enim tu vita es
Mihi. complectere. *Arg.* Facio lubens. *Phil.* Utinam ſic efferamur!

Leon. O Libane, UT MISER eſt homo qui amat! *Lib.* Imo hercle vero
Qui pendet, multo eſt miſerior. *Leon.* Scio, qui periculum feci.
Circumſiſtamus: alter hinc, hinc alter appellemus.

Lib. Here ſalve. ſed num fumus eſt hæc mulier, quam amplexare?

Arg. Qui dum? *Lib.* Quia oculi ſunt tibi lacrumantes, eo rogavi.
Arg. Patronus qui vobis fuit futurus, perdidiſtis.
Lib. Equidem hercle nullum perdidi: ideo, quia nunquam ullum habui.
Leon. Philenium, ſalve. *Phil.* dabunt di, quæ velitis, vobis.
Lib. Noctem tuam & vini cadum velim, ſi optata fiant.
Arg. Verbum cave ſaxis, verbero. *Lib.* Tibi equidem, non mihi opto.
Arg. Tum tu igitur loquere quod lubet. *Lib.* hunc hercle verberare.
Leon. Quiſnam iſtuc accredat tibi, cinæde calamiſtrate?
Tun' verberes, qui pro cibo habeas te verberari?
Arg. Ut veſtræ fortunæ meis præcedunt Libane longe,
Qui hodie nunquam ad veſperum vivam! *Lib.* Quapropter quæſo?
Arg. Quia ego hanc amo, & hæc me amat: huic quod ego dem, nuſquam quicquam eſt.
Hinc med amantem ex ædibus delegit hujus mater.
Argenti viginti minæ me modo ad mortem appulerunt,
Quas hodie adoleſcens Diabolus ipſi daturus dixit:
Ut hanc ne quoquam mitteret, niſi ad ſe hunc annum totum.
Videtin' viginti minæ quid pollent, quidve poſſunt?
Ille, qui illas perdit, ſalvos eſt: ego, qui non perdo, pereo.
Lib. Jam dedit argentum? *Arg.* Non dedit. *Lib.* Bono animo es, ne formida.
Leon. Secede huc Libane, te volo. *Lib.* Si quid vis. *Arg.* Obſecro vos.
Eadem iſtac opera ſuavius eſt complexos fabulari.
Lib. NON OMNIA eadem æque omnibus, here, ſuavia eſſe ſcito:
Vobis eſt ſuave amantibus complexos fabulari:
Ego complexum hujus nihil moror. *Leon.* meum autem hæc aſpernatur.
Proinde iſtud facias ipſe, quod faciamus nobis ſuades.
Arg. Ego vero, & quidem edepol lubens; interea ſi videtur,
Concedite iſtuc. *Leon.* Vin' herum deludi? *Lib.* Dignu 'ſt ſane.
Leon. Vin' faciam ut me Philenium præſente hoc amplexetur?
Lib. Cupio hercle. *Leon.* Sequere hac. *Arg.* Ecquid eſt ſalutis? ſatis locuti.
Leon. Auſcultate, atque operam date, & mea dicta devorate.
Primum omnium ſervos tuos nos eſſe non negamus:
Sed ſi tibi minæ viginti argenti proferentur,
Quo nos vocabis nomine? *Arg.* Libertos. *Leon.* Non patronos?
Arg. Id potius. *Leon.* Viginti minæ hic inſunt in hac crumena.
Has ego, ſi vis, tibi dabo. *Arg.* Di te ſervaſſint ſemper,
Cuſtos herilis, decus populi, theſaurus copiarum,
Salus interioris hominis, amoriſque imperator:
Hic pone, hic iſtam colloca crumenam in collo plane.
Leon. Nolo ego te, qui herus ſis mihi, onus iſtuc ſuſtinere.
Arg. Quin tu labore liberas te, atque iſtam ponis in me.
Leon. Ego bajulabo: tu, ut decet dominum, ante me ito inanis.
Arg. Quid nunc? quid eſt? quin tradis huc crumenam herum preſſatum?
Leon. Hanc, cui daturus hanc, jube petere atque orare mecum.
Nam iſtuc proclive eſt, quod jubes, me plane collocare.
Phil. Da meus ocellus, da mea roſa, da mi anime, da mea voluptas,
Leonida, argentum mihi, ne nos dejunge amantes.
Leon. Dic igitur me tuum paſſerculum, gallinam, coturnicem,
Agnellum, hœdillum me tuum dic eſſe, vel vitellum:
Prehende auriculis, compara labella cum labellis.
Arg. Ten' oſculetur, verbero? *Leon.* Quam vero indignum viſum eſt!
Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur.
Arg. Quid vis? egeſtas imperat: fricentur. da nunc quod oro.
Phil. Age mi Leonida, obſecro fer amanti hero ſalutem.
Redime iſtoc beneficio te ab hoc, & tibi eme hunc iſto argento.
Leon. Nimis bella es atque amabilis: & ſi hoc eſſet meum, hodie
Nunquam me orares quin darem: nunc illum te orare meliu 'ſt.
Illic hanc mihi ſervandam dedit. i ſane bella belle.
Cape hoc ſis Libane. *Arg.* Furcifer etiam me deluſiſti?
Leon. Nunquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares.
Ageſis tu in partem nunc jam hunc delude, atque hanc amplexare.
Lib. Taceas; me ſpectes. *Arg.* Quin ad hunc Philenium aggredimur;
Virum quidem pol optimum, & non ſimilem furis hujus.
Lib. Inambulandum eſt: nunc mihi viciſſim ſupplicabunt.
Arg. Quæſo hercle Libane, ſis, herum tuis factis ſoſpitari,
Da mihi iſtas viginti minas, vides me amantem egere.
Lib. Videbitur; factum volo. redito huc conticinio.
Nunc iſtanc tantiſper jube ſis petere atque orare mecum.
Phil. Amandone exorarier te vis, an oſculando?
Lib. Enimvero utrunque. *Phil.* Ego obſecro te, & tu utrunque noſtrum ſerva.
Arg. O Libane, mi patrone, mihi trade iſtuc. magis decorum 'ſt
Libertum potius quam patronum onus in via portare.
Phil. O Libane, ocellus aureus, donum decuſque amoris,
Amabo, faciam quod voles, da iſtuc argentum nobis.
Lib. Dic igitur me anaticulam, columbam, vel catellum,
Hirundinem, monedulam, putillum, paſſerculum.
Fac proſerpentem beſtiam me, duplicem ut habeam linguam.
Circumdatoque me brachiis: meum collum circumplecte.
Arg. Ten' complectatur, carnufex? *Lib.* Quam vero indignus videor!
Ne iſtuc nequicquam dixeris tam indignum dictum tu in me:
Vehes pol hodie me, ſiquidem hoc argentum ferre ſperes.
Arg. Ten' ego veham? *Lib.* Tun' hoc feras argentum hinc aliter a me?
Arg. Perii hercle, ſi verum quidem & decorum, herum vehere ſervom.
Inſcende. *Lib.* Sic iſti ſolent ſuperbi ſubdomari.
Aſta igitur, ut conſuetus es puer olim. ſcin' ut dicam?
Hem ſic: abi: laudo. nec te equo magis eſt equos ullus ſapiens.
Arg. Inſcende actutum. *Lib.* Ego fecero. hem, quid iſtuc eſt? ut tu incedis?
Demam hercle jam tibi de ordeo, tolutim ni badizas.
Arg. Amabo Libane, jam ſat eſt. *Lib.* Nunquam hercle hodie exorabis.
Nam jam calcari quadrupedem agitabo advorſum clivom
Tum poſtea ad piſtores dabo, ut ibi cruciere currens.
Aſta, ut deſcendam nunc jam in proclivi, quanquam nequam es.

Arg. Quid nunc? quoniam ambo, ut eſt libitum, nos ambo deluſiſtis,
Datiſne argentum? *Lib.* Siquidem mihi ſtatuam & aram ſtatuis,
Atque ut Deo mihi hic immolas bovem: nam ego tibi Salus ſum.
Leon. Etiam tu, here, iſtunc amoves abs te, atque ipſe me aggredere?
Atque illa ſibi quæ hic juſſerat, mihi ſtatuis nunc, ſupplicaſque?
Arg. Quem te autem nominem Deum? *Leon.* Fortunam, atque Obſequentem.
Arg. Jam iſtoc es melior. *Lib.* An quid eſt olim homini ſalute melius?
Arg. Licet laudem Fortunam, tamen ut ne Salutem culpem.
Phil. Ecaſtor ambæ ſunt bonæ. *Arg.* Sciam, ubi boni quid dederint.
Leon. Opta id quod ut contigat tibi vis. *Arg.* Quid ſi optaro? *Leon.* Eveniet.
Arg. Opto annum hunc perpetuum mihi hujus operas. *Leon.* Impetraſti.
Arg. Ain' vero? *Leon.* Certe inquam. *Lib.* Ad me adi viciſſim, atque experire.
Exopta id quod vis maxume tibi evenire, fiet.
Arg. Quid ego aliud exoptem amplius, niſi illud cujus inopia 'ſt,
Viginti argenti commodas minas, hujus quas dem matri?
Lib. Dabuntur: animo ſis bono face: exoptata obtingent.
Arg. UT CONSUEVERE, homines Salus fruſtratur & Fortuna.
Leon. Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.
Lib. Ego pes fui. *Arg.* Quin nec caput, nec pes ſermonum apparet.
Nec quid dicatis, nec me cur ludatis ſcire poſſum.
Lib. Satis jam deluſum cenſeo: rem ut eſt nunc eloquamur.
Animum, Argyrippe, advorte ſis. pater nos ferre hoc juſſit
Argentum ad te. *Arg.* Ut tempore opportuneque attuliſtis!
Lib. Hic inerunt viginti minæ bonæ mala opera partæ:.
Has tibi nos pactis legibus dare juſſit. *Arg.* Quid id eſt quæſo?
Lib. Noctem hujus & cœnam ſibi ut dares. *Arg.* Jube advenire quæſo.
Meritiſſimo ejus quæ volet faciemus, qui hoſce amores
Noſtros diſpulſos compulit. *Leon.* Patieris, Argyrippe,
Patrem hanc amplexari tuum? *Arg.* Hæc facile faciet, ut patiar.
Leonida curre obſecro, patrem huc orato ut veniat.
Lib. Jamdudum eſt intus. *Arg.* hac quidem non venit. *Lib.* Angiporto
Illac per hortum circuit clam, ne quis ſe videret
Huc ire familiarium: ne uxor reſciſcat, metuit.
De argento enim ſi mater tua ſciat ut ſit factum. *Arg.* Heja
Benedicite, ite intro cito. valete. *Leon.* Et vos amate.

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

Diabolus adoleſcens. *Paraſitus.*

AGedum, iſtum oſtende quem conſcripſi ſyngraphum
Inter me & amicam & lenam: leges perlege.
Nam tu poeta es prorſus ad eam rem unicus.
Par. Horreſcet faxo lena, leges quom audiet.
Diab. Age quæſo mi hercle translege. *Par.* Audin'? *Diab.* Audio.
Par. Diabolus Glauci filius Clearetæ
Lenæ dedit dono argenti viginti minas,
Philenium ut ſecum eſſet noctes & dies
Hunc annum totum. *Diab.* Neque cum quiquam alio quidem.
Par. Addone? *Diab.* Adde: & ſcribas, vide, plane & probe.
Par. Alienum hominem intromittat neminem
Quod illa aut amicum aut patronum. *Diab.* Neminem.
Par. Aut quod illa amicæ ſuæ amatorem prædicet:
Fores occluſæ omnibus ſient, niſi tibi.
In foribus ſcribat, OCCUPATAM eſſe ſe.
Aut quod illa dicat peregre allatam epiſtolam,
Ne epiſtola quidem ulla uſpiam ſit in ædibus,
Nec cerata adeo tabula. & ſi qua inutilis
Pictura ſit, eam vendat. ni quatriduo
Abalienarit, quo abs te argentum acceperit,
Tuus arbitratus ſit; comburas, ſi velis.
Ne illi ſit cera, ubi facere poſſit literas.
Vocet convivam neminem illa; tu voces.
Ad eorum ne quem illa oculos adjiciat ſuos.
Si quem alium aſpexit, cæca continuo ſiet.
Tecum una poſtea æque pocula potitet.
Abs ted accipiat, tibi propinet, tu bibas.
Ne illa minus, aut plus quam tu, ſapiat. *Diab.* Satis placet.
Par. Suſpiciones omnes abs ſe ſegreget,
Neque illæc ulli ſuo pede pedem homini premat.
Cum ſurgat, non in lectum inſcendat proximum,
Neque cum deſcendat, inde det cuiquam manum:
Spectandum ne cui anulum det, neque roget.
Talos ne cuiquam homini admoveat, niſi tibi.
Quom jacet, Te, ne dicat: nomen nominet.
Deam ſibi invocet, quam libebit, propitiam,
Deum nullum, ſi magis religioſa fuerit,
Tibi dicat. tu pro illa ores, ut ſit propitius.
Neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat.
Poſt, ſi lucerna extincta eſt, nequid ſui
Membri commoveat quicquam in tenebris. *Diab.* Optumum eſt:
Ita ſcilicet facturam, verum in cubiculo
Deme iſtuc: equidem illa moveri geſtio.
Nolo habere illam cauſſam, & voritam dicere,
Par. Scio, captiones metuis. *Diab.* Verum. *Par.* Ergo ut jubes,
Tollam. *Diab.* Quid ni? *Par.* Audi reliqua. *Diab.* Loquere, audio.
Par. Neque ullum verbum faciat perplexabile,
Neque ulla lingua ſciat loqui niſi Attica.
Forte ſi tuſſire occœpſit, ne ſic tuſſiat,
Ut cuiquam linguam in tuſſiendo proferat.
Quod illa autem ſimulet quaſi gravedo profluat,
Hoc

Hoc ne ſic faciat: tu labellum abſtergeas
Potius, quam cuiquam ſavium faciat palam.
Nec mater lena ad vinum accedat interim,
Nec ulli verbo male dicat. ſi dixerit,
Hæc multa ei eſto: vino viginti dies
Ut careat. *Diab.* Pulchre ſcripſti: ſcitum ſyngraphum!
Par. Tum ſi coronas, ſerta, unguenta juſſerit
Ancillam ferre ſuam Veneri aut Cupidini,
Tuus ſervos ſervet, Venerine eas det an viro.
Si forte pure velle habere dixerit,
Tot noctes reddat ſpurcas, quot puras habuerit.
Hæc ſunt non nugæ: non enim mortualia.
Diab. Placent profecto leges. ſequere intro. *Par.* Sequor.

ACTUS IV. SCENA II.

Diabolus, Paraſitus.

SEquere hac. egon' hæc patiar? aut taceam? emori,
Me malim, quam hæc non ejus uxori indicem,
Ain' tu? apud amicam munus adoleſcentuli
Fungare? uxori excuſes te, & dicas ſenem?
Præripias ſcortum amanti, atque argentum objicias
Lenæ? ſuppiles clam domi uxorem tuam?
Suſpendas potius me, quam tacita hæc tu auferas.
Jam quidem hercle ad illam hinc ibo, quam tu propediem,
Niſi quidem illa ante occupaſſit te, effliges ſcio,
Luxuriæ ſumptus ſuppeditare ut poſſies.
Par. Ego ſic faciundum cenſeo. me honeſtiu'ſt
Quam te palam hunc rem facere, ne illa exiſtumet
Amoris cauſſa percitum id feciſſe te
Magis quam ſua cauſſa. *Diab.* At pol, quin dixti rectius.
Tu ergo fac ut illi turbas, lites concias.
Cum ſuo ſibi gnato unam ad amicam de die
Potare, illam expilare jam. *Par.* ne me mone.
Ego iſtud curabo. *Diab.* At ego te opperiar domi.

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

Argyrippus adoleſcens, *Demænetus* ſenex.

AGedum, decumbamus ſis, pater. *Dem.* Ut juſſeris,
Mi gnate, ita fiet. *Arg.* Pueri, menſam apponite.
Dem. Nunquidnam tibi moleſtum eſt, gnate mi, ſi hæc nunc mecum accubat?
Arg. Pietas pater oculis dolorem prohibet. quanquam ego iſtanc amo,
Poſſum equidem inducere animum, ne ægre patiar, quia tecum accubat.
Dem. DECET verecundum eſſe adoleſcentem, Argyrippe. *Arg.* Edepol pater,
Merito tuo facere poſſum. *Dem.* Age ergo hoc agitemus convivium
Vino & ſermone ſuavi. nolo ego metui, amari mavolo
Mi gnate me abs te. *Arg.* Pol ego utrunque facio, ut æquom eſt filium.
Dem. Credam iſtuc, ſi eſſe te hilarum videro. *Arg.* An tu eſſe me triſtem putas?
Dem. Putem ego? quem videam æque eſſe mœſtum, ut quaſi dies ſi dicta ſit.
Arg. Ne dixis iſtuc. *Dem.* Ne ſic fueris, illico ego non dixero.
Arg. Hem aſpecta: rideo. *Dem.* Utinam male qui mihi volunt ſic rideant!
Arg. Scio equidem quamobrem me, pater, tu triſtem credas nunc tibi;
Quia iſtæc eſt tecum: atque ego quidem hercle ut verum tibi dicam, pater,
Ea res male habet: at non eo, quin tibi non cupiam quæ velis:
Verum iſtam amo. aliam tecum eſſe equidem facile poſſim perpeti.
Dem. At ego hanc volo. *Arg.* Ergo ſunt quæ exoptas; mihi quæ ego exoptem volo.
Dem. Unum hunc diem perpetere, quoniam tibi poteſtatem dedi,
Cum hac annum ut eſſes, atque amanti argenti feci copiam.
Arg. Hem iſtoc me facto tibi devinxti. *Dem.* Quin te ergo hilarum das mihi?

ACTUS V. SCENA II.

Artemona mulier, *Paraſitus*, *Demænetus*, *Argyrippus*, *Philenium* meretrix.

AIn' tu, meum virum hic potare, obſecro, cum filio?
Et ad amicam detuliſſe argenti viginti minas?
Meoque filio ſciente id facere flagitium patrem?
Par. Neque divini, neque mi humani poſthac quicquam accreduas,
Artemona, ſi hujus rei me eſſe mendacem inveneris.
Art. At ſceleſta ego præter alios meum virum fui rata
Siccum, frugi, continentem, amantem uxoris maxſume.
Par. At nunc dehinc ſcito illum ante omnes minimi mortalem preci:
Madidum, nihili, incontinentem atque oſorem uxoris ſuæ.
Art. Pol ni vera iſta eſſent, nunquam faceret ea quæ nunc facit.
Par. Ego quoque hercle illum antehac hominem ſemper ſum frugi ratus.
Verum hoc facto ſeſe oſtendit, qui quidem cum filio
Potet una, atque una amicam ductet decrepitus ſenex.
Art. Hoc ecaſtor eſt, quod ille it ad cænam cotidie.
Ait ſeſe ire ad Archidemum, Chæream, Chereſtratum,
Chereſteum, Chremem, Cratinum, Cliniam, Demoſthenem;
Is apud ſcortum corruptelæ & liberis luſtris ſtudet.
Par. Quin tu illum jubes ancillas rapere ſublimem domum?
Art. Tace modo. næ illum mecaſtor miſerum habebo. *Par.* Ego iſtuc ſcio
Ita fore illi, dum quidem cum illo nupta eris. *Art.* Ego cenſeo
Eum etiam hominem aut in ſenatu dare operam, aut clientibus:
Ibi labore delaſſatum noctem totam ſtertere.
Ille opere foris faciundo laſſus noctu advenit,
Fundum alienum arat, incultum familiarem deſerit.
Is etiam corruptus, porro ſuum corrumpit filium.
Par. Sequere hac me modo, jam faxo ipſum hominem manifeſto opprimas.
Art. Nihil ecaſtor eſt quod facere mavelim. *Par.* Manedum. *Art.* Quid eſt?
Par. Poſſis, ſi forte accubantem tuum virum conſpexeris,
Cum corona amplexum amicam, ſi videas, cognoſcere?
Art. Poſſum ecaſtor. *Par.* Hem tibi hominem. *Art.* Perii. *Par.* Pauliſper mane.
Aucupemus ex inſidiis clanculum quam rem gerant.
Arg. Quid modi, pater, amplexandi facies? *Dem.* Fateor, gnate mi.
Arg. Quid fatere? *Dem.* Me ex amore hujus corruptum eſſe oppido.

Par. Audin' quid ait? *Arg.* Audio. *Dem.* Egon' ut non domo uxori meæ
Surripiam in deliciis pallam quam habet, atque ad te deferam?
Non edepol conduci poſſim vita uxoris annua.
Par. Cenſen' tu illunc hodie primum ire aſſuetum eſſe in ganeum.
Art. Ille ecaſtor ſuppilabat me, quod ancillas meas
Suſpicabar, atque inſonteis miſeras cruciabam. *Arg.* Pater,
Jube dare vinum: jamdudum factum eſt, quom primum bibi.
Dem. Da puere ab ſummo. age tu interibi ab infimo da ſuavium.
Art. Perii miſera: ut oſculatur carnufex, capuli decus.
Dem. Edepol animam ſuaviorem aliquanto quam uxoris meæ.
Phil. Dic amabo, an fœtet anima uxoris tuæ. *Dem.* Nauteam
Bibere malim, ſi neceſſum eſt, quam illanc oſcularier.
Art. Miſer ecaſtor es. *Par.* Mecaſtor dignus eſt. *Arg.* Quid ais, pater?
Art. Ain' tandem? edepol næ tu iſtuc cum magno malo tuo
Dixiſti in me: ſine: venias modo domum, faxo ut ſcias
Quid pericli ſit dotatæ uxori vitium dicere.
Arg. Ecquid matrem amas? *Dem.* Egone? illam nunc amo, quia non adeſt.
Arg. Quid, quom adeſt? *Dem.* Periiſſe cupio. *Par.* Amat homo te hic, ut prædicat.
Art. Næ ille ecaſtor fœnerato funditat: nam ſi domum
Redierit hodie, oſculando ego ulciſcar potiſſimum.
Arg. Jace pater talos, ut porro nos jaciamus. *Dem.* Maxume,
Te Philenium mihi, atque uxori mortem. hoc Venerium eſt.
Pueri plaudite, & mihi ob jactum cantharo mulſum date.
Art. Non queo durare. *Par.* Si non didiciſti fullonicam,
Non eſt mirandum. in oculos invadi nunc eſt optumum.
Art. Ego pol vivam, & tu iſthæc hodie cum tuo magno malo
Invocaviſti. *Par.* Ecquis currit pollinctorem arceſſere?
Arg. Mater ſalve. *Art.* Sat ſaluti 'ſt. *Par.* Mortuu 'ſt Demænetus.
Tempus eſt ſubducere hinc me: pulchre hoc gliſcit prælium.
Ibo ad Diabolum, mandata dicam facta, ut voluerit.
Atque interea ut decumbamus ſuadebo, hi dum litigant.
Poſtea demum hunc cras adducam ad lenam, ut viginti minas
Ei det, in parte hac amanti ut liceat ei potirier.
Argyrippus exorari ſpero poterit, ut ſinat
Seſe alternas cum illo noctes hac frui. nam ni impetro,
Regem perdidi: ex amore tantum eſt homini incendium.
Art. Quid tibi huc receptio ad te eſt meum virum? *Phil.* Pol me quidem
Miſeram odio enecavit. *Art.* Age ſurge amator, i domum.
Dem. Nullus ſum. *Art.* Imo es, ne negato, omnium pol nequiſſimus.
At etiam cubat cuculus. ſurge amator, i domum.
Dem. Væ mihi. *Art.* Vera ariolare, ſurge amator, i domum.
Dem. Abſcede ergo paululum iſtuc. *Art.* Surge amator, i domum.
Dem. Jam obſecro uxor. *Art.* Nunc uxorem me eſſe meminiſti tuam?
Modo, quom dicta in me ingerebas, odium, non uxor eram.
Dem. Totus perii. *Art.* Quid tandem? anima fœtetne uxoris tuæ?
Dem. Murrham olet. *Art.* Jam ſurripuiſti pallam, quam ſcorto dares?
Arg. Ecaſtor quin ſurrepturum pallam promiſit tibi.
Dem. Non taces? *Arg.* Ego diſſuadebam, mater. *Art.* Bellum filium!
Iſtoſcine patrem æquom mores eſt liberis largirier?
Nihil ne te pudet? *Dem.* Pol ſi aliud nihil ſit, tui me uxor pudet.
Art. Cano capite te cuculum uxor ex luſtris rapit.
Dem. Non licet manere, (cœna coquitur) dum cœnem modo?
Art. Ecaſtor cœnabis hodie, ut te dignum eſt, magnum malum.
Dem. Male cubandum eſt: judicatum me uxor adducit domum.
Arg. Dicebam pater tibi, ne matri conſuleres male.
Phil. De palla memento, amabo. *Dem.* Juben' hanc hinc abſcedere?
Phil. Imo intus potius: ſequere hac me, mi anime. *Dem.* Ego vero ſequor.
Art. I domum. *Phil.* Da ſuavium etiam prius quam abis. *Dem.* I in crucem.

Grex.

HIc ſenex, ſi quid, clam uxorem, ſuo animo fecit voluptatis,
Neque novom, neque mirum fecit, nec ſecus quam alii ſolent.
NEC QUISQUAM eſt tam ingenio duro, nec tam firmo pectore,
Quin ubi quicquam occaſionis ſit, ſibi faciat bene.
Nunc ſi voltis deprecari huic ſeni ne vapulet,
Remur impetrari poſſe, ſi plauſum ſic clarum datis.

FINIS ASINARIÆ.

AULULARIA.

Dramatis Perſonæ.

LAR *Prologus.*
EUCLIO *ſenex.*
STAPHYLA *anus.*
EUNOMIA *mulier.*
MEGADORUS *ſenex.*
STROBILUS *geminus ſervus.*
ANTHRAX *Coquus.*
CONGRIO *Coquus.*
PYTHODICUS *ſervus.*
LYCONIDES *adoleſcens.*
PHÆDRA *puella.*

ARGUMENTUM.

SEnex avarus vix ſibi credens Euclio,
Domi ſuæ defoſſam multis cum opibus
Aulam invenit, rurſumque penitus conditam
Exſanguis, amens, ſervat. ejus filiam
Lyconides vitiarat. interea ſenex
Megadorus, a ſorore ſuaſus ducere
Uxorem, avari gnatam depoſcit ſibi.
Durus ſenex vix promittit: atque aulæ timens,
Domo ſublatam variis abſtrudit locis.
Inſidias ſervus facit hujus Lyconidis,
Qui virginem vitiarat; atque ipſe obſecrat
Avunculum Megadorum ſibimet cedere

Uxo-

Uxorem amanti. per dolum mox Euclio
Quom perdidiſſet, aulam inſperato invenit,
Lætuſque natam collocat Lyconidi.

ALIUD.

AUlam repertam auri plenam domi Euclio
Vi ſumma ſervat, miſeris affectus modis.
Lyconides iſtius vitiat filiam.
Volt hanc Megadorus indotatam ducere.
Lubenſque ut faciat, dat coquos cum obſonio.
Auro formidat Euclio, abſtrudit foris.
Reque omni inſpecta, compreſſoris ſervolus
Id ſurpit. illic Euclioni rem refert.
Ab eo donatur auro, uxore, & filio.

PROLOGUS.

Lar familiaris.

NE quis miretur, qui ſim, paucis eloquar.
Ego Lar ſum familiaris: ex hac familia,
Unde exeuntem me aſpexiſtis. hanc domum
Jam multos annos eſt cum poſſideo, & colo
Patrique avoque jam hujus qui nunc hic habet:
Sed mihi avos hujus obſecrans concredidit
Auri theſaurum clam omneis: in medio foco
Defodit, venerans me, ut id ſervarem ſibi.
Is quoniam moritur, (ita avido ingenio fuit)
Nunquam indicare id filio voluit ſuo:
Inopemque optavit potius eum relinquere,
Quam eum theſaurum commonſtraret filio.
Agri reliquit ei non magnum modum,
Quo cum labore magno & miſere viveret.
Ubi is obiit mortem, qui mihi id aurum credidit,
Cœpi obſervare, ecqui majorem filius
Mihi honorem haberet, quam ejus habuiſſe pater.
Atque ille vero minus minuſque impendio
Curare, minuſque me impartire honoribus.
Item a me contra factum eſt. nam item obiit diem,
Is ex ſe hunc reliquit, qui hic nunc habitat, filium
Pariter moratum, ut pater avoſque hujus fuit.
Huic filia una eſt: ea mihi cotidie
Aut thure, aut vino, aut aliqui ſemper ſupplicat:
Dat mihi coronas. ejus honoris gratia
Feci, theſaurum ut hic reperiret Euclio,
Quo eam facilius nuptum, ſi vellet, daret.
Nam compreſſit eam de ſummo adoleſcens loco.
Is ſcit adoleſcens quæ ſit, quam compreſſerit:
Illa illum neſcit, neque compreſſam autem pater.
Eam ego hodie faciam ut hic ſenex de proxumo
Sibi uxorem poſcat. id ea faciam gratia,
Quo ille eam facilius ducat, qui compreſſerat.
Et hic qui poſcet eam ſibi uxorem ſenex,
Is adoleſcentis illius eſt avonculus,
Qui illam ſtupravit noctu, Cereris vigiliis.
Sed hic ſenex jam clamat intus, ut ſolet.
Anum foras extrudit, ne ſit conſcia.
Credo aurum inſpicere volt, ne ſurreptum ſiet.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Euclio ſenex. *Staphyla* anus.

EXi, inquam. age exi. exeundum hercle tibi hinc eſt foras,
Circumſpectatrix cum oculis emiſſitiis.
St. Nam cur me miſeram verberas? *Eu.* Ut miſera ſis,
Atque ut te dignam mala malam ætatem exigas.
St. Nam qua me nunc cauſa extruſiſti ex ædibus?
Eu. Tibi ego rationem reddam, ſtimulorum ſeges?
Illuc regredere ab oſtio: illuc ſis. vide, ut
Incedit. at ſcin' quo modo tibi res ſe habet?
Si hodie hercle fuſtem cepero, aut ſtimulum in manum,
Teſtudineum iſtum tibi ego grandibo gradum.
St. Utinam me divi adaxint ad ſuſpendium
Potius quidem, quam hoc pacto apud te ſerviam.
Eu. At ut ſceleſta ſola ſecum murmurat!
Oculos hercle ego iſtos improba effodiam tibi,
Ne me obſervare poſſis, quid rerum geram.
Abſcede: etiam nunc: etiam nunc: etiam. ohe
Iſtic adſtato. ſi hercle tu ex iſtoc loco
Digitum tranſverſum aut unguem latum exceſſeris,
Aut ſi reſpexis, donicum ego te juſſero,
Continuo hercle ego te dedam diſcipulam cruci.
Sceleſtiorem me hac anu certe ſcio
Vidiſſe nunquam: nimiſque ego hanc metuo male,
Ne mihi ex inſidiis verba imprudenti duit,
Neu perſentiſcat aurum ubi eſt abſconditum:
Quæ in occipitio quoque habet oculos peſſuma.
Nunc ibo ut viſam, eſtne ita aurum ut condidi,
Quod me ſollicitat plurimis miſerum modis.
St. Nec nunc mecaſtor quid hero ego dicam meo
Malæ rei eveniſſe, quamve inſaniam,
Queo comminiſci: ita miſeram me ad hunc modum
Decies die uno ſæpe extrudit ædibus.
Neſcio pol quæ illunc hominem intemperiæ tenent:
Pervigilat noctes totas: tum autem interdius
Quaſi claudus ſutor domi ſedet totos dies.
Neque jam quo pacto celem herilis filiæ
Probrum, propinqua partitudo cui appetit,
Queo comminiſci: neque quicquam melius eſt mihi,
Ut opinor, quam ex me ut unam faciam literam
Longam, meum laqueo collum quando obſtrinxero.

ACTUS I. SCENA II.

Euclio ſenex, *Staphyla* anus.

NUnc defæcato demum animo egredior domo,
Poſtquam perſpexi ſalva eſſe intus omnia.
Redi nunc jam intro: atque intus ſerva. *St.* Quippini
Ego intus ſervem? an ne quis ædes auferat?
Nam hic apud nos nihil eſt aliud quæſti furibus;
Ita inaniis ſunt oppletæ atque araneis.
Eu. Mirum quin tua me cauſa faciat Juppiter
Philippum regem, aut Darium, trivenefica.
Araneas mihi ego illas ſervari volo.
Pauper ſum, fateor; patior. QUOD Di dant fero.
Abi intro, occlude januam. jam ego hic ero.
Cave quenquam alienum in ædeis intromiſeris.
Quod quiſpiam ignem quærat, extingui volo,

Ne cauſſæ quid ſit, quod te quiſquam quæritet.
Nam ſi ignis vivet, tu extinguere extempulo.
Tum aquam aufugiſſe dicito, ſi quis petet.
Cultrum, ſecurim, piſtillum, mortarium,
Quæ utenda vaſa ſemper vicini rogant,
Fures veniſſe, atque abſtuliſſe dicito.
Protecto in ædes meas me abſente neminem
Volo intromitti. atque etiam hoc prædico tibi,
Si Bona Fortuna veniat, ne intromiſeris.
Staph. Pol ea ipſa credo ne intromittatur cavet:
Nam ad ædeis noſtras nuſquam adiit, quanquam prope eſt.
Euc. Tace, atque abi intro. *Staph.* Taceo, atque abeo. *Euc.* Occlude ſis
Fores ambobus peſſulis. jam ego hic ero.
Diſcrucior animi, quia ab domo abeundum eſt mihi.
Nimis hercle invitus abeo: ſed quid agam, ſcio.
Nam noſter noſtræ qui eſt magiſter Curiæ
Dividere argenti dixit nummos in viros:
Id ſi relinquo, ac non peto, omnes illico
Me ſuſpicentur, credo, habere aurum domi.
Nam NON EST veriſimile, hominem pauperem
Pauxillum parvi facere, quin nummum petat.
Nam nunc quom celo ſedulo omnes, ne ſciant,
Omnes videntur ſcire, & me benignius
Omnes ſalutant, quam ſalutabant prius:
Adeunt, conſiſtunt, copulantur dexteras:
Rogitant me ut valeam, quid agam, quid rerum geram.
Nunc quo profectus ſum ibo, poſtidea domum
Me rurſum quantum potero, tantum recipiam.

ACTUS SECUNDUS.
SCENA I.

Eunomia mulier, *Megadorus* ſenex.

Velim te arbitrari, me hæc verba, frater,
Meæ fidei tuæque rei hoc cauſſa
Facere, ita ut æquom eſt germanam ſororem.
Quanquam haud falſa ſum, nos odioſas haberi.
Nam MULTUM loquaces merito omnes habemur,
Nec mutam profecto repertam ullam eſſe
Hodie dicunt mulierem ullo in ſeculo.
Verum hoc, frater, unum tamen cogitato,
Tibi proxumam me, mihique item eſſe te.
Ita æquom eſt, quod in rem eſſe utrique arbitremur,
Et mihi te, & tibi me conſulere & monere:
Neque occultum id haberi, neque per metum muſſari,
Quin participem pariter ego te, & tu me ut facias.
Eo nunc ego ſecreto te huc foras ſeduxi,
Ut tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.
Meg. Da mihi optuma fœmina manum. *Eun.* Ubi ea eſt? quis ea
Eſtnam optuma? *Meg.* Tu. *Eun.* Tune ais? *Meg.* Si negas,
Nego. *Eun.* Decet te equidem vera proloqui.
Nam OPTUMA nulla poteſt eligi: alia alia
Pejor, frater, eſt. *Meg.* Idem ego arbitror, nec tibi
Advorſari certum eſt de iſtac re unquam, ſoror.
Eun. Da mihi operam amabo. *Meg.* Tua eſt; utere
Atque impera, ſi quid vis. *Eun.* Id quod in rem tuam
Optumum eſſe arbitror, te id admonitum advento.
Meg. Soror, more tuo facis. *Eun.* Facta volo. *Meg.* Quid eſt id,
Soror? *Eun.* QUOD TIBI ſempiternum ſalutare
Sit procreandis liberis. Ita di faxint, inquito.
Volo te uxorem domum ducere. *Meg.* Hei occidi!
Eun. Quid ita? *Meg.* Quia mihi miſero cerebrum excutiunt
Tua dicta, ſoror; lapides loqueris. *Eun.* Heia, hoc face,
Quod te jubet ſoror. *Meg.* Si lubeat, faciam. *Eun.* In rem
Hoc tuam eſt. *Meg.* Ut quidem emoriar, priuſquam ducam;
Sed his legibus, ſi quam dare vis, ducam: quæ
Cras veniat, perendie foras feratur, ſoror.
His legibus quam dare vis, cedo, nuptias adorna.
Eun. Quam maxuma poſſum tibi, frater, dare dote:
Sed eſt grandior natu. media eſt mulieris ætas,
Eam ſi jubes, frater, tibi me poſcere, poſcam.
Meg. Num non vis me interrogare te? *Eun.* Imo ſi quid vis, roga.
Meg. POST MEDIAM ætatem qui mediam ducit uxorem domum,
Si eam ſenex anum prægnantem fortuitu fecerit,
Quid dubitas, quin ſit paratum nomen puero Poſtumus?
Nunc ego iſtum, ſoror, laborem demam, & diminuam tibi.
Ego virtute deum & majorum noſtrorum dives ſum ſatis:
Iſtas magnas factiones, animos, dotes dapſiles,
Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram,
Nihil moror, quæ in ſervitutem ſumptibus redigunt viros.
Eun. Dic mihi quæſo, quis ea eſt, quam vis ducere uxorem? *Meg.* Eloquar.
Noviſtin' hunc ſenem Euclionem ex proxumo pauperculum?
Eun. Novi, hominem haud malum mecaſtor. *Meg.* Ejus cupio filiam
Virginem mihi deſponderi. verba ne facias, ſoror.
Scio quid dictura es: hanc eſſe pauperem. hæc pauper placet.
Eun. Di bene vortant. *Meg.* Idem ego ſpero. *Eun.* Quid? me nunc quid vis? *Meg.* Vale.
Eun. Et tu frater. *Meg.* Ego conveniam Euclionem, ſi domi
Eſt. ſed eccum, neſcio unde ſeſe homo recipit domum.

ACTUS II. SCENA II.

Euclio, *Megadorus* ſenex.

PRæſagibat mihi animus, fruſtra me ire, quom exibam domo.
Itaque abibam invitus. nam neque quiſquam curialium
Venit, neque magiſter, quem dividere argentum oportuit.
Nunc domum properare propero: nam egomet ſum hic, animus domi eſt.
Meg. Salvos atque fortunatus Euclio ſemper ſies.
Euc. Di te ament, Megadore. *Meg.* Quid tu? rectEn' atque ut vis vales?
Euc. NON temerarium eſt, ubi dives blande appellat pauperem.
Jam illic homo aurum me ſcit habere, eo me ſalutat blandius.
Meg. Ain' tu te valere? *Euc.* Pol ego haud a pecunia perbene.
Meg. Pol SI ANIMUS eſt æquos tibi, ſatis habes, qui bene vitam colas.
Euc. Anus hercle huic indicium fecit de auro: perſpicue palam eſt.
Cui ego jam linguam præcidam, atque oculos effodiam domi.
Meg. Quid tu ſolus tecum loquere? *Euc.* Meam pauperiem conqueror.
Virginem habeo grandem, dote caſſam, atque illocabilem,
Neque

Neque eam queo locare cuiquam. *Meg.* Tace. bonum habe animum, Euclio:
Dabitur, adjuvabere a me: dic ſi quid opus eſt: impera.
Euc. Nunc petit, quom pollicetur: inhiat aurum ut devoret.
ALTERA manu fert lapidem, panem oſtentat altera.
Nemini credo, qui large blandu 'ſt dives pauperi.
Ubi manum iniicit benigne, ibi onerat aliquam zamiam.
Ego iſtos novi polypos, qui ſibi quicquid tetigerint, tenent.
Meg. Da mihi operam parumper. paucis, Euclio, eſt quod te volo
De communi re appellare mea & tua. *Euc.* Hei miſero mihi,
Aurum mihi intus harpagatum eſt, nunc hic eam rem volt, ſcio,
Mecum adire ad pactionem. verum interviſam domum.
Meg. Quonam abis? *Euc.* Jam ad te revortar: namque eſt quod viſam domum.
Meg. Credo edepol, ubi mentionem ego fecero de filia;
Mihi ut deſpondeat, ſeſe a me derideri rebitur.
Neque illo quiſquam eſt alter hodie ex paupertate parcior.
Euc. Di me ſervant, ſalva res eſt: ſalvom eſt, ſi quid non perit.
Nimis male timui; priuſquam intro redii, exanimatus fui.
Redeo ad te Megadore, ſi quid me vis. *Meg.* Habeo gratiam.
Quæſo quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.
Euc. Dum quidem ne quid perconteris, quod mihi non lubeat proloqui.
Meg. Dic mihi, quali me arbitrare genere prognatum? *Euc.* Bono.
Meg. Quid fide? *Euc.* Bona. *Meg.* Quid factis? *Euc.* Neque malis, neque improbis.
Meg. Ætatem meam ſcis? *Euc.* Scio eſſe grandem, itidem ut pecuniam.
Meg. Certe edepol equidem te civem ſine mala omni malitia
Semper ſum arbitratus, & nunc arbitror. *Euc.* Aurum huic olet.
Quid nunc me vis? *Meg.* Quoniam tu me, & ego te qualis ſis ſcio:
Quæ res recte vortat mihique tibique tuæque filiæ:
Filiam tuam mihi uxorem poſco. promitte hoc fore.
Euc. Hei Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis,
Ut inopem atque innoxium abs te atque abs tuis me irrideas.
Nam de te neque re, neque verbis merui, ut faceres quod facis.
Meg. Neque edepol ego te deriſum venio, neque derideo:
Neque dignum arbitror. *Euc.* Cur igitur poſcis meam gnatam tibi?
Meg. Ut propter me tibi ſit melius, mihique propter te & tuos.
Euc. Venit hoc mihi in mentem, Megadore: te eſſe hominem divitem,
Factioſum; me item eſſe hominem pauperum pauperrimum.
Nunc ſi filiam locaſſim meam tibi, in mentem venit
Te bovem eſſe, & me eſſe aſellum. ubi tecum conjunctus ſiem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego aſinus in luto:
Tu me bos magis haud reſpicias, gnatus quaſi nunquam ſiem,
Et te utar iniquiore, & meus me ordo irrideat.
Neutrubi habeam ſtabile ſtabulum, ſi quid divortii fuat.
Aſini me mordicibus ſcindant, boves incurſent cornibus.
Hoc MAGNUM eſt periculum, me ab aſinis ad boves tranſcendere.
Meg. QUAM ad probos propinquitate proxume te adjunxeris,
Tam optumum eſt. tu conditionem hanc accipe: auſculta mihi,
Atque eam deſponde mihi. *Euc.* At nihil eſt dotis quod dem. *Meg.* Ne duis.
DUMMODO morata recte veniat, dotata eſt ſatis.
Euc. Eo dico, ne me theſauros reperiſſe cenſeas.
Meg. Novi; ne doceas. deſponde: *Euc.* Fiat. ſed proh Juppiter!
Non ego diſperii? *Meg.* Quid tibi eſt? *Euc.* Quid crepuit quaſi ferrum modo?
Meg. Hic apud me hortum confodere juſſi. Sed ubi hic eſt homo?
Abiit, neque me certiorem fecit: faſtidit mei.
Quia videt me ſuam amicitiam velle, more hominum facit.
Nam ſi opulentus it petitum pauperioris gratiam,
Pauper metuit congredi, per metum male rem gerit.
Idem quando illæc occaſio perit, poſt ſero cupit.
Euc. Si hercle ego te non elinguandam dedero uſque ab radicibus,
Impero auctorque ſum, ut tu me cuivis caſtrandum loces.
Meg. Video hercle ego te me arbitrari, Euclio, hominem idoneum,
Quem ſenecta ætate ludos facias, haud merito meo.
Euc. Neque edepol Megadore facio: neque ſi cupiam, copia eſt.
Meg. Quid nunc? etiam mihi deſpondes filiam? *Euc.* Illis legibus,
Cum illa dote, quam tibi dixi. *Meg.* Sponden' ergo? *Euc.* Spondeo.
Meg. Iſtuc di bene vortant. *Euc.* Ita di faxint. illud facito ut memineris
Conveniſſe, ut ne quid dotis mea ad te afferret filia.
Meg. Memini. *Euc.* At ſcio, quo vos pacto ſoleatis perplexarier.
PACTUM non pactum eſt, non pactum pactum eſt, quod vobis lubet.
Meg. Nulla controverſia mihi tecum erit. ſed nuptias
Hodie quin faciamus num quæ cauſſa eſt? *Euc.* Imo edepol optuma.
Meg. Ibo igitur, parabo. nunquid me vis? *Euc.* Iſtuc. *Meg.* Fiet. vale.
Heus Strobile, ſequere propere me ad macellum ſtrenue.
Euc. Illic hinc abiit. di immortales, obſecro, AURUM quid valet?
Credo ego jam illum inaudiiſſe, mihi eſſe theſaurum domi:
Id inhiat, ea affinitatem hanc obſtinavit gratia.

ACTUS II. SCENA III.

Euclio ſenex, *Staphyla* anus.

UBi tu es, quæ deblateraſti jam vicinis omnibus,
Meæ me filiæ daturum dotem? heus Staphyla, te voco:
Ecquid audis? vaſcula intus pure propera atque elue.
Filiam deſpondi ego: hodie nuptum huic Megadoro dabo.
Staph. Di bene vortant. verum ecaſtor non poteſt: ſubitum eſt nimis.
Euc. Tace, atque abi: curata fac ſint quom a foro redeam domum.
Atque occlude ædes: jam ego hic adero. *Staph.* Quid ego nunc agam?

Nunc

Nunc nobis prope adeſt exitium, mihi atque herili filiæ.
Nam probrum atque partitudo prope adeſt, ut fiat palam.
Quod celatum eſt, atque occultatum uſque adhuc, nunc non poteſt.
Ibo intro, ut hæc quæ imperavit, facta, cum veniat, fient.
Nam ecaſtor malum mœrorem metuo ne miſtum bibam.

ACTUS II. SCENA IV.

Strobilus ſervus. *Anthrax*, *Congrio*, Coci.

POſtquam obſonavit herus, & conduxit coquos,
Tibicinaſque haſce apud forum, edixit mihi,
Ut diſpartirem obſonium hic bifariam,
Coc. Ant. Me quidem hercle, dicam palam, non divides.
Si quo tu totum me ire vis, operam dabo.
Str. Bellum & pudicum vero proſtibulum populi.
Poſt ſi quis vellet te haud non velles dividi?
Cong. Atqui ego iſtuc, Anthrax, aliovorſum dixeram.
Non iſtuc quod tu inſimulas. *Str.* Sed herus nuptias
Meus hodie faciet. *Cong.* Cujus ducit filiam?
Str. Vicini hujus Euclionis ſenis e proxumo.
Ei adeo obſonii hinc dimidium juſſit dari,
Cocum alterum, itidemque alteram tibicinam.
Cong. Nempe huic dimidium dicis, dimidium domi.
Str. Nempe ſicut dicis. *Cong.* Quid? hic non poterat de ſuo
Senex ſuæ obſonari filiæ in nuptiis?
Str. Vah. *Cong.* Quid negotii eſt? *Str.* Quid negotii ſit rogas?
Pumex non æque eſt aridus, atque hic eſt ſenex.
Cong. Ain' tandem ita eſſe ut dicis? *Str.* Tute exiſtima.
Quin divom atque hominum clamat continuo fidem,
Suam rem periſſe, ſeque eradicarier,
De ſuo tigillo fumus ſi qua exit foras.
Quin cum it dormitum, follem obſtringit ob gulam.
Cong. Cur? *Str.* Ne quid animæ forte amittat dormiens.
Cong. Etiamne obturat inferiorem gutturem
Tum, ne quid animæ forte amittat dormiens?
Str. Hæc te mihi, ſicut tibi me, æquom eſt credere.
Cong. Imo quidem credo. *Str.* At ſcin' etiam quomodo?
Aquam hercle plorat, quom lavat, profundere.
Cong. Cenſen' talentum magnum exorari poteſſe
Ab iſtoc ſene, ut det, qui fiamus liberi?
Str. Famem hercle utendam ſi roges, nunquam dabit.
Quin ipſi pridem tonſor ungues dempſerat,
Collegit, omnia abſtulit præſegmina.
Cong. Edepol mortalem parce parcum prædicas.
Cenſen' vero adeo eſſe parcum & miſere vivere?
Str. Pulmentum pridem eidem eripuit milvos:
Homo ad prætorem deplorabundus venit:
Infit ibi poſtulare plorans, ejulans,
Ut ſibi liceret milvom vadarier.
Sexcenta ſunt quæ memorem, ſi ſit otium.
Sed uter voſtrorum eſt celerior? memora mihi.
Cong. Ego, ut multo melior. *Str.* Cocum ego, non furem rogo.
Cong. Cocum ego dico. *Str.* Quid tu ais? *Ant.* Sic ſum, ut vides.
Cong. Cocus ille nundinalis eſt, in nonum diem
Solet ire coctum. *Ant.* Tun' trium literarum homo
Me vituperas? fur, etiam fur trifurcifer.

ACTUS II. SCENA V.

Strobilus, *Anthrax*, *Congrio*.

TAce nunc jam tu: atque agnum horum uter eſt pinguior?
Cong. Licet. *Str.* Tu, Congrio, eum ſume actutum tibi,
Atque intro abi illuc, & vos illum ſequimini.
Vos cæteri illuc ad nos. *Ant.* Hercle injuria
Diſpertiviſti: pinguiorem agnum iſti habent.
Str. At nunc tibi dabitur pinguior tibicina.
I ſane cum illo Phrygia, tu autem Eleuſium
Huc intro abi ad nos. *Cong.* O Strobile ſubdole,
Huccine detruſiſti me ad ſenem parciſſimum?
Ubi ſi quid poſcamur, ad ravim poſcamus, prius
Quam quicquam detur. *Str.* Stultus & ſine gratia es.
Tibi recte facere, quando quod facias perit?
Cong. Qui vero? *Str.* Rogitas? jam principio in ædibus
Turba iſtic nulla tibi erit: ſi quid uti voles,
Domo abs te afferto, ne operam perdas poſcere.
Hic apud nos magna turba, ac magna familia eſt,
Suppellex, aurum, veſtes, vaſa argentea:
Ubi ſi perierit quippiam (quod te ſcio
Facile abſtinere poſſe, ſi nihil obviam eſt)
Dicant, coci abſtulerunt; comprehendite,
Vincite, verberate, in puteum condite.
Horum tibi iſtic nihil eveniet: quippe qui
Ubi quid ſurripias, nihil eſt, ſequere hac me *Cong.* Sequor.

ACTUS II. SCENA VI.

Strobilus, *Staphyla*, *Coci*.

HEus Staphyla prodi, atque oſtium aperi. *Staph.* Qui vocat?
Str. Strobilus. *Staph.* Quid vis? *Str.* Hos ut accipias coquos,
Tibicinamque obſoniumque in nuptias.
Megadorus juſſit Euclioni hæc mittere.
Staph. Cererin', mi Strobile, has ſunt facturi nuptias?
Str. Qui? *Staph.* Quia temeti nihil allatum intellego.
Str. At jam afferetur, ſi a foro ipſus redierit.
Staph. Ligna hic apud nos nulla ſunt. *Coc.* Sunt aſſeres?
Staph. Sunt pol. *Coc.* Sunt igitur ligna; ne quæras foris.
Staph. Quid? impurate, quanquam Volcano ſtudes,
Cœnæve cauſſa aut tuæ mercedis gratia,
Nos noſtras ædes poſtulas comburere?
Coc. Haud poſtulo. *Str.* Duc iſtos intro. *Staph.* Sequimini.

ACTUS II. SCENA VII.

Pytodicus Servus.

CUrate, ego interviſam quid faciant coqui:
Quos pol ut ego hodie ſervem, cura maxuma eſt,
Niſi unum hoc faciam, ut in puteo cœnam coquant.
Coctam inde ſurſum ſubducemus corbulis.
Si autem deorſum comedent, ſi quid coxerint,
Superi incœnati ſunt, & cœnati inferi.
Sed verba hic facio, quaſi negotii nihil ſiet,
Rapacidarum ubi tantum ſiet in ædibus.

ACTUS II. SCENA VIII.

Euclio, *Congrio*.

VOlui animum tandem confirmare hodie meum,
Ut bene haberem filiæ nuptiis.

Venio

Venio ad macellum, rogito piſces, indicant
Caros; agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam; cara omnia:
Atque eo fuerunt cariora, æs non erat.
Abeo illinc iratus, quoniam nihil eſt qui emam,
Ita illis impuris omnibus adii manum.
Deinde egomet mecum cogitare inter vias
Occœpi: FESTO die ſi quid prodegeris,
Profeſto egere liceat, niſi peperceris.
Poſtquam hanc rationem cordi ventrique edidi,
Acceſſit animus ad meam ſententiam,
Quam minimo ſumptu filiam ut nuptum darem.
Nunc thuſculum emi, & haſce coronas floreas:
Hæc imponentur in foco noſtro Lari,
Ut fortunatas faciat gnatæ nuptias.
Sed quid ego apertas ædes noſtras conſpicor?
Et ſtrepitus eſt intus. numnam compilor miſer?
Cong. Aulam majorem ſi potes, vicinia
Pete: hæc eſt parva, capere non quit. *Euc.* Hei mihi,
Perii hercle! aurum rapitur, aula quæritur.
Nimirum occidor, niſi ego intro huc propere propero currere.
Apollo, quæſo ſubveni mihi, atque adjuva:
Confige ſagittis fures theſaurarios:
Cui in re tali jam ſubveniſti antidhac.
Sed ceſſo prius, quam prorſus perii, currere?

ACTUS II. SCENA IX.

Anthrax.

DRemo; deſquama piſces: tu Machærio
Congrum; murænam exdorſua, quantum potes:
Atque omnia, dum abſum hinc, exoſſata fac ſient.
Ego hinc artoptam ex proxumo utendam peto
A Congrione. tu iſtum gallum, ſi ſapis,
Glabriorem reddes mihi, quam volſus ludiu 'ſt.
Sed quid clamoris oritur hinc ex proxumo?
Coqui hercle, credo, faciunt officium ſuum.
Fugiam intro, ne quid hic turbæ fiat itidem.

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

Congrio.

OPtati cives, populares, incolæ, accolæ, advenæ omnes,
Date viam qua fugere liceat, facite totæ plateæ pateant.
Neque ego unquam, niſi hodie, ad Bacchas veni in Bacchanal coquinatum,
Ita me miſerum & meos diſcipulos fuſtibus male contuderunt.
Totus doleo, atque oppido perii, ita me iſte habuit ſenex gymnaſium.
Neque ligna ego uſquam gentium præberi vidi pulchrius:
Itaque omneis exegit foras, me atque hos onuſtos fuſtibus.
Attat, perii hercle ego miſer. aperit Bacchanal: adeſt:
Sequitur. ſcio quam rem geram: hoc ipſus magiſter me docuit.

ACTUS III. SCENA II.

Euclio ſenex, *Congrio.*

REdi. quo fugis nunc? tene, tene. *Cong.* Quid ſtolide clamas?
Euc. Quia ad tres viros jam ego deferam tuum nomen. *Cong.* Quamobrem?
Euc. Quia cultrum habes. *Cong.* Cocum decet. *Euc.* Quid comminatus
Mihi? *Cong.* Iſtuc malefactum arbitror, quia non latus fodi.
Euc. Homo nullus eſt te ſceleſtior qui vivat hodie,
Neque cui ego de induſtria amplius male plus lubens faxim.
Cong. Pol etſi taceas, palam id quidem eſt. res ipſa teſtis eſt.
Ita fuſtibus ſum mollior miſer magis, quam ullus cinædus.
Sed quid tibi nos, mendice homo, tactio eſt? quæ res eſt?
Euc. Etiam rogitas? an quia minus quam æquom erat feci?
Cong. Sine. at hercle cum malo magno tuo, ſi hocce caput ſentit.
Euc. Pol ego haud ſcio quid poſt fiat, tuum nunc caput ſentit.
Sed in ædibus quid tibi meiſnam erat negotii,
Me abſente, niſi ego juſſeram? volo ſcire. *Cong.* Tace ergo.
Quia venimus coctum ad nuptias. *Euc.* Quid tu (malum) curas
Utrum crudum an coctum edim, niſi tu mihi es tutor?
Cong. Volo ſcire, ſinas an non ſinas nos coquere hic cœnam?
Euc. Volo ſcire item ego, meæ domi meane ſalva futura?
Cong. Utinam mea mihi modo auferam, quæ attuli, ſalva!
Me haud pœnitet: tuane expetam? *Euc.* Scio: ne doce, novi.
Cong. Quid eſt, qua prohibeas nunc gratia nos coquere hic cœnam?
Quid fecimus? quid diximus tibi ſequius, quam velles?
Euc. Etiam rogitas, ſceleſte homo, qui angulos hic omneis
Mearum ædium & conclavium mihi perviam facitis?
Id ubi tibi erat negotium, ad focum ſic adeſſes,
Non fiſſile haberes caput: merito id tibi factum eſt.
Adeo ut tu meam ſententiam jamjam noſcere poſſis,
Si ad januam huc acceſſeris, niſi juſſero, propius,
Ego te faciam miſerrimus mortalis uti ſis.
Scis jam meam ſententiam? quo abis? redi rurſum.
Cong. Ita me bene amet Laverna, te jam, niſi reddi
Mihi vaſa jubes, populo hic differam te ante ædeis.
Quid ego nunc agam? næ edepol veni huc auſpicio malo.
Nummo ſum conductus: plus jam medico mercede opus eſt.

ACTUS III. SCENA III.

Euclio, Congrio.

HOc quidem hercle, quoquo ibo nunc, mecum erit, mecum feram:
Neque iſtuc in tantis periclis unquam committam ut fiet.
Ite ſane nunc jam intro omnes, & coqui, & tibicinæ.
Etiam huc introduce, ſi vis, vel gregem venalium.
Coquite, facite, feſtinate nunc jam quantum lubet.
Cong. Tempori: poſtquam impleviſti fuſtibus iſtorum caput.
Euc. Intro abi. opera huc eſt conducta veſtra, non oratio.

Cong.

Cong. Heu ſenex, pro vapulando hercle ego abs te mercedem petam.
Coctum ego, non vapulatum dudum conductus fui.
Euc. Lege agito mecum, moleſtus ne ſis: i, & cœnam coque,
Aut abi in malum cruciatum ab ædibus. *Cong.* Abi tu modo.

ACTUS III. SCENA IV.

Euclio.

ILlic hinc abiit. Di immortales! FACINUS audax incipit,
Qui cum opulento pauper homine cœpit habere negotium,
Aut rem, velut Megadorus tentat me omnibus miſerum modis:
Qui ſimulavit, mei honoris mittere huc cauſſa coquos,
Is ea cauſſa miſit, hoc qui ſurriperent miſero mihi.
Condigne etiam meus me intus gallus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit pæniſſime.
Ubi erat hæc defoſſa, occœpit ibi ſcalpurire ungulis
Circumcirca. quid opus eſt verbis? ita mihi pectus peracuit:
Capio fuſtem, obtrunco gallum, furem manifeſtarium.
Credo ego edepol illi mercedem gallo pollicitos coquos,
Si id palam feciſſet. exemi e manu manubrium.
Quid opus eſt verbis? facta eſt pugna in gallo gallinaceo.
Sed Megadorus meus affinis eccum incedit a foro.
Jam hunc non auſim prætерire, quin conſiſtam & colloquar.

ACTUS III. SCENA V.

Megadorus, Euclio.

NArravi amicis multis conſilium meum
De conditione hac. Euclionis filiam
Laudant: ſapienter factum & conſilio bono.
Nam, meo quidem animo, ſi idem faciant cæteri,
OPULENTIORES pauperiorum filias
Ut indotatas ducant uxores domum,
Et multo fiat civitas concordior,
Et invidia nos minore utamur quam utimur;
Et illæ malam rem metuant, quam metuunt, magis,
Et nos minore ſumptu ſimus, quam ſumus.
In maxumam illuc populi partem eſt optumum,
In pauciores avidos altercatio eſt:
Quorum animis avidis atque inſatietatibus
Neque lex neque tutor capere eſt qui poſſit modum.
Namque hoc qui dicat; quo illæ nubent divites
Dotatæ, ſi iſtud jus pauperibus ponitur?
Quo lubeat nubant, dum dos ne fiat comes.
Hoc ita ſi fiat, mores meliores ſibi
Parent pro dote quos ferant, quam nunc ferunt.
Ego faxim muli, pretio qui ſuperant equos,
Sient viliores Gallicis canteriis.
Euc. Ita me di amabunt, ut ego hunc auſculto lubens.
Nimis lepide fecit verba ad parcimoniam.
Meg. Nulla igitur dicat; Equidem dotem ad te attuli
Majorem multo, quam tibi erat pecunia.
Enim mihi quidem æquom eſt purpuram atque aurum dari,
Ancillas, mulos, muliones, pediſſequos:
Salutigerulos pueros, vehicula qui vehar.
Euc. Ut matronarum hic facta pernovit probe!
Moribus præfectum mulierum hunc factum velim.
Meg. Nunc quoquo venias, plus plauſtrorum in ædibus
Videas, quam ruri, quando ad villam veneris.
Sed hoc etiam pulchrum eſt præ quam ubi ſumptus petunt.
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius;
Caupones patagiarii, induſiarii,
Flammearii, violarii, carinarii,
Aut manulearii, aut murrobathrarii,
Propolæ, linteones, calceolarii,
Sedentarii, ſutores, diabathrarii,
Solearii aſtant, aſtant molochinarii,
Petunt fullones, ſarcinatores petunt,
Strophiarii aſtant, aſtant ſemizonarii.
Jam hoſce abſolutos cenſeas: cedunt, petunt.
Trecenti cum ſtant phylaciſtæ in atriis,
Textores, limbolarii, arcularii ducuntur: datur
Æs. jamque hoſce abſolutos cenſeas,
Cum incedunt infectores crocotarii,
Aut aliqua mala crux ſemper eſt quæ aliquid petat.
Euc. Compellarem ego illum, ni metuam ne deſinat
Memorare mores mulierum: nunc ſic ſinam.
Meg. Ubi nugigerulis res ſoluta eſt omnibus,
Ibi ad poſtremum cedit miles, æs petit.
Itur, putatur ratio cum argentario.
Impranſus miles aſtat, æs cenſet dari.
Ubi diſputata eſt ratio cum argentario,
Etiam plus ipſus ultro debet argentario.
Spes prorogatur militi in alium diem.
Hæ ſunt atque aliæ multæ in magnis dotibus
Incommoditates, ſumptuſque intolerabiles.
Nam QUÆ INDOTATA eſt, ea in poteſtate eſt viri.
Dotatæ mactant & malo & damno viros.
Sed eccum affinem ante ædes. quid ais, Euclio?

ACTUS III. SCENA VI.

Euclio, Megadorus.

NImium lubenter edi ſermonem tuum.
Meg. Ain'? Audiviſti? *Euc.* uſque a principio omnia. *Meg.* Tamen,
E meo quidem animo, aliquanto facias rectius,
Si nitidior ſis filiæ nuptiis.
Euc. PRO RE nitorem, & gloriam pro copia
Qui habent, meminerint ſeſe unde oriundi ſient.
Neque pol Megadore mihi, neque cuiquam pauperi,
Opinione melius res ſtructa eſt domi.
Meg. Imo eſt, & dii faciant uti ſiet diu,
Plus pluſque ſoſpitent iſtuc quod nunc habes.
Euc. Illud mihi verbum non placet. Quod nunc habes.
Tam hoc ſcit me habere, quam egomet: anus fecit palam.
Meg. Quid tu te ſolus de ſenatu ſevocas?
Euc. Pol ego te ut accuſem merito meditabar. *Meg.* Quid eſt?
Euc. Quid ſit me rogitas? qui mihi omneis angulos
Furum impleviſti in ædibus miſero: mihi
Qui intromiſiſti in ædes quingentos coquos,
Cum ſenis manibus, genere Geryonaceo:
Quos ſi Argus ſervet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Jovi Juno cuſtodem addidit,
Is nunquam ſervet. præterea tibicinam,
Quæ mihi interbibere ſola, ſi vino ſcatet,

Corin-

Corinthienſem fontem Pirenem poteſt.
Tum obſonium autem · *Meg.* Pol vel legioni ſat eſt.
Etiam agnum miſi. *Euc.* Quo quidem agno ſat ſcio
Magis curioſam nuſquam eſſe ullam belluam.
Meg. Volo ex te ego ſcire qui ſit agnus curio.
Euc. Qui oſſa atque pellis totus eſt, ita cura macet.
Quin exta inſpicere in Sole etiam vivo licet:
Ita is pellucet quaſi laterna Punica.
Meg. Cædundum illum ego conduxi. *Euc.* Tum tu idem optumum eſt
Loces efferendum: nam jam credo mortuus eſt.
Meg. Potare ego tecum hodie Euclio volo.
Euc. Non potem ego quidem me hercle. *Meg.* At ego juſſero
Cadum unum vini veteris a me afferrier.
Euc. Nolo hercle. nam mihi bibere decretum eſt aquam.
Meg. Ego te hodie reddam madidum, ſed vino, probe,
Te, cui decretum eſt bibere aquam. *Euc.* Scio quam rem agat.
Ut me deponat vino, eam affectat viam:
Poſt hoc quod habeo ut commutet coloniam.
Ego id cavebo, nam alicubi abſtrudam foris.
Ego faxo & operam & vinum perdiderit ſimul.
Meg. Ego, niſi quid me vis, eo lavatum, ut ſacruficem.
Euc. Edepol næ tu Aula multos inimicos habes,
Atque iſtuc aurum quod tibi concreditum eſt.
Nunc hoc mihi factu eſt optumum, ut ted auferam
Aulam in Fidei fanum: ibi abſtrudam probe.
Fides, noviſti me, & ego te: cave ſis tibi
Ne tu in me mutaſſis nomen, ſi hoc concreduo.
Ibo ad te, fretus tua, Fides, fiducia.

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

Strobilus, ſervus Lyconidis.

HOc eſt ſervi facinus frugi, facere quod ego perſequor:
Nec moræ moleſtiæque imperium herile habeat ſibi.
Nam qui hero ex ſententia ſervire ſervos poſtulat,
In herum matura, in ſe ſera condecet capeſſere.
Sin dormitet, ita dormitet, ſervom ſeſe ut cogitet.
Nam qui amanti hero ſervitutem ſervit, quaſi ego ſervio,
Si herum videt ſuperare amorem, hoc ſervi eſſe officium reor,
Retinere ad ſalutem: non eum, quo incumbat, eo impellere.
Quaſi pueris qui nare diſcunt, ſcirpea induitur ratis,
Qui laborent minus, facilius ut nent, & moveant manus:
Eodem modo ſervom ratem eſſe amanti hero æquom cenſeo,
Ut toleret, ne peſſum abeat, tanquam **
Herile imperium ediſcat, ut quod frons velit, oculi ſciant.
Quod jubeat, citis quadrigis citius properet perſequi.
Qui ea curabit, abſtinebit cenſione bubula.
Nec ſua opera rediget unquam in ſplendorem compedes.
Nunc herus meus amat filiam hujus Euclionis pauperis:
Eam hero nunc renunciatum eſt nuptum huic Megadoro dari.
Is ſpeculatum huc miſit me, ut quæ fierent, fieret particeps.
Nunc ſine omni ſuſpicione, in ara hic aſſidam ſacra.
Hinc ego & huc & illuc potero, quid agant, arbitrarier.

ACTUS IV. SCENA II.

Euclio ſenex, *Strobilus* ſervus.

TU modo cave cuiquam indicaſſis, aurum meum eſſe iſtic, Fides.
Non metuo ne quiſquam inveniat: ita probe in latebris ſitum eſt.
Edepol næ illic pulchram prædam agat, ſi qui illam invenerit
Aulam onuſtam auri. verum id te quæſo ut prohibeſſis, Fides.
Nunc lavabo, ut rem divinam faciam, ne affinem morer,
Quin ubi arceſſat me, meam extemplo filiam ducat domum.
Vide, Fides, etiam atque etiam nunc, ſalvam ut aulam abs te auferam.
Tuæ fidei concredidi aurum: in tuo luco & fano modo eſt ſitum.
Str. Di immortales! quod ego hunc hominem facinus audio loqui?
Se aulam onuſtam auri abſtruſiſſe hic intus in fano. Fides,
Cave tu illi fidelis, quæſo, potius fueris, quam mihi.
Atque hic pater eſt, ut ego opinor, hujus, herus meus quam amat.
Ibo hinc intro: perſcrutabor fanum, ſi inveniam uſpiam
Aurum, dum hic eſt occupatus. ſed ſi repperero, o Fides,
Mulſi congialem plenam faciam tibi fideliam,
Id adeo tibi faciam: verum ego mihi bibam, ubi id fecero.

ACTUS IV. SENA III.

Euclio.

NOn temere eſt, quod corvos cantat mihi nunc ab læva manu.
Semel radebat pedibus terram, & voce crocibat ſua.
Continuo meum cor cœpit artem facere ludicram,
Atque in pectus emicare, ſed ego ceſſo currere.

ACTUS IV. SCENA IV.

Euclio, *Strobilus*.

FOras, lumbrice, qui ſub terra erepſiſti modo,
Qui modo nuſquam comparebas: nunc quom compares, peris.
Ego edepol te præſtigiator miſeris jam accipiam modis.
Str. Quæ te mala crux agitat? quid tibi mecum eſt commercii. ſenex?
Quid me afflictas? quid me raptas? qua me cauſſa verberas?
Euc. Verberabiliſſime, etiam rogitas? non fur, ſed trifur.
Str. Quid tibi ſurripui? *Euc.* Redde huc ſis. *Str.* Quid tibi vis reddam? *Euc.* Rogas?
Str. Nihil equidem tibi abſtuli. *Euc.* At illud quod tibi abſtuleras cedo.

Str. Hem, quid agis? *Euc.* Quid agam? auferre non potes. *Str.* Quid vis tibi?
Euc. Pone. *Str.* Id quidem pol de data re conſuetum, ſenex.
Euc. Pone hoc ſis: aufer cavillam: non ego nunc nugas ago.
Str. Quid ego ponam? quin tu eloquere, quicquid eſt, ſuo nomine.
Non hercle equidem quicquam ſumpſi, nec tetigi. *Euc.* Oſtende huc manus.
Str. Hem tibi. *Euc.* Oſtende. *Str.* Eccas. *Euc.* Video. age oſtende etiam tertiam.
Str. Larvæ hunc atque intemperiæ inſaniæque agitant ſenem.
Faciſne injuriam mihi, an non? *Euc.* Fateor, quia non pendes, maxumam.
Atque id quoque jam fiet, niſi fatere. *Str.* Quid fatear tibi?
Euc. Quid abſtuliſti hinc? *Str.* Di me perdant, ſi ego tui quicquam abſtuli.
Euc. Nive adeo abſtuliſſe vellem? agedum, excutedum pallium.
Str. Tuo arbitratu. *Euc.* Ne inter tunicas habeas. *Str.* Tenta qua lubet.
Euc. Vah, ſcleſtus quam benigne! ut ne abſtuliſſe intellegam.
Novi ſycophantias. age rurſum, oſtende huc manum
Dexteram. *Str.* Hem. *Euc.* Nunc lævam oſtende. *Str.* Quin equidem ambas profero.
Euc. Jam ſcrutari mitto. redde huc. *Str.* Quid reddam? *Euc.* Ah nugas agis.
Certe habes. *Str.* Habeo ego? quid habeo? *Euc.* Non dico: audire expetis.
Id meum quicquid habes, redde. *Str.* Inſanis: perſcrutatus es
Tuo arbitratu, neque tui me quicquam inveniſti penes.
Euc. Mane, mane. quis illic eſt, quis hic intus alter erat tecum ſimul?
Perii hercle. ille nunc intus turbat. hunc ſi amitto, hic abierit.
Poſtremo jam hunc perſcrutari. hic nihil habet, abi quo lubet.
Juppiter te dique omnes perdant. *Str.* Haud male agit gratias.
Euc. Ibo hinc intro, atque illi ſocienno tuo jam interſtringam gulam.
Fugin' hinc ab oculis? abin' hinc, an non? *Str.* Abeo. *Euc.* Caveſis te videam.

ACTUS IV. SCENA V.

Strobilus.

EMortuum ego me mavelim leto malo,
Quam jam non ego illi dem hodie inſidias ſeni.
Nanque hic non audebit aurum abſtrudere.
Credo referet jam ſecum, & mutabit locum.
Atat foris crepuit. ſenex eccum aurum effert foras.
Tantiſper hic ego ad januam conceſſero.

ACTUS IV. SCENA VI.

Euclio, *Strobilus*.

FIdei cenſebam maxumam multo fidem
Eſſe. ea ſublevit os mihi pæniſſume,
Ni ſubveniſſet corvos, periiſſem miſer.
Nimis hercle ego illum corvom ad me veniat velim,
Qui indicium fecit, ut ego illi aliquid boni
Dicam. nam quod edit tam duim, quam perduim.
Nunc, hoc ubi abſtrudam, cogito ſolum locum.
Sylvani lucus extra murum eſt avius,
Crebro ſalicto oppletus, ibi ſumam locum.
Certum eſt, Sylvano potius credam, quam Fidei.
Str. Euge, euge, dii me ſalvom & ſervatum volunt.
Jam ego illuc præcurram, atque inſcendam aliquam in arborem:
Indeque obſervabo, aurum ubi abſtrudat ſenex.
Quanquam hic manere herus me ſeſe juſſerat,
Certum eſt, malam rem potius quæram cum lucro.

ACTUS IV. SCENA VII.

Lyconides adoleſcens, *Eunomia* mulier, *Phædria* virgo.

DIxi tibi, mater: juxta rem mecum tenes,
Super Euclionis filia. nunc te obſecro
Fac mentionem cum avonculo, mater mea:
Reſecroque, mater, quod dudum obſecraveram.
Eun. Scis tute, facta velle me, quæ tu velis.
Et iſtuc confido a fratre me impetraſſere.
Et cauſſa juſta eſt, ſiquidem ita eſt ut prædicas,
Te eam compreſſiſſe vinolentum virginem.
Lyc. Egone ut te advorſum mentiar, mater mea?
Phæd. Perii, mea nutrix. obſecro te, uterum dolet.
JUNO LUCINA tuam fidem. *Lyc.* Hem, mater mea,
Tibi rem potiorem video. clamat, parturit.
Eun. I hac intro mecum, gnate mi, ad fratrem meum.
* Ut iſtuc quod tu me oras, efficiam tibi, *
Ut iſtuc quod me oras, impetratum ab eo auferam.
Lyc. I, jam ſequor te, mater. ſed ſervom meum
Strobilum miror ubi ſit, quem ego me juſſeram
Hic opperiri. nunc ego mecum cogito,
Si mihi dat operam, me illi iraſci injurium eſt:
Ibo intro, ubi de capite meo ſunt comitia.

ACTUS IV. SCENA VIII.

Strobilus.

PIci divitiis qui aureos montes colunt,
Ego ſolus ſupero. nam iſtos reges cæteros
Memorare nolo, hominum mendicabula.
Ego ſum ille rex Philippus. o lepidum diem!
Nam ut dudum hinc abii, multo illo adveni prior,
Multoque prius me collocavi in arborem:
Indeque exſpectabam ubi aurum abſtrudebat ſenex.
Ubi ille abiit, ego me deorſum duco de arbore,
Effodio aulam auri plenam. inde ex eo loco
Video recipere ſe ſenem: ille me non videt.
Nam ego modo declinavi paulum me extra viam.
Atat eccum ipſum. ibo ut hoc condam domum.

ACTUS IV. SCENA IX.

Euclio ſenex, *Lyconides* adoleſcens.

PErii, interii, occidi. quo curram? quo non curram?
Tene, tene. quem? quis? neſcio, nihil video, cæcus eo, atque

Equi-

Equidem quo eam, aut ubi ſim, aut quî ſim, nequeo cum animo
Certum inveſtigare. obſecro vos ego, mihi auxilio
Oro, obteſtor, ſitis: & hominem demonſtretis, qui eam abſtulerit.
Qui veſtitu & creta occultant ſeſe, atque ſedent quaſi ſint frugi.
Quid ais tu? tibi credere certum eſt, nam eſſe bonum e voltu cognoſco.
Quid eſt? quid ridetis! novi omnes. ſcio fures eſſe hic complures.
Hem! nemo habet horum. occidiſti. dic igitur, quis habet? neſcis?
Heu me miſerum, miſerum! perii male perditus! peſſume ornatus eo.
Tantum gemiti & malæ mæſtitiæ hic dies mihi obtulit,
Famem & pauperiem: perditiſſimus ego ſum omnium in terra.
Nam quid mihi opus eſt vita, qui tantum auri perdidi,
Quod cuſtodivi ſedulo? egomet me defraudavi,
Animumque meum, geniumque meum. nunc eo alii lætificantur,
Meo malo & damno: pati nequeo.
Lyc. Quonam homo hic ante ædeis noſtras ejulans conqueritur mœrens?
Atque hic quidem Euclio eſt. eſt, opinor: oppido ego interii; palam eſt res.
Scit peperiſſe jam, ut ego opinor, filiam ſuam. nunc mihi incertum eſt,
Quid agam; abeam an maneam: an adeam, an fugiam: quid agam edepol neſcio.

ACTUS IV. SCENA X.

Euclio ſenex, *Lyconides* adoleſcens.

QUis homo hic loquitur? *Lyc.* Ego ſum. *Euc.* Imo ego ſum miſer, & miſere perditus,
Cui tanta mala, mœſtitudoque obtigit. *Lyc.* Animo bono es.
Euc. Quo obſecro pacto eſſe poſſum? *Lyc.* Quia iſtuc facinus quod tuum
Sollicitat animum, id ego feci, & fateor. *Euc.* Quid ego ex te audio?
Lyc. Id quod verum eſt. *Euc.* Quid ego emerui, adoleſcens, mali?
Quamobrem ita faceres, meque meoſque perditum ires liberos?
Lyc. Deus mihi impulſor fuit, is me ad illam illexit. *Euc.* Quo modo?
Lyc. Fateor me peccaviſſe, & me hanc culpam commeritum ſcio.
Id adeo te oratum advenio, ut animo æquo ignoſcas mihi.
Euc. Cur id auſus facere, ut id quod non tuum eſſet tangeres?
Lyc. Quid vis fieri? factum eſt illud. FIERI infectum non poteſt.
Deos credo voluiſſe: nam ni vellent, non fieret ſcio.
Euc. At ego deos credo voluiſſe, ut apud te me in nervo enicem.
Lyc. Ne iſtuc dixis. *Euc.* Quid tibi ergo meam me invito tactio eſt?
Lyc. Quia vini vitio atque amoris feci. *Euc.* Homo audaciſſime,
Cum iſtacne te oratione huc ad me adire auſum, impudens?
Nam ſi iſtuc jus eſt, ut ſic tu iſtuc excuſare poſſies,
Luce clara deripiamus aurum matronis palam;
Poſt id, ſi prehenſi ſimus, excuſemus ebrios
Nos feciſſe amoris cauſſa. nimis vile 'ſt vinum atque amor,
Si ebrio atque amanti impune facere quod lubeat licet.
Lyc. Quin tibi ultro ſupplicatum venio ob ſtultitiam meam.
Euc. Non mihi homines placent, qui, quando malefecerunt, purgitant.
Tu illam ſcibas non tuam eſſe: non attactam oportuit.
Lyc. Ergo quia ſum tangere auſus, haud cauſſificor quin eam
Ego habeam potiſſimum. *Euc.* Tun' habeas me invito meam?
Lyc. Haud te invito poſtulo, ſed meam eſſe oportere arbitror.
Quin tu eam invenies, inquam, meam illam eſſe oportere, Euclio.
Euc. Niſi refers. *Lyc.* Quid tibi ego referam? *Euc.* Quod ſurripuiſti meum.
Jam quidem ad prætorem hercle te rapiam, & tibi ſcribam dicam.
Lyc. Surripui ego tuum? unde? aut quid id eſt? *Euc.* ita te amabit Juppiter,
Ut tu neſcis? *Lyc.* niſi quidem tu mihi, quid quæras dixeris.
Euc. Aulam auri, inquam, te repoſco, quam tu confeſſus mihi
Te abſtuliſſe. *Lyc.* Neque edepol ego dixi, neque feci. *Euc.* Negas?
Lyc. Pernego imo. nam neque ego aurum, neque iſta aula quæ ſiet
Scio, nec novi. *Euc.* Illam, ex Sylvani luco quam abſtuleras, cedo.
I, refer: dimidiam tecum potius partem dividam.
Tametſi fur mihi es, moleſtus non ero. i vero, refer.
Lyc. Sanus tu non es, qui furem me voces. ego te Euclio
De alia re reſciviſſe cenſui, quod ad me attinet.
Magna eſt res: quam ego tecum otioſe, ſi otium eſt, cupio loqui.
Euc. Dic bona fide: tu id aurum non ſurripuiſti? *Lyc.* Bona.
Euc. Neque ſcis quis abſtulerit? *Lyc.* Iſtuc quoque bona. *Euc.* Atque id ſi ſcies,
Qui abſtulerit, mihi indicabis? *Lyc.* Faciam. *Euc.* Neque partem tibi
Ab eo, quiqui eſt, inde poſces? Neque furem excipies? *Lyc.* Ita.
Euc. Quid ſi fallis? *Lyc.* Tum me faciat quod volt magnus Juppiter.
Euc. Sat habeo, age nunc loquere quidvis. *Lyc.* Si me noviſti minus,
Genere qui ſim gnatus, hic mihi eſt Megadorus avonculus:
Meus fuit pater Antimachus: ego vocor Lyconides:
Mater eſt Eunomia. *Euc.* Novi genus. nunc quid vis? id volo
Noſcere. *Lyc.* Filiam ex te tu habes. *Euc.* Imo eccillam domi.
Lyc. Eam tu deſpondiſti, opinor, meo avonculo. *Euc.* Omnem rem tenes.
Lyc. Is me nunc renunciare repudium juſſit tibi.
Euc. Repudium, rebus paratis, atque exornatis nuptiis?

Ut illum di immortales omnes deæque, quantum eſt, perduint,
Quem propter hodie auri tantum perdidi infelix miſer.
Lyc. Bono animo es, & benedice. nunc quæ res tibi & gnatæ tuæ
Bene feliciterque vortat, ita di faxint, inquito.
Euc. Ita di faciant. *Lyc.* Et mihi ita di faciant. audi nunc jam.
Qui homo culpam admiſit in ſe, nullus eſt tam parvi pretii,
Quin pudeat, quin purget ſeſe: nunc te obteſtor, Euclio,
Si quid ego erga te imprudens peccavi, aut gnatam tuam,
Ut mihi ignoſcas, eamque uxorem mihi des, ut leges jubent:
Ego me injuriam feciſſe filiæ fateor tuæ,
Cereris vigiliis per vinum, atque impulſu adoleſcentiæ.
Euc. Hei mihi! quod facinus ego ex te audio? *Lyc.* cur ejulas?
Quem hodie ego avom feci jam ut eſſes filiæ nuptiis:
Nam tua gnata peperit, decumo menſe poſt: numerum cape.
Ea re repudium remiſit avonculus cauſſa mea.
I intro, exquire ſitne ita ut ego prædico. *Euc.* Perii oppido.
Ita mihi ad malum malæ res plurimæ ſe agglutinant.
Ibo intro, ut quid hujus veri ſit, ſciam. *Lyc.* Jam te ſequor.
Hæc propemodum jam eſſe in vado ſalutis res videtur.
Nunc ſervom eſſe ubi dicam meum Strobilum, non reperio:
Niſi etiam hic opperiar tamen pauliſper, poſtea intro
Hunc ſubſequar. nunc interim ſpacium ei dabo exquirendi
Meum factum ex gnatæ pediſſequa nutrice anu. ea rem novit.

ACTUS QUINTUS.

Strobilus, Lyconides.

DI immortales, quibus & quantis me donatis gaudiis!
Quadrilibrem aulam auro onuſtam habeo. quis me eſt divitior?
Quis me Athenis nunc magis quiſquam eſt homo, cui di ſint propitii?
Lyc. Certo enim ego vocem hic loquentis modo me audire viſus ſum.
Str. Herumne ego aſpicio meum? *Lyc.* Videon' ego hunc Strobilum ſervom meum?
Str. Ipſus eſt. *Lyc.* Haud alius eſt. *Str.* Congrediar. *Lyc.* Contollam gradum.
Credo ego illum, ut juſſi, eampſe anum adiſſe, hujus nutricem virginis.
Str. Quin ego illi me inveniſſe dico hanc prædam, atque eloquor?
Igitur orabo ut manum me mittat, ibo atque eloquar.
Repperi. *Lyc.* Quid repperiſti? *Str.* Non quod pueri clamitant,
In faba ſe repperiſſe. *Lyc.* Jamne autem, ut ſoles, deludis?
Str. Here mane, eloquar. jam auſculta. *Lyc.* Age ergo loquere. *Str.* Repperi hodie
Here divitias nimias. *Lyc.* Ubinam? *Str.* Quadrilibrem, inquam, aulam auri plenam.
Lyc. Quod ego facinus audio ex te? *Str.* Euclioni huic ſeni ſurripui.
Lyc. Ubi id eſt aurum? *Str.* In arca apud me, nunc volo me emitti manu.
Lyc. Egone te emittam manu ſcelerum cumulatiſſime? *Str.* Abi here, ſcio
Quam rem geras. lepide hercle animum tuum tentavi: jam
Ut eriperes apparabas: quid faceres, ſi repperiſſem?
Lyc. Non potes probaſſe nugas. i, redde aurum. *Str.* Reddam ego aurum?
Lyc. Redde inquam: ut huic reddatur. *Str.* Ah, unde?
Lyc. Quod modo faſſus es eſſe
In arca. *Str.* Soleo hercle ego garrire nugas, ita loquor. *Lyc.* At ſcin'
Quomodo? *Str.* Vel hercle enica, nunquam hinc feres a me.

Imperfecta Fabula.

CAPTEIVEI.

Dramatis Perſonæ.

ERGASILUS *paraſitus.*
HEGIO, *ſenex.*
LORARIUS.
PHILOCRATES *captivus.*
TYNDARUS *captivus.*
ARISTOPHONTES.
HEGIONIS *puer.*
PHILOPOLEMUS.
STALAGMUS.
GREX.

ARGUMENTUM.

CAptus fuit in pugna Hegionis filius.
Alium quadrimum fugiens ſervus vendidit.
Pater captivos commercatur alios,
Tantum ſtudens uti natum recuperet.
Et inibi emit olim amiſſum filium.
Is ſuo cum domino veſte verſa ac nomine
Ut amittatur fecit: ipſus plectitur.
Et is reduxit captum & fugitivum ſimul,
Indicio cujus alium agnoſcit filium.

PROLOGUS.

HOs quos videtis ſtare hic captivos duos,
Illi qui aſtant, hi ſtant ambo, non ſedent.
Vos vos mihi teſtes eſtis, me verum loqui.
Senex qui hic habitat, Hegio eſt hujus pater.
Sed is quo pacto ſerviat ſuo ſibi patri,
Id ego hic apud vos proloquar, ſi operam datis.
Seni huic fuerunt filii nati duo,
Alterum quadrimum puerum ſervos ſurpuit,
Eumque hinc profugiens vendidit in Alide
Patri hujuſce. jam hoc tenetis? optumum eſt.
Negat hercle ille ultimus. accedito.
Si non ubi ſedeas locus eſt, eſt ubi ambules,
Quando hiſtrionem cogis mendicarier.
Ego me tua cauſſa, ne erres, non rupturus ſum.
Vos qui poteſtis ope veſtra cenſerier,
Accipite reliquom. alieno uti nihil moror.
Fugitivos ille, ut dixeram ante, hujus patri,
Domo quem profugiens dominum abſtulerat, vendidit.
Hic poſtquam hunc emit, dedit eum gnato ſuo

Pecu-

Peculiarem: quia quaſi una ætas erat.
Hic nunc domi ſervit ſuo patri, nec ſcit pater.
Enimvero DI NOS quaſi pilas homines habent.
Rationem habetis, quomodo unum amiſerit.
Poſtquam belligerant Ætoli cum Aliis,
Ut in bello fit, capitur alter filius.
Medicus Menarchus emit ibidem in Alide.
Cœpit captivos commercari hic Alios,
Si quem reperire poſſet, cum quo mutet ſuum
Illum captivum: hunc ſuum eſſe neſcit, qui domi eſt.
Et quoniam heri inde audivit de ſummo loco
Summoque genere captum eſſe equitem Alium,
Nihil pretio parſit, filio dum parceret:
Reconciliare ut facilius poſſet domum,
Emit hoſce de præda ambos de Quæſtoribus.
Hice autem inter ſeſe hunc confinxerunt dolum,
Quo pacto hic ſervos ſuum herum hinc amittat domum.
Itaque inter ſe commutant veſtem & nomina.
Illic vocatur Philocrates, hic Tyndarus.
Hujus illic, hic illius hodie fert imaginem.
Et hic hodie expediet hanc docte fallaciam,
Et ſuum herum faciet libertatis compotem.
Eodemque pacto fratrem ſervabit ſuum,
Reducemque faciet liberum in patriam ad patrem
Imprudens: itidemque ut ſæpe jam in multis locis
Plus inſciens quis fecit quam prudens boni.
Sed inſcientes ſua ſibi fallacia
Ita compararunt & confinxerunt dolum:
Itaque hi commenti de ſua ſententia,
Ut in ſervitute hic ad ſuum maneat patrem.
Ita nunc ignorans, ſuo ſibi ſervit patri.
HOMUNCULI quanti ſunt, cum recogito!
Hæc res agetur nobis, vobis Fabula.
Sed etiam eſt paucis quod monitos vos voluerim.
Profecto expediet Fabulæ huic operam dare.
Non pertractate facta eſt, neque item ut cæteræ,
Neque ſpurcidici inſunt verſus immemorabiles,
Hic neque perjurus leno eſt, nec meretrix mala,
Neque miles glorioſus. ne vereamini,
Quia bellum Ætolis eſſe dixi cum Aliis.
Foris illis extra ſcenam fient prælia.
Nam hoc pene iniquum eſt Comico choragio
Conari deſubito nos agere Tragœdiam.
Proin' ſi quis pugnam exſpectat, lites contrahat:
Valentiorem nactus adverſarium
Si erit, ego faciam ut pugnam inſpectet non bonam,
Adeo ut ſpectare poſtea omneis oderit.
Abeo. Valete judices juſtiſſimi,
Domi bellique duellatores optimi.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Ergaſilus paraſitus,

IUventus nomen indidit ſcorto mihi,
Eo quia invocatus ſoleo eſſe in convivio,
Scio abſurde dictum hoc deriſores dicere,
At ego ajo recte. nam in convivio ſibi
Amator, talos cum jacit, ſcortum invocat.
Eſtne invocatum, an non eſt? eſt planiſſume,
Verum hercle verum nos Paraſiti planius,
Quos nunquam quiſquam neque vocat neque invocat.
Quaſi mures ſemper edimus alienum cibum.
Ubi res prolatæ ſunt, cum rus homines eunt,
Simul prolatæ res ſunt noſtris dentibus.
Quaſi cum caletur, cochleæ in occulto latent,
Suo ſibi ſucco vivont, ros ſi non cadit:
Item Paraſiti rebus prolatis latent
In occulto, miſeri victitant ſucco ſuo,
Dum ruri rurant homines quos liguriant.
Prolatis rebus paraſiti venatici
Sumus: quando res redierunt, Moloſſici
Odioſicique, & multum incommodiſtici.
Et hic quidem hercle niſi qui colaphos perpeti
Potis paraſitus, frangique aulas in caput,
Vel extra portam ire trigeminam ad ſaccum licet.
Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculum eſt,
Nam poſtquam meus rex eſt potitus hoſtium,
Ita nunc belligerant Ætoli cum Aliis.
Nam Ætolia hæc eſt: illic captu 'ſt in Alide
Philopolemus hujus Hegionis filius
Senis, qui hic habitat: quæ ædes lamentariæ
Mihi ſunt: quas quotieſcunque conſpicio, fleo.
Nunc hic occœpit quæſtum hunc filii gratia
Inhoneſtum, maxume alienum ingenio ſuo.
Homines captivos commercatur, ſi queat
Aliquem invenire, ſuum quicum mutet filium.
Nunc ad eum pergam. ſed aperitur oſtium,
Unde ſaturitate ſæpe ego exii ebrius.

ACTUS I. SCENA II.

Hegio ſenex, *Lorarius*, *Ergaſilus* paraſitus.

ADvorte animum ſis tu: iſtos captivos duos
Here quos emi de præda, de quæſtoribus.
His indito catenas ſingularias:
Iſtas majores quibus ſunt vincti, demito.
Sinito ambulare, ſi foris, ſi intus volent:
Sed uti aſſerventur magna diligentia.
LIBER captivos avis fere conſimilis eſt:
Semel fugiendi ſi data eſt occaſio,
Satis eſt. nunquam poſt illam poſſis prendere.
Lor. OMNES profecto liberi lubentius
Sumus, quam ſervimus. *Heg.* Non videre ita tu quidem.
Lor. Si non eſt quod dem, mene vis dem ipſe in pedes?
Heg. Si dederis, erit extemplo mihi, quod dem tibi.
Lor. Avis me feræ conſimilem faciam, ut prædicas.
Heg. Ita ut dicis: nam ſi faxis, te in caveam dabo.
Sed ſatis verborum eſt. cura quæ juſſi. atque abi.
Par. Quod ego quidem nimis quam cupio, ut impetret:
Nam ni illum recipit, nihil eſt quo me recipiam.
Nulla eſt juventuris ſpes: ſeſe omnes amant.
Ille demum antiquis eſt adoleſcens moribus:
Cujus nunquam voltum tranquillavi gratiis.
Condigne eſt pater ejus moratus moribus.
Heg. Ego ibo ad fratrem, ad alios captivos meos:
Viſam ne nocte hac quippiam turbaverint:
Inde me continuo recipiam rurſum domum.
Par. Ægre eſt mihi, hunc facere quæſtum carcerarium,
Propter ſui gnati miſeriam, miſerum ſenem.
Sed ſi ullo pacto ille huc conciliari poteſt,
Vel carnificinam hunc facere, poſſum perpeti.
Heg. Quis hic loquitur? *Par.* Ego, qui tuo mœrore maceror.
Maceſco, conſeneſco, & tabeſco miſer.
Oſſa atque pellis ſum miſera macritudine.
Neque unquam quicquam me juvat quod edo domi:
Foris aliquantillum etiam quod guſto, id beat.
Heg. Ergaſile ſalve. *Par.* Di te bene ament, Hegio.

Heg. Ne fle. *Par.* Egone illum non fleam? egone non defleam
Talem adoleſcentem? *Heg.* Semper ſenſi filio
Meo te eſſe amicum, & illum intellexi tibi.
Par. TUM DENIQUE homines noſtra intelligimus bona,
Cum quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.
Ego, poſtquam gnatus tuus potitu 'ſt hoſtium,
Expertus quanti fuerit, nunc deſidero.
Heg. Alienus cum ejus incommodum tam ægre feras,
Quid me patrem par facere eſt, cui ille eſt unicus?
Par. Alienus ego? alienus ille? ha, Hegio!
Nunquam iſtuc dixis, neque animum induxis tuum.
Tibi ille unicu 'ſt, mihi etiam unico magis unicus.
Heg. Laudo, malum cum amici tuum ducis malum.
Nunc habe animum bonum. *Par.* Eheu! *Heg.* Huic illud dolet,
Quia nunc remiſſus eſt edendi exercitus.
Nullumne interea nactus, qui poſſet tibi
Remiſſum, quem dixti, imperare exercitum?
Par. Quid credis? fugitant omnes hanc provinciam,
Quoi obtigerat, poſtquam captu 'ſt Philopolemus tuus.
Heg. Non pol mirandum eſt fugitare hanc provinciam:
Multis & multigeneribus opus eſt tibi
Militibus. primum dum opus eſt Piſtorenſibus;
Eorum ſunt genera aliquot Piſtorenſium.
Opus Paniceis, opus Placentinis quoque,
Opus Turdetanis, opus eſt Ficedulenſibus:
Jam maritumi omnes milites opus ſunt tibi.
Par. UT SÆPE ſumma ingenia in occulto latent!
Illic qualis imperator, nunc privatus eſt!
Heg. Habe modo bonum animum, nam illum confido domum
In his diebus me reconciliaſſere.
Nam eccum captivom hic adoleſcentem habeo Alium,
Prognatum genere ſummo, & ſummis divitiis:
Hoc illum me mutare confido fore.
Par. Ita di deæque faxint. *Heg.* Sed num quo foras
Vocatus ad cœnam? *Par.* Nuſquam equidem, quod ſciam.
Sed quid tu id quæris? *Heg.* Quia mihi natali 'ſt dies,
Propterea te vocari ad cœnam volo.
Par. Facete dictum. *Heg.* Sed ſi pauxillum potes
Contentus eſſe. *Par.* Næ perpauxillum modo.
Nam iſtoc me aſſiduo victu delecto domi.
Heg. Age ſis roga. *Par.* Emin' tu? *Heg.* Niſi qui meliorem afferet.
Par. Quæ mihi atque amicis placeat conditio magis?
Quaſi fundum vendens meis me addicam legibus.
Heg. Profundum vendis tu quidem, haud fundum, mihi.
Sed ſi venturus, tempori. *Par.* Hem, vel jam otium eſt.
Heg. I modo, venare leporem: nunc Cirim tenes.
Nam meus ſcrupoſam victus commeat viam.
Par. Nunquam iſtoc vinces me Hegio, ne poſtules:
Cum calceatis dentibus veniam tamen.
Heg. Aſper meus victus ſane eſt. *Par.* Senteſne eſitas?
Heg. Terreſtris cœna eſt. *Par.* Sus, terreſtris beſtia eſt,
Heg. Multis oleribus. *Par.* Curato ægrotos domi.
Nunquid vis? *Heg.* Venias tempori. *Par.* Memorem mones.
Heg. Ibo intro, atque intus ſubducam ratiunculam,
Quantillum argenti mihi apud trapezitam ſiet.
Ad fratrem, quo ire dixeram, mox ivero.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

Lorarii, *Philocrates*, *Tyndarus*, Captivi.

SI dii immortales id voluere vos hanc ærumnam exſequi,
Decet id pati æquo animo. ſi id facietis, levior labos erit.
Domi fuiſtis, credo, liberi.
Nunc ſervitus ſi evenit, ei vos morigerari mos bonu 'ſt,
Eamque herili imperio, ingeniis veſtris lenem reddere.
INDIGNA digna habenda ſunt, herus quæ facit.
Capt. Oh oh oh!
Lor. Ejulatione haud opus eſt. oculis multam miſeriam addiris.
IN RE MALA animo ſi bono utare, adjuvat.
Capt. At nos pudet, quia cum catenis ſumus. *Lor.* At pigeat poſtea
Herum noſtrum, ſi vos eximat vinculis.
Aut ſolutos ſinat, quos argento emerit.
Capt. Quid a nobis metuit? ſcimus nos
Noſtrum officium quod eſt, ſi ſolutos ſinat.
Lor. At fugam fingitis. ſentio quam rem agitis.
Capt. Nos fugiamus? quo fugiamus? *Lor.* In patriam. *Cap.* Apage: haud nos id deceat
Fugitivos imitari. *Lor.* Imo edepol ſi erit occaſio, non dehortor.
Capt. Unum exorare vos ſinite nos. *Lor.* Quidnam id eſt? *Capt.* Ut ſine his arbitris
Atque vobis, nobis detis locum loquendi.
Lor. Fiat. abſcedite hinc: nos concedamus huc. ſed brevem orationem incipiſſe.
Phil. Hem iſtuc mihi certum erat. concede huc. *Lor.* Abite ab iſtis. *Phil.* Obnoxii ambo
Vobis ſumus propter hanc rem; cum, quod volumus nos,
Copia eſt, & facitis ejus nos compotes.
Secede huc nunc jam, ſi videtur, procul,
Ne arbitri dicta noſtra arbitrari queant:
Neve permanet palam hæc noſtra fallacia.
Nam DOLI NON doli ſunt, niſi aſtu colas,
Sed malum maxumum, ſi id palam provenit.
Nam ſi herus mihi es tu, atque ego me tuum eſſe ſervom aſſimilo,
Tamen viſo opu 'ſt, cauto eſt opus, ut hoc ſobrie, ſine arbitris,
Accurate hoc agatur, docte & diligenter.
Tanta incepta res eſt: haud ſomniculoſe hoc
Agendum eſt. *Tynd.* Ero, ut me voles eſſe. *Phil.* Spero.
Tynd. Nam tu nunc vides, pro tuo caro capite
Carum offerre meum caput vilitati.
Phil. Scio. *Tynd.* At ſcire memento, quando id, quod voles, habebis.
Nam FERE MAXUMA pars morem hunc homines habent: quod ſibi volunt,
Dum id impetrant, boni ſunt: ſed id ubi jam penes ſeſe habent,
Ex bonis peſſumi & fraudulentiſſumi
Sunt. nunc ut te mihi eſſe volo, eſſe autumo.
Tynd. Quod tibi ſuadeo, ſuadeam meo patri.
Phil. Pol ego te, ſi audeam, meum patrem nominem:
Nam ſecundum patrem tu es pater proxumus.
Tynd. Audio. *Phil.* Et propterea ſæpius te, ut memineris, moneo.

Non

Non ego herus tibi, ſed ſervos ſum. nunc obſecro te hoc unum.
Quoniam nobis di immortales animum oſtenderunt ſuum,
Ut qui herum me tibi fuiſſe atque eſſe nunc conſervom velint;
Quod antehac pro jure imperitabam meo, nunc te oro per precem,
Per fortunam incertam, & per mei te erga bonitatem patris,
Perque conſervitium commune, quod hoſtica evenit manu,
Ne me ſecus honore honeſtes quam ego te, cum ſervibas mihi.
Atque ut qui fueris, & qui nunc ſis, meminiſſe ut memineris.
Tynd. Scio quidem me te eſſe nunc, & te eſſe me. *Phil.* Hem iſtuc ſi potes
Memoriter meminiſſe, ineſt ſpes nobis in hac aſtutia.

ACTUS II. SCENA II.

Hegio, *Philocrates*, *Tyndarus*.

JAm ego revertar intus, ſi ex his quæ volo exquiſivero.
Ubi ſunt iſti, quos ante ædeis juſſi huc produci foras?
Phil. Edepol tibi ne quæſtioni eſſemus, cautum intellego,
Ita vinclis cuſtodiiſque circumœniti ſumus.
Heg. Qui cavet ne decipiatur, vix cavet, cum etiam cavet.
Etiam cum caviſſe ratus, ſæpe is cautor captus eſt.
An vero non juſta cauſſa eſt, ut vos ſervem ſedulo,
Quos tam grandi ſim mercatus præſenti pecunia?
Phil. Neque pol tibi nos, quia nos ſervas, æquom eſt vitio vortere:
Neque te nobis, ſi abeamus hinc, ſi fuat occaſio.
Heg. Ut vos hic, itidem illic apud vos meus ſervatur filius.
Phil. Captus eſt? *Heg.* Ita. *Phil.* Non igitur nos ſoli ignavi fuimus.
Heg. Secede huc. nam ſunt ex te quæ ſolo ſcitari volo,
Quarum rerum te falſiloquom mihi eſſe nolo. *Phil.* Non ero,
Quod ſciam. ſi quid neſcivi, id neſcium tradam tibi.
Tynd. Nunc ſenex eſt in tonſtrina; nunc jam cultros attinet.
Ne id quidem involucre injicere voluit, veſtem ut ne inquinet;
Sed utrum ſtrictimne attonſurum dicam eſſe, an per pectinem,
Neſcio: verum ſi frugi eſt, uſque admutilabit probe.
Heg. Quid tu ſervos ne eſſe, an liber mavelis? memora mihi.
Phil. Proxumum quod ſit bono, quodque a malo longiſſume,
Id volo, quanquam non multum fuit moleſta ſervitus:
Nec mi ſecus erat, quam ſi eſſem familiaris filius.
Tynd. Eugepæ! Thalem talento non emam Mileſium.
Nam ad ſapientiam hujus ille nimius nugator fuit.
Ut facete orationem ad ſervitutem contulit!
Heg. Quo de genere natu'ſt illic Philocrates? *Phil.* Polypluſio.
Quod genus illic unum eſt pollens atque honoratiſſumum.
Heg. Quid ipſus hic? quo honore eſt illic? *Phil.* Summo atque a ſummis viris.
Heg. Tum igitur ei cum in Aleis tanta gratia eſt, ut prædicas,
Quid divitiæ? ſunt ne opimæ? *Phil.* Unde excoquat ſervom ſenex.
Heg. Quid pater? vivitne? *Phil.* Vivom, cum inde abiimus, liquimus.
At nunc vivat nec ne, id Orcum ſcire oportet ſcilicet.
Tynd. Salva res eſt. philoſophatur quoque jam, non mendax modo eſt.
Heg. Quod erat ei nomen? *Phil.* Theſaurochryſonicochryſides.
Heg. Videlicet propter divitias inditum id nomen quaſi eſt.
Phil. Imo edepol propter avaritiam ipſius, atque audaciam.
Nam ille quidem Theodoromedes fuit germano nomine.
Heg. Quid tu ais? tenaxne pater ejus eſt? *Phil.* Imo edepol pertinax.
Quin etiam ut magis noſcas: Genio ſuo ubi quando ſacruficat,
Ad rem divinam quibus eſt opus Samiis vaſis utitur,
Ne ipſe Genius ſurripiat. proinde aliis ut credat vide.
Heg. Sequere hac me igitur. eadem ego ex hoc quæ volo exquæſivero.
Philocrates hic fecit, hominem frugi ut facere oportuit.
Nam ego ex hoc, quo genere gnatus ſis, ſcio: hic faſſu'ſt mihi.
Hæc tu eadem ſi confiteri vis, tua e re feceris:
Quæ tamen ſcito ſcire me ex hoc. *Tynd.* Fecit officium hic ſuum,
Cum tibi eſt confeſſus verum. quanquam volui ſedulo
Meam nobilitatem occultare. & genus, & divitias meas,
Hegio. quando patriam & libertatem perdidi,
Non ego iſtunc me potius, quam te metuere, æquom cenſeo.
Vis hoſtilis cum iſtoc fecit meas opes æquabiles.
Memini, cum dicto haud audebat, facto nunc lædat licet.
Sed viden'? Fortuna humana fingit artatque ut lubet:
Me, qui liber fueram, ſervom fecit, e ſummo infimum.
Qui imperare inſueveram, nunc alterius imperio obſequor.
Et quidem ſi proinde ut ipſe fui imperator familiæ,
Habeam dominum, non verear ne injuſte aut graviter mihi imperet.
Hegio, hoc te monitum, niſi forte ipſe non vis, volueram.
Heg. Loquere audacter. *Tynd.* Tam ego fui ante liber, quam gnatus tuus.
Tam mihi, quam illi libertatem hoſtilis eripuit manus.
Tam ille apud nos ſervit, quam ego nunc hic apud te ſervio.
Est profecto Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque & videt.
Is, uti tu me hic habueris, proinde illum illic curaverit.
Bene merenti bene profuerit, male merenti par erit.
Quam tu filium tuum, tam pater me meus deſiderat.
Heg. Memini ego iſtoc. ſed faterin' eadem quæ hic faſſu'ſt mihi?

Tynd.

Tynd. Ego patri meo eſſe fateor ſummas divitias domi,
Meque ſummo genere gnatum. ſed te obteſtor, Hegio,
Ne tuum animum avariorem faxint divitiæ meæ,
Ne patri, tametſi unicus ſum, decere videatur magis
Me ſaturum ſervire apud te ſumptu & veſtitu tuo,
Potius quam illi, ubi minime honeſtum eſt, mendicantem vivere.
Heg. Ego virtute deum & majorum noſtrum dives ſum ſatis.
NON EGO OMNINO lucrum omne eſſe utile homini exiſtumo.
Scio ego, multos jam lucrum luculentos homines reddidit.
EST ETIAM, ubi profecto damnum præſtet facere, quam lucrum.
Odi ego aurum: multa multis ſæpe ſuaſit perperam.
Nunc hoc animum advortito, ut ea quæ ſentio, pariter ſcias.
Filius meus illic apud vos ſervit captus Alide.
Eum ſi reddis mihi, præterea unum nummum ne duis.
Et te & hunc amittam hinc. alio pacto abire hinc non potes.
Tynd. Optumum atque æquiſſumum oras, optumuſque hominum homo es.
Sed is privatam ſervitutem ſervit illi, an publicam?
Heg. Privatam medici Menarchi. *Phil.* Pol hic quidem hujus eſt cliens,
Tam hoc quidem tibi in proclivi, quam imber eſt, quando pluit.
Heg. Fac is homo ut redimatur. *Tynd.* Faciam. ſed te id oro, Hegio.
Heg. Quidvis, dum ab re ne quid ores, faciam. *Tynd.* Auſcultadum, ſcies.
Ego me amitti, donicum ille huc redierit, non poſtulo.
Verum, quæſo te, ut æſtimatum hunc mihi des, quem mittam ad patrem,
Ut is homo redimatur illi. *Heg.* Imo alium potius miſero
Hinc, ubi erunt induciæ, illuc tuum qui conveniat patrem:
Qui tua quæ tu miſeris mandata, ita ut velis, perferat.
Tynd. At nihil eſt, ignotum ad illum mittere: operam luſeris.
Hunc mitte, hic omne tranſactum reddet, ſi illuc venerit.
Nec quenquam fideliorem, neque cui plus credat, potes
Mittere ad eum, nec qui magis ſit ſervos ex ſententia:
Neque adeo quoi tuum concredat filium hodie audacius.
Ne vereare, meo periculo hujus ego experiar fidem,
Fretus ingenio ejus, quod me eſſe ſcit erga ſe benevolum.
Heg. Mittam equidem iſtunc æſtimatum tua fide, ſi vis. *Tynd.* Volo,
Quam citiſſime poteſt, tam hoc cedere ad factum volo.
Heg. Num qua cauſſa eſt, quin ſi ille huc non redeat, viginti minas
Mihi des pro illo? *Tynd.* Optuma imo. *Heg.* Solvite iſtum nunc jam,
Atque utrunque. *Tynd.* Di tibi omnes omnia optata afferant,
Cum me tanto honore honeſtas, cumque ex vinclis eximis.
Hoc quidem haud moleſtum eſt, quod collus collaria caret.
Heg. QUOD bonis benefit beneficium, gratia ea gravida eſt bonis.
Nunc tu illum ſi illo es miſſurus, dice, demonſtra, præcipe,
Quæ ad patrem vis nunciari. vin' vocem huc ad te? *Tynd.* Voca,

ACTUS II. SCENA III.

Hegio, Philocrates, Tyndarus.

QUæ res bene vortat mihi, meoque filio,
Vobiſque: volt te novos herus operam dare
Tuo veteri domino, quod is velit, fideliter.
Nam ego te æſtumatum huic dedi viginti minis.
Hic autem te ait mittere hinc velle ad patrem,
Meum ut illic redimat filium: mutatio
Inter me atque illum ut noſtris fiat filiis.
Phil. Utroque vorſum rectum eſt ingenium meum.
Ad te atque illum pro rota me uti licet.
Vel ego huc vel illuc vortar, quo imperabitis.
Heg. Tute tibi ea tuopte ingenio prodes plurimum,
Cum ſervitutem ita fers, uti ferri decet.
Sequere hac. hem tibi hominem. *Tynd.* Gratiam habeo tibi,
Quom copiam iſtam mihi & poteſtatem facis:
Ut ego ad parentes hunc remittam nuncium,
Qui me quid rerum hic agitem, & quid fieri velim,
Patri meo ordine omnem rem illuc perferat.
Nunc ita convenit inter me atque hunc, Tyndare,
Ut te æſtimatum in Alidem mittam ad patrem.
Si non rebitas huc, ut viginti minas
Dem pro te. *Phil.* Recte conveniſſe ſentio.
Nam pater exſpectat aut me, aut aliquem nuncium,
Qui hinc ad ſe veniat. *Heg.* Ergo animum advortas volo.
Quæ nunciare hinc te volo in patriam ad patrem.
Tynd. Philocrates, ut adhuc locorum feci, faciam ſedulo,
Ut potiſſimum quod in rem recte conducat tuam,
Id petam, idque perſequar corde & animo atque viribus.
Tynd. Facis ita, ut te facere oportet. nunc animum advortas volo,
Omnium primum ſalutem dicito matri & patri,
Et cognatis, & ſi quem alium benevolentem videris.
Me hic valere & ſervitutem ſervire huic homini optumo,
Qui me honore honeſtiorem ſemper fecit & facit.
Phil. Iſtuc ne præcipias: facile memoria memini tamen.
Tynd. Nam quidem, niſi quod cuſtodem habeo, liberum me eſſe arbitror.
Dicito patri, quo pacto mihi cum hoc convenerit
De hujus filio. *Phil.* Quæ memini, mora mera eſt monerier.
Tynd. Ut eum redimat, & remittat noſtrum huc amborum vicem.
Phil. Meminero. *Heg.* At quamprimum poteris, iſtuc in rem utrique eſt maxume.
Phil. Non tuum tu magis videre, quam ille ſuum gnatum cupit.
Heg. Meus mihi, ſuus cuique eſt carus. *Phil.* Nunquid aliud vis patri
Nunciari? *Tynd.* Me hic valere, &, tute audacter dicito
Tyndare, inter nos fuiſſe ingenio haud diſcordabili:
Neque te commeruiſſe culpam, neque me advorſatum tibi:

Bene-

Beneque hero geſſiſſe morem in tantis ærumnis; tamen
Neque med unquam deſeruiſſe te, neque factis, neque fide,
Rebus in dubiis, egenis. hæc pater quando ſciet,
Tyndare, ut fueris animatus erga ſuum gnatum atque ſe,
Nunquam erit tam avarus, quin te gratus emittat manu.
Et mea opera, ſi hinc rebito, faciam ut faciat facilius.
Nam tua opera & comitate & virtute & ſapientia
Feciſti, ut redire liceat ad parentes denuo,
Cum apud hunc confeſſus es & genus & divitias meas.
Quo pacto emiſti e vinclis tuum herum, tua ſapientia.
Phil. Feci ego iſta ut commemoras: & te meminiſſe id gratum eſt mihi.
Merito tibi ea evenerunt a me: nam nunc, Philocrates,
Si ego item memorem quæ med erga multa feciſti bene,
Nox diem adimat. nam ſi ſervos meus eſſes, nihilo ſecius
Obſequioſus mihi ſemper fuiſti. *Heg.* Di voſtram fidem,
Hominum ingenium liberale! ut lacrumas excutiunt mihi!
Videas corde amare inter ſe: quantis laudibus ſuum herum
Servos collaudavit! *Phil.* Pol iſtic haud me centeſimam
Partem laudat, quam ipſe meritus eſt, ut laudetur laudibus.
Heg. Ergo cum optume feciſti, nunc adeſt occaſio
Benefacta cumulare, ut erga hunc rem geras fideliter.
Phil. Magis non factum poſſum velle, quam opera experiar perſequi:
Id ut ſcias, Jovem ſupremum teſtem laudo, Hegio,
Me infidelem non futurum Philocrati. *Heg.* Probus es homo.
Phil. Nec me ſecus unquam ei facturum quicquam, quam memet mihi.
Tynd. Iſtæc dicta te experiri & operis & factis volo.
Et quo minus dixi de te, quam volui, animum advortas volo.
Atque horunc verborum cauſſa caveto mihi iratus fuas.
Sed te quæſo, cogitato, hinc mea fide mitti domum
Te æſtimatum, & meam eſſe vitam hic pro te poſitam pignori.
Ne tu me ignores, cum extemplo meo e conſpectu abſceſſeris,
Quom me ſervom in ſervitute pro te hic dereliqueris,
Tuque te pro libero eſſe ducas, pignus deſeras:
Neque des operam, pro me ut hujus reducem facias filium.
Scito te hinc minis viginti æſtimatum mittier:
Fac fidelis ſis fideli: cave fidem fluxam geras.
Nam pater, ſcio, faciet, quæ illum facere oportet, omnia.
Serva in perpetuum tibi amicum me, atque hunc inventum inveni.
Hæc per dexteram tuam te dextera retinens manu,
Obſecro, infidelior mihi ne fuas, quam ego ſum tibi.
Tu hoc age: tu mihi nunc herus es: tu patronus, tu pater:
Tibi commendo ſpes opeſque meas. *Phil.* Mandaviſti ſatis.
Satin' habes, mandata quæ ſunt, facta ſi refero? *Tynd.* Satis.
Phil. Et tua & tua huc ornatus reveniam ex ſententia.
Nunquid aliud? *Tynd.* Ut quamprimum poſſis, redeas. *Phil.* Res monet.
Heg. Sequere me, viaticum ut dem hinc a trapezita tibi:
Eadem opera a Prætore ſumam ſyngraphum. *Tynd.* Quem ſyngraphum?
Heg. Quem hic ferat ſecum ad legionem, hinc ire huic ut liceat domum.
Tu intro abi. *Tynd.* Bene ambulato. *Phil.* Bene vale. *Heg.* Edepol rem meam
Conſtabilivi, cum illos emi de præda a quæſtoribus.
Expedivi ex ſervitute filium, ſi dis placet.
At etiam dubitavi hos homines emerem, an non emerem, diu.
Servate iſtum ſultis intus, ſervi: ne quoquam pedem
Efferat ſine cuſtode. jam ego apparebo domi.
Ad fratrem modo capteivos alios inviſo meos.
Eadem percontabor, ecquis hunc adoleſcentem noverit.
Sequere tu, te ut amittam, ei rei primum prævorti volo.

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

Ergaſilus Paraſitus.

MIſer homo eſt, qui ſi ipſe ſibi quod edit quærit, & id ægre invenit:
Sed ille eſt miſerior, qui & ægre quærit, & nihil invenit.
Ille miſerrimus eſt, qui cum eſſe cupit, quod edit non habet.
Nam hercle ego huic diei, ſi liceat, oculos effodiam libens,
Ita malignitate oneravit omnes mortales mihi.
Neque jejunioſiorem, neque magis effertum fame
Vidi, nec cui minus procedat, quicquid facere occœperit.
Itaque venter gutturque reſident eſuriales ferias.
Ilicet paraſiticæ arti in maxumam malam crucem!
Ita juventus jam ridiculos inopeſque ab ſe ſegregat.
Nihil morantur jam Laconas imi ſubſelli viros,
Plagipatidas, quibus ſunt verba ſine penu & pecunia.
Eos requirunt, qui libenter cum ederint, reddant domi,
Ipſi obſonant, quæ paraſitorum ante erat provincia.
Ipſi de foro tam aperto capite ad lenones eunt,
Quam in tribu aperto capite ſontes condemnant reos.
Neque ridiculos jam terunci faciunt. ſeſe omnes amant.
Nam ut dudum hinc abii, acceſſi ad adoleſcentes in foro:
Salvete, inquam: Quo imus una, inquam, ad prandium? atque illi tacent.
Quis ait hoc? aut quis profitetur? inquam. quaſi muti ſilent,
Neque me rident. Ubi cœnamus? inquam. atque illi abnuunt.
Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus,
Quibus ſolebam menſtruales epulas ante adipiſcier:
Nemo ridet. ſcivi extemplo rem de compacto geri,
Ne canem quidem irritatam voluit quiſquam imitarier.
Saltem, ſi non arriderent, dentes ut reſtringerent.
Abeo ab illis, poſtquam video me ſic ludificarier.
Pergo ad alias, venio ad alios, deinde ad alios: una res.
Omnes compacto rem agunt, quaſi in velabro olearii.
Nunc redeo inde, quoniam me ibi video ludificarier.
Item alii paraſiti fruſtra obambulabant in foro.
Nunc barbarica lege certum eſt jus meum omne perſequi.
Qui concilium iniere, quo nos victu & vita prohibeant:
His diem dicam: irrogabo multam, ut mihi cœnas decem
Meo arbitratu dent, cum cara annona ſit. ſic egero.
Nunc ibo ad portum hinc. eſt illic mihi una ſpes cœnatica:
Si ea decollabit, redibo huc ad ſenem, ad cœnam aſperam.

ACTUS III. SCENA II.

Hegio.

QUid eſt ſuavius, quam bene rem gerere bono publico? ſicut ego feci heri,
Cum emi hoſce homines. ubi quiſque vident, eunt obviam,
Gratulanturque eam rem. ita me miſerum reſtitando
Retinendoque laſſum reddiderunt.
Vix ex gratulando miſer jam eminebam.
Tandem abii ad Prætorem: ibi vix requievi: rogo ſyngraphum;
Datur mihi: illico dedi Tyndaro. ille abiit domum.
Inde illico revortor domum. poſtquam id actum eſt, eo:
Protinus ad fratrem inde abii, mei ubi ſunt alii captivi.
Rogo, Philocratem ex Alide ecquis omnium noverit?
Tandem hic exclamat, eum ſibi eſſe ſodalem. dico eſſe eum
Apud me. hic extemplo orat obſecratque, eum ſibi ut liceat
Videre. juſſi illico hunc exſolvi. nunc tu ſequere me,
Ut quod me oraviſti, impetres, hominem ut convenias.

ACTUS III. SCENA III.

Tyndarus.

NUnc illud eſt, cum me fuiſſe quam eſſe nimio mavelim:
Nunc ſpes, opes auxiliaque a me ſegregant ſpernuntque ſe.
Hic ille eſt dies. cum nulla vitæ meæ ſalus ſperabilis eſt:
Neque exilium exitio eſt; neque adeo ſpes, quæ mihi hunc aſpellat metum:
Nec mendaciis ſubdolis mihi uſquam mantellum eſt meis.
Nec ſycophantiis, nec fucis ullum mantellum obviam eſt.
Neque deprecatio perfidiis meis, nec malefactis fuga eſt.
Nec confidentiæ uſquam hoſpitium eſt, nec diverticulum dolis.
Operta quæ fuere, aperta ſunt: patent præſtigiæ.
Omnis res palam eſt: neque de hac re negotium eſt, quin male
Occidam, oppetamque peſtem, heri vicem meamque.
Perdidit me Ariſtophontes hic, qui intro venit modo:
Is me novit: is ſodalis Philocrati & cognatus eſt.
Neque jam ſervare Salus, ſi volt, me poteſt: nec copia eſt:
Niſi ſi meo aliquam corde machinor aſtutiam.
Quam, malum! quid machiner? quid comminiſcar? maxumas
Nugas ineptiaſque incipiſſo. hæreo.

ACTUS III. SCENA IV.

Hegio, Tyndarus, Ariſtophontes.

QUo illum nunc hominem proripuiſſe foras ſe dicam ex ædibus?
Tynd. Nunc enimvero ego occidi: eunt ad te hoſtes, Tyndare, quid loquar?
Quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor? mihi
Res omnis in incerto ſita eſt. quid rebus confidam meis?
Utinam te di prius perderent, quam periiſti e patria tua,
Ariſtophontes, qui ex parata re imparatam omnem facis.
Occiſa eſt hæc res, niſi reperio atrocem mihi aliquam aſtutiam.
Heg. Sequere. hem tibi hominem. adi, atque alloquere. *Tynd.* Quis homo eſt me hominum miſerior?
Ariſt. Quid iſtuc eſt, quod meos te oculos dicam fugitare, Tyndare?
Proque ignoto me aſpernari, quaſi me nunquam noveris?
Equidem tam ſum ſervos, quam tu: etſi ego domi liber fui,
Tu uſque a puero ſervitutem ſerviviſti in Alide.
Heg. Edepol minime miror, ſi te fugitat, aut oculos tuos,
Aut ſi te odit, qui iſtum appelles Tyndarum pro Philocrate.
Tynd. Hegio, hic homo rabioſus habitus eſt in Alide.
Ne tu, quod iſtic fabuletur, aures immittas tuas.
Nam iſtic haſtis inſectatus eſt domi matrem & patrem.
Et illic iſti, qui ſputatur, morbus interdum venit.
Proin tu ab iſtoc procul recedas. *Heg.* Ultro iſtum a me. *Ariſt.* Ain' verbero
Me rabioſum? atque inſectatum eſſe haſtis meum memoras patrem?
Et eum morbum mihi eſſe, ut qui me opus ſit inſputarier?
Heg. Ne verere: multos iſte morbus homines macerat,
Quibus inſputari ſaluti fuit. *Tynd.* Atque Aliis profuit.
Ariſt. Quid tu autem, etiam huic credis? *Heg.* Quid ego credam huic? *Ariſt.* Inſanum eſſe me.
Tynd. Viden' tu hunc, quam inimico voltu intuetur? concedi optumum eſt.
Hegio, fit quod ego tibi dixi: gliſcit rabies. cave tibi.
Heg. Credidi eſſe inſanum extemplo, ubi te appellavit Tyndarum.
Tynd. Quin ſuum ipſe interdum ignorat nomen, neque ſcit qui ſiet.
Heg. At etiam te ſuum ſodalem eſſe ajebat. *Tynd.* Haud vidi magis.
Et quidem Alcmæo atque Oreſtes & Lycurgus poſtea
Una opera mihi ſunt ſodales, qua iſte. *Ariſt.* At etiam, furcifer,
Male mihi loqui audes? non ego te novi? *Heg.* pol planum id quidem eſt,
Non noviſſe, qui iſtum appelles Tyndarum pro Philocrate.
Quem vides, eum ignoras: illum nominas, quem non vides.
Ariſt. Imo iſte eum ſeſe ait, qui non eſt, eſſe: & qui vero eſt, negat.
Tynd. Tu enim repertus, Philocratem qui ſuperes veriverbio!
Ariſt. Pol ego, ut rem video, tu inventus, vera vanitudine
Qui convincas. Sed quæſo hercle agedum aſpice ad me. *Tynd.* Hem. *Ariſt.* Dic modo.
Te negas Tyndarum eſſe? *Tynd.* Nego inquam. *Ariſt.* Tun' te Philocratem eſſe ais?
Tynd. Ego inquam. *Ariſt.* Tune huic credis? *Heg.* Plus quidem, quam tibi aut mihi.
Nam ille quidem, quem tu hunc memoras eſſe, hodie hinc abiit Alidem
Ad patrem hujus. *Ariſt.* Quem patrem, qui ſervos eſt? *Tynd.* Et tu quidem
Servos, & liber fuiſti, & ego me confido fore;
Si hujus huc reconciliaſſo in libertatem filium.
Ariſt. Quid ais, furcifer? tun' te gnatum memoras liberum?
Tynd. Non equidem me Liberum, ſed Philocratem eſſe ajo. *Ariſt.* Quid eſt?
Ut ſceleſtus, Hegio, nunc is te ludos hic facit!
Nam is eſt ſervos ipſe, neque præter ſe unquam ei ſervos fuit.

Tynd.

Tynd. Quia tute ipſe eges in patria, nec tibi, qui vivas, domi eſt,
Omneis inveniri ſimiles tibi vis: non mirum facis.
EST MISERORUM, ut malevolentes ſint atque invideant bonis.
Ariſt. Hegio vide ſis, ne quid tu huic temere inſiſtas credere.
Atque ut perſpicio, profecto jam aliquid pugnæ edidit.
Filium tuum quod redimere ſe ait, id neutiquam mihi placet.
Tynd. Scio te id nolle fieri: efficiam tamen id ego, ſi di adjuvant.
Illum reſtituam huic; hic autem in Alidem me meo patri.
Propterea ad patrem hinc amiſi Tyndarum. *Ariſt.* Quin tute is es.
Neque præter te in Alide ullus ſervos iſtoc nomine eſt.
Tynd. Pergin' ſervom me exprobrare eſſe, id quod vi hoſtili obtigit?
Ariſt. Enimvero jam nequeo contineri. *Tyn.* Heus audin, quid ait? quin fugis?
Jam illic hic nos inſectabit lapidibus, niſi illum jubes
Comprehendi. *Ariſt.* Crucior. *Tynd.* Ardent oculi: fune opu'ſt, Hegio.
Viden' tu illi maculari corpus totum maculis luridis?
Atra bilis agitat hominem. *Ariſt.* At pol te, ſi hic ſapiat ſenex,
Atra pix agitet apud carnuficem, tuoque capiti illuceat.
Tynd. Jam deliramenta loquitur: larvæ ſtimulant virum.
Heg. Quid? quid ſi hunc comprehendi juſſerim? *Tynd.* Sapias magis.
Ariſt. Crucior lapidem non habere me, ut illi maſtigiæ
Cerebrum excutiam, qui me inſanum verbis concinnat ſuis.
Tynd. Audin' lapidem quæritare? *Ariſt.* Solus te ſolum volo,
Hegio. *Heg.* Iſtinc loquere, ſi quidvis; procul tamen audiam.
Tynd. Namque edepol ſi adbites propius, os denaſabit tibi
Mordicus. *Ariſt.* Neque pol me inſanum, Hegio, eſſe creduis,
Neque fuiſſe unquam, neque eſſe morbum quem iſtic autumat.
Verum ſi quid metuis a me, jube me vinciri: volo,
Dum iſthic itidem vinciatur. *Tynd.* Imo enimvero, Hegio,
Iſtic, qui volt, vinciatur. *Ariſt.* Tace modo: ego te, Philocrates
Falſe, faciam, ut verus hodie reperiare Tyndarus.
Quid mi abnutas? *Tynd.* Tibi ego abnuto? quid agat, ſi abſis longius?
Heg. Quid ais? quid ſi adeam hunc inſanum? *Tynd.* Nugas ludificabitur.
Garriet quod neque pes unquam, neque caput compareat.
Ornamenta abſunt: Ajacem, hunc cum vides, ipſum vides.
Heg. Nihili facio: tamen adibo. *Tynd.* Nunc ego omnino occidi.
Nunc ego INTER ſacrum ſaxumque ſto; nec, quid faciam, ſcio.
Heg. Do tibi operam Ariſtophontes, ſi quid eſt quod me velis.
Ariſt. Ex me audibis vera, quæ nunc falſa opinare, Hegio.
Sed hoc primum me expurgare tibi volo, me inſaniam
Neque tenere, neque mihi eſſe morbum, niſi quod ſervio.
At ita me rex deorum atque hominum faxit patriæ compotem,
Ut iſtic Philocrates non magis eſt, quam aut ego aut tu. *Heg.* Eho dic mihi.
Quis igitur ille eſt. *Ariſt.* Quem dudum dixi a principio tibi.
Hoc ſi ſecus reperies, nullam cauſſam dico, quin mihi
Et parentum & libertatis apud te deliquio fiet.
Heg. Quid tu ais? *Tynd.* Me tuum eſſe ſervom, & te meum herum. *Heg.* Haud iſtuc rogo.
Fuiſtin' liber? *Tynd.* Fui. *Ariſt.* Enimvero non fuit. nugas agit.
Tynd. Qui tu ſcis? an tu fortaſſe fuiſti meæ matri obſtetrix,
Qui id tam audacter dicere audes? *Ariſt.* Puerum te vidi puer.
Tynd. At ego te video major majorem: hem rurſum tibi:
Meam rem non cures, ſi recte facias. num ego curo tuam?
Heg. Fuitne huic pater Theſaurochryſonicochryſides?
Ariſt. Non fuit. neque ego iſtuc nomen unquam audivi ante hunc diem.
Philocrati Theodoromedes fuit pater. *Tynd.* Pereo probe.
Quin quieſcis dierectum cor meum! i, ac ſuſpende te.
Tu ſuſſultas, ego miſer vix aſto præ formidine.
Heg. Satin' iſtuc mihi exquiſitum eſt fuiſſe hunc ſervom in Alide?
Neque eſſe hunc Philocratem? *Ariſt.* Tam ſatis, quam nunquam hoc invenies ſecus.
Sed ubi is nunc eſt? *Heg.* Ubi ego minime, atque ipſus ſe volt maxume.
Tum igitur ego deruncinatus, deartuatus ſum miſer
Hujus ſceleſti technis; qui me, ut lubitum eſt, ductavit dolis.
Sed vide ſis. *Ariſt.* Quin exploratum dico & proviſum hoc tibi,
Heg. Certon'? *Ariſt.* Quin nihil, inquam, invenies magis hoc certo certius.
Philocrates jam inde uſque amicus fuit mihi a puero puer.
Heg. Sed qua facie eſt tuus ſodalis Philocrates? *Ariſt.* Dicam tibi.
Macilento ore, naſo acuto, corpore albo, & oculis nigris,
Subrufus aliquantum, criſpus, cincinnatus. *Heg.* Convenit.
Tynd. Ut quidem hercle in medium ego hodie peſſume proceſſerim.
Væ illis virgis miſeris, quæ hodie in tergo morientur meo.
Heg. Verba mihi data eſſe video. *Tynd.* Quid ceſſatis compedes
Currere ad me, meaque amplecti crura, ut vos cuſtodiam?
Heg. Satin' me illi hodie ſceleſti captivi ceperunt dolo?
Illic ſervom ſe aſſimulabat, hic ſeſe autem liberum.
Nucleum amiſi. reliquit pignori putamina.
Ita mihi ſtolido ſurſum vorſum os ſublevere offuciis,
Hic quidem me nunquam irridebit. Colaphe, Cordalio, Corax.
Ite iſtinc, atque efferte lora. *Lor.* Num lignatum mittimur?

ACTUS III. SCENA V.

Hegio, Tyndarus, Ariſtophontes.

INjicite huic manicas maſtigiæ.
Tynd. Quid hoc eſt negotii? quid ego deliqui? *Heg.* Rogas?

Sater ſartorque ſcelerum, & meſſor maxume?
Tynd. Non occatorem dicere audebas prius?
Nam ſemper occant prius, quam ſarriunt ruſtici.
Heg. At ut confidenter mihi contra aſtitit!
Tynd. Decet innocentem ſervom atque innoxium
Confidentem eſſe, ſuum apud herum potiſſimum.
Heg. Aſtringite iſti ſultis vehementer manus.
Tynd. Tuus ſum, tuas quidem vel præcidi jube.
Sed quid negotii eſt, quamobrem ſuccenſes mihi?
Heg. Quia me meamque rem, quod in te uno fuit,
Tuis ſceleſtis falſidicis fallaciis
Delaceraviſti, deartuaviſtique opes.
Confeciſti omnes res ac rationes meas,
Ita mi exemiſti Philocratem fallaciis.
Illum eſſe ſervom credidi, te liberum.
Ita voſmet ajebatis, itaque nomina
Inter vos permutaſtis. *Tynd.* Fateor, omnia
Facta eſſe ita, ut tu dicis, & fallaciis
Abiiſſe eum abs te, mea opera atque aſtutia.
An, obſecro hercle te, id nunc ſuccenſes mihi?
Heg. At cum cruciatu maxumo id factum eſt tuo.
Tynd. DUM ME ob malefacta peream, parvi æſtumo:
Si ego hic peribo, aſt ille, ut dixit, non redit:
At erit mihi hoc factum mortuo memorabile;
Meum herum captum ex ſervitute atque hoſtibus
Reducem feciſſe liberum in patriam ad patrem,
Meumque me potius caput periculo
Præoptaviſſe, quam is periret, ponere.
Heg. Facito ergo ut Acherunti clueas gloria.
Tynd. QUI PER Virtutem peritat, non interit.
Heg. Quando ego te exemplis excruciavero peſſumis,
Atque ob ſutelas tuas te morti miſero,
Vel te interiiſſe, vel periiſſe prædicent.
Dum pereas, nihil interduo, dicant vivere.
Tynd. Pol ſi iſtuc faxis, haud ſine pœna feceris,
Si ille huc redibit, ſicut confido affore.
Ariſt. Pro di immortales! nunc ego teneo, nunc ſcio
Quid ſit hoc negoti. meus ſodalis Philocrates
In libertate eſt ad patrem, in patria. bene eſt:
Nec eſt quiſquam mihi, æque melius cui velim.
Sed hoc mihi ægre eſt, me huic dediſſe operam malam,
Qui nunc propter me meaque verba vinctus eſt.
Heg. Vetuin' te quicquam hodie mihi falſum proloqui?
Tynd. Vetuiſti. *Heg.* Cur es auſus mentiri mihi?
Tynd. Quia vera obeſſent illi, cui operam dabam:
Nunc falſa proſunt. *Heg.* At tibi oberunt. *Tynd.* Optume eſt.
At herum ſervavi, quem ſervatum gaudeo:
Cui me cuſtodem addiderat herus major meus.
Sed malene id arbitrare factum? *Heg.* peſſume.
Tynd. At ego ajo recte, qui abs te ſeorſum ſentio.
Nam cogitato ſi quis hoc gnato tuo
Tuus ſervos faxit, qualem haberes gratiam?
Emitteresne, necne, eum ſervom manu?
Eſſetne apud te is ſervos acceptiſſumus?
Reſponde. *Heg.* Opinor. *Tynd.* Cur ergo iratus mihi es?
Heg. Quia illi fuiſti, quam mihi fidelior.
Tynd. Quid? tu una nocte poſtulaviſti & die,
Recens captum hominem nuperum & novitium,
Te perdocere, ut melius conſulerem tibi,
Quam illi, quicum una a puero ætatem exegeram.
Heg. Ergo ab eo petito gratiam iſtam; ducite,
Ubi ponderoſas, craſſas capiat compedes.
Inde ibis porro in latomias lapidarias.
Ibi quom alii octonos lapides effodiant,
Niſi cotidiano ſeſquiopus confeceris,
Sexcentoplago nomen indetur tibi.
Ariſt. Per deos atque homines ego te obteſtor, Hegio,
Ne tu iſtunc hominem perduis. *Heg.* curabitur.
Nam noctu nervo vinctus cuſtodibitur,
Interdius ſub terra lapides eximet.
Diu ego hunc cruciabo, non uno abſolvam die.
Ariſt. Certumne eſt tibi iſtuc? *Heg.* Non moriri certiu 'ſt.
Abducite iſtum actutum ad Hippolytum fabrum,
Jubete huic craſſas compedes impingier:
Inde extra portam ad meum libertum Cordalum,
In lapicidinas facite deductus fiet:
Atque hunc ita velle me, dicite, curarier,
Ne qui deterius huic ſit, quam cui peſſume eſt.
Tynd. Cur ego te invito me eſſe ſalvom poſtulem?
Periculum vitæ meæ ſtat tuo periculo.
POST MORTEM in morte nihil eſt, quod metuam mali:
ET SI pervivo uſque ad ſummam ætatem, tamen
Breve ſpacium eſt perferundi, quæ minitas mihi.
Vale atque ſalve: etſi aliter ut dicam, meres.
Tu Ariſtophontes, de me ut meruiſti, ita vale:
Namque mihi propter te hoc obtigit. *Heg.* Abducite.
Tynd. At unum hoc quæſo, ſi huc rebitet Philocrates,
Ut mihi ejus facias conveniundi copiam.
Heg. Periiſtis, niſi hunc jam e conſpectu abducitis.
Tynd. Vis hæc quidem hercle eſt, & trahi & trudi ſimul.
Heg. Illic abductu 'ſt recta in phylacam, ut dignus eſt.
Ego illis captivis aliis documentum dabo,
Ne tale quiſquam facinus incipere audeat.
Quod abſque hoc eſſet, qui mihi hoc fecit palam,
Uſque offrenatum ſuis me ductarent dolis.
Nunc certum eſt nulli poſt hæc quicquam credere.
Satis ſum ſemel deceptus; ſperavi miſer
Ex ſervitute me exemiſſe filium.
Ea ſpes elapſa eſt. perdidi unum filium
Puerum quadrimum, quem mihi ſervos ſurpuit:
Neque eum ſervom unquam repperi, neque filium.
Major potitus hoſtium eſt. quod hoc eſt ſcelus?
Quaſi in orbitatem liberos produxerim.
Sequere hac: reducam te ubi fuiſti. neminis
Miſereri certum eſt, quia mei miſeret neminem.
Ariſt. Exauſpicavi ex vinclis. nunc intellego
Redauſpicandum eſſe in catenas denuo.

ACTUS QUARTUS

SCENA I.

Ergaſilus Paraſitus.

Juppiter ſupreme, ſervas me, meaſque auges opes.
Maxumas opimitates opiparaſque offers mihi:
Laudem, lucrum, ludum, jocum, feſtivitatem, ferias,
Pompam, penum, potationes, ſaturitatem, gaudium.
Nec cuiquam homini ſupplicare nunc certum eſt mihi.
Nam vel prodeſſe amico poſſum, vel inimicum perdere.
Ita hic me amœnitate amœna amœnus oneravit dies.
Sine ſacris hæreditatem ſum aptus effertiſſumam.
Nunc curſum ad ſenem capeſſam hunc Hegionem, cui boni
Tantum affero, quantum ipſe a diis optat, atque etiam amplius.

Nunc

Nunc res certa eſt, eodem pacto ut Comici ſervi ſolent.
Conjiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem ut audiat.
Speroque me ob hunc nuncium æternum adepturum cibum.

ACTUS IV. SCENA II.

Hegio ſenex, *Ergaſilus* paraſitus.

QUanto in pectore hanc rem meo magis voluto,
Tanto mihi ægritudo auctior eſt in animo.
Ad illum modum ſublitum os eſſe
Hodie mihi? neque id perſpicere quivi?
Quod cum ſcibitur, per urbem irridebor.
Cum extemplo ad forum advenero, omnes loquentur:
Hic ille eſt ſenex ductus, quoi verba data ſunt.
Sed Ergaſilus eſt ne hic procul quem video?
Collecto quidem eſt pallio: quidnam acturu'ſt?
Erg. Move abs te moram, atque Ergaſile age hanc rem.
Eminor interminorque, ne quis mi obſtiterit obviam:
Niſi qui ſat diu vixiſſe ſeſe homo arbitrabitur.
Nam qui obſtiterit, ore ſiſtet. *Heg.* Hic homo pugilatum incipit.
Erg. Facere certum eſt. proinde ut omnes itinera inſiſtant ſua.
Ne quis in hac platea negoti conferat quicquam ſui.
Nam meus eſt baliſta pugnus, cubitus catapulta eſt mihi,
Humerus aries. tum genu ad quemque jecero, ad terram dabo.
Dentilegos omnes mortales faciam, quemque offendero.
Heg. Quæ illæc eminatio eſt? nam nequeo mirari ſatis.
Erg. Faciam ut ejus diei, locique, meique ſemper meminerit:
Qui mihi in curſu obſtiterit, faxo vitæ is extemplo obſtiterit ſuæ.
Heg. Quid hic homo tantum incipiſſit facere cum tantis minis?
Erg. Prius edico, ne quis propter culpam capiatur ſuam,
Continere vos domi, prohibere a vobis vim meam.
Heg. Mira edepol ſunt, ni hic in ventrem ſumpſit confidentiam.
Væ miſero illi, cujus cibo iſte factu'ſt imperioſior.
Erg. Tum piſtores ſcrofipaſci, qui alunt furfuri ſues,
Quarum odore præterire nemo piſtrinum poteſt:
Eorum ſi quojuſquam ſcropham in publico conſpexero,
Ex ipſis dominis meis pugnis exculcabo furfures.
Heg. Baſilicas edictiones atque imperioſas habet.
Satur homo eſt, habet profecto in ventre confidentiam.
Erg. Tum piſcatores, qui præbent populo piſces fœtidos,
Qui advehuntur quadrupedanti crucianti canterio:
Quorum odos ſubbaſilicanos omnes abigit in forum,
Eis ego ora verberabo ſurpiculis piſcariis:
Ut ſciant, alieno naſo quam exhibeant moleſtiam.
Tum lanii autem, qui concinnant liberis orbas oves,
Qui locant cædundos agnos, & duplam agninam danunt,
Qui petroni nomen indunt verveci ſectario;
Eum ego ſi in via petronem publica conſpexero,
Et petronem & dominum reddam mortales miſerrimos.
Heg. Eugepe! edictiones ædilitias hic habet quidem:
Mirumque adeo eſt, ni hunc fecere ſibi Aetoli agoranomum.
Erg. Non ego nunc paraſitus ſum, ſed regum rex regalior:
Tantus ventri commeatus meo adeſt in portu cibus.
Sed ego ceſſo hunc Hegionem onerare lætitia ſenem?
Qui homine adæque nemo vivit fortunatior.
Heg. Quæ illæc eſt lætitia, quam hic lætus largitur mihi?
Erg. Heus, ubi eſtis vos? ecquis hoc aperit oſtium? *Heg.* Hic homo
Ad cœnam recipit ſe ad me. *Erg.* Aperite haſce ambas fores,
Priuſquam pultando vel aſſulatim foribus exitium affero.
Heg. Perlubet hunc hominem colloqui. Ergaſile. *Erg.* Ergaſilum qui vocat?
Heg. Reſpice. *Erg.* Fortuna quod tibi nec faciet, nec facit.
Hoc me jubes. ſed qui eſt? *Heg.* Reſpice ad me: Hegio ſum. *Erg.* Oh mihi.
Quantum eſt hominum optumorum optume, in tempore advenis.
Heg. Neſcio quem ad portum nactus es, ubi cænes, eo faſtidis.
Erg. Cedo manum. *Heg.* Manum? *Erg.* Manum, inquam, cedo tuam actutum. *Heg.* Tene.
Erg. Gaude. *Heg.* Quid ego gaudeam? *Erg.* Quia ego impero. age gaude modo.
Heg. Pol mœrores mi antevortunt gaudiis. *Erg.* Noli iraſcier,
Jam ego ex corpore exigam omnes maculas mœrorum tibi.
Gaude audacter.. *Heg.* Gaudeo, etſi nihil ſcio, quod gaudeam.
Erg. Bene facis. jube. *Heg.* Quid jubeam. *Erg.* Ignem ingentem fieri.
Heg. Ignem ingentem? *Erg.* Ita dico, magnus ut ſit. *Heg.* Quid eo volt urier?
Tuan' cauſſa me ædeis incenſurum cenſes? *Erg.* Noli iraſcier.
Juben' an non jubes aſtitui aulas? patinas elui?
Laridum atque epulas foveri foculis ferventibus?
Alium piſces præſtinatum abire? *Heg.* Hic vigilans ſomniat.
Erg. Alium porcinam, atque agninam, & pullos gallinaceos?
Heg. Scis bene eſſe, ſi ſit unde. *Erg.* Pernam atque ophthalmia,
Horæum, ſcombrum, & trigonum, & cetum, & mollem caſeum.
Heg. Nominanda tibi iſtorum erit magis quam edundi copia
Hic apud me, Ergaſile. *Erg.* Mean' me cauſſa hoc cenſes dicere?
Heg. Nec nihil hodie, nec multo plus tu hic edes, ne fruſtra ſies.
Proin' tu tui quotidiani victi ventrem ad me afferas.
Erg. Quin ita faciam, ut te cupias facere ſumptum, etſi ego vetem.
Heg. Egone? *Erg.* Tute. *Heg.* Tum tu mihi igitur herus es. *Erg.* Imo benevolens.
Vin' te faciam fortunatum? *Heg.* Malim, quam miſerum quidem.
Erg. Cedo manum. *Heg.* Hem manum. *Erg.* Di te omnes adjuvant. *Heg.* Nihil ſentio.
Erg. Non enim es in ſenticeto, eo non ſentis. ſed jube
Vaſa tibi pura apparari ad rem divinam cito,
Atque agnum afferri proprium, pinguem. *Heg.* Cur? *Erg.* Ut ſacrufices.
Heg. Cui deorum? *Erg.* Mihi hercle, nam ego tibi nunc ſum ſummus Juppiter.
Idem ego ſum ſalus, fortuna, lux, lætitia, gaudium.

Proin-

Proinde tu deum huncce ſaturitate facias tranquillum tibi.
Heg. Eſurire mihi videre. *Erg.* Mihi quidem eſurio, non tibi.
Heg. Tuo arbitratu facile patior. *Erg.* Credo, conſuetus puer.
Heg. Juppiter te dique perdant. *Erg.* Te hercle mihi æquom eſt gratias
Agere ob nuncium: tantum ego nunc porto a portu tibi boni.
Nunc tu mihi places. *Heg.* Abi ſtultus, poſt tempus venis.
Erg. Igitur olim ſi adveniſſem, magis tu tum iſtuc diceres.
Nunc hanc lætitiam accipe a me quam fero. nam filium
Tuum modo in portu Philopolemum vivom, ſalvom, & ſoſpitem
Vidi in publica celoce, ibidemque illum adoleſcentulum
Alium una, & tuum Stalagmum ſervom, qui aufugit domo,
Qui tibi ſurripuit quadrimum puerum filiolum tuum.
Heg. I in malam rem: ludis me. *Erg.* Ita me amabit ſancta Saturitas,
Hegio, itaque ſuo me ſemper condecoret cognomine,
Ut ego vidi. *Heg.* Meum gnatum? *Erg.* Tuum gnatum, & Genium meum.
Heg. Et captivom illum Alidenſem? *Erg.* μὰ τὸν Ἀπόλλω. *Heg.* Et ſervolum
Meum Stalagmum, meum qui gnatum ſurripuit? *Erg.* νὴ τὰν Σόραν,
Heg. Jam diu? *Erg.* νὴ τὰν Πραινέστην. *Heg.* Venit? *Erg.* νὴ τὰν Σιγνίαν.
Heg. Certon'? *Erg.* νὴ τὰν Φρουσινῶνα. *Heg.* Vide ſis. *Erg.* νὴ τὸ Ἀλάτριον.
Heg. Quid tu per barbaricas urbes juras? *Erg.* Quia enim item aſperæ
Sunt, ut tuum victum autumabas eſſe. *Heg.* Væ ætati tuæ.
Erg. Quippe quando mihi nihil credis, quod ego dico ſedulo.
Sed Stalagmus quojus erat tunc nationis, cum hinc abiit?
Heg. Siculus. *Erg.* At nunc Siculus non eſt: Bojus eſt, Bojam terit.
Liberorum quærundorum cauſſa ei, credo, uxor data eſt.
Heg. Dic, bonan' fide tu mihi iſtæc verba dixiſti? *Erg.* bona.
Heg. Di immortales, iterum gnatus videor, ſi vera autumas.
Erg. An tu dubium babebis, etiam ſancte cum jurem tibi?
Poſtremo, Hegio, ſi parva jurijurando eſt fides,
Viſe ad portum. *Heg.* facere certum eſt. tu intus cura quod opus eſt.
Sume, poſce, prome quidvis. te facio cellarium.
Erg. Nam hercle niſi mantiſcinatus probe ero, fuſti pectito.
Heg. Æternum tibi dapinabo victum, ſi vera autumas.
Erg. Unde id? *Heg.* A me meoque gnato. *Erg.* Sponden' tu iſtud? *Heg.* Spondeo.
Erg. At ego tuum tibi adveniſſe filium reſpondeo.
Heg. Cura quam optume potes. *Erg.* Bene ambula & redambula.

ACTUS IV. SCENA III.

Ergaſilus.

ILlic hinc abiit: mihi rem ſummam credidit cibariam.
Di immortales, jam ut ego collos prætruncabo tergoribus!
Quanta pernis peſtis veniet! quanta labes larido!
Quanta ſumini abſumedo! quanta callo calamitas!
Quanta laniis laſſitudo! quanta porcinariis!
Nam ſi alia memorem, quæ ad ventris victum conducunt, mora eſt.
Nunc ibo ad præfecturam, & jus dicam larido,
Et quæ pendent indemnatæ pernæ, eis auxilium ut feram.

ACTUS IV. SCENA IV.

Puer Hegionis.

DIeſpiter te dique, Ergaſile, perdant, & ventrem tuum,
Paraſitoſque omnes, & qui poſthac cœnam Paraſitis dabit.
Clades calamitaſque, intemperies modo in noſtram advenit domum.
Quaſi lupus eſuriens, metui ne in me quoque faceret impetum.
Nimiſque hercle ego illum male formidabam: ita frendebat dentibus.
Adveniens deturbavit totum cum carne carnarium.
Arripuit gladium, prætruncavit tribus tergoribus glandia.
Aulas, caliceſque omnes confregit, niſi quæ modiales erant.
Cocum percontabatur, poſſentne feriæ ferveſcere.
Cellas refregit omnes intus, recluſitque armarium.
Aſſervate iſtunc fultis ſervi. ego ibo ut conveniam ſenem.
Dicam ut ſibi penum aliud ornet, ſiquidem ſeſe uti volet.
Nam hic quidem ut adornat, aut jam nihil eſt, aut jam nihil erit.

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

Hegio, Philopolemus, Philocrates, Stalagmus.

IOvi diiſque ago gratias merito magnas,
Quom te reducem tuo patri reddiderunt,
Quomque ex miſeriis plurimis me exemerunt,
Quæ adhunc te carens, dum hic fui, ſuſtentabam.
Quomque hunc conſpicio in poteſtate noſtra,
Quomque hæc reperta eſt fides firma nobis.
Satis jam dolui ex animo, & cura me ſat
Et lacrumis maceravi. ſatis jam audivi
Tuas ærumnas, ad portum mihi quas memoraſti.
Hoc agamus. *Philoc.* Quid nunc, quoniam tecum ſervavi fidem,
Tibique hunc reducem in libertatem feci? *Heg.* Feciſti, ut tibi,
Philocrates, nunquam referre gratiam poſſim ſatis,
Proinde ut tu promeritus de me & filio meo. *Philop.* Imo potes,
Pater, & poteris, & ego potero: & di eam poteſtatem dabunt,
Ut beneficium bene merenti noſtro merito muneres,
Sic tu huic potes, pater mi, facere merito maxume.
Heg. Quid opu'ſt verbis? lingua nulla eſt, qua negem quicquid roges.
Philoc. Poſtulo abs te, ut mihi illum reddas ſervom, quem hic reliqueram

Pignus

Pignus pro me, qui mihi melior quam ſibi ſemper fuit:
Pro benefactis ejus uti ei pretium poſſim reddere.
Heg. Quod bene feciſti, referetur gratia, id quod poſtulas.
Et id, & aliud, quod me orabis, impetrabis, atque te
Nolim ſuccenſere, quod ego iratus ei feci male.
Philoc. Quid feciſti? *Heg.* In lapicidinas compeditum condidi,
Ubi reſcivi mihi data eſſe verba. *Philoc.* Væ miſero mihi!
Propter meum caput labores homini eveniſſe optumo.
Heg. At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis.
Gratis a me, ut ſit liber, abducito. *Philop.* Edepol Hegio,
Facis benigne: ſed quæſo, hominem ut jubeas arceſſi. *Heg.* Licet.
Ubi eſti vos? ite actutum, Tyndarum huc arceſſite.
Vos ite intro: interibi ego ex hac ſtatua verberea volo
Erogitare, meo minore quid ſit factum filio.
Vos lavate interibi. *Philop.* Sequere hac Philocrates me intro. *Philoc.* Sequor.

ACTUS V. SCENA II.

Hegio, Stalagmus.

Age tu illuc procede. bone vir, lepidum mancupium meum.
Stal. Quid me oportet facere, ubi tu talis vir falſum autumas?
Fui ego bellus, lepidus, bonus vir nunquam, neque frugi bonæ,
Neque ero unquam: ne tu ſpem ponas me bona frugi fore.
Heg. Propemodum ubi loci fortunæ tuæ ſint, facile intelligis.
Si eris verax, tua ex re facies ex mala meliuſculam.
Recta & vera loquere: ſed neque vere neque recte adhuc
Feciſti unquam. *Stal.* Quod ego fatear, credin' pudeat, cum autumes?
Heg. At ego faciam ut pudeat: nam in ruborem te totum dabo.
Stal. Eja credo ego, imperito plagas minitaris mihi.
Tandem iſta aufer, dicque quid ers, ut feras hinc quod petis.
Heg. Satis facundu'ſt, ſed fieri dictis compendium volo.
Stal. Ut vis fiat. *Heg.* Bene morigerus fuit puer: nunc non decet.
Hoc agamus. jam animum advorte. ac mihi quæ dicam ediſſere.
Si eras verax, tuis rebus feceris meliuſculas.
Stal. Nugæ iſtæc ſunt. non me cenſes ſcire quid dignum ſiem?
Heg. At ea ſubterfugere potis es pauca, ſi non omnia.
Stal. Pauca effugiam ſcio. nam multa evenient, & merito meo.
Quia & fugi, & tibi ſurripui filium, & eum vendidi.
Heg. Cui homini? *Stal.* Theodoromedi in Alide Polypluſio
Sex minis. *Heg.* Pro di immortales! is quidem hujus eſt pater
Philocrates. *Stal.* Quin melius novi, quam te, & vidi ſæpius.
Heg. Serva Juppiter ſupreme & me & meum gnatum mihi.
Philocrates, per tuum te ingenium obſecro, exi: te volo.

ACTUS V. SCENA III.

Philocrates, Hegio, Stalagmus.

Hegio. adſum, ſi quid me vis, impera. *Heg.* Hic gnatum meum
Tuo patri ait ſe vendidiſſe ſex minis in Alide.
Phil. Quamdiu id factum eſt? *Stal.* Hic annus incipit viceſimus.
Phil. Falſa memorat. *Stal.* Aut ego, aut tu. nam tibi quadrimulum
Tuus pater peculiarem parvolum puero dedit.
Phil. Quod erat ei nomen? ſi vera dicis, memoradum mihi.
Stal. Pægnium vocitatu' ſt: poſt vos indidiſtis Tyndaro.
Phil. Cur ego te non novi? *Stal.* Quia MOS EST obliviſci hominibus,
Neque noviſſe, cujus nihil ſit faciunda gratia.
Phil. Dic mihi: is ne iſtic fuit, quem vendidiſti meo patri.
Quia mihi peculiaris datus eſt, hujus filius?
Heg. Vivitne is homo? *Stal.* Argentum accepi, nihil curavi cæterum.
Heg. Quid tu ais? *Phil.* Quin iſtic ipſu'ſt Tyndarus tuus filius,
Ut quidem hic argumenta loquitur, nam is mecum a puero puer
Bene pudiceque educatu'ſt uſque ad adoleſcentiam.
Heg. Et miſer ſum, & fortunatus, ſi vos vera dicitis.
Eo miſer ſum, quia male illi feci, ſi gnatus meu'ſt.
Eheu, cur ego plus minuſque feci, quam æquom fuit!
Quod male feci, crucior modo, ſi infectum fieri poſſiet.
Sed eccum, incedit huc, ornatus haud ex ſuis virtutibus.

ACTUS V. SCENA IV.

Tyndarus, Hegio, Philocrates, Stalagmus.

Vidi ego multa ſæpe picta, quæ Acherunti fierent
Cruciamenta: verum enimvero nulla adæque eſt Acheruns,
Atque ubi ego fui in lapicidinis. illic ibi demum eſt locus,
Ubi labore laſſitudo omni'ſt exigunda ex corpore.
Nam ubi illo adveni, quaſi patriciis pueris aut monedulæ,
Aut anates, aut coturnices dantur quicum luſitent.
Itidem hæc mihi advenienti upupa, qui me delectet, data eſt.
Sed herus eccum ante oſtium, & herus alter eccum ex Alide
Rediit. *Heg.* Salve exoptate gnate mi. *Tynd.* Hem quid, gnate mi?
Atat, ſcio cur te patrem aſſimiles eſſe & me filium:
Quia mihi, item ut parentes, lucis das tuendæ copiam.
Phil. Salve Tyndare. *Tynd.* Et tu, quojus cauſſa hanc ærumnam exigo.
Phil. At nunc liber in divitias faxo venies. nam tibi
Pater hic eſt; hic ſervos, qui te huic hinc quadrimum ſurpuit.
Vendiditque patri meo te ſex minis. is te mihi
Parvolom peculiarem parvolo puero dedit.
Illic indicium fecit. nam hunc ex Alide huc reduximus.
Tynd. Quid, hujus filium? *Phil.* Lutus eccum fratrem germanum tuum.
Tynd. Quid tu ais? adduxtin' illum hujus captivom filium?
Phil. Quin, inquam, intus hic eſt. *Tynd.* Feciſti edepol & recte & bene.
Phil. Nunc tibi pater hic eſt: hic fur eſt tuus, qui parvom hinc te abſtulit.
Tynd. At ego hunc grandis grandem natu, ob furtum, ad carnuficem dabo.

Phil.

Phil. Meritus eſt. *Tynd.* Ergo edepol huic meritam mercedem dabo.
Sed dic oro: Pater meus tune es? *Heg.* Ego ſum, gnate mi.
Tynd. Nunc ego demum in memoriam redeo, cum mecum cogito.
Nunc edepol demum in memoriam regredior, audiſſe me
Quaſi per nebulam Hegionem patrem meum vocarier.
Heg. Ego ſum. *Phil.* Compedibus quæſo ut tibi ſit levior filius,
Atque hic gravior ſervos. *Heg.* Certum eſt principium id prævortier.
Eamus intro, ut arceſſatur faber, ut iſtas compedes
Tibi adimam, huic dem. *Stal.* Cui peculi nihil eſt, recte feceris.

Grex.

Spectatores, ad pudicos mores facta hæc fabula eſt.
Neque in hac ſubagitationes ſunt, neque ulla amatio,
Nec pueri ſuppoſitio, nec argenti circumductio:
Neque ubi amans adoleſcens ſcortum liberet clam patrem ſuum.
Hujuſmodi paucas Poetæ reperiunt Comœdias,
Ubi boni meliores fiant: nunc vos, ſi vobis placet,
Et ſi placuimus, neque odio fuimus, ſignum hoc mittite.
Qui pudicitiæ eſſe voltis præmium, plauſum date.

FINIS CAPTEIVORUM.

CURCULIO.

Dramatis Perſonæ.

PALINURUS *ſervus.*
PHÆDROMUS *adoleſcens.*
LENA *anus.*
PLANESIUM *virgo.*
CAPPADOX *leno.*
COQUUS.
CURCULIO *paraſitus.*
LYCO *trapezita.*
CHORAGUS.
THERAPONTIGONUS *miles.*

ARGUMENTUM.

Curculio miſſus Phædromi it Cariam,
Ut petat argentum. ibi ille eludit annulo
Rivalem. ſcribit atque obſignat literas.
Cognoſcit ſignum Lyco, ubi vidit, militis:
Ut amicam mittat, pretium lenoni dedit.
Lyconem miles ac lenonem in jus rapit.
Ipſus ſororem, quam peribat, reppe it:
Oratu cujus Phædromo nuptum locat.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Palinurus ſervus, *Phædromus* adoleſcens.

Quo ted hoc noctis dicam proficiſci foras
Cum iſtoc ornatu, cumque hac pompa, Phædrome?
Phæd. Quo Venus Cupidoque imperat, ſuadetque Amor.
Si media nox eſt, ſive eſt prima veſpera,
Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies,
Tamen eſt eundum, quo imperant, ingratiis.
Pal. At tandem tandem. *Phæd.* Tandem es odioſus mihi.
Pal. Iſtuc quidem nec bellum eſt, nec memorabile;
Tute tibi puer es lautus, luces cereum.
Phæd. Egon' apicularum opera congeſtum non feram,
Ex dulci oriundum, melliculo dulci meo?
Pal. Nam quo te dicam ego ire? *Phæd.* Si tu me roges,
Dicam, ut ſcias. *Pal.* Si rogitem, quid reſpondeas?
Phæd. Hoc Æſculapi fanum eſt. *Pal.* Plus jam anno ſcio.
Phæd. Huic proxumum illud oſtium occluſiſſumum,
Salve: valuiſtin' uſque, oſtium occluſiſſumum?
Pal. Caruitne febris te heri, vel nudius tertius?
Et heri cœnaviſtine? *Phæd.* Derideſne me?
Pal. Quid tu ergo inſane rogitas, valeatne oſtium?
Phæd. Belliſſimum hercle vidi, & taciturniſſumum.
Nunquam ullum verbum mutit: quom aperitur, tacet:
Cumque illa noctu clanculum ad me exit, tacet.
Pal. Nunquid tu, quod te aut genere indignum ſit tuo
Facis, aut inceptas facinus facere, Phædrome?
Num tu pudicæ cuipiam inſidias locas?
Aut quam pudicam oportet eſſe? *Phæd.* Nemini.
Nec me ille ſinit Juppiter. *Pal.* Ego item volo.
Ita tuum conferto amare ſemper, ſi ſapis,
Ne id quod ames, populus ſi ſciat, tibi ſit probro,
Semper curato ne ſis inteſtabilis.
Quod amas, amato teſtibus præſentibus.
Phæd. Quid iſtuc eſt verbi? *Pal.* Caute ut incedas via.
Phæd. Quin leno hic habitat. *Pal.* Nemo hic prohibet nec vetat,
Quin quod palam eſt venale, ſi argentum eſt, emas.
Nemo ire quenquam publica prohibet via.
Dum ne per fundum ſeptum facias ſemitam,
Dum te te abſtineas nupta, vidua, virgine,
Juventute, & pueris liberis, ama quid lubet.
Phæd. Lenonis hæ ſunt ædeis. *Pal.* Male iſtis eveniat.
Phæd. Qui? *Pal.* Quia ſceleſtam ſervitutem ſerviunt.
Pal. Obloquere. *Pal.* Fiat maxume. *Phæd.* Etiam tu taces?
Pal. Nempe obloqui me juſſeras. *Phæd.* At nunc veto.
Id uti occœpi dicere, ei ancillula eſt.
Pal. Nempe huic lenoni, qui hic habitat? *Phæd.* Recte tenes.
Pal. Minus formidabo ne exedat. *Phæd.* Odioſus es.
Eam volt meretricem facere: ea me deperit.
Ego autem cum illa facere nolo mutuum.
Pal. Quid ita? *Phæd.* Quia proprium facio: amo pariter ſimul.
Pal. MALUS clandeſtinus eſt amor. damnum 'ſt merum.
Phæd. Eſt hercle ita ut tu dicis. *Pal.* Jamne ea fert jugum?
Phæd. Tam a me pudica eſt, quaſi ſoror mea ſit: niſi
Si eſt oſculando quippiam impudicior.
Pal. Semper tu ſcito: FLAMMA fumo eſt proxuma,
Fumo comburi nihil poteſt, flamma poteſt.
QUI E NUCE nucleum eſſe volt, frangit nucem.
Qui volt cubare, pandit ſaltum ſaviis.
Phæd. At illa eſt pudica, neque dum cubitat cum viris.
Pal. Credam, pudor ſi cuipiam lenoni ſiet.
Phæd. Imo, ut illam cenſes? ut quæque illi occaſio eſt
Surripere ſe ad me, ubi ſavium oppegit, fugit.
Id eo fit, quia hic leno ægrotus incubat
In Æſculapii fano. is me excruciat. *Pal.* Quid eſt?
Phæd. Alias me poſcit pro illa triginta minas,
Alias talentum magnum: neque quicquam queo
Æqui bonique ab eo impetrare. *Pal.* Injurium eſt:
Qui, quod lenoni nulli 'ſt, id ab eo petas.
Phæd. Nunc hinc Paraſitum in Cariam miſi meum,
Petitum argentum a meo ſodali mutuum:
Quod ſi non affert, quo me vortam neſcio.
Pal. Si deos ſalutas, dextrovorſum cenſeo.
Phæd. Nunc ara Veneris hæc eſt ante horum foreis.

Me

Me inferre Veneri vovi jam jentaculum.
Pal. Quid antepones Veneri a jentaculo?
Phæd. Me, te, atque hoſce omnes. *Pal.* Tun' tu Venerem vomere vis.
Phæd. Cedo, puere, ſinum. *Pal.* Quid facturus? *Phæd.* Jam ſcies.
Anus hic ſolet cubitare cuſtos, janitrix,
Nomen ei eſt lenæ, multibiba atque merobiba.
Pal. Quaſi tu lagenam dicas, ubi vinum ſolet
Chium eſſe. *Phæd.* Quid opu' ſt verbis? vinoſiſſuma eſt.
Eaque extemplo ubi vino has conſperſi fores,
De odore adeſſe me ſcit, aperit illico.
Pal. Eine hic cum vino ſinus fertur? *Phæd.* Niſi ne vis.
Pal. Nolo hercle. nam iſtunc qui fert, afflictum velim:
Ego nobis afferri cenſui. *Phæd.* Quin tu taces?
Si quid ſuper illi fuerit, id nobis ſat eſt.
Pal. Quiſnam iſtic fluvius eſt, quem non recipiat mare?
Phæd. Sequere hac, Palinure, me ad fores: ſi mi obſequens.
Pal. Ita faciam. *Phæd.* Agite, bibite, feſtivæ fores
Potate, fite mihi volentes propitiæ.
Pal. Voltiſne olivas, aut pulpamentum, aut capparim?
Phæd. Exſuſcitate voſtram huc cuſtodem mihi.
Pal. Profundis vinum. quæ te res agitant? *Phæd.* Sine.
Viden' ut aperiuntur ædes feſtiviſſimæ?
Num mutit? cardo eſt lepidus. *Pal.* Quin das ſaviom
Phæd. Tace: occultemus lumen & vocem. *Pal.* Licet.

ACTUS I. SCENA II.

Lena anus, *Phædromus* adoleſcens, *Palinurus* ſervus.

FLos veteris vini meis naribus objectus eſt.
Ejus amor cupidam me huc prolicit per tenebras.
Ubi ubi eſt, prope me eſt. evax habeo. Salve anime mi,
Liberi lepos. ut veteris vetuſti cupida ſum!
Nam omnium unguentum odor præ tuo nautea eſt.
Tu mihi ſtacte, tu cinnamomum, tu roſa,
Tu crocinum & caſia es, tu bdellium: nam ubi
Tu profuſus, ibi ego me pervelim ſepultam.
Sed quom adhuc naſo odos obſecutus es meo,
Da viciſſim meo gutturi gaudium.
Nihil ago tecum. ubi eſt ipſus? ipſum expeto
Tangere, invergere in me liquores tuos
Sino ductim. ſed hac abiit, hac perſequar.
Phæd. Sitit hæc anus. *Pal.* quantillum ſitit? *Phæ.* modica eſt,
Capit quadrantal. *Pal.* Pol, ut tu prædicas,
Vindemia hæc huic anui non ſatis eſt ſoli.
Canem eſſe hanc quidem magis par fuit: ſagax
Naſum habet. *An.* Amabo, cuja vox ſonat procul?
Phæd. Cenſeo hanc appellandam anum. adibo, redi,
Et reſpice ad me huc, lena. *An.* Imperator quis eſt?
Phæd. Vini pollens, lepidus Liber,
Tibi qui ſcreanti, ſiccæ, ſemiſomnæ
Affert potionem, & te ſedatum it.
An. Quam longe abeſt a me? *Phæd.* Lumen hoc vide.
An. Grandiorem gradum ergo fac ad me, obſecro.
Phæd. Salve. *An.* Egon' ſalva ſim, quæ ſiti ſicca ſum?
Phæd. At jam bibes. *An.* Diu fit. *Phæd.* Hem tibi anus lepida.
An. Salve oculiſſume homo. *Pal.* Age effunde hoc cito
In barathrum: propere prolue cloacam. *Phæd.* Tace:
Nolo huic maledici. *Pal.* Faciam igitur male potius.
An. Venus, de paulo paululum hoc tibi dabo,
Haud lubenter. nam tibi amantes propinantes,
Vinum potantes dant omnes: mihi haud ſæpe
Eveniunt tales hæreditates. *Pal.* Hoc vide ut
Ingurgigat impura in ſe merum avariter,
Faucibus plenis! *Phæd.* Perii hercle: huic quid primum dicam

Neſcio. *Pal.* Hem iſtuc, quod mihi dixti. *Phæd.* Quid id eſt?
Pal. Periiſſe ut te dicas. *Phæd.* Male tibi di faciant.
Pal. Dic iſti. *An.* Ah. *Pal.* Quid eſt? ecquid lubet?
An. Lubet.
Pal. Etiam mihi quoque ſtimulo fodere lubet te.
Phæd. Tace; noli. *Pal.* Taceo. ecce autem bibit arcus. pluet
Credo hercle hodie. *Phæd.* Jamne ego huic dico?
Pal. Quid dices?
Phæd. Me periiſſe. *Pal.* Age dice. *Phæd.* Anus audi. hoc volo
Scire te, perditus ſum miſer. *An.* At pol ego oppido
Servata. ſed quid eſt, quid lubet perditum
Dicere te eſſe? *Phæd.* Quia id, quod amo, careo.
An. Phædrome mi, ne plora, amabo. tu me
Curato ne ſitiam, ego tibi, quod amas, jam huc adducam.
Phæd. Tibi næ ego, ſi fidem ſervas mecum,
Vineam pro aurea ſtatua ſtatuam, quæ tuo
Gutturi ſit monimentum. qui me in terra æque
Fortunatus erit, ſi illa ad me bitet,
Palinure? *Pal.* Edepol, QUI AMAT, ſi eget, miſera afficitur
Ærumna. *Phæd.* Non ita res eſt. nam confido
Paraſitum hodie adventurum cum argento ad me.
Pal. Magnum inceptas, ſi id exſpectas, quod nuſquam 'ſt.
Phæd. Quid ſi adeam ad fores, atque occentem? *Pal.* Si lubet,
Neque veto, neque jubeo: quando ego te video
Immutatis moribus eſſe, here, atque ingenio.
Phæd. Peſſuli, heus peſſuli, vos ſaluto lubens,
Vos amo, vos volo, vos peto, atque obſecro,
Gerite amanti mihi morem amœniſſumi:
Fite cauſſa mea Lydi barbari,
Suſſilite obſecro, & mittite iſtanc foras,
Quæ mihi miſero amanti ebibit ſanguinem.
Hoc vide ut dormiunt peſſuli peſſumi,
Nec mea gratia commovent ſe ocius.
Reſpicio nihili meam vos gratiam facere.
Sed tace, tace. *Pal.* Taceo hercle. quid eſt? *Phæd.* Sentio ſonitum:
Tandem edepol mihi morigeri peſſuli fiunt.

ACTUS I. SCENA III.

Anus, *Planeſium* Virgo, *Phædromus*, *Palinurus*.

PLacide egredere, & ſonitum prohibe forum, & crepitum cardinum:
Neque quod hic agimus, herus percipiat fieri, mea Planeſium,
Mane, ſuffundam aqualam. *Pal.* Viden' ut anus tremula medicinam facit?
Eapſe merum condidicit bibere, foribus dat aquam quam bibant.
Plan. Ubi tu es, qui me convadatur Veneriis vadimoniis.
Ubi tu es, qui me libello Venerio citaviſti? ecce me.
Siſto ego tibi me, & mihi contra itidem te ut ſiſtas ſuadeo.
Phæd. Aſſum: nam ſi abſim, haud recuſem, quin mihi male ſit, mel meum.
Plan. Anime mi. procul quidem amantem abeſſe haud conſentaneum eſt.
Phæd. Palinure, Palinure. *Pal.* Eloquere. quid eſt, quod Palinurum voces?
Phæd. Eſt lepida. *Pal.* Nimis lepida. *Phæd.* Sum Deus.
Pal. Imo homo haud magni preci.
Phæ. Quid vidiſti, aut quid videbis magis diis æquiparabile?
Pal. Male valere te, quod mihi ægre eſt. *Phæd.* Male mihi morigerus, tace.

Pal. Ipsus se excruciat, qui homo quod amat, videt, nec potitur dum licet.
Phæd. Recte objurgat. ſane haud quicquam 'ſt, magis quod cupiam tamdiu.
Plan. Tene me, amplectere ergo. *Phæd.* Hoc etiam eſt, quamobrem cupiam vivere.
Quia te prohibet herus, clam hero potior. *Plan.* Prohibet, nec prohibere quit.
Nec prohibebit, niſi mors meum animum abs te abalienaverit.
Pal. Enimvero nequeo durare, quin ego herum accuſem meum:
Nam BONUM EST, pauxillum amare ſane; inſane non bonum eſt:
Verum totum inſanum amare, hoc eſt, quod meus herus facit.
Phæd. Sibi ſua habeant regna reges, ſibi divitias divites:
Sibi honores, ſibi virtutes, ſibi pugnas, ſibi prælia:
Dum mihi abſtineant invidere, ſibi quiſque habeant quod ſuum eſt.
Pal. Quid? tu Veneri pervigilare te voviſti, Phædrome?
Nam hoc quidem edepol haud multo poſt luce lucebit. *Phæd.* Tace.
Pal. Quid taceam? quin tu is dormitum? *Phæd.* Dormio, ne occlamites.
Pal. Tu quidem vigilas. *Phæd.* At meo more dormio: hic ſomnu 'ſt mihi.
Pal. Heus tu mulier: MALE MERERI de immerente inſcitia eſt.
Plan. Iraſcere. ſi te edentem hic a cibo abigat. *Pal.* Ilicet.
Pariter hos perire amando video, uterque inſaniunt.
Viden' ut miſere moliuntur! nequeunt complecti ſatis.
Etiam diſpertimini? *Plan.* NULLI EST homini perpetuum bonum.
Jam huic voluptati hoc adjunctum eſt odium. *Pal.* Quid ais propudium?
Tun' etiam cum noctuinis oculis odium me vocas?
Ebriola, perſolæ nugæ. *Phæd.* Tun' meam Venerem vituperas?
Quod quidem mihi polluctus virgis ſervos ſermonem ſerat.
At næ tu hercle cum cruciatu magno dixiſti id tuo.
Hem tibi maledictis pro iſtis dictis moderari ut queas.
Pal. Tuam fidem, Venus noctuvigila. *Phæd.* Pergin' etiam verbero?
Plan. Noli amabo verberare lapidem, ne perdas manum.
Pal. Magnum flagitium probrumque, Phædrome, expergefacis:
Bene monſtrantem pugnis cædis, hanc amas: nugas meras.
Hoccine fieri, ut immodeſtis te hic moderere moribus?
Phæd. AURO CONTRA cedo modeſtum amatorem. a me aurum accipe.
Pal. Cedo mihi contra aurichalco, cui ego ſano ſerviam.
Plan. Bene vale, ocule mi; nam ſonitum & crepitum clauſtrorum audio,
Æditum aperire fanum: quouſque, quæſo, ad hunc modum
Inter nos utimur amore ſemper ſurrepticio?
Phæd. Minime. nam Paraſitum miſi nudiuſquartus Cariam
Petere argentum. is hodie hic aderit. *Plan.* Nimium conſultas diu.
Phæd. Ita me Venus amet, ut ego te hoc triduum nunquam ſinam
In domo eſſe iſtac, quin ego te liberalem liberem.
Plan. Facito ut memineris. tene etiam, priuſquam hinc abeo, ſaviom.
Phæd. Siquidem hercle mihi regnum detur, nunquam id potius perſequar.
Quando ego te videbo? *Plan.* Ehem, iſtoc verbo vindictam para.
Si amas,eme. ne rogites; facito uti pretio pervincas tuo.
Bene vale. *Phæd.* Jamne ego relinquo? pulchre Palinure occidi.
Pal. Ego quidem, qui & vapulando & ſomno pereo.. *Phæd.* Sequere me.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

Cappadox leno, *Palinurus* ſervus.

MIgrare certu 'ſt jam nunc e fano foras,
Quando Æſculapi ita ſentio ſententiam:
Ut qui me nihil faciat, nec ſalvom velit.
Valetudo decreſcit, accreſcit labor.
Nam jam, quaſi zona,liene cinctus ambulo,
Geminos in ventre habere videor filios.
Nihil metuo, niſi ne medius diſrumpar miſer.
Pal. Si recte facias, Phædrome, auſcultes mihi,
Atque iſtam exturbes ex animo ægritudinem.
Paves, Paraſitus quia non rediit Caria.
Afferre argentum credo. nam ſi non ferat,
Tormento non retineri potuit ferreo,
Quis reciperet ſe huc eſum ad præſepim ſuam.
Cap. Quis hic eſt, qui loquitur? *Pal.* Quojam vocem audio?
Cap. Eſtne hic Palinurus Phædromi? *Pal.* Qui hic eſt homo,
Cum collativo ventre, atque oculis herbeis?
De forma novi, de colore non queo
Noviſſe. jamjam novi. leno eſt Cappadox.
Congrediar.*Cap.* Salve Palinure. *Pal.* O ſcelerum caput,
Salveto. quid agis? *Cap.* Vivo. *Pal.* Nempe ut dignus es.
Sed quid tibi eſt? *Cap.* Lien necat, renes dolent,
Pulmones diſtrahuntur, cruciatur jecur,
Radices cordis pereunt, hiræ omnes dolent.
Pal. Tum te igitur morbus agitat hepatarius.
Cap. FACILE eſt miſerum irridere. *Pal.* Quin tu aliquot dies
Perdura, dum inteſtina exputeſcunt tibi.
Nunc dum ſalſura ſat bona 'ſt, ſi id feceris,
Venire poteris inteſtinis vilius.
Cap. Lien directu 'ſt. *Pal.* Ambula, id lieni optumum 'ſt.
Cap. Aufer iſtæc quæſo, atque hoc reſponde quod rogo.
Potin' conjecturam facere, ſi narrem tibi,
Hac nocte quod ego ſomniavi dormiens?
Pal. Vah, ſolus hic homo 'ſt, qui ſciat divinitus.
Quin conjectores a me conſilium petunt:
Quod eis reſpondi, ea omnes ſtant ſententia.

ACTUS II. SCENA II.

Coquus, *Cappadox*, *Palinurus*, *Phædromus*.

PAlinure, quid ſtas? quin depromuntur mihi,
Quæ opus ſunt: Paraſito ut ſit paratum prandium,
Quom veniat. *Pal.* Maneſis,dum huic conjicio ſomnium.

Coq.

Coq. Tute ipſe, ſi quid ſomniaſti, ad me refers.
Pal. Fateor. *Coq.* Abi, deprome. *Pal.* Age, tu interea huic ſomnium
Narra. meliorem, quam ego ſum, ſuppono tibi.
Nam quod ſcio, omne ex hoc ſcio. *Cap.* Operam ut det. *Pal.* Dabit.
Cap. Facit hic quod pauci, ut ſit magiſtro ſuo obſequens.
Da mihi igitur operam. *Coq.* Tametſi non novi, dabo.
Cap. Hac nocte in ſomnis viſus ſum viderier,
Procul ſedere longe a me Æſculapium,
Neque eum ad me adire, neque me magnipendere
Viſu 'ſt. *Coq.* Item alios deos facturos ſcilicet.
Sane illi inter ſe congruunt concorditer.
Nihil eſt mirandum, melius ſi nihil ſit tibi:
Nanque incubare ſatius te fuerat Jovi,
Tibi qui auxilium in jurejurando tulit.
Cap. Siquidem incubare velint, qui perjuraverint,
Locus non præberi potis eſt in Capitolio.
Coq. Hoc animum advorte: pacem ab Æſculapio
Petas, ne forte tibi eveniat magnum malum,
Quod in quiete tibi portentum 'ſt. *Cap.* Bene facis.
Ibo atque orabo. *Coq.* Quæ res male vortat tibi.
Pal. Pro di immortales, quem conſpicio! qui illic eſt?
Eſtne hic Paraſitus, qui miſſu 'ſt in Cariam?
Heus exi Phædrome, exi, exi: exi inquam ocius,
Phæd. Qui iſtic clamorem tollis? *Pal.* Paraſitum tuum
Video occurrentem, ellum uſque in platea ultima,
Hinc auſcultemus quid agat. *Phæd.* Sane cenſeo.

ACTUS II. SCENA III.

Curculio, *Phædromus*, *Palinurus* ſervus.

DAte viam mihi noti atque ignoti, dum ego hic officium meum
Facio: fugite omnes, abite, & de via ſecedite:
Ne quem in curſu capite, aut cubito, aut pectore offendam, aut genu.
Ita nunc ſubito, propere, & celere objectum 'ſt mihi negotium.
Nec quiſquam ſit tam opulentus, qui mihi obſiſtat in via,
Nec ſtrategus, nec tyrannus quiſquam, nec agoranomus,
Nec demarchus, nec comarchus, nec cum tanta gloria,
Quin cadat, quin capite ſiſtat in via de ſemita.
Tum iſti Græci palliati, capite operto qui ambulant,
Qui incedunt ſuffarcinati cum libris, cum ſportulis,
Conſtant, conferunt ſermones inter ſeſe drapetæ:
Obſtant, obſiſtunt, incedunt cum ſuis ſententiis,
Quos ſemper videas bibentes eſſe in Thermopolio:
Ubi quid ſurripuere, operto capitulo calidum bibunt,
Triſtes atque ebrioli incedunt: eos ego ſi offendero,
Ex unoquoque eorum exciam crepitum polentarium.
Tum iſti qui ludunt datatim ſervi ſcurrarum in via,
Et datores & factores omnes ſubdam ſub ſolum.
Proinde ſe domi contineant, vitent infortunia.
Phæd. Recte hic monſtrat, ſi imperare poſſit. nam ita nunc mos viget,
Ita nunc ſervitium 'ſt: profecto modus haberi non poteſt.
Curc. Ecquis eſt, qui mihi commonſtret Phædromum genium meum?
Ita res ſubita eſt: celeriter mihi hoc homine convento eſt opus.
Pal. Te ille quærit. *Phæd.* Quid ſi adeamus? heus Curculio, te volo.
Cur. Quis vocat? quis nominat me? *Phæd.* Qui te conventum cupit.
Cur. Haud magis cupis, quam ego te cupio. *Phæd.* O mea opportunitas,
Curculio exoptate, ſalve. *Cur.* Salve. *Phæd.* Salvom gaudeo
Te advenire. cedo tuam mihi dextram. ubi ſunt ſpes meæ?
Eloquere obſecro hercle. *Cur.* Eloquere, ted obſecro, ubi ſunt meæ?
Phæd. Quid tibi eſt? *Cur.* Tenebræ oboriuntur, genua inedia ſuccidunt.
Phæd. Laſſitudine hercle credo. *Cur.* Retine retine me, obſecro.
Phæd. Viden' ut expalluit! datin' iſti ſellam, ubi aſſidat, cito,
Et aqualem cum aqua? properatin' ocius? *Cur.* animo male eſt.
Phæd. Vin' aquam? *Cur.* Si fruſtulenta eſt, da obſecro hercle, obſorbeam.
Phæd. Væ capiti tuo. *Cur.* Obſecro hercle, facite ventum ut gaudeam.
Phæd. Maxume. *Cur.* Quid facitis quæſo? *Pal.* Ventum. *Cur.* Nolo equidem mihi
Fieri ventulum. *Phæd.* Quid igitur vis? *Cur.* Eſſe, ut ventum gaudeam.
Phæd. Juppiter te dique perdant. *Cur.* Perii, proſpicio parum.
Os amarum habeo, dentes blennos, lippiunt fauces fame,
Ita cibi vacivitate venio laxis lactibus.
Phæd. Jam edes aliquid. *Cur.* Nolo hercle aliquid; certum quam aliquid mavolo.
Phæd. Imo ſi ſcias reliquiæ quæ ſint. *Cur.* Scire nimis lubet
Ubi ſient. nam illis conventis ſane opus eſt meis dentibus.
Phæd. Pernam, abdomen, ſumen, ſuis glandium. *Cur.* Ain' tu omnia hæc?
In carnario fortaſſe dicis. *Phæd.* Imo in lancibus:
Quæ tibi ſunt parata, poſtquam ſcimus venturum. *Cur.* Vide,
Ne me ludas. *Phæd.* Ita me amabit, quam ego amo, ut ego haud mentior.
Sed quo te miſi, nihilo ſum certior. *Cur.* Nihil attuli.
Phæd. Perdidiſti me. *Cur.* Invenire poſſum, ſi mihi operam datis.
Poſtquam tuo juſſu profectus ſum, perveni in Cariam:
Video tuum ſodalem: argenti rogo uti faciat copiam.
Scires velle gratiam tuam; noluit fruſtrarier:
Ut decet velle hominem amicum amico, atque opitularier:
Reſpondit mihi paucis verbis, atque adeo fideliter;
Quod tibi eſt, item ſibi eſſe magnam argenti inopiam.
Phæd. Perdis me tuis dictis. *Cur.* Imo ſervo, & ſervatom volo.
Poſtquam mihi reſponſum eſt, abeo ab illo mœſtus ad forum,
Me illo fruſtra adveniſſe: forte aſpicio militem.
Aggredior hominem; ſaluto adveniens. Salve, inquit mihi,
Prehendit dextram, ſeducit, rogat quid veniam Cariam.
Dico me illo adveniſſe animi cauſa: ibi me interrogat,
Ecquem in Epidauro Lyconem trapezitam noverim?
Dico me noviſſe: quid Lenonem Cappadocem? annuo
Viſitaſſe. ſed quid eum vis? quia de illo emi virginem
Triginta minis, veſtem, aurum: & pro iis decem coaccedunt minæ.

Dediſti tu argentum? inquam. imo apud trapezitam ſitum eſt,
Illum quem dixi Lyconem: atque ei mandavi, qui annulo meo
Tabellas obſignatas attuliſſet, ut daret operam,
Ut mulierem a lenone cum auro & veſte abduceret.
Poſtquam hoc mihi narravit, abeo ab illo. revocat me illico,
Vocat ad cœnam: religio fuit, denegare nolui.
Quid ſi adeamus, ac decumbamus? inquit. conſilium placet.
Neque diem decet me morari, neque noƈti nocerier.
Omnis res parata 'ſt: & nos, quibus paratum eſt, aſſumus.
Poſtquam cœnati atque appoti, talos poſcit ſibi in manum.
Provocat me in aleam, ut ego ludam. pono pallium.
Ille ſuum annulum oppoſivit. invocat Planeſium.
Phæd. Meoſne amores? *Cur.* Tace parumper, jacit. voltorios quatuor.
Talos arripio, invoco almam meam nutricem Herculem.
Jaƈto baſilicum. propino magnum poculum: ille ebibit:
Caput deponit: condormiſcit. ego ei ſubduco annulum.
Deduco pedes de leƈto clam, ne miles ſentiat.
Rogant me ſervi, quo eam? me dico ire quo ſaturi ſolent.
Oſtium ubi conſpexi, exinde me illico protinam dedi.
Phæd. Laudo. *Cur.* Laudato, quando illud quod cupis, effecero.
Eamus nunc intro, ut tabellas conſignemus. *Phæd.* Num moror?
Cur. Atque aliquid prius obtrudamus, pernam, ſumen, glandium:
Hæc ſunt ventri ſtabilimenta, panem & aſſa bubula,
Poculum grande, aula magna: ut ſatis conſilia ſuppetant.
Tu tabellas conſignato: hic miniſtrabit: ego edam.
Dicam quemadmodum conſcribas. ſequere me hac intro. *Phæd.* Sequor.

ACTUS TERTIUS.

Lyco, Curculio, Leno.

Beatus videor: ſubduxi ratiunculam,
Quantum æris mihi ſit, quantumque alieni ſiet:
Dives ſum, ſi non reddo eis, quibus debeo:
Si reddo illis quibus debeo, plus alieni eſt.
Verum hercle vero cum belle recogito,
Si magis me inſtabunt, ad Prætorem ſufferam.
Habent hunc morem plerique argentarii,
Ut alius alium poſcant, reddant nemini:
Pugnis rem ſolvant, ſi quis poſcat clarius.
Qui HOMO mature quæſivit pecuniam,
Niſi eam mature parſit, mature eſurit.
Cupio aliquem emere puerum, qui uſurarius
Nunc mihi quæratur. uſus eſt pecunia.
Cur. Nil tu me ſaturum monueris: memini & ſcio:
Ego hoc effeƈtum lepide tibi tradam: tace.
Edepol næ ego hic me intus explevi probe,
Et equidem reliqui in ventre cellæ uni locum,
Ubi reliquiarum reliquias reconderem.
Quis hic eſt, qui operto capite Æſculapium
Salutat? atat quem quærebam. ſequere me.
Simulabo quaſi non noverim. heus tu, te volo.
Lyc. Unocule, ſalve. *Cur.* Quæſo, derideſne me?
Lyc. De Coclitum proſapia ted eſſe arbitror:
Nam ii ſunt unoculi. *Cur.* Catapulta hoc iƈtum eſt mihi
Apud Sicyonem. *Lyc.* Nam quid id refert mea,
An aula quaſſa cum cinere effoſſus ſiet?
Cur. Superſtitioſus hic quidem eſt: vera prædicat:
Nam illæce catapultæ ad me crebro commeant.
Adoleſcens, ob Rempublicam hoc intus mihi
Quod inſigne habeo, quæſo, ne me incomities.
Lyc. Licetne inforare, ſi incomitiare non licet?
Cur. Non inforabis me quidem: nec mihi placet
Tuum profeƈto neque forum, nec comitium.
Sed hunc, quem quæro, commonſtrare ſi potes,
Inibis a me ſolidam & grandem gratiam.
Lyconem quæro trapezitam. *Lyc.* dic mihi
Quid eum nunc quæris? aut cujatis? *Cur.* Eloquar.
Ab Therapontigono Platagidoro milite.
Lyc. Novi edepol nomen: nam mihi iſtoc nomine,
Dum ſcribo, explevi totas ceras quatuor.
Sed quid Lyconem quæris? *Cur.* Mandatum 'ſt mihi,
Ut has tabellas ad eum ferrem. *Lyc.* Quis tu homo es?
Cur. Libertus illius, quem omnes Summanum vocant.
Lyc. Summane, ſalve. qui? Summanus? fac ſciam.
Cur. Quia veſtimenta, ubi obdormivi ebrius,
Summano, ob eam rem me omnes Summanum vocant.
Lyc. Alibi te meliu 'ſt quærere hoſpitium tibi,
Apud me profeƈto nihil eſt Summano loci.
Sed iſtum quem quæris, ego ſum. *Cur.* Quæſo tune is es
Lyco trapezita? *Lyc.* Ego ſum. *Cur.* Multam me tibi
Salutem juſſit Therapontigonus dicere,
Et has tabellas dare me juſſit. *Lyc.* Mihin'? *Cur.* Ita.
Cape, ſignum noſce. noſtin'? *Lyc.* Quid ni noverim?
Clypeatus elephantum ubi machæra diſſicit.
Cur. Quod iſtic ſcriptum eſt, id te orare juſſerat,
Profeƈto ut faceres, ſuam ſi velles gratiam.
Lyc. Concede, inſpiciam quid ſit ſcriptum. *Cur.* Maxume,
Tuo arbitratu, dum auferam abs te id quod peto.
Lyc. Miles Lyconi in Epidauro hoſpiti ſuo
Therapontigonus Platagidorus plurimam
Salutem dicit. *Cur.* Meus hic eſt: hamum vorat.
Lyc. Tecum oro, & quæſo, qui has tabellas afferet
Tibi, ut ei detur, quam iſtic emi virginem,
Quod te præſente iſtic egi, teque interprete,
Et aurum, & veſtem: jam ſcis, ut convenerit.
Argentum des lenoni. huic des virginem.
Lyc. Ubi ipſus? cur non venit? *Cur.* Ego dicam tibi:
Quia nudiuſquartus venimus in Cariam
Ex India: ibi nunc ſtatuam volt dare auream
Solidam faciundam ex auro Philippeo, quæ ſiet
Septempedalis: FACTIS MONUMENTUM ſuis.
Lyc. Quamobrem iſtuc? *Cur.* Dicam: quia enim Perſas, Paphlagonas,
Synopeas, Arabas, Caras, Cretanos, Syros,
Rhodiam atque Lyciam, Perediam & Perbibeſiam,
Centauromachiam, & Claſſiam Unomammiam,
Libyamque & oram omnem Conterebromiam,
Dimidiam partem nationum uſque omnium
Subegit ſolus intra viginti dies.
Lyc. Vah! *Cur.* Quid mirare? *Lyc.* Quia enim in cavea ſi forent
Concluſi, itidem uti pulli gallinacei,
Ita non potuere uno anno circumirier.
Credo hercle te eſſe ab illo: nam ita nugas blatis.
Cur. Imo etiam porro, ſi vis, dicam. *Lyc.* Nihil moror,

Seque-

Sequere hac : ted abſolvam, qua adveniſti gratia.
Atque eccum video. Leno ſalve! *Len.* Di te ament.
Lyc. Quid hoc, quod ad te venio? *Len.* Dicas quid velis.
Lyc. Argentum accipias, cum illo mittas virginem.
Len. Quid quod juratus ſum? *Lyc.* Quid id refert tua,
Dum argentum accipias? *Len.* Qui monet, quaſi adjuvat.
Sequimini. *Cur.* Leno, cave in te ſit mihi mora.

ACTUS QUARTUS

SCENA I.

Choragus.

EDepol nugatorem lepidum lepide hunc nactu'ſt Phædromus.
Halophantam an ſycophantam hunc magis eſſe dicam neſcio.
Ornamenta, quæ locavi, metuo ut poſſim recipere.
Quanquam cum iſtoc mihi negoti nihil eſt: ipſi Phædromo
Credidi. tamen aſſervabo. ſed dum hic egreditur foras,
Commonſtrabo, quo in quemque hominem facile inveniatis loco,
Ne nimio opere ſumat operam, ſi quem conventum velit,
Vel vitioſum, vel ſine vitio: vel probum, vel improbum.
Qui perjurum convenire volt hominem, mitto in Comitium.
Qui mendacem & glorioſum, apud Cloacinæ ſacrum.
Ditis damnoſos maritos ſub Baſilica quærito.
Ibidem erunt ſcorta exoleta, quique ſtipulari ſolent.
Symbolarum collatores apud forum piſcarium.
In foro infimo boni homines, atque dites ambulant.
In medio propter Canalem, ibi oſtentatores meri,
Confidentes, garrulique, & malevoli ſupra Lacum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,
Et qui ipſi ſat habent, quod in ſe poſſit vere dicier.
Sub Veteribus, ibi ſunt qui dant, quique accipiunt fœnore.
Pone ædem Caſtoris, ibi ſunt, ſubito quibus credas male:
In tuſco vico, ibi ſunt homines, qui ipſi ſeſe venditant.
In Velabro vel piſtorem, vel lanium, vel aruſpicem,
Vel qui ipſi vortant, vel qui aliis ut vorſentur præbeant.
Ditis damnoſos maritos apud Leucadiam Oppiam.
Sed interim fores crepuere. linguæ moderandum eſt mihi.

ACTUS IV. SCENA II.

Curculio, Cappadox, Lyco.

ITu præ, virgo : non queo, quod pone me eſt, ſervare.
Et aurum, & veſtem omnem ſuam eſſe ajebat, quicquid hæc haberet.
Cap. Nemo it inficias. *Cur.* Attamen meliuſculum eſt monere.
Lyc. Memento promiſiſſe te, ſi quiſquam hanc liberali
Cauſſa manu aſſereret, mihi omne argentum redditum iri,
Minas triginta. *Cap.* Meminero, de iſtoc quietus eſto.
Et nunc idem dico. *Cur.* Et commeminiſſe ego hæc volam te.
Cap. Memini, & mancipio tibi dabo. *Cur.* Egon' ut ab lenone quicquam.
Mancipio accipiam; quibus ſui nihil eſt, niſi una lingua
Qui abjurant, ſi quid creditum eſt. alienos mancupatis,
Alienos manumittitis, alieniſque imperatis.
Nec vobis auctor ullus eſt, nec voſmet eſtis ulli.
Item genus eſt lenonium inter homines, meo quidem animo,
Uti muſcæque, culiceſque, pedeſque, puliceſque.
Odio & malo & moleſtiæ: bono uſui eſtis nulli.
Nec vobiſcum quiſquam in foro frugi conſiſtere audet.
Qui conſtitit, culpant eum, conſpuitur, vituperatur:
Eum rem fidemque perdere, tametſi nihil fecit, ajunt.
Lyc. Edepol Lenones, meo animo, noviſti, luſce, lepide.
Cur. Eodem hercle vos pono & paro, pariſſumi eſtis iibus.
Hi ſaltem in occultis locis proſtant, vos in foro ipſo.
Vos fœnore, hi male ſuadendo, & luſtris lacerant homines.
Rogitationes plurimas propter vos populus ſcivit,
Quas vos rogatas rumpitis: aliquam reperitis rimam.
Quaſi aquam ferventem, frigidam eſſe, ita vos putatis leges.
Lyc. Tacuiſſe mavellem. *Cap.* An, male meditate male dicax es.
Cur. Indignis ſi male dicitur, maledictum id eſſe dico:
Verum ſi dignis dicitur, benedictum 'ſt, meo quidem animo.
Ego mancipem te nihil moror, nec lenonem alium quemquam.
Lyco, nunquid vis? *Lyc.* Bene vale. *Cur.* Vale. *Cap.* Heus tu, tibi ego dico.
Cur. Eloquere, quid vis? *Cap.* Quæſo ut hanc cures, bene ut ſit iſti.
Bene ego iſtam eduxi meæ domi & pudice. *Cur.* Si hujus miſeret,
Ecquid das, qui bene ſit? *Cap.* Malum. *Cur.* Tibi opus eſt hoc, qui te procures.
Cap. Quid ſtulta ploras? ne time, bene hercle vendidi ego te.
Fac ſis bonæ frugi ſies. ſequere iſtum bella belle.
Lyc. Summane, nunquid nunc jam me vis? *Cur.* Vale atque ſalve,
Nam & operam & pecuniam benigne præbuiſti.
Lyc. Salutem multam dicito patrono. *Cur.* Nunciabo.
Lyc. Nunquid vis, Leno? *Cur.* Iſtas minas decem, qui me procurem,
Dum melius ſit mihi, des. *Lyc.* Dabuntur. cras peti jubeto.
Cap. Quando bene geſſi rem, volo hic in fano ſupplicare.
Nam illam minis olim decem puellam parvolam emi.
Sed eum qui mihi illam vendidit, nunquam poſtilla vidi:
Periiſſe credo. quid id mea refert? ego argentum habeo.
Quoi homini dei ſunt propitii, lucrum ei profecto objiciunt.
Nunc rei divinæ operam dabo: certum eſt bene me curare

ACTUS IV. SCENA III.

Therapontigonus miles, *Lyco* trapezita.

NOn ego nunc mediocri incedo iratus iracundia,
Sed eapſe illa, qua excidionem facere condidici oppidis.

Nunc

Nunc niſi tu mihi propere properas dare jam triginta minas,
Quas ego apud te depoſivi, vitam propera ponere.
Lyc. Non edepol nunc ego te mediocri macto infortunio:
Sed eopſe illo, quo mactare ſoleo, quoi nihil debeo.
Ther. Ne te mihi facias ferocem, aut ſupplicare cenſeas.
Lyc. Nec tu me quidem unquam ſubiges, redditum ut reddam tibi,
Nec daturus ſum. *Ther.* Idem ego iſtuc quom credebam, credidi
Te nihil eſſe redditurum. *Lyc.* Cur nunc a me igitur petis?
Ther. Scire volo quoi reddidiſti. *Lyc.* Luſco liberto tuo,
Is Summanum ſe vocari dixit, ei reddidi,
Qui has tabellas obſignatas attulit. *Ther.* Quas tu mihi tabulas,
Quos tu mihi luſcos libertos, quos Summanos ſomnias?
Nec mihi quidem libertus ullu'ſt. *Lyc.* Facis ſapientius,
Quam pars latronum, libertos qui habent, & eos deſerunt.
Ther. Quid feciſti? *Lyc.* Quod mandaſti, feci tui honoris gratia;
Tuum qui ſignum ad me attuliſſet, nuncium ne ſpernerem.
Ther. Stultior ſtulto fuiſti, qui iis tabellis crederes.
Lyc. Queis res publica & privata geritur, nonne iis crederem?
Ego abeo. tibi res ſoluta'ſt recte. bellator vale!
Ther. Quid valeam? *Lyc.* At tu ægrota, ſi lubet, per me, ætatem quidem.
Ther. Quid ego nunc faciam? quid refert me feciſſe regibus,
Ut mihi obedirent, ſi hic me hodie umbraticus deriſerit?

ACTUS IV. SCENA IV.

Cappadox leno, *Miles*.

QUoi homini dii ſunt propitii, ei non eſſe iratos puto.
Poſtquam rem divinam feci, venit in mentem mihi,
Ne trapezita exulatum abierit, argentum ut petam:
Ut ego potius comedim, quam ille. *Mil.* Juſſeram ſalvere te.
Cap. Therapontigonoplatagidore, ſalve! ſalvos quom advenis
In Epidaurum, hic hodie apud me nunquam delinges ſalem.
Mil. Bene vocas, verum vocata res eſt, ut male ſit tibi.
Sed quid agit meum mercimonium apud te? *Cap.* Nihil apud me quidem.
Ne facias teſtes: neque equidem debeo quidquam. *Mil.* Quid eſt?
Cap. Quod fui juratus, feci. *Mil.* reddin', an non, virginem,
Priuſquam te huic meæ machæræ objicio, maſtigia?
Cap. Vapulare ego te vehementer jubeo. ne me territes.
Illa abducta eſt: tu auferere hinc a me, ſi perges mihi
Male loqui profecto: cui ego, niſi malum, nihil debeo.
Mil. Mihin' malum minitare? *Cap.* Atque edepol non minitabor, ſed dabo,
Mihi ſi pergis moleſtus eſſe. *Mil.* Leno minitatur mihi?
Meæque pugnæ præliares plurimæ obtritæ jacent?
At ita me machæra & clypeus
Bene juvent pugnantem in acie, niſi mihi virgo redditur,
Jam ego te faciam ut hic formicæ fruſtillatim differant.
Cap. At ita me volſellæ, pecten, ſpeculum, calamiſtrum meum
Bene me amaſſint, meaque axicia, linteumque exterſum,
Ut ego tua magnifica verba, neque iſtas tuas magnas minas
Non pluris facio, quam ancillam meam, quæ latrinam lavat.
Ego illam reddidi, qui argentum a te attulit. *Mil.* Quis is eſt homo?
Cap. Tuum libertum ſeſe ajebat eſſe Summanum. *Mil.* Meum?
Atat! Curculio hercle verba mihi dedit, quom cogito.
Is mihi annulum ſurripuit. *Cap.* perdidiſtin' tu annulum?
Miles pulchre centuriatus eſt expuncto in manipulo.
Mil. Ubi nunc Curculionem inveniam? *Cap.* In tritico facillume
Vel quingentos curculiones pro uno faxo reperias.
Ego abeo. vale atque ſalve. *Mil.* Male vale; male ſit tibi.
Quid ego faciam? maneam an abeam? ſiccine mihi eſſe os oblitum?
Cupio dare mercedem, qui illunc, ubi ſit, commonſtret mihi.

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

Curculio Paraſitus.

ANtiquom Poetam audivi ſcripſiſſe in Tragœdia,
MULIERES duas pejores eſſe, quam unam. res ita eſt.
Verum mulierem pejorem, quam hæc amica eſt Phædromi,
Non vidi, neque audivi; neque pol dici, nec fingi poteſt
Pejor, quam hæc eſt: quæ ubi me hunc habere conſpicata eſt annulum,
Rogat unde habeam. quid id tu quæris? quia mihi quæſito'ſt opus.
Nego me dicere. ut eum eriperet, manum arripuit mordicus.
Vix foras me abripui, atque effugi. apage iſtanc caniculam.

ACTUS V. SCENA II.

Planeſium virgo, *Phædromus* adoleſcens, *Curculio*, *Miles*.

PHædrome, propera. *Phæd.* Quid properem? *Plan.* Paraſitum ne omiſeris.
Magna res eſt. *Phæd.* Nulla eſt mihi: nam quam habui, abſumpſi celeriter.
Plan. Tene. *Phæd.* Quid negotii eſt? *Plan.* Rogita, unde iſtunc habeat annulum:
Pater iſtum meus geſtitavit. *Cur.* At pol mea matertera.
Plan. Mater ei utendum dederat. *Cur.* Pater tuus rurſum tibi.
Plan. Nugas garris. *Cur.* Soleo. nam propter eas vivo facilius.

Quid

Quid nunc? *Plan.* Obſecro, parenteſne meos mihi prohibeas?
Cur. Quid? ego ſub gemman' abſtruſos habeo tuam matrem & patrem?
Plan. Libera ego ſum nata. *Cur.* Et alii multi, qui nunc ſerviunt.
Plan. Enimvero iraſcor. *Cur.* Dixi equidem tibi, unde ad me hic pervenerit.
Quoties dicendum eſt? eluſi militem, inquam, in alea.
Mil. Salvos ſum: eccom, quem quærebam. quid agis, bone vir? *Cur.* Audio.
Si vis tribus bolis, vel in chlamydem. *Mil.* Quin tu is in malem crucem
Cum boletis, cum bulbis: redde etiam argentum, aut virginem.
Phæd.. Quod argentum, quas tu mihi tricas narras? quam tu virginem
Me repoſcis? *Mil.* Quam ab Lenone abduxti hodie, ſcelus viri.
Phæd. Nullam abduxi. *Mil.* Certe ecciſtam, video. *Phæd.* Virgo hæc libera eſt.
Mil. Mean' ancilla libera ut ſit? quam ego nunquam emiſi manu.
Phæd. Quis tibi hanc dedit mancipio? aut unde emiſti? fac ſciam.
Mil. Ego quidem pro iſtac rem ſolvi ab trapezita meo.
Quam ego pecuniam quadruplicem abs te & Lenone auferam.
Phæd. Qui ſcias mercari furtivas atque ingenuas virgines,
Ambula in jus. *Mil.* Non eo. *Phæd.* Licet te anteſtari? *Mil.* Non licet.
Phæd. Juppiter tete male perdat: inteſtatus vivito.
Cur. At ego, quem licet, te. *Phæd.* Accede huc. *Mil.* Servom anteſtari? vide.
Cur. Hem! ut ſcias me liberum eſſe. *Mil.* Ergo ambula in jus. hem tibi.
Cur. O cives, cives. *Mil.* Quid clamas? *Phæd.* Quid iſtum tibi tactio eſt?
Mil. Quia mihi libitum eſt. *Phæd.* Accede huc tu; ego illum tibi dedam. tace.
Cur. Phædrome, obſecro ſerva me. *Phæd.* Tanquam me & Genium meum.
Miles, quæſo ut mihi dicas, unde illunc habeas annulum,
Quem Paraſitus hic te eluſit. *Plan.* Per tua genua te obſecro,
Ut nos facias certiores. *Mil.* Quid iſtuc ad vos attinet?
Quæratis chlamydem & machæram hanc, unde ad me pervenerit.
Cur. Ut faſtidit glorioſus! *Mil.* Mitte iſtum: ego dicam omnia.
Cur. Nihil eſt, quicquid ille dicit. *Plan.* Fac me certiorem obſecro.
Mil. Ego dicam: ſurge. hanc rem agite, atque animum advortite.
Pater meus habuit Periphanes. *Plan.* Periphanes?
Mil. Is priuſquam moritur, mihi dedit tanquam ſuo, Ut æquom fuerat, filio. *Plan.* Pro Juppiter!
Mil. Et iſte me hæredem fecit. *Plan.* Pietas mea,
Serva me, quando ego te ſervavi ſedulo.
Frater mi, ſalve. *Mil.* Qui credam iſtuc ego? cedo,
Si vera memoras: quæ fuit mater tua?
Plan. Cleobula. *Mil.* Nutrix quæ fuit? *Plan.* Archeſtrata.
Ea me ſpectatum tulerat per Dionyſia.
Poſtquam illo ventum eſt, jam ut me collocaverat,
Exoritur ventus turbo: ſpectacula ibi ruunt:
Ego pertimeſco: tum ibi me neſcio quis arripit
Timidam atque pavidam, nec vivam, nec mortuam.
Nec, quo me pacto abſtulerit, poſſum dicere.
Mil. Meminiſtin' hanc turbam fieri? ſed tu dic mihi, ubi Is eſt homo, qui te ſurripuit? *Plan.* Neſcio.
Verum hunc ſervavi ſemper mecum una annulum.
Cum hoc olim perii. *Mil.* Cedo ut inſpiciam. *Cur.* Sanan' es,
Quæ iſti committas? *Plan.* Sine modo. *Mil.* Pro Juppiter!
Hic eſt quem ego tibi miſi natali die.
Tam facile novi, quam me. ſalve mea ſoror.
Plan. Frater mi, ſalve. *Phæd.* Deos volo bene vortere
Iſtam rem vobis. *Cur.* & ego nobis omnibus;
Tu ut hodie adveniens cœnam des ſororiam;
Hic nuptialem cras dabit. *Phæd.* Promittimus,
Mil. Tace tu. *Cur.* Non taceo, quando res vortit bene.
Tu iſtanc deſponde huic, Miles: ego dotem dabo.
Phæd. Quid dotis? *Cur.* Egone? ut ſemper, dum vivat, med alat.
Mil. Verum hercle dico, me lubente feceris;
Et leno hic debet nobis triginta minas.
Phæd. Quamobrem iſtuc? *Mil.* Quia ille ita repromiſit mihi:
Si quiſquam hanc liberali aſſeruiſſet manu,
Sine controverſia omne argentum redderet.
Phæd. Nunc eamus ad Lenonem. *Mil.* Laudo. *Phæd.* Hoc prius volo,
Meam rem agere. *Mil.* Quid id eſt? *Phæd.* Ut mihi hanc deſpondeas.
Cur. Quid ceſſas, Miles, hanc huic uxorem dare?
Mil. Si hæc vult. *Plan.* Mi frater, cupio. *Cur.* Fiat. *Cur.* Bene facis.
Phæd. Spondeſne, Miles, mihi hanc uxorem? *Mil.* Spondeo.
Cur. Et ego hoc idem unum ſpondeo. *Mil.* Lepide facis,
Sed eccum Lenonem, incedit, theſaurum meum.

ACTUS V. SCENA III.

Leno Cappadox, *Miles*, *Phædromus*, *Planeſium*.

Argentariis male credi qui ajunt, nugas prædicant.
Nam & bene & male credi dico: id adeo hodie ego expertus ſum.
Non male creditur, qui nunquam reddunt, ſed prorſum perit.
Velut decem minas dum hic ſolvit, omneis menſas tranſiit.
Poſtquam nihil fit, clamore hominem poſco. ille in jus me vocat.
Peſſume metui, ne mihi hodie apud Prætorem ſolveret.
Verum amici compulerunt, reddit argentum domo.
Nunc domum properare certum 'ſt. *Mil.* Heus tu Leno, te volo.
Phæd. Et ego te volo. *Cap.* At ego vos nolo ambos. *Mil.* Sta ſis illico,
Atque argentum propere propera vomere. *Cap.* Quid mecum eſt tibi?
Aut tecum? aut? *Mil.* Quia ego ex te hodie faciam pilum catapultarium:
Atque ita te nervo torquebo, itidem uti catapultæ ſolent.
Phæd. Delicatum te hodie faciam cum catello ut accubes,
Ferreo ego dico. *Cap.* At ego vos ambo in robuſto carcere
Ut pereatis. *Mil.* Collum obſtringe, abduce iſtum in malam crucem.

Phæd.

Phæd. Quid? quid eſt? ipſe ibit potius. *Cap.* Pro deum atque hominum fidem!
Hoccine pacto indemnatum atque inteſtatum me arripi?
Obſecro, Planeſium, & te, Phædrome, auxilium ut feras.
Plan. Frater, obſecro te, noli hunc indemnatum perdere.
Bene & pudice me domi habuit. *Mil.* Haud voluntate id ſua:
Æſculapio huic habeto, quom pudica es, gratiam.
Nam ſi is valuiſſet, jampridem, quoquo poſſet, mitteret.
Phæd. Animum advortite, ſi potiſſum hoc inter vos componere.
Mitte iſtunc. accede huc Leno. dicam meam ſententiam:
Siquidem voltis, quod decrero, facere. *Cap.* Tibi permittimus:
Dum quidem hercle ita judices, ne quiſquam a me argentum auferat.
Mil. Quodne promiſiſti? *Cap.* Qui promiſi? *Phæd.* Lingua. *Cap.* Eadem nunc nego.
Dicendi, non rem perdendi gratia hæc nata eſt mihi.
Mil. Nihil agit: collum obſtringe homini. *Cap.* Jam jam faciam ut juſſeris.
Mil. Quando vir bonus es, reſponde, quod rogo. *Cap.* Roga quod lubet.
Mil. Promiſtin', ſi liberali quiſquam hanc aſſereret manu,
Te omne argentum redditurum? *Cap.* Non commemini dicere.
Mil. Quid? negas? *Cap.* Nego hercle vero. quo præſente? quo in loco?
Mil. Meipſo præſente, & Lycone trapezita. *Cap.* Non taces?
Mil. Non taceo. *Cap.* Non ego te floccifacio; ne me territes.
Mil. Meipſo præſente, & Lycone factum eſt. *Phæd.* Satis credo tibi.
Nunc adeo, ut tu ſcire poſſis, Leno, meam ſententiam:
Libera hæc eſt, hic hujus frater eſt, hæc autem illius ſoror.
Hæc mihi nubet: tu huic argentum redde. hoc judicium meum eſt.
Mil. Tu autem in nervo jam jacebis, niſi mihi argentum redditur.
Cap. Hercle iſtam rem judicaſti perfidioſe, Phædrome,
Et tibi oberit: & te, Miles, di deæque perduint.
Tu me ſequere. *Mil.* Quo ſequar ego te? *Cap.* Ad trapezitam meum,
Ad Prætorem. nam inde rem ſolvo omnibus, quibus debeo.
Mil. Ego te in nervom, haud ad Prætorem hinc rapiam, ni argentum refers.
Cap. Ego te vehementer perire cupio, ne tu me neſcias.
Mil. Itane vero? *Cap.* Ita hercle vero. *Mil.* Novi ego hos pugnos meos.
Cap. Quid tum? *Mil.* Quid tum? rogitas? hiſce ego, ſi tu me irritaveris,
Placidum ted hodie reddam. *Cap.* Age ergo recipe actutum. *Mil.* Licet.
Phæd. Tu miles apud me cœnabis. hodie fient nuptiæ.
Mil. Quæ res bene vortat mihi & vobis, ſpectatores, plaudite, plaudite.

FINIS CURCULIONIS.

CASINA.

Dramatis Perſonæ.

PROLOGUS.	STALINO *ſenex.*
CHALINUS *ſervus.*	ALCESIMUS *ſenex.*
OLYMPIO *villicus.*	COQUUS.
CLEOSTRATA *uxor.*	ANCILLÆ.
PARDALISCA *ancilla.*	GREX.
MURRINA *mulier.*	

ARGUMENTUM.

Conſervam uxorem conſervi duo expetunt.
Alium ſenex allegat, alium filius.
Sors adjuvat ſenem: verum decipitur dolis.
Ita ei ſubjicitur pro puella ſervulus
Nequam, qui dominum multat atque villicum.
Adoleſcens ducit civem Caſinam cognitam.

PROLOGUS.

Salvere jubeo ſpectatores optumos,
Fidem qui maxumi facitis, & vos Fides.
Si verum dixi, ſignum clarum date mihi,
Ut vos mihi eſſe æquos jam inde a principio ſciam.
QUI UTUNTUR vino vetere, ſapientes puto,
Et qui libenter veteres ſpectant Fabulas.
Antiqua opera & verba quom vobis placent,
Æquom placere eſt ante veteres Fabulas.
Nam, NUNC NOVÆ quæ prodeunt, Comœdiæ,
Multo ſunt nequiores, quam nummi novi.
Nos poſtquam populi rumorem intelleximus,
Studioſe expetere vos PLAUTINAS FABULAS,
Antiquam illius edimus Comœdiam,
Quam vos probaſtis, qui eſtis in ſenioribus:
Nam juniorum qui ſunt, non norunt, ſcio.
Verum ut cognoſcant, dabimus operam ſedulo.
Hæc quom primum acta eſt, vicit omnes Fabulas.
Ea tempeſtate flos Poetarum fuit,
Qui nunc abierunt hinc in communem locum.
Sed abſentes tamen proſunt præſentibus.
Vos omnes opere magno eſſe oratos volo,
Benigne ut operam detis ad noſtrum gregem.
Ejicite ex animo curam atque alienum æs:
Ne quis formidet flagitatorem ſuum.
Ludi ſunt. ludus datus eſt argentariis.
Tranquillum eſt: Alcedonia ſunt circum forum,
Ratione utuntur, ludis poſcunt neminem,
Secundum ludos reddunt autem nemini.
Aures vacivæ ſi ſunt, animum advortite:
Comœdiæ jam nomen dare vobis volo.
CLERUMENOE vocatur hæc Comœdia
Græce, Latine SORTIENTES. Diphilus
Hanc Græce ſcripſit, poſt id rurſum denuo
Latine PLAUTUS cum latranti nomine.
Senex hic maritus habitat: ei eſt filius;
Is una cum patre in illiſce habitat ædibus.
Eſt ei quidam ſervos, qui in morbo cubat,
Imo hercle vero in lecto, ne quid mentiar.
Is ſervos, ſed abhinc annos factum eſt ſedecim,
Quom conſpicatus eſt primo crepuſculo
Puellam exponi; adit extemplo ad mulierem,
Quæ illam exponebat: orat, ut eam det ſibi:
Exorat,

Exorat, aufert, detulit recta domum:
Dat heræ ſuæ, orat ut eam curet, educet.
Hera facit, educavit magna induſtria,
Quaſi ſi eſſet ex ſe nata, non multo ſecus.
Poſteaquam adolevit ad eam ætatem, uti viris
Placere poſſet, amare puellam eam hic ſenex
Efflictim occipit; ut item hujus contra filius.
Sibi nunc uterque contra legiones parat,
Paterque, filiuſque, clam alter alterum.
Pater allegavit villicum, qui poſceret
Sibi illam uxorem: is ſperat, ſi eii ſit data,
Sibi fore paratas, clam uxorem, excubias foris.
Filius autem armigerum allegavit ſuum,
Qui ſibi eam uxorem poſcat. ſcit, ſi id impetret,
Futurum, quod amat, intra præſepes ſuas.
Uxor ſenis ſenſit virum amori operam dare,
Propterea ea una conſentit cum filio.
Ille autem poſtquam ſenſit filium ſuum
Eandem illam amare, & eſſe impedimento ſibi,
Hinc adoleſcentem peregre ablegavit pater.
Sciens ejus mater ei dat operam, abſenti tamen.
Is, ne expectetis, hodie in hac Comœdia
In urbem non redibit: PLAUTUS noluit:
Pontem interrupit, qui erat ei in itinere.
Sunt hic, quos credo nunc inter ſe dicere:
Quæſo hercle quid iſtuc eſt: ſerviles nuptiæ?
Servine uxorem ducent, aut poſcent ſibi?
Novom attulerunt, quod fit nuſquam gentium.
At ego ajo hoc fieri in Græcia & Carthagini,
Et hic in noſtra terra in Apulia.
Majoreque opera ibi ſerviles nuptiæ,
Quam liberales etiam curari ſolent.
Id ni fit, mecum pignus, ſi quis volt, dato
In urnam mulſi, Pœnus dum judex ſiet,
Vel Græcus adeo, vel mea cauſſa Apulus.
Quid nunc? nihil agitis, ſentio; nemo ſitit.
Revortor ad illam puellam expoſititiam,
Qua ſervi ſumma vi ſibi uxorem expetunt.
Ea invenietur & pudica & libera,
Ingenua Athenienſis: neque quicquam ſtupri
Faciet profecto in hac quidem Comœdia,
Mox hercle vero poſt, tranſacta fabula,
Argentum ſi quis dederit, ut ego ſuſpicor,
Ultro ibit nuptum: non manebit auſpices.
Tantum eſt. valete, bene rem gerite, & vincite
Virtute vera, quod feciſtis antidhac.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Olympio, Chalinus.

NOn mihi licere meam rem me ſolum, ut volo,
Loqui atque cogitare, ſine ted arbitro?
Quid tu (malum) me ſequere? *Chal.* Quia certum eſt mihi,
Quaſi umbra, quoquo ibis tu, te perſequi.
Quin edepol etiam, ſi in crucem vis pergere,
Sequi decretum eſt. dehinc conjicito cæterum,
Poſſiſne, necne, clam me ſutelis tuis
Præripere Caſinam uxorem, proinde ut poſtulas.
Olymp. Quid tibi negoti mecum eſt? *Chal.* Quid ais impudens?
Quid in urbe reptas villice hic magni pretii?
Olymp. Libet. *Chal.* Quin ruri es in præfectura tua?
Quin potius, quod legatum eſt tibi negotium,
Id curas, atque urbanis rebus te abſtines?
Quid huc veniſti ſponſam præreptum meam?
Abi rus, abi directus tuam in provinciam.
Olymp. Chaline, non ſum ego oblitus officium meum.
Præfeci, rure recte qui curet tamen.
Ego, huc quod veni in urbem, ubi impetravero,
Uxorem ut iſtanc ducam, quam tu deperis,
Bellam & tenellam Caſinam, conſervam tuam:
Quando ego eam mecum rus uxorem abduxero,
Rure incubabo uſque in præfectura mea.
Chal. Tun' illum ducas? hercle me ſuſpendio,
Quam tu ejus potiôr fias, ſatius eſt mortuum.
Olymp. Mea præda eſt illa: proin' tu te in laqueum induas.
Chal. Ex ſterquilinio effoſſe, tua illæc præda ſit?
Olymp. Scies hoc ita eſſe. væ tibi! quot te modis,
Si vivo, habebo in nuptiis miſerum meis?
Chal. Quid tu mihi facies? *Olymp.* Egone quid faciam tibi?
Primum omnium huic lucebis novæ nuptæ facem.
Poſtilla, ut ſemper improbus nihilque ſis.
Poſt id locorum, quando ad villam veneris,
Dabitur tibi amphora una, & una ſemita,
Fons unus, unum ahenum, & octo dolia:
Quæ niſi erunt ſemper plena, ego te implebo flagris.
Ita te aggerunda curvom aqua faciam probe,
Ut poſtilena poſſit ex te fieri.
Poſt autem, ruri niſi tu acervom ederis;
Aut quaſi lumbricus, terram: quod te poſtules
Guſtare quicquam: nunquam edepol jejunium
Jejunium eſt æque, atque ego ruri reddibo te.
Poſt id, quom laſſus fueris & famelicus,
Noctu ut condigne te cubes, curabitur.
Chal. Quid facies? *Olymp.* Concludere in feneſtram firm iter,
Unde auſcultare poſſis, quom ego illanc oſculer:
Quom mihi illa dicet: Mi animule, mi Olympio,
Mea vita, mea mellilla, mea feſtivitas,
Sine tuos ocellos deoſculer, voluptas mea,
Sine amabo ted amari, meus feſtus dies,
Meus pullus paſſer, mea columba, mi lepus.
Quom mihi hæc dicentur dicta, tum tu furcifer,
Quaſi mus, in medio pariete verſabere.
Nunc ne tu te mihi reſpondere poſtules,
Abeo intro: tædet ſermonis tui. *Chal.* Te ſequor.
Hic quidem pol certo nihil ages ſine me arbitro.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

Cleoſtrata, Pardaliſca ancilla.

OBſignate cellas, referte annulum ad me:
Ego huc tranſeo in proxumum ad meam vicinam.
Vir ſi quid volet me, facite hinc me arceſſatis.
Par. Prandium juſſerat ſenex ſibi parari.
Cle. St, tace, atque abi. neque paro, neque hodie
Coquetur, quando is mihi & filio advorſatur
Suo, animique amoriſque cauſſa ſui.
Flagitium illud hominis: ego illum fame, ego illum
Siti, maledictis, malefactis, amatorem
Ulciſcar: ego pol illum probe incommodis
Dictis angam: faciam uti, proinde ut eſt dignus,
Vitam colat. Acheruntis pabulum, flagitii
Perſequentem, ſtabulum nequitiæ. nunc hinc

Meas fortunas eo queſtum ad vicinas:
Sed foris concrepuit. atque ea ipſa eccam egreditur
Foras. non pol per tempus iter mihi incepi.

ACTUS II. SCENA II.

Murrina, Cleoſtrata,

SEquimini comites in proxumum me huc.
Heus vos, ecquis hæc quæ loquar audit? ego hic ero,
Vir ſi, aut quiſpiam quæret. nam ubi domi ſola ſum,
Sopor manus calvitur. Juſſin' colum
Ferri mihi? *Cle.* Murrina ſalve. *Mur.* Salve
Mecaſtor. ſed quid tu es triſtis amabo?
Cle. Ita ſolent omnes, quæ ſunt male nuptæ:
Domi & foris ægre quod ſit, ſatis ſemper eſt.
Nam ego ibam ad te. *Mur.* Et pol ego iſtuc ad te. ſed quid eſt,
Quod tuo nunc animo ægre eſt? nam quod tibi eſt
Ægre, idem mihi eſt dividiæ. *Cle.* Credo ecaſtor:
Nam vicinam neminem amo merito magis quam te:
Nec quacum plura ſunt mihi, quæ ego velim.
Mur. Amo te, atque iſtuc expeto ſcire quid ſit.
Cle. Vir me habet peſſumis deſpicatam modis,
Nec mihi jus meum obtinendi optio eſt.
Mur. Hem, quid eſt? dic idem hoc: nam pol haud ſatis meo
Corde accepi querelas tuas, obſecro.
Cle. Vir me habet peſſumis deſpicatam modis.
Mur. Mira ſunt, vera ſi prædicas. nam viri
Jus ſuum ad mulieres obtinere haud queunt.
Cle. Quin mihi ancillulam ingratis poſtulat, quæ mea eſt,
Quæ meo educata ſumptu eſt, villico ſuo ſe dare.
Sed ipſus eam amat. *Mur.* Obſecro tace. *Cle.* Nam hic nunc,
Licet dicere, nos ſumus. *Mur.* Ita eſt. unde ea tibi eſt?
Nam PECULI probam nihil habere addecet
Clam virum: & quæ habet partum, ei haud commodi eſt,
Quin viro aut ſubtrahat, aut ſtupro invenerit.
Hoc viri cenſeo eſſe omne, quicquid tuum eſt.
Cle. Tu quidem adverſum tuam amicam omnia loqueris.
Mur. Tace ſis ſtulta, & mihi auſculta: noli ſis tu illi
Advorſari. ſine amet, ſine quod libet, id faciat;
Quando tibi nil domi deliquom eſt.
Cle. Satin' ſana es? nam tu quidem advorſus tuam iſta rem
Loquere. *Mur.* Inſipiens! ſemper tu huic verbo vitato
Abs tuo viro. *Cle.* Cui verbo? *Mur.* I foras mulier. *Cle.* ſt!
Tace. *Mur.* Quid eſt? *Cle.* Hem. *Mur.* Quis eſt, quem vides? *Cle.* Vir eccum it.
Mur. Intro abi, appropera age amabo! *Cle.* Impetras.
Abeo. *Mur.* Mox magis cum otium mihi & tibi erit,
Igitur tecum loquar. nunc vale. *Cle.* Valeas.

ACTUS II. SCENA III.

Stalino ſenex, *Cleoſtrata* uxor.

OMnibus rebus ego amorem credo, & nitoribus nitidis antevenire.
Nec potis quicquam commemorari, quod plus ſalis, pluſque leporis hodie
Habeat. cocos equidem nimis demiror, qui tot utuntur condimentis,
Eos eo condimento uno non utier, omnibus quod præſtat.
Namque ubi amor condimentum inerit, cuivis placiturum credo.
NEQUE SALSUM, neque ſuave eſſe poteſt quicquam, ubi amor non admiſcetur.
Fel quod amarum eſt, id mel faciet: homine ex triſti lepidum & lenem.
Hanc ego de me conjecturam domi facio, magis quam ex auditis.
Qui poſtquam amo Caſinam, magis initio munditiis munditiam antideo.
Myropolas omnes ſolicito, ubicunque eſt lepidum unguentum, unguor,
Ut illi placeam, & placeo, ut videor. ſed uxor me excruciat, quia vivit.
Triſtem aſtare aſpicio. blande hæc mihi mala res eſt appellanda.
Uxor mea, meaque amœnitas, quid tu agis? *Cle.* Abi, atque abſtine manum.
Stal. Eja mea Juno! non decet te eſſe tam triſtem tuo Jovi.
Quo nunc abis? *Cle.* Mitte me. *Stal.* Mane. *Cle.* Non maneo *Stal.* At pol ego te ſequar.
Cle. Obſecro, ſanun' es? *Stal.* Sanus, quando ted amo. *Cle.* Nolo ames. *Stal.* Non
Potes impetrare. *Cle.* Enecas. *Stal.* Vera dicas velim. *Cle.* Credo ego
Iſtuc tibi. *Stal.* Reſpice, oh! mi lepos. *Cle.* Nempe ita uti tu mihi es.
Unde hic, amabo, unguenta adolent? *Stal.* Oh, perii manifeſto miſer
Teneor. ceſſo caput pallio detergere? uti te bonus
Mercurius perdat myropola, qui hæc mihi dediſti. *Cle.* Eho tu
Nihili cana culex: vix teneor, quin, quæ decent te, dicam,
Senecta ætate unguentatus per vias incedis, ignave.
Stal. Pol ego amico dedi cuidam operam, dum emit
Unguenta. *Cle.* Ut cito commentatus eſt!
Ecquid te pudet? *Stal.* Omnia quæ tu vis. *Cle.* Ubi in luſtra jacuiſti?
Stal. Egone in luſtra. *Cle.* Scio plus, quam tu me arbitrare. *Stal.* Quid id eſt?
Quid tu ſcis? *Cle.* Te ſene omnium ſenem neminem eſſe ignaviorem.
Unde is nihili? ubi fuiſti? ubi luſtratus? ubi bibiſti?
Id eſt mecaſtor: vide, palliolum ut rugat. *Stal.* Di me & te infelicitent,
Si ego in os meum hodie vini guttam indidi. *Cle.* Imo age ut lubet,
Bibe, es, diſperde rem. *Stal.* Ohe, jam ſatis uxor eſt: comprime te: nimium tinnis.
Relinque aliquantum orationis, cras quod mecum litiges.
Sed quid ais? jam domuiſti animum, potius ut quod vir velit
Fieri, id facias quam advorſere contra. *Cle.* Qua de re? *Stal.* Rogas?
Super ancilla Caſina, ut detur nuptum noſtro villico,
Servo frugi: atque ubi illi bene ſit, ligno, aqua calida, cibo,
Veſtimentis, ubique educat pueros, quos pariat,
Potius quam illi ſervo nequam des armigero, nihili atque improbo.
Cui homini hodie peculi nummus non eſt plumbeus.
Cle. Mirum mecaſtor te ſenecta ætate officium tuum

Non

Non meminiſſe? *Stal.* Quid jam? *Cle.* Quia, ſi facias recte aut commodes,
Me ſinas curare ancillas, quæ mea eſt curatio.
Stal. Qui (malum) homini ſcutigerulo dare jubet? *Cle.* Quia enim filio
Nos oportet opitulari unico. *Stal.* At quanquam unicu'eſt,
Nihilo magis unicus eſt ille mihi filius, quam ego illi pater:
Illum mihi æquius eſt, quam me illi, quæ volo, concedere.
Cle. Tu ecaſtor tibi, homo, malam rem quæris. *Stal.* Subolet, ſentio.
Egone? *Cle.* Tu. nam quid friguttis? quid iſtuc tam cupide cupis?
Stal. Ut enim frugi ſervo detur potius, quam ſervo improbo.
Cle. Quid ſi ego impetro, atque exoro a villico, cauſſa mea
Ut eam illi permittat? *Stal.* Quid ſi ego autem ab armigero impetro,
Eam illi permittat? atque hoc credo impetraſſere.
Cle. Convenit. vis tuis Chalinum huc evocem verbis foras?
Tu eum orato, ego autem orabo villicum. *Stal.* Sane volo.
Cle. Jam hic erit. nunc experiemur, noſtrum uter ſit blandior.
Stal. Hercules dique iſtam perdant, quod nunc liceat dicere.
Ego diſcrucior miſer amore: illa autem quaſi ob induſtriam
Mihi advorſatur. ſubolet hoc jam uxori, quod ego machinor:
Propter eam rem magis armigero dat operam de induſtria.

ACTUS II. SCENA IV.

Stalino ſenex, *Chalinus* ſervus.

QUi illum dii omnes deæque perdant. *Chal.* Te uxor ajebat tua
Me vocare. *Stal.* Ego enim vocari juſſi. *Chal.* Eloquere quid velis.
Stal. Primum ego te porrectiore fronte volo mecum loqui.
Chal. STULTITIA EST ei te eſſe triſtem, cujus poteſtas plus poteſt.
Stal. Pro! bonæ frugi hominem te jampridem eſſe arbitror. *Chal.* Intellego.
Quin, ſi ita arbitrare, emittis me manu? *Stal.* Quin id volo.
Sed nihil eſt, cupere me factum, niſi tu factis adjuvas.
Chal. Quod velis modo id velim me ſcire. *Stal.* Auſculta ergo: loquar:
Caſinam ego uxorem promiſi villico noſtro dare.
Chal. At tua uxor, filiuſque promiſerunt mihi. *Stal.* Scio.
Sed utrum nunc tu, cælibem eſſe te mavis liberum,
An maritum ſervom ætatem degere & gnatos tuos?
Optio hæc tua eſt: utram harum vis conditionem accipe.
Chal. Liber ſi ſim, meo periculo vivam; nunc vivo tuo.
De Caſina certum eſt concedere homini nato nemini.
Stal. Intro abi, atque actutum uxorem huc evoca ante ædes cito.
Et ſitellam huc tecum efferto cum aqua & ſortes. *Chal.* Satis placet?
Stal. Ego pol iſtam jam aliquovorſum tragulam decidero.
Nam ſi ſic nihil impetrare potero, ſaltem ſortiar.
Ibi ego te & ſuffragatores tuos ulciſcar. *Chal.* Attamen
Mihi obtinget ſors. *Stal.* Ut quidem pol pereas cruciatu malo.
Chal. Mihi illa nubet; machinare quod lubet, quovis modo.
Stal. Abin' hinc ab oculis? *Chal.* invitus me vides: vivam tamen.
Stal. Summe ego miſer homo! ſatin' omnes res ſunt advorſæ mihi!
Jam metuo, ne Olympionem mea uxor exoraverit,
Ne Caſinam ducat. ſi id factum eſt, ecce me nullum ſenem:
Si non impetravit, etiam ſpecula in ſortitu 'ſt mihi.
Si ſors autem decollaſſit, gladium faciam culcitram,
Eumque incumbam. ſed progreditur optume, eccum, Olympio.

ACTUS II. SCENA V.

Olympio villicus, *Stalino* ſenex.

UNa edepol opera in furnum calidum condito,
Atque ibi torreto me pro pane rubido, hera,
Quam iſtam operam a med impetres, quod poſtulas.
Stal. Salvos ſum, ſalva ſpes eſt, ut verba audio.
Olymp. Quid tu me vero libertate territas?
Quid ſi tu nolis, filiuſque etiam tuus,
Vobis invitis atque amborum ingratiis
Una libella liber poſſum fieri.
Stal. Quid iſtuc eſt? quicum litigas, Olympio?
Olymp. Cum eadem qua tu ſemper. *Stal.* Cum uxorene mea?
Olymp. Quam tu mihi uxorem? quaſi venator tu quidem es;
Dies atque noctes cum cane ætatem exigis.
Stal. Quid ait? quid loquitur tecum? *Olymp.* orat, obſecrat,
Ne Caſinam uxorem ducam. *Stal.* Quid tu poſtea?
Olymp. Negavi enim ipſi me conceſſurum Jovi,
Si is mecum oraret. *Stal.* Di te ſervaſſint mihi.
Olymp. Nunc in fermento tota eſt, ita turget mihi.
Stal. Edepol ego illam mediam diruptam velim.
Olymp. Credo edepol eſſe, ſiquidem tu frugi bonæ es.
Verum edepol tua mihi odioſa eſt amatio:
Inimica eſt tua uxor mihi, inimicus filius,
Inimici familiares. *Stal.* Quid id refert tua?
Unus tibi hic dum propitius ſit Juppiter,
Tu iſtos minutos cave deos flocciſeceris.
Olymp. Nugæ ſunt iſtæ magnæ. quaſi tu neſcias
Repente ut emoriantur humani Joves.
Sed tandem ſi tu Juppiter ſis emortuos,
Quom ad deos minores redierit regnum tuum,
Quis mihi ſubveniet tergo, aut capiti, aut cruribus?
Stal. Opinione melius res tibi habeat tua,
Si hoc impetramus, ut ego cum Caſina cubem.
Olymp. Non hercle opinor poſſe, ita uxor acriter
Tua inſtat, ne mihi detur. *Stal.* At ego ſic agam:
Conjiciam ſorteis in ſitellam, & ſortiar
Tibi & Chalino. ita rem natam eſſe intellego.
Neceſſum eſt vorſis gladiis depugnarier.
Olymp. Quid ſi ſors aliter, quam voles, evenerit?
Stal. Benedice. dis ſum fretus; deos ſperabimus.
Olymp. Non ego iſtuc verbum emiſſim titivilitio.
Nam omnes mortales deis ſunt freti: ſed tamen

Vidi ego diis fretos ſæpe multos decipi.
Stal. Tace parumper. *Olymp.* Quid vis? *Stal.* Eccum exit foras
Chalinus intus cum ſitella & ſortibus.
Nunc nos collatis ſignis depugnabimus.

ACTUS II. SCENA VI.

Cleoſtrata uxor, *Chalinus*, *Stalino*, *Olympio*.

FAce Chaline me certiorem, quid meus vir me velit.
Chal. Ille edepol videre ardentem te extra portam Metiam.
Cle. Credo ecaſtor vellet. *Chal.* At pol ego haud credo ſed certo ſcio.
Stal. Plus artificum eſt mi quam rebar. ariolum hunc habeo domi.
Quid ſi propius attollamus ſigna, eamuſque obviam?
Sequere, quid vos agitis? *Chal.* Adſunt quæ imperaviſti omnia,
Uxor, ſortes, ſitula, atque egomet. *Stal.* Te uno adeſt pluſquam ego volo.
Chal. Tibi quidem edepol ita videtur: ſtimulus ego nunc ſum tibi.
Eo dico, corculum aſſudaſſit jam ex metu. *Stal.* Maſtigia.
Cle. Tace Chaline comprime iſtum. *Olymp.* Imo iſtunc, qui didicit dare.
Stal. Appone hic ſitellam, ſortes cedo mihi: animum advortite:
Atque ego cenſui abs te poſſe hoc me impetrare, uxor mea,
Caſina ut uxor mihi daretur: & nunc etiam cenſeo.
Cle. Tibi daretur illa? *Stal.*. Mihi enim? ah, non id volui dicere:
Dum mihi volui, huic dixi: atque adeo dum mihi cupio, perperam
Jamdudum hercle fabulor. *Cle.* Pol tu quidem, atque etiam facis.
Stal. Huic, imo hercle mihi. vah! tandem redii vix veram in viam.
Cle. Per pol ſæpe peccas. *Stal.* Ita fit, ubi quid tantopere expetas.
Sed te uterque ſuo pro jure, ego atque hic oramus. *Cle.* Quid eſt?
Stal. Dicam enim, mea mulſa: de iſtac Caſina huic noſtro villico
Gratiam facias. *Cle.* At pol ego neque facio, neque cenſeo.
Stal. Tum igitur ego ſortes utrinque jam mittam. *Cle.* Quid vetat?
Stal. Optumum atque æquiſſumum iſtud eſſe jure judico.
Poſtremo, ſi illud quod volumus eveniet, gaudebimus:
Sin ſecus, patiemur animis æquis. tene ſortem tibi.
Vide quod ſcriptum eſt. *Olymp.* Unum. *Chal.* Iniquum eſt, quia iſti prius quam mihi eſt.
Stal. Accipe hanc tu. *Chal.* Cedo, mane: unum venit in mentem modo.
Vide, ne qua illic inſit alia ſortis ſub aqua. *Stal.* Verbero.
Men' te cenſes eſſe? nulla eſt: habe quietum animum modo.
Chal. Quod bonum atque fortunatum ſit mihi, tuum magnum malum.
Olymp. Tibi quidem edepol credo eveniet: novi pietatem tuam.
Sed manedum: num iſta aut populna ſors aut abjegna eſt tua?
Chal. Quid tu id curas? *Olymp.* Quia enim metuo, in aqua ne ſumma natet.
Stal. Euge: cave. conjicite ſortes nunc jam amabo huc. ecce re,
Uxor, æqua. *Olymp.* Nolim uxori credere. *Stal.* Habe animum bonum.
Olymp. Credo hercle hodie devorabit ſorteis, ſi attigerit. *Chal.* Tace.
Olymp. Taceo; deoſque quæſo. *Chal.* Tu ut quidem hodie canem & furcam feras.
Olymp. Mihi ut ſortitio eveniat. *Chal.* Ut quidem hercle pedibus pendeas.
Olymp. At tu ut oculos emungare ex capite per naſum tuos.
Quid times? paratum oportet eſſe jam laqueum tibi.
Periiſti. *Stal.* Animum advortite amabo. *Olymp.* Taceo. *Stal.* Nunc tu, Cleoſtrata,
Ne a me memores malitioſe de hac re factum, aut ſuſpices,
Tibi permitto: tute ſorti. *Olymp.* Perdis me. *Chal.* Lucrum facit.
Cle. Bene facis. *Chal.* Deos quæſo, ut tua ſors ex ſitella effugerit.
Olymp. Ain' tu? quia tu es fugitivos, omnes te imitari cupis.
Sed utinam tua quidem, ſicut Herculeis prædicant
Quondam prognatis, iſta in ſortiendo ſors delicuerit.
Chal. Tu ut liqueſcas, ipſe actutum virgis calefactabere.
Stal. Hoc agesis Olympio. *Olymp.* Si hic litteratus me ſinat.
Stal. Quod bonum atque fortunatum mihi ſit. *Olymp.* Ita vero, & mihi.
Chal. Non. *Olymp.* Imo hercle. *Chal.* Imo mihi hercle. *Stal.* Hic vincet, tu vives miſer.
Præcide os tu illi hodie. age, ecquid fit? *Cle.* Ne objexis manum.
Olymp. Compreſſan' palma an porrecta ferio? *Stal.* Age, ut vis. *Olym.* Hem tibi.
Cle. Quid tibi iſtunc tactio eſt? *Olymp.* Quia Juppiter juſſit meus.
Cle. Feri malam tu illi rurſum. *Olymp.* Perii, pugnis cædor, Juppiter.
Stal. Quid tibi tactio hunc fuit? *Chal.* Quia juſſit hæc Juno mea.
Stal. Patiundum eſt, ſiquidem me vivo mea uxor imperium exhibet.
Cle. Tam huic loqui licere oportet, quam iſti. *Olymp.* Cur omen mihi
Vituperat? *Stal.* Malo Chaline tibi cavendum cenſeo.
Chal. Tempori, poſtquam oppugnatum eſt os. *Stal.* Age, uxor mea, nunc jam
Sorti. vos advortite animum: præbe tu. *Olymp.* Ubi ſim neſcio.
Perii: cor lienoſum opinor habeo, jamdudum ſalit:
De labore pectus tundit. *Cle.* Teneo ſortem. *Stal.* Effer foras.
Chal. Jamne mortuus? *Olymp.* Oſtende mea eſt. *Chal.* Mala crux ea eſt quidem.
Cle. Victus es, Chaline. *Stal.* Tum nos diu vivere Olympio,
Gaudeo. *Olymp.* Pietate factum eſt mea, atque majorum meum.
Stal. Intro abi uxor, atque adorna nuptias. *Cle.* Faciam ut jubes.
Stal. Scin' tu ruri eſſe ad villam longe, quo ducat? *Cle.* Scio. *Stal.* intro abi.

Et quanquam hoc tibi eſt ægre, tamen fac accures *Cle.* Licet.
Stal. Eamus nos quoque intro, hortemur ut properent. *Olymp.* Num quid moror?
Stal. Nam præſente hoc plura verba non deſidero.

ACTUS II. SCENA VII.

Chalinus ſervus.

SI nunc me ſuſpendam, meam operam luſerim,
Et præter operam reſtim ſumpti fecerim,
Et meis inimicis voluptatem creaverim.
Quid opus eſt, qui ſic mortuus? equidem tamen
Sorti ſum victus. Caſina nubet villico.
Atque id non tam ægre 'ſt jam viciſſe villicum,
Quam id expetiviſſe opere tam magno ſenem,
Ne ea mihi daretur, atque ut illi nuberet.
Ut ille trepidabat! ut feſtinabat miſer!
Ut ſuſſultabat, poſtquam vicit villicus!
Atat concedam huc: audio aperiri fores
Mihi benevolenteis: atque a me prodeunt.
Hinc ex inſidiis hiſce ego inſidias dabo.

ACTUS II. SCENA VIII.

Olympio villicus, *Stalino* ſenex, *Chalinus*.

SIne modo rus veniat. ego remittam ad te virum
Cum furca in urbem, tanquam carbonarium.
Stal. Ita fieri oportet. *Olymp.* Factum & curatum dabo.
Stal. Volui Chalinum, ſi domi eſſet, mittere
Tecum obſonatum, ut etiam in mœrore inſuper
Inimico noſtro miſeriam hanc adjungerem.
Chal. Receſſim cedam ad parietem, imitabor nepam.
Captandus eſt horum clanculum ſermo mihi.
Nam illorum me alter cruciat, alter macerat.
At candidatus cedit hic maſtigia:
Stimulorum loculi. protollo mortem mihi.
Certum eſt, hunc Acheruntem præmittam prius.
Olymp. Ut tibi ego inventus ſum obſequens! quod maxume
Cupiebas, ejus copiam feci tibi.
Erit hodie tecum, quod amas, clam uxorem. *Stal.* Tace.
Ita me di bene ament, ut ego vix reprimo labra,
Ob iſtam rem quin te deoſculer, voluptas mea.
Chal. Quid? deoſculer? quæ res eſt? voluptas quæ tua?
Olymp. Ecquid amas nunc me? *Stal.* Imo edepol me, quam te minus.
Licetne amplecti te? *Olymp.* Quid? amplecti licet?
Stal. Ut quia te tango, mel mihi videor lingere!
Chal. Effodere hercle hic volt, credo, veſicam villico.
Olymp. Ultro te amator, apage te a me. *Chal.* Hoc ſis vide.
Olymp. Apage te tandem amator a dorſo meo.
Chal. Hodie hercle, opinor, hice conturbabunt pedes:
Solet hic barbatos ſane ſectari ſenex.
Profecto hinc illud eſt, hinc illud eſt, quod hic
Olympionem fecit iſtum villicum.
Idem me pridem, cum ei advorſum veneram,
Facere atrienſem voluerat ſub janua.
Olymp. Ut tibi morigerus hodie, ut voluptati fui!
Stal. Ut tibi, dum vivam, bene velim plus quam mihi!
Ut ego hodie Caſinam deoſculabor! ut mihi
Bona multa faciam, clam meam uxorem! *Chal.* Attate,
Nunc pol ego demum in rectam redii ſemitam.
Hic ipſus Caſinam deperit. habeo viros. *Stal.* Jam
Hercle amplexari, jam oſculari geſtio.
Olymp. Sine prius deduci. quid (malum) properas? *Stal.* Amo.
Olymp. At non opinor fieri hoc poſſe hodie. *Stal.* Poteſt,
Siquidem cras cenſes poſſe te mitti manu.
Chal. Enimvero huc aures magis ſunt adhibendæ mihi.
Jam ego uno in ſaltu lepide apros capiam duos.
Stal. Apud hunc ſodalem meum atque vicinum mihi
Locus eſt paratus. ei ego amorem omnem meum
Concredui: is mihi ſe locum dixit dare.
Olymp. Quid ejus uxor? ubi erit? *Stal.* Lepide repperi.
Mea uxor vocabit huc eam ad ſe in nuptias,
Ut hic ſit ſecum, ſe adjuvet, ſecum cubet.
Ego juſſi, & dixit ſe facturam uxor mea.
Illa hic cubabit; vir aberit faxo domo.
Tu rus uxorem duces. id rus hoc erit,
Tantiſper dum ego cum Caſina faciam nuptias.
Hinc tu ante lucem rus cras duces poſtea.
Satin' aſtute? *Olymp.* Docte. *Chal.* Age modo, fabricamini.
Malo hercle voſtro tam vorſuti vivitis.
Stal. Scin' quid nunc facias? *Olymp.* Loquere. *Stal.* Tene marſupium.
Abi atque obſonia propera: ſed lepide volo
Molliculas eſcas, ut ipſa mollicula eſt. *Olymp.* Licet.
Stal. Emito ſepiolas, lepadas, lolligiunculas
Hordeias. *Chal.* Imo triticeias, ſi ſapis.
Stal. Soleas. *Chal.* Qui quæſo potius, quam ſculponeas,
Quibus batuatur tibi os, ſenex nequiſſime?
Olymp. Vin' lingulacas! *Stal.* Quid opus eſt, quando uxor domi eſt?
Ea lingulaca eſt nobis: nam nunquam tacet.
Olymp. In re præſenti, ex copia piſcaria
Conſulere, quid emam, æquom eſt. *Stal.* Equom oras. abi.
Argento parci nolo: obſonato ampliter.
Nam mihi vicino hoc etiam convento eſt opus,
Ut quod mandavi, curet. *Olymp.* Jamne abeo? *Stal.* Volo.
Chal. Tribus non conduci poſſim libertatibus,
Quin ego illis hodie comparem magnum malum;
Quinque hanc omnem rem meæ heræ jam faciam palam.
Manifeſto teneo in noxa inimicos meos.
Sed ſi nunc facere volt hera officium ſuum,
Noſtra omnis lis eſt: pulchre prævortar viros:
Noſtro omine it dies: jam victi vicimus.
Ibo intro: ut id, quod alius condivit cocus,
Ego nunc viciſſim ut alio pacto condiam:
Quicquid paratum eſt, ut paratum non fiet;
Sietque paratum, quod paratum non erat.

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

Stalino, *Alceſimus* ſenes.

NUnc amici anne inimici ſis imago, Alceſime,
Mihi ſciam: nunc ſpecimen ſpecitur, nunc certamen cernitur.
Curam eximere, caſtigare; id ponito ad compendium.
Cano capite! ætate aliena! coaddito ad compendium.
Cui ſit uxor! id quoque illuc ponito ad compendium.
Alc. Miſeriorem ego ex amore quam te, vidi neminem.
Stal.

Stal. Fac vacent ædes. *Alc.* Quin edepol ſervos, ancillas domo
Certum eſt omneis mittere ad te. *Stal.* Eho, nimium ſcite ſcitus es.
Sed facito dum memineris verſus quos cantat Colax: cibo
Cum ſuo quiqui facito uti veniant, quaſi eant Sutrium.
Alc. Meminero. *Stal.* Hem, nunc enim te demum nullum ſcitum ſcitu'ſt.
Cura, ego ad forum modo ibo, jam hic ero. *Alc.* Bene ambula.
Stal. Fac habeant linguam tuæ ædes. *Alc.* Quid ita? *Stal.* Quom veniam, vocent.
Alc. Attate, cædundus tu homo es: nimias delicias facis.
Stal. Quid me amare refert, niſi ſim doctus & dicax nimis?
Sed tu cave inquiſitioni mihi ſis. *Alc.* Uſque adero domi.

ACTUS III. SCENA II.

Cleoſtrata, *Alceſimus*.

VI properarem arceſſere hanc ad me vicinam meam, hoc erat
Ecaſtor id, quod me tanto vir opere orabat meus:
Liberæ ædes ut ſibi eſſent, Caſinam quo deduceret.
Nunc adeo nequaquam arceſſam. ne qua ignaviſſumis
Liberi loci poteſtas ſit vetulis vervecibus.
Sed eccum egreditur ſenati columen, præſidium popli,
Meus vicinus, meo viro qui liberum præbet locum.
Non ecaſtor vilis emptu'ſt modius; qui venit, ſalis.
Alc. Miror. hinc jam non arceſſi in proxumum uxorem meam,
Quæ jamdudum, ſi arceſſatur, ornata expectat domi.
Sed eccam, opinor, arceſſit. ſalve, Cleoſtrata. *Cle.* Et tu Alceſime.
Ubi tua uxor? *Alc.* Intus illa te, ſi ſe arceſſas, manet:
Nam tuus vir me oravit, ut eam iſtuc ad te adjutum mitterem.
Vin' vocem? *Cle.* Sine: nolo, ſi illa occupata eſt. *Alc.* Otium eſt.
Cle. Nihil moror, moleſta ei eſſe nolo; poſt convenero.
Alc. Non ornatis iſtic apud vos nuptias? *Cle.* Orno, & paro.
Alc. Non ergo opu'ſt adjutrice? *Cle.* Satis domi eſt. ubi nuptiæ
Fuerint, tum iſtam convenibo. nunc vale, atque iſtam jube.
Alc. Quid ego nunc faciam? flagitium maxumum feci miſer,
Propter operam illius hirqui improbi, edentuli,
Qui hoc mihi contraxit. operam uxoris polliceor foras,
Quaſi catillæ. tum flagitium hominis, qui dixit mihi
Suam uxorem hanc arceſſituram eſſe: ea ſe eam negat morarier.
Atque ededol mirum, ni ſubolet jam hoc huic vicinæ meæ.
Verum autem altrovorſum cum eam mecum rationem puto,
Si quid ejus olet, eſſet mecum poſtulatio.
Ibo intro, ut ſubducam navim rurſum in pulvinarium.

Cle. Jam hic eſt lepide ludificatus. miſeri ut feſtinant ſenes!
Nunc ego illum nihili, decrepitum, meum virum veniat velim,
Ut eum ludificem viciſſim, poſtquam hunc deluſi alterum.
Nam ego aliquid contrahere cupio litigii inter eos duos.
Sed eccum incedit, at, quom aſpicias triſtem, frugi cenſeas.

ACTUS III. SCENA III.

Stalino ſenex, *Cleoſtrata*.

STultitia magna eſt, mea quidem ſententia,
Hominem amatorem ullum ad forum procedere
In eum diem, cui quod amet in mundo ſiet.
Sicut ego feci ſtultus. contrivi diem,
Dum aſto advocatus cuidam cognato meo:
Quem hercle ego litem adeo perdidiſſe gaudeo,
Ne me nequicquam ſibi hodie advocaverit.
Rogitare oportet prius & percontarier,
Aſſitne animus ei, nec ne aſſit, quem advocet.
Si neget adeſſe, exanimatum amittat domum.
Sed uxorem ante ædeis eccam. hei miſero mihi!
Metuo, ne non ſit ſurda, atque hæc audiverit.
Cle. Audivi ecaſtor cum malo magno tuo.
Stal. Accedam propius. quid agis, mea feſtivitas?
Cle. Te ecaſtor præſtolabar. *Stal.* Jamne ornata res eſt?
Jamne hanc traduxti huc ad nos vicinam tuam,
Quæ te adjutaret? *Cle.* Arceſſivi ut juſſeras.
Verum hic ſodalis tuus, amicus optumus,
Neſcio quid ſe ſufflavit uxori ſuæ.
Negavit poſſe, quando arceſſo, mittere.
Stal. Vitium tibi iſtuc maxumum eſt: blanda es parum.
Cle. NON MATRONARUM officium eſt, ſed meretricum,
Viris alienis, mi vir, ſubblandirier.
I tu, atque arceſſe illam: ego intus, quod facto eſt opus,
Volo accurare, mi vir. *Stal.* Propera ergo. *Cle.* Licet.
Jam pol ego huic aliquem in pectus injiciam metum.
Miſerrumum hodie ego hunc habebo amaſium.

ACTUS III. SCENA IV.

Alceſimus ſenex, *Stalino*.

VIſo huc, amator ſi a foro rediit domum,
Qui me atque uxorem larva ludificatus eſt.
Sed eccum ante ædes. ad te hercle ibam commodum.
Stal. Atque ego hercle ad te. quid ais vir minimi preci?
Quid tibi mandavi? quid tecum oravi? *Alc.* Quid eſt?
Stal. Ut bene vacivas ædes feciſti mihi!
Ut traduxiſti huc ad nos uxorem tuam!
Satin propter te pereo ego atque occaſio?
Alc. Quin tu ſuſpendis te? nempe tute dixeras,
Tuam arceſſituram eſſe hinc uxorem meam.
Stal. Ergo arceſſivi ille ait ſeſe, & dixiſſe te,
Eam non miſſurum. *Alc.* Quin ea ipſa ultro mihi
Negavit ejus operam ſe morarier.
Stal. Quin ea ipſa me allegavit, qui iſtam arceſſerem.
Alc. Quin nihili facio. *Stal.* Quin me perdis. *Alc.* Quin bene eſt.
Quin etiam diu morabor, quin cupio tibi,
Quin aliquid ægre facere, quin faciam libens.
Nun-

Nunquam tibi hodie. Quin erit plus quam mihi.
Quin hercle di te perdant poſtremo quidem.
Stal. Quid nunc? miſſurutne es ad me uxorem tuam?
Alc. Ducas. eaſque in maxumam malam crucem,
Cumqbe hac, cumque iſtac, cumque amica etiam tua.
Abi, & aliud cura. ego jam per hortum juſſero
Meam iſtuc tranſire uxorem ad uxorem tuam.
Stal. Nunc tute amicus mihi es in germanum modum.
Qua ego hunc amorem mihi eſſe autem dicam datum?
Aut quod ego unquam erga Venerem inique fecerim,
Cui ſic tot amanti mihi obviam eveniant moræ?
Attat, quid illud clamoris obſecro in noſtra domo eſt?

ACTUS III. SCENA V.

Pardaliſca ancilla, *Stalino* ſenex.

NUlla ſum, nulla ſum: tota tota occidi: cor metu mortuum eſt:
Membra miſeræ tremunt: neſcio unde auxilii, præſidii,
Perfugii mihi, aut opum copiam comparem aut expetam.
Tanta factis modo mira veris modis intus vidi.
Novam atque integram audaciam. cave tibi Cleoſtrata, abſcede
Ab iſta obſecro, ne quid in te mali faxit ira percita.
Eripite iſti gladium, quæ ſui eſt impos animi.
Stal. Nam quid eſt, quod hæc huc timida atque examinata exiluit foras?
Pardaliſca. *Par.* Perii, unde meæ uſurpant aures ſonitum?
Stal. Reſpice modo ad me. *Par.* Here mi. *Stal.* Quid tibi eſt?
Quid timida es? *Par.* Perii.
Stal. Quid? periſti? *Par.* Perii, & tu periſti. *Stal.* Aperi. quid tibi? *Par.* Væ tibi.
Stal. Imo iſtuc tibi ſit. *Par.* Ne cadam, amabo, tene me. *Stal.* Quicquid eſt,
Eloquere mihi cito. *Par.* Contine pectus, face ventulum amabo
Pallio. *Stal.* Timeo hoc negotium quid eſt: niſi hæc meraco
Se uſpiam percuſſit flore Libyco. *Par.* Obtine aures, amabo.
Stal. I in malam crucem: pectus, aures, caput, teque di perduint:
Nam niſi ex te ſcio, quicquid hoc ſit, cito, jam tibi iſtuc
Cerebrum diſpercutiam. excetra tu: ludibrio peſſume adhuc
Quæ me habuiſti. *Par.* Here mi. *Stal.* quid vis, mea ancilla? *Par.* Nimium ſævis.
Stal. Numero dicis. ſed hoc quicquid eſt, loquere: in pauca refer.
Quid intus tumulti fuit? *Par.* Scibis. audi malum peſſumum,
Quod hic modo intus apud nos tua ancilla hoc pacto exordiri
Cœpit, quod haud Atticam condecet diſciplinam. *Stal.* Quid eſt id?
Par. Timor præpedit dicta linguæ. *Stal.* Quid eſt? poſſum ſcire ego iſtuc
Ex te, quid negotii eſt? *Par.* Dicam: tua ancilla, quam tuo
Villico vis dare uxorem, ea intus. *Stal.* Quid intus? quid eſt?
Par. Imitatur malarum malam diſciplinam, viro ſuo quæ inter......
Minatur vitam. *Stal.* Quid ergo? *Par.* Ah! *Stal.* Quid eſt? *Par.* Interimere ait velle
Vitam. gladium. *Stal.* Hem! *Par.* Gladium. *Stal.* Quid eum gladium? *Par.* Habet. *Stal.* Hei miſero mihi!
Cur eum habet? *Par.* Inſectatur omneis domi per ædes, nec quenquam
Prope ad ſe ſinit adire; ita omneis ſub arcis, ſub lectis
Latentes metu muſſitant. *Stal.* Occidi atque interii! quid illi
Objectum eſt mali tam repente? *Par.* Inſanit. *Stal.* Sceleſtiſſumum
Me eſſe credo. *Par.* Imo ſi ſcias dicta, quæ dixit hodie. *Stal.* Iſtuc
Expeto ſcire. quid dixit? *Par.* Audi: per omnes deos & deas
Dejuravit, occiſurum eum hac nocte, quicum cubaret.
Stal. Me occidet? *Par.* An quicquam ad te attinet? *Stal.* Vah! *Par.* Quid cum ea negotii
Tibi eſt? *Stal.* Peccavi: illuc dicere villicum volebam. *Par.* Sciens
De via in ſemitam degredere. *Stal.* Nunquid mihi minatur?
Par. Tibi infeſta ſoli eſt plus, quam cuiquam. *Stal.* Quamobrem? *Par.* Quia ſe des
Uxorem Olympioni: neque ſe tuam, nec ſe ſuam,
Neque viri vitam ſinet in craſtinum protolli. id huc miſſa ſum
Tibi ut dicerem, ab ea ut caveas tibi. *Stal.* Perii hercle miſer.
Neque eſt, neque fuit me ſenex quiſquam amator adæque miſer.
Par. Ludo ego hunc facete. nam quæ facta dixi, omnia huic
Falſa dixi. hera atque hæc dolum ex proxumo hunc protulerunt.
Ego huc miſſa ſum ludere. *Stal.* Heus Pardaliſca. *Par.* Quid eſt? quid?
Stal. Eſt quod volo exquirere a te. *Par.* Moram offers mihi. *Stal.* At tu mihi
Offers mœrorem. ſed etiamne habet & nunc Caſina
Gladium? *Par.* Habet, ſed duos. *Stal.* Quid? duos? *Par.* Altero te occiſurum ait,
Altero villicum hodie. *Stal.* Occiſiſſumus ſum omnium qui vivont.
Loricam induam mihi, optumum eſſe opinor. quid uxor
Mea? non adiit atque ademit? *Par.* Nemo audet prope accedere.
Stal. Exoret. *Par.* Orat. negat ponere alio modo ullo profecto,
Ni ſe ſciat villico non datum iri. *Stal.* Atque ingratiis, quia
Non volt, nubet hodie. nam cur non ego id perpetrem quod cœpi,
Ut nubat mihi? illud quidem volebam, non, ſed noſtro villico.
Par. Sæpicule peccas. *Stal.* Timor præpedit verba. verum
Obſecro, dic me uxorem orare, ut exoret illam, gladium
Ut ponat, & redire me intro ut liceat. *Par.* Nunciabo.
Stal.

Stal. Et tu orato. *Par.* Et ego orabo. *Stal.* At blande orato, ut ſoles. ſed audin'?
Si effexis hoc, ſoleas tibi dabo, & anulum in digito
Aureum, & bona plurima. *Par.* Operam dabo. *Stal.* Face ut impetres.
Par. Eo nunc jam, niſi quippiam remorare me. *Stal.* Abi, & cura.
Par. Redit eccum tandem obſonatu ejus adjutor. pompam ducit.

ACTUS III. SCENA VI.

Olympio, Cocus, Stalino.

VIde fur, ut ſenteis ſub ſignis ducas. *Coc.* Qui vero ſunt ſentes?
Olymp. Quia quod tetigere, illico rapiunt. ſi eas ereptum, illico ſcindunt.
Ita quoquo adveniunt, ubi ubi ſunt, duplici damno dominos multant.
Coc. Eja. *Olymp.* Atat ceſſo magnifice patriceque amiceque ita hero
Meo ire advorſum. *Stal.* Bone vir, ſalve. *Olymp.* Fateor. *Stal.* Quid fit? *Olymp.* Tu amas.
Ego eſurio & ſitio. *Stal.* Lepide excuratus inceſſiſti.
Olymp. Aha hodie. *Stal.* mane vero, quanquam faſtidis. *Olymp.* Ei, ei: fœtet
Tuus mihi ſermo. *Stal.* Quæ res? *Olymp.* Hæc res. *Stal.* Etiamne aſtas? *Olymp.* Enimvero
Πράγματά μοι παρέχεις. *Stal.* Dabo μέγα κακόν (ut ego opinor)
Niſi reſiſtis. *Olymp.* Ω ζεῦ! potin'a me abeas, niſi me vis vomere
Hodie? *Stal.* Mane. *Olymp.* Quid eſt? quis hic homo eſt? *Stal.* Herus ſum. *Olymp.* Qui herus?
Stal. Cujus tu ſervos es. *Olymp.* Servos ego? *Stal.* atque meus. *Olymp.* Non ſum ego liber?
Memento, memento. *Stal.* Mane, atque aſta. *Olymp.* Omitte. *Stal.* Servos ſum tuus.
Olymp. Optume eſt. *Stal.* Obſecro Olympiſce mi, mi pater, mi patrone.
Olymp. Hem ſapis ſane. *Stal.* Tuus ſum equidem. *Olymp.* Quid mihi ſervo opus eſt tam nequam?
Stal. Quid nunc? quam mox recreas me? *Olymp.* Cœna modo ſi ſit cocta.
Stal. Intro ergo abeant. *Olymp.* Propere, cito introite, & cito deproperate.
Stal. Ego jam intus ero. facite cœnam mihi, ut ebria ſit.
Cœnare lepide nitideque volo. nihil moror barbarico ritu
Sane eſſe jam. i, ſis: ego hic habito nunc quidem. gladium
Ancilla Caſinam intus habere ait, qui me atque te invitet.
Olymp. Scio. ſic ſine habere. nugas agunt. novi ego illas malas merces.
Quin tu i modo mecum domum. *Stal.* At pol malum metuo. i tu modo,
Perſpicito prius, quid intus agatur. *Olymp.* Tam mihi mea vita, quam tua
Tibi cara eſt. *Stal.* Verum modo. *Olymp.* Si tu jubes, inibitur tecum.

ACTUS QUARTUS

SCENA I.

Ancilla.

NEc pol ego Nemeæ credo neque ego Olympiæ,
Neque uſquam ludos tam feſtivos fieri,
Quam hic intus fiunt ludi ludificabiles
Seni noſtro, & noſtro Olympioni villico.
Omnes feſtinant intus totis ædibus:
Senex in culina clamat, hortatur cocos:
Quin agitis hodie? quin datis, ſi quid datis?
Properate: cœnam jam eſſe coctam oportuit.
Villicus hic autem cum corona, candide
Veſtitus, laute exornatuſque obambulat.
Illæ autem in cubiculo armigerum ornant mulieres.
Quem dent pro Caſina nuptum noſtro villico.
Sed nimium lepide diſſimulant
Fore hujus quod futurum eſt. digne autem coqui
Nimis lepide ei rei dant operam, ne cœnet ſenex.
Aulas pervortunt, ignem reſtinguunt aqua.
Illarum oratu faciunt. illæ autem ſenem
Cupiunt extrudere incœnem ex ædibus,
Ut ipſæ ſolæ ventres diſtendant ſuos.
Novi ego illas ambas eſtrices: corvitant, ubi
Comeſſe poſſunt. ſed aperitur oſtium.

ACTUS IV. SCENA II.

Stalino, Ancilla.

SI ſapitis, uxor, vos tamen cœnabitis,
Cœna ubi erit cocta. ego ruri cœnavero.
Nam novom maritum ego & novam nuptam volo
Rus proſequi. novi hominum mores maleficos;
Ne quis eam abripiat. facite voſtro animo volupe.
Sed properate iſtum atque iſtam actutum emittere.
Tandem ut veniamus luci: ego cras hic ero.
Cras habuero, uxor, ego tamen convivium.
Anc. Fit, quod futurum dixi: incœnatum ſenem
Foras extrudunt mulieres. *Stal.* Quid tu hic agis?
Anc. Ego eo, quo me ipſa miſit. *Stal.* Veron'? *Anc.* Serio.
Stal. Quid hic ſpeculare? *Anc.* Nihil equidem ſpeculor. *Stal.* Abi.
Tu hic cunctas: intus alii feſtinant. *Anc.* Eo.
Stal. Abi hinc ſis ergo peſſumarum peſſuma.
Jamne abiit illæc? dicere hic quidvis licet.
QUI AMAT, tamen hercle ſi eſurit, nullus eſurit.
Sed eccum progreditur cum corona & lampade
Meus ſocerus, compar, commaritus villicus.

ACTUS IV. SCENA III.

Olympio, Stalino.

AGe tibicen, dum illam educunt huc novam nuptam foras,
Suavi cantu concelebra omnem hanc plateam hymenæo.
Io hymen hymenæe, io hymen. *Stal.* Quid agis, mea ſalus?
Olymp. Eſurio hercle, atque adeo haud ſitio. *Stal.* At ego amo. *Olymp.* At ego hercle

Nihil

Nihil facio tibi, amor, pericli: mihi inanitate
Jamdudum inteſtina murmurant. *Stal.* Nam quid illæc nunc
Tamdiu intus remoratur, quaſi ob induſtriam? quanto ego
Plus propero, tanto illa minus. *Olymp.* Quid ſi etiam occentem hymenæum?
Stal. Cenſeo. & ego te adjutabo in nuptiis communibus.
Olymp. Hymen hymenæe, io hymen! *Stal.* Perii hercle ego miſer, dirupi
Cantando Hymenæum: licet illo morbo, quo dirumpi cupio,
Non eſt copia. *Olymp.* Edepol næ tu, ſi eſſes equos, eſſes indomabilis.
Stal. Quo argumento? *Olymp.* Nimis tenax es.
Stal. Numne expertus uſpiam? *Olymp.* Dii melius faciant.
Sed crepuit oſtium. exitur foras.
Stal.. Di hercle me cupiunt ſervatum. jam oboluit Caſina procul.

ACTUS IV. SCENA IV.

Ancillæ duæ, *Olympio*, *Stalino*.

SEnſim ſuper attolle limen pedes, nova nupta: ſoſpes
Iter incipe hoc, ut viro tuo ſemper ſis ſuperſtes, atque
Ut potior pollentia ſit, vincaſque virum, victrixque ſies,
Superetque tuum imperium: vir te veſtiat, tu virum deſpolies.
Noctuque & diu ut viro ſubdola ſies, obſecro, memento.
Olymp. Malo maxumo ſuo hercle illico, ubi tantulum peccaſſit.
Stal. Tace. *Olymp.* Non taceo. *Stal.* Quæ res? *Olymp.* Malæ malæ male monſtrant.
Stal. Perii: iſtæ facient hanc rem mihi ex parata imparatam.
Id quærunt: volunt, hæc ut infecta faciant. *Anc.* Age Olympio,
Quando vis, uxorem accipe hanc a nobis. *Olymp.* Date ergo, daturæ
Si unquam eſtis hodie uxorem. *Stal.* Abite intro. *Anc.* Amabo, integræ atque
Imperitæ huic impercito. *Olymp.* Futurum eſt. valete. *Stal.* Ite.
Anc. Jam valete. *Stal.* Jamne abſceſſit? *Olymp.* Uxor domi eſt. ne time. *Stal.* Evax!
Nunc pol demum ego ſum liber. meum corculum, melliculum,
Verculum. *Olymp.* Heus tu: malo, ſi ſapis, cavebis: mea eſt hæc. *Stal.* Scio.
Sed meus fructus eſt prior. *Olymp.* Tene hanc lampadem. *Stal.* Immo ego illam tenebo.
Venus multipotens, bonam vitam mihi
Dediſti, hujus cum copiam mihi feciſti.
Corpuſculum melliculum! *Olymp.* Mea uxorcula!
Stal. Quid eſt? *Olym.* Inſtitit plantam. *Stal.* Quam jocabo.
Nebula haud eſt mollis, atque cutis hujus eſt.
Olymp. Edepol papillam bellulam! hei miſero mihi!
Stal. Quid eſt? *Olymp.* Pectus mihi agit nunc cubito.
Stal. Quid tu ergo hanc quæſo tractas tam?
At mihi qui belle hanc tracto, non. *Olymp.* Vaha!
Stal. Quid negotii eſt? *Olymp.* Obſecro, ut valentula eſt!
Pæne expoſivit cubito. *Stal.* Cubitum ergo ire volt.
Olymp. Quin imus ergo? *Stal.* Bella bellatula!

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

Pardaliſca ancilla, *Murrina*.

ACceptæ bene & commode eximus intus,
Ludos viſere huc in via nuptialeis.
Mur. Nunquam ecaſtor ullo die riſi adæque,
Neque hoc quod reliquom eſt, plus riſuram opinor.
Lubet Chalinum quid agat ſcire, novom
Nuptum cum novo marito: nec fallaciam
Aſtutiorem ullus fecit Poeta, atque
Ut hæc eſt fabre facta a nobis. obtunſo
Ore nunc pervelim progrediri ſenem:
Quo ſenex nequior nullus vivit. ne illum
Quidem nequiorem arbitror eſſe, qui locum
Præbet illi - - - - nunc præſidem - - - - hic, Pardaliſca,
Eſto: qui hinc exeat, eum ut ludibrio habeas.
Par. Lubens fecero, & ſolens. *Mur.* Spectato hinc omnia
Intus, quid intus agant. *Pard.* - - - - - - - - - pone me, amabo.
Mur. Et illi audacius licet quæ vis libere
Proloqui. *Pard.* Tace! voſtra foris crepuit.

ACTUS IV. SCENA II.

Olympio, *Cleoſtrata*, *Murrina*.

NEque quo fugiam, neque ubi lateam, neque hoc dedecus quomodo celem,
Scio. tantum herus atque ego flagitio ſuperavimus nuptiis noſtris.
Ita nunc pudeo, atque ita nunc paveo, atque ita irridiculum ſumus ambo.
Sed ego inſipiens nova nunc facio; pudet, quod prius non puditum unquam eſt.
Operam date, dum mea facta itero: eſt operæ auribus percipere.
Ita ridicula auditu, iteratu ea ſunt, quæ ego intus turbavi.
Ubi intus hanc novam nuptam deduxi via recta, clavem
Abduxi: ſed tamen tenebræ ibi erant, tanquam nox - -
- - - - - - - - - - - - - - - - - - - ſenex abs te decumbem.
Colloco, fulcio, mollio - - - - - - - - - - - - - - - -
Ut prior quam ſenex nup - - - - - - - - - - - - - - - -
Tardus eſſe illico occœpi, quoniam - - - - - - - - -
Reſpecto idemtidem, ne ſenex - - - - - - - -
Illecebram ſtupri, principio eam ſavium poſco - - - -
Reppulit mihi manum, nec quietum dare ſibi ſavium me ſinit.
Enim jam magis jam appropero: magis jam lubet in Caſinam irruere.
Cupio illam operam ſeni ſurripere: forem obdo, ne ſenex me opprimat.
Mur. Agedum tu adi hunc. *Cle.* Obſecro, ubi tua nova nupta eſt?
Olymp. Perii hercle ego! manifeſta res eſt. *Cle.* Omnem ordine rem
Fateri ergo æquom eſt. quid intus agitur? quid agit

Caſina? ſatin' morigera eſt? *Olymp.* Pudet dicere me - - - - - -

- - - - - - *Cle.* Memora ordine, ut occœperas. *Olymp.* Pudet hercle. *Cle.* Age audacter.

- - - - - - Poſtquam decubuiſti, hinc te volo memorare, quid eſt factum.

Olymp. - - - - - - - - *Et* flagitium eſt. *Cle.* CAVEBUNT, QUI AUDIERINT, faciam.

Olymp. - - - - - Hoc majus eſt. *Cle.* Perdis! quin tu pergis? *Olymp.* Ubi - - - -

- - - - - - - - - us ſumptus porro - - - -

- - - - - - - quid? *Olymp.* Babæ. *Cle.* Quid? *Olymp.* papæ

- - - - - - - - - - eſt. *Olymp.* Oh erat - - - - - maxumum

- - - - - - - - - haberet metui: id quærere occœpi.

- -

Dum gladium ne habeat, quæro, arripio capulum - - -
Sed, quom cogito, non habuit gladium: nam eſſet frigidius. *Cle.* Eloquere.

Olymp. At pudet. *Cle.* Num radix fuit? *Olymp.* Non fuit. *Cle.* Num cucumis?

Olymp. Profecto hercle - - - - - - non fuit quidquam olerum:
Niſi, quidquid erat, calamitas profecto attigerat nunquam.
Ita, quicquid erat, grande erat.

Mur. Quid fit denique, ediſſerta. *Olymp.* Ubi appello Caſinam: Caſina, inquam,
Amabo mea uxorcula, cur virum tuum ſic me ſpernis?
Nimis tu quidem hercle immerito - - - - - -
Meo mihi hæc facis: quia mihi te expetivi - - - - -
Illa haud verbum facit, & ſepit veſte id, qui eſtis.
Ubi illum ſaltum video obſeptum, rogo ut altero ſinat ire.
Volo, ut obvertam cubitiſſim - - - - - - - - -
Ullum muttit e - - - - - - - - - - - - -
Surgo, ut ineam in - - - - - - - - - - - - - -
Atque illam in - - - - - - - - - - - - - - -
Perlepide narrat - - - - - - - - - - - - - - - -
Savium -

Olymp. Ita quaſi ſetis labra mihi compungit barba.
Continuo in genua aſtanti pectus mihi pedibus percutit.
Decido de lecto præceps. ſubſilit. obtundit os mihi.
Inde foras tacitus (præfiſcini!) exeo hoc ornatu, quo vides;
Ut ſenex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet. *Cle.* Optume eſt.
Sed ubi eſt palliolum tuum? *Olymp.* Hic intus reliqui.

Cle. Quid nunc? ſatin' lepide adita eſt vobis manus? *Olymp.* Merito.

Cle. St! concrepuerunt fores. *Olymp.* Num illa me nam ſequitur?

ACTUS IV. SCENA III.

Stalino, Olympio.

MAxumo ego ardeo flagitio, nec, quid agam meis rebus, ſcio.
Nec meam ut uxorem aſpiciam contra oculis: ita diſperii.
Omnia palam ſunt probra, omnibus modis occidi, miſer.
Ita manifeſto faucibus teneor:

- - - - - - nec quibus modis purgem ſcio me meæ uxori.

- - - - - - - qui expalliatus ſum miſer - - - - - - -

- - - - - - - clandeſtinæ nuptiæ - - - - - - - - - -

- - - - - - - - - - - - - - - cenſeo

- - - - - - mihi optumum eſt

- - - - - - - ea dux uxorem meam

- - - - - - - - - - - - - - - riam

Sed ecquis eſt qui homo munus velit fungier pro me?
Quid nunc agam neſcio, niſi ut improbos famulos imiter, ac domo fugiam?
Nam ſalus nulla eſt ſcapulis, ſi domum redeo.
Nugas iſtuc dicere licet. vapulo hercle ego, invitus tamen,
Etſi malum merui. hac dabo protinam, & fugiam. *Olymp.* Heus, Stalino
Amator! *Stal.* Occidi, revocor. quaſi non audiam, abibo.

ACTUS IV. SCENA IV.

Chalinus, Stalino, Cleoſtrata, Murrina, Olympio. Ancilla.

UBi tu es, qui colere mores Maſſilienſes poſtulas?
Nunc tu, ſi vis ſubigitare me, proba eſt occaſio.
Periiſti hercle. age, accede huc,

Hic deſunt aliquot verſus.

Stal. Hac ibo, caninam ſcævam ſpero meliorem fore.

Cle. Quid agis tu marite, mi vir? unde ornatu hoc advenis?
Quid feciſti ſcipione, aut quod habuiſti pallium?

Anc. In adulterio dum mœchiſſat Caſinam, credo, perdidit.

Stal. Occidi. *Chal.* Etiamne imus cubitum? Caſina ſum. *Stal.* In malam crucem.

Chal. Non amas me? *Cle.* Quin reſponde tuo quid factum eſt pallio.

Stal. Bacchæ! ergo hercle! uxor. Bacchæ! Bacchæ! hercle, uxor.

Anc. Nugatur ſciens. nam ecaſtor nunc Bacchæ nullæ ludunt.

Stal. Oblitus fui, ſed tamen Bacchæ. *Cle.* quid Bacchæ? id fieri non poteſt.

Olymp. Times ecaſtor. *Stal.* Egone? *Olymp.* Haud mentire hercle, nam palam eſt.

Hic in Manuſcriptis lacuna eſt.

Stal. Non taces? *Olymp.* Non hercle vero taceo. nam tu maxumo
Me obſecraviſti opere, Caſinam ut poſcerem uxorem mihi.

Stal. Tui amoris cauſſa ego iſtuc feci. *Cle.* Imo hercle illius.
Te quidem oppreſſi. *Stal.* Feci ego iſthæc dicta, quæ vos dicitis?

Cle. Rogitas etiam? *Stal.* Siquidem hercle feci, feci nequiter.

Cle. Redi modo huc intro: monebo, ſiquidem meminiſti minus.

Stal. Hercle opinor potius vobis credam, quod vos dicitis.
Sed, uxor, da viro hanc veniam. Murrina, ora Cleoſtratam:
Si unquam poſthac aut amaſſo Caſinam, aut occæpſo modo,
Nedum ut eam amaſſo: ſi ego unquam adeo poſthac tale admiſero:
Nulla cauſſa eſt, quin pendentem me, uxor, virgis verberes.

Mur. Cenſeo, ecaſtor, veniam huic hanc dandam. *Cle.* Faciam uti jubes. Pro-

Propter eam rem hanc tibi nunc veniam minus gravate proſpero.
Hanc ex longa longiorem ne faciamus Fabulam.
Stal. Non irata es? *Cle.* Non ſum irata. *Stal.* Tuæ fidei credo? *Cle.* Meæ.
Stal. Lepidiorem uxorem nemo quiſquam, quam ego habeo, hac habet.
Cle. Age tu, redde huic ſcipionem & pallium. *Chal.* Tene. *Stal.* Libet.
Chal. Mihi quidem edepol inſignite facta eſt magna injuria
Duobus nupſi: neuter fecit, quod novæ nuptæ ſolet.

Grex.

SPectatores, quod futurum eſt intus, hic memorabimus.
Hæc Caſina hujus reperietur filia eſſe e proxumo.
Eaque nubet Euthynico noſtro herili filio.
Nunc vos æquom eſt manibus meritis meritam mercedem dare.
Qui faxit, clam uxorem ducat ſcortum ſemper, quod volet.
Verum qui non manibus clare, quantum poterit, plauſerit,
Ei pro ſcorto ſupponetur hircus unctus nautea.

FINIS CASINÆ.

CISTELLARIA.

Dramatis Perſonæ.

SILENIUM *meretrix.*	LAMPADIO *ſervos.*
GYMNASIUM *meretrix.*	PHANOSTRATA *uxor.*
LENA.	HALISCA *ancilla.*
AUXILIUM *prologus.*	DEMIPHO *ſenex.*
MÆLENIS *lena.*	CATERVA.
ALCESIMARCHUS *adoleſcens*	

ARGUMENTUM.

COmprimit adoleſcens Lemnius Sicyoniam.
Is redit in patriam, & gnatam generat nuptiis.
Sicyonia parit æque puellam. hanc ſervolus
Tollit, atque exponit, & ex inſidiis aucupat.
Eam ſublatam meretrix alii detulit.
Lemno poſt rediens ducit, quam compreſſerat,
Lemnique natam deſpondit adoleſcentulo
Amore capto illius projecticiæ.
Requirens ſervum reperit, quam projecerat.
Itaque lege hanc, & rite civem cognitam
Alceſimarchus, ut erat nactus, poſſidet.

ACTUS PRIMUS

SCENA I.

Silenium, *Gymnaſium*, meretrices, *Lena*.

CUm ego antidhac te amavi, & mihi amicam eſſe crevi,
Mea Gymnaſium, & matrem tuam: tum id mihi hodie
Aperuiſtis, tu atque hæc. ſoror ſi mea eſſes,
Qui magis potueris mihi honorem ire habitum,
Neſcio; niſi, ut meus eſt animus, fieri
Non poſſe arbitror: ita omnibus relictis rebus
Mihi frequentem operam dediſtis. eo ego vos
Amo, & eo magnam iniſtis gratiam.
Gym. Pol iſtoc quidem nos pretio facile eſt
Frequentare tibi, utileſque habere:
Ita in prandio nos lepide atque nitide
Accepiſti apud te, ut ſemper meminerimus.
Sil. Lubentique edepol animo factum, & fiet a me,
Quæ vos arbitrabor velle, ea ut expetam.
Len. Quod ille dixit, qui ſecundo vento vectus eſt,
Tranquillo mari, ventum gaudeo ecaſtor ad te:
Ita hodie hic acceptæ ſumus ſuavibus modis;
Nec, niſi diſciplina, apud te fuit quicquam
Ibi, quin mihi placeret. *Sil.* Quid ita, amabo?
Len. Raro nimium dabat quod biberem: atque id merum
Infuſcabat. *Gym.* Amabo. hiccine iſtud decet?
Len. Juſque faſque eſt: nemo alienus hic eſt. *Sil.* Merito
Veſtro amo vos, quia me colitis & magni facitis.
Len. Decet pol, mea Silenium, hunc eſſe ordinem,
Benevolenteis inter ſe beneque amicitia utier:
Ubi iſtas videas ſummo genere natas,
Summates matronas, ut amicitiam colunt,
Atque ut eam junctam bene habent inter ſe.
Si idem iſtud nos faciamus, ſi idem imitemur.
Ita tamen vix vivimus cum invidia ſumma.
Suarum opum nos volunt eſſe indigentes.
Noſtra copia nihilo volunt nos poteſſe,
Suique omnium rerum nos indigere,
Ut ſibi ſimus ſupplices. eas ſi adeas,
Abitum quam aditum malis. ita noſtro ordini
Palam blandiuntur: clam, ſi occaſio uſquam eſt,
Aquam frigidam ſubdole ſuffundunt.
Viris cum ſuis prædicant nos ſolere:
Suas pellices eſſe ajunt: eunt depreſſum:
Quia nos libertinæ ſumus. & ego & tua mater ambæ
Meretrices fuimus: illa te, & ego hanc mihi educavi
Ex patribus conventitiis. neque ego hanc ſuperbiæ cauſſa
Repuli ad meretricium quæſtum, niſi ut ne ego eſurirem.
Sil. At ſatius fuerat eam viro dare nuptum potius. *Len.* Heja!
Hæc quidem ecaſtor cotidie viro nubit, nupſitque hodie,
Nubet mox noctu, nunquam ego hanc viduam cubare ſivi.
Nam ſi hæc non nubat, lugubre fame familia pereat.
Gym. Neceſſe eſt, quo tu me modo voles eſſe, ita eſſe, mater.
Len. Ecaſtor haud me pœnitet, ſi, ut dicis, ita futura es.
Nam ſi quidem ita eris, ut volo, nunquam Hecata fies:
Semperque iſtam, quam nunc habes, ætatulam obtinebis,
Multiſque damno, & mihi lucro ſine meo ſæpe eris ſumptu.
Gym. Dii faxint. *Len.* Sine opera tua nihil di horunc facere poſſunt.
Gym. Equidem hercle addam operam ſedulo. ſed quid tu inter iſtæc verba
Meus oculus, mea Silenium, (nunquam ego te triſtiorem
Vidi eſſe) quid, cedo, te obſecro, tam abhorret hilaritudo?
Neque munda adæque es, ut ſoles. hoc ſis vide, ut petivit
Suſpirium alte, & pallida es. eloquere nobis utrunque,

Et quid tibi eſt, & quid velis noſtram operam, ut nos ſciamus.
Noli obſecro lacrumis tuis mihi exercitum imperare,
Mea. *Sil.* Excrucior, mea Gymnaſium, male maceror.
Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab ægritudine.
Quid dicam? niſi ſtultitia mea me in mærorem rapi.
Gym. Indidem, unde oritur, facito ut facias ſtultitiam ſepelibilem.
Sil. Quid faciam? *Gym.* In latebras abſcondas pectore penitiſſumo.
Tum ſtultitiam ſola facito ut ſcias ſine aliis arbitris. *Sil.* At mihi
Cordolium eſt. *Gym.* Quid id? unde eſt tibi cordolium, commemora, obſecro?
Quod neque ego habeo, neque quiſquam alia mulier, ut perhibent viri.
Sil. Si quid eſt, quod doleat, dolet: ſi autem non eſt, tamen hoc hic dolet.
Gym. Amat hæc mulier. *Sil.* Eho! an amare occipere, amarum eſt, obſecro?
Gym. Namque ecaſtor AMOR & melle & felle eſt fœcundiſſumus:
Guſtu dat dulce, amarum ad ſatietatem uſque oggerit.
Sil. Ad iſtam faciem eſt morbus, qui me, mea Gymnaſium, macerat.
Gym. Perfidioſus eſt amor. *Sil.* Ergo in me peculatum facit.
Gym. Bono animo es, erit iſti morbo melius. *Sil.* Confidam fore,
Si medicus veniat, qui huic morbo facere medicinam poteſt.
Gym. Veniet. *Sil.* Spiſſum iſtud amanti eſt verbum, Veniet, niſi venit.
Sed ego mea culpa & ſtultitia pejus miſera maceror:
Quia ego illum unum mihi exoptavi, quicum ætatem degerem.
Gym. Matronæ magis conducibile eſt iſtuc, mea Silenium,
Unum amare, & cum eo ætatem exigere, quoi nupta eſt ſemel.
Verum enim meretrix fortunati eſt oppidi ſimilluma,
Non poteſt ſuam rem obtinere ſola ſine multis viris.
Sil. Hoc volo agatis: qua arceſſitæ cauſſa ad me eſtis, eloquar.
Nam mea mater, quia ego nolo me meretricem dicier,
Obſecuta eſt, de ea re geſſit morem morigeræ mihi,
Ut me, quem ego amarem graviter, ſineret cum eo vivere.
Len. Stulte ecaſtor fecit: ſed tun' unquam cum quiquam viro
Conſueviſti? *Sil.* Niſi quidem cum Alceſimarcho, nemine:
Neque pudicitiam meam mihi alius quiſquam imminuit. *Len.* Obſecro,
Quo is homo inſinuavit pacto ſe ad te? *Sil.* Per Dionyſia
Mater pompam me ſpectatum duxit: dum redeo domum,
Conſpicillo conſecutus eſt clanculum me uſque ad fores.
Inde in amicitiam inſinuavit cum matre & mecum ſimul,
Blanditiis, muneribus, donis. *Gym.* Mihi iſtum hominem vellem dari,
Ut ego illum vorſarem. *Sil.* Quid opus eſt verbis? Conſuetudine
Cœpi amare contra ego illum, & ille me. *Len.* O mea Silenium. *Sil.* Quid eſt?
Len. ASSIMULARE amare oportet. nam ſi ames extempulo,
Melius illi multo, quem ames, conſulas, quam rei tuæ.
Sil. At ille conceptis juravit verbis apud matrem meam,
Me uxorem ducturum eſſe: ei nunc alia ducenda eſt domum,
Sua cognata Lemnienſis, quæ habitat hic in proxumo.
Nam eum pater ejus ſubegit. nunc mea mater irata eſt mihi,
Quia non redierim domum ad ſe, poſtquam eam rem reſciverim,
Eum uxorem ducturum eſſe aliam. *Len.* Nihil amori injurium eſt.
Sil. Nunc te amabo, ut hanc hoc triduum ſolum ſinas
Eſſe hic, & ſervare apud me. nam ad matrem arceſſita ſum.
Len. Quamquam mihi iſtud erit moleſtum triduum, & damnum dabis,
Faciam. *Sil.* Facis benigne & amice. ſed tu Gymnaſium mea,
Si me abſente Alceſimarchus veniet, nolito acriter
Eum inclamare. utut erga me eſt meritus, mihi cordi eſt tamen.
Sed, amabo, tranquille: ne quid, quod illi doleat, dixeris.
Accipias claves; ſi quid tibi opus erit promtu, promito.
Ego volo ire. *Gym.* Ut mihi excivisti lacrumas! *Sil.* Gymnaſium mea,
Bene vale. *Gym.* Cura te, amabo. ſiccine immunda, obſecro,
Ibis? *Sil.* IMMUNDAS fortunas æquom eſt ſqualorem ſequi.
Gym. Amiculum hoc ſuſtolle ſaltem. *Sil.* Sine trahi, cum egomet trahor.
Gym. Quando ita tibi lubet, vale atque ſalve. *Sil.* Si poſſim, velim.
Gym. Nunquid me vis, mater, intro quin eam? ecaſtor mihi
Viſa amare. *Len.* Iſtoc ergo aures graviter obtundo tuas,
Ne quem ames. abi intro. *Gym.* Nunquid me vis? *Len.* Ut valeas. *Gym.* Vale.

ACTUS I. SCENA II.

Lena.

IDem mihi, magnæ quod parti eſt vitium mulierum,
Quæ hunc quæſtum facimus: quæ ubi ſuburratæ ſumus,
Largiloquæ extemplo ſumus: plus loquimur, quam ſat eſt.
Nam illanc ego olim, quæ hinc flens abiit, parvolam
Puellam projectam ex angiportu ſuſtuli.
Adoleſcens quidam hic eſt apprime nobilis,
(Quin ego nunc, quia ſum onuſta mea ex ſententia,
Quiaque adeo me complevi flore Liberi,
Magis libera uti lingua conlibitum eſt mihi:
Tacere nequeo miſera, quod tacito uſus eſt)
Sicyone ſummo genere ei vivit pater:
Is amore miſere hanc deperit mulierculam,
Quæ hinc modo flens abiit. contra amore hæc perdita eſt:
Eam meæ ego amicæ dono huic meretrici dedi;
Quod ſæpe mecum mentionem fecerit,
Puerum aut puellam alicunde ut reperirem ſibi,
Recens

Recens natum eapſe quod ſibi ſupponeret.
Ubi mihi poteſtas primum evenit, illico
Feci ejus eii, quod me oravit, copiam.
Poſtquam puellam eam a me accepit, illico
Eamdem puellam peperit, quam a me acceperat,
Sine obſtetricis opera, & ſine doloribus,
Item ut aliæ pariunt, quæ malum quærunt ſibi.
Nam amatorem ajebat eſſe peregrinum ſibi.
Suppoſitionem ejus rei facere gratia.
Id duæ nos ſolæ ſcimus: ego quæ illi dedi,
Et illa, quæ a me accepit; præter vos quidem.
Hæc ſic res geſta eſt. ſi quis uſus venerit,
Meminiſſe ego hanc rem vos volo. ego abeo domum.

ACTUS I. SCENA III.

Auxilium, Prologus.

UTrunque hæc, & multiloqua & multibiba eſt anus.
Satine vix reliquit Deo, quod loqueretur, loci?
Ita properavit de puellæ proloqui
Suppoſitione. quod ſi tacuiſſet, tamen
Ego eram dicturus deus, qui poteram planius.
Nam mihi eſt Auxilio nomen. nunc operam date,
Ut ego argumentum hoc vobis plane perputem.
Fuere Sicyoni jamdiu Dionyſia.
Mercator venit huc ad ludos Lemnius,
Iſque hic compreſſit virginem adoleſcentulus,
Vinolentus, violentus, multa nocte, in via.
Is ubi malam rem ſcit ſe meruiſſe, illico
Pedibus perfugium peperit, in Lemnum aufugit:
Ubi habitabat tum. illa, quam compreſſerat,
Decumo poſt menſe exacto hic peperit filiam.
Quoniam reum ejus facti neſcit qui ſiet,
Paternum ſervom ſui participat conſilii,
Dat eam puellam ei ſervo exponendam ad necem.
Is eam projecit, hæc puellam ſuſtulit.
Ille clam obſervavit ſervos,
Quo aut quas in ædes hæc puellam deferat.
Ut eampſe vos audiſtis confiterier,
Dat eam puellam meretrici Melænidi,
Eaque educavit eam ſibi pro filia
Bene ac pudice. tum illic autem Lemnius
Propinquam uxorem duxit, cognatam ſuam.
Ea diem ſuum obiit, facta morigera eſt viro.
Poſtquam ille uxori juſta fecit, illico
Huc commigravit: duxit uxorem hic ſibi
Eamdem quam olim virginem hic compreſſerat,
Et eam cognoſcit eſſe, quam compreſſerat.
Illa illi dicit, ejus ſe ex injuria
Peperiſſe gnatam, atque eam ſe ſervo illico
Dediſſe exponendam. ille extemplo ſervolum
Jubet illum eumdem perſequi, ſi qua queat
Reperire, quæ ſuſtulerit. ei rei nunc ſuam
Operam uſque aſſiduo ſervos dat, ſi poſſiet
Meretricem illam invenire, quam olim tollere,
Cum ipſe exponebat, ex inſidiis viderat.
Nunc, quod reliquom reſtat, volo perſolvere:
Ut expungatur nomen, ne quid debeam.
Adoleſcens hic eſt Sicyoni: ei vivit pater.
Is amore projecticiam illam deperit,
Quæ dudum flens hinc abiit ad matrem ſuam:
Et illa hunc contra, qui eſt amor ſuaviſſimus.
UT SUNT humana, nihil eſt perpetuum datum.
Pater adoleſcenti dare volt uxorem. hoc ubi
Mater reſcivit, juſſit arceſſi eam domum.
Hæc res ſic geſta eſt. bene valete, & vincite
Virtute vera, quod feciſtis antidhac.
Servate voſtros ſocios, veteres & novos:
Augete auxilia voſtris juſtis legibus,
Perdite perduelles, parite laudem & lauream,
Ut vobis victi Pœni pœnas ſufferant.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

Alceſimarchus adoleſcens, *Melænis* lena.

CRedo ego Amorem primum apud homines carnificinam commentum.
Hanc ego de me conjecturam domi facio, ne foris quæram,
Qui omnes homines ſupero atque antideo cruciabilitatibus animi.
Jactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amoris rota miſer.
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, diripior: ita nubilam mentem
Animi habeo: ubi ſum, ibi non ſum: ubi non ſum, ibi eſt animus.
Ita mihi omnia ingenia ſunt; quod lubet, non lubet jam id continuo.
Ita me amor laſſum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, lactat: largitur: quod dat, non dat: deludit:
Modo quod ſuaſit, diſſuadet: quod diſſuaſit, id oſtentat.
Maritumis moribus mecum experitur: ita meum frangit amentem
Animum: neque, niſi quia miſer non eo peſſum, mihi ulla abeſt
Perdito pernicies. ita pater apud villam detinuit me hos dies ſex
Ruri continuos: neque licitum interea eſt meam amicam viſere.
Eſtne hoc miſerum memoratu!
Mel. Eo facetu's, quia tibi alia eſt ſponſa locuples Lemnia?
Habeas: neque nos factione tanta, quanta tu, ſumus,
Neque opes noſtræ tam ſunt validæ, quam tuæ: verumtamen
Haud metuo, ne jusjurandum noſtrum quiſquam culpitet:
Tu jam, ſi quid tibi dolebit, ſcies, qua doleat gratia.
Alc. Di me perdant. *Mel.* Quodcunque optes, velim tibi contingere.
Alc. Si illam uxorem duxero mihi unquam, quam deſpondit pater.
Mel. Et me, ſi unquam tibi uxorem filiam dedero meam.
Alc. Perjurare me patiere? *Mel.* Atque aliquanto facilius,
Quam me meamque rem perire & ludificari filiam.
Abi quærere, ubi jurando tuo ſatis ſit ſubſidii:
Hic apud nos jam, Alceſimarche, confregiſti teſſeram.
Alc. Face ſemel periculum. *Mel.* Sæpe feci, quod factum queror.
Alc. Redde mihi illam. *Mel.* Inter novam rem verbum uſurpabo vetus;
Quod dedi, datum non vellem: quod reliquom eſt, non dabo.
Alc. Non remiſſura es mihi illam? *Mel.* Pro me reſponſa tibi.

Alc.

Alc. Non remiſſura es mihi illam? *Mel.* Pro me reſponſa tibi.
Alc. Non remittes? *Mel.* Scis jamdudum omnem meam ſententiam.
Alc. Satin' tibi iſtuc in corde certum eſt? *Mel.* Quin ego commentor quidem:
Non edepol iſtæc tua dicta nunc in aures recipio.
Alc. Non? hem! quid agis? *Mel.* Igitur animum advorte, ut, quid agas, ſcias.
Alc. At ita me di deæque, ſuperi atque inferi, & medioxumi,
Itaque me Juno regina, & Jovis ſupremi filia,
Itaque me Saturnus patruus ejus. *Mel.* Ecaſtor pater.
Alc. Itaque me Ops opulenta illius avia! *Mel.* Imo mater quidem.
Alc. Juno filia & Saturnus patruus, & ſummus Juppiter!
Tu me delenis: propter te hæc pecco. *Mel.* Perge dicere.
Alc. Anne ut etiam quid conſultura ſis ſciam? *Mel.* Perge eloqui.
Non remittam: definitum eſt. *Alc.* Enimvero, ita me Juppiter,
Itaque me Juno, & Saturnus, ita... quid dicam, neſcio.
Jam ſcio: imo, mulier, audi, meam ut ſcias ſententiam:
Di me omnes magni minutique, & patellarii
Faxint, ne ego dem vivos hodie ſavium Silenio,
Niſi ego teque tuamque filiam, meque hodie obtruncavero:
Poſtea autem cum primo luci cras niſi ambo occidero:
Et equidem hercle niſi pedatu tertio omnis efflixero,
Niſi tu illam remittis ad me. dixi quæ volui. vale.
Mel. Abiit intro iratus. quid ego nunc agam? ſi redierit
Illa ad hunc, ibidem loci res erit: ubi odium occœperit,
Illam extrudet, quom hanc uxorem Lemniam ducet domum.
Sed tamen ibo & perſequar. amens ne quid faciat, cauto opu'ſt.
Poſtremo, quando æqua lege pauperi cum divite
Non licet, perdam operam potius, quam carebo filia.
Sed quis hic eſt, qui recta platea curſum huc contendit ſuum?
Et illud paveo, & hoc formido: ita tota ſum miſera in metu.

ACTUS II. SCENA II.

Lampadiſcus.

ANum ſectatus ſum clamore per vias:
Miſerrimam habui: ut illæc hodie quot modis
Sibi moderatrix fuit, atque immemorabilis!
Quot illi blanditias! quid illi promiſi boni!
Quot admœnivi illi fabricas! quot fallacias!
In quæſtione vix exſculpſi ut diceret,
Quia ei promiſi dolium vini dare.

ACTUS II. SCENA III.

Phanoſtrata, Lampadiſcus, Melænis.

AUdire vocem viſa ſum ante ædeis modo
Mei Lampadiſci ſervi. *Lamp.* Non ſurda es, hera:
Recte audiviſti. *Phan.* Quid agis hic? *Lamp.* Quod gaudeas.
Phan. Quid id eſt? *Lamp.* Hinc ex hiſce ædibus paulo prius
Vidi exeuntem mulierem. *Phan.* Illam, quæ meam
Gnatam ſuſtulerat? *Lamp.* Rem tenes. *Phan.* Quid poſtea?
Lamp. Dico ei, quo pacto eam ab hippodromo viderim
Herilem filiam noſtram ſuſtollere.
Phan. Extimuit tum illa? *Mel.* Horret corpus, cor ſalit,
Nam mihi ab hippodromo memini afferri parvolam
Puellam, eamque me mihi ſupponere.
Phan. Age, perge, quæſo, animus audire expetit,
Ut res geſta ſit. *Mel.* Utinam audire non queas!
Lamp. Pergo illam his alloqui dictis: illæc anus
Fortuito matrem, ne ſe deſeras, vocat.
Nam illæc tibi nutrix eſt, ne matrem cenſeas,
Ego te reduco & revoco ad divitias, ubi
Tu locere in luculentam familiam:
Unde tibi talenta magna viginti pater
Det dotis. non enim hic, ubi ex Tuſco modo
Tute tibi indigne dotem quæras corpore.
Phan. An amabo meretrix illa eſt, quæ illam ſuſtulit?
Lamp. Imo meretrix fuit. ſed ut ſit, de ea re eloquar.
Jam perducebam illam ad me ſuadela mea:
Anus ei amplexa eſt genua, plorans, obſecrans,
Ne deſerat ſe: eam ſuam eſſe filiam,
Seque eam peperiſſe, ſancte adjurabat mihi.
Iſtanc quam quæris, inquit, ego amicæ meæ
Dedi, quæ educaret eam pro filiola ſua.
Et vivit? inquit. ubi ea eſt? inquam extempulo.
Phan. Servate me dei obſecro. *Mel.* At me perditis.
Phan. Quoi illam dediſſet, exquiſiſſe oportuit.
Lamp. Quæſivi: & dixit, meretrici Melænidi.
Len. Meum elocutus eſt nomen. interii.
Lamp. Ubi elocuta eſt, ego continuo anum interrogo:
Ubi habitat? inquam. duc ac demonſtra mihi.
Avecta eſt, inquit, peregre hinc habitatum. *Mel.* Obſipat
Aquolam. *Lamp.* Quo avecta eſt, eo ſequemur. ſiccine
Agis nugas? periiſti, ni hercle hoc ediſſeris.
Inſtare uſque adeo, donec ſe adjurat anus
Jam mihi monſtrare. *Phan.* Ah non miſſam oportuit.
Lamp. Servatur: ſed illæc ſe quandam ajebat mulierem
Suam benevolentem convenire etiam prius,
Commune quacum id eſſet ſibi negotium.
Et ſcio venturam. *Mel.* Me indicabit, & ſuas
Ad meas miſerias addet. *Phan.* Fac me conſciam.
Quid nunc vis facere me? *Lamp.* Intro abi, atque animo bono es.
Vir tuus ſi veniet, jube domi opperirier,
Ne in quæſtione mihi ſit, ſi quid eum velim.
Ego ad anum recurro rurſum. *Phan.* Lampadio, obſecro,
Cura. *Lamp.* Perfectum ego hoc dabo negotium.
Phan. Deos teque ſpero. *Lamp.* Eoſdem ego, uti abeas domum.
Mel. Adoleſcens aſta, atque audi. *Lamp.* Men' mulier vocas?
Mel. Te. *Lamp.* Quid negotii eſt? nam occupatus ſum ampliter.
Mel. Quis iſtic habitat? *Lamp.* Demipho dominus meus.
Mel. Nempe iſtic eſt, qui Alceſimarcho filiam
Suam deſpondit in divitias maxumas?
Lamp. Is ipſus eſt. *Mel.* Eho tu, quam vos igitur filiam
Nunc quæritatis alteram? *Lamp.* Ego dicam tibi.
Non ex uxore gnatam uxoris filiam.
Mel. Quid iſtuc eſt verbi? *Lamp.* Ex priore muliere
Nata, inquam, meo hero filia eſt. *Mel.* Certe modo

Hujus

Hujus, quæ locuta eſt, quærere ajebas filiam.
Lamp. Hujus ego quæro. *Mel.* Quo modo igitur, obſecro,
Hæc prior, quæ nupta nunc eſt? *Lamp.* Conteris
Tu tua me oratione, mulier, quiſquis es.
Medioxumam quam duxit uxorem, ex ea
Nata eſt hæc virgo, Alceſimarcho quæ datur.
Ea uxor diem obiit. jam ſcis? *Mel.* Teneo illuc ſatis.
Sed ego illud quæro confragoſum, quo modo
Prior poſterior ſit, poſterior ſit prior?
Lamp. Prius hanc compreſſit, quam uxorem duxit domum:
Prius gravida facta eſt, priuſque peperit filiam.
Eam poſtquam peperit, juſſit parvam projici.
Ego projeci eam, alia mulier ſuſtulit:
Ego inſpectavi. herus hanc duxit poſt ibi.
Eam nunc puellam filiam ejus quærimus,
Quid nunc ſuoina ſurſum in cœlum conſpicis?
Mel. I nunc jam iſtuc quo properabas, nihil moror.
Nunc intellexi. *Lamp.* Diis hercle habeo gratiam:
Nam ni intellexes, nunquam credo amitteres.
Mel. Nunc mihi bonæ neceſſum 'ſt eſſe ingratiis,
Quanquam eſſe nolo. rem palam eſſe intellego.
Nunc egomet potius hanc inibo gratiam
Ab illis, quam illæc judicet me: ibo domum,
Atque ad parentes ſuos reduco Silenium.

ACTUS TERTIUS.

Melænis, *Alceſimarchus*, *Silenium*.

REm elocuta ſum tibi omnem: ſequere me, mea Silenium.
Ut eorum, cujam eſſe oportet te, ſis potius quam mea.
Quanquam invita te carebo, meum animum ego inducam tamen,
Ut illud quod tuam in rem bene conducat, conſulam.
Nam hic crepundia inſunt, quibuſcum te illa olim ad me detulit,
Quæ mihi dedit: parentes te ut cognoſcant facilius.
Accipe hanc ciſtellam, Haliſca, atque agedum pulta illas fores.
Dic me orare, ut aliquis intus prodeat propere ocius.
Alc. Accipe me ad te, Mors, amicum & benevolum. *Sil.* Mater mea,
Periimus miſeræ. *Alc.* Utrum hac me feriam, an ab læva latus? *Mel.* Quid tibi
Eſt? *Sil.* Alceſimarchum non vides tenentem ferrum manu?
Alc. Ecquid agis? remorare? lumen linque. *Sil.* Amabo accurrite,
Ne ſe interimat. *Alc.* O ſalute mea ſalus ſalubrior,
Tu nunc, ſive ego volo ſeu nolo, ſola me ut vivam facis.
Mel. Hau! voluiſti iſtuc ſeverum facere? *Alc.* Nihil mecum tibi:
Mortuus tibi ſum: hanc ut habeo, certum eſt non amittere.
Nam hercle jam ad me agglutinandam totam decretum eſt dare.
Ubi eſtis ſervi? occludite ædes peſſulis, repagulis,
Ubi hanc ego tetulero intra limen. *Mel.* Abiit, abſtulit
Mulierem, ibo, perſequar jam illum intro, ut hæc ex me ſciat
Eadem, ſi poſſum tranquillum facere ex irato mihi.

ACTUS QUARTUS
SSENA I.

Lampadiſcus ſervus, *Phanoſtrata* mulier.

NUllam ego me vidiſſe credo magis anum excruciabilem
Quam illæc eſt. quæ dudum faſſa eſt mihi, quæ ne inficias eat!
Sed eccam heram video. ſed quid hoc eſt, hæc quod ciſtella hic jacet
Cum crepundis? nec quenquam conſpicor alium in in via?
Faciundum eſt puerile officium: conquiniſcam ad ciſtulam.
Phan. Quid agis. Lampadio? *Lamp.* Hæc ciſtella numnam hinc ab nobis domo eſt?
Nam hinc ab oſtio jacentem ſuſtuli. *Phan.* Quid nuncias
Super anu? *Lamp.* Sceleſtiorem in terra nullam eſſe alteram.
Omnia inficias ire ea, quæ dudum confeſſa eſt mihi.
Nam hercle ego illam anum irridere me ut ſinam? ſatius eſt mihi
Quovis exitio interire. *Phan.* Di obſecro voſtram fidem.
Lamp. Quid deos obſecras? *Phan.* ſervate nos. *Lamp.* Quid eſt? *Phan.* Crepundia
Hæc ſunt, quibuſcum tu extuliſti noſtram filiolam ad necem.
Lamp. Sanane es? *Phan.* Hæc ſunt profecto. *Lamp.* Pergin? *Phan.* Hæc ſunt. *Lamp.* Si mihi
Alia mulier iſtoc pacto dicat, dicam eſſe ebriam.
Phan. Non ecaſtor caſſa memoro. nam, obſecro, unde hæc gentium?
Aut quis deus objecit hanc ante oſtium noſtrum? quaſi
Dedita opera in tempore ipſo Spes mihi ſancta ſubvenit.

ACTUS IV. SCENA II.

Haliſca ancilla, *Lampadiſcus* ſervus, *Phanoſtrata* mulier.

NIſi quid mihi opis
Di dant, diſperii: neque unde auxilium expetam habeo.
Itaque petulantia mea me animi miſeram habet:
Quæ in tergum meum ne veniat, male formido:
Si hera mea ſciat, tam ſocordem eſſe, quam ſum.
Quamne in manibus tenui atque accepi hic ante ædes
Ciſtellam? ubi ea ſit, neſcio: niſi, ut opinor,
Loca hæc circiter excidit mihi. mi homines,
Mi ſpectatores, facite indicium, ſi quis
Vidit, ſi quis eam abſtulerit, quiſve
Suſtulerit, & utrum hac an illac iter inſtiterit.
Non ſum ſcitior, quæ hos rogem, aut quæ fatigem,
Qui ſemper malo muliebri ſunt lubentes.
Nunc veſtigia hic, ſi qua ſunt, noſcitabo.
Nam ſi nemo hac præteriit, poſtquam intro abii,
Ciſtella hic jaceret. quid? hic? periit opinor.
Actum eſt: ilicet me infelicem & ſceleſtam.
Nulla eſt, neque ego ſum uſquam. perdita perdidit me.
Sed pergam, ut cœpi tamen: quæritabo.
Nam & intus paveo, & foris formido: ita nunc
Utro-

Utrobique me metus agitat: illo ſunt homines miſere
Miſeri. ille nunc lætus eſt, quiſquis eſt, qui illam habet:
Quæ neque illa illi quidquam uſui 'ſt: mihi eſſe poteſt.
Sed memet moror, quom hoc ago ſecius.
Haliſca, hoc age: ad terram aſpice, & diſpice:
Oculis inveſtigans aſtute augura. *Lamp.* Hera, hem tibi!
Phan. Quid eſt? *Lamp.* Hæc eſt? *Phan.* Quis? *Lamp.* Quoi hæc excidit ciſtella:
Certe eccum locum ſignat, ubi ea excidit. *Phan.* Apparet.
Hal. Sed is hac iit: hac ſocci video veſtigium
In pulvere: perſequar hac. in hoc jam loco cum altero
Conſtitit. hic meis turbo oculis modo ſe objecit:
Neque prorſum iniit hac. hic ſtetit: hinc illuc exiit: hic
Concilium fuit. ad duos attinet: hi qui qui ſunt!
Atat, ſingulum video veſtigium. ſed is hac abiit.
Contemplabor. hinc huc iit: hinc nuſquam abiit.
Actam rem ago. quod periit, periit; meum corium
Cum ciſtella. redeo intro. *Phan.* Mulier, mane: ſunt
Qui volunt te conventam. *Hal.* Quis me revocat?
Lamp. Bona femina, & malus maſculus volunt te.
Hal. Malum aufer, bonum mihi opus eſt. poſtremo, ille
Plus, qui vocat, ſcit quod velit, quam ego quæ vocor. revortor.
Ecquem vidiſti quærere hic, amabo, in hac regione
Ciſtellam cum crepundiis, quam ego hic amiſi miſera?
Nam dudum ut accurrimus ad Alceſimarchum, ne ſuam vitam
Interimeret, tum mihi puto præ timore hic excidiſſe
Ciſtellam. *Lamp.* Hæc mulier noſtra eſt; quin operam damus, hera, parumper.
Hal. Diſperii miſera! quid ego heræ meæ dicam? quæ me opere tanto
Servare juſſit, qui ſuos Silenium parentes
Facilius poſſet noſcere, quæ heræ meæ ſuppoſita eſt parva:
Quam quædam meretrix ei dedit. *Lamp.* Noſtram hæc rem fabulatur.
Hanc ſcire oportet, filia tua ubi ſit, ſigna ut dicit.
Hal. Nunc eam volt ſuæ matri & patri, quibus nata eſt, reddere ultro.
Mi homo, obſecro, alias res geris, ego tibi meas res mando.
Lamp. Iſtuc ago: atque iſtuc mihi cibus eſt, quod fabulare:
Sed inter rem agendam iſtam heræ huic reſpondi, quod rogitat.
Nunc ad te redeo; ſi quid eſt opus, dic, impera & tu.
Quid quæritabas? *Hal.* Mi homo, & mea mulier, vos ſaluto.
Phan. Et nos te. ſed quid quæritas? *Hal.* Veſtigium hic requiro,
Qua aufugit quædam neſcio quo mihi. *Phan.* Quid id? quid idnam eſt?
Hal. Alienum quod damnum afferat, & mærorem familiarem.
Lamp. Mala merx, hera, hæc & callida eſt. *Phan.* Ecaſtor ita videtur.
Lamp. Imitatur nequam beſtiam & damnificam. *Phan.* Quamnam, amabo?
Lamp. Involvolum, quæ in pampini folio intorta implicat ſe:
Itidem hæc exorditur ſibi intortam orationem.
Quid quæritas? *Hal.* Ciſtella mihi hic, mi adoleſcens, evolavit.
Lamp. In caveam latam oportuit. *Hal.* Non edepol præda magna.
Lamp. Mirum, quin grex venalium in ciſtella infuerit una.
Phan. Sine dicat. *Lamp.* Si dicat quidem. *Phan.* Age loquere tu, quid ibi infuerit.
Hal. Crepundia una. *Lamp.* Eſt quidam homo, qui illam ait ſe ſcire ubi ſit.
Hal. At pol ille a quadam muliere, ſi eam monſtret, gratiam ineat.
Lamp. At ſibi ille quidam volt dari mercedem. *Hal.* At pol illa quædam,
Quæ illam ciſtellam perdidit, quoidam negat eſſe, quod det.
Lamp. At enim ille quidam argentum expetit. *Hal.* At nequicquam argentum expetit.
Lamp. At pol ille quidam, mulier, in nulla opera gratuita eſt.
Phan. Commoda loquelam tuam: tibi nunc proderit: confitemur
Ciſtellam habere. *Hal.* At vos Salus ſervaſſit. ubi ea nunc eſt?
Phan. Salvam eccam. ſed ego rem meam magnam confabulari
Tecum volo. ſociam te mihi adopto ad meam ſalutem.
Hal. Quid iſtuc negotii eſt? aut quis es? *Phan.* Ego ſum illius mater,
Quæ hæc geſtitavit. *Hal.* Hiccine tu ergo habitas? *Phan.* Ariolare.
Sed, quæſo, ambages, mulier, mitte, atque hoc age:
Eloquere, unde hæc ſunt tibi, cito, crepundia.
Hal. Mea hæc herilis geſtitavit filia.
Lamp. Mentiris. nam mea geſtitavit, non tua.
Phan. Ne obloquere. *Lamp.* Taceo. *Phan.* Mulier, perge dicere.
Ubi ea eſt, quæ geſtitavit? *Hal.* Hic in proxumo.
Phan. Iſtic quidem edepol mei viri habitat gener.
Lamp. Næ. *Phan.* Obloquere rurſum? perge porro dicere.
Quot annos nata dicitur? *Hal* Septem & decem.
Phan. Mea eſt. *Lamp.* Ea eſt, ut numerus annorum attulit.
Hal. Quod quærebas, repperiſti: jam quæro meam.
Lamp. At pol hæ ſuas nactæ ſunt: quæro tertiam.
Phan. Quod quæritabam, filiam inveni meam.
Hal. ÆQUOM eſt tenere, per fidem quod creditum eſt,
Ne bene merenti ſit malo benignitas.
Noſtra hæc alumna eſt tua profecto filia:
Et reddituta hera eſt tibi tuam: & ea gratia
Domo profecta eſt. cæterum ex ipſa, obſecro,
Exquiritote: ego ſerva ſum. *Phan.* Æquom poſtulas.
Hal. Illius ego iſtanc eſſe malo gratiam.
Sed iſtanc ciſtellam te obſecro ut reddas mihi.
Phan. Quid ait, Lampadio? *Lamp.* Quod tuum eſt, teneas tuum.
Phan. At me hujus miſeret. *Lamp.* Sic faciundum cenſeo.
Da iſti ciſtellam, & intro abi cum iſtac ſimul.
Phan. Tibi auſcultabo. tene tu ciſtellam tibi.
Abeamus intro. ſed quod nomen eſt tuæ
Dominæ? *Hal.* Melænis. *Phan.* I, i præ, jam ego te ſequar.

ACTUS

ACTUS QUINTUS.

Demipho ſenex, *Lampadio* ſervus.

QUid hoc negotii eſt, quod omnes homines fabulantur per vias,
Mihi eſſe filiam inventam? & Lampadionem me in foro
Quæſiviſſe ajunt. *Lamp.* Here, unde is? *Dem.* Ex ſenatu. *Lamp.* Gaudeo
Tibi mea opera liberorum eſſe amplius. *Dem.* Etenim non placet.
Nihil moror aliena opera mihi fieri plures liberos.
Sed quid iſtuc eſt? *Lamp.* Propera ire intro huc ad athnem tuum:
Filiam tuam jam cognoſces. intus ibidem uxor tua eſt.
Abi cito. *Dem.* prævorti hoc certum'ſt rebus aliis omnibus.

Caterva.

NE exſpectetis, ſpectatores, dum illi huc ad vos exeant.
Nemo exibit: omnes intus conficient negotium.
Ubi id erit factum, ornamenta ponent. poſtidea loci
Qui deliquit, vapulabit: qui non deliquit, bibet.
Nunc quod ad vos, ſpectatores, reliquom relinquitur,
More majorum date plauſum poſtrema in Comœdia.

FINIS CISTELLARIÆ.

EPIDICUS.

Dramatis Perſonæ.

EPIDICUS *ſervus.*	MILES.
THESPRIO *ſervus.*	PHILIPPA *Mulier.*
STRATIPPOCLES *adoleſcens.*	VIRGO.
CHÆRIBULUS *adoleſcens.*	FIDICINA.
APŒCIDES *ſenex.*	DANISTA.
PERIPHANES *ſenex.*	GREX.

ARGUMENTUM.

E*Mit fidicinam, filiam credens, ſenex*
Perſuaſu ſervi, aliam qui conductitiam
Iterum pro amica ei ſubjecit. filio
Dat herili argentum. eo ſororem deſtinat
Imprudens juvenis. mox compreſſæ, ac militis
Cognoſcit opera ſibi ſenex os ſublitum,
Ut ille amicam, hæc quæritabat filiam.
Sed inventa gnata, ſervolum emittit manu.

ACTUS PRIMUS

SCENA I.

Epidicus, *Theſprio* conſervi.

HEus adoleſcens. *The.* Quis properantem me prehendit pallio?
Epid. Familiaris. *The.* Fateor. nam odio es nimium familiariter.
Epid. Reſpice vero, Theſprio. *The.* Oh! Epidicumne ego conſpicor?
Epid. Certe oculis uteris. *The.* Salve. *Epid.* Dii dent, quæ velis.
Venire ſalvom gaudeo. *The.* Quid ceterum? *Epid.* Quod eo aſſolet,
Cœna tibi dabitur. *The.* Spondeo. *Epid.* Quid? *The.* Me accepturum, ſi dabis.
Epid. Quid tu? agis ut velis? *The.* Exemplum adeſt. *Epid.* Intellego. eugepæ!
Corpulentior videre atque habitior. *The.* huic gratia.
Epid. Quam quidem jamdiu te perdidiſſe oportuit.
The. Minus jam furtificus ſum, quam antehac. *Epid.* Quid ita? *The.* Rapio propalam.
Epid. Di immortales infelicent, ut tu es gradibus grandibus!
Nam ut apud portum te conſpexi, curriculo occœpi ſequi:
Vix adipiſcendi poteſtas modo fuit. *The.* Scurra es. *Epid.* Scio
Te eſſe quidem hominem militarem. *The.* Audacter quamvis dicito.
Epid. Quid ais? perpetuon' valuiſti? *The.* Varie. *Epid.* Qui varie valent,
Caprigenum hominum non placet mihi, neque pantherinum genus.
The. Quid tibi vis dicam, niſi quod eſt? *Epid.* Ut illa reſpondeas probe.
Quid herilis noſter filius? valet? *The.* Pugilice atque athletice.
Epid. Voluptabilem mihi nuncium tuo adventu attuliſti. ſed ubi
Eſt is? *The.* Adveni ſimul. *Epid.* Ubi is ergo eſt? niſi ſi in vidulo,
Aut ſi in melina attuliſti. *The.* Dii te perdant! *Epid.* Te volo
Percontari. operam da: opera reddibitur tibi.
The. Jus dicis. *Epid.* Me decet. *The.* Jam tu autem nobis præturam geris?
Epid. Quem dices digniorem eſſe hominem hodie Athenis alterum?
The. At unum a prætura tua, Epidice, abeſt. *Epid* Quidnam? *The.* Scies.
Lictores duo, duo viminei faſces virgarum. *Epid.* Væ tibi!
Sed quid ais? *The.* Quid rogas? *Epid.* Ubi arma ſunt Stratippocli?
The. Pol illa ad hoſtes transfugerunt. *Epid.* Armane? *The.* Atque quidem cito.
Epid. Serione dicis tu? *The.* Serio, inquam: hoſtes habent.
Epid. Edepol facinus improbum. *The.* At jam ante alii fecerunt idem.
Erit illi illa res honori. *Epid.* Qui? *The.* Quia antea aliis fuit.

Epid. Mulciber credo arma fecit, quæ habuit Stratippocles.
Travolaverunt ad hoſtes. tum ille prognatus Theti
Sine perdat: alia apportabunt ei Nerei filiæ.
Id modo videndum eſt, ut materies ſuppetat ſcutariis,
Si in ſingulis ſtipendiis is ad hoſtes exuvias dabit.
The. Superſede iſtis rebus jam. *Epid.* Tu ipſe, ubi lubet, finem face.
The. Deſiſte percunctarier. *Epid.* Eloquere, ipſe ubi eſt Stratippocles?
The. Eſt cauſa, qua cauſſa ſimul mecum ire veritu'ſt. *Epid.* Quidnam id eſt?
The. Patrem videre ſe non volt etiam nunc. *Epid.* Quapropter? *The.* Scies.
Quia forma lepida & liberali captivam adoleſcentulam
De præda mercatu'ſt. *Epid.* Quid ego ex te audio? *The.* Hoc quod fabulor.
Epid. Cur eam emit? *The.* Animi cauſſa. *Epid.* Quot illic homo animos habet?
Nam certo, priuſquam hinc ad legionem abiit domo,
Ipſe mandavit mihi, ab lenone ut fidicina,
Quam amabat, emeretur ſibi. id ei impetratum reddidi.
The. UTCUMQUE in alto ventus eſt, Epidice, exin velum vortitur.
Epid. Væ miſero mihi! male perdidit me. *The.* Quid iſtuc? quidnam eſt?
Epid. Quid? iſtanc quam emit, quanti eam emit? *The.* Vili. *Epid.* Haud iſtuc te rogo.
The. Quid igitur? *Epid.* Quot minis? *The.* Tot. *Epid.* Quadraginta minis!
The. Id adeo argentum ab Daniſta apud Thebas ſumpſit fœnore,
In dies minaſque argenti ſingulas, nummis. *Epid.* Papæ!
The. Et is Daniſta advenit una cum eo, qui argentum petit.
Epid. Di immortales, ut ego interii baſilice! *The.* Quid jam? aut quid eſt,
Epidice? *Epid.* Perdidit me. *The.* Quis? *Epid.* Ille qui perdidit arma. *The.* Nam
Quid ita? *Epid.* Quia cotidie ipſe ad me ab legione epiſtolas
Mittebat. ſed taceam optumum eſt. PLUS SCIRE ſatius eſt, quam loqui
Servom hominem. ea ſapientia eſt. *The.* Neſcio edepol, quid tu timidus es.
Trepidas, Epidice: ita voltum tuum video: videre commeruiſſe
Hic, me abſente, in te aliquid mali. *Epid.* Potin' uti moleſtus ne ſies?
The. Abeo. *Epid.* Aſta, abire hinc non ſinam. *The.* Quid nunc me retines?
Epid. Amatne iſtam, quam emit de præda? *The.* Rogas? deperit.
Epid. Detegetur corium de tergo meo. *The.* Pluſque amat, quam te unquam amavit.
Epid. Juppiter te perduit. *The.* Mitte nunc jam, nam ille me vetuit domum
Venire: ad Chæribulum juſſit huc in proxumum. ibi manere juſſit:
Eo venturus eſt ipſe. *Epid.* Quid ita? *The.* Dicam. quia patrem
Prius ſe convenire non volt, neque conſpicari, quam id argentum,
Quod debetur pro illa, dinumeraverit. *Epid.* Heu edepol res turbulentas!
The. Mitte me, ut eam nunc jam. *Epid.* Hæccine ubi ſcibit ſenex? puppis
Pereunda eſt probe. *The.* Quid iſtuc ad me attinet, quo tu intereas modo?
Epid. Quia perire ſolus nolo, te cupio perire mecum,
Benevolens cum benevolente. *The.* Abi in malam rem maxumam a me
Cum iſtac conditione. *Epid.* I ſane, ſi quid feſtinas magis.
The. Nunquam hominem quemquam conveni, unde abierim lubentius.
Epid. Illic hinc abiit: ſolus es: nunc quo in loco hæc res ſit, vides,
Epidice: niſi quid tibi in tete auxilii eſt, abſumptus es.
Tantæ in te impendent ruinæ: niſi ſuſtulcis firmiter,
Non potes ſubſiſtere, itaque in te irruunt montes mali.
Neque, ego nunc quomodo me expeditum ex impedito faciam,
Conſilium placet. ego miſer perpuli meis dolis ſenem,
Ut cenſeret ſuam ſeſe emere filiam. is ſuo filio
Fidicinam emit, quam ipſe amat, quam abiens mandavit mihi.
Is ſibi nunc alteram ab legione adduxit animi
Cauſſa. corium perdidi: nam ubi ſenex ſenſerit
Sibi data eſſe verba, virgis dorſum depoliet meum.
At enim tu præcave. nihil eſt iſtuc. plane hoc corruptum 'ſt caput.
Nequam homo es, Epidice. qui tibi libido 'ſt male loqui?
Quia tute te deſeris. quid faciam? men' tu rogas?
Tu quidem antehac aliis ſolebas dare conſilia mutua.
Quid? aliquid reperiundum eſt. ſed ego ceſſo ire obviam
Adoleſcenti, ut, quid negotii ſit, ſciam? atque ipſe illic eſt.
Triſtis eſt. cum Chæribulo incedit æquali ſuo.
Huc concedam, orationem unde horum placide perſequar.

ACTUS I. SCENA II.

Stratippocles, *Chæribulus*, adoleſcentes, *Epidicus* ſervus.

REm tibi ſum elocutus omnem, Chæribule, atque admodum
Meorum mærorum atque amorum ſummam edictavi tibi.
Chær. Præter ætatem & virtutem ſtultus es, Stratippocles.
Idne pudet te, quia captivam, genere prognatam bono,
In præda es mercatus? quis erit, vitio quid id vortat tibi?
Str. Qui invident, omnes inimicos mihi iſtoc facto repperi:
At pudicitiæ ejus numquam nec vim, nec vitium attuli.
Chær. Jam iſtoc probior es, meo quidem animo, cum in amore temperes.
Str. NIHIL AGIT, qui diffidentem verbis ſolatur ſuis.
IS EST AMICUS, qui in re dubia, re juvat, ubi re eſt opus.
Chær. Quid tibi me vis facere? *Str.* Argenti dare quadraginta minas,
Quod daniſtæ detur, unde ego illud ſumſi fœnore.
Chær. Si hercle haberem, non negarem. *Str.* Nam QUID te igitur retulit
BENEFICUM eſſe oratione, ſi ad rem auxilium emortuum eſt?

Chær.

Chær. Quin edepol egomet clamore deſatigor, differor.
Str. Malim iſtiuſmodi mihi amicos furno merſos quam foro.
Sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioſo velim.
Quem quidem ego hominem irrigatum plagis piſtori dabo,
Niſi hodie prius comparaſſit mihi quadraginta minas,
Quam argenti fuero elocutus ei poſtremam ſyllabam.
Epid. Salva res eſt: bene promittit: ſpero ſervabit item.
Sine meo ſumtu paratæ jam ſunt ſcapulis ſymbolæ.
Aggrediar hominem. advenientem peregre herum ſuum Stratippoclem
Salva impertit ſalute ſervos Epidicus. *Str.* Ubi is eſt? *Epid.* Adeſt.
Salvom te gaudeo huc adveniſſe. *Str.* Tam tibi iſtuc credo, quam mihi.
Epid. Benene uſque valuiſti? *Str.* A morbo valui, ab animo æger fui.
Epid. Quod ad me attinuit, ego curavi: quod mandaſti mihi,
Impetratum eſt: empta ancilla 'ſt, quod tute ad me literas
Miſſiculabas. *Str.* Perdidiſti omnem operam. *Epid.* Nam qui perdidi?
Str. Quia meo neque cara eſt cordi, neque placet. *Epid.* Quid retulit
Mihi tantopere te mandare, & mittere ad me epiſtolas?
Str. Illam amabam olim, nunc jam alia cura impendet pectori.
Epid. Hercle MISERUM EST, ingratum eſſe hominem, id quod facias bene.
Ego quod beneſeci, maleſeci: quia amor mutavit locum.
Str. Deſipiebam mentis, cum illas ſcriptas mittebam tibi.
Epid. Men' piacularem oportet fieri ob ſtultitiam tuam?
Ut meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdas ſuccidaneum?
Str. Quid iſtic verba facimus? huic homini opus eſt quadraginta minis
Celeriter calidis, Daniſtæ quas reſolvat, & cito.
Epid. Dic modo, unde auferre me vis: a quo trapezita peto?
Chær. Unde libet. nam ni ante Solem occaſum *hoc argentum eloces*,
Meam domum ne imbitas: tu te in piſtrinum *recta inferas*.
Epid. Facile tu iſtuc ſine periculo & cura, corde libero
Fabulare. novi ego noſtros: mihi dolet, quom ego vapulo.
Str. Quid tu nunc? patierin' ut ego me interimam? *Epid.* Ne feceris.
Ego iſtuc accedam periculum potius atque audaciam.
Str. Nunc places: nunc ego te laudo. *Epid.* Patiar ego iſtuc quod lubet.
Str. Quid de illa fiet fidicina igitur? *Epid.* Aliqua reperibitur:
Aliqua ope exſolvam, extricabor aliqua. *Str.* Plenus conſilii es.
Novi ego te. *Epid.* Eſt Euboicus miles locuples, multo auro potens,
Qui ubi tibi iſtam emtam eſſe ſcibit, atque hanc adductam alteram,
Continuo te orabit ultro, ut illam tranſmittas ſibi.
Sed ubi illa eſt, quam tu adduxiſti tecum? *Str.* Jam faxo hic erit.
Chær. Quid hic nunc agimus? *Str.* Eamus intro huc ad te, ut hunc hodie diem
Luculente habeamus. *Epid.* Ite intro. ego de re argentaria
Jam ſenatum convocabo in corde conſiliarium,
Quoi potiſſumum indicatur bellum, unde argentum auferam.
Epidice, vide quid agas: ita res ſubito hæc objecta eſt tibi.
Non enim nunc tibi dormitandum, neque cunctandi copia eſt.
At eundem ſenem oppugnare certum eſt conſilium: i, i,
Abi intro, atque adoleſcenti dic jam noſtro herili filio,
Ne hic foras ambulet, neve uſquam veniat obviam ſeni.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

Apœcides, *Periphanes*, ſenes duo.

PLERIQUE HOMINES, quos cum nihil refert, pudet; ubi pudendum eſt,
Ibi eos deſerit pudor, cum uſus eſt ut pudeat. is adeo tu es. quid
Eſt, quod pudendum ſiet, genere natam bono, pauperem domum
Ducere uxorem? præſertim eam, qua ex tibi commemores
Hanc, quæ domi eſt, filiam prognatam. *Per.* Revereor filium.
Ap. At pol ego te credidi uxorem, quam tu extuliſti, pudore exſequi:
Quojus quoties ſepulcrum vides, ſacruficas illico Orco hoſtiis:
Neque adeo injuria, quia licitum eſt eam tibi vivendo vincere.
Per. Oh, Hercules ego fui, dum illa mecum fuit. neque ſexta ærumna
Acerbior Herculi, quam illa mihi eſt objecta, *Ap.* PULCHRA
Edepol dos pecunia eſt. *Per.* Quæ quidem pol non maritata eſt.

ACTUS II. SCENA II.

Epidicus ſervus, *Apœcides*, *Periphanes* ſenes duo.

ST, ſt! tacete. habete animum bonum. liquido exeo foras
Auſpicio, avi ſiniſtra: acutum cultrum habeo, ſenis qui exenterem
Marſupium. ſed eccum ipſum ante ædes conſpicor Apœcidæ.
Quales volo, vetulos duos. jam ego me convortam in hirudinem,
Atque eorum exſugebo ſanguinem, ſenati qui columen cluent.
Ap. Continuo ut maritus fiat. *Per.* Laudo conſilium tuum.
Ap. Nam ego illum audivi in amorem hærere apud neſcio quam fidicinam.
Per. Id ego excrucior. *Epid.* Di hercle me omnes adjuvant, augent, amant.

Ipſi hi quidem mihi dant viam, quo pacto ab ſe argentum auferam.
Age nunc jam orna te, Epidice, & palliolum in collum conjice;
Itaque aſſimulato, quaſi per urbem totam hominem quæſiveris.
Age, ſi quid agis. Dii immortales! utinam conveniam domi
Periphanem! per omnem urbem quem ſum defeſſus quærere:
Per medicinas, per tonſtrinas, in gymnaſio, atque in foro,
Per myropolia, & lanienas, circumque argentarias.
Rogitando ſum raucus factus, pæne in curſu concidi.
Per. Epidice. *Epid.* Epidicum quis eſt qui revocat? *Per.* Ego ſum Periphanes.
Ap. Et ego Apœcides ſum. *Epid.* Et ego quidem ſum Epidicus. ſed, here, optuma
Vos video ambo advenire opportunitate. *Per.* Quid rei eſt?
Epid. Mane: ſine reſpirem, quæſo. *Per.* Immo acquieſce. *Epid.* Animo male eſt.
Recipiam anhelitum. *Per.* Clementer requieſce. *Epid.* Animum advortite.
A legione omnes remiſſi ſunt domum Thebis. *Ap.* Quis hoc
Scit factum? *Epid.* Ego ita eſſe factum dico. *Per.* Sin' tu iſtuc? *Epid.* Scio.
Per. Qui tu ſcis? *Epid.* Quia ego ire vidi milites plenis viis.
Arma referunt, & jumenta ducunt. *Per.* Nimis factum bene!
Epid. Tum captivorum quid ducunt ſecum! pueros, virgines,
Binos, ternos: alius quinque: fit concurſus per vias.
Filios ſuos quiſque viſunt. *Per.* Hercle rem geſtam bene!
Epid. Tum meretricum numerus tantus, quantum in urbe omni fuit,
Obviam ornatæ occurrebant ſuis quæque amatoribus:
Eos captabant. id adeo, qui maxume animum advorterim:
Pleræque hæ ſub veſtimentis ſecum habebant retia.
Quom ad portum venio, atque ego illam illic video præſtolarier:
Et cum ea tibicinæ ibant quatuor. *Per.* Quicum, Epidice?
Epid. Cum illa, quam tuus gnatus annos multos deamat, deperit,
Ubi fidemque, remque, ſeque, teque properat perdere.
Ea præſtolabatur illum apud portum. *Per.* viden' veneficam!
Epid. Sed veſtita, aurata, ornata ut lepide! ut concinne! ut nove!
Per. Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam, an
Impluviatam? ut iſtæ faciunt veſtimentis nomina.
Epid. Utin' impluvium induta eat! *Per.* Quid iſtuc eſt mirabile?
Quaſi non fundis exornatæ multæ incedant per vias.
At tributus cum imperatus eſt, poteſſe pendi negant:
Illis, quibus tributus major penditur, pendi poteſt.
Quid iſtæ, quæ veſti quotannis nomina inveniunt nova:
Tunicam rallam, tunicam ſpiſſam, linteolum cæſicium,
Induſiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam,
Supparum, aut ſubminiam, ricam, baſilicum, aut exoticum,
Cumatile aut plumatile, cerinum aut melinum. gerræ maxumæ!
Cani quoque etiam ademtum 'ſt nomen. *Epid.* Qui? *Per.* Vocant Laconicum.
Hæc vocabula auctiones ſubigunt ut faciant viri.
Quin tu, ut occœpiſti, loquere. *Epid.* Occœpere aliæ mulieres
Duæ poſt me ſic fabulari inter ſeſe. ego abſceſſi ſolens
Paullum ab illis: diſſimulabam me harum ſermoni operam dare.
Nec ſatis exaudiebam, nec ſermonis fallebar tamen,
Quæ loquerentur. *Per.* Id lubido eſt ſcire. *Epid.* Ibi illarum altera
Dixit illi, quicum ipſa ibat. *Per.* Quid? *Epid.* Tace ergo, ut audias.
Poſtquam illam ſunt conſpicatæ, quam tuus gnatus deperit,
Quam facile & quam fortunate evenit illi, obſecro, mulieri,
Liberare quam volt amator! quiſnam is eſt? inquit altera
Illi. ibi nominat Stratippoclem Periphanæ filium. *Per.* Perii
Hercle! quid ego ex te audio? *Epid.* Hoc quod actum. egomet poſt, ubi illas audivi loqui,
Cœpi rurſum vorſum ad illas pauxillatim accedere,
Quaſi retruderet hominum me vis invitum. *Per.* Intellego.
Epid. Ibi illa interrogavit illam: Qui ſcis? quis id dixit tibi?
Quin hodie allatæ ſunt tabellæ ad eam a Stratippocle, eum
Argentum ſumſiſſe apud Thebas ab Daniſta fœnore:
Id paratum, & ſeſe ob eam rem id ferre. *Per.* Cedo, ego occidi!
Epid. Hæc ſic aiebat: ſic audiviſſe ab ſe, atque ab epiſtola.
Per. Quid ego faciam nunc? conſilium a te expetéſſo, Apœcides.
Ap. Reperiamus aliquid calidi conducibilis conſilii.
Nam ille quidem aut jam hic aderit, credo hercle, aut jam adeſt. *Epid.* Si æquom ſiet
Me plus ſapere quam vos, dederim vobis conſilium catum,
Quod laudetis, ut ego opinor, uterque. *Per.* Ergo ubi eſt, Epidice?
Epid. Atque ad eam rem conducibile. *Ap.* Quid iſtuc dubitas dicere?
Epid. Vos priores eſſe oportet, nos poſterius dicere,
Qui plus ſapitis. *Ap.* Eja vero, age dic. *Epid.* At deridebitis.
Ap. Non edepol faciemus. *Epid.* Immo, ſi placebit, utitor
Conſilium: ſi non placebit, reperitote rectius.
MIHI ISTIC nec ſeritur, nec metitur: niſi ea, quæ tu vis, volo.
Per. Gratiam habeo: fac participes nos tuæ ſapientiæ.
Epid. Continuo arbitretur uxor tuo gnato. atque ut fidicinam Illam,

Illam, quam is volt liberare, quæ illum corrumpit tibi,
Ulciſcare: atque ita curetur, uſque ad mortem ut ſerviat.
Ap. Fieri oportet. *Per.* Facere cupio quidvis, dum id fiat modo. *Epid.* Hem!
Nunc occaſio'ſt faciundi, priuſquam in urbem advenerit,
Sicut cras hic aderit; hodie non venerit. *Per.* Qui ſcis? *Epid.* Scio.
Quia mihi alius dixit, qui illinc venit, mane hic affore.
Per. Quin tu eloquere: quid faciemus? *Epid.* ſic faciundum cenſeo.
Quaſi tu cupias liberare fidicinam animi gratia,
Quaſique ames vehementer tu illam. *Per.* Quam ad rem iſtuc refert? *Epid.* Rogas?
Ut enim præſtines argento, priuſquam veniat filius,
Atque ita eam te in libertatem dicas emere. *Per.* Intellego.
Epid. Ubi erit emta, ut aliquo ex urbe amoveas: niſi quid tua
Secus ſententia eſt. *Per.* Immo docte. *Epid.* Quid tu autem, Apœcides?
Ap. Quid ego jam? niſi te commentum nimis aſtute intellego.
Epid. Jam igitur amota ei erit omnis conſultatio
Nuptiarum, ne gravetur, quod velis. *Ap.* Vive ſapis: & placet.
Epid. Tum tute igitur calide, quidquid acturus, age.
Per. Rem, hercle, loquere. *Epid.* Et repperi, hæc te qui abſcedat ſuſpicio.
Per. Sine me ſcire. *Epid.* Scibis: audi. *Ap.* Sapit hic pleno pectore.
Epid. Opus eſt homine, qui illo argentum deferat pro fidicina.
Nam te illo non æque opus facto'ſt. *Per.* Quid jam? *Epid.* Ne te cenſeat
Filii cauſſa facere. *Per.* docte. *Epid.* Quo illum ab illa prohibeas,
Ne qua ob eam ſuſpicionem difficultas eveniat.
Per. Quem hominem inveniemus ad eam rem utilem? *Epid.* Hic erit optumus.
Hic poterit cavere recte, Jura qui & Leges tenet.
Ap. Epidice, habeas gratiam. *Epid.* Sed ego iſtuc faciam ſedulo.
Ego illum conveniam, atque adducam huc ad te, quoia'ſt fidicina,
Atque argentum ego cum hoc feram. *Per.* Quanti emi poteſt minimo? *Epid.* Illane?
Ad quadraginta fortaſſe eam poſſe emi minimo minas.
Verum, ſi plus dederis, referam: nihil in ea re captio eſt.
Atque id non decem occupatum tibi erit argentum dies.
Per. Qui dum? *Epid.* Quia enim mulierem illam alius adoleſcens deperit,
Auro opulentus, magnus miles, Rhodius, raptor hoſtium,
Glorioſus. hic emet illam de te, & dabit aurum lubens.
Face modo: eſt lucrum hic tibi amplum. *Per.* Deos quidem oro. *Epid.* Impetras.
Ap. Quin tu is intro, atque huc argentum promis. ego viſam ad forum.
Epidice, eo veni. *Epid.* Ne abeas, priuſquam ego ad te venero.
Ap. Uſque opperiar. *Per.* Sequere tu intro. *Epid.* I, numera: nihil ego te moror.

ACTUS II. SCENA III.

Epidicus.

NUllum eſſe, opinor ego, agrum in agro Attico
Æque feracem, quam hic eſt noſter Periphanes:
Quin ex occluſo atque obſignato armario
Decutio argenti tantum, quantum mihi lubet.
Quod pol ego metuo, ſi ſenex reſciverit,
Ne ulmos paraſitos faciat, quæ uſque attondeant.
Sed me una turbat res ratioque: Apœcidi
Quam oſtendam fidicinam aliqua conductitiam.
Atque id quoque habeo. mane me juſſit ſenex
Conducere aliquam fidicinam ſibi huc domum,
Dum rem divinam faceret, cantaret ſibi.
Ea conducetur, atque ei præmonſtrabitur,
Quo pacto fiat ſubdola adverſus ſenem.
Ibo intro, argentum accipiam ab damnoſo ſene.

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

Stratippocles, Chæribulus.

EXſpectando exedor miſer, atque exenteror, quomodo mihi
Epidici blanda dicta eveniant. nimis diu maceror.
Sitne quid, necne ſit, ſcire cupio. *Chær.* Per illam tibi copiam,
Copiam parare aliam licet: ſcivi equidem in principio
Illico nullam tibi eſſe in illo copiam. *Str.* Interii hercle ego.
Chær. Abſurde facis, qui angas te animi. *Str.* Si hercle ego illum ſemel prehendero,
Numquam irridere nos illum inultum ſinam ſervom hominem.
Quid illum ferre vis? qui, tibi quoi divitiæ domi maxumæ
Sunt, is nummum nullum habes, nec ſodali tuo in te copia'ſt.
Chær. Si hercle habeam, pollicear lubens: verum aliquid, aliqua, aliquo modo,
Alicunde, ab aliqui, aliqua tibi ſpes eſt fore mecum fortunam.
Str. Væ tibi, muricide homo. *Chær.* Qui tibi lubet mihi male loqui?
Str. Quippe tu mihi aliquid, aliquo modo, alicunde, ab aliquibus blatis,
Quod nuſquam'ſt: neque ego id immitto in aures meas. nec mihi
Plus adjumenti ades, quam ille qui numquam etiam natu'ſt.

ACTUS III. SCENA II.

Epidicus, *Stratippocles*, *Chæribulus*.

FEciſti jam officium tu tuum: me meum nunc facere oportet.
Per hanc curam quieto tibi licet eſſe. Hoc quidem jam periit:
Ni quid tibi hinc in ſpem referas. hoc oppido politum eſt.
Crede modo tu mihi. ſic ego ago, ſic egere noſtri.
Pro di immortales, mihi hunc diem dediſtis luculentum!
Ut facilem, atque impetrabilem! ſed ego hinc migrare ceſſo,
Ut importem in coloniam hunc auſpicio commeatum?
Mihi ceſſo, cum ſto. ſed quid hoc? ante ædes duos ſodales,
Herum & Chæribulum conſpicor. quid hic agitis? accipe hoc ſis.
Str. Quantum hic ineſt? *Epid.* Quantum ſat eſt, & plus ſatis: ſuperſit.
Decem minis plus attuli, quam tu Daniſtæ debes.
Dum tibi ego placeam, atque obſequar, meum tergum flocciſacio.
Str. Nam quid ita? *Epid.* Quia ego tuum patrem faciam perenticidam.
Str. Quid iſtuc eſt verbi? *Epid.* Nihil moror vetera & vulgata verba,
Peratim ductare: at ego follitim ductitabo.
Nam Leno omne argentum abſtulit pro fidicina: ego reſolvi:
Manibus his dinumeravi; pater ſuam natam quam eſſe credit.
Nunc iterum ut fallatur pater, tibique auxilium apparetur,
Inveni viam. ita ego ſuaſi ſeni, atque hanc habui orationem,
Uti, tu quom rediſſes, ne tibi ejus copia eſſet.
Str. Euge, euge! *Epid.* Ea jam domi eſt pro illa. *Str.* Teneo. *Epid.* Nunc auctorem
Dedit mihi ad hanc rem Apœcidem. is apud forum manet me:
Quaſi quoi emeret, caveat. *Str.* Haud male. *Epid.* Jam ipſe cautor captu'ſt.
Ipſe in meo collo tuus pater cruminam collocavit.
Is adornat, adveniens domi extemplo ut maritus fias.
Str. Uno perſuadebit modo, ſi illam, quæ adducta eſt mecum,
Mihi ademſit Orcus. *Epid.* Nunc ego hanc aſtutiam inſtitui.
Deveniam ad lenonem domum egomet ſolus. eum ego docebo,
Si qui ad eum adveniant, ut ſibi datum eſſe argentum dicat
Pro fidicina: argenti minas ſe habere quinquaginta.
Quippe ego qui nudiuſtertius meis manibus dinumeravi
Pro illa tua amica, quam pater ſuam filiam eſſe retur.
Ibi Leno ſceleratum caput ſuum imprudens alligabit,
Quaſi pro illa argentum acceperit, quæ tecum adducta nunc eſt.
Chær. VORSUTIOR es, quam rota figularis. *Epid.* Jam ego parabo
Aliquam doloſam fidicinam, nummo conducta quæ ſit:
Quæ ſe emtam ſimulet, quæ ſenes duo docta luditicetur.
Eam ducet ſimul Apœcides ad tuum patrem. *Str.* Ut parate!
Epid. Eam permeditatam meis dolis, aſtutiiſque onuſtam
Mittam. ſed nimis longum loquor: diu me eſtis demorati.
Hæc ſcitis jam, ut futura ſint. abeo. *Str.* Bene ambulato.
Chær. Nimis doctus ille eſt ad maleſaciendum. *Str.* Me quidem certo
Servavit conſiliis ſuis. *Chær.* abeamus intro hinc ad me.
Str. Atque aliquanto lubentius quam abs te ſum egreſſus intus.
Virtute atque auſpicio Epidici cum præda in caſtra redeo.

ACTUS III. SCENA III.

Periphanes, *Apœcides*, ſenes duo, *Servus*.

NON ORIS CAUSSA modo homines æquom fuit
Sibi habere ſpeculum, ubi os contemplarent ſuum:
Sed, qui perſpicere poſſent cor, Sapientiæ,
Igitur perſpicere ut poſſint cordis copiam.
Ubi id inſpexiſſent, cogitarent poſtea,
Vitam ut vixiſſent olim in adoleſcentia.
Vel quaſi egomet, qui dum filii cauſſa cœperam
Ego me excruciare animi, quaſi quid filius
Meus deliquiſſet med erga: aut quaſi non plurimum
Malefacta mea eſſent ſolida, in adoleſcentia.
Profecto DELIRAMUS interdum ſenes.
Fuit conducibile hoc quidem mea ſententia.
Sed meus ſodalis it cum præda Apœcides.
Venire ſalvom mercatorem gaudeo.
Quid fit? *Ap.* Dii deæque te adjuvant. *Per.* Omen placet.
Ap. Quin omini omnes ſuppetunt res proſperæ.
Sed tu hanc jubeas intro abduci. *Per.* Heus foras
Exite huc aliquis, duce iſtam intro mulierem.
Atque audin'? *Ser.* Quid vis? *Per.* Cave ſiris cum filia
Mea copulari hanc; neque conſpicere: jam tenes?
In ædiculam iſtanc ſeorſum concludi volo.
DIVORTUNT mores virgini longe ac lupæ.
Ap. Docte & ſapienter dicis. NON NIMIS poteſt
Pudicitiam quiſquam ſuæ ſervare filiæ.
Edepol næ iſtam tempore gnato tuo
Sumus præmercati. *Per.* Quid jam? *Ap.* Quia dixit mihi
Jamdudum ſe alius tuum vidiſſe hic filium.
Per. Hanc edepol rem apparabat. *Ap.* Plane hercle hoc quidem eſt.
Næ tu habes ſervom graphicum, & quantivis pretii!
Non caru'ſt auro contra. ut ille fidicinam
Fecit neſcire prorſus, ſe eſſe emtam tibi!
Ita ridibundam atque hilarem huc adduxit ſimul.
Per. Mirum, hoc qui potuit fieri! *Ap.* Te pro filio
Facturum dixit rem eſſe divinam domi,
Quia Thebis ſalvos redierit. *Per.* Recte inſtitit.
Ap. Imo ipſus illi dixit, conductam eſſe eam,
Quæ hic adminiſtraret ad rem divinam tibi.
Facturum hoc dixit, rem eſſe divinam tibi domi.
Ego illic me autem ſic aſſimulabam quaſi
Stolidum, cum bardum me faciebam. *Per.* Immo ita decet.
Ap. Res magna amici apud forum agitur. ei volo
Ire advocatus. *Per.* At quæſo, ubi erit otium,
Revortere ad me extemplo. *Ap.* Continuo hic ero.
Per. NIHIL HOMINI amico eſt opportuno amicius,
Sine tuo labore, quod velis, actum eſt tamen.
Ego ſi allegaſſem aliquem ad hoc negotium
Minus hominem doctum, minuſque ad hanc rem callidum,

Os

Os ſublitum eſſet. itaque me albis dentibus
Meus derideret filius meritiſſumo.
Atque hæc STULTITIA 'ſt, me illi vitio vortere,
Egomet quod factitavi in adoleſcentia:
Quom militabam, pugnis memorandis meis
Eradicabam hominum aureis, quando occœperam.
Sed hic quis eſt, quem huc advenientem conſpicor.
Suam qui undantem chlamydem quaſſando facit?

ACTUS III. SCENA IV.

Miles, *Periphanes*, *Fidicina*.

CAve præterbitas ullas ædes, quin roges,
Senex ubi habitat Periphanes Platenius.
Incertus tuum cave ad me retuleris pedem.
Per. Adoleſcens, ſi iſtunc hominem, quem tu quæritas,
Tibi commonſtraſſo, ecquam abs te inibo gratiam?
Mil. Virtute belli armatus promerui, ut mihi
Omnes mortales deceat agere gratias.
Per. Non repperiſti, adoleſcens, tranquillum locum,
Ubi tuas virtutes explices, ut poſtulas.
Nam STRENVIORI deterior ſi prædicat
Suas pugnas, de illius ore fiunt ſordidæ.
Sed iſtum quem quæris Periphanem Platenium,
Ego ſum, ſi quid vis. *Mil.* Nempe quem in adoleſcentia
Memorant apud reges, armis, arte duellica
Divitias magnas indeptum? *Per.* Immo ſi audias
Meas pugnas, fugias manibus demiſſis domum.
Mil. Pol ego magis unum quæro, meas quoi prædicem,
Quam illum qui memoret ſuas mihi. *Per.* Hic non eſt locus.
Quin tu alium quæras, cui centones farcias.
Mil. Animum advorte, ut, quod ego ad te venio, intellegas.
Meam amicam audivi te eſſe mercatum. *Per.* Atate.
Nunc demum ſcio ego hunc, qui ſit; quem dudum Epidicus
Mihi prædicavit militem. adoleſcens, ita 'ſt
Ut dicis: emi. *Mil.* Volo te verbis pauculis,
Si tibi moleſtum non eſt. *Per.* Non edepol ſcio.
Moleſtum non eſt, niſi dicis quid velis.
Mil. Mihi illam ut remittas: argentum accipias.
Per. Habeas. *Mil.* Nam quid ego apud te parcam proloqui?
Ego illam hodie volo facere libertam meam,
Mihi concubina quæ ſit. *Per.* Te abſolvam brevi.
Argenti quinquaginta mihi illa emta eſt minis.
Si ſexaginta mihi denumerantur minæ,
Tuas poſſidebit mulier faxo ferias:
Atque ita profecto, ut eam ex hoc exoneres agro.
Mil. Eſtne emta mihi hæc? *Per.* Iſtis legibus habeas licet.
Mil. Conciliaviſti pulchre. *Per.* Heus, foras educite,
Quam introduxiſtis fidicinam. atque etiam fides,
Ei quæ acceſſere, tibi addam dono gratiis.
Age, accipe hanc ſis. *Mil.* Quæ intemperiæ te tenent?
Quas tu mihi tenebras cudis? quin tu fidicinam
Produci intus jubes? *Per.* Hæc ergo eſt fidicina.
Hic alia nulla 'ſt. *Mil.* Non mihi nugari potes.
Quin tu huc producis fidicinam Acropoliſtidem?
Per. Hæc, inquam, eſt. *Mil.* Non hæc, inquam, eſt: non noviſſe me
Meam rere amicam poſſe? *Per.* Hanc inquam, filius
Meus deperibat fidicinam. *Mil.* Hæc non eſt ea.
Per. Quid? non eſt? *Mil.* Non eſt. *Per.* Unde hæc igitur gentium eſt?
Equidem hercle argentum pro hac dedi. *Mil.* Stulte datum
Reor, atque peccatum largiter. *Per.* Immo hæc ea 'ſt.
Nam ſervom miſi, qui ſectari ſolet meum
Gnatum. ipſe hanc emit fidicinam. *Mil.* Hem! iſtic homo
Articulatim te concidit, ſenex, tuus
Servos. *Per.* Quid? concidit? *Mil.* nihil: ſic ſuſpicio 'ſt.
Nam pro fidicina hæc ſuppoſita eſt tibi.
Senex, tibi os eſt ſublitum plane & probe.
Per. Ego illam requiram jam, ubi ubi eſt. bellator, vale.
Euge! frugi, Epidice, frugi es! pugnaſti. homo es,
Qui me emunxiſti mucidum, minimi preti.
Mercatus te hodie eſt de Lenone Apœcides?
Ehodum! *Fid.* Ego iſtunc hominem nunquam audivi ante hunc diem,
Neque me quidem emere quiſquam ulla pecunia
Potuit: plus jam ſum libera quinquennium.
Per. Quid tibi negotii eſt meæ domi igitur? *Fid.* Audies.
Conducta veni, ut fidibus cantarem ſeni,
Dum rem divinam faceret. *Per.* Fateor me omnium
Hominum eſſe Athenis Atticis minimi preti.
Sed tu noviſtin' fidicinam Acropoliſtidem?
Fid. Tam facile, quam me. *Per.* Ubi habitat? *Fid.* Poſtquam libera 'ſt, ubi
Habitet dum, incerto ſcio. *Per.* Eho! ain'? quis eam liberaverit,
Volo ſcire, ſi ſcis. *Fid.* Id quod audivi, audies.
Stratippoclem audivi Periphani filium
Abſentem curaviſſe, ut fieret libera.
Per. Perii hercle, ſi iſthæc vera ſunt. planiſſume
Meum exenteravit Epidicus marſupium.
Fid. Hæc ſic audivi: numquid me vis ceterum?
Per. Malo cruciatu ut pereas, atque abeas cito.
Fid. Fides non reddis? *Per.* Neque fides, neque tibias.
Propera igitur fugere hinc, ſi te dii amant. *Fid.* Abiero.
Flagitio cum majore poſt reddes tamen.
Per. Quid nunc? qui in tantis poſitus ſum ſententiis,
Eumne ego ſinam impune? immo etiamſi alterum
Tantum perdundum eſt, perdam potius, quam ſinam
Me impune irriſum eſſe habitum, depeculatum eis.
Sic mihi data eſſe verba præſenti palam!
Atque me minoris facio præ illo, qui omnium
Legum atque jurium fictor, conditor cluet.
Is etiam ſeſe ſapere memorat; MALLEUM
Sapientiorem ** manubrio.

ACTUS QUARTUS

SCENA I.

Philippa mulier, *Periphanes* ſenex.

SI quid eſt homini miſeriarum, quod miſereſcat, miſer ex animo eſt.
Id ego experior, quoi multa in unum locum confluunt, quæ meum
Pectus pulſant ſimul: multiplex ærumna me exercitam habet: paupertas,
Pavor territat mentem animi, neque ubi meas collocem ſpes,
Habeo uſquam munitum locum. ita gnata mea hoſtium eſt potita:

Neque

Neque ea nunc ubi ſit neſcio. *Per.* Quis illæc eſt mulier, timido
Pectore peregre adveniens, quæ ipſa ſe miſeratur? *Phil.* In his dictus eſt
Locis habitare mihi Periphanes. *Per.* Me nominat hæc: credo ego,
Illi hoſpitio uſus invenit. *Phil.* Pervelim mercedem dare,
Qui monſtret eum mihi hominem, aut ubi habitet. *Per.* Noſcito ego hanc.
Nam videor, neſcio ubi, me vidiſſe prius. eſtne ea, an non
Eſt, quam animus retur meus? *Phil.* Di boni! viſitavi antidhac.
Per. Certe ea eſt, quam in Epidauro pauperculam memini comprimere.
Phil. Plane hic ille eſt, qui mihi in Epidauro primus pudicitiam
Pepulit. *Per.* Quæ meo compreſſu peperit filiam, quam domi
Nunc habeo. *Phil.* Quid ſi adeam? *Per.* Haud ſcio, an congrediar, ſi hæc ea eſt.
Phil. Sin eſt is homo, ſicut anni multi me dubiam dant. *Per.* Longa
Dies meum incertat animum. ſin ea eſt, quam incerto autumo, hanc
Congrediar aſtu. *Phil.* Muliebris adhibenda mihi malitia nunc eſt.
Per. Compellabo. *Phil.* Orationis aciem contra conferam.
Per. Salva ſis. *Phil.* Salutem accipio mihi & meis. *Per.* Quid ceterum?
Phil. Salvos ſis: quod credidiſti, reddo. *Per.* Haud accuſo fidem.
Novin' ego te? *Phil.* Si ego te novi, animum inducam, uti noveris.
Per. Ubi te viſitavi? *Phil.* Inique injuriu's. *Per.* Quid jam? *Mul.* Quia
Tuæ memoriæ interpretari me æquom cenſes. *Per.* Commode
Fabulata es. *Phil.* Mira memoras. *Per.* Hem! iſtuc rectius.
Meminiſtin'? *Phil.* Memini id. *Per.* In Epidauro. *Phil.* Ah, guttula
Pectus ardens mihi aſperſiſti. *Per.* Virgini pauperculæ,
Tuæque matri me levare paupertatem. *Phil.* Tun' is es,
Qui per voluptatem tuam in me ærumnam obſeviſti gravem?
Per. Ego ſum. ſalve. *Phil.* Salva sum, quia te eſſe ſalvom ſentio.
Per. Cedo manum. *Phil.* Accipe. ærumnoſam & miſeriarum compotem
Mulierem retines. *Per.* Quid eſt, quod voltus te turbat tuus?
Phil. Filiam, quam ex te ſuſcepi. *Per.* Quid eam? *Phil.* Eductam perdidi.
Hoſtium eſt potita. *Per.* Habe animum lenem, & tranquillum face:
Domi meæ eccam ſalvam & ſanam. nam poſtquam audivi illico
Ex meo ſervo, illam eſſe captivam, continuo argentum dedi,
Ut emeretur. ille eam rem adeo ſobrie & frugaliter
Accuravit, ut alias res eſt impenſe improbus.
Phil. Fac videam, ſi me vis vivere, *Per.* Eho Canthara, ſtatim jube
Acropoliſtidem prodire filiam ante ædes meam,
Ut ſuam videat matrem. *Phil.* Remigrat animus nunc demum mihi.

ACTUS IV. SCENA II.

Fidicina, *Periphanes* ſenex, *Philippa* mulier.

QUid eſt, pater, quod me excivisti ante ædes? *Per.* Ut matrem tuam
Videas, adeas, advenienti des ſalutem atque oſculum.
Fid. Quam meam matrem? *Per.* Quæ exanimata exſequitur aſpectum tuum.
Phil. Quis iſtæc eſt, quam tu oſculum mihi ferre jubes? *Per.* Tua filia.
Phil. Hæccine? *Per.* Hæc. *Phil.* Egone oſculum huic dem? *Per.* Cur non, quæ ex te nata ſit?
Phil. Tu homo inſanis. *Per.* Egone? *Phil.* Tute. *Per.* Cur? *Phil.* Quia ego hanc, quæ ſiet,
Neque ſcio, neque novi, neque ego hanc oculis vidi ante hunc diem.
Per. Scio, quid erres, quia veſtitum atque ornatum immutabilem
Habet hæc. *Phil.* ALITER CATULI longe olent, aliter ſues. nego
Eam me noviſſe, quæ ſit. *Per.* Pro deum atque hominum fidem!
Quid? ego lenocinium facio? qui habeam alienos domi,
Atque argentum egurgitem domo prorſum. quid tu, quæ patrem
Tuum vocas me, atque oſculare? quid ſtas ſtupida? quid taces?
Fid. Quid loquar vis? *Per.* Hæc negat ſe tuam eſſe matrem. *Fid.* Ne ſuat,
Si non volt. equidem hac invita tamen ero matris filia.
Non me iſtanc cogere æquom eſt meam eſſe matrem, ſi ne volt.
Per. Cur me igitur patrem vocabas? *Fid.* Tua iſtæc culpa eſt, non mea.
Non patrem ego te nominem, ubi tu tuam me appelles filiam?
Hanc quoque etiam, ſi me appellet filiam, matrem vocem.
Negat hæc, filiam me ſuam eſſe, non ergo hæc mater mea eſt.
Poſtremo hæc mea culpa non eſt: quæ didici, dixi omnia.
Epidicus mihi magiſter fuit. *Per.* Perii, PLAUSTRUM perculi.
Fid. Numquid ibi ego peccavi? *Per.* Si hercle te unquam audivero patrem
Me vocare, vitam tuam ego interimam, peſſuma. *Fid.* Non voco.
Ubi voles pater eſſe, ibi eſto: ubi noles, ne fueris pater.
Phil. Quid? ob eam rem hanc emiſti, quia tuam gnatam ratus? quibus
De ſignis agnoſcebas? *Per.* Nullis. *Phil.* Quare filiam
Crediditi noſtram? *Per.* Servos Epidicus dixit mihi.
Phil. Quid ſi ſervo aliter viſum eſt? non poteras noviſſe, obſecro?
Per. Quid ego? qui illam, ut primum vidi, numquam vidi poſtea.
Phil. Perii miſera. *Per.* Ne fle, mulier: intro abi, habeto animum bonum. Ego

Ego illam reperiam. *Phil.* Hinc Athenis civis eam emit Atticus:
Adoleſcentem equidem dicebant emiſſe. *Per.* inveniam, tace:
Abi modo intro, atque hanc aſſerva Circam, Solis filiam.
Ego relictis rebus Epidicum operam quærendo dabo:
Si invenio, exitiabilem ego illi faciam hunc, ut fiat, diem.

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

Stratippocles adoleſcens, *Epidicus* ſervus, *Daniſta*, *Virgo*.

MAle morigerus mihi eſt Daniſta, qui de me argentum non petit,
Neque illam adducit, quæ emta ex præda eſt. ſed eccum incedit Epidicus.
Quid illuc eſt, quod illi caperat frons ſeveritudine?
Epid. Si undecim deos præter ſeſe ſecum adducat Juppiter,
Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.
Periphanem emere lora vidi. aderat ibi una Apœcides.
Nunc homines me quæritare credo. ſenſerunt: ſciunt
Sibi data eſſe verba. *Str.* Quid agis, mea commoditas? *Epid.* Quod miſer.
Str. Quid eſt tibi? *Epid.* Quin tu mihi adornas ad fugam viaticum,
Priuſquam pereo. nam per urbem duo defloccati ſenes
Quæritant me, in manibus geſtant copulas ſecuncias.
Str. Habe bonum animum. *Epid.* Quippe ego, quoi libertas in mundo ſita 'ſt?
Str. Ego te ſervabo. *Epid.* Edepol me illi melius, ſi nacti fuant.
Sed quis eſt hæc muliercula, & illic gravaſtellus qui venit?
Str. Hic eſt Daniſta: hæc illa eſt autem, quam emi ex præda. *Epid.* Hæccine 'ſt?
Str. Hæc. eſtne, ut tibi dixi? aſpecta. *Epid.* Hæc? *Str.* Contempla, Epidice.
Uſque ab unguiculo ad capillum ſummum eſt feſtiviſſuma.
Eſtne? conſidera! *vide*! ſignum pictum pulchre videris.
Epid. Ex tuis verbis meum futurum corium pulchrum prædicas:
Quem Apelles atque Zeuxis duo pingent pigmentis ulmeis.
Str. Dii immortales! otioſe iſſe admiror. pedibus pulmoneis
Qui perhibetur, prius veniſſet, quam tu adveniſti mihi.
Dan. Hæc edepol remorata med eſt. *Str.* Siquidem iſtius gratia
Es remoratus, quod iſta voluit, nimium adveniſti cito.
Dan. Age, age, abſolve me, atque argentum numera, ne comites morer.
Str. Pernumeratum eſt. *Dan.* Tene cruminam: huc inde. *Str.* Sapienter venis.
Opperire, dum effero ad te argentum. *Dan.* Matura. *Str.* Domi eſt.
Epid. Satin' ego oculis utilitatem obtineo ſincere, an parum?
E Philippa matre natam, ac Thebis, Epidauri ſatam,
Videon' ego Teleſtidem te, Periphani filiam?
Vir. Quis tu homo es, qui meum parentum nomen memoras, & meum?
Epid. Non me noviſti? *Vir.* Quod quidem nunc veniat in mentem mihi.
Epid. Non meminiſti me auream ad te afferre natali die
Lunulam, atque anellum aureolum in digitum? *Vir.* Memini, mi homo.
Tune is es? *Epid.* Ego ſum, & iſtic frater tuus eſt, alia matre, uno patre.
Vir. Quid pater meus? vivu 'ſt? *Epid.* Animo liquido & tranquillo es, tace.
Vir. Dii me ex perdita ſervatam cupiunt, ſi vera autumas.
Epid. Non habeo ullam occaſionem, ut apud te falſa fabuler.
Str. Accipe argentum hoc, Daniſta. hic ſunt quadraginta minæ.
Si quid erit dubium, immutabo. *Dan.* Benefeciſti! bene vale.
Str. Nunc enim tu mea es. *Vir.* Soror quidem edepol, ut tu æque ſcias.
Salve frater. *Str.* Sanan' hæc eſt? *Epid.* Sana, ſi appellat ſuum.
Str. Quid? ego modo huic frater factus, dum intro eo atque exeo?
Epid. Quod boni est, id tacitus taceas tute tecum, & gaudeas.
Str. Perdidiſti, & repperiſti me, ſoror. *Epid.* Stultus tace.
Tibi quidem, quod ames, domi præſto 'ſt fidicina, opera mea:
Et ſororem in libertatem idem opera concilio mea.
Str. Epidice, fateor. *Epid.* Abi intro, ac jube huic aquam calefieri.
Cetera hæc poſterius faxo ſcibis, ubi erit otium.
Str. Sequere hac me, mea ſoror. *Epid.* Ego ad vos Theſprionem juſſero
Huc tranſire. ſed memento, ſi quid ſæviunt ſenes,
Suppetias mihi cum ſorore ferre. *Str.* Facile iſtuc erit.
Epid. Theſprio, exi iſtac per hortum, affer domum auxilium mihi.
Magna res eſt. minoris multo facio, quam dudum, ſenes.
Remeabo intro, ut accurentur advenientes hoſpites.
Eadem hæc intus edocebo, quæ ego ſcio, Stratippoclem.
Non fugio. domi adeſſe certum 'ſt. neque ille haud objiciet mihi
Pedibus ſeſe provocatum. abeo intro. nimis longum loquor.

ACTUS V. SCENA II.

Periphanes, *Apœcides*, *Epidicus*.

SAtin' ille hic homo ludibrio nos vetulos decrepitos duos
Habet? *Ap.* Immo edepol tu quidem miſerum me habes miſeris modis.
Per. Tace ſis modo. ſine me hominem apiſci. *Ap.* Dico ego tibi jam, ut ſcias.
Alium tibi te comitem melius quære: ita, dum te ſequor,
Laſſitudine invaſerunt miſero in genua flemina.
Per. Quot illic hodie me exemplis ludificatu 'ſt, atque te?
Ut illic autem exenteravit mihi opes argentarias!
Ap. Apage illum a me. nam ille quidem Volcani irati eſt filius:
Quaqua tangit, omne amburit: ſi prope aſtes, æſtu calefacit.
Epid. Duodecim deis plus quam in cœlo eſt deorum immortalium,
Mihi nunc auxilio adjutores ſunt, & mecum militant.

Quidquid ego maleſeci, auxilia mihi & ſuppetiæ ſunt domi.
Apolactizo inimicos omnes. *Per.* Ubi illum quæram gentium?
Ap. Dum ſine me quæras, quæras mea cauſſa vel medio in mari.
Epid. Quid me quæris? quid laboras? quid hunc ſollicitas? ecce me.
Num te fugi? num ab domo abſum? num oculis conceſſi tuis?
Nec tibi ſupplico. vincire vis? hem! oſtendo manus.
Tu habes lora: ego te emere vidi. quid nunc ceſſas? colliga.
Per. Ilicet! vadimonium ultro mihi hic facit! *Epid.* Quin colligas?
Per. Edepol mancipium ſceleſtum! *Epid.* Te profecto, Apœcides,
Nihil moror mihi *precatorem*. *Ap.* Facile exoras, Epidice.
Epid. Eho! quid agis? *Per.* Tuon' arbitratu? *Epid.* Meo hercle vero, atque haud tuo,
Colligandæ hæ ſunt tibi hodie. *Per.* At non lubet. *Epid.* Non colligo!
Per. At mihi magis lubet ſolutum te rogitare. *Epid.* At nihil ſcies.
Ap. Tragulam in te injicere adornat. neſcio, quam fabricam facit.
Epid. Tibi moram facis, cum ego ſolutus aſto. alliga, inquam, colliga.
Per. At mihi magis lubet ſolutum te rogitare. *Epid.* At nihil ſcies.
Per. Quid ago? *Ap.* Quid agas? mos geratur. *Epid.* Frugi es tu homo, Apœcides.
Per. Cedo manus igitur. *Epid.* Morantur nihil. atque arcte colliga.
Nihil vero obnoxioſe. *Per.* Facto opere arbitraminor.
Epid. Bene hoc habet! age nunc jam ex me exquire. rogita quod libet.
Per. Qua fiducia auſus primum, quæ emta eſt nudius tertius,
Filiam meam dicere eſſe? *Epid.* libuit: ea fiducia.
Per. Ain' tu, lubuit? *Epid.* Ajo: vel da pignus, ni ea ſit filia.
Per. Quam negat noviſſe mater? *Epid.* Ni ergo matris filia eſt,
In meum nummum, in tuum talentum pignus da. *Per.* Enim iſtæc captio 'ſt,
Sed quis ea eſt mulier. *Epid.* Tui gnati amica, ut omnem *rem* ſciás.
Per. Dedin' tibi minas triginta ob filiam? *Epid.* Fateor datas,
Et eo argento illam me emiſſe amicam filii fidicinam,
Pro tua filia. iſtis *adeo* te tetigi triginta minis.
Per. Quomodo me ludifeciſti de illa conducticia
Fidicina? *Epid.* Factum hercle vero, & recte factum judico.
Per. Quid poſtremo argento factum eſt, quod dedi? *Epid.* Dicam tibi.
Neque malo homini, neque benigno, tuo dedi Strattippocli.
Per. Cur dare auſus? *Epid.* Quia mihi libitum eſt. *Per.* Quæ hæc, malum, ferocia eſt?
Epid. Etiam inclamitor quaſi ſervos? *Per.* Cum tu es liber, gaudeo.
Epid. Merui, ut fierem. *Per.* Tu meruiſti? *Epid.* Viſe intro: ego faxo ſcies
Hoc ita eſſe. *Per.* Quid eſt negotii? *Epid.* Jam ipſa res dicet tibi.
Abi modo intro. *Per.* Hei! non illuc temere'ſt! aſſerva iſtunc, Apœcides.
Ap. Quid illuc, Epidice, eſt negotii? *Epid.* Maxuma hercle injuria
Vinctus aſto, quojus hæc hodie opera inventa eſt filia.
Ap. Ain' tu te illius inveniſſe filiam? *Epid.* Inveni, & domi eſt.
Sed UT ACERBUM EST, pro benefactis cum mali meſſem metas!
Ap. Quemne hodie per urbem uterque ſumus defeſſi quærere?
Epid. Ego ſum defeſſus reperire, vos defeſſi quærere.
Per. Quid iſtic oratis opere tanto? meruiſſe intellego,
Ut liceat merito hujus facere. cedo tu, ut exſolvam, manus.
Epid. Ne attigas. *Per.* Oſtende vero. *Epid.* Nolo. *Per.* Non æquom facis.
Epid. Nunquam hercle hodie niſi ſupplicium mihi das, me ſolvi ſinam.
Per. Optumum atque æquiſſumum oras. ſoccos, tunicam, pallium
Tibi dabo. *Epid.* Quid deinde porro? *Per.* Libertatem. *Epid.* At poſtea?
Novo liberto opus eſt, quod pappet. *Per.* Dabitur, præbebo cibum.
Epid. Numquam hercle hodie niſi me oraſſis, ſolves. *Per.* Oro te, Epidice,
Mihi ignoſcas, ſi quid imprudens culpa peccavi mea.
At ob eam rem liber eſto. *Epid.* Invitus do hanc veniam tibi,
Niſi neceſſitate cogar. ſolve ſane, ſi lubet.

Grex.

HIc is homo eſt, qui libertatem malitia invenit ſua.
Plaudite, valete: lumbos ſurgite atque extollite.

FINIS EPIDICI.

BACCHIDES.

Dramatis Perſonæ.

PISTOCLERUS, *adoleſcens.*	PARASITUS.
LYDUS, *pædagogus.*	MILITIS *puer.*
BACCHIDES, *meretrices.*	PHILOXENUS, *ſenex.*
CHRYSALUS, *ſervus.*	CLEOMACHUS, *miles.*
NICOBULUS, *ſenex.*	GREX.
MNESILOCHUS, *adoleſcens.*	

ARGUMENTUM.

BAcchidis amore furit Mneſilochus.
Aurum ut redimat, Præſumia fertur Ephesum.
Cretam Bacchis navigat, atque alteram
Convenit Bacchidem: inde Athenas redit:
Hinc dat Mneſilochus ad Piſtoclerum litteras,
Illam conquirat. redit: turbas movet,
Dum putat amari ſuam. ut mutent geminas,
Et dat aurum: pariter amant.
Senes dum gnatis ſtudent, ſcortantur, potitant.

SUP-

SUPPOSITA.

Argumentum præcedens, Prologus, & Scenæ principis initium, eſt ex editione Colonienſi *Giſberti Longolii*, Ultrajectini. Fabulatur *Laſcaris*, Grammaticus ille Græcus, in epiſtola ad Bembum, ſe Meſſanæ in Sicilia iſta inveniſſe. Sunt etiam, qui a *Franciſco Petrarcha* conficta opinentur. Etiam in *Baſilienſi* Editione leguntur.

Silenus Prologus.

Mirum hodie'ſt, ni ſpectatores in ſubſelliis
Ridiculos ſtrepunt, tuſſiunt, rhonchos cient,
Conſulcant frontem, & ore concrepario
Frequenter fremunt atque male muſſitant.
Vix in juventa locum obtineant
Aut glabri hiſtriones, aut pervolſi ludii.
Quid veternoſus prodit internuntius
Senex, qui dorſo fertur aſinario?
Attendite, quæſo, atque animum advortite,
Dum nomen hujus eloquor ſtatariæ.
Æquom eſt vos deo facere ſilentium.
Officio oris non decet illos utier,
Qui non ut clament, ſed ut ſpectent, veniunt.
Aureis date otioſas; at non in manum.
Has volo volans vox vacuas feriat.
Quid veremini, ictus an ſint minus noxii,
Qui repetunt laxa, aut hiulca obſtruunt?
Eſtis benigni, merito vos amant cælites.
Factu'ſt ſilentium, tacent pueri.
Novam ad rem jam novom ſpectate nuntium.
Qui ſim, cur ad vos veniam, paucis eloquar:
Simul hujus nomen proferam Comœdiæ.
Ecce fabor jam vobis, quod expetitis,
Proinde vos mihi facite audientiam.
Naturæ deus ſum, Bromii altor maxumi,
Femineo qui peperit rem exercitu.
Quidquid hujuſce gentes ferunt inclytæ,
Nonnihil noſtro geſta ſunt conſilio.
Numquam quod mihi placet, illi diſplicet.
Aequom 'ſt, ſi pater obſequitur patri.
Aſibidam Jonii me vocitant greges,
Quod vecturio ſenex vehar aſinario.
Qui ſim, tenetis. ſi tenetis, ſinite,
Ut nomen hujus eloquar ſtatariæ,
Simul ſciatis ad vos cur venerim.
Philemon Græcam olim dedit fabulam,
Hanc qui Græciſſant, Evantides nuncupant.
Plotus, qui Latiniſſat, vocat Bacchides.
Quare non eſt mirum, ſi huc advenerim.
Bacchus bacchanteis Bacchas mittit Bacchides:
Ego ad vos porto. quid? dixi mendacium?
Non decet mentiri deum. at vera fabulor:
Non ego eas porto. verum ſalſus aſinus
Via defeſſus, tres, ſi rite memorem,
Fert: unum videtis. oro, quid feram, ſpecite;
Duas ſorores debacchanteis Samias,
Meretrices lepidas, uno prognatas tempore,
Iiſdem parentibus, fœtu gemellitico,
Non minus ſimileis, quam lacti lac, ſi conferas,
Aut aquam aquæ: dimidiatas imputes,
Has ſi videres, ita confundas oculos,
Utra ut ſit, non queas internoſcere.
Quod reſtat, expetitis. jam date ſilentium;
Hujus argumentum eloquar Comœdiæ.
Samos quæ terra ſit, nota eſt omnibus.
Nam maria, terras, monteis, atque inſulas
Voſtræ legiones reddidere pervias.
Hac Pyrgoteli Soſtrata Pyrocle viro
Uno edidit gnatas niſu geminas.
Placuitque initiatis Trieteride,
Quas ederent, Bacchi vocitare nomine.
Parentes, ut fit crebro, fata occupant.
Alteram miles ſecum in Cretam vexerat,
Altera geminas adnatat Cecropias.
Hanc, ut Nicoboli inſpicit Mneſilochus,
Amare occipit, itat ad eam frequentius.
Interea juvenem pater mittit Epheſum,
Ut inde referat aurum, quod poſuerat
Ipſe jampridem apud Archidemidem,
Veterem amicum, ſenem Phœnicarium.
Is quom biennio deſideret Epheſi,
Bacchidem abiiſſe, durum accepit nuntium:
Nam nautæ noti navigaſſe nuntiant.
Ut fugitivam cura & corde quæreret,
Ad Philoxenis Piſtoclerum filium
Sodalem unicum ſulcat epiſtolium.
Dum Piſtoclerus amico impartit operam,
Athenas dudum quæ redierant geminæ,
Conquiſitorem in amorem conciunt.
Altera Piſtoclerum ad ſeſe allicit:
Altera venienti deſidet Mneſilocho.
Geminæ Bacchæ duos Bacchanteis pullulos
Quid mirum ſi ad ſeſe traxerint blandulæ?
Facetæ, pulcræ incurvos libitinarios,
Veterrumos ſenes illorum traherent patres.
Sed eccum Piſtoclerum, qui ad Bacchides
Nuper inventas redit, & ſecum inſolens
Novos amoris diſpuit igniculos.
Nunc prodeo, audite.

ACTUS PRIMUS.

Pyſtoclerus, Lydus.

Di immortales, ut ſentio, quod ſentio! quid? neſcio.
Stans fugio. nullus eſt ignis, & totus ardeo.
Quid id, niſi navim? novom profecto malum
Video & ſentio, potiſne eſt terra, ut terat hominem
Atque proſternat? hodie nil præter terram & Baccham tetigi:
Si Baccha eſt hæc, non nutrit Baccha, verum jugulat.
E terra quoque obrepere olim dixerunt homines,
Qui dum norant, quom eſſe cuperent, erant nihil.
Quid mali hoc? an terra, an Baccha fecimus naufragium?
Lyd. *Amat hic quem video, nimirum ſi id eſt, quod emiſſicius*
Fora, templa, theatra, porticus, omneis fornices,
Luſtra, & luſtraleis cellulas quæſierit ſedulo.
Piſt. *Naufragus ſum, fateor. Bacchus, haud Neptunus, celocem*
Hanc impellit, agit, quaſſat, immo frangit, diſtrahit.
Lyd. *Bacchis hinc procellam concitat. actu'ſt. perdidimus remigium.*
Piſt. *Referam me ad ſcopulum, ut iſtic cum ætate rem perduam.*
Inſtabilis eſt ſors rerum. pro lubidine fata agunt homines.
Ego dum amico Mneſilocho operam impertio,
Illi amicam repperi, ubi pereat cum re aſſiduo.
Et mihi, meæque ætati, reique meæ peperi infortunium.
Si volt Cupido, adoleſcens ſum. ætati licet pluſculum
Jacturæ facere: melius, ut id nunc fiat, quam ſenio.

Sapientum profecto'ſt illud dictum, quod Lydus increpat :
Si Aſt[illegible] on Bromium, deoſque voluptarios*
Contemſit juvenis, is aut inſanibit, aut amabit ſenex.
Referam me ad ſcopulum ex naufragio. pater leget fragimina.
Sequere me, Lyde. video ſorores geminas, Bacchanal meum.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Bacchides, Piſtoclerus.

Quid ſi hoc potis eſt, ut taceas, ego loquar? *Bacch.* Lepide: licet.
Bacch. Ubi me fugiet memoria, ibi tu facito, ut ſubvenias ſoror.
Bacch. Pol magis metuo, mihi in monendo ne defuerit oratio.
Bacch. Pol ego quoque metuo, luſciniolæ ne defuerit cantio.
Sequere hac. *Piſt.* Quid agunt duæ germanæ meretrices cognomines?
Quid in concilio conſuluiſtis? *Bacch.* Bene. *Piſt.* Pol haud meretricium eſt.
Bacch. Miserius nihil eſt quam mulier. *Piſt.* Quid eſſe dicis dignius?
Bacch. Hæc ita me orat, ſibi qui caveat, aliquem ut hominem reperiam,
Ab iſtoc milite: ut, ubi emeritum ſibi ſit, ſe ut revehat domum.
Id, amabo te, huic caveas. *Piſt.* Quid iſtic caveam? *Bacch.* Ut revehatur domum,
Ubi ei dediderit operas: ne hanc ille habeat pro ancilla ſibi.
Nam hæc ſi habeat aurum, quod illi renumeret, faciat lubens.
Piſt. Ubi nunc is homo eſt? *Bacch.* Jam hic credo aderit. ſed hoc idem apud nos rectius
Poteris agere: atque is dum veniat, ſedens ibi opperibere.
Eadem biberis; eadem dedero tibi, ubi biberis, ſavium.
Piſt. *Viſcus* merus veſtra eſt blanditia. *Bacch.* Quid jam? *Piſt.* Quia enim intellego,
Duæ unum expetitis palumbem. perii, arundo alas verberat.
Non ego iſtuc facinus mihi, mulier, conducibile eſſe arbitror.
Bacch. Qui, amabo? *Piſt.* Quia, Bacchis, Bacchas metuo & Bacchanal tuum.
Bacch. Quid eſt, quod metuis? ne tibi lectus malitiam apud me ſuadeat?
Piſt. Magis illectum tuum quam lectum metuo. mala tu es beſtia.
Nam Huic ætati non conducit, mulier, latebroſus locus.
Bacch. Egomet, apud me ſi quid ſtulte facere cupias, prohibeam.
Sed ego apud me te eſſe ob eam rem, Miles cum veniat, volo:
Quia, cum tu aderis, huic mihique haud faciet quiſquam injuriam.
Tu prohibebis, & eadem opera tuo ſodali operam dabis.
Et ille adveniens tuam med eſſe amicam ſuſpicabitur.
Quid, amabo, obticuiſti? *Piſt.* Quia iſtæc lepida ſunt memoratui:
Eadem in uſu, atque ubi periculum facias, aculeata ſunt,
Animum fodicant, bona deſtimulant, facta & famam ſauciant.
Apage a me, apage. *Bacch.* Ah, nimium ferus es. *Piſt.* Mihi ſum. *Bacch.* Malaciſſandus es.
Et quid ab hac metuis? *Piſt.* Quid ego metuam, rogitas? homo adoleſcentulus
Penetrare hujuſmodi in palæſtram, ubi damnis deſudaſcitur,
Ubi pro diſco damnum capiam, pro curſura dedecus?
Bacch. Lepide memoras. *Piſt.* Ubi ego capiam pro machæra turturem,
Ubique imponat in manum alius mihi pro cæſtu cantharum:
Pro galea ſcaphium, pro inſigni ſit corolla plectilis,
Pro haſta talus: pro lorica malacum capiam pallium:
Ubi mihi pro equo lectus detur, ſcortum pro ſcuto accubet.
Apage a me, apage. *Bacch.* Ah, nimium ferus es. *Piſt.* Mihi ſum. *Bacch.* Malaciſſandus es.
Equidem tibi do hanc operam. *Piſt.* At nimium pretioſa es operaria.
Bacch. Simulato me amare. *Piſt.* Utrum ego iſtoc jocon'aſſimulem, an ſerio?
Bacch. Heja! hoc agere meliu'ſt: Miles quom huc adveniat, te volo
Me amplexari. *Piſt.* Quid eo mihi opus eſt? *Bacch.* Ut ille te videat, volo.
Scio, quid ago. *Piſt.* Et pol ego ſcio, quid metuo. ſed quid ais? *Bacch.* Quid eſt?
Piſt. Quid? ſi apud te veniat deſubito prandium, aut potatio
Forte, aut cœna, ut ſolet in iſtis fieri conciliabulis,
Ubi ego tum accubem? *Bacch.* Apud me, mi anime: ut lepidus cum lepida accubet.
Locus hic apud nos, quamvis ſubito venias, ſemper liber eſt.
Ubi tu lepide voles eſſe tibi, mea roſa, mihi dicito:
Dato, qui bene ſit: ego, ubi bene ſit tibi, locum lepidum dabo.
Piſt. Rapidus fluvius eſt hic, non hac temere tranſiri poteſt.
Bacch. Atque ecaſtor apud hunc fluvium aliquid perdundum eſt tibi.
Manum da, & ſequere. *Piſt.* Aha, minime! *Bacch.* Quid ita? *Piſt.* Quia iſtoc illecebroſius
Fieri nihil poteſt, Nox, Mulier, Vinum, homini adoleſcentulo.
Bacch. Age igitur. equidem pol nihili facio niſi cauſſa tua.
Ille quidem hanc abducet. tu nullus affueris, ſi non lubet.
Piſt. Sumne autem nihili, qui nequeam ingenio moderari meo!
Bacch. Quid eſt quod metuas? *Piſt.* Nihil eſt. nunc ego, mulier, tibi me emancupo:
Tuus ſum, tibi dedo operam. *Bacch.* Lepidus. nunc ego te facere hoc volo.
Ego ſorori meæ cœnam hodie dare volo viaticam:
Ego tibi argentum jubeo jam intus efferri foras:
Tu facito obſonatum nobis ſit opulentum obſonium.

Piſt. Ego obſonabo. nam id flagitium ſit meum, mea te gratia,
Et operam dare mihi, & ad eam operam facere ſumtum de tuo.
Bacch. At ego nolo dare te quidquam. *Piſt.* Sine. *Bacch.* Sino equidem, ſi lubet.
Propera, amabo. *Piſt.* Prius hic adero, quam te amare deſinam.
Bacch. Bene me accipis advenientem, mea ſoror. *Bacch.* Quid ita, obſecro?
Bacch. Quia piſcatus, meo quidem animo, hic tibi hodie evenit bonus.
Bacch. Meus ille quidem eſt. tibi nunc operam dabo de Mneſilocho, ſoror,
Ut hic accipias potius aurum, quam hinc eas cum Milite.
Bacch. Cupio. *Bacch,* Dabitur opera. aqua calet. eamus hinc intro, ut laves.
Nam ut in navi vecta es, credo, timida es. *Bacch.* Aliquantum, ſoror.
Simul hinc neſcio qui turbat, qui huc it. decedamus.
Bacch. Sequere hac igitur me intro in lectum, ut ſedes laſſitudinem.

ACTUS I. SCENA II.

Lydus ſervus, *Piſtoclerus* adoleſcens.

JAmdudum, Piſtoclere, tacitus te ſequor,
Spectans, quas tute res hoc ornatu geras.
Nam, ita me dii ament, ut Lycurgus mihi quidem
Videtur poſſe hic ad nequitiam adducier.
Quo nunc capeſſis te, hinc advorſa via,
Cum tanta pompa? *Piſt.* Huc. *Lyd.* Quid huc? quis iſtic habet?
Piſt. Amor, Voluptas, Venus, Venuſtas, Gaudium, Jocus, Ludus, Sermo, Suavis ſuaviatio.
Lyd. Quid tibi commercii eſt cum diis damnoſiſſumis?
Piſt. MALI SUNT homines, qui bonis dicunt male.
Tu dis nec recte dicis: non æquom facis.
Lyd. An Deus eſt ullus Suavis ſuaviatio?
Piſt. An non putaſti eſſe? nimium quam, o Lyde, es barbarus!
Quem ego ſapere nimio cenſui plus quam Thalem.
I, ſtultior es barbaro Potitio,
Qui tantus natu deorum neſcis nomina.
Lyd. Non hic placet mihi ornatus. *Piſt.* Nemo ergo tibi
Hoc apparavit: mihi paratum eſt, quoi placet.
Lyd. Etiam me advorſus exordire argutias?
Qui ſi decem habeas linguas, mutum eſſe addecet.
Piſt. NON OMNIS ætas, Lyde, ludo convenit.
Magis unum in mente eſt mihi nunc, ſatis ut commode
Pro dignitate obſonii hæc concuret cocus.
Lyd. Jam perdidiſti te, atque me, atque operam meam,
Qui tibi nequidquam ſæpe monſtravi bene.
Piſt. Ibidem ego meam operam perdidi, ubi tu tuam.
Tua diſciplina nec mihi prodeſt, nec tibi.
Lyd. O præligatum pectus! *Piſt.* Odioſus mihi es.
Tace, atque ſequere, Lyde, me. *Lyd.* Illuc ſis vide,
Non pædagogum jam me ſed Lydum vocat.
Piſt. Non par videtur, neque ſit conſentaneum,
Cum *herus* hic intus ſit, & cum amica *ſua* accubet,
Cumque oſculetur, & convivæ alii accubent,
Præſentibus illis pædagogus una ut ſiet.
Lyd. An hoc ad eas res obſonatum eſt, obſecro?
Piſt. Sperat quidem animus: quo eveniat, diis in manu eſt.
Lyd. Tu amicam habebis? *Piſt.* Cum videbis, tum ſcies.
Lyd. Immo neque habebis, nec ſinam: iturus ſum domum.
Piſt. Omitte, Lyde, ac cave malo. *Lyd.* Quid? cave malo?
Piſt. Jam exceſſit mihi ætas ex magiſterio tuo.

Lyd. O barathrum, ubi nunc es? ut ego te uſurpem lubens!
Video nimio jam multo plus quam volueram.
Vixiſſe nimio ſatiu 'ſt jam, quam vivere.
Magiſtron' quemquam diſcipulum minitarier?
Nihil moror diſcipulos mihi eſſe jam plenos ſanguinis:
Valens afflictet me vacivom virium.
Piſt. Fiam, ut ego opinor, Hercules; tu autem Linus.
Lyd. Pol metuo magis, ne Phœnix tuis factis ſuam,
Teque ad patrem eſſe mortuum renunciem.
Piſt. Satis hiſtoriarum eſt. *Lyd.* Hic vereri perdidit.
Compendium edepol haud ætati optabile
Feciſti, cum iſtanc nactus impudentiam.
Occiſus hic homo eſt. ecquid in mentem eſt tibi,
Patrem tibi eſſe? *Piſt.* Tibi ego, aut tu mihi ſervos es?
Lyd. Pejor magiſter te iſtæc docuit, non ego.
Nimio es tu ad iſtas res diſcipulus docilior,
Quam ad illa, quæ te docui, ubi operam perdidi.
Piſt. Iſtactenus tibi, Lyde, libertas data eſt.
Orationis ſatis eſt. ſequere me, ac tace.
Lyd. Edepol feciſti furtum in ætatem malum,
Quom iſtæc flagitia me celaviſti, & patrem.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

Chryſalus ſervus.

HErilis patria ſalve: quam ego biennio,
Poſtquam hinc in Epheſum abii, conſpicio lubens.
Saluto te vicine Apollo, qui ædibus
Propinquos noſtris accolis, veneroque te,
Ne Nicobulum me ſinas noſtrum ſenem
Prius convenire, quam ſodalem viderim
Mneſilochi Piſtoclerum, quem ad epiſtolam
Mneſilochus miſit ſuper amica Bacchide.

ACTUS II. SCENA II.

Piſtoclerus adoleſcens, *Chryſalus* ſervus.

MIrum eſt, me, ut redeam, te opere tanto quæſere,
Qui abire hinc nullo pacto poſſim, ſi velim:
Ita me vadatum amore vinctumque attines.
Chr. Pro dii immortales! Piſtoclerum conſpicor.
O Piſtoclere, ſalve! *Piſt.* Salve, Chryſale!
Chr. Compendii verba multa jam faciam tibi.
Venire tu me gaudes, ego credo tibi.
Hoſpitium & cœnam pollicere, ut convenit
Peregre advenienti: ego autem venturum annuo.
Salutem tibi ab ſodali ſolidam nuntio.
Rogabis me, ubi ſit? vivit. *Piſt.* Nempe recte valet?
Chr. Iſtuc volebam ego ex te percunctarier.
Piſt. Qui ſcire poſſum? *Chr.* Nullus plus. *Piſt.* Quemnam ad modum?
Chr. Quia ſi illa inventa eſt, quam ille amat, vivit recte & valet:
Si non inventa eſt, minus valet, moribundus eſt.
ANIMA eſt amica amanti: ſi abeſt, nullus eſt.
Si adeſt, res nulla'ſt: ipſus eſt nequam & miſer.
Sed tu quid factitaſti mandatis ſuper?
Piſt. Egon' ut, quod ab illo attigiſſet nuncius,
Non impetratum id advenienti ei redderem?
Regiones colere mavellem Acheruntica.
Chr. Eho, an inveniſti Bacchidem? *Piſt.* Samiam quidem.
Chr. Vide quæſo, ne quis tractet illam indiligens.
Scis tu, ut confringi vas cito Samium ſolet
Piſt. Jamne, ut ſoles? *Chr.* Dic ubi ea nunc eſt, obſecro?
Piſt. Hic, exeuntem me unde aſpexiſti modo.

Chr.

Chr. Ut iſtuc eſt lepidum! proxumæ viciniæ
Habitat. & quidnam meminit Mneſilochi? *Piſt.* Rogas?
Immo unice unum plurimi pendit. *Chr.* Papæ!
Piſt. Immo ut eum credis; miſera amans deſiderat.
Chr. Scitum iſtuc. *Piſt.* Immo, Chryſale, hem non tantulum
Umquam intermittit tempus, quin eum nominet.
Chr. Tanto hercle melior Bacchis. *Piſt.* Immo. *Chr.* Immo hercle abiero
Potius. *Piſt.* Num invitus rem bene geſtam audis heri?
Chr. Non herus, ſed actor mihi cor odio ſauciat.
Etiam Epidicum, quam ego Fabulam æque ac me ipſum amo,
Nullam æque invitus ſpecto, ſi agit Pellio.
Sed Bacchis etiam fortis tibi viſa eſt? *Piſt.* Rogas?
Ni nactus Venerem eſſem, hanc Junonem dicerem.
Chr. Edepol, Mneſiloche, ut rem hanc natam eſſe intellego,
Quod ames, paratum eſt: quod des, invento eſt opus.
Nam iſtoc fortaſſe aurum eſt opus. *Piſt.* Philippeo quidem.
Chr. Atque eo fortaſſe jam opus eſt. *Piſt.* Immo etiam prius.
Nam jam huc adveniet Miles. *Chr.* Et miles quidem!
Piſt. Qui de amittenda Bacchide aurum hic exigit.
Chr. Veniat quando volt, atque ita ne mihi ſit moræ.
Domi eſt: non metuo, nec cuiquam ſupplico,
Dum quidem hoc valebit pectus perfidia meum.
Abi intro, ego hic curabo. tu intus dicito
Mneſilochum adeſſe Bacchidi. *Piſt.* Faciam ut jubes.
Chr. Negotium hoc ad me attinet aurarium.
Mille & ducentos Philippos attulimus aureos
Epheſo, quos hoſpes debuit noſtro ſeni.
Inde ego hodie aliquam machinabor machinam,
Unde aurum efficiam amanti herili filio.
Sed foris concrepuit noſtra: quinam exit foras?

ACTUS II. SCENA III.

Nicobulus ſenex, *Chryſalus* ſervus.

IBo in Piræeum. viſam, ecquæ advenerit
In portum ex Epheſo navis mercatoria.
Nam meus formidat animus, noſtrum tam diu
Ibi deſidere, neque redire filium.
Chr. Extexam ego illum pulchre jam, ſi dii volunt.
Haud dormitandum eſt. opus eſt chryſo Chryſalo.
Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem
Phryxi, itaque tondebo auro uſque ad vivam cutem.
Servos ſalutat Nicobulum Chryſalus.
Nic. Pro di immortales! Chryſale, ubi mihi eſt filius?
Chr. Quin tu primum ſalutem reddis, quam dedi?
Nic. Salve. ſed ubinam eſt Mneſilochus? *Chr.* Vivit, Valet.
Nic. Venitne? *Chr.* Venit. *Nic.* Evax! aſperſiſti aquam.
Benene uſque valuit? *Chr.* Pancratice atque athletice.
Nic. Quid hoc? qua cauſſa eum hinc in Epheſum miſeram,
Accepitne aurum ab hoſpite Archidemide?
Chr. Heu cor meum & cerebrum, Nicobule, finditur,
Iſtius hominis ubi ſit quaque mentio.
Tun' hoſpitem illum nominas hoſtem tuum?
Nic. Quid ita, obſecro, hercle? *Chr.* Quia edepol certe ſcio,
Vulcanus, Sol, Luna, Dies, dei quatuor,
Sceleſtiorem nullum illuxere alterum.
Nic. Quamne Archidemidem? *Chr.* Quam, inquam, Archidemidem.
Nic. Quid fecit? *Chr.* Quid non fecit? quin tu id me rogas?
Primum, dum inficias ire cœpit filio:
Negare ſe debere tibi triobulum.
Continuo antiquom hoſpitem noſtrum ſibi
Mneſilochus advocavit, Pelagonem ſenem:
Eo præſente homini extemplo oſtendit ſymbolum,
Quem tute dederas ad eum, ut ferret, filio.
Nic. Quid, ubi ei oſtendit ſymbolum? *Chr.* Infit dicere:
Adulterinum, & non eum eſſe ſymbolum:
Quotque innocenti ei dixit contumelias!
Adulterare eum ajebat rebus ceteris.
Nic. Habetin' aurum? id mihi primum dici volo.
Chr. Poſtquam quidem Prætor recuperatores dedit,
Damnatus demum, vi coactus reddidit
Ducentos & mille Philippum. *Nic.* Tantum debuit.
Chr. Porro etiam auſculta pugnam, quam voluit dare.
Nic. Etiamne eſt quid porro? *Chr.* Hem accipe: trina hæc nunc erit.
Nic. Deceptus ſum. Autolyco hoſpiti aurum credidi.
Chr. Quin tu audi. *Nic.* Immo ingenium avidi haud pernoram hoſpitis.
Chr. Poſtquam aurum abſtulimus, in navem conſcendimus,
Domum cupientes. forte ut aſſedi in ſtega,
Dum circumſpecto, atque ego lembum conſpicor:
Longum eſt rigorem maleficum exornarier.
Nic. Perii hercle: lembus ille mihi lædit latus.
Chr. Is erat communis cum hoſpite & prædonibus.
Nic. Adeon' me fuiſſe fungum, ut qui illi crederem!
Cum mihi ipſum nomen ejus Archidemidis
Clamaret, demturum eſſe, ſi quid crederem.
Chr. Is lembus noſtræ navi inſidias dabat.
Occœpi ego obſervare eos, quam rem gerant.
Interea e portu noſtra navis ſolvitur.
Ubi portu exiimus, homines remigio ſequi,
Neque aves, neque venti citius. quoniam ſentio,
Quæ res gereretur, navem extemplo ſtatuimus.
Quom jam vident nos ſtare, occœperunt ratem
Turbare in portu. *Nic.* Edepol mortales malos!
Quid denique agitis? *Chr.* Rurſum in portum recipimus.
Nic. Sapienter factum a vobis. quid illi poſtea?
Chr. Revorſionem ad terram faciunt veſperi.
Nic. Aurum hercle auferre voluere. ei rei operam dabant.
Chr. Non me fefellit, ſenſi: eo exanimatus fui.
Quom jam videmus auro inſidias fieri,
Capimus conſilium continuo, poſtridie
Auferimus inde aurum omne, illis præſentibus,
Palam atque aperte, ut illi id factum ſciſcerent.
Nic. Scite hercle. cedo, quid illi? *Chr.* Triſtes illico,
Quom extemplo a portu ire nos cum auro vident,
Subducunt lembum capitibus quaſſantibus.
Nos apud Theotimum omne aurum depoſuimus,
Qui illic ſacerdos eſt Dianæ Epheſiæ.
Nic. Qui iſtic Theotimus eſt? *Chr.* Megalobuli filius,
Qui nunc in Epheſo eſt, Epheſiis cariſſumus.
Nic. Næ ille hercle mihi ſit multo tanto carior,
Si me illoc auro tanto circumduxerit.
Chr. Quin in ipſa æde Dianæ conditum eſt.
Ibidem publicitus ſervant. *Nic.* Occidiſtis me.
Nimio hic privatim ſervaretur rectius.
Sed vos nihilne attuliſtis inde auri domum?
Chr. Immo etiam. verum, quantum attulerit, neſcio.
Nic. Quid, neſcis? *Chr.* Quia Mneſilochus noctu clanculum
Devenit ad Theotimum: nec mihi credere,

Nec quoiquam in navi voluit. eo ego neſcio,
Quantum attulerit: verum haud permultum attulit.
Nic. Etiam dimidium cenſes? *Chr.* Non edepol ſcio.
Verum haud opinor. *Nic.* Fertne partem tertiam?
Chr. Non hercle opinor. verum verum neſcio.
Profecto de auro nihil ſcio, niſi neſcio.
Nunc tibimet illuc navi capiundum eſt iter,
Ut illud reportes aurum ab Theotimo domum.
Atque heus tu! *Nic.* Quid vis? *Chr.* Annulum gnati tui
Facito ut memineris ferre. *Nic.* Quid opu 'ſt annulo?
Chr. Quia id ſignum eſt cum Theotimo, qui eum illi afferet,
Ei aurum ut reddat. *Nic.* Meminero, & recte mones.
Sed diveſne eſt iſtic Theotimus? *Chr.* Etiam rogas?
Qui ſoccis habeat auro ſubpactum ſolum.
Nic. Cur ita faſtidit? *Chr.* Tantas divitias habet:
Neſcit quid faciat auro. *Nic.* Mihi dederit velim.
Sed qui præſente id aurum Theotimo datum eſt?
Chr. Populo præſente: nullu 'ſt Epheſi, quin ſciat.
Nic. Iſtuc ſapienter ſaltem fecit filius,
Cum diviti homini id aurum ſervandum dedit:
Ab eo licebit quamvis ſubito ſumere.
Chr. Immo hem tantiſper numquam te morabitur,
Quin habeas illud quo die illuc veneris.
Nic. Cenſebam me effugiſſe a vita marituma,
Ne navigarem tandem hoc ætatis ſenex,
Id mihi haud utrum velim licere intellego;
Ita bellus hoſpes fecit Archidemides.
Ubi nunc eſt ergo meus Mneſilochus filius?
Chr. Deos atque amicos iit ſalutatum ad forum.
Nic. At ego hinc ad illum, ut conveniam, quantum poteſt.
Chr. Ille eſt oneratus recte, & plus juſto vehit.
Exorſa hæc tela non male omnino mihi eſt,
Ut amantem herilem copem facerem filium:
Ita feci, ut auri quantum vellet, ſumeret;
Quantum autem libeat reddere, ut reddat patri.
Senex in Epheſum *hinc* ibit aurum arceſſere:
Hic noſtra agetur ætas in malacum modum.
Si quidem hic relinquet, nec ſecum abducet ſenex
Med & Mneſilochum. quas ego hic turbas dabo!
Sed quid futurum eſt, cum hoc ſenex reſciverit?
Cum ſe excucurriſſe illuc fruſtra ſciverit,
Noſque aurum abuſos? quid mihi fiet poſtea?
Credo hercle adveniens nomen mutabit mihi,
Facietque extemplo Cruciſalum me ex Chryſalo.
Aufugero hercle, ſi magis uſus venerit.
Si ero reprehenſus, macto ego illum infortunio:
Si illi ſunt virgæ ruri, at mihi tergum domi eſt.
Nunc ibo, herili filio hanc fabricam dabo,
Super auro, amicaque ejus inventa Bacchide.

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

Lydus pædagogus.

PAndite, atque aperite propere januam hanc Orci, obſecro:
Nam equidem haud aliter eſſe duco. quippe quo nemo advenit,
Niſi quem ſpes reliquere omnes, eſſe ut frugi poſſiet.
Bacchides! non Bacchides, ſed Bacchæ ſunt acerrumæ.
Apage iſtas a me ſorores, quæ hominum ſorbent ſanguinem.
Omnis ad perniciem inſtructa domus opime atque opipare.
Quæ ut aſpexi, me continuo contuli protinam in pedes.
Egone ut hæc concluſa geſtem clanculum? ut celem patrem,
Piſtoclere, tua flagitia, aut damna, aut deſidiabula?
Quibus patrem, & me, teque, amicoſque omnes affectas tuos
Ad probrum, damnum, flagitium appellere una & perdere.
Neque mei, neque tui intus puditum eſt factis, quæ facis:
Quibus tuum patrem, meque una, amicos, affines tuos
Tua infamia feciſti geruliſigulos flagitii.
Nunc priuſquam malum iſtoc addis, certum eſt jam dicam patri.
De me hanc culpam demolibor jam, & ſeni faciam palam,
Ut eum ex lutulento cœno propere hinc eliciat foras.

ACTUS III. SCENA II.

Mneſilocus, adoleſcens.

MUltis modis meditatus egomet mecum ſum, & ita eſſe arbitror:
Homini amico, qui eſt amicus ita uti nomen poſſidet,
Niſi deos, ei nihil præſtare. id opera expertus ſum eſſe ita.
Nam ut in Epheſum hinc abii, (hoc factum eſt ferme ab hinc biennium)
Ex Epheſo huc ad Piſtoclerum meum ſodalem litteras
Miſi, amicam ut mihi inveniret Bacchidem. illum intellego
Inveniſſe, ut ſervos meus mihi nunciavit Chryſalus.
Condigne is quam technam de auro advorſum meum fecit patrem,
Ut mihi amanti copia eſſet! ſed æquom id ei reddere.
Nam pol quidem, meo animo, ingrato homine nihil impenſiu 'ſt.
Malefactorem amitti ſatius, quam relinqui beneficum.
Nimio præſtat impendioſum te, quam ingratum dicier.
Illum laudabunt boni; hoc etiam ipſi culpabunt mali.
Qua me cauſſa magis cum cura eſſe ea quam obvigilato eſt opus.
Nunc, Mneſiloche, ſpecimen ſpecitur, nunc certamen cernitur:
Siſne nec ne, ut eſſe oportet; malus, bonus, cujuſmodi;
Juſtus, injuſtus; malignus, largus; commodus, incommodus.
Cave ſis te ſuperare ſervom ſiris faciundo bene.
Utut eris, moneo, haud celabis. ſed eccos video incedere
Patrem ſodalis, & magiſtrum. hinc auſcultabo, quam rem agant.

ACTUS III. SCENA III.

Lydus pædagogus, *Philoxenus* ſenex, *Mneſilochus* adoleſcens.

NUnc experiar, ſitne acetum tibi peracre in pectore.
Sequere. *Phil.* Quo ſequar? quo ducis nunc me? *Lyd.* Ad illam, quæ tuum
Perdidit, peſſumdedit tibi filium uni unicum.
Phil. Eja, Lyde, leniter qui ſæviunt, ſapiunt magis.
Minus mirandum eſt, illæc ætas ſi quid illorum facit,
Quam ſi non faciat. feci ego iſtæc itidem in adoleſcentia.
Lyd. Hei mihi! hei mihi! iſtæc illum perdidit aſſentatio.
Nam abſque te eſſet, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum:

Nunc

Nunc propter te tuamque pravos factus eſt fiduciam
Piſtoclerus. *Mneſ.* Dii immortales! meum ſodalem hic nominat.
Quid hoc negotii eſt, Piſtoclerum Lydus quod herum tam ciet?
Phil. Pauliſper, Lyde, eſt libido homini ſuo animo obſequi:
Jam aderit tempus, cum ſeſe etiam ipſe oderit: morem geras:
Dum caveatur, præter æquom ne quid delinquat, ſine.
Lyd. Non ſino, neque equidem illum me vivo corrumpi ſinam.
Sed tu, qui tam pro corrupto dicis cauſſam filio,
Eademne erat hæc diſciplina tibi, cum tu adoleſcens eras?
Nego tibi hoc annis viginti fuiſſe primis copiæ,
Digitum longe a pædagogo pedem ut efferres ædibus.
Ante Solem exorientem niſi in palæſtram veneras,
Gymnaſii præfecto haud mediocreis pœnas penderes.
Id quoi obtigerat, hoc etiam ad malum arceſſebatur malum,
Et diſcipulus & magiſter perhibebantur improbi.
Ibi curſu, luctando, haſta, diſco, pugillatu, pila,
Saliendo ſeſe exercebant magis, quam ſcorto, aut ſaviis:
Ibi ſuam ætatem extendebant, non in latebroſis locis.
Inde de hippodromo, & palæſtra ubi reveniſſes domum,
Cincticulo præcinctus in ſella apud magiſtrum aſſideres:
Cum librum legeres, ſi unam peccaviſſes ſyllabam,
Fieret corium tam maculoſum, quam eſt nutricis pallium.
Mneſ. Propter me hæc nunc meo ſodali dici diſcrucior miſer.
Innocens ſuſpicionem hanc ſuſtinet cauſſa mea.
Phil. Alii, Lyde, nunc ſunt mores. *Lyd.* Id equidem ego certo ſcio.
Nam olim populi prius honorem capiebat ſuffragio,
Quam magiſtro deſinebat eſſe dicto obediens.
At nunc, priuſquam ſeptuennis eſt, ſi attingas eum manu,
Extemplo puer pædagogo tabula dirumpit caput.
Cum patrem adeas poſtulatum, puero ſic dicit pater:
Noſter eſto, dum te poteris defenſare injuria.
Provocatur pædagogus: Eho ſenex minimi pretii,
Ne attigas puerum iſta cauſſa, quando fecit ſtrenue.
It magiſter quaſi lucerna uncto expretus linteo.
Itur illinc jure dicto. hoccine hic pacto poteſt
Inhibere imperium magiſter, ſi ipſus primus vapulet?
Mneſ. Acris poſtulatio hæc eſt! cum hujus dicta intellego.
Mira ſunt, ni Piſtoclerus Lydum pugnis contudit.
Phil. Sed quis hic eſt, quem aſtantem video ante oſtium? *Lyd.* O Philoxene!
Mneſ. Deos propitios me videre, quam illum, mavellem mihi.
Phil. Quis illic eſt? *Lyd.* Mneſilochus, gnati tui ſodalis Piſtocleri:
Haud conſimili ingenio atque ille eſt, qui in lupanari accubat.
Fortunatum Nicobulum, qui illum produxit ſibi.
Phil. Salvos ſis, Mneſiloche: ſalvom te advenire gaudeo.
Mneſ. Dii te ament, Philoxene. *Lyd.* Hic enim rite productu 'ſt patri.
In mare it, rem familiarem curat, cuſtodit domum:
Obſequens obedienſque eſt mori atque imperiis patris,
Hic ſodalis Piſtoclero jam puer puero fuit.
Triduum non intereſt ætatis uter major ſiet:
Verum ingenium plus triginta annis majus eſt, quam alteri.
Phil. Cave malum, & compeſce in illum dicere injuſte. *Lyd.* Tace:
Stultus es, qui illi male ægre patere dici, qui facit.
Nam illum meum malum promtare malim, quam peculium.
Phil. Qui dum? *Lyd.* Quia, malum ſi promtet, in dies faciat minus.
Mneſ. Quid ſodalem meum caſtigas, Lyde, diſcipulum tuum?
Lyd. Periit tibi ſodalis. *Mneſ.* Ne di ſirint. *Lyd.* Sic eſt, ut loquor.
Quin ego, cum peribat, vidi, non ex audito arguo.
Mneſ. Quid factum eſt? *Lyd.* Meretricem indigne deperit. *Mneſ.* Non tu taces?
Lyd. At quæ accerrume atque æſtuoſe abſorbet, ubi quemque attigit.
Mneſ. Ubi ea mulier habitat? *Lyd.* Hic. *Mneſ.* Unde eam eſſe ajunt? *Lyd.* Ex Samo.
Mneſ. Quæ vocatur? *Lyd.* Bacchis. *Mneſ.* Erras, Lyde: ego omnem rem ſcio,
Quemadmodum eſt. tu Piſtoclerum falſo atque inſontem arguis.
Nam ille amico & benevolenti ſuo ſodali ſedulo
Rem mandatam exſequitur. ipſus nec amat: ne tu creduas.
Lyd. Itane oportet rem mandatam gerere amici ſedulo,
Ut ipſus in gremio oſculantem mulierem teneat ſedens?
Nullon' pacto res mandata poteſt agi, niſi identidem
Manus ferat ad papillas, labra a labris nuſquam auferat?
Nam alia memorare, quæ illum facere vidi, diſpudet:
Cum manum ſub veſtimenta ad corpus detulit Bacchidi,
Me præſente, neque pudere quidquam. quid verbis opus eſt?
Mihi diſcipulus, tibi ſodalis periit, huic filius.
Nam ego illum periiſſe duco, cui quidem periit pudor.
Quid opu 'ſt verbis? ſi opperiri vellem paulliſper modo,
Ut opinor, illius inſpectandi mihi eſſet major copia:
Plus vidiſſem quam deceret, quam me atque illo æquom foret.
Mneſ. Perdidiſti me ſodalis. Egone illam mulierem
Capitis non perdam? perire me malis malim modis.
Satin' ut quem tu habeas fidelem tibi, aut quoi credas, neſcias?
Lyd. Viden', ut ægre patitur gnatum eſſe corruptum tuum,
Suum ſodalem! ut ipſus ſeſe cruciat ægritudine!
Phil. Mneſiloche, hoc tecum oro, ut illius animum atque ingenium regas.
Serva tibi ſodalem, & mihi filium. *Mneſ.* Factum volo.
Phil. In te ergo hoc onus omne impono. Lyde, ſequere hac me. *Lyd.* Sequor.
Melius eſſet, me quoque una ſi cum illo relinqueres.
Phil. Affatim eſt: Mneſiloche, cura, & concaſtiga hominem probe,
Qui dedecorat te, me, amicos atque alios flagitiis ſuis.

ACTUS III. SCENA IV.

Mneſilochus adoleſcens.

Inimitiorem nunc utrum credam magis
Sodalemne eſſe, an Bacchidem, incertum admodum eſt. Illum

Illum exoptavit potius? habeat. optume eſt.
Næ illa illud hercle cum malo fecit ſuo, meo.
Nam mihi divini numquam quiſquam creduat,
Ni ego illam exemplis plurimis planeque amo.
Ego faxo haud dicet nactam, quem derideat.
Nam jam domum ibo, atque aliquid ſurripiam patri.
Id iſti dabo. ego iſtanc multis ulciſcar modis:
Adeo ego illam cogam uſque, ut mendicet meus pater.
Sed ſatin' ego animum mente ſincera gero?
Qui ad hunc modum hæc hic, quæ futura, fabulor?
Amo hercle, opinor, utpote quod pro certo ſciam.
Verum quam illa unquam de mea pecunia
Ramenta fiat plumea propenſior,
Mendicum malim mendicando vincere.
Numquam edepol viva me irridebit. nam mihi
Decretum eſt renumerare jam omne aurum patri.
Igitur mihi inani atque inopi ſubblandibitur:
Tum, cum *mea illud* nihilo pluris referet,
Quam ſi ad ſepulcrum mortuo dicat jocum.
Sed antequam illa umquam meis opulentiis
Ramenta fiat gravior, aut propenſior,
Mori me malim excruciatum inopia.
Profecto ſtabile eſt me patri aurum reddere.
Eadem exorabo, Chryſalo cauſſa mea
Pater ne noceat: neu quid ei ſuccenſeat
Mea cauſſa de auro, quod eum ludificatus eſt.
Nam illi æquom eſt me conſulere, qui cauſſa mea
Mendacium dixit. *nunc* vos me ſequimini.

ACTUS III. SCENA V.

Piſtoclerus.

Rebus aliis antevortar, Bacchis, quæ mandas mihi:
Mneſilochum ut requiram, atque ut eum mecum ad te adducam ſimul.
Nam illud animus meus miratur, ſi a me tetigit nuncius,
Quid remoratur. ibo, & viſam huc ad eum, ſi forte eſt domi.

ACTUS III. SCENA VI.

Mneſilochus, Piſtoclerus.

Reddidi patri omne aurum. nunc ego illam me velim
Convenire, poſtquam inanis ſum, contemtricem meam.
Sed veniam mihi quam gravate pater dedit de Chryſalo!
Verum poſtremo impetravi, ut ne quid ei ſuccenſeat.
Piſt. Eſtne hic meus ſodalis? *Mneſ.* Eſtne hic hoſtis, quem aſpicio, meus?
Piſt. Certe is eſt. *Mneſ.* Is eſt. *Piſt.* Adibo contra. *Mneſ.* Attollam gradum.
Piſt. Salvos ſis, Mneſiloche! *Mneſ.* Salvos cum peregre advenis,
Cœna detur. *Mneſ.* Non placet mihi cœna, quæ bilem movet.
Piſt. Num quæ advenienti ægritudo objecta eſt? *Mneſ.* atque acerruma.
Piſt. Unde? *Mneſ.* Ab homine, quem mihi amicum eſſe arbitratus ſum antidhac.
Piſt. Multi more iſto atque exemplo vivont, quos cum cenſeas
Eſſe amicos, reperiuntur falſi falſimoniis;
Lingua factioſi, inertes opera, ſubleſta fide.
Nullus eſt, quoi non invideant rem ſecundam obtingere.
Sibi ne invideatur, ipſi ignavi recte cavent.
Mneſ. Edepol næ tu illorum mores perquam meditate tenes.
Sed etiam unum hoc ex ingenio malo malum inveniunt ſuo:
Nulli amici ſunt, inimicos ipſi in ſeſe omnes habent.
Atque ii ſe cum fruſtrantur, fruſtrari alios ſtolidi exiſtumant.
Sicut eſt hic, quem eſſe amicum ratus ſum, atque ipſus ſum mihi:
Ille, quod in ſe fuit, accuratum habuit, quod poſſet mali
Facere, & in me inconciliare copias omnes meas.
Piſt. Improbum iſtunc eſſe oportet hominem. *Mneſ.* Ego ita eſſe arbitror.
Piſt. Obſecro hercle loquere, quis is eſt? *Mneſ.* Benevolens vivit tibi.
Nam ni ita eſſet, tecum orarem, ut ei, quod poſſes mali
Facere, faceres. *Piſt.* Dic modo hominem, qui ſit: ſi non fecero
Ei male aliquo pacto, me eſſe dicito ignaviſſumum.
Mneſ. Nequam homo eſt, verum hercle amicus eſt tibi. *Piſt.* Tanto magis
Dic, quis eſt. nequam hominis ego parvi pendo gratiam.
Mneſ. Video non poteſſe, quin tibi ejus nomen eloquar.
Piſtoclere, perdidiſti me ſodalem funditus.
Piſt. Quid iſtuc eſt? *Mneſ.* Quid eſt? miſine ego ad te ex Epheſo epiſtolam
Super amica, ut mihi invenires? *Piſt.* Fateor factum, & repperi.
Mneſ. Qui, tibi non erat meretricum aliarum Athenis copia,
Quibuſcum haberes rem, niſi cum illa, quam ego mandaſſem tibi?
Occiperes tute amare, & me ires conſultum male?
Piſt, Sanun' es? *Mneſ.* Rem repperi omnem ex tuo magiſtro, ne nega.
Perdidiſti me. *Piſt.* Etiamne ultro tuis me prolectas probris?
Mneſ. Quid amas Bacchidem? *Piſt.* Duas ergo hic intus eccas Bacchides.
Mneſ. Quid, duæ? *Piſt.* Atque ambas ſorores. *Mneſ.* Loqueris nunc nugas ſciens.
Piſt. Poſtremo, ſi pergis parum mihi fidem arbitrarier,
Tollam ego ted in collum, atque intro hinc auferam. *Mneſ.* Immo ibo: mane.
Piſt. Non maneo, neque tu me habebis falſo ſuſpectum. *Mneſ.* Sequor.

ACTUS QUARTUS

SCENA I.

Paraſitus, Puer.

Paraſitus ego ſum nequam hominis atque improbi
Militis, qui amicam ſecum avexit ex Samo.
Nunc me ire juſſit ad eam, & percunctarier,
Utum aurum reddat, anne eat ſecum ſimul.
Tu dudum, puer, cum illa uſque iſti ſimul;
Quæ harum ſunt ædes, pulta: adi actutum ad fores.
Recede hinc dierecte. ut pulſat propudium!
Comeſſe panem treis pedes latum potes,
Fores pultare neſcis! ecquis his in ædibus eſt?
Heus ecquis hic eſt? ecquis hoc aperit oſtium?
Ecquis exit?

ACTUS IV. SCENA II.

Piſtoclerus, *Paraſitus*.

QUid iſtuc? quæ iſtæc eſt pulſatio?
Quæ te mala crux agitat; ad iſtunc qui modum
Alieno vires tuas extentes oſtio?
Fores pene effregiſti. quid nunc vis tibi?
Par. Adoleſcens, ſalve. *Piſt.* Salve. ſed quem quæritas?
Par. Bacchidem. *Piſt.* Utram ergo? *Par.* Nihil ſcio, niſi Bacchidem.
Paucis me miſit miles ad eam Cleomachus;
Vel ut ducentos Philippos reddat aureos,
Vel ut hinc in Elatiam hodie eat ſecum ſimul.
Piſt. Non it. negato eſſe ituram. abi, & renuncia.
Alium illa amat, non illum. duc te ab ædibus.
Par. Nimis iracunde. *Piſt.* At ſcin' quam iracundus fiem?
Næ tibi hercle haud longe eſt os ab infortunio,
Ita dentifrangibula hæc meis manibus geſtiunt.
Par. Cum ego hujus verba interpretor, mihi cautio eſt,
Ne nucifrangibula excuſſit ex malis meis.
Tuo ego iſtæc igitur dicam illi periculo.
Piſt. Quid ais tu? *Par.* Ego iſtuc illi dicam. *Piſt.* Dic mihi,
Quis tu es? *Par.* Illius ſum integumentum corporis.
Piſt. Nequam eſſe oportet, quoi tu integumentum improbus es.
Par. Sufflatus ille huc veniet. *Piſt.* Diruptum velim.
Par. Num quid vis? *Piſt.* Abeas celeriter. facto eſt opus.
Par. Vale, dentifrangibule. *Piſt.* Et tu, integumentum, vale.
In eum nunc hæc revenit res locum, ut quid conſilii
Dem meo ſodali ſuper amica, neſciam,
Qui iratus renumeravit omne aurum patri,
Neque nummus ullu'ſt, qui reddatur militi.
Sed huc concedam. nam concrepuerunt fores.
Mneſilochus eccum mœſtus progreditur foras.

ACTUS IV. SCENA III.

Mneſilochus, *Piſtoclerus*.

PEtulans, protervo, iracundo animo, indomito, incogitato,
Sine modo & modeſtia ſum, ſine bono jure, atque honore;
Incredibilis, impoſque animi, inamabilis, illepidus vivo,
Malevolente ingenio natus. poſtremo id mihi eſt, quod nolo
Ego eſſe aliis. credibile hoc eſt? nequior nemo eſt, neque indignior,
Quoi dii benefaciant, neque quem quiſquam homo aut amet, aut adeat.
Inimicos quam amicos æquius eſt me habere: malos quam bonos
Par magis me juvare. omnibus probris, quæ improbis viris
Digna ſunt, dignior nullus eſt homo: qui patri reddidi
Omne aurum amans, quod fuit præ manu. ſumne ego homo miſer!
Perdidi me, atque operam Chryſali.
Piſt. Conſolandus hic mihi eſt. ibo ad eum. Mneſiloche, quid fit? *Mneſ.* Perii.
Piſt. Dii melius faciant. *Mneſ.* Perii. *Piſt.* Non taces, inſipiens? *Mneſ.* Taceam?
Piſt. Sanus ſatis non es. *Mneſ.* Perii. multa mala mihi in pectore
Nunc acria atque acerba eveniunt. criminin' me habuiſſe fidem.
Immerito tibi iratus fui. *Piſt.* Eja bonum habe animum.
Mneſ. Unde habeam? mortuus pluris pretii 'ſt, quam ego ſum. *Piſt.* Militis
Paraſitus modo venerat aurum petere: hinc eum ego meis
Dictis malis, his foribus atque hac repuli, rejeci hominem.
Mneſ. Quid mihi id prodeſt? quid faciam? nihil habeo miſer. ille quidem
Hanc abducet, ſcio. *Piſt.* Si mihi ſit, non pollicear.
Mneſ. Scio, dares.
Novi. ſed niſi ames, non habeam tibi fidem tantam.
Nunc agitas ſat tute tuarum rerum: egone ut opem mihi
Ferre putem poſſe inopem te? *Piſt.* Tace modo: deus reſpiciet nos aliquis.
Mneſ. Nugæ. *Piſt.* Mane. *Mneſ.* Quid eſt? *Piſt.* Tuam copiam eccam, Chryſalum video.

ACTUS IV. SCENA IV.

Chryſalus ſervus, *Mneſilochus*, *Piſtoclerus* adoleſcens.

HUnc hominem decet auro expendi: huic decet ſtatuam ſtatui ex auro.
Nam duplex hodie facinus feci, duplicibus ſpoliis ſum affectus.
Herum majorem meum ut ego hodie luſi lepide! ut ludificatus eſt!
Callidum ſenem callidis dolis compuli, & perpuli, mihi omnia ut crederet.
Nunc amanti hero, filio ſenis, quicum ego bibo, quicum edo, & amo,
Regias copias aureaſque obtuli, ut domo ſumeret, neu foris quæreret.
Non mihi iſti placent Parmenones, Syri, qui duas aut tres minas
Auferunt heris. nequius nihil eſt, quam egens conſilii ſervos, niſi habet
Multipotens pectus, ubicunque uſus ſiet, pectore expromat ſuo.
Nullus frugi eſſe poteſt homo, niſi qui & bene & male facere tenet.
Improbis cum improbus ſit, harpaget: furibus furetur, quod queat.
Verſipellem frugi convenit eſſe hominem. pectus quoi ſapit,
Bonus ſit bonis, malus ſit malis. utcumque res ſit, ita animum habeat.
Sed lubet ſcire, quantum aurum herus ſibi demſit: & quid ſuo reddidit patri.
Si frugi eſt, Herculem fecit ex patre: decumam partem ei
Dedit, ſibi novem abſtulit. ſed, quem quæro, optume ecce obviam
Mihi eſt. num qui nummi exciderunt, here, tibi, quod ſic terram
Obtuere? quid vos mœſtos tam triſteſque eſſe conſpicor?
Non placet, nec eſt temere etiam. quin mihi reſpondetis?
Mneſ. Chryſale, occidi. *Chr.* fortaſſis tu auri demſiſti parum.
Mneſ. Qui, malum, parum? immo vero nimio minus multo parum.
Chr. Quid igitur, ſtulte? quoniam occaſio ad eam rem fuit
Mea virtute parta, ut quantum velles, tantum ſumeres.

Sic hoc digitulis duobus ſumebas primoribus?
An neſciebas, quam ejuſmodi homini raro tempus ſe daret?
Mneſ. Erras. *Chr.* At quidem tute erraſti, cum parum immerſti ampliter.
Mneſ. Pol tu quam nunc me accuſes magis, ſi magis rem noveris.
Occidit! *Chr.* Animus jam iſtoc dicto plus præſagitur mali.
Mneſ. Perii! *Chr.* Quid ita? *Mneſ.* Quia patri omne cum ramento reddidi.
Chr. Reddidiſti? *Mneſ.* Reddidi. *Chr.* Omnene? *Mneſ.* Oppido. *Chr.* Occiſi ſumus!
Qui in mentem venit tibi iſtuc facinus facere tam malum?
Mneſ. Bacchidem atque hunc ſuſpicabar propter crimen, Chryſale,
Me male conſuluiſſe: ob eam rem omne aurum iratus reddidi
Meo patri. *Chr.* Quid, ubi reddebas aurum, dixiſti patri?
Mneſ. Id aurum accepiſſe extemplo ab hoſpite Archidemide. *Chr.* Hem!
Iſtoc dicto dediſti hodie in cruciatum Chryſalum:
Nam ubi me aſpiciet, ad carnificem rapiet continuo ſenex.
Mneſ. Ego patrem exoravi. *Chr.* Nempe ergo hoc ut taceret, quod loquor?
Mneſ. Immo tibi ne noceat, neu quid ob eam rem ſuccenſeat.
Atque ægre impetravi. nunc hoc tibi curandum eſt, Chryſale.
Chr. Quid vis curem? *Mneſ.* Ut ad ſenem etiam alteram facias viam.
Compara, fabricare, finge quod lubet, conglutina,
Ut ſenem hodie doctum docte fallas, aurumque auferas.
Chr. Vix videtur fieri poſſe. *Mneſ.* Perge, ac facile hæc feceris.
Chr. Quam, malum, facile? quem mendacii prehendit maniſeſto modo:
Quem ſi orem, ut mihi nihil credat, id non auſit credere.
Mneſ. Immo ſi audias, quæ dicta dixit me advorſum tibi.
Chr. Quid dixit? *Mneſ.* Si tu illum Solem ſibi Solem eſſe dixeris,
Si illum Lunam credere eſſe, & noctem, qui nunc eſt dies.
Chr. Emungam hercle hominem probe hodie: ne id nequidquam dixerit.
Mneſ. Nunc quid nos vis facere? *Chr.* Enim nihil, niſi ut ametis, impero.
Ceterum quantum lubet me poſcitote aurum, ego dabo.
Quid mihi refert Chryſalo eſſe nomen, niſi factis probo?
Sed nunc quantulum uſu'ſt auri tibi, Mneſiloche? dic mihi.
Mneſ. Militi nummis ducentis jam uſus eſt pro Bacchide.
Chr. Ego dabo. *Mneſ.* Tum nobis opus eſt ſumtu. *Chr.* Ah placide volo
Unumquidque agamus: hoc ubi egero, tum iſtuc agam.
De ducentis nummis primum intendam baliſtam in ſenem.
Ea baliſta ſi pervortam turrim & propugnacula,
Recta porta invadam extemplo in oppidum antiquom & vetus:
Si id capſo, geritote amicis voſtris aurum corbibus,
Si cui animus ſperat. *Piſt.* Apud te eſt animus noſter, Chryſale.
Chr. Nunc tu abi intro, Piſtoclere, ad Bacchidem, atque effer cito.
Piſt. Quid? *Chr.* Stilum, ceram, & tabellas, & linum. *Piſt.* Jam faxo hic erunt.
Mneſ. Quid nunc es facturus? Id mihi dice. coctum eſt prandium.
Chr. Vos duo eritis, atque amica tua erit tecum tertia.
Mneſ. Sicut dicis. *Chr.* Piſtoclero nulla amica eſt. *Mneſ.* Immo adeſt.
Alteram ille amat ſororem, ego alteram, ambas Bacchides.
Chr. Quid tu loqueris? *Mneſ.* Hoc ut futuri ſumus. *Chr.* Ubi eſt biclinium
Vobis ſtratum? *Mneſ.* Quid id exquiris? *Chr.* Res ita eſt: dici volo.
Neſcis quid ego acturus ſim, neque facinus quantum exordiar.
Mneſ. Cedo manum, ac ſubſequere propius me ad fores: intro inſpice.
Chr. Evax nimis bellus, atque ut eſſe maxume optabam, locus.
Piſt. Quæ imperaſti (imperatum bene bonis) factum illico eſt.
Chr. Quid paraſti? *Piſt.* Quæ parari tu juſſiſti omnia.
Chr. Cape ſtilum propere & tabellas tu has tibi. *Mneſ.* Quid poſtea?
Chr. Quod jubebo, ſcribito iſtic. nam propterea *te* volo
Scribere, ut pater cognoſcat litteras, quando legat.
Scribe. *Mneſ.* Quid ſcribam? *Chr.* Salutem tuo patri verbis tuis.
Piſt. Quid ſi potius morbum & mortem ſcribat? id erit rectius.
Mneſ. Ne interturba. jam imperatum in cera ineſt. *Chr.* Dic quemadmodum?
Mneſ. Mneſilochus ſalutem dicit ſuo patri. *Chr.* Adſcribe hoc cito:
Chryſalus mihi uſquequaque loquitur nec recte, pater,
Quia tibi aurum reddidi, & quia non te defraudaverim.
Piſt. Mane, dum ſcribit. *Chr.* Celerem oportet eſſe amatoris manum.
Piſt. Atque idem hercle eſt ad perdundum magis, quam ad ſcribendum citus.
Mneſ. Loquere: hoc ſcriptum eſt. *Chr.* Nunc, pater mi, proin' tu ab eo ut caveas tibi,
Sycophantias componit, aurum ut abs ted auferat:
Et profectò ſe ablaturum dixit. plane adſcribito.
Mneſ. Dic modo. *Chr.* Atque id pollicetur ſe daturum aurum mihi,
Quod dem ſcortis, quodque in luſtris comedim & congræcem, pater.
Sed, pater, vide ne tibi hodie verba det: quæſo cave.
Mneſ. Loquere porro. *Chr.* Adſcribe dum. *Mneſ.* Etiam loquere, quid ſcribam, modo?
Chr. Sed, pater, quod promiſiſti mihi, te quæſo ut memineris,
Ne illum verberes, verum apud te vinctum aſſervato domi.
Cedo tu ceram ac linum actutum. age, obliga, obſigna cito.
Mneſ. Obſecro, quid iſtis ad iſtunc uſu'ſt conſcriptis modum?
Ut tibi ne quid credat, atque ut vinctum te aſſervet domi?

Chr. Quia mihi ita lubet. potin' ut cures te, atque ne parcas mihi?
Mea fiducia opus conduxi, & meo periculo rem gero.
Mneſ. Atquom dicis. *Chr.* Cedo tabellas. *Mneſ.* Accipe. *Chr.* animum advortite.
Mneſiloche & tu Piſtoclere, jam facite, in biclinio
Cum amica ſua uterque accubitum eatis. ita negotium eſt.
Atque ibidem, ubi nunc ſunt lecti ſtrati, potetis cito.
Piſt. Numquid aliud? *Chr.* Hoc, atque etiam ubi erit accubitum ſemel,
Ne quoquam exſurgatis, donec a me erit ſignum datum.
Piſt. O imperatorem probum! *Chr.* Jam bis bibiſſe oportuit.
Mneſ. Fugiamus. *Chr.* Vos voſtrum curate officium, ego efficiam meum.

ACTUS IV. SCENA V.

Chryſalus.

INſanum magnum molior negotium,
Metuoque ut hodie poſſiem emolirier.
Sed nunc truculento mihi atque ſævo uſus ſene eſt.
Nam non conducit huic ſycophantiæ
Senem tranquillum eſſe, ubi me aſpexerit.
Vorſabo ego illum hodie, ſi vivo, probe.
Tam frictum ego illum reddam, quam frictum eſt cicer.
Adambulabo ad oſtium, ut quando exeat,
Extemplo advenienti ei tabellas dem in manum.

ACTVS IV. SCENA VI.

Nicobulus, Chryſalus.

NImio illæc res eſt magnæ dividiæ mihi,
Subterfugiſſe ſic mihi hodie Chryſalum.
Chr. Salvos ſum, iratus eſt ſenex. nunc eſt mihi
Adeundi ad hominem tempus. *Nic.* Quis loquitur prope?
Atque hic quidem, opinor, Chryſalu' ſt. *Chr.* Acceſſero.
Nic. Bone ſerve, ſalve. quid fit? quam mox navigo
In Epheſum, ut aurum repetam ab Theotimo domum?
Taces? per omnes deos adjuro, ut ni meum
Gnatum tam amem, atque ei facta cupiam, quæ is velit,
Ut tua jam virgis latera lacerentur probe,
Ferratuſque in piſtrino ætatem conteras.
Omnia reſcivi ſcelera ex Mneſilocho tua.
Chr. Men' criminatus eſt? optume eſt: ego ſum malus,
Ego ſum ſacer, ſceleſtus: ſpecta rem modo:
Ego verbum faciam. *Nic.* Etiam carnufex
Minitare? *Chr.* Noſces tu illum actutum, qualis ſit.
Nunc haſce tabellas ferre me juſſit tibi.
Orabat, ut, quod iſtic eſſet ſcriptum, id fieret.
Nic. Cedo. *Chr.* Noſce ſignum. *Nic.* Novi. ubi ipſe eſt? *Chr.* Neſcio.
Nihil jam me oportet ſcire: oblitus ſum omnia.
Scio me eſſe ſervom. neſcio etiam id, quod ſcio.
Nunc ab tranſenna hic turdus lumbricum petit:
Pendebit hodie pulchre, ita intendi tenus.
Nic. Mane dum parumper: jam ad te exeo, Chryſale.
Chr. Ut verba mihi dat! ut neſcio quam rem gerat!
Servos arceſſit intus, qui me vinciant.
Bene navis agitatur, pulchre hæc confertur ratis.
Sed conticiſcam: nam audio aperiri fores.

ACTUS IV. SCENA VII.

Nicobulus, Chryſalus.

COnſtringe tu illi, Artamo, actutum manus.
Chr. Quid feci? *Nic.* Impinge pugnum, ſi muttiverit.
Quid hæ loquuntur litteræ? *Chr.* Quid me rogas?
Ut ab illo accepi, ad te obſignatas attuli.
Nic. Eho tu! loquitatuſne es gnato meo male
Per ſermonem, quia mihi id aurum reddidit?
Et te dixiſti id aurum ablaturum tamen
Per ſycophantias? *Chr.* Egone iſtuc dixi? *Nic.* Ita.
Chr. Quis homo eſt, qui dicat me dixiſſe iſtuc? *Nic.* Tace.
Nullus homo dicit: hæ tabellæ te arguunt,
Quas tu attuliſti. hem, hæ te vinciri jubent. *Chr.* Aha!
Bellerophontem jam tuus me fecit filius.
Egomet tabellas detuli, ut vincirer? ſine!
Nic. Propterea hoc facio, ut ſuadeas gnato meo
Ut pergræcetur tecum, tervenefice.
Chr. O ſtulte, ſtulte neſcis nunc vænire te:
Atque in eo ipſo aſtas lapide, ubi præco prædicat.
Nic. Reſponde: quis me vendit? *Chr.* Quem di diligunt,
Adoleſcens moritur, dum valet, ſentit, ſapit.
Hunc ſi ullus deus amaret, plus annis decem,
Plus jam viginti mortuum eſſe oportuit:
Terræ odium ambulat. jam nihil ſapit,
Nec ſentit. tanti eſt, quanti eſt fungus putidus.
Nic. Tun' terræ me odium eſſe autumas? abducite hunc
Intro, atque aſtringite ad columnam fortiter.
Numquam auferes hinc aurum. *Chr.* Atqui ultro jam dabis.
Nic. Dabo? *Chr.* Atque orabis me quidem ultro, ut auferam;
Cum illum reſciſces criminatorem meum,
Quanto in periculo, & quanta in pernicie ſiet:
Tum libertatem Chryſalo largibere:
Ego adeo numquam accipiam. *Nic.* Dic, ſcelerum caput,
Dic, quo in periculo eſt meus Mneſilochus filius?
Chr. Sequere hac me, faxo jam ſcies. *Nic.* Quo gentium?
Chr. Tres unos paſſus. *Nic.* Vel decem. *Chr.* Agedum, tu Artamo,
Forem hanc pauxillum aperi, placide, ne crepa:
Sat eſt: accede huc tu. viden' convivium?
Nic. Video exadvorſum Piſtoclerum & Bacchidem.
Chr. Qui ſunt in lecto illo altero? *Nic.* Interii miſer!
Chr. Noviſtine hominem? *Nic.* Novi. *Chr.* Dic ſodes mihi,
Bellan' videtur ſpecie mulier? *Nic.* Admodum.
Chr. Quid illam, meretricemne eſſe cenſes? *Nic.* Quippini.
Chr. Fruſtra es. *Nic.* Quis igitur obſecro eſt? *Chr.* Inveneris.
Ex me quidem hodie numquam fies certior.

ACTUS IV. SCENA VIII.

Cleomachus, Nicobulus, Chryſalus.

MEamne hic Mneſilochus, Nicobuli filius,
Per vim ut retineat mulierem? quæ hæc factio eſt?
Nic. Quis ille eſt? *Chr.* Per tempus hic venit miles mihi.
Cle. Non me arbitratur militem, ſed mulierem,
Qui me meoſque non queam defendere.
Nam neque Bellona mihi umquam, neque Mars creduat,
Ni illum exanimalem faxo, ſi convenero,
Nive exhæredem fecero vitæ ſuæ.

Nic.

Nic. Chryſale, quis ille eſt, qui minitatur filio?
Chr. Vir hic eſt illius mulieris, quacum accubat.
Nic. Quid, vir? *Chr.* Vir, inquam. *Nic.* Nupta eſt illan' obſecro?
Chr. Scies haud multo poſt. *Nic.* Oppido interii miſer!
Chr. Quid? nunc ſceleſtus tibi videtur Chryſalus?
Age nunc, vincito me, auſcultato filio.
Dixin' tibi ego illum inventurum te, qualis ſit?
Nic. Quid nunc ego faciam? *Chr.* jube ſis me exſolvi cito.
Nam niſi ego exſolvor, jam manifeſto hominem opprimet.
Cle. Nihil eſt lucri, quod me hodie facere mavelim,
Quam illum cubantem cum illa opprimere, ambo ut necem.
Chr. Audin' quæ loquitur? quin tu me exſolvi jubes?
Nic. Exſolvite iſtum. perii, pertimui miſer!
Cl. Tum illam, quæ corpus publicat volgo ſuum,
Faxo, ſe haud dicat nactam, quem derideat.
Chr. Paciſci cum illo paullula pecunia
Potes. *Nic.* Paciſcere ergo obſecro, quod tibi lubet;
Dum ne manifeſto hominem opprimat, neve enicet.
Cl. Nunc niſi ducenti Philippi redduntur mihi,
Jam illorum ego animam amborum exſorbebo oppido.
Nic. Hem illoc paciſcere, ſi potes. perge obſecro.
Paciſcere quidvis. *Chr.* Ibo & faciam ſedulo.
Quid clamas? *Cle.* Ubi herus tuus eſt? *Chr.* Nuſquam: neſcio.
Vis tibi ducentos nummos jam promittier,
Ut ne clamorem hic facias, neu convicium?
Cle. Nihil eſt, quod malim. *Chr.* Atque ut tibi mala multa ingeram?
Cle. Tuo arbitratu. *Chr.* Ut ſubblanditur carnufex!
Pater hic Mneſilochi eſt: ſequere. is promittet tibi.
Tu aurum rogato: ceterum verbum ſat eſt.
Nic. Quid fit? *Chr.* Ducentis Philippis rem pepigi. *Nic.* Vah, ſalus
Mea, ſervaviſti me. quam mox dico? Dabo.
Chr. Roga hunc tu, tu promitte huic. *Nic.* Promitto, roga.
Cle. Ducentos nummos aureos Philippos probos
Dabin? Dabuntur, inque: reſponde. *Nic.* Dabo.
Chr. Quid nunc, impure, numquid debetur tibi?
Quid illi moleſtus? quid illum morte territas?
Et ego te, & ille mactamus infortunio.
Si tibi eſt machæra, & nobis veruina eſt domi:
Qua quidem te faciam, ſi tu me irritaveris,
Confoſſiorem ſoricina nenia.
Jamdudum hercle equidem ſentio, ſuſpicio
Quæ te ſollicitet, eum eſſe cum illa muliere.
Cle. Immo eſt quoque. *Chr.* Ita me Juppiter, Juno, Ceres,
Minerva, Latona, Spes, Opis, Virtus, Venus,
Caſtor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules,
Submanus, Sol, Saturnus, diique omnes ament:
Ut ille cum illa neque cubat, neque ambulat,
Neque oſculatur, neque illud quod dici ſolet.
Nic. Ut jurat! ſervat me ille ſuis perjuriis.
Cle. Ubi nunc Mneſilochus ergo eſt? *Chr.* rus miſit pater.
Illa autem in arcem abivit ædem viſere
Minervæ. nunc aperta eſt. i, viſe, eſtne ibi?
Cle. Abeo ad forum igitur. *Chr.* Vel hercle in malam crucem.
Cle. Hodie exigam aurum hoc? *Chr.* Exige, ac ſuſpende te:
Ne ſupplicare cenſeas, nihili homo.
Ille eſt amotus. ſine me, per, te, here, obſecro
Deos immortales, ire huc intro ad filium.
Nic. Quid eo introibis? *Chr.* Ut eum dictis plurimis
Caſtigem, cum hæc ſic facta ad hunc faciat modum.
Nic. Immo oro ut facias, Chryſale, & ted obſecro,
Cave parſis in eum dicere. *Chr.* Etiam me mones?
Satin' eſt, ſi plura ex me audiet hodie mala,
Quam audivit umquam Clinia ex Demetrio?
Nic. Lippi illic oculi ſervos eſt ſimillumus:
Si non eſt; nolis eſſe, neque deſideres:
Si eſt; abſtinere, quin attingas, non queas.
Nam ni illic hodie forte fortuna hic foret,
Miles Mneſilochum cum uxore opprimeret ſua,
Atque obtruncaret mœchum manifeſtarium:
Nunc quaſi ducentis Philippis emi filium,
Quos dare promiſi militi: quos non dabo
Temere etiam, priuſquam filium convenero.
Numquam edepol quidquam temere credam Chryſalo;
Verum libet etiam mihi has perlegere denuo:
Æquom eſt tabellis conſignatis credere.

ACTUS IV. SCENA IX.

Chryſalus, Nicobulus.

ATridæ duo fratres cluent feciſſe facinus maxumum:
Cum Priami patriam Pergamum, divina mœnitum manu,
Armis, equis, exercitu atque eximiis bellatoribus,
Millenum numero navium, decumo anno poſt ſubegerunt.
Non Pelides termento fuit, præut ego herum expugnabo meum.
Sine claſſe, ſineque exercitu, & tanto numero militum,
Cepi, expugnavi amanti herili filio aurum ab ſuo patre.
Nunc priuſquam huc ſenex venit, libet lamentari, dum exeat:
O Troja! o patria! o Pergamum! o Priame! periiſti, ſenex,
Qui miſere male mulcabere quadringentis Philippis aureis.
Nam ego has tabellas obſignatas, conſignatas, quas fero,
Non ſunt tabellæ, ſed equos, quem miſere Achivi ligneum.
Epius eſt Piſtoclerus: ab eo hæc ſumta. Mneſilochus Sinon eſt
Relictus: ellum! non in buſto Achilli, ſed in lecto accubat:
Bacchidem habet ſecum. ille olim habuit ignem, qui ſignum daret:
Hæc ipſum exurit. ego ſum Ulyſſes, cujus conſilio hæc geruntur.
Tum quæ hic ſunt ſcriptæ litteræ, hoc in equo inſunt milites
Armati atque animati probe. ita res ſucceſſit, meliuſque adhuc.
Atque hic equos non in arcem, verum in arcam faciet impetum.
Excidium, exitium, exlecebra fiet hic equos hodie auro ſenis.
Noſtro ſeni huic ſtolido, ei profecto nomen facio ego Ilio.
Miles Menelau 'ſt: ego Agamemnon, idem Ulyſſes Laertius.
Mneſilochus eſt Alexander, qui erit exitium rei patriæ ſuæ:
Is Helenam abduxit, cuja cauſſa nunc facio obſidium Ilio.
Nam illic eidem audii Ulyſſem, ut ego ſum, fuiſſe & audacem & malum.
Dolis ego deprenſus ſum: ille mendicans pæne inventus interiit. Dum

Dum ſibi exquirit fata Iliorum. aſſimiliter mihi hodie obtigit.
Vinctus ſum, ſed dolis exemi: item ſe ille ſervavit dolis.
Ilio tria fuiſſe audivi fata, quæ illi forent exitio:
Signum ex arce ſi periſſet. alterum etiam eſt Troili mors:
Tertium cum portæ Scææ limen ſuperum ſcinderetur.
Paria item tria eis tribus ſunt fata noſtro huic Ilio:
Nam dudum primo ut dixeram noſtro ſeni mendacium
Et de hoſpite, & de auro, & de lembo; ibi ſignum ex arce jam abſtuli.
Jam duo reſtabant fata tum, nec magis id ceperam oppidum.
Poſt ubi tabellas ad ſenem detuli, ibi occidi Troilum.
Cum cenſuit Mneſilochum cum uxore eſſe dudum militis,
Ibi vix me exſolvi. atque id periclum aſſimilo, Ulyſſem ut prædicant
Cognitum ab Helena, eſſe proditum Hecubæ. ſed ut olim ille ſe
Blanditiis exemit, & perſuaſit, ſe ut amitteret:
Item ego dolis me illo expuli periculo, & decepi ſenem.
Poſtea cum magnifico milite, urbes verbis qui inermus capit,
Conflixi, atque hominem repuli: dein' pugnam conſerui ſeni:
Ego eum adeo uno mendacio devici, uno ictu extempulo
Cepi ſpolia. is nunc ducentos nummos Philippos militi,
. . . . . . Quos dare ſe promiſit, dabit.
Nunc alteris etiam ducentis uſus eſt, qui diſpenſentur
Ilio capto: ut ſit mulſum, qui triumphent milites.
Sed Priamus hic multo illi præſtat. non quinquaginta modo,
Quadringentos filios habet; atque equidem omnes lectos ſine probro:
Eos ego hodie omnes contruncabo duobus ſolis ictibus.
Nunc Priamo noſtro ſi eſt quis emptor, coemtionalem ſenem
Vendam ego, venalem quem habeo, extemplo ubi oppidum expugnavero.
Sed Priamum aſtantem eccum ante portam video. adibo atque alloquar.
Nic. Cujanam vox prope me ſonat? *Chr.* O Nicobubule! *Nic.* Quid fit? quid,
Quod te miſi, ecquid egiſti? *Chr.* Rogas? congredere. *Nic.* Congredior.
Chr. Optumus ſum orator. ad lacrumas coegi hominem caſtigando,
Maleque dictis, quæ quidem quivi comminiſci. *Nic.* Quid ait? *Chr.* Verbum
Nullum fecit: lacrumans tacitus auſcultabat, quæ ego loquebar:
Tacitus conſcripſit tabellas: obſignatas mihi has dedit;
Tibi me juſſit dare. ſed metuo, ne idem cantent quod priores.
Noſce ſignum. eſtne ejus? *Nic.* Novi. libet perlegere has. *Chr.* Perlege.
Nunc ſuperum limen ſcinditur, nunc adeſt exitium Ilio:
Turbat equos lepide ligneus. *Nic.* Chryſale, ades, dum ego has perlego.
Chr. Quid me tibi adeſſe opus eſt? *Nic.* Volo, ut quod jubebo facias,
Ut ſcias, quæ hic ſcripta ſient. *Chr.* Nihil moror, neque ſcire volo.
Nic. Tamen ades. *Chr.* Quid opus eſt? *Nic.* Taceas, quod jubeo, id facias. *Chr.* Adero.
Nic. Euge litteras minutas. *Chr.* Qui quidem videat parum:
Verum, qui ſatis videat, grandes ſatis ſunt. *Nic.* Animum advortito igitur.
Chr. Nolo, inquam. *Nic.* At volo, inquam. *Chr.* Quid opus eſt? *Nic.* At enim id, quod te jubeo, facias.
Chr. Juſtum eſt, tuus tibi ſervos tuo arbitratu ſerviat.
Nic. Hoc ageſis jam nunc. *Chr.* Ubi lubet, recita: aurium operam tibi dico.
Nic. Ceræ quidem haud parſit, neque ſtilo. ſed quidquid eſt, perlegere certum eſt.
Pater ducentos Philippos quæſo Chryſalo
Da, ſi eſſe ſalvom vis me, aut vitalem tibi.
Chr. Malum quidem hercle magnum, tibi dico. *Nic.* Quid eſt?
Chr. Non prius ſalutem ſcripſit? *Nic.* Nuſquam ſentio.
Chr. Non dabis, ſi ſapies. verum ſi das maxume,
Næ ille alium gerulum quærat, ſi ſapiet, ſibi.
Nam ego non laturus ſum, ſi jubeas maxume:
Sat ſic ſuſpectus ſum, cum careo noxia.
Nic. Auſculta porro, dum hoc, quod ſcriptum eſt, perlego.
Chr. Inde a principio jam impudens epiſtola eſt.
Nic. Pudet prodire me ad te in conſpectum, pater.
Tantum flagitium te ſcire audivi meum,
Quod cum peregrini cubui uxore militis.
Pol haud derides. nam ducentis aureis
Philippis redemi vitam ex flagitio tuam.
Chr. Nihil eſt illorum, quin ego illi dixerim.
Nic. Stulte feciſſe fateor. ſed quæſo, pater,
Ne me in ſtultitia, ſi deliqui, deſeras.
Ego animo cupido, atque oculis indomitis fui:
Perſuaſum eſt facere, cujus nunc me facti pudet.
Prius te caviſſe ergo, quam pudere, æquom fuit.
Chr. Eadem iſtæc verba dudum illi dixi omnia.
Nic. Quæſo, ut ſat habeas id, pater, quod Chryſalus
Me objurgavit plurimis verbis malis,
Et me meliorem fecit præceptis ſuis,
Ut te ei habere gratiam æquom ſit bonam.
Chr. Eſtne iſtuc iſtic ſcriptum? *Nic.* Hem ſpecta, tum ſcies.
Chr. Ut qui deliquit, ſupplex eſt ultro omnibus!
Nic. Nunc ſi me fas eſt obſecrare abs te, pater,
Da mihi ducentos nummos Philippos, te obſecro.
Chr. Ne unum quidem hercle, ſi ſapis. *Nic.* Sine perlegam:
Ego jusjurandum verbis conceptis dedi,
Daturum id me hodie mulieri ante veſperum,
Priuſquam a me abiret. nunc, pater, ne pejerem,
Cura: atque abduce me hinc ab hac, quantum poteſt,
Quam propter tantum damni feci & flagitii.
Cave tibi ducenti nummi dividiæ ſuant.
Sexcenta tanta reddam, ſi vivo, tibi.
Vale, atque hæc cura. Quid nunc cenſes, Chryſale?
Chr. Nihil ego tibi hodie conſilii quidquam dabo:
Neque ego haud committam, ut, ſi quid peccatum ſiet,
Feciſſe dicas de mea ſententia.
Verum, ut ego opinor, ſi ego in iſtoc ſiem loco,
Dem potius aurum, quam illum corrumpi ſinam.
Duæ conditiones ſunt: utram tu accipias, vide.
Vel ut aurum perdas, vel ut amator pejeret.

Ego

Ego neque te jubeo, neque veto, neque ſuadeo.
Nic. Miſeret me illius. *Chr.* Tuus eſt; non mirum facis.
Si plus perdundum ſit, periiſſe ſuavius eſt,
Quam illud flagitium volgo diſpaleſcere.
Nic. Næ ille edepol Epheſi multo mavellem foret,
Dum ſalvos eſſet, quam reveniſſet domum.
Quin ergo iſtic, quod perdundum eſt, propero perdere?
Binos ducentos Philippos jam intus efferam:
Et militi quos dudum promiſi miſer,
Et iſtos. mane iſtic: jam exeo ad te, Chryſale.
Chr. Fit vaſta Troja, ſcindunt proceres Pergamum.
Scivi ego jamdudum fore me exitium Pergamo.
Edepol qui me eſſe dicat cruciatu malo
Dignum, næ ego cum illo pignus haud auſim dare,
Tantas turbellas facio. ſed crepuit foris:
Effertur præda ex Troja. taceam nunc jam.
Nic. Cape hoc tibi aurum, Chryſale. i, fer filio.
Ego ad forum autem hinc ibo, ut ſolvam militem.
Chr. Non equidem accipiam. proin'tu quæras qui ferat.
Nolo ego mihi credi. *Nic.* Cape vero: odioſe facis.
Chr. Non equidem capiam. *Nic.* At quæſo. *Chr.* Dico, ut res ſe habet.
Nic. Morare. *Chr.* Nolo, inquam, aurum concredi mihi.
Vel da aliquem, qui me ſervet. *Nic.* Ohe, odioſe facis.
Chr. Cedo, ſi neceſſe eſt. *Nic.* Cura hoc. jam ego huc revenero.
Chr. Curatum eſt, eſſe te ſenem miſerrumum.
Hoc eſt incepta efficere pulchre, veluti mihi
Evenit, ut ovans præda onuſtus incederem.
Salute noſtra atque urbe capta per dolum,
Domum reduco integrum omnem hinc exercitum.
Sed, ſpectatores, vos nunc ne miremini,
Quod non triumpho. pervolgatum eſt, nihil moror.
Verumtamen accipientur mulſo milites,
Nunc hanc prædam omnem jam ad quæſtorem deferam.

ACTUS IV. SCENA X.

Philoxenus.

Quam magis in pectore meo foveo, quas meus filius turbas turbet,
Quam ſe ad vitam, & quos ad amores præcipitem inſcitus capeſſat,
Magis curæ eſt, magiſque adformido, ne is pereat, neu corrumpatur.
Scio. ego fui illa ætate, & feci illa omnia, ſed more modeſto.
Neque placitant mores, quibus video volgo gnatis eſſe parentes.
Duxi, habui ſcortum, potavi, edi, donavi. & enim id raro.
Ego dare me ludum meo gnato inſtitui. ut animo obſequium
Sumere poſſit, æquom eſſe puto: ſed nimis nolo deſidiæ
Ei dare ludum. nunc Mneſilochum, quod mandavi, viſo:
Ecquid eum ad virtutem aut ad frugem opera ſua compulerit:
Sicut eum, ſi convenit, ſcio feciſſe: eo eſt ingenio natus.

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

Nicobulus, Philoxenus.

Quicumque ubique ſunt, qui fuere, quique futuri ſunt poſthac
Stulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,
Solus ego omnes longe antedeo ſtultitia, & moribus indoctis.
Perii! pudet. hoccine me ætatis ludos bis factum eſſe indigne?
Magis quam id reputo, tam magis uror, quæ meus filius turbavit.
Perditus ſum, atque etiam eradicatus ſum: omnibus exemplis crucior.
Omnia me mala conſectantur, omnibus exitiis interii.
Chryſalus me hodie laceravit, Chryſalus me miſerum ſpoliavit:
Is me ſcelus uſque attondit dolis doctis indoctum, ut lubitum eſt.
Ita miles memorat meretricem eſſe, quam ille uxorem eſſe ajebat.
Omnia, ut quidque actum eſt, memoravit. eam ſibi hunc annum conductam.
Reliquom id auri factum, quod ego ei ſtultiſſumus homo promiſiſſem.
Hoc, hoc eſt, quod peraceſcit, hoc eſt demum quod percrucior,
Me hoc ætatis ludificari: immo edepol ſic ludos factum!
Cano capite, atque alba barba, miſerum me auro eſſe emunctum!
Perii. hoc ſervom meum non nauci facere auſum! atque ego, ſi alibi
Plus perdiderim, minus ægre habeam, minuſque id mihi damno ducam.
Phil. Certo hic prope me mihi neſcio quis loqui viſus eſt. ſed quem video?
Hic quidem pater Mneſilochi. *Nic.* Euge, ſocium ærumnæ & mei mali video.
Philoxene ſalve. *Phil.* Et tu. unde agis? *Nic.* Unde homo miſer & infortunatus.
Phil. At pol ego ibi ſum, eſſe ubi miſerum hominem decet atque infortunatum.
Nic. Igitur pari fortuna, ætate ut ſumus, utimur. *Phil.* Sic eſt. ſed, tu,
Quid tibi eſt? *Nic.* Pol mihi par idem eſt quod tibi. *Phil.* Nunquidnam ad filium
Hæc ægritudo attinet? *Nic.* Admodum. *Phil.* Idem mihi morbus in pectore eſt.
Nic. At mihi Chryſalus optumus homo . . . . . .
Perdidit filium, me, atque rem omnem . . . . . .
Meam. *Phil.* Quid tibi ex filionam, obſecro, ægre eſt? *Nic.* Scies id: periit
Cum tuo: atque ambo æque amicas habent. *Phil.* Qui ſcis? *Nic.* Vidi. *Phil.* Hei mihi, diſperii!
Nic. Quid dubitamus pultare, atque huc evocare ambos foras?
Phil. Haud moror. *Nic.* Heus Bacchis, jube ſis actutum aperiri fores,
Niſi mavoltis fores & poſtes comminui ſecuribus.

SCE-

ACTUS V. SCENA II.

Bacchides duæ ſorores, *Nicobulus*, *Philoxenus*.

QUis ſonitu ac tumultu tanto, nomine nominat
Me, atque pultat ædes? *Nic.* Ego atque hic. *Bacch.* Quid hoc eſt
Negotii? nam, amabo, quis has huc oves adegit?
Nic. Oves nos vocant peſſumæ. *Sor.* Paſtor harum
Dormit, cum hæ eunt ſic a pecu palitantes.
Bacch. At pol nitent, haud ſordidæ videntur ambæ.
Sor. Attonſæ hæ quidem ambæ uſque ſunt. *Phil.* Ut videntur
Deridere nos! *Nic.* Sine, ſuo uſque arbitratu.
Bacch. Rerin' ter in anno tu has tonſitari? *Sor.* Pol hodie
Altera jam bis detonſa certo eſt. *Bacch.* Vetulæ
Sunt thymiamæ. *Sor.* At bonas fuiſſe credo.
Bacch. Viden' limulis, obſecro, ut intuentur?
Sor. Ecaſtor ſine omni arbitror malitia eſſe.
Phil. Merito hoc nobis fit, qui quidem huc venerimus.
Bacch. Cogantur quidem intro. *Sor.* Haud ſcio, quid eo opus ſit,
Quæ nec lactem, nec lanam ullam habent. ſic ſine aſtent.
Exoluere, quanti fuere. omnis fructus
Jam illis decidit. non vides, ut palantes
Solæ libere graſſentur? quin ætate credo eſſe mutas:
Ne balant quidem, cum a pecu cetero abſunt. *Bacch.* Stultæ atque haud malæ videntur.
Sor. Revortamur intro, ſoror. *Nic.* Illico ambæ manete: hæ oves volunt vos.
Bacch. Prodigium hoc quidem eſt: humana nos voce appellant oves.
Phil. Hæ oves vobis malam rem magnam, quam debent, dabunt.
Bacch. Si quam debes, te condono, tibi habe, numquam abs te petam.
Sed quid eſt, quapropter nobis vos malum minitamini?
Phil. Quia noſtros agnos concluſos iſtic eſſe ajunt duos.
Nic. Et, præter eos agnos, meus eſt iſtic clam mordax canis:
Qui niſi nobis producuntur jam, atque emittuntur foras,
Arietes truces nos erimus, jam in vos incurſabimus.
Bacch. Soror, eſt, quod te volo ſecreto. *Sor.* Eho amabo. *Nic.* Quo illæ abeunt? *Bacch.* Senem illum
Tibi dedo ulteriorem, lepide ut lenitum reddas: ego ad hunc
Iratum aggrediar. poſſumus nos hos intro illicere huc? *Sor.* Meum
Penſum ego lepide accurabo. quamquam odioſum eſt mortem amplexari.
Bacch. Facito, ut facias. *Sor.* Taceas. tu tuum facito, ego quod dixi, haud mutabo.
Nic. Quid illæc illic in conſilio duæ ſecreto conſultant?
Phil. Quid ais tu homo? *Nic.* Quid me vis? *Phil.* Pudet dicere me tibi quiddam.
Nic. Quid eſt, quod pudeat? *Phil.* St! amico homini tibi quid volo credere. certum eſt,
Nihili ſum. *Nic.* Iſtuc jampridem ſcio. ſed, quid nihili ſis, memora.
Phil. Tactus ſum vehementer viſco: cor ſtimulo foditur. *Nic.* Pol tibi
Multo æquius eſt coxendicem.
Sed quid iſtuc eſt? etſi jam ego ipſe, quid ſit, prope ſcire puto me,
Verum audire etiam ex te ſtudeo. *Phil.* Viden' hanc? *Nic.* Video. *Phil.* Haud mala eſt mulier.
Nic. Pol vero iſta mala, & tu nihili. *Phil.* Quid multa? ego amo. *Nic.* An amas? *Phil.* Necas.
Nic. Tun' homo putide, amator iſtac fieri ætate audes? *Phil.* Qui non?
Nic. Quia flagitium eſt. *Phil.* Quid opus verbis eſt? meo filio non ſum iratus.
Neque te tuo eſt æquom eſſe iratum: ſi amant, ſapienter faciunt.
Bacch. Sequere hac. *Nic.* Eunt. eccas tandem probri perlecebræ & perſuaſtrices.
Quid nunc? etiam redditis nobis filios & ſervom? an ego
Experior tecum vim majorem? *Phil.* Abin' hinc?
Non homo tu quidem es, qui iſtoc pacto tam lepidam illepide appelles.
Bacch. Senex optume, quantum eſt in terra, ſine hoc exorare abs te,
Ut iſtuc delictum deſiſtas tanto opere ire oppugnatum.
Nic. Niſi abeas, quamquam tu bella es, malum tibi magnum dabo jam. *Bacch.* Patiar.
Non metuo, ne quid mihi doleat, quod ferias. *Nic.* Ut blandiloqua eſt!
Hei mihi, metuo! *Sor.* Hic magis tranquillu'ſt.
I, i hac mecum intro, atque ibi, ſi quidvis, filium concaſtigato.
Nic. Abin' a me ſcelus? *Bacch.* Sine, mea pietas, exorem. *Nic.* Exores tu me?
Bacch. Ego quidem ab hoc certe exorabo. *Phil.* Immo ego te oro, ut me intro abducas.
Sor. Lepidum te! *Phil.* At ſcin', quo pacto me ad te intro abducas? *Sor.* Mecum ut ſis.
Phil. Omnia quæ cupio, commemoras. *Nic.* Vidi ego nequam
Homines, verum te neminem deteriorem. *Phil.* Ita ſum.
Bacch. I, i hac mecum intro, ubi tibi ſit lepide victibus, vino atque unguentis.
Nic. Satis, ſatis jam voſtri eſt convivii: me nihil pœnitet, ut ſim acceptus.
Quadringentis Philippis filius me, & Chryſalus circumduxerunt,
Quem quidem ego ut non excruciem,
Alterum tantum auri non meream.
Bacch. Quid tandem, ſi dimidium auri redditur? Iſne tu hac mecum
Intro, atque ut eis delicta ignoſcas? *Phil.* Faciet.
Nic. Minime. nolo, nihil moror. ſine ſic, malo illos ulciſci ambo.
Phil. Etiam tu homo nihili, quod dii dant boni, cave culpa tua amiſſis.
Dimidium auri datur, accipias, poteſque, & ſcortum accumbas.
Nic. Egon', ubi filius corrumpatur meus, ibi potem? *Phil.* Potandum eſt.
Nic. Age jam id, ut ut eſt, etſi eſt dedecorum, patiar: facere inducam
Animum egon', cum hæc cum illo accumbet, inſpectem? *Bacch.* Immo equidem pol tecum
Accumbam: te amabo, & te amplexabor. *Nic.* Caput prurit. perii!
Vix negito. *Bacch.* Non tibi venit in mentem, amabo, ſi dum vivas,

Tibi

Tibi bene facias, jam pol id quidem eſſe haud perlonginquom:
Neque ſi hoc hodie amiſeris, poſt in morte id eventurum eſſe umquam?
Nic. Quid ago? *Phil.* Quid agas, rogitas etiam? *Nic.* Libet, & metuo. *Bacch.* Quid metuis?
Nic. Ne obnoxius filio ſim, & ſervo. *Bacch.* Mel meum, amabo, iſtæc fiunt.
Tuus eſt. unde illum cenſes ſumere, niſi quod tute illi dederis?
Hanc veniam illis ſine te exorem. *Nic.* Ut terebrat! ſatin' offirmatum
Quod mihi erat, id me exorat? tua ſum opera & propter te improbior.
Bacch. Nuſquam me a te avelles. ſatin' ego iſtuc habeo offirmatum?
Nic. Quod ſemel dixi, haud mutabo. *Bacch.* It dies, ite intro accubitum.
Filii vos exſpectant intus. *Nic.* Quam quidem actutum emoriamur.
Bacch. Veſper hic eſt, ſequimini. *Phil.* Ducite nos, quo lubet, tamquam quidem addictos.
Bacch. Lepide ipſi hi ſunt capti, ſuis qui filiis fecere inſidias. ite.

Grex.

HI ſenes, niſi fuiſſent nihili jam inde ab adoleſcentia,
Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus:
Neque adeo hæc faceremus, ni antehac vidiſſemus fieri,
Ut apud lenones rivales filiis fierent patres.
Spectatores, vos valere volumus, & clare applaudere.

FINIS BACCHIDUM.

MOSTELLARIA.

Dramatis Perſonæ.

TRANIO *ſervus.*	THEUROPIDES *ſenex.*
GRUMIO *ſervus.*	SIMO *ſenex.*
PHILOLACHES *adoleſcens.*	DANISTA.
PHILEMATIUM *meretrix.*	PHANISCUS *advorſitor.*
SCAPHA *ancilla.*	SERVUS ALIUS.
CALLIDAMATES *adoleſcens.*	PUER.
DELPHIUM *meretrix.*	

ARGUMENTUM.

MAnumiſit emptos ſuos amores Philolaches,
Omnemque abſente rem ſuo abſumit patre.
Senem, ut revenit, ludificatur Tranio:
Terrifica monſtra ait videri in ædibus,
Et inde primum emigratum. intervenit
Lucripeta fœnus fœnerator poſtulans.
Ludusque rurſum fit ſenex. nam mutuum
Acceptum dicit pignus emtis ædibus:
Requirit quæ ſint: ait vicini proxumi.
Inſpectat illas. poſt ſe deriſum dolet:
Ab ſui ſodale gnati exoratur tamen.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Grumio, Tranio.

EXi e culina, ſis, foras, maſtigia,
Qui mihi inter patinas exhibes argutias.
Egredere, herilis pernicies, ex ædibus.
Eho pol te ruri, ſi vivam, ulciſcar probe.
Exi, inquam, nidor, e culina. quid lates?
Tran. Quid tibi, malum, hic ante ædes clamitatio eſt?
An ruri cenſes te eſſe? abſcede ab ædibus.
Abi rus; abi directe; abſcede ab janua.
Hem, hoccine volebas? *Grum.* Perii! cur me verberas?
Tran. Quia tu vis. *Grum.* Patiar. ſine modo adveniat ſenex.
Sine modo venire ſalvom, quem abſentem comes.
Tran. Nec veriſimile loquere, nec verum, frutex,
Comeſſe quemquam ut quiſquam abſentem poſſiet.
Grum. Tu urbanus vero ſcurra, deliciæ popli,
Rus mihi tu objectas? ſane credo, Tranio,
Quod te in piſtrinum ſcis actutum tradier.
Cis, hercle, paucas tempeſtates, Tranio,
Augebis ruri numerum, genus ferratile.
Nunc, dum tibi lubet licetque, pota, perde rem,
Corrumpe herilem filium, adoleſcentem optumum:
Dies noctesque bibite, pergræcamini,
Amicas emite, liberate, paſcite
Paraſitos, obſonate pollucibiliter.
Hæccine mandavit tibi, cum peregre hinc iit, ſenex?
Hoccine modo hic rem curatam offendet ſuam?
Hoccine boni eſſe officium ſervi exiſtimas,
Ut heri ſui corrumpat & rem & filium?
Nam ego illum corruptum duco, quom his factis ſtudet,
Quo nemo adæque juventute ex omni Attica
Antehac eſt habitus parcus, nec magis continens:
Is nunc in aliam partem palmam poſſidet.
Virtute id factum tua & magiſterio tuo.
Tran. Quid tibi, malum, me, aut quid ego agam, curatio 'ſt?
An ruri quæſo non ſunt, quos cures, boves?
Lubet potare, amare, ſcorta ducere.
Mei tergi facio hæc, non tui, fiducia.
Grum. Quam confidenter loquitur! fue. *Tran.* At te Juppiter
Diique omnes perdant, oboluiſti allium,
Germana illuvies, ruſticus, hircus, hara ſuis,
Canes capro commiſta. *Grum.* Quid tu vis fieri?
Non omnes poſſunt olere unguenta exotica,
Si tu oles: neque ſuperior accumbere,
Neque tam facetis, quam tu vivis, victibus:
Tu tibi iſtos habeas turtures, piſces, aves.
Sine me alliato fungi fortunas meas.
Tu fortunatus, ego miſer: patiunda ſunt.
Meum bonum me, te tuum maneat malum.
Tran. Quaſi invidere mihi hoc videre, Grumio,
Quia mihi bene eſt, & tibi male eſt; digniſſumum eſt.
Decet me amare, & te bubulcitarier:
Me victitare pulchre, te miſeris modis.

Grum. O carnificum cribrum, quod credo fore:
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, ſi huc reveniat ſenex.
Tran. Qui ſcis, an tibi iſtuc prius eveniat quam mihi?
Grum. Quia numquam merui: tu meruiſti, & nunc meres.
Tran. Orationis operam compendi face,
Niſi te mala re magna mactari cupis.
Grum. Ervom daturin' eſtis, bubus quod feram?
Date æs, ſi non eſtis. agite porro, pergite
Quomodo occœpiſtis: bibite, pergræcamini,
Eſte, eſſercite vos, ſaginam cædite.
Tran. Tace, atque rus abi: ego ire in Piræeum volo,
In veſperum parare piſcatum mihi.
Ervom tibi aliquis cras faxo ad villam afferat.
Quid eſt? quid tu me nunc obtuere, furcifer?
Grum. Pol tibi iſtuc credo nomen actutum fore.
Tran. Dum interea ſic ſit, iſtuc actutum ſino.
Grum. Ita eſt. ſed unum hoc ſcito, NIMIO celerius
Venire quod moleſtum eſt, quam id quod cupide petas.
Tran. Moleſtus ne ſis: nunc jam i rus, teque amove.
Ne tu erres, hercle præterhac mihi non facies moram.
Grum. Satin' abiit, neque quod dixi, flocci exiſtumat!
Pro di immortales, obſecro voſtram fidem,
Facite, huc ut redeat noſter quam primum ſenex,
Triennium qui jam hinc abeſt: priuſquam omnia
Periere, & ædis, & ager: qui niſi huc redit,
Paucorum menſium ſunt relictæ reliquiæ.
Nunc rus abibo. nam eccum herilem filium
Video corruptum hic ex adoleſcente optumo.

ACTUS I. SCENA II.

Philolaches adoleſcens.

RECordatus multum & diu cogitavi,
Argumentaque in pectus multa inſtitui
Ego: atque in meo corde, ſi eſt quod mihi cor,
Eam rem volutavi & diu diſputavi,
Hominem quojus rei, quando natus eſt,
Similem eſſe arbitrarer, ſimulacrumque habere.
Id repperi jam exemplum.
Novarum ædium eſſe arbitror ſimilem ego hominem,
Quando hic natus eſt. ei rei argumenta dicam.
Atque hoc haud videtur veriſimile vobis?
At ego id faciam eſſe ita ut credatis.
Profecto ita eſſe, ut prædico, vero vincam.
Atque hoc voſmetipſi ſcio,
Proinde uti nunc ego eſſe autumo, quando
Dicta audietis mea, haud aliter id dicetis.
Auſcultate, argumenta dum dico ad hanc rem.
Simul gnarures vos volo eſſe hanc rem mecum.
Ædes quom extemplo ſunt paratæ, expolitæ,
Factæ probe, examuſſim,
Laudant fabrum, atque ædes probant. ſibi quiſque
Inde exemplum expetunt: ſibi quiſque ſimile,
Suo uſque ſumtu: operæ ne parcunt ſuæ.
Atque ubi illo immigrat nequam homo indiligenſque
Cum pigra familia, immundus, inſtrenuus,
Hic jam ædibus vitium additur,
Bonæ cum curantur male.
Atque illud ſæpe fit; tempeſtas venit,
Confringit tegulas, imbriceſque: ibi
Dominus indiligens reddere alias nevolt.
Venit imber, lavit parietes, perpluunt
Tigna, putrefacit aer operam fabri:
Nequior factus jam eſt uſus ædium:
Atque haud eſt fabri culpa. ſed magna pars
Moram hanc induxerunt, ſi quid nummo ſarciri poteſt,
Uſque mantant, neque id faciunt, donicum
Parietes ruunt. ædificantur ædes totæ denuo.
Hæc argumenta ego ædificiis dixi. nunc etiam volo
Dicere, ut homines ædium eſſe ſimiles arbitremini.
Primum dum parentes fabri liberum ſunt,
Et fundamentum ſubſtruunt liberorum,
Extollunt, parant ſedulo in firmitatem,
Ut & in uſum boni, & in ſpeciem populo
Sint: ſibique aut materiæ ne parcunt.
Nec ſumtus ibi ſumtui eſſe ducunt:
Expoliunt, docent litteras, jura, leges;
Sumtu ſuo & labore nituntur, ut
Alii ſibi eſſe illorum ſimiles expetant.
Ad legionem quom itant, adminiculum eis danunt
Tum jam aliquem cognatum ſuum.
Eatenus abeunt a fabris.
Unum ubi emeritum eſt ſtipendium, igitur tum
Specimen cernitur, quo eveniat ædificatio.
Nam ego ad illud frugi uſque & probus fui,
In fabrorum poteſtate dum fui.
Poſteaquam immigravi in ingenium meum,
Perdidi operam fabrorum. illico oppido
Venit ignavia; ea mihi tempeſtas fuit,
Ea mihi adventu ſuo grandinem, imbremque attulit:
Hæc verecundiam mihi & virtutis modum
Deturbavit, texit detexitque a me illico.
Poſtilla obtigere eam neglegens fui:
Continuo pro imbre amor advenit in cor meum.
Is uſque in pectus permanavit, permadefecit
Cor meum. nunc ſimul res, fides, fama, virtus,
Decuſque deſeruerunt: ego ſum in uſu
Factus nimio nequior. atque edepol ita
Hæc tigna humide putent. non videor mihi
Sarcire poſſe ædeis meas, quin totæ
Perpetuæ ruant, quin cum fundamento
Perierint, nec quiſquam eſſe auxilio queat.
Cor dolet, cum ſcio, ut nunc ſum, atque ut fui:
Quo neque induſtrior de juventute erat
Arte gymnaſtica, diſco, haſtis, pila,
Curſu, armis, equo. victitabam volupe:
Parſimonia & duritia diſciplinæ aliis eram:
Optumi quique expetebant eam doctrinam ſibi.
Nunc poſtquam nihili ſum, id vero meopte ingenio repperi.

ACTUS I. SCENA III.

Philematium, *Scapha*, *Philolaches*.

JAmpridem ecaſtor frigida non lavi magis lubenter,
Nec unde me melius, mea Scapha, rear eſſe defæcatam.
Sc. Eventus rebus omnibus, velut horno meſſis magna
Fuit. *Phile.* Quid ea meſſis attinet ad meam lavationem?
Sc. Nihilo plus, quam lavatio tua ad meſſim. *Philo.* Oh, Venus venuſta!
Hæc illa eſt tempeſtas mea, mihi quæ modeſtiam omnem
Detexit, tectus qua fui: quam mihi amor & cupido
In pectus perpluit meum, neque jam umquam obtigere poſſum.
Madent jam in corde parietes, periere hæ oppido ædes.
Phile. Contempla amabo, mea Scapha, ſatin' hæc me veſtis deceat:

Volo

Volo meo placere Philolachi, meo ocello, meo patrono.
Sc. Quin tu te exornas moribus lepidis, quom lepida tota es?
Non veſtem amatores mulieris amant, ſed veſtis fartum.
Philo. Ita me di ament, lepida eſt Scapha! ſapit ſceleſta multum!
Ut lepide res omnes tenet, ſententiaſque amantum!
Phile. Quid nunc? *Sc.* Quid eſt? *Phile.* Quin me aſpice & contempla, ut hæc me decet.
Sc. Virtute formæ id evenit, te ut deceat, quidquid habeas.
Philo. Ergo hoc ob verbum te, Scapha, donabo ego profecto hodie aliqui:
Neque patiar te gratis hanc laudaſſe, quæ placet mihi.
Phile. Nolo ego te aſſentari mihi. *Sc.* Nimis tu quidem ſtulta es mulier.
Eho mavis vituperari falſo, quam vero extolli?
Equidem pol vel falſo tamen laudari multo malo,
Quam vero culpari, aut alios meam ſpeciem irridere.
Phile. Ego verum amo, verum volo mihi dici. mendacem odi.
Sc. Ita tu me ames, ita Philolaches tuus te amet, ut venuſta es!
Philo. Quid ais ſceleſta? quomodo adjuraſti? ita ego iſtam amarem?
Quid? iſtæc me; id cur non additum eſt? infecta dona facio.
Periiſti: quod promiſeram tibi donum, perdidiſti.
Sc. Equidem pol miror tam catam, tam doctam te, & bene eductam,
Non ſtultam ſtulte facere. *Phile.* Quin mone, quæſo, ſi quid erro.
Sc. Tu ecaſtor erras, quæ quidem illum exſpectes unum, atque illi
Morem præcipue ſic geras, atque alios aſperneris.
Matronæ, non meretricium eſt, unum inſervire amantem.
Philo. Pro Juppiter! nam quod malum vorſatur meæ domi illud?
Dii deæque omnes me peſſumis exemplis interficiant,
Niſi ego illam anum interfecero ſiti fameque atque algu.
Phile. Nolo ego mihi male te, Scapha, præcipere. *Sc.* Stulta es plane, quæ
Illum tibi æternum putes fore amicum & benevolentem.
Moneo ego te: te deſeret ille ætate & ſatietate.
Phile. Non ſpero. *Sc.* Inſperata accidunt magis ſæpe, quam quæ ſperes.
Poſtremo, ſi dictis nequis perduci, ut vera hæc credas,
Mea dicta ex factis noſce: rem vides; quæ ſim, & quæ fui ante.
Nihilo ego, quam nunc tu, amata ſum, atque uni modo geſſi morem,
Qui pol me, ubi ætate hoc caput colorem commutavit,
Reliquit, deſeruitque me. tibi idem futurum crede.
Philo. Vix comprimor, quin involem illi in oculos ſtimulatrici.
Phile. Solam illi me ſoli cenſeo eſſe oportere obſequentem.
Solam ille me ſoli ſibi ſuo liberavit.
Philo. Pro di immortales, mulierem lepidam, & pudico ingenio!
Bene hercle factum, & gaudeo mihi nihil eſſe hujus cauſſa.
Sc. Inſcita ecaſtor tu quidem es. *Phile.* Quapropter? *Sc.* Quæ iſtuc cures,
Ut te ille amet. *Phile.* Cur obſecro non curem. *Sc.* Libera es jam.
Tu jam, quod quærebas, habes: ille, te niſi amabit ultro,
Id, pro capite tuo quod dedit, perdiderit tantum argenti.
Philo. Perii hercle, ni ego illam peſſumis exemplis enicaſſo.
Illa hanc corrumpit mulierem male ſuada vitilena.
Phile. Numquam ego illi poſſum gratiam referre, ut meritu'ſt de me.
Scapha, id tu mihi ne ſuadeas, ut illum minoris pendam.
Sc. At hoc unum facito cogites, ſi illum inſervibis ſolum,
Dum tibi nunc hæc ætatula eſt, in ſenecta male querere.
Philo. In anginam ego nunc me velim vorti, ut veneficæ illi
Fauces prehendam, atque enicem ſceleſtam ſtimulatricem.
Phile. Eumdem animum oportet nunc mihi eſſe gratum, ut impetravi,
Atque olim, priuſquam id extudi, quom illi ſubblandiebar.
Philo. Dii me faciant quod volunt, ni ob iſtam orationem
Te liberaſſo denuo, & niſi Scapham enicaſſo.
Sc. Si tibi ſat acceptum eſt, fore victum tibi ſempiternum,
Atque illum amatorem tibi proprium futurum in vita,
Soli gerendum cenſeo morem, & capiundos crines.
Phile. Ut fama eſt homini, exin ſolet pecuniam invenire.
Ego ſi bonam famam mihi ſervaſſo, ſat ero dives.
Philo. Siquidem hercle vendundum eſt, pater vænibit multo potius,
Quam te, me vivo, umquam ſinam egere, aut mendicare.
Sc. Quid illis futurum eſt ceteris, qui te amant? *Phile.* Magis amabunt,
Quom videbunt gratiam referri.
Philo. Utinam meus nunc mortuus pater ad me nuntietur!
Ut ego exhæredem meis bonis me faciam, atque hæc ſit hæres.
Sc. Jam iſta quidem abſumta res erit: dieſque noctesque eſtur,
Bibitur, neque quiſquam parſimoniam adhibet. ſagina plane eſt.
Philo. In te hercle certum'ſt principium, ut ſim parcus, experiri.
Nam neque edes quidquam, neque bibes apud me hiſce diebus.
Phile. Si quid tu in illum bene voles loqui, id loqui licebit:
Nec recte ſi illi dixeris, jam ecaſtor vapulabis.
Philo. Edepol ſi ſummo Jovi vivo argento ſacrufic aſſem,
Pro illius capite quod dedi, numquam æque id bene collocaſſem.
Ut videas eam medullitus me amare! oh! probus homo ſum;
Qui pro me cauſſam diceret, patronum liberavi.
Sc. Video te nihili pendere præ Philolache omnes homines.
Nunc, ne ejus cauſſa vapulem, tibi potius aſſentabor,

Si acceptum ſat habes, tibi fore illum amicum ſempiternum
Phile. Cedo mihi ſpeculum, & cum ornamentis arculam actutum, Scapha:
Ornata ut ſim, quom huc veniat Philolaches, voluptas mea.
Sc. Mulier quæ ſe ſuamque ætatem ſpernit, ſpeculo ei uſus eſt.
Quid opu 'ſt ſpeculo tibi, quæ tute ſpeculo ſpeculum es maxumum?
Philo. Ob iſtuc verbum, ne nequidquam, Scapha, tam lepide dixeris,
Dabo aliquid hodie tibi peculi. Philematium mea!
Phile. Suo quique loco viden' capillus ſatis compoſitu 'ſt commode?
Sc. Ubi tu commoda es, capillum commodum eſſe credito.
Philo. Vah, quid illa pote pejus quidquam muliere memorarier?
Nunc aſſentatrix ſceleſta eſt, dudum advorſatrix erat.
Phile. Cedo ceruſſam. *Sc.* Quid ceruſſa opus nam? *Phile.* Qui malas oblinam.
Sc. Una opera ebur atramento candefacere poſtules.
Philo. Lepide dictum de atramento atque ebore. euge plaudo Scaphæ.
Phile. Tum tu igitur cedo purpuriſſum. *Sc.* Non do: ſcita es tu quidem.
Nova pictura interpolare vis opus lepidiſſumum.
Non iſtanc ætatem oportet pigmentum ullum attingere,
Neque ceruſſam, neque melinum, neque ullam aliam offuciam.
Cape igitur ſpeculum. *Philo.* Hei mihi miſero, ſavium ſpeculo dedit.
Nimis velim lapidem, qui ego illi ſpeculo diminuam caput.
Sc. Linteum cape, atque exterge tibi manus. *Phile.* Quid ita obſecro?
Sc. Ut ſpeculum tenuiſti, metuo, ne oleant argentum manus:
Ne uſquam argentum te accepiſſe ſuſpicetur Philolaches.
Philo. Non videor vidiſſe lenam callidiorem ullam alteram.
Ut lepide atque aſtute in mentem venit de ſpeculo malæ!
Phile. Etiamne unguentis ungendam cenſes? *Sc.* Minime feceris.
Phile. Quapropter? *Sc.* Quia ecaſtor mulier recte olet, ubi nihil olet.
Nam iſtæc veteres, quæ ſe unguentis unctitant, interpoles,
Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt,
Ubi ſe ſe ſudor cum unguentis conſociavit, illico
Itidem olent, quaſi cum una multa jura confundit cocus.
Quid oleant, neſcias, niſi id unum, ut male olere intellegas.
Philo. Ut perdocte cuncta callet! nihil hac docta doctius.
Verum illud eſt, maxumaque pars voſtrorum intellegit,
Quibus anus domi ſunt uxores, quæ vos dote meruerunt.
Phile. Agedum contempla aurum & pallam, ſatin' hæc me deceat, Scapha?
Sc. Non me curare iſtuc oportet. *Phile.* Quem obſecro igitur? *Sc.* Eloquar:
Philolachem, is ne quid emat, niſi quod tibi placere cenſeat.
Nam amator meretricis mores ſibi emit auro & purpura.
Quid opus eſt, quod ſuum eſſe nolit, ei ultro oſtentarier?
Purpura ætas occultanda eſt: aurum turpe mulieri.
Pulchra mulier nuda erit quam purpurata pulchrior:
Poſtea Nequidquam exornata eſt bene, ſi morata eſt male.
Pulchrum ornatum turpes mores pejus cœno collinunt.
Nam ſi pulchra eſt, nimis ornata eſt. *Philo.* Nimis diu abſtineo manum.
Quid hic vos duæ agitis? *Phile.* tibi me exorno ut placeam. *Philo.* Ornata es ſatis.
Abi hinc tu intro, atque ornamenta hæc aufer. ſed, voluptas mea,
Mea Philematium, potare tecum collibitum eſt mihi.
Phile. Libet & edepol mihi tecum. nam quod tibi libet, idem mihi libet,
Mea voluptas. *Philo.* Hem, iſtuc verbum vile eſt viginti minis.
Phile. Cedo, amabo, decem: bene emtum tibi dare hoc verbum volo.
Philo. Etiam nunc decem minæ apud te ſunt: vel rationem puta.
Triginta minas pro capite tuo dedi. *Phile.* Cur exprobras?
Philo. Egone id exprobrem, qui mihimet cupio id opprobrarier?
Nec quidquam argenti locavi jam diu uſquam æque bene.
Phile. Certe ego, quod te amo, operam nuſquam melius potui ponere.
Philo. Bene igitur ratio accepti atque expenſi inter nos convenit.
Tu me amas, ego te amo: merito id fieri uterque exiſtumat.
Hæc qui gaudent, gaudeant perpetuo ſuo ſemper bono:
Qui invident, ne umquam eorum quiſquam invideat prorſus commodis.
Phile. Age, accumbe igitur. cedo aquam manibus, puer, appone hic menſulam.
Vide, tali ubi ſint. vin' unguenta? *Philo.* Quid opus eſt? cum ſtacta accubo.
Sed eſtne hic meus ſodalis, qui huc incedit cum amica ſua?
Is eſt. Callidamates cum amica, eccum, incedit. euge, oculus meus:
Conveniunt maniplares. eccos! prædam participes petunt.

ACTUS I. SCENA IV.

Callidamates, Delphium, Philolaches, Philematium.

ADvorſum venire mihi ad Philolachem
Volo tempori. audi: hem, tibi imperatum eſt.
Nam illic ubi fui, inde effugi foras.
Ita me ibi male convivii ſermoniſque
Tæſum eſt. nunc comiſſatum ibo ad Philolachetem,
Ubi nos hilari ingenio & lepide accipiet.
Ecquid tibi videor, mamma, madere? *Del.* Semper
Iſtoc modo moratus vivere debebas.
Cal. Viſne ego te, ac tute me amplectare?
Del. Si tibi cordi eſt facere, licet. *Cal.* Lepida es.
Duce me amabo. *Del.* Cave ne cadas. aſta.
Cal. Oh! ocellus es meus, tuus ſum alumnus, mel meum.
Del. Cave modo, ne prius in via accumbas,
Quam illic, ubi lectus eſt ſtratus, coimus.

Cal. Sine ſine cadere me. *Del.* Sino: ſed & hoc quod mihi in manu eſt:
Si cades, non cades quin cadam tecum.
Iacentes tollet poſtea nos ambos aliquis.
Madet homo. *Cal.* Tun' me ais mamma madere?
Del. Cedo manum; nolo equidem te affligi.
Cal. Hem tene, age, i ſimul. quod' ego eam, an ſcis?
Del. Scio. *Cal.* in mentem venit modo. nempe domum eo
Comiſſatum. *Del.* Immo. *Cal.* Iſtuc quidem jam memini.
Philo. Num non vis obviam me hiſce ire, anime mi?
Illi ego ex omnibus optume volo. jam
Revortar. *Phile.* Diu eſt jam id mihi. *Cal.* Ecquis hic eſt?
Philo. Adeſt. *Cal.* Eu, Philolaches, ſalve, amiciſſume
Mihi hominum omnium. *Philo.* Dii te ament, accuba,
Callidamates. unde agis te? *Cal.* Unde homo ebrius?
Philo. Probe; quin amabo accubas, Delphium mea.
Cal. Date illi quod bibat: dormiam ego jam.
Philo. Num mirum aut novom quippiam facit? quid ego
Hoc faciam poſtea, mea? *Del.* Sic ſine eumpſe. *Philo.* Age tu,
Interim da ab Delphio cito cantharum circum.

ACTUS SECUNDUS

SCENA I.

Tranio, *Philolaches*, *Callidamates*, *Delphium*, *Philematium*, *Puer.*

IUppiter ſupremus ſummis opibus atque induſtriis
Me periſſe & Philolachetem cupit herilem filium.
Occidit ſpes noſtra, nuſquam ſtabulum eſt confidentiæ:
Nec Salus nobis ſaluti jam eſſe, ſi cupiat, poteſt:
Ita mali mæroris montem maxumum ad portum modo
Conſpicatus ſum. herus advenit peregre. periit Tranio.
Ecquis homo eſt, qui facere argenti cupiat aliquantum lucri,
Qui hodie ſeſe excruciari meam vicem poſſit pati?
Ubi ſunt iſti plagipatidæ, ferritribaces viri?
Vel iſti qui haſtis trium nummorum cauſſa ſubeunt ſub falas?
Ubi aliqui quindenis haſtis corpus transfigi ſolent.
Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit.
Sed ea lege, ut affigantur bis pedes, bis brachia.
Ubi id erit factum, a me argentum petito præſentarium.
Sed ego ſumne ille infelix, qui non curro curriculo domum?
Philo. Adeſt obſonium. eccum Tranio a portu redit.
Tran. Philolaches. *Philo.* Quid eſt? *Tran.* Et ego & tu. *Philo.* Quid & ego & tu? *Tran.* Periimus.
Philo. Quid ita? *Tran.* Pater adeſt. *Philo.* Quid ego ex te audio? *Tran.* Abſumti ſumus.
Pater, inquam, tuus venit. *Philo.* Ubi eſt is, obſeſecro te? *Tran.* Adeſt.
Philo. Quis id ait? quis vidit? *Tran.* Egomet, inquam, vidi. *Philo.* Væ mihi.
Quid ego ago? *Tran.* Nam quid tu, malum, me rogitas, quid agas? accubas.
Philo. Tun' vidiſti? *Tran.* Egomet, inquam. *Philo.* Certe? *Tran.* Certe, inquam. *Philo.* Occidi,
Si tu vera memoras. *Tran.* Quid mihi ſit boni, ſi mentiar?
Philo. Quid ego nunc faciam? *Tran.* Jube hæc hinc omnia amolirier.
Quis iſtic dormit? *Philo.* Callidamates. *Tran.* Suſcita iſtum, Delphium.
Del. Callidamates, Callidamates, vigila. *Cal.* Vigilo: cedo ut bibam.
Del. Vigila: pater advenit peregre Philolachæ. *Cal.* Valeat pater.
Philo. Valet ille quidem, atque ego diſperii. *Cal.* Diſperiſti? qui poteſt?
Philo. Quæſo edepol exſurge: pater advenit. *Cal.* Tuus venit pater?
Jube abire rurſum. quid illi reditio etiam huc fuit?
Philo. Quid ego agam? pater jam hic me offendet miſerum adveniens ebrium,
Ædes plenas convivarum, & mulierum. MISERUM EST opus,
Igitur demum fodere puteum, ubi ſitis fauces tenet.
Sicut ego adventu patris nunc quæro, quid faciam miſer.
Tran. Ecce autem hic depoſivit caput, & dormit: ſuſcita.
Philo. Etiam vigilas? pater, inquam, aderit jam hic meus. *Cal.* Ain' tu, pater?
Cedo ſoleas mihi, ut arma capiam. jam pol ego occidam patrem.
Philo. Perdis rem, tace. amabo, abripite hunc intro actutum inter manus.
Cal. Jam hercle ego vos pro matula habebo, niſi mihi matulam datis.
Philo. Perii. *Tran.* Habe bonum animum: ego iſtum lepide medicabor metum.
Philo. Nullus ſum. *Tran.* Taceas: ego, qui iſtæc ſedem, meditabor tibi.
Satin' habes, ſi ego advenientem ita patrem faciam tuum,
Non modo ne introeat, verum etiam ut fugiat longe ab ædibus?
Vos modo hinc abite intro, atque hæc hinc propere amolimini.
Philo. Ubi ego ero? *Tran.* Ubi maxume eſſe vis, cum hac, cum iſtac eris.
Del. Quid eſt igitur? abeamus hinc nos. *Tran.* Non hoc longe, Delphium.
Namque intus potate haud tantillo hac quidem cauſſa minus.
Philo. Hei mihi, quam iſtæc blanda dicta quo eveniant, madeo metu!
Tran. Potin' animo ut ſies quieto, & facias quod jubeo? *Philo.* Pote 'ſt.
Tran. Omnium primum, Philematium, intro abi: & tu Delphium.
Del. Morigeræ tibi erimus ambæ. *Tran.* Ita ille faxit Juppiter.
Animum advorte nunc tu jam, quæ volo accurarier.
Omnium primum dum ædes jam fac occluſæ ſient.
Intus cave muttire quemquam ſiveris. *Philo.* Curabitur.
Tran. Tamquam ſi intus natus nemo in ædibus habitet. *Philo.* Licet.
Tran. Neu quiſquam reſponſet, quando haſce ædeis pultabit ſenex.
Philo. Numquid aliud? *Tran.* Clavem mihi harunce ædium Laconicam
Jam jube efferri intus: haſce ego ædeis occludam hinc foris.
Philo. In tuam cuſtodiam meque & meas ſpes trado, Tranio.

Tran.

Tran. Pluma haud intereſt, patronus, an cliens probior ſiet
Homini, quoi nulla in pectore eſt audacia.
Nam quoivis homini, vel optumo, vel peſſumo,
Quamvis deſubito facile eſt facere nequiter,
(Clavem cedo, atque abi intro, atque occlude oſtium)
Verum id videndum 'ſt, id viri docti eſt opus,
Quæ deſignata ſint & facta nequitia,
Ne quid patiatur, quamobrem pigeat vivere:
Tranquille cuncta & ut proveniant ſine malo.
Sicut ego efficiam, quæ facta hic turbabimus,
Profecto ut liqueant omnia & tranquilla ſint,
Neque quidquam nobis pariant ex ſe incommodi.
Sed quid tu egrederis? perii! oh jam jam optume
Præceptis paruiſti! *Puer.* Herus juſſit maxumo
Opere orare, ut patrem aliquo abſterreres modo,
Ne introiret. adeſt. *Tran.* Quin etiam illi hoc dicito,
Facturum me, ut ne etiam aſpicere ædes audeat;
Capite obvoluto ut fugiat cum ſummo metu.
Clavim cedo, atque abi hinc intro, atque occlude oſtium.
Et ego hinc occludam. jube venire nunc jam.
Ludos ego hodie vivo præſenti hic ſeni
Faciam, quod credo mortuo numquam fore.
Concedam a foribus huc, hinc ſpeculabor procul,
Unde advenienti ſarcinam imponam ſeni.

ACTUS II. SCENA II.

Theuropides ſenex, *Tranio* ſervus.

HAbeo, Neptune, magnam gratiam tibi,
Quom me amiſiſti a te vix vivom modo.
Verum ſi poſthac me pedem latum modo
Scies impoſiſſe in undam, haud cauſa illico 'ſt,
Quod nunc voluiſti facere, quin facias mihi.
Apage, apage te a me. nunc jam poſt hunc diem,
Quod crediturus tibi fui, omne credidi.
Tran. Edepol, Neptune, peccaviſti largiter,
Qui occaſionem hanc amiſiſti tam bonam.
Theur. Triennio poſt Ægypto advenio domum,
Credo, exſpectatus veniam familiaribus.
Tran. Nimio edepol ille potuit exſpectatior
Venire, qui te nuntiaret mortuum.
Theur. Sed quid hoc? occluſa janua eſt interdius?
Pultabo. heus, ecquis iſtas aperit mi fores?
Tran. Quis homo eſt, qui noſtras ædes acceſſit prope?
Theur. Meus ſervos hic quidem eſt Tranio. *Tran.* O Theuropides
Here! ſalve: ſalvom te adveniſſe gaudeo.
Uſquene valuiſti? *Theur.* Uſque, ut vides. *Tran.* Factum optume.
Theur. Quid vos, inſanine eſtis? *Tran.* Qui dum? *Theur.* Sic, quia
Foris ambulatis. natus nemo in ædibus
Servat, neque qui recludat, neque qui reſpondeat.
Pultando pedibus pæne confregi haſce ambas. *Tran.* Eho,
An tu tetigiſti has ædes? *Theur.* cur non tangerem?
Quin pultando, inquam, pæne confregi fores.
Tran. Tetigiſtin'? *Theur.* Tetigi, inquam, & pultavi. *Tran.* Vah! *Theur.* Quid eſt?
Tran. Male hercle factum. *Theur.* Quid eſt negotii? *Tran.* Non poteſt
Dici, quam indignum facinus feciſti & malum.
Theur. Quid jam? *Tran.* Fuge obſecro, atque abſcede ab ædibus.
Fuge huc, fuge ad me propius. tetigiſtin' fores?
Theur. Quomodo pultare potui, ſi non tangerem?
Tran. Occidiſti hercle. *Theur.* Quem mortalem? *Tran.* Omnes tuos.
Theur. Di te deæque omnes faxint cum iſto omine!
Tran. Metuo, te atque iſtos expiare ut poſſies.
Theur. Quamobrem? aut quam ſubito rem mihi apportas novam?
Tran. Et eheu, jube illos illinc, amabo, abſcedere.
Theur. Abſcedite. *Tran.* Ædes ne attingite. tangite
Vos quoque terram. *Theur.* Obſecro hercle quin eloquere jam.
Tran. Quia ſeptem menſes ſunt, cum in haſce ædes pedem
Nemo intro tetulit, ſemel ut emigravimus.
Theur. Eloquere, quid ita? *Tran.* Circumſpice dum, numquis eſt,
Sermonem noſtrum qui aucupet. *Theur.* Tutum probe eſt.
Tran. Circumſpice etiam. *Theur.* Nemo eſt; loquere nunc jam.
Tran. Capitalis cædis facta eſt. *Theur.* Quid eſt? non intellego.
Tran. Scelus, inquam, factum 'ſt jamdiu antiquom & vetus.
Antiquom. id adeo nos nunc factum invenimus.
Theur. Quid iſtuc eſt, ſceleſte? aut quis id fecit? cedo.
Trun. Hoſpes necavit hoſpitem captum manu;
Iſte, ut ego opinor, qui has tibi ædeis vendidit.
Theur. Necavit? *Tran.* Aurumque eii ademit hoſpiti,
Eumque hic defodit hoſpitem ibidem in ædibus.
Thenr. Quapropter id vos factum ſuſpicamini?
Tran. Ego dicam, auſculta. Ut foris cœnaverat
Tuus gnatus, poſtquam rediit a cœna domum,
Abimus omnes cubitum, condormivimus.
Lucernam forte oblitus fueram exſtinguere;
Atque ille exclamat derepente maxumum.
Tehur. Quis homo? an gnatus meus? *Tran.* ſt, tace: auſculta modo.
Ait veniſſe illum in ſomnis ad ſe mortuum.
Theur. Nempe ergo in ſomnis? *Tran.* Ita. ſed auſculta modo.
Ait illum hoc pacto ſibi dixiſſe mortuum.
Theur. In ſomnis? *Tran.* Mirum quin vigilanti diceret,
Qui abhinc ſexaginta annis occiſus foret.
Interdum inepte ſtultus es.
Theur. Taceo. *Tran.* Sed ecce quæ ille inquit:
Ego tranſmarinus hoſpes ſum Diapontius.
Hic habito. hæc mihi dedita eſt habitatio.
Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit,
Quia præmature vita careo. per fidem
Deceptus ſum, hoſpes hic me necavit, iſque me
Defodit inſepultum clam ibidem in hiſce ædibus,
Sceleſtus auri cauſſa. nunc tu hinc emigra.
Sceleſtæ hæ ſunt ædes, impia eſt habitatio.
Quæ hic monſtra fiunt, anno vix poſſum eloqui.
St, ſt! *Theur.* Quid, obſecro, hercle factum eſt? *Tran.* Concrepuit foris.
Hiccine percuſſit? *Theur.* Guttam haud habeo ſanguinis;
Vivom me arceſſunt ad Acheruntem mortui.
Tran. Perii! illice hodie hanc conturbabunt fabulam.
Nimis quam formido, ne manifeſto hic me opprimat.
Theur. Quid tute tecum loquere? *Tran.* Abſcede ab janua.
Fuge, obſecro hercle! *Theur.* Quo fugiam? etiam tu fugis?
Tran. Nihil ego formido. pax mihi eſt cum mortuis.

Theur.

Theur. Heus, Tranio! *Tran.* Non me appellabis, ſi ſapis.
Nihil ego commerui, neque iſtas percuſſi foreis.
Theur. Quæſo quid ægre eſt? quæ res te agitat, Tranio?
Quicum iſtæc loquere? *Tran.* An quæſo tu appellaveras?
Ita me di amabunt, mortuum illum credidi
Expoſtulare, quia percuſſiſſes foreis.
Sed tu etiamne aſtas; nec, quæ dico, obtemperas?
Theur. Quid faciam? *Tran.* Cave reſpexis: fuge, atque operi caput.
Theur. Cur non fugis tu? *Tran.* Pax mihi eſt cum mortuis.
Theur. Scio. quid modo igitur? cur tantopere extimueras?
Tran. Nihil me curaſſis, inquam: ego mihi providero:
Tu, ut occœpiſti, tantum quantum quis, fugies,
Atque Herculem invocabis. *Theur.* Hercules, te invoco.
Tran. Et ego, tibi hodie ut det, ſenex, magnum malum.
Pro dii immortales, obſecro voſtram fidem,
Quid ego hodie negotii confeci, malum!

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

Daniſta, *Theuropides* ſenex, *Tranio* ſervus.

Sceleſtiorem ego annum argento fœnori
Numquam ullum vidi, quam hic mihi annus obtigit.
A mane ad noctem uſque in foro dego diem,
Locare argenti nemini nummum queo.
Tran. Nunc pol ego perii plane in perpetuum modum.
Daniſta adeſt, qui dedit *argentum fœnori*,
Qui amica eſt emta, quoque *opus in ſumtus fuit*.
Manifeſta res eſt, niſi quod occurro prius,
Ne hoc ſenex reſciſcat. ibo huic obviam.
Sed quidnam hic ſeſe tam cito recipit domum?
Metuo ne de hac re quippiam inaudiverit.
Accedam atque appellabo. hei quam timeo miſer!
Nihil eſt miſerius, quam animus hominis conſcius,
Sicut me habet. verum utut res hæc ſeſe habet,
Pergam turbare porro. ita hæc res poſtulat.
Unde is? *Theur.* Conveni illum, unde haſce ædeis emeram.
Tran. Numquid dixiſti de illo, quod dixi tibi?
Theur. Dixi hercule vero omnia. *Tran.* Væ miſero mihi!
Etiam fatetur de hoſpite? *Theur.* Immo pernegat.
Tran. Cape hercule, obſecro, cum eo una judicem.
Sed eum videto ut capias, qui credat mihi.
Tam facile vinces, quam pirum volpes comeſt.
Metuo, ne technæ meæ perpetuo perierint.
Theur. Quid tute tecum? *Tran.* Nihil enim. ſed dic mihi,
Dixtin' quæſo? *Theur.* Dixi, inquam, ordine omnia.
Tran. Etiam fatetur de hoſpite? *Theur.* Immo pernegat.
Tran. Negat? *Theur.* Negat, inquam. *Tran.* Perii oppido, cum cogito.
Non confitetur? *Theur.* Dicam, ſi confeſſus ſit.
Quid nunc faciundum cenſes? *Tran.* Egon' quid cenſeam?
Cape, obſecro hercule, cum eo una judicem:
Sed eum videto ut capias, qui credat mihi:
Tam facile vinces, quam pirum volpes comeſt.

Dan. Sed Philolachetis eccum ſervom Tranium,
Qui mihi neque fœnus, neque ſortem argenti danunt.
Theur. Quo te agis? *Tran.* Nec quoquam abeo. næ ego ſum miſer,
Sceleſtus, natus diis inimicis omnibus!
Jam illo præſente adibit. næ ego homo ſum miſer!
Ita & hinc & illinc mihi exhibent negotium.
Sed occupabo adire. *Dan.* Hic ad me it, ſalvos ſum,
Spes eſt de argento. *Tran.* Hilarus eſt fruſtra iſtic homo.
Salvere jubeo te, Miſargyrides, bene.
Dan. Salve & tu. quid de argento? *Tran.* Abi ſis, bellua,
Continuo adveniens pilum injeciſti mihi.
Dan. Hic homo eſt inanis. *Tran.* Hic homo eſt certe ariolus.
Dan. Quin tu iſtas mittis tricas? *Tran.* Quin quid vis cedo.
Dan. Ubi Philolaches eſt? *Tran.* Numquam potuiſti mihi
Magis opportunus advenire, quam advenis.
Dan. Quid eſt? *Tran.* Concede huc. *Dan.* Quin mihi argentum redditur?
Tran. Scio te bona eſſe voce, ne clama nimis.
Dan. Ego hercle vero clamo. *Tran.* Ah, gere morem mihi.
Dan. Quid tibi ego morem vis geram? *Tran.* Abi quæſo hinc domum.
Dan. Abeam? *Tran.* Redito huc circiter meridie.
Dan. Reddeturne igitur fœnus? *Tran.* Reddetur: nunc abi.
Dan. Quid ego huc recurſem, aut operam ſumam, aut conteram?
Quid, ſi hic manebo potius ad meridiem?
Tran. Immo abi domum. verum hercle dico: abi modo.
Dan. Quin vos mihi fœnus date: quid nugamini?
Tran. Eu, hercle, næ tu abi modo: auſculta mihi.
Dan. Jam, hercle, ego illunc nominabo. *Tran.* Euge ſtrenue!
Beatus vero es nunc, cum clamas. *Dan.* Meum peto.
Multos me hoc pacto jam dies fruſtramini.
Moleſtus ſi ſum, reddite argentum, abiero.
Reſponſiones omnes hoc verbo eripite.
Tran. Sortem accipe. *Dan.* Immo fœnus; id primum volo.
Tran. Quid tu, homo hominum omnium tæterrime,
Veniſti huc te extentatum? agas, quod in manu eſt.
Non dat, non debet. *Dan.* Non debet? *Tran.* Nec erit quidem.
Ferre hoc potes? an *mavis*, *ut ali*quo abeat foras?
Urbem exſul *linquat factus* hic cauſſa tui,
Quoi ſortem *vix dare lice*bit? *Dan.* Quin non peto.
Theur. Eja, maſtigia, ad me redi. *Tran.* Jam iſtic ero.
Moleſtus ne ſis, nemo dat, age quid lubet.
Tu ſolus, credo, fœnore argentum datas.
Dan. Cædo fœnus. redde fœnus. fœnus reddite.
Daturin' eſtis fœnus actutum mihi?
Date mihi fœnus. *Tran.* Fœnus illic, fœnus hic.
Neſcit quidem niſi fœnus fabularier
Veterator. neque ego tætriorem belluam
Vidiſſe me umquam quemquam, quam te, cenſeo.
Dan. Non edepol nunc me tu iſtis verbis territas.
Theur. Calidum hoc eſt: etſi procul abeſt, urit male.
Quod illud eſt fœnus, obſecro, quod illic petit?
Tran. Pater, eccum, advenit peregre non multo prius
Illius, is tibi & fœnus & ſortem dabit.
Ne inconciliare quid nos porro poſtules.
Vide num moratur? *Dan.* Quin feram, ſi quid datur.
Theur. Quid ais tu? *Tran.* Quid vis? *Theur.* Quis illic eſt? quid illic petit?

Quid

Quid Philolachetem gnatum compellat meum
Sic, & præſenti tibi facit convicium?
Quid illi debetur? *Tran.* Obſecro hercle, jube
Obici argentum huic ob os impuræ belluæ.
Theur. Jubeam? *Tran.* Jube homini argento os verberarier.
Dan. Perfacile ego ictus perpetior argenteos.
Theur. Quod illud argentum eſt? *Tran.* Huic debet Philolaches
Paullum. *Theur.* Quantillum? *Tran.* Quaſi quadraginta minas.
Dan. Ne ſane id multum cenſeas, paullum id quidem eſt.
Tran. Audin'? videturne obſecro hercle idoneus,
Daniſta qui ſit? genus quod improbiſſumum eſt.
Theur. Non ego iſtuc curo, quis ſit, unde ſit:
Illud volo mihi dici, id me ſcire expeto.
Adeo etiam argenti fœnus creditum audio.
Tran. Quatuor quadraginta illi debentur minæ.
Dic te daturum, ut abeat. *Theur.* Egon' dicam dare?
Tran. Dic. *Theur.* Egone? *Tran.* Tu ipſus dic modo, auſculta mihi.
Promitte: age, inquam, ego jubeo. *Theur.* Reſponde mihi,
Quid eo eſt argento factum? *Tran.* Salvom eſt. *Theur.* Solvite
Voſmet igitur, ſi ſalvom eſt. *Tran.* Aedeis filius
Tuus emit. *Theur.* Ædeis? *Tran.* Ædeis. *Theur.* Euge Philolaches
Patriſſat. jam homo in mercatura vortitur.
Ain' tu ædeis? *Tran.* Ædeis, inquam. ſed ſcin' cujuſmodi?
Theur. Qui ſcire poſſim? *Tran.* Vah! *Theur.* Quid eſt? *Tran.* Ne me roga.
Theur. Nam quid ita? *Tran.* Speculo claras, clarorem merum.
Theur. Bene hercle factum. quid? eas quanti deſtinat?
Tran. Talentis magnis totidem, quot ego & tu ſumus.
Sed arrhaboni has dedit quadraginta minas.
Hinc ſumſit quas ei dedimus. ſatin' intellegis?
Nam poſtquam hæce ædes ita erant, ut dixi tibi,
Continuo eſt alias ædeis mercatus ſibi.
Theur. Bene hercle factum. *Dan.* Heus, jam appetit meridies.
Tran. Abſolve hunc quæſo vomitum, ne hic nos enecet.
Quatuor quadraginta illi debentur minæ,
Et ſors & fœnus. *Dal.* Tantum eſt: nihilo plus peto.
Tran. Velim quidem hercle, ut uno nummo plus petas.
Theur. Adoleſcens, mecum rem habe. *Dan.* Nempe abs te petam.
Theur. Petito cras. *Dan.* Abeo, ſat habeo, ſi cras fero.
Tran. Malum quod iſti di deæque omnes duint,
Ita mea conſilia perturbat pæniſſume.
Nullum edepol hodie genus eſt hominum tætrius,
Nec minus bono cum jure, quam Daniſticum.
Theur. Qua in regione iſtas ædeis emit filius?
Tran. Ecce autem perii! *Theur.* Dicisne hoc, quod te rogo?
Tran. Dicam: ſed nomen domini quæro quid ſiet.
Theur. Age, comminiſcere ergo. *Tran.* Quid ego nunc agam?
Niſi, ut in vicinum hunc proxumum mendacium
Eas emiſſe ædeis hujus dicam filium.
Calidum hercle audivi eſſe optumum mendacium.
Quidquid dei dicunt, id rectum eſt dicere.
Theur. Quid igitur? jam commentu's? *Tran.* Dii iſtum perduint!
Immo iſtunc potius. de vicino hoc proxumo
Tuus emit ædeis filius. *Theur.* Bonan' fide?
Tran. Siquidem es argentum redditurus, tum bona:
Si redditurus non es, non emit bona.
Theur. Non in loco emit perbono has. *Tran.* Immo optumo.
Theur. Cupio hercle inſpicere has ædeis. pulta dum fores:
Atque evocato aliquem intus ad te, Tranio.
Tran. Ecce autem iterum nunc quid ego dicam, neſcio;
Iterum jam ad unum ſaxum me fluctus ferunt.
Quid nunc? non hercle, quid nunc faciam, reperio:
Manifeſto teneor. *Theur.* Evoca dum aliquem foras:
Roga circumducat. *Tran.* Heus tu. At hic ſunt mulieres:
Videndum eſt primum, utrum eæ velintne, an non velint.
Theur. Bonum æquomque oras. percontare & roga.
Ego hic tantiſper, dum exis, te opperiar foris.
Tran. Dii te deæque omnes funditus perdant, ſenex:
Ita mea conſilia undique oppugnas mala.
Euge optume. eccum dominus ædium foras
Simo progreditur ipſus. huc conceſſero,
Dum mihi ſenatum conſilii in cor convoco.
Igitur-dum accedam hunc, quando quid agam invenero.

ACTUS III. SCENA II.

Simo, Theuropides, Tranio.

MElius anno hoc mihi non fuit domi,
Nec quando eſca una meruerit magis.
Prandium uxor mihi perbonum dedit.
Nunc dormitum jubet me ire. minime.
Non mihi forte viſum illico fuit,
Melius quom prandium, quam ſolitum, dedit.
Voluit in cubiculum abducere me anus.
Non bonus ſomnus eſt de prandio: apage:
Clanculum ex ædibus me edidi foras.
Tota turget mihi uxor nunc, ſcio, domi.
Tran. Res parata eſt mala in veſperum huic ſeni.
Nam & cœnandum & cubandum eſt intus male.
Sim. Quo magis cogito ego cum meo animo;
Si quis dotatam uxorem habet,
Neminem ſollicitat ſopor.
Ire dormitum odio eſt. *nunc* vero *mihi*
Exſequi certa res eſt, ut abeam
Potius hinc ad forum, quam domi cubem.
Atque pol neſcio, ut moribus ſient
Voſtræ; hæc ſat ſcio, quam me habeat male:
Pejuſque poſthac fore, quam fuit mihi.
Tran. Si abitus tuus tibi, ſenex, fecerit male,
Nihil erit, quod deorum ullum accuſites:
Te ipſe jure optumo merito incuſes licet.
Tempus nunc eſt ſenem hunc alloqui mihi.
Hoc habet: reperi, qui ſenem ducerem:
Quo dolo a me dolorem procul pellerem.
Accedam. dii te ament plurimum, Simo.
Sim. Salvos ſis, Tranio. *Tran.* Ut vales? *Sim.* Non male.
Quid agis? *Tran.* Hominem optumum teneo. *Sim.* Amice facis,
Cum me laudas. *Tran.* Decet certe. *Sim.* Hercle at te ego

Haud bonum teneo ſervom. *Tran.* Quid ita vero, Simo?
Sim. Quid nunc, quam mox? *Tran.* Quid eſt? *Sim.* Quod ſolet fieri.
Tran. Dic *igitur, quod ſolet fieri*, quid id eſt?
Sim. *Quod facitis vos. ſed, ut verum*, Tranio, loquar:
Sic decet. ut homines ſunt, ita morem geras.
Vita quam ſit brevis, ſimul cogita.
Tran. Quid? ehem, vix tandem
Percepi ſuper his rebus noſtris te loqui.
Sim. Muſice hercle agitis ætatem, ita ut vos decet:
Vino & victu, piſcatu probo, electili
Vitam colitis. *Tran.* Immo vita antehac erat:
Nunc nobis omnia hæc exciderunt.
Sim. Quidum? *Tran.* Ita oppido occidimus omnes, Simo.
Sim. Non taces? proſpere vobis cuncta uſque adhuc
Proceſſerunt. *Tran.* Ita ut dicis, facta haud nego.
Nos profecto probe, ut voluimus, viximus.
Sed, Simo, ita nunc ventus navem
Deſeruit. *Sim.* Quid eſt? quomodo, peſſume?
Quæne ſubducta erat tuto in terra?
Tran. Hei! *Sim.* Quid eſt? *Tran.* Me miſerum, occidi! *Sim.* Qui? *Tran.* Quia
Venit navis, noſtræ navi quæ frangat ratem.
Sim. Velim ut velles, Tranio. *ſed* quid eſt negotii?
Eloquere. *Tran.* Herus peregre venit. *Sim.* Tunc tibi
Chor*da* tenditur: inde in ferriterium:
Poſtea *in crucem recta*. *Tran. Nunc te ego per* genua
Obſecro, ne indicium hero facias meo. *Sim.* E me,
Ne quid metuas, nihil ſciet. *Tran.* Patrone, ſalve.
Sim. Nihil moror mihi iſtiuſmodi clientes.
Tran. Nunc hoc quod ad te noſter me miſit ſenex.
Sim. Hoc mihi reſponde primum, quod ego te rogo:
Jam de iſtis rebus voſter quid ſenſit ſenex?
Tran. Nihil quidquam. *Sim.* Numquid increpavit filium?
Tran. Tam liquidus eſt, quam liquida eſſe tempeſtas ſolet.
Nunc te hoc orare juſſit opere maxumo,
Ut ſibi liceret inſpicere has ædes tuas.
Sim. Non ſunt venales. *Tran.* Scio equidem iſtuc. ſed ſenex
Gynæceum ædificare volt hic in ſuis,
Et balineas & ambulacrum & porticum.
Sim. Quid conſomniavit? *Tran.* Ego dicam tibi.
Dare volt uxorem filio, quantum poteſt:
Ad eam rem facere volt novom gynæceum.
Nam ſibi laudaſſe haſce ait architectonem
Neſcio quem, eſſe ædificatas has ſane bene.
Nunc hinc exemplum capere volt, niſi tu nevis.
Sim. Næ ille malo quidem ab opere exemplum petit.
Tran. Quia hic *audivit* eſſe æſtatem perbonam:
Subdiu coli *abſque Sole* perpetuum diem.
Sim. Immo edepol vero, cum uſquequaque umbra eſt, tamen
Sol ſemper hic eſt uſque a mani ad veſperum,
Quaſi flagitator adſtat uſque ad oſtium.
Nec mihi umbra uſquam eſt, niſi ſi in puteo quæpiam eſt.
Tran. Quid, Sarſinatis ecqua eſt? ſi Umbram non habes.
Sim. Moleſtus ne ſis: hæc ſunt ſicut prædico.
Tran. Attamen inſpicere volt. *Sim.* Inſpiciat, ſi lubet.
Si quid erit quod illi placeat, de exemplo meo
Ipſe ædificato. *Tran.* Eon'? voco huc hominem? *Sim.* I, voca.
Tran. Alexandrum magnum, atque Agathoclem ajunt maxumas
Duo res geſſiſſe. quid mihi fiet tertio,
Qui ſolus facio facinora immortalia?
Vehit hic clitellas, vehit hic autem alter ſenex.
Novitium mihi quæſtum inſtitui non malum!
Nam muliones mulos clitellarios
Habent, ego habeo homines clitellarios.
Magni ſunt oneris: quidquid imponas, vehunt.
Nunc hunc haud ſcio an colloquar. congrediar.
Heus Theuropides. *Theur.* Quis nominat me?
Tran. Hero ſervos multum ſuo fidelis.
Quo me miſeras, affero omne impetratum.
Theur. Quid illic obſecro tam diu reſtitiſti?
Tran. Seni non otium erat, id ſum opperitus.
Theur. Antiquom hoc obtines tuum, tardus ut ſis.
Tran. Heus tu, ſi voles verbum hoc cogitare,
Simul flare ſorbereque haud facile
Eſt: ego hic eſſe & illic ſimul haud potui.
Theur. Quid nunc? *Tran.* Viſe: ſpecta tuo arbitratu.
Theur. Age, duc me. *Tran.* Num moror? *Theur.* Subſequor te.
Tran. Senex ipſe te ante oſtium eccum opperitur.
Sed mæſtus eſt ſe haſce vendidiſſe.
Theur. Quid tandem? *Tran.* Orat ut ſuadeam Philolacheti,
Ut iſtas remittat ſibi. *Theur.* Haud opinor.
Sibi quiſque ruri metit. ſi male emtæ
Forent, nobis iſtas redhibere haud liceret.
Lucri quidquid eſt, id domum trahere oportet.
Miſericordias *jam habere haud* hominem oportet.
Tran. Morare hercle, *cum verba* facis. ſubſequere. *Theur.* Fiat.
Do tibi ego operam. *Tran.* Senex illic eſt. hem! adduxi tibi hominem.
Sim. Salvom te adveniſſe peregre gaudeo, Theuropides.
Theur. Dii te ament. *Sim.* Inſpicere te ædeis has velle ajebat mihi.
Theur. Niſi tibi incommodum eſt. *Sim.* Immo commodum. i intro, atque inſpice.
Tran. At enim mulieres. *Sim.* Cave tu ullam flocci-faxis mulierem.
Qualibet perambula ædeis oppido tamquam tuas.
Theur. Tamquam? *Tran.* Ah! cave tu illi objectes nunc in ægritudine,
Te has emiſſe: non tu vides hunc, voltu ut triſti eſt ſenex?
Theur. Video. *Tran.* Ergo irridere ne videare, & geſtire admodum,
Noli facere mentionem te emiſſe. *Theur.* Intellego.
Et bene monitum duco, atque te exiſtumo humano ingenio.
Quid nunc? *Sim.* Quin tu is intro, atque otioſe perſpectas, ut lubet?
Theur. Bene benigneque arbitror te facere. *Sim.* Factum edepol volo.
Vin' qui perductet? *Theur.* Apage iſtum perductorem, non placet.
Sim. Quid, quid eſt? *Theur.* Errabo potius, quam perductet quiſpiam.
Tran. Viden' veſtibulum ante ædeis hoc? & ambulacrum quojuſmodi?
Theur. Luculentum edepol profecto. *Tran.* Age ſpecta, poſtes cujuſmodi!
Quanta firmitate facti, & quanta craſſitudine!
Theur. Non videor vidiſſe poſteis pulchriores. *Sim.* Pol mihi
Eo pretio emti fuerant olim. *Tran.* Audin', Fuerant, dicere?
Vix videtur continere lacrumas. *Theur.* Quanti hoſce emeras?
Sim. Treis minas pro iſtis duobus, præter vecturam, dedi.
Theur. Hercle quin multum improbiores ſunt quam a primo credidi.

O T...

Tran. Quapropter? *Theur.* Quia edepol ambo ab infimo tarmes ſecat.
Tran. Intempeſtivos exciſos credo, id eis vitium nocet.
Atque etiam nunc ſatis boni ſunt, ſi ſint inducti pice.
Non enim hæc pultifagus opifex opera fecit barbarus.
Viden' coagmenta in foribus? *Theur.* Video. *Tran.* Specta, quam arcte dormiunt.
Theur. Dormiunt? *Tran.* Illud quidem, ut connivent, volui dicere.
Satin' habes? *Theur.* Ut quidque magis contemplor, tanto magis placet.
Tran. Viden' pictum, ubi ludificatur cornix una volturios duo?
Cornix aſtat, ea volturios duo viciſſim vellicat.
Quæſo huc ad me ſpecta, cornicem ut conſpicere poſſies.
Jam vides? *Theur.* Profecto nullam equidem illic cornicem intuor.
Tran. At tu iſto ad vos obtuere, quoniam cornicem nequis
Conſpicari, ſi volturios forte poſſis contui.
Theur. Omnino, ut te abſolvam, nullam pictam conſpicio hic avem.
Tran. Age jam mitto, ignoſco: ætate non quis obtuerier.
Theur. Hæc, quæ poſſum, ea mihi profecto cuncta vehementer placent.
Sim. Latius demum eſt operæ pretium iviſſe. *Theur.* Recte ædepol mones.
Sim. Eho iſtum, puer, circumduce haſce ædeis, & conclavia.
Nam egomet ductarem, niſi mihi eſſet ad forum negotium.
Theur. Apage iſtum a me perductorem: nihil moror ductarier.
Quidquid eſt errabo potius, quam perductet quiſpiam.
Sim. Aedes dico. *Theur.* Ergo intro eo ſine perductore. *Sim.* I, licet.
Theur. Ibo intro igitur. *Tran.* Mane ſis: videam ne canis. *Theur.* Agedum vide.
Tran. Eſt. *Theur.* Ubi canis eſt? *Tran.* Abi dierecta. ſt! abin' hinc in malam crucem?
At etiam reſtas? ſt! abi iſtinc. *Sim.* Nihil pericli eſt, age.
Tam placida eſt, quam eſt aqua: viſe. ire intro audacter licet.
Eo ego hinc ad forum. *Theur.* Feciſti commode, bene ambula.
Tranio age, canem iſtam a foribus abducas face.
Etſi non metuenda eſt. *Tran.* Quin tu illam aſpice, ut placide accubat!
Niſi moleſtum vis videri te, atque ignavom. *Theur.* Jam ut lubet,
Sequere hac igitur. *Tran.* Equidem haud uſquam a pedibus abſcedam tuis.

ACTUS III. SCENA III.

Tranio ſervus, *Theuropides* ſenex.

QUid tibi viſum eſt hoc mercimonii? *Theur.* Totus gaudeo.
Tran. Num nimio emtæ tibi videntur? *Theur.* Numquam edepol ego me ſcio
Vidiſſe uſquam abjectas ædes, niſi modo haſce. *Tran.* Ecquid placent?
Theur. Ecquid placeant, me rogas? immo hercle vero perplacent.
Theur. Cujuſmodi gynæceum? quid porticum? *Theur.* Inſanum bonam.
Non equidem ullam in publico eſſe majorem hac exiſtumo.
Tran. Quin ego ipſe & Philolaches in publico omnes porticus
Sumus commenſi. *Theur.* Quid igitur? *Tran.* longe omnium longiſſuma eſt.
Theur. Dii immortales, mercimonii lepidi! ſi hercle nunc ferat
Sex talenta magna argenti pro iſtis præſentaria,
Numquam accipiam. *Tran.* Si here, te accipere cupias, ego numquam ſinam.
Theur. Bene res noſtra collocata eſt iſtoc mercimonio.
Tran. Me ſuaſore atque impulſore id factum audacter dicito:
Qui ſubegi, fœnore argentum ab Daniſta ut ſumeret,
Quod iſti dedimus arrhaboni. *Theur.* Servaviſti omnem ratem.
Nempe octoginta debentur huic minæ. *Tran.* Haud nummo amplius.
Theur. Hodie accipiat. *Tran.* Ita enimvero: ne qua cauſſa ſubſiet,
Vel mihi denumerato: ego illi porro denumeravero.
Theur. At enim, ne quid captioni mihi ſit, ſi dederim tibi.
Tran. Egone te joculo modo auſim, dicto aut facto fallere?
Theur. Egon' abs te auſim non cavere, ne quid committam tibi.
Tran. Quia tibi umquam quidquam, poſtquam tuus ſum, verborum dedi.
Theur. Ego enim cavi recte. eam mihi debeo gratiam atque animo meo.
Sat ſapio, ſi abs te modo uno caveo. *Tran.* Tecum ſentio.
Theur. Nunc abi; i rus. dic me adveniſſe filio. *Tran.* Faciam, ut voles.
Theur. Curriculo abi, jube in urbem veniat jam ſimul tecum. *Tran.* Licet.
Nunc ego me illa per poſticum ad congerrones conferam.
Dicam, ut hic res ſint quietæ, atque ut hunc hinc amoverim.

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

Phaniſcus.

SErvi, qui cum culpa carint, tamen malum
Metuunt, hi ſolent eſſe heris utibiles.
Nam illi, qui nihil metuunt, poſtquam ſunt malum
Meriti, ſtulta ſibi expetunt conſilia.
Exercent ſeſe ad curſuram, fugiunt. ſed
Hi, ſi reprehenſi ſunt, faciunt a malo
Peculium, quod nequeunt *facere de ſuo*:
Augent ex pauxillo, *theſaurum inde* parant.
Mihi, in pectore conſilii *quod eſt*,
Lubet cavere malam rem prius,
Quam ut meum *tergum exſinceratum fiat*.
Ut adhuc fuit, mihi corium eſſe oportet

Sin-

Sincerum, atque uti vetem verberari.
Si huic imperabo, probe tectum habebo:
Malum cum impluit ceteros, non impluat mihi.
Nam ut ſervi volunt eſſe herum, ita ſolet eſſe:
Bonis boni ſunt: improbi, qui malus fuit.
Nam nunc domi noſtræ tot peſſumi vivont,
Peculi ſui prodigi, plagigeruli: ubi advorſum ut
Eant vocantur hero: Non eo, moleſtus ne ſis.
Scio, quo properas: geſtis aliquo jam hercle,
Ire vis, mula, foras paſtum. bene merens
Hoc pretium inde abſtuli. ita abii foras. ſolus
Nunc eo advorſum hero ex plurimis ſervis.
Hoc die craſtini cum herus reſciverit,
Mane caſtigabit eos bubulis exuviis.
Poſtremo minoris pendo tergum illorum, quam meum.

AGTUS IV. SCENA II.

Phaniſcus, Servus alius, Theuropides.

ILli erunt bucædæ multo potius, quam ego
Sim reſtio. *Serv.* Mane tu, atque aſſiſte illico:
Phaniſce, etiam reſpice. *Phan.* Mihi moleſtus ne ſis.
Serv. Vide ut faſtidit ſimia!
Phan. Mihi ſum. libet eſſe. quid id curas?
Serv. Maneſne illico, impure paraſite?
Phan. Qui paraſitus ſum? *Serv.* Ego enim
Dicam: cibo perduci poteris quovis.
Ferocem facis, quia te herus tam amat. *Phan.* Vah!
Oculi dolent. *Serv.* Cur? *Phan.* Quia fumus moleſtus.
Serv. Tace ſis, faber, qui cudere ſoles plumbeos
Nummos. *Phan.* Non potes tu cogere me, ut tibi
Maledicam. novit herus me. *Serv.* Suam
Quidem pol culcitellam oportet. *Phan.* Si ſobrius ſis,
Male non dicas. *Serv.* Tibi obtemperem, cum tu mihi
Nequeas? *Phan.* At tu mecum, peſſume, i advorſus.
Serv. Quæſo hercle, Phaniſce, abſtine jam ſermonem
De iſtis rebus. *Phan.* Faciam, & pultabo fores.
Heus, ecquis hic eſt, maxumam qui his injuriam
Foribus defendat? ecquis, ecquis huc exit, atque aperit?
Nemo hinc quidem foras exit: ut eſſe addecet
Nequam homines, ita ſunt: ſed eo magis cauto eſt
Opus, ne huc exeat, qui male me mulcet.
Hic quidem neque convivarum ſonitus, itidem ut antehac fuit,
Neque tibicinam cantantem, neque alium quemquam audio.
Theur. Quæ illæc res eſt? quid illi homines quærunt apud ædes meas?
Quid volunt? quid introſpectant? *Phan.* Pergam pultare oſtium.
Heus, reclude: heus, Tranio, etiam aperis? *Theur.* Quæ hæc eſt fabula?
Phan. Etiamne aperis? Callidamati noſtro advorſum venimus.
Theur. Heus, vos pueri, quid iſtic agitis? quid iſtas ædeis frangitis?
Phan. Herus hic noſter potat. *Theur.* Herus hic voſter potat? *Phan.* Ita loquor.
Theur. Puer nimium es delicatus. *Phan.* Ei advorſum venimus.
Theur. Quoi homini? *Phan.* Hero noſtro. quæſo, quoties dicendum eſt tibi?
Theur. Puer, hic nemo habitat. nam te eſſe arbitror puerum probum.
Phan. Non hic Philolaches adoleſcens habitat hiſce ædibus?
Serv. Senex hic cerebroſus eſt certe. *Phan.* Erras perverſe, pater.
Nam niſi hinc hodie emigravit, aut heri, certo ſcio
Hic habitare. *Theur.* Quin ſex menſes jam hic nemo habitat. *Serv.* Somnias.
Theur. Egone? *Serv.* Tu. *Theur.* Tu ne moleſtus: ſine me cum puero loqui.
Phan. Nemo habitat? hem! *Theur.* Ita profecto, *Phan.* Nam heri & nudius tertius,
Quartus, quintus, ſextus uſque, poſtquam hinc peregre ejus pater
Abiit, numquam hic triduum in unum deſitum eſt eſſe & bibi.
Theur. Quid ais? *Phan.* Triduum in unum eſt haud intermiſſum hic eſſe & bibi,
Scorta duci, pergræcari, fidicinas, tibicinas
Ducere. *Theur.* Quis iſtæc faciebat? *Phan.* Philolaches. *Theur.* Qui Philolaches?
Phan. Cui patrem Theuropidem eſſe opinor. *Theur.* Hei, hei! occidi,
Si hæc hic vera memorat. pergam porro percontarier.
Ain' tu iſtic potare ſolitum Philolachem iſtum, quiſquis eſt,
Cum hero veſtro? *Phan.* Hic, inquam. *Theur.* Puere, præter ſpeciem ſtultus es.
Vide ſis ne forte ad merendam quopiam devorteris,
Atque ibi meliuſcule, quam ſat fuerit, biberis. *Phan.* Quid eſt?
Theur. Ita dico, ne ad alias ædes perperam deveneris.
Phan. Scio qua me ire oportet: & quo venerim, novi loqui.
Philolaches hic habitat, quojus eſt pater Theuropides.
Qui, poſtquam pater ad mercatum abivit hinc, tibicinam
Liberavit. *Theur.* Philolaches ergo? *Phan.* Ita Philematium quidem.
Theur. Quanti? *Serv.* Triginta talentis. *Phan.* μὰ τὸν Ἀπόλλω! ſed minis.
Theur. Ain', minis triginta amicam deſtinatam Philolachi?
Phan. Ajo. *Theur.* Atque eam manu emiſiſſe? *Phan.* Ajo. *Theur.* Et, poſtquam ejus hinc pater
Sit profectus peregre, perpotaſſe aſſiduo
Tuo cum domino? *Phan.* Ajo. *Theur.* Quid, is ædes emit hic proxumas?
Phan. Non ajo. *Theur.* Quadraginta etiam dedit huic quæ eſſent pignori?
Phan. Neque illud ajo. *Theur.* Hei! perdis. *Phan.* Immo ſuum patrem illic perdidit.
Theur. Vera cantas? *Phan.* Vana vellem! patris amicus videlicet.
Theur. Heu, edepol patrem eum miſerum prædicas! *Phan.* Nihil hoc quidem eſt,
Triginta minæ, præ quam alios dapſiles ſumtus facit.
Perdidit patrem. unus iſtic ſervos eſt ſacerrumus
Tranio: is vel Herculi conterere quæſtum poſſiet.
Edepol me ejus patris miſeret, qui cum iſtæc ſciet
Facta ita, amburet miſero ei corculum carbunculus.

Theur. Siquidem iſta vera ſunt. *Phan.* Quid merear, quamobrem mentiar?
Heus vos, ecquis haſce aperit? *Theur.* Quid iſtac pultas, ubi nemo intus?
Phan. Alio credo comiſſatum abiiſſe. abeamus nunc jam.
Theur. Puere, jamne abis? libertas pænula eſt tergo tuo.
Phan. Mihi, niſi herum metuam & curem, nihil eſt, qui tergum tegam.

ACTUS IV. SCENA III.

Theuropides, Simo.

PErii hercle, quid opus eſt verbis? ut verba audio,
Non equidem in Ægyptum hinc modo vectus fui,
Sed etiam in terras ſolas, oraſque ultimas
Sum circumvectus. ita ubi nunc ſim neſcio.
Verum jam ſcibo: nam eccum, unde ædes filius
Meus emit. quid ais tu? *Sim.* A foro incedo domum.
Theur. Numquid proceſſit ad forum hodie novi?
Sim. Etiam. *Theur.* Quid tandem? *Sim.* Vidi efferri mortuum. *Theur.* Hem
Novom! *Sim.* Unum vidi mortuum efferri foras,
Modo eum vixiſſe ajebant. *Theur.* Væ capiti tuo.
Sim. Quid tu ut otioſus res novas requiritas?
Theur. Quia hodie adveni peregre. *Sim.* Promiſi foras,
Ad cœnam ne me tu evocare cenſeas.
Theur. Haud poſtulo edepol. *Sim.* Verum cras, niſi quis prius
Vocaverit me, vel apud te cœnavero.
Theur. Ne iſtuc quidem edepol poſtulo. niſi quid magis
Es occupatus, operam mihi da. *Sim.* Maxume.
Theur. Minas quadraginta accepiſti, quas ſciam,
A Philolachete? *Sim.* Numquam nummum, quod ſciam.
Theur. Quid, a Tranione ſervo? *Sim.* Multo id minus.
Theur. Quas arrhaboni tibi dedit? *Sim.* Quid ſomnias?
Theur. Egone? at quidem tu, qui iſtoc te ſperas modo
Poteſſe diſſimulando inſectum hoc reddere.
Sim. Quid autem? *Theur.* Quod me abſente tecum hic filius
Negotii geſſit. *Sim.* Mecum ut ille hic geſſerit,
Dum tu hic abes, negotii? quidnam? aut quo die?
Theur. Minas tibi octoginta argenti debeo.
Sim. Non mihi quidem hercle. verum, ſi debes, cedo.
Fides ſervanda eſt, ne ire inficias poſtules.
Theur. Profecto non negabo debere, & dabo.
Tu cave quadraginta accepiſſe hinc ne neges.
Sim. Quæſo edepol huc me aſpecta, & reſponde mihi.
Te velle uxorem ajebat tuo nato dare,
Ideo ædificare hoc velle ajebat in tuis.
Theur. Hic ædificare volui? *Sim.* Sic dixit mihi.
Theur. Hei mihi, diſperii! vocis non habeo ſatis.
Vicini, interii, perii. *Sim.* Numquid Tranio
Turbavit? *Theur.* Immo exturbavit omnia.
Te ludificatu 'ſt & me hodie indignis modis.
Sim. Quid tu ais? *Theur.* Hæc res ſic eſt, ut narro tibi.
Te ludificatus & me hodie in perpetuum modum.
Nunc te obſecro, ut me bene juves, operamque des.
Sim. Quid vis? *Thenr.* I mecum, obſecro, una ſimul.
Sim. Fiat. *Theur.* Servorumque operam & lora mihi cedo.
Sim. Sume. *Theur.* Eademque opera hæc tibi narravero,
Qui me & te exemplis hodie ille ludificatus eſt.

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

Tranio, Theuropides.

QUi homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit.
Atque equidem quid id eſſe dicam verbum nauci, neſcio.
Nam herus me poſtquam rus miſit, ut filium ſuum arceſſerem,
Abii illa per angiportum ad hortum noſtrum clanculum:
Oſtium quod in angiportu eſt, horti pateſeci fores;
Eaque eduxi omnem legionem, & mareis & feminas.
Poſtquam ex obſidione in tutum eduxi maniplares meos,
Capio conſilium, ut ſenatum congerronum convocem.
Quem cum convocavi, atque illi me e ſenatu ſegregant.
Ubi ego video rem vorti in meo foro, quantum poteſt,
Facio idem, quod plurimi alii, quibus res timida aut turbida eſt:
Pergunt turbare uſque, ut ne quid poſſit conquieſcere.
Nam ſcio equidem nullo pacto jam eſſe poſſe clam ſenem.
Sed quid hoc eſt, quod foris concrepuit proxuma vicinia?
Herus meus hic quidem eſt. guſtare ego ejus ſermonem volo.
Theur. Illico intra limen aſtate illic; ut, cum extemplo vocem,
Continuo exſiliatis: manicas celeriter connectite.
Ego illum ante ædeis præſtolabor ludificatorem meum:
Quojus ego hic ludificabo corium, ſi vivo, probe.
Tran. Res palam eſt. nunc te videre melius eſt, quid agas, Tranio.
Theur. Docte atque aſtute mihi captandum eſt cum illoc, ubi huc advenerit.
Non ego illi extemplo ita meum oſtendam ſenſum: mittam lineam.
Diſſimulabo me horum quidquam ſcire. *Tran.* O mortalem malum!
Alter hoc Athenis nemo doctior dici poteſt.
Verba dare illi non magis hodie quiſquam, quam lapidi, poteſt.
Aggrediar hominem: appellabo. *Theur.* Nunc ego ille huc veniat velim.
Tran. Si quidem pol me quæris, aſſum præſens præſenti tibi.
Theur. Euge Tranio, quid agitur? *Tran.* Veniunt ruri ruſtici.
Philolaches jam hic aderit. *Theur.* Edepol mihi opportune advenit.
Noſtrum ego hunc vicinum opinor eſſe hominem audacem & malum.
Tran. Qui dum? *Theur.* Qui negat noviſſe vos. *Tran.* Negat? *Theur.* Nec vos ſibi
Nummum umquam argenti dediſſe. *Tran.* Abi, ludis me, credo: haud negat.
Theur. Quid jam? *Tran.* Scio, jocaris nunc tu: nam ille quidem haud negat.
Theur. Immo edepol negat profecto: neque ſe has ædeis Philolachi
Vendidiſſe. *Tran.* Eho, an negavit ſibi datum argentum, obſecro?
Theur. Quin jusjurandum pollicitus eſt dare, ſi vellem, mihi;

Neque

Neque ſe haſce ædeis vendidiſſe, neque ſibi argentum datum.
Dixi ego iſtuc idem illi. *Tran.* Quid ait? *Theur.* Servos pollicitu 'ſt dare
Suos mihi omnes quæſtioni. *Tran.* Nugas. Numquam edepol dabit.
Theur. Dat profecto. *Tran.* Quin & illum in jus jube ire. *Theur.* Jam mane.
Experiar, ut opinor: certum eſt. *Tran.* Mihi hominem cedo.
Theur. Quid ſi igitur ego arceſſam homines? *Tran.* Factum jam eſſe oportuit:
Vel hominem jube ædes mancipio poſcere. *Theur.* Immo hoc primum volo,
Quæſtioni accipere ſervos. *Tr.* Faciundum edepol cenſeo.
Ego interim hanc aram occupabo. *Theur.* Quid ita? *Tran.* Nullam rem ſapis.
Ne enim illi huc confugere poſſint, quæſtioni quos dabit,
Hic ego tibi præſidebo, ne interbitat quæſtio.
Theur. Surge. *Tran.* Minime. *Theur.* Ne occupaſſis, obſecro, aram. *Tran.* Cur? *Theur.* Scies:
Quia id enim maxume volo, ut illi iſtoc confugiant: ſine.
Tanto apud judicem hunc argenti condemnabo facilius.
Tran. Quod agis, id agas. quid tu porro vis ſerere negotium?
Neſcis tu quam meticuloſa res ſit ire ad judicem.
Theur. Surge dum huc. eſt conſulere igitur quiddam quod tecum volo.
Phan. Sic tamen hinc conſilium dedero. nimio plus ſapio ſedens.
Tum conſilia firmiora ſunt de divinis locis.
Theur. Surge, ne nugare: aſpice dum contra me. *Tran.* Aſpexi. *Theur.* Vides?
Tran. Video. huc ſi quis intercedat tertius, pereat fame.
Theur. Qui dum? *Tran.* Quia nihil quæſti ſiet. mali hercle ambo ſumus.
Theur. Perii! *Tran.* Quid tibi eſt? *Theur.* Dediſti verba. *Tran.* Qui tandem? *Theur.* Probe
Me emunxti. *Tran.* Vide ſis, ſati'ne recte? num mucci fluunt?
Theur. Immo etiam cerebrum quoque omnem e capite emunxiſti meum.
Nam omnia malefacta voſtra repperi radicitus,
Non radicitus quidem hercle, verum etiam eradicitus.
Numquam edepol hodie inultus deſtinaverim tibi.
Jam jubebo ignem & ſarmenta, carnufex, circumdari.
Tran. Ne faxis: nam elixus eſſe, quam aſſus, ſoleo ſuavior.
Theur. Exempla edepol faciam ego in te. *Tran.* Quia placeo, exemplum expetis.
Theur. Loquere, quojuſmodi reliqui, quom hinc abibam, filium?
Tran. Cum pedibus, manibus, cum digitis, auribus, oculis, labris.
Theur. Aliud te rogo. *Tran.* Aliud ergo nunc tibi reſpondeo.
Sed eccum tui gnati ſodalem video huc incedere
Callidamatem: illo præſente mecum agito, ſi quid voles.

ACTUS V. SCENA II.

Callidamates, Theuropides, Tranio.

UBi ſomnum ſepelivi omnem, atque obdormivi crapulam,
Philolaches veniſſe mihi ſuum peregre huc ait patrem,
Quoque modo hominem advenientem ſervos ludificatus ſiet.
Ait ſeſe metuere in conſpectum illius occedere.
Nunc ego de ſodalitate ſolus ſum orator datus,
Qui a patre ejus conciliarem pacem. atque eccum optume.
Jubeo te ſalvere: & ſalvos cum advenis, Theuropides,
Peregre, gaudeo. hic apud nos hodie cœnes. *Theur.* Sic tale....
Callidamate, dei te ament, de cœna facio gratiam.
Cal. Quin venis? *Tran.* Promitte: ego ibo pro te, ſi tibi non libet.
Theur. Verbero, etiam irrides? *Tran.* Quian' me pro te ire ad cœnam autumo?
Theur. Non enim ibis. ego ferare faxo, ut meruiſti, in crucem.
Cal. Age mitte iſta, & ito ad me ad cœnam. *Tran.* Dic venturum. quid taces?
Cal. Sed tu iſtuc quid confugiſti in aram inſcitiſſumus?
Tran. Adveniens perterruit me. loquere nunc, quid fecerim:
Nunc utriuſque diſceptator, eccum, adeſt: age, diſputa.
Theur. Filium corrupiſſe ajo te meum: *Tran.* Auſculta modo.
Fateor peccaviſſe, amicam liberaſſe, abſente te
Fœnori argentum ſumſiſſe, id eſſe abſumtum prædico.
Numquid aliud fecit, niſi quod faciunt ſummis gnati generibus?
Theur. Hercle mihi tecum cavendum eſt: nimis quam es orator catus.
Cal. Sine me dum iſtuc judicare: ſurge, ego iſti aſſedero.
Theur. Maxume, accipito hanc ad te litem. *Tran.* Enim iſtic captio eſt.
Fac, ego ne metuam igitur, & ut tu meam timeas vicem.
Theur. Jam minoris omnia facio, præ quam quibus modis
Me ludificatus eſt. *Tran.* Bene hercle factum, & factum gaudeo.
Sapere iſtac ætate oportet, qui ſunt capite candido.
Theur. Quid ego nunc faciam, ſi amicus Demipho, aut Philonides?
Tran. Dicito iis, quo pacto tuus te ſervos ludificaverit:
Optumas fruſtrationes dederis in Comœdiis.
Cal. Tace paruumper: ſine viciſſim me loqui: auſculta. *Theur.* Licet.
Cal. Omnium primum ſodalem me eſſe ſcis gnato tuo.
Is adiit me. nam illum prodire pudet in conſpectum tuum,
Propterea, quæ fecit quia te ſcire ſcit. nunc te obſecro,
Stultitiæ adoleſcentiæque ejus ignoſcas. tuus eſt.
Scis ſolere illanc ætatem tali ludo ludere.
Quidquid fecit, nobiſcum una fecit. nos deliquimus.
Fœnus, ſortem, ſumtumque omne, qui amica eſt, omnia
Nos dabimus, nos conferemus, noſtro ſumtu, non tuo.
Theur. Non potuit venire orator magis ad me impetrabilis,
Quam tu. neque illi ſum iratus, neque quidquam ſuccenſeo.
Immo me præſente amato, bibito, facito quod lubet,
Si hoc pudet, feciſſe ſumtum; ſupplicii habeo ſatis.
Cal. Diſpudet. *Tran.* Dat iſtam veniam. quid me fiet nunc jam?
Theur. Verberibus cædere, lutum, pendens. *Tran.* Tamen etſi pudet?
Theur. Interimam hercle ego, ſi vivo. *Cal.* Fac iſtam cunctam gratiam:
Tranioni remitte quæſo hanc noxiam cauſſa mea.
Theur. Aliud quidvis impetrari a me facilius perferam,
Quam ut non ego iſtum pro ſuis factis peſſumis peſſum premam.
Cal. Mitte quæſo iſtunc. *Theur.* Hem, viden' ut reſtat furcifer?

Cal.

Cal. Tranio, quieſce, ſi ſapis. *Theur.* Tu quieſce hanc rem modo
Petere: ego illum verberibus, ut ſit quietus, ſubegero.
Cal. Nihil opus eſt profecto: age jam, ſine te exorarier.
Theur. Nolo ores. *Cal.* Quæſo hercle. *Theur.* Nolo, inquam, ores. *Cal.* Nequidquam nevis.
Hanc modo unam noxiam; unam, quæſo, fac cauſſa mea.
Tran. Quid gravaris? quaſi non cras jam commeream aliam noxiam:
Ibi utrumque, & hoc & illud, poteris ulciſci probe.
Cal. Sine te exorem. *Theur.* Age abi, abi impune. hem huic habeto gratiam.
Spectatores, Fabula hæc eſt acta: vos plauſum date.

FINIS MOSTELLARIÆ.

MENAECHMEI.

Dramatis Perſonæ.

Peniculus, *paraſitus.*	Mulier, *uxor.*
Menaechmus *ſurreptus.*	Servus *alius.*
Erotium, *meretrix.*	Ancilla.
Cylindrus, *coquus.*	Senex.
Menaechmus *Soſicles.*	Medicus.
Messenio, *ſervus.*	Lorarii.

ARGUMENTUM.

Mercator Siculus, cui erant gemini filii;
Ei, ſurrepto altero, mors obrigit.
Nomen ſurrepticii illi indit, qui domi eſt
Avus paternus, facit Menæchmum Soſiclem.
Et is germanum, poſtquam adolevit, quæritat
Circum omnes oras. poſt Epidamnum devenit:
Hic fuerat auctus ille ſurrepticius.
Menæchmum civem credunt omnes advenam:
Eumque appellant meretrix, uxor, & ſocer.
Ii ſe cognoſcunt fratres poſtremo invicem.

PROLOGUS.

Salutem primum jam a principio propitiam
Mihi, atque vobis, ſpectatores, nuntio.
Apporto vobis Plautum lingua, non manu:
Quæſo, ut benignis accipiatis auribus.
Nunc argumentum accipite, atque animum advortite,
Quam potero in verba conferam pauciſſuma.
Atque hoc Poetæ faciunt in Comœdiis.
Omneis res geſtas eſſe Athenis autumant,
Quo illud vobis Græcum videatur magis.
Ego nuſquam dicam, niſi ubi factum dicitur.
Atque adeo hoc argumentum Græciſſat, tamen
Non Atticiſſat, verum Siciliciſſitat.
Huic argumento antelogium quidem hoc fuit.
Nunc argumentum vobis demenſum dabo,
Non modio, neque trimodio, verum ipſo horreo.
Tantum ad narrandum argumentum adeſt benignitas.
Mercator quidam fuit Syracuſis ſenex,
Ei ſunt nati filii gemini duo,
Ita forma ſimili pueri, uti mater ſua
Non internoſſe poſſet, quæ mammam dabat:
Neque adeo mater ipſa, quæ illos pepererat:
Ut quidem ille dixit mihi, qui pueros viderat.
Ego illos non vidi, ne quis voſtrum cenſeat.
Poſtquam jam pueri ſeptuennes ſunt, pater
Oneravit navem magnam multis mercibus.
Imponit alterum geminum in navem pater,
Tarentum avexit ſecum ad mercatum ſimul:
Illum reliquit alterum apud matrem domi.
Tarenti ludi forte erant, quom illuc venit:
Mortales multi, ut ad ludos, convenerant.
Puer aberravit inter homines a patre.
Epidamnienſis quidam ibi mercator fuit:
Is puerum tollit, avehitque Epidamnium
Pater ejus autem, poſtquam puerum perdidit,
Animum deſpondit: eaque is ægritudine
Paucis diebus poſt Tarenti emortuu'ſt.
Poſtquam Syracuſas de re ea nuncius redit
Ad avom puerorum, puerum ſubreptum alterum,
Patremque pueri Tarenti eſſe emortuum,
Immutat nomen avos huic gemino alteri:
Ita illum dilexit, qui ſubreptus eſt, alterum.
Illius nomen indit illi, qui domi eſt:
Menæchmo idem quod alteri nomen fuit,
Et ipſus eodem avos eſt vocatus nomine.
Propterea illius nomen memini facilius,
Quia illum clamore vidi flagitarier.
Ne mox erretis, jam nunc prædico prius,
Idem eſt ambobus nomen geminis fratribus.
Nunc in Epidamnum pedibus redeundum eſt mihi,
Ut hanc rem vobis examuſſim diſputem.
Si quis quid voſtrum Epidamnum curari ſibi
Velit, is audacter imperato & dicito:
Sed ita, ut det, unde curari id poſſit ſibi.
Nam niſi qui argentum dederit, nugas egerit:
Qui dederit; magis majores nugas egerit.
Verum illuc redeo, unde abii, atque uno aſto in loco.
Epidamnienſis ille, quem dudum dixeram,
Geminum illum puerum qui ſurripuit alterum;
Ei liberorum, niſi divitiæ, nihil erat:
Adoptat illum puerum ſurrepticium
Sibi filium, eique uxorem dotatam dedit;
Eumque hæredem fecit, quam ipſe obiit diem.
Nam rus ut ibat forte, ut multum pluverat,
Ingreſſus fluvium rapidum ab urbe haud longule,
Rapidus raptori pueri ſubduxit pedes,
Abſtraxitque hominem in maxumam malam crucem.
Illi divitiæ evenerunt maxumæ.
Is illic habitat geminus ſurrepticius.
Nunc ille geminus, qui Syracuſis habet,
Hodie in Epidamnum venit cum ſervo ſuo
Hunc quæritatum geminum germanum ſuum.
Hæc urbs Epidamnus eſt, dum hæc agitur Fabula:
Quando alia agetur, aliud fiet oppidum:
Sicut familiæ quoque ſolent mutarier:
Modo enim idem fit leno, modo adoleſcens, modo ſenex,
Pauper, mendicus, rex, paraſitus, ariolus.

ACTUS

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Peniculus.

IUventus nomen fecit Peniculo mihi,
Ideo quia menſam, quando edo, detergeo.
Homines capteivos qui catenis vinciunt,
Et qui fugitivis ſervis indunt compedes,
Nimis ſtulte faciunt, mea quidem ſententia.
Namque homini miſero ſi ad malum accidit malum,
Major lubido eſt fugere, & facere nequiter.
Nam ſe ex catenis eximunt aliquo modo.
Tum compediti januam lima proterunt,
Aut lapide excutiunt clavom. nugæ ſunt eæ.
Quem tu aſſervare recte, ne aufugiat, voles,
Eſca atque potione vinciri decet.
Apud menſam plenam homini roſtrum deliges.
Dum tu illi, quod edit & quod potet, præbeas,
Suo arbitratu & affatim cotidie,
Numquam edepol fugiet, tametſi capital fecerit.
Facile aſſervabis, dum eo vinclo vincies.
Ita iſtæc nimis lenta vincla ſunt eſcaria:
Quam magis extendas, tanto aſtringunt arctius.
Nam ego ad Menæchmum nunc eo, quo jam diu
Sum judicatus, ultro eo ut me vinciat.
Nam illic homo homines non alit, verum educat
Recreatque: nullus melius medicinam facit.
Ita eſt adoleſcens ipſus eſcæ maxumæ,
Cerealeis cœnas dat, ita menſas exſtruit:
Tantas ſtruices concinnat patinarias;
Standum eſt in lecto, ſi quid de ſummo petas.
Sed mihi intervallum jam hos dies multos fuit:
Domi domitus fui uſque cum caris meis.
Nam neque edo, neque emo, niſi quod eſt cariſſumum.
Id quoque jam cari, qui inſtruuntur, deſerunt.
Nunc ad eum inviſo. ſed aperitur oſtium.
Menæchmum eccum ipſum video, progreditur foras.

ACTUS I. SCENA II.

Menæchmus ſurreptus, *Peniculus.*

NI mala, ni ſtulta ſis, ni indomita impoſque animi,
Quod viro eſſe odio videas, tute tibi odio habeas.
Præterhac ſi mihi tale poſt hunc diem
Faxis, faxo foris vidua viſas patrem.
Nam quoties foras ire volo, me retines, revocas,
Rogitas, quo ego eam, quam rem agam, quid negotii geram,
Quid petam, quid feram, quid foris egerim.
Portitorem domum duxi. ita omnem mihi
Rem neceſſe loqui eſt, quidquid egi, atque ago.
Nimium ego te habui delicatam.
Nunc adeo, ut facturus, dicam. quando ego tibi ancillas, penum,
Lanam, aurum, veſtem, purpuram bene præbeo: nec quidquam eges:
Malo cavebis, ſi ſapis: virum obſervare deſines.
Atque adeo, ne me nequidquam ſerves, ob eam induſtriam
Hodie ducam ſcortum, atque ad cœnam aliquo condicam foras.

Pen. Illic homo ſe uxori ſimulat male loqui, loquitur mihi.
Nam ſi foris cœnat, profecto me, haud uxorem, ulciſcitur.
Men. Evax, jurgio hercle tandem uxorem abegi ab janua.
Ubi amatores ſunt mariti? dona quid ceſſant mihi
Conferre omnes, congratulantes, quia pugnavi fortiter?
Hanc modo uxori intus pallam ſurripui. ad ſcortum fero.
Sic hoc decet dari facete verba cuſtodi catæ.
Hoc facinus pulchrum eſt, hoc probum eſt, hoc lepidum, hoc factum eſt fabre.
Meo malo a mala abſtuli: hoc ad damnum deferetur hinc.
Averti prædam ab hoſtibus, noſtrum ſalute ſocium.
Pen. Heus adoleſcens, ecqua in iſtac pars ineſt præmii mihi?
Men. Perii! in inſidias deveni. *Pen.* Immo in præſidium. ne time.
Men. Quis homo eſt? *Pen.* Ego ſum. *Men.* O mea commoditas, o mea opportunitas,
Salve. *Pen.* Salve. *Men.* Quid ais? *Pen.* Teneo dextera Genium meum.
Men. Non potuiſti magis per tempus mihi advenire, quam advenis.
Pen. Ita ego ſoleo: commoditatis omneis articulos ſcio.
Men. Vin' tu facinus luculentum inſpicere? *Pen.* Quis id coxit coquus?
Jam ſciam, ſi quid titubatum eſt, ubi reliquias videro.
Men. Dic mihi, numqua tu vidiſti tabulam pictam in pariete,
Ubi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?
Pen. Sæpe. ſed quid iſtæ picturæ ad me attinent? *Men.* Age, me aſpice.
Ecquid aſſimulo ſimiliter? *Pen.* Qui iſtic eſt ornatus tuus?
Men. Dic hominem lepidiſſumum eſſe me. *Pen.* Ubi eſuri ſumus?
Men. Dic modo hoc quod ego te jubeo. *Pen.* Dico: homo lepidiſſume.
Men. Ecquid audes de tuo iſtuc addere? *Pen.* Atque hilariſſume.
Men. Perge. *Pen.* Non pergo hercle ego, niſi ſcio qua gratia.
Litigium eſt tibi cum uxore. oh, mihi abs te caveo cautius.
Men. Clam uxorem ubi ſepulcrum habeamus, & hunc comburamus diem.
Pen. Age ſane igitur, quando æquom oras, quam mox incendo rogum?
Dies quidem jam ad umbilicum eſt dimidiatus mortuus.
Men. Te morare, mihi quom obloquere. *Pen.* Oculum effodito perſolum
Mihi, Menæchme, ſi ullum verbum faxo, niſi quod juſſeris.
Men. Concede huc a foribus. *Pen.* Fiat. *Men.* etiam concede huc. *Pen.* Licet.
Men. Etiam nunc concede audacter ab leonino cavo.
Pen. Heu edepol, næ tu, ut ego opinor, eſſes agitator probus.
Men. Qui dum? *Pen.* Ne te uxor ſequatur, reſpectas idemtidem.

Men.

Men. Sed quid ais? *Pen.* Egone? id enim quod tu vis, id ajo, atque id nego.
Men. Ecquid tu de odore poſſis, ſi quid forte olſeceris,
Facere conjecturam? *Pen.* Captum ſit collegium augurum.
Men. Agedum odorare hanc quam ego habeo pallam. quid olet? abſtines?
Pen. Summum olfactare oportet veſtimentum muliebre,
Nam ex iſtoc loco ſpurcatur naſum odore illutibili.
Men. Olfacta igitur hinc, Penicule lepide. ut faſtidis! *Pen.* Decet.
Men. Quid igitur? quid olet? reſponde. *Pen.* Furtum, ſcortum, prandium.
Men. Nunc ad amicam deferetur hanc meretricem Erotium.
Mihi, tibi, atque illi jubebo jam apparari prandium.
Inde uſque ad diurnam ſtellam craſtinam potabimus.
Pen. Expedite fabulatu's: jam fores ferio. *Men.* Feri:
Vel mane etiam. *Pen.* Mille paſſum commoratu's cantharum.
Men. Placide pulta. *Pen.* Metuis credo, ne fores Samiæ ſient.
Men. Mane, mane obſecro hercle: ab ſe ecca exit. *Pen.* Oh! ſolem vides.
Satin' ut occæcatu's præ hujus corporis candoribus!

ACTUS I. SCENA III.

Erotium, Peniculus, Menæchmus.

ANime mi, Menæchme, ſalve. *Pen.* Quid ego? *Erot.* Extra numerum es mihi.
Pen. Idem iſtuc aliis aſcriptivis ad legionem fieri ſolet.
Men. Ego iſtic mihi hodie apparari juſſi apud te prœlium.
Erot. Hodie id fiet. *Men.* In eo uterque pro Ilio potabimus,
Uter ubi melior bellator erit inventus cantharo.
Tua eſt legio: adjudicato, cum utro hanc noctem ſies.
Ut ego uxorem, mea voluptas, ubi te aſpicio, odi male!
Erot. Interim nequis, quin ejus aliquid indutus ſies.
Quid hoc eſt? *Men.* Induviæ tuæ, atque uxoris exuviæ, roſa.
Erot. Superas facile ut ſuperior ſis mihi, quam quiſquam qui impetrant.
Pen. Meretrix tantiſper blanditur, dum illud quod rapiat videt.
Nam ſi amabas, jam oportebat naſum abreptum mordicus.
Men. Suſtine hoc, Penicule: exuvias facere, quas vovi, volo.
Pen. Cedo. ſed obſecro hercle ſalta ſic cum palla poſtea.
Men. Ego ſaltabo? ſanus hercle non es. *Pen.* Egone, an tu magis?
Si non ſaltas, exue igitur. *Men.* Nimio ego hanc periculo
Surripui hodie. meo quidem animo, ab Hippolyta ſuccingulum
Hercules haud æque magno unquam abſtulit periculo.
Cape tibi hanc: quando una vivis meis morigera moribus.
Hoc animo decet animatos eſſe amatores probos.
Pen. Qui quidem ad mendicitatem ſe properent detrudere.
Men. Quatuor minis ego emi iſtanc anno uxori meæ.
Pen. Quatuor minæ periere plane, ut ratio redditur.
Men. Scin' quid volo ego te accurare? *Erot.* Scio. curabo quæ voles.
Men. Jube igitur nobis tribus apud te prandium accurarier,
Atque aliquid ſcitamentorum de foro obſonarier,
Glandionidam ſuillam, laridum pernonidem, aut
Sinciput, aut polimenta porcina, aut aliquid ad eum modum:
Madida quæ mihi appoſita in menſam, milvinam ſuggerant.
Atque actutum. *Erot.* Licet ecaſtor. *Men.* Nos prodimus ad forum.
Jam nos hic erimus: dum coquitur, interim potabimus.
Erot. Quando vis, veni; parata res erit. *Men.* Propera modo.
Sequere tu. *Pen.* Ego hercle vero te & ſervabo, & te ſequar:
Neque hodie ut te perdam, meream deum divitias mihi.
Erot. Evocate intus Cylindrum mihi coquom actutum foras.

ACTUS I. SCENA IV.

Erotium, Cylindrus.

SPortulam cape atque argentum. eccos treis nummos habes.
Cyl. Habeo. *Erot.* Abi, atque obſonium affer; tribus vide quod ſit ſatis;
Neque deſit, neque ſuperſit. *Cyl.* Quojuſmodi hi homines erunt?
Erot. Ego, & Menæchmus, & Paraſitus ejus. *Cyl.* Jam iſti ſunt decem:
Nam Paraſitus octo hominum munus facile fungitur.
Erot. Elocuta ſum convivas, ceterum cura. *Cyl.* Licet.
Cocta ſunt, jube ire accubitum. *Erot.* Redi cito. *Cyl.* Jam ego hic ero.

ACTUS SECUNDUS

SCENA I.

Menæchmus Soſicles, Meſſenio.

NUlla eſt voluptas navitis, Meſſenio,
Major, meo animo, quam quom ex alto procul
Terram conſpiciunt. *Meſ.* Major, non dicam dolo,
Si adveniens terram videas, quæ fuerit tua.
Sed quæſo, quamobrem nunc Epidamnum venimus
An, quaſi mare, omneis circumimus inſulas?
Men. Fratrem quæſitum geminum germanum [illegible]
Meſ. Nam quid modi futurum eſt illum quæ[illegible]
Hic annus ſextus, poſtquam ei rei operam dam[illegible]
Iſtros, Hiſpanos, Maſſilienſes, Illurios,
Mare ſuperum omne, Græciamque exoticam,
Ora-

Oraſque Italicas omneis, qua adgreditur mare,
Sumus circumvecti. ſi acum credo quæreres,
Acum inveniſſes, ſi appareret, jam diu.
Hominem inter vivos quæritamus mortuum:
Nam inveniſſemus jam diu, ſi viveret.
Men. Ergo iſtuc quæro certum qui faciat mihi,
Qui ſeſe dicat ſcire, eum eſſe mortuum.
Operam præterea numquam ſumam quærere.
Verum aliter vivos numquam deſiſtam exſequi.
Ego illum ſcio, quam cordi ſit carus meo.
Meſ. In ſcirpo nodum quæris. quin nos hinc domum
Redimus, niſi ſi hiſtoriam ſcripturi ſumus?
Men. Dictum faceſſas doctum, & diſcaveas malo.
Moleſtus ne ſis. non tuo hoc fiet modo. *Meſ.* Hem,
Illoc enim verbo eſſe me ſervom ſcio.
Non potuit paucis plura plane proloqui.
Verum tamen nequeo continere, quin loquar.
Audi, Menæchme: quom inſpicio marſupium,
Viaticati hercle admodum æſtive ſumus.
Næ tu hercle, opinor, niſi domum revorteris,
Ubi nihil habebis, geminum dum quæris, gemes.
Nam ita eſt hæc hominum natio Epidamnia,
Voluptarii atque potatores maxumi,
Tum ſycophantæ & palpatores plurimi
In urbe hac habitant: tum meretrices mulieres
Nuſquam perhibentur blandiores gentium.
Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum eſt,
Quia nemo ferme huc ſine damno divortitur.
Men. Ego iſtuc cavebo: cedo dum mihi huc marſupium.
Meſ. Quid eo vis? *Men.* Jam abs te metuo de verbis tuis.
Meſ. Quid metuis? *Men.* Ne mihi damnum in Epidamno duis.
Tu magnus amator mulierum es, Meſſenio:
Ego autem homo iracundus, animi perditi.
Id utrumque, argentum quando habebo, cavero,
Ne tu delinquas, neve ego iraſcar tibi.
Meſ. Cape, atque ſerva. me lubente feceris.

ACTUS II. SCENA II.

Cylindrus, *Menæchmus Soſicles*, *Meſſenio*.

Bene obſonavi, atque ex mea ſententia
Bonum anteponam prandium pranſoribus.
Sed eccum Menæchmum video. væ tergo meo!
Prius jam convivæ ambulant ante oſtium,
Quam ego obſonatu redeo. adibo atque alloquar.
Menæchme, ſalve. *Men.* Di te amabunt! ſcis quis ego ſum?
Cyl. Non hercle vero! ubi convivæ ceteri?
Men. Quos tu convivas quæris? *Cyl.* Paraſitum tuum.
Men. Meum paraſitum? certe hic inſanus eſt homo.
Meſ. Dixin' tibi eſſe hic ſycophantas plurimos?
Men. Quem tu paraſitum quæris, adoleſcens, meum?
Cyl. Peniculum. *Meſ.* Eccum! in vidulo ſalvom fero.
Cyl. Menæchme, numero huc advenis ad prandium.
Nunc obſonatu redeo. *Men.* Reſponde mihi;
Adoleſcens, quibus hic pretiis porci veneunt
Sacres ſinceri? *Cyl.* Nummo. *Men.* eum a me accipe.
Jube te piari de mea pecunia.
Nam ego quidem inſanum eſſe te certo ſcio,
Qui mihi moleſtus homini ignoto, quiſquis es.
Cyl. Cylindrus ego ſum: non noſti nomen meum?
Men. Seu tu Cylindrus, ſeu Coriendrus, perieris.
Ego te non novi, neque noviſſe adeo volo.
Cyl. Eſt tibi Menæchmo nomen tantum, quod ſciam.
Men. Pro ſano loqueris, cum me appellas nomine.
Sed ubi noviſti me? *Cyl.* Ubi ego te noverim?
Qui amicam habeas heram meam hanc Erotium.
Men. Neque hercle habeo, neque te, quis ſis homo, ſcio.
Cyl. Non ſcis quis ego ſim? qui tibi ſæpiſſume
Cyathiſſo apud nos, quando potas. *Meſ.* Hei mihi,
Cum nihil eſt, illi qui homini diminuam caput.
Men. Tun' cyathiſſare mihi ſoles, qui ante hunc diem
Epidamnum numquam vidi, neque veni? *Cyl.* Negas?
Men. Nego hercle vero. *Cyl.* Non tu in illiſce ædibus
Habitas? *Men.* Dii illos homines, qui illic habitant, perduint.
Cyl. Inſanit hic equidem, qui ipſe maledicit ſibi.
Audin', Menæchme? *Men.* Quid vis? *Cyl.* Si me conſulas,
Nummum illum, quem mihi dudum pollicitus dare,
Jubeas, ſi ſapias, porculum afferri tibi.
Nam tu quidem hercle certo non ſanus ſatis,
Menæchme, qui nunc ipſus maledicas tibi.
Meſ. Heu hercle hominem multum & odioſum mihi!
Cyl. Solet jocari ſæpe mecum illo modo.
Quamvis ridiculus eſt, ubi uxor non adeſt.
Men. Quid ais tu? *Cyl.* Quid vis, inquam? ſatin' hoc, quod vides,
Tribus vobis obſonatum eſt? an obſono amplius,
Tibi & paraſito & mulieri? *Men.* Quas tu mulieres,
Quoſ tu paraſitos loquere? *Meſ.* Quod te urget ſcelus,
Qui huic ſis moleſtus? *Cyl.* Quid tibi mecum eſt rei?
Ego te non novi: cum hoc, quem novi, fabulor.
Men. Non edepol tu homo ſanus es. certo ſcio.
Cyl. Jam ergo hæc madebunt faxo: nihil morabitur.
Proin tu ne quo abeas longius ab ædibus.
Numquid vis? *Men.* Ut eas maxumam in malam crucem.
Cyl. Ire hercle melius eſt te interim, atque accumbere,
Dum ego hæc appono ad Volcani violentiam.
Ibo intro, & dicam te hic aſtare Erotio.
Ut te hinc abducat, potius quam hic aſtes foris.
Men. Jamne abiit? edepol haud mendacia
Tua verba experior eſſe. *Meſ.* Obſervato modo.
Nam iſtic meretricem credo habitare mulierem,
Ut quidem ille inſanus dixit, qui hinc abiit modo.
Men. Sed miror, qui ille noverit nomen meum.
Meſ. Minime hercle mirum. morem hunc meretrices habent:
Ad portum mittunt ſervolos, ancillulas,
Si qua peregrina navis in portum advenit,
Rogant, cujatis ſit, quid ei nomen ſiet.
Poſt illæ extemplo ſe applicant, agglutinant.
Si pellexerunt, perditum amittunt domum.
Nunc in iſtoc portu ſtat navis prædatoria,
Abs qua cavendum nobis ſane cenſeo.
Men. Mones quidem hercle recte. *Meſ.* Tum demum ſciam
Recte monuiſſe, ſi tu recte caveris.
Men. Tace dum parumper: nam concrepuit oſtium.
Videamus, qui hinc egreditur. *Meſ.* Hoc ponam interim.
Aſſervatote hæc, ſultis, navales pedes.

ACTUS II. SCENA III.

Erotium, *Cylindrus*, *Menæchmus Soſicles*, *Meſſenio*.

Sine fores ſic: abi. nolo operiri.
Intus para, cura. vide quod opus eſt, ut

Fiat. ſternite lectos, incendite odores.
Munditia illecebra animo eſt amantum.
Amanti amœnitas malo eſt, nobis lucro eſt.
Sed ubi ille eſt, quem coquus ante ædeis eſſe ait?
Atque eccum video, qui mihi eſt uſui, &
Plurimum prodeſt: item huic ultro fit, ut
Meret, potiſſumus noſtræ domi ut ſit:
Nunc eum adibo, alloquar ultro.
Animule mi, mihi mira videntur,
Hic te ſtare foris, fores quoi pateant
Magis, quam domus tua, domus cum hæc tua ſit.
Omne paratum eſt,
Ut juſſiſti, atque ut voluiſti: neque tibi eſt
Ulla mora intus. prandium, ut juſſiſti, hic
Curatum eſt: ubi lubet, ire licet accubitum.
Men. Quicum hæc mulier loquitur? *Erot.* Equidem tecum. *Men.* Quid mecum tibi
Fuit umquam, aut nunc eſt negotii? *Erot.* Quia pol te unum ex omnibus
Venus voluit me magnificare: atque id haud immerito tuo.
Nam ecaſtor ſolus benefactis tuis me florentem facis.
Men. Certo hæc mulier aut inſana, aut ebria eſt, Meſſenio,
Quæ hominem ignotum compellet me tam familiariter.
Meſ. Dixin' ego iſtæc hic ſolere fieri? folia nunc cadunt,
Præ ut ſi triduum hoc hic erimus, tum arbores in te cadent.
Nam ita ſunt hic meretrices omnes elecebræ argentariæ.
Sed ſine me dum hanc compellare. heus mulier? tibi dico. *Erot.* Quid eſt?
Meſ. Ubi tu hunc hominem noviſti? *Erot.* Ibidem, ubi hic me jam diu,
In Epidamno. *Meſ.* In Epidamno? Qui huc in hanc urbem pedem,
Niſi hodie, numquam intro tetulit. *Erot.* Eja, delicias facis,
Mi Menæchme. quin' amabo, is intro: hic tibi erit rectius.
Men. Hæc quidem edepol recte appellat meo me mulier nomine.
Nimis miror, quid hoc ſit negotii. *Meſ.* Oboluit marſupium
Huic iſtuc, quod habes. *Men.* Atque edepol tu me monuiſti probe.
Accipe dum hoc. jam ſcibo, utrum hæc me mage amet, an marſupium.
Erot. Eamus intro, ut prandeamus. *Men.* Bene vocas: tam gratia eſt.
Erot. Cur igitur tibi me juſſiſti coquere dudum prandium?
Men. Egone te juſſi coquere? *Erot.* Certo tibi & paraſito tuo.
Men. Quoi, malum, paraſito? certo hæc mulier non ſana eſt ſatis.
Erot. Peniculo. *Men.* Quis iſte eſt Peniculus? qui extergentur baxeæ?
Erot. Scilicet qui dudum tecum venit, quom pallam mihi
Detuliſti, quam ab uxore tua ſurripuiſti. *Men.* Quid eſt?
Tibi pallam dedi, quam uxori meæ ſurripui? ſanan' es?
Certe hæc mulier cantherino ritu aſtans ſomniat.
Erot. Qui lubet ludibrio habere me, atque ire inficias mihi,
Facta quæ ſunt? *Men.* Dic quid eſt id, quod negem, quod fecerim?
Erot. Pallam te hodie mihi dediſſe uxoris. *Men.* Etiam nunc nego.
Ego quidem neque umquam uxorem habui, neque habeo: neque huc
Umquam, poſtquam natus ſum, intra portam penetravi pedem.
Prandi in navi. inde huc egreſſus ſum. te conveni. *Erot.* Eccere,
Perii miſera! quam tu nunc mihi navem narras? *Men.* Ligneam,
Sæpe tritam, ſæpe fixam, ſæpe excuſſam malleo,
Quaſi ſupellex pellionis, palus palo proxumus eſt.
Erot. Jam me, amabo, deſine ludos facere, atque i hac mecum ſimul.
Men. Neſcio quem, mulier, alium hominem, non me, quæritas.
Erot. Non ego te novi Menæchmum, Moſcho prognatum patre?
Qui Syracuſis perhibere natus eſſe in Sicilia,
Ubi Rex Agathocles regnator fuit, & iterum Pinthia:
Tertium Liparo, qui in morte regnum Hieroni tradidit.
Nunc Hiero eſt. *Men.* Haud falſo, mulier, prædicas.
Meſ. Pro Juppiter!
Num iſtæc mulier illinc venit, quæ te novit tam cate?
Men. Hercle opinor pernegari non poteſt. *Meſ.* Ne feceris.
Periſti, ſi intraſſis intra limen. *Men.* Quin tace modo:
Bene res geritur: aſſentabor, quidquid dicet, mulieri,
Si poſſim hoſpitium nanciſci. Jamdudum, mulier, tibi
Non imprudens advorſabar: hunc metuebam, ne meæ
Uxori renunciaret de palla & de prandio.
Nunc, quando vis, eamus intro. *Erot.* Etiam Paraſitum manes?
Men. Neque ego illum maneo, neque floccifacio: neque, ſi venerit,
Eum volo intromitti. *Erot.* Ecaſtor haud invita fecero.
Sed ſcin' quid te amabo ut facias? *Men.* Impera quidvis modo.
Erot. Pallam illam, quam dudum dederas, ad Phrygionem ut deferas,
Ut reconcinnetur, atque ut opera addantur, quæ volo.
Men. Hercle quin tu recte dicis: eadem ignorabitur:
Ne uxor cognoſcat te habere, ſi in via conſpexerit.
Erot. Ergo mox auferto tecum, quando abibis. *Men.* Maxume.
Erot. Eamus intro. *Men.* Jam ſequar te. hunc volo etiam colloqui.
Eho Meſſenio, accede huc. *Meſ.* Quid negotii eſt?
Men. St! ſcire vis?
Meſ. Quid ergo? *Men.* Opu' ſt. *Meſ.* Quid opu'ſt? *Men.* Scio, ut me dices. *Meſ.* Tanto nequior.
Men. Habeo prædam, tantum incepi operis. i, quantum poteſt:
Abduc iſtos in tabernam actutum diverſoriam.
Tum facito ante Solis occaſum, ut venias advorſum mihi.
Meſ. Non tu iſtas meretrices noviſti, here? *Men.* Tace, inquam.
Mihi dolebit, non tibi, ſi quid ego ſtulte fecero.
Mulier hæc ſtulta atque inſcita eſt, quantum perſpexi modo.

Eſt,

Eſt hic præda nobis. *Meſ.* Peri. *Men.* Jamne abis?
Meſ. periit probe.
Ducit lembum dierectum navis prædatoria.
Sed ego inſcitus, qui hero me poſtulem moderarier;
Dicto me emit audientem, haud imperatorem ſibi.
Sequimini, ut, quod imperatum eſt, veniam advorſum tempori.

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

Peniculus.

PLus triginta natus annis ſum, quom interea loci
Numquam quidquam facinus feci pejus, neque ſceleſtius,
Quam hodie, quom in concionem mediam me immerſi miſer.
Ubi ego dum hieto, Menæchmus ſe ſubterduxit mihi,
Atque abiit ad amicam, credo, neque me voluit ducere.
Qui illum dii omnes perduint, qui primus commentus eſt
Concionem, hac reque homines occupatos occupat.
Non ad eam rem otioſos homines decuit deligi?
Qui niſi adſint, cum citentur, cenſus capiant illico.
Adfatim eſt hominum, in dies qui ſingulas eſcas edunt:
Quibus negotii nihil eſt: qui eſum neque vocantur, neque vocant.
Eos oportet concioni dare operam atque comitiis.
Si id ita eſſet, non ego hodie perdidiſſem prandium.
Cui tam credo datum voluiſſe, quam me video vivere.
Ibo. etiamnum reliquiarum ſpes animum oblectat meum.
Sed quid ego video Menæchmum? cum corona exit foras.
Sublatum eſt convivium: edepol venio advorſum temperi.

ACTUS III. SCENA II.

Menæchmus Soſicles, Peniculus.

POti'ne ut quieſcas, ſi ego tibi hanc hodie probe
Lepideque concinnatam referam temperi?
Non faxo eam eſſe dices: ita ignorabitur.
Pen. Pallam ad phrygionem fert, confecto prandio,
Vinoque expoto, paraſito excluſo foras.
Non hercle is ſum, qui ſum, niſi hanc injuriam,
Meque ultus pulchre fuero. obſervabo, quid agat,
Hominem. poſt adibo atque alloquar.
Men. Pro dii immortales, quoi homini umquam uno die
Boni dediſtis plus, qui minus ſperaverit!
Prandi, potavi, ſcortum accubui, abſtuli
Hanc, quojus hæres numquam erit poſt hunc diem.
Pen. Nequeo, quæ loquitur, exaudire, clanculum:
Satur nunc loquitur de me & de parti mea.
Men. Ait hanc dediſſe me ſibi, atque eam meæ
Uxori ſurripuiſſe. quoniam ſentio
Errare; extemplo, quaſi res cum ea eſſet mihi,
Cœpi aſſentari. mulier quidquid dixerat,
Idem ego dicebam. quid multis verbis *opu'ſt?*
Minore nuſquam bene fui diſpendio.
Pen. Adibo ad hominem: nam turbare geſtio.
Men. Quis hic eſt, qui advorſum fit mihi? *Pen.* Quid ais, homo
Levior quam pluma, peſſume & nequiſſume,
Flagitium hominis, ſubdole, ac minimi pretii?
Quid de te merui, qua me cauſſa perderes?
Ut ſurripuiſti te mihi dudum de foro!
Feciſti funus, me abſenti, prandio.
Cur auſu's facere, quoi ego æque ac hæres eram?
Men. Adoleſcens, quæſo, quid tibi mecum eſt rei,
Qui mihi male dicas homini ignoto inſciens?
An tibi malam rem vis pro maledictis dari
Poſtea? *Pen.* Eam quidem edepol te dediſſe intellego.
Men. Reſponde, adoleſcens, quæſo, quid tibi nomen eſt?
Pen. Etiam derides, quaſi nomen non noveris?
Men. Non edepol ego te, quod ſciam, umquam ante hunc diem
Vidi, neque novi. verum certo quiſquis es,
Æquom ſi facias, mihi odioſus ne ſies.
Pen. Non me noviſti? *Men.* Non negem, ſi noverim.
Pen. Menæchme, vigila. *Men.* Vigilo hercle equidem, quod ſciam.
Pen. Tuum paraſitum non noviſti? *Men.* Non tibi
Sanum eſt, adoleſcens, ſinciput, ut intellego.
Pen. Reſponde, ſurripuiſtin' uxori tuæ
Pallam iſtanc hodie, atque dediſti Erotio?
Men. Neque hercle ego uxorem habeo, neque ego Erotio
Dedi, nec pallam ſurripui. *Pen.* Satin' ſanus es?
Occiſa eſt hæc res. non ego te indutum foras
Exire vidi palla? *Men.* Væ capiti tuo!
Omnes cinædos eſſe cenſes, tu quia es.
Tun' me indutum fuiſſe pallam prædicas?
Pen. Ego hercle vero. *Men.* Non tu abis quo dignus es?
Aut te piari jubes, homo inſaniſſume?
Pen. Numquam edepol me quiſquam exorabit, quin tuæ
Uxori rem omnem jam, uti ſit geſta, eloquar.
Omnes in te iſtæc recident contumeliæ:
Faxo haud inultum prandium comederis.
Men, Quid hoc negotii eſt? ſatin' ut quemque conſpicor,
Ita me ludificant? ſed concrepuit oſtium.

ACTUS III. SCENA III.

Ancilla, Menæchmus Soſicles.

MEnæchme, amare ait te multum Erotium,
Ut hoc una opera ad aurificem deferas,
Atque huic ut addas auri pondo unciam,
Jubeaſque ſpinther novum reconcinnarier.
Men. Et iſtud, & aliud, ſi quid curari volet,
Me curaturum dicito, quidquid volet.
Anc. Scin' quod hoc ſit ſpinther? *Men.* Neſcio, niſi aureum.
Anc. Hoc eſt, quod olim clanculum ex armario
Te ſurripuiſſe ajebas uxori tuæ.
Men. Numquam hercle factum eſt. *Anc.* Non meminiſti, obſecro?
Redde igitur ſpinther, ſi non meminiſti. *Men.* Mane,
Immo equidem memini. nempe hoc eſt, quod illi dedi.
Anc. Iſtuc. *Men.* Ubi illæ armillæ ſunt, quas una dedi?
Anc. Numquam dediſti. *Men.* Nam pol hoc una dedi.

Anc. Dicam curare? *Men.* Dicito: curabitur.
Et palla & ſpinther ſaxo referantur ſimul.
Anc. Amabo, mi Menæchme, inaureis da mihi
Faciundas pondo duum nummum ſtalagmia,
Ut te libenter videam, cum ad nos veneris.
Men. Fiat. cedo aurum, ego manupretium dabo.
Anc. Da ſodes abs te, poſt ego reddidero tibi.
Men. Immo cedo abs te. *Anc.* Ego poſt tibi reddam duplex.
Men. Non habeo. *Anc.* At tu, quando habebis, tum dato.
Numquid me vis? *Men.* Hæc me curaturum dicito,
Ut, quantum poſſint, quamque liceat, veneant.
Jamne abiit intro? abiit, operuit fores.
Di me equidem omnes adjuvant, augent, amant.
Sed quid ego ceſſo, dum datur mihi occaſio
Tempuſque, abire ab his locis lenoniis?
Propera, Menæchme, fer pedem, confer gradum.
Demam coronam, atque abjiciam ad lævam manum.
Ut, ſi qui ſequatur, hac me abiiſſe cenſeant.
Ibo & conveniam ſervom, ſi potero, meum,
Ut hæc, quæ bona dant dii mihi, ex me ſciat.

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

Mulier, Peniculus.

EGone hic me patiar in matrimonio,
Ubi vir compilet clanculum quidquid domi eſt,
Atque ad amicam deferat? *Pen.* Quin tu taces?
Manifeſto faxo jam opprimes. ſequere hac modo.
Pallam ad phrygionem cum corona ebrius
Ferebat, hodie tibi quam ſurripuit domo.
Sed eccam coronam, quam habuit. num mentior?
Hem! hac abiit, ſi vis perſequi veſtigiis.
Atque edepol eccum optume revortitur:
Sed pallam non fert. *Mul.* Quid ego nunc cum illoc agam?
Pen. Idem quod ſemper. male habeas. *Mul.* Sic cenſeo.
Pen. Huc concedamus: ex inſidiis aucupa.

ACTUS IV. SCENA II.

Menæchmus ſurreptus, Mulier, Peniculus.

UT hoc utimur maxume more moro
Moleſtoque multum! atque uti quique ſunt
Optumi maxumi, morem habent hunc:
Clienteis ſibi omnes volunt eſſe multos:
Bonine an mali ſint, id haud quæritant.
Res magis quæritur quam clientium
Fides quojuſmodi clueat.
Si eſt pauper atque haud malus, nequam habetur:
Si dives malus eſt, is cliens frugi habetur.
Qui neque leges, neque æquom bonum uſquam
Colunt, ſollicitos patronos habent.
Datum denegant, quod datum eſt; litium
Pleni, rapaces, viri fraudulenti:
Qui aut fœnore, aut perjuriis habent rem
Paratam. mens eſt in querelis.
Juris ubi dicitur dies, ſimul
Patronis dicitur: quippe qui pro illis
Loquantur, male quæ fecerint: aut ad
Populum, aut in Jure, aut ad judicem res eſt.
Sicut me hodie nimis ſollicitum cliens
Quidam habuit: neque quod volui agere, quidquam
Licitum eſt: ita me attinuit, ita me detinuit.
Apud ædiles prœliis factis plurimiſque
Peſſumiſque dixi cauſſam. conditiones
Tetuli tortas, confragoſas: aut plus
Aut minus, quam opus erat multo, dixeram
Controverſiam, uti ſponſio fieret.
Quid ille? quid? prædem dedit nec magis.
Manifeſtum ego hominem umquam ullum teneri vidi.
Omnibus malefactis teſtes tres aderant acerrumi.
Di illum omnes perdant, (ita mihi hunc hodie corrupit diem)
Meque adeo, qui hodie forum umquam oculis inſpexi meis.
Diem corrupi. optumum juſſi apparari prandium.
Amica exſpectat me, ſcio. ubi primum eſt licitum, illico
Properavi abire de foro. irata eſt, credo, nunc mihi.
Placabit palla, quam dedi, quam hodie uxori abſtuli, atque huic
Detuli Erotio. *Pen.* Quid ais? *Mul.* Viro me malo male
Nuptam. *Pen.* Satin' audis, quæ illic loquitur?
Mul. Satis. *Men.* Si ſapiam,
Hinc intro abeam, ubi mihi bene ſit. *Mul.* Mane: male potius erit.
Næ illam mecaſtor fœnerato abſtuliſti. ſic datur.
Clanculum iſtæc flagitia facere cenſebas poteſſe?
Men. Quid illuc eſt, uxor, negotii? *Mul.* Men' rogas? *Men.* Vin' hunc rogem?
Pen. Aufer hinc palpationes. perge tu. *Men.* Quid tu mihi
Triſtis es? *Mul.* Te ſcire oportet. *Pen.* Scit, ſed diſſimulat malus.
Men. Quid negotii eſt? *Mul.* Pallam. *Men.* Pallam?
Mul. Quidam pallam. *Pen.* Quid paves?
Men. Nihil equidem paveo, niſi unum: palla pallorem incutit.
Pen. At tu ne clam me comeſſes prandium! perge in virum.
Men. Non taces? *Pen.* Non hercle vero taceo. nutat, ne loquar.
Men. Non hercle ego quidem uſquam quidquam nuto, neque nicto tibi.
Mul. Næ ego mecaſtor mulier miſera! *Men.* Qui tu miſera es? mihi expedi.
Pen. Nihil hoc confidentius, qui, quæ vides, ea pernegat.
Men. Per Jovem deoſque omnes adjuro, uxor, (ſatin' hoc eſt tibi?)
Me iſti non nutaſſe. *Pen.* Credit jam tibi de iſtis: illuc redi.
Men. Quo ego redeam? *Pen.* Equidem ad phrygionem, cenſeo. i, pallam refer.
Men. Quæ iſtæc palla eſt? *Mul.* Taceo jam, quando hic rem non meminit ſuam.
Men. Numquis ſervorum deliquit? num ancillæ, aut ſervi tibi
Reſponſant? eloquere. impune non erit. *Pen.* Nugas agis.
Men. Triſtis admodum es: non mihi iſtuc ſatis placet. *Pen.* Nugas agis.
Men. Cæterum familiarium alicui irata es? *Pen.* Nugas agis.

Men.

Men. Num mihi es irata ſaltem? *Pen.* Nunc tu non nugas agis.
Men. Non edepol deliqui quidquam. *Pen.* Hem rurſum nunc nugas agis.
Men. Dic, mea uxor, quid tibi ægre eſt? *Pen.* Bellus blanditur tibi.
Men. Potin' ut mihi moleſtus ne ſis? num te appello? *Mul.* Aufer manum.
Pen. Sic datur. properato abſente me comeſſe prandium:
Poſt ante ædeis cum corona me derideto ebrius.
Men. Neque edepol ego prandi, neque hodie huc intro tetuli pedem.
Pen. Tun' negas? *Men.* Nego hercle vero. *Pen.* Nihil hoc homine audacius.
Non ego te modo hic ante ædeis cum corona florea
Vidi aſtare? cum negabas mihi eſſe ſanum ſinciput:
Et negabas me noviſſe: peregrinum ajebas eſſe te.
Men. Quin ut dudum divorti abs te, redeo nunc demum domum.
Pen. Novi ego te. non mihi cenſebas eſſe, qui te ulciſcerer.
Omnia her 'le uxori dixi. *Men.* Quid dixiſti? *Pen.* Neſcio:
Eam ipſus roga. *Men.* Quid hoc eſt, uxor? quid nam hic narravit tibi?
Quid id eſt? quid taces? quin dicis, quid ſit? *Mul.* Quaſi tu neſcias.
Palla mihi eſt domo ſurrepta. *Men.* Palla ſurrepta eſt tibi?
Mul. Me rogas? *Men.* Pol haud rogem te, ſi ſciam. *Pen.* O hominem malum!
Ut diſſimulat! non potes celare: rem novi probe:
Omnia hercle ego edictavi. *Men.* Quid id eſt? *Mul.* Quando nihil pudet,
Neque vis tua voluntate ipſe profiteri, audi, atque ades:
Et quid triſtis, & quid hic mihi dixerit, faxo ſcias.
Palla eſt mihi domo ſurrepta. *Men.* Palla ſurrepta eſt tibi?
Pen. Viden' uti ſceleſtus captat! huic ſurrepta eſt, non tibi.
Nam profecto tibi ſurrepta ſi eſſet, ſalva nunc foret.
Men. Nihil mihi tecum eſt. ſed quid tu ais? *Mul.* Palla, inquam, periit domo.
Men. Quis eam ſurripuit? *Mul.* Pol iſtuc ille ſcit, qui illam abſtulit.
Men. Quis hic homo eſt? *Mul.* Menæchmus quidam. *Men.* Edepol factum nequiter.
Quis is Menæchmus eſt? *Mul.* Tu iſtic, inquam. *Men.* Egone? *Mul.* Tu! *Men.* Quis arguit?
Mul. Egomet. *Pen.* Et ego. atque huic amicæ detuliſti Erotio.
Men. Egon' dedi? *Pen.* Tu, tu iſtic, inquam. vin' afferi noctuam,
Quæ, Tu, Tu, uſque dicat tibi? nam nos jam nos defeſſi ſumus.
Men. Per Jovem deoſque omnes adjuro, uxor; ſatin' hoc eſt tibi?
Non dediſſe. *Pen.* Immo hercle vero, nos non falſum dicere.
Men. Sed ego illam non condonavi, ſed ſic utendam dedi.
Mul. Equidem ecaſtor tuam nec chlamydem do foras, nec pallium
Quoiquam utendum. mulierem æquom eſt veſtimentum muliebre
Dare foras, virum virile. quin refers pallam domum?
Men. Ego faxo referetur. *Mul.* Ex re tua, ut opinor, feceris.
Nam domum numquam introibis, niſi feres pallam ſimul.
Men. Ego domum? *Pen.* Quid mihi futurum eſt, qui tibi hanc operam dedi?
Mul. Opera reddetur, quando quid tibi erit ſurreptum domo.
Pen. Id quidem edepol numquam erit. nam nihil eſt, quod perdam, domi.
Cum virum, cum uxorem, dii vos perdant. properabo ad forum:
Nam ex hac familia me plane excidiſſe intellego.
Men. Male mihi uxor ſeſe feciſſe cenſet, quom excludit foras;
Quaſi non habeam, quo intromittar, alium meliorem locum.
Si tibi diſpliceo, patiundum: at placuero huic Erotio,
Quæ me non excludet ab ſe, ſed apud ſe occludet domi.
Nunc ibo. orabo, ut mihi pallam reddat, quam dudum dedi.
Aliam illi redimam meliorem. heus! ecquis hic eſt janitor?
Aperite, atque Erotium aliquis evocate ante oſtium.

ACTUS IV. SCENA III.

Erotium, Menæchmus ſurreptus.

QUis hic me quærit? *Men.* Sibi inimicus magis quam ætati tuæ.
Erot. Mi Menæchme, cur ante ædeis aſtas? ſequere intro. *Men.* Mane.
Scin' quid eſt, quod ego ad te venio? *Erot.* Scio, ut tibi ex me ſit volup.
Men. Immo edepol pallam illam, amabo te, quam tibi dudum dedi,
Mihi eam redde. uxor reſcivit rem omnem, ut factum eſt ordine.
Ego tibi redimam bis tanto pluris pallam, quam voles.
Erot. Tibi dedi equidem illam, ad phrygionem ut ferres, paullo prius:
Et illud ſpinther, ut ad aurificem ferres, ut fieret novom.
Men. Mihi ut dederis pallam, & ſpinther? numquam factum reperies.
Nam ego quidem poſtquam illam dudum tibi dedi, atque abii ad forum,
Nunc redeo, nunc te poſtilla video. *Erot.* Video quam rem agis.
Quia commiſi, ut me defrudes: ad eam rem affectas viam.
Men. Neque edepol te defraudandi cauſſa poſco: quin tibi
Dico, uxorem reſciviſſe. *Erot.* Nec te ultro oravi ut dares.
Tute ultro ad me detuliſti, dediſti eam dono mihi:
Eamdem nunc repoſcis. patiar, tibi habe, aufer, utere,
Vel tu, vel tua uxor, vel etiam in oculos compingite.
Tu huc, poſt hunc diem, pedem intro non feres, ne fruſtra ſis,
Quando tu me bene merentem tibi habes deſpicatui.
Niſi feres argentum, fruſtra me ductare non potes.
Aliam poſthac invenito, quam tu habeas fruſtratui.
Men. Nimis iracunde hercle tandem. heus tu, tibi dico, mane:
Redi. *Erot.* Etiamne aſtas? etiam audes mea revorti gratia?
Men. Abiit intro, occluſit ædeis. nunc ego ſum excluſiſſumus:
Neque domi, neque apud amicam mihi jam quidquam creditur.
Ibo, & conſulam hanc rem amicos, quid faciundum cenſeant.

ACTUS

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

Menæchmus, Mulier.

Nimis ſtulte dudum feci, cum marſupium
Meſſenioni cum argento concredidi.
Immerſit aliquo ſeſe credo in ganeum.
Mul. Proviſam, quam mox vir meus redeat domum.
Sed eccum video: ſalva ſum, pallam refert.
Men. Demiror, ubi nunc ambulet Meſſenio.
Mul. Adibo, atque hominem accipiam, quibus dictis meret.
Non te pudet prodire in conſpectum meum,
Flagitium hominis, cum iſtoc ornatu? *Men.* quid eſt?
Quæ res agitat te, mulier? *Mul.* Etiamne, impudens,
Muttire unum verbum audes, aut mecum loqui?
Men. Quid tandem admiſi in me, ut loqui non audeam?
Mul. Rogas me? o hominis impudentem audaciam!
Men. Non tu ſcis mulier, Hecubam quapropter canem
Graji eſſe prædicabant? *Mul.* Non equidem ſcio.
Men. Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis:
Omnia mala ingerebat, quemquem aſpexerat,
Itaque adeo jure cœpta appellari eſt Canis.
Mul. Non iſtæc ego flagitia poſſum perpeti.
Nam med ætatem viduam eſſe mavelim,
Quam iſtæc flagitia tua pati, quæ tu facis.
Men. Quid id ad me, tu te nuptam poſſis perpeti,
An ſis abitura a tuo viro? an mos eſt ita hic,
Peregrino ut advenienti narrent fabulas?
Mul. Quas fabulas? non, inquam, patiar præterhac,
Quin vidua vivam, quam tuos mores perferam.
Mel. Mea quidem hercle cauſſa vidua vivito,
Vel uſque dum regnum obtinebit Juppiter.
Mul. At mihi negabas dudum ſurripuiſſe te,
Nunc eamdem ante oculos attines. non te pudet?
Men. Heu hercle, mulier, multum & audax & mala es.
Tun' tibi hanc ſurreptam dicere audes, quam mihi
Dedit alia mulier, ut concinnandam darem?
Mul. Næ iſtuc mecaſtor jam patrem arceſſam meum,
Atque ei narrabo tua flagitia, quæ facis.
I, Decio, quære meum patrem, tecum ſimul
Ut veniat ad me: ita rem eſſe dicito.
Jam ego aperiam iſtæc tua flagitia. *Men.* Sanan'es?
Quæ mea flagitia? *Mul.* Cum pallam atque aurum meum
Domo ſuppilas uxori tuæ, & tuæ
Degeris amicæ. ſatin' hæc recte fabulor?
Men. Quæſo hercle, mulier, ſi ſcis, monſtra, quod bibam,
Tuam qui poſſim perpeti petulantiam.
Quem tu hominem me arbitrare, neſcio.
Ego te ſimitu novi cum Parthaone.
Mul. Si me derides, at pol illum non potes,
Patrem meum, qui huc advenit. quin reſpicis?
Noviſtin' tu illum? *Men.* Novi cum Calcha ſimul:
Eodem die vidi illum, quo te ante hunc diem.
Mul. Negas noviſſe me? negas patrem meum?
Men. Idem hercle dicam, ſi avom vis adducere.
Mul. Ecaſtor pariter hoc, atque alias res ſoles.

ACTUS V. SCENA II.

Senex, Mulier, Menæchmus Soſicles.

Ut ætas mea eſt, atque ut hoc uſus facto eſt,
Gradum proferam, progredi properabo.
Sed id quam facile ſit mihi, haud ſum falſus.
Nam pernicitas deſerit: conſitus ſum
Senectute: onuſtum gero corpus; vires
Reliquere. ut ætas mala, merx mala eſt tergo!
Nam res plurimas peſſumas, cum advenit, affert:
Quas ſi autumem omneis, nimis longus ſermo ſit.
Sed hæc res mihi in pectore & corde dura eſt,
Quidnam hoc ſit negotii, quod filia ſic
Repente expetit me, ut ad ſeſe irem.
Nec, quid id ſit, mihi certius facit,
Quid velit, quid me arceſſat.
Verum propemodum jam ſcio quid ſiet rei.
Credo cum viro litigium natum eſſe aliquod.
Ita iſtæc ſolent, quæ viros ſubſervire
Sibi poſtulant, dote fretæ, feroces.
Et illi quoque haud abſtinent ſæpe culpa.
Verum eſt modus tamen, quoad pati uxorem oportet.
Nec pol filia umquam patrem arceſſit ad ſe,
Niſi aut quid commiſſi, aut jurgii eſt cauſſa.
Sed quidquid id eſt, jam ſciam. atque eccam eampſe
Ante ædeis, & ejus triſtem virum video.
Id eſt, quod ſuſpicabar.
Appellabo hanc. *Mul.* Ibo advorſum. ſalve multum, mi pater.
Sen. Salva ſis. ſalven' advenio? ſalven' arceſſi jubes?
Quid tu triſtis es? quid ille autem abs te iratus deſtitit?
Neſcio quid vos velitati eſtis inter vos duos.
Loquere, uter meruiſtis culpam, paucis: non longos logos.
Mul. Nuſquam equidem quidquam deliqui: hoc primum abſolvo, pater.
Verum vivere hic non poſſum, neque durare ullo modo.
Proin tu me hinc abducas. *Sen.* Quid iſtuc autem eſt? *Mul.* Ludibrio, pater,
Habeor. *Sen.* Unde? *Mul.* Ab illo, quoi me mandaviſti, meo viro.
Sen. Ecce autem litigium. quoties edixi tandem tibi,
Ut caveres, neuter ad me iretis cum querimonia?
Mul. Qui ego iſtuc, mi pater, cavere poſſum? *Sen.* Men' interrogas?
Mul. Niſi non vis. *Sen.* Quoties monſtravi tibi, viro ut morem geras?
Quid ille faciat, ne id obſerves: quo eat: quid rerum gerat.
Mul. At enim ille hinc amat meretricem ex proxumo. *Sen.* Sane ſapit.
Atque ob iſtanc induſtriam, etiam faxo amabit amplius.
Mul. Atque ibi potat. *Sen.* Tua quidem ille cauſſa potabit minus,
Sive illic, ſive alibi libebit? quæ hæc, malum, impudentia eſt?
Una opera prohibere, ad cœnam ne promittat, poſtules:
Neve quemquam accipiat alienum apud te. ſerviren' tibi
Poſtulas viros? dare una opera penſum poſtules;

Inter ancillas ſedere jubeas, lanam carere.
Mul. Non equidem mihi te advocatum, pater, adduxi, ſed viro.
Hinc ſtas, illinc cauſam dicis. *Sen.* Si ille quid deliquerit,
Multo tanto illum accuſabo, quam te accuſavi, amplius.
Quando te auratam & veſtitam bene habet: ancillas, penum,
Recte præhibet: melius ſanam eſt, mulier, mentem ſumere.
Mul. At ille ſuppilat mihi aurum & pallam ex arcis modo:
Me deſpoliat, mea ornamenta clam me ad meretrices degerit.
Sen. Male facit, ſi iſtuc facit: ſi non facit, tu male facis,
Quæ inſontem inſimules. *Mul.* Quin etiam nunc habet pallam, pater,
Et ſpinther, quod ad hanc detulerat: nunc, quia reſcivi, refert.
Sen. Jam ego ex hoc, ut factum eſt, ſcibo: ibo ad hominem, atque alloquar.
Dic mihi iſtuc, Menæchme, quod vos diſſertatis, ut ſciam.
Quid tu triſtis es? quid illam autem iratam abs te deſtituis?
Men. Quiſquis es, quidquid tibi nomen eſt, ſenex, ſummum Jovem
Deoſque deteſtor. *Sen.* Qua de re, aut quojus rei rerum omnium?
Men. Me neque iſti male feciſſe mulieri, quæ me arguit
Hanc domo ab ſe ſurripuiſſe, atque abſtuliſſe dejerat.
Si ego intra ædeis hujus umquam, ubi habitat, penetravi *pedem*,
Omnium hominum exopto ut fiam miſerorum miſerrumus.
Sen. Sanun' es, qui iſtuc exoptes, aut neges te umquam pedem
In eas ædes intuliſſe, ubi habitas, inſaniſſume?
Men. Tun', ſenex, ais habitare med in illiſce ædibus?
Sen. Tu negas? *Men.* Nego hercle vero. *Mul.* *Nimio hæc impudenter* negas.
Niſi quo nocte hac emigraſti. *Sen.* Concede hac, filia.
Quid tu ais? num hinc emigraſti? *Men.* Quem in in locum, aut ob rem, obſecro?
Sen. Non edepol ſcio. *Mul.* Profecto ludit te hic. *Sen.* Non tu te tenes?
Jam vero, Menæchme, ſatis jocatus es. nunc hanc rem age.
Men. Quæſo, quid mihi tecum eſt? unde, aut quis tu homo es? *quid feci ego*
Tibi, aut adeo iſti, quæ mihi moleſta eſt quoquo modo?
Mul. Viden' tu illi oculos virere? ut viridis exoritur colos
Ex temporibus atque fronte! ut oculi ſcintillant! vide.
Men. Quid mihi melius eſt, quam quando illi me inſanire prædicant,
Ego me aſſimulem inſanire, ut illos a me abſterream?
Mul. Ut pandiculans oſcitatur! quid nunc faciam, mi pater?
Sen. Concede huc, mea nata, ab iſtoc quam potes longiſſume.
Mul. Evoe, Evie, Bromie, quo me in ſilvam venatum vocas?
Audio: ſed non abire poſſum ab his regionibus:
Ita illa me ab læva rabioſa femina adſervat canis.
Poſt autem illic hircus alius, qui ſæpe ætate in ſua
Perdidit civem innocentem falſo teſtimonio.
Sen. Væ capiti tuo! *Men.* Ecce Apollo mihi ex oraculo imperat,
Ut ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus.
Mul. Perii, mi pater: minatur mihi oculos exurere.
Men. Hei mihi, inſanire me ajunt, ultro cum ipſi inſaniunt.
Sen. Filia, heus. *Mul.* Quid eſt? quid agimus? *Sen.* Quid ſi ego huc ſervos cito?
Ibo, adducam, qui hunc hinc tollant, & domi devinciant,
Priuſquam turbarum quid faciat amplius. *Men.* Enimvero, niſi
Occupo aliquid mihi conſilium, hi domum me ad ſe auferent.
Pugnis me vetas in hujus ore quidquam parcere?
Ni jam ex meis oculis abſcedat in malam magnam crucem,
Faciam, quod jubes, Apollo. *Sen.* Fuge domum, quantum pote'ſt,
Ne hic te obtundat. *Mul.* Fugio. amabo, adſerva iſtunc, mi pater,
Ne quo hinc abeat. ſumne ego mulier miſera, quæ illæc audio!
Men. Haud male illanc amovi. nunc hunc impuriſſumum,
Barbatum, tremulum, Tithonum, Cygno prognatum patre:
Ita mihi imperas, ut ego hujus membra, atque oſſa, atque artua
Comminuam illo ſcipione, quem ipſe habet. *Sen.* Dabitur malum,
Me quidem ſi attigeris, aut ſi propius ad me acceſſeris.
Men. Faciam quod jubes; ſecurim capiam ancipitem, atque hunc ſenem
Exoſſabo, dein dedolabo aſſulatim viſcera.
Sen. Enimvero illud præcavendum eſt, atque accurandum mihi;
Sane ego illum metuo, ut minatur, ne quid male faxit mihi.
Men. Multa mihi imperas, Apollo: nunc equos junctos jubes
Capere me indomitos, feroces: atque in currum inſcendere,
Ut ego hunc proteram leonem Getulum, olentem, edentulum.
Jam adſtiti in currum: jam lora teneo: jam ſtimulum in manu eſt.
Agite equi, facitote ſonitus ungularum appareant
Curſu celeri: facite inflexa ſit pedum pernicitas.
Sen. Mihin' equis junctis minare? *Men.* Ecce, Apollo, denuo
Me jubes facere impetum in eum, qui ſtat, atque occidere.
Sed quis hic eſt, qui me capillo hinc de curru deripit?
Imperium tuum demutat, atque dictum Apollinis.
Sen. Heu hercle morbum acrem ac durum! dii voſtram fidem!
Vel hic qui inſanit, quam valuit paullo prius!
Ei derepente tantus morbus incidit.
Ibo, atque arceſſam medicum jam, quantum poteſt.

ACTUS

ACTUS V. SCENA III.

Menæchmus, *Senex*.

JAmne iſti abierunt, quæſo, ex conſpectu meo,
Qui me vi cogunt, ut validus inſaniam?
Quid ceſſo abire ad navem, dum ſalvo licet?
Voſque omnes quæſo, ſi ſenex reveneritt,
Ne me indicetis, qua platea hinc aufugerim.
Sen. Lumbi ſedendo, oculi ſpectando dolent,
Manendo medicum, dum ſe ex opere recipiat.
Odioſus tandem vix ab ægrotis venit.
Ait ſe obligaſſe crus fractum Æſculapio,
Apollini autem brachium. nunc cogito,
Utrum me dicam ducere medicum, an fabrum.
Atque eccum incedit. move formicinum gradum.

ACTUS V. SCENA IV.

Medicus, *Senex*.

QUid eſſet illi morbi, dixeras? narra, ſenex.
Num laruatus, aut cerritus? fac ſciam.
Num eum veternus, aut aqua intercus tenet?
Sen. Quin ea te cauſſa duco, ut id dicas mihi,
Atque illum ut ſanum facias. *Med.* Perfacile id quidem eſt.
Sanum futurum, mea ego id promitto fide.
Sen. Magna cum cura ego illum curari volo.
Med. Quin ſuſpirabo plus ſexcenties in die:
Ita ego illum cum cura magna curabo tibi.
Sen. Atque eccum ipſum hominem. *Med.* Obſervemus, quam rem agat.

ACTUS V. SCENA V.

Menæchmus ſurreptus, *Senex*, *Medicus*.

EDepol næ hic dies pervorſus atque advorſus mihi obtigit:
Quæ me clam ratus ſum facere, ea omnia fecit palam
Paraſitus, qui me complevit flagitii & formidinis:
Meus Ulyſſes, ſuo qui regi tantum concivit mali.
Quem ego hominem, ſi quidem vivo, vita devolvam ſua.
Sed ego ſtultus ſum, qui illius eſſe dico, quæ mea ſit.
Meo cibo & ſumtu educatus eſt: anima privabo virum.
Condigne autem hæc meretrix fecit, ut mos eſt meretricius.
Quia rogo pallam, ut referatur rurſum ad uxorem meam,
Mihi ſe ait dediſſe. heu edepol, næ ego homo vivo miſer.
Sen. Audin' quæ loquitur? *Med.* Se miſerum prædicat. *Sen.* Adeas velim.
Med. Salvos ſis, Menæchme. quæſo cur apertas brachium?
Non tu ſcis, quantum iſti morbo nunc tuo facias mali.
Men. Quin tu te ſuſpendis? *Med.* Ecquid ſentis? *Men.* Quid ni ſentiam?
Med. Non poteſt hæc res ellebori jugere obtinerier.
Sed quid ais, Menæchme? *Men.* Quid vis? *Med.* Dic mihi hoc, quod te rogo:
Album, an atrum vinum potas? *Men.* Quin tu is in malam crucem.
Sen. Jam hercle occeptat inſanire primulum. *Men.* Quin tu me interrogas,
Purpureum panem, an puniceum ſoleam ego eſſe, an luteum?
Soleamne eſſe avis ſquamoſas, piſcis pennatos? *Sen.* Papæ!
Audin' tu, ut deliramenta loquitur? quid ceſſas dare
Potionis aliquid, priuſquam percipit inſania?
Med. Mane modo: etiam percontabor. *Sen.* Alia occidis fabula.
Med. Dic mihi hoc: ſolent tibi umquam oculi duri fieri?
Men. Quid? tu me locuſtam cenſes eſſe, homo ignaviſſume?
Med. Dic mihi: en umquam tibi inteſtina crepant, quod ſentias?
Men. Ubi ſatur ſum, nulla crepitant: quando eſurio, tum crepant.
Med. Hoc quidem edepol haud pro inſano verbum reſpondit mihi.
Perdormiſcin' uſque ad lucem? facilen' tu dormis cubans?
Men. Perdormiſco, ſi reſolvi argentum, quoi debeo.
Qui te Juppiter dique omnes, percontator, perduint.
Med. Nunc homo inſanire occeptat. de illis verbis cave tibi.
Sen. Immo modeſtior nunc quidem eſt de verbis, præut dudum fuit.
Nam dudum uxorem ſuam eſſe ajebat rabioſam canem.
Men. Quid ego dixi? *Sen.* Inſanis, inquam. *Men.* Egone? *Sen.* Tu iſtic, qui mihi
Etiam me junctis quadrigis minitatu 's proſternere.
Egomet hæc te vidi facere, egomet hæc te arguo.
Men. At ego te ſacram coronam ſurripuiſſe ſcio Jovis.
Et ob eam rem in carcerem te d eſſe compactum ſcio.
Et poſtquam es emiſſus, cæſum virgis ſub furca ſcio.
Tum patrem occidiſſe, & matrem vendidiſſe, etiam ſcio.
Satin' hæc pro ſano maledicta maledictis reſpondeo?
Sen. Obſecro hercle, medice, propere, quidquid facturus, face.
Non vides hominem inſanire? *Med.* Scin' quid facias optumum?
Ad me face uti deferatur. *Sen.* Itan' cenſes? *Med.* Quippini?
Ibi meo arbitratu potero curare hominem. *Sen.* Age, ut lubet.
Med. Elleborum potabis faxo aliquos viginti dies.
Men. At ego te pendentem fodiam ſtimulis triginta dies.
Med. I, arceſſe homines, qui illunc ad me deferant. *Sen.* Quot ſunt ſatis?
Med. Proinde, ut inſanire video, quatuor: nihilo minus.
Sen. Jam hic erunt. aſſerva tu iſthunc, medice. *Med.* Immo ego ibo domum,
Ut parentur, quibus paratis opus eſt. tu ſervos jube hunc
Ad me ferant. *Sen.* Jam ego illic faxo erit. *Med.* Abeo. *Sen.* Vale.
Men. Abiit ſocerus: abiit Medicus. nunc ſolus ſum. pro Juppiter!
Quid illuc eſt, quod me hic homines inſanire prædicant!
Nam equidem poſtquam gnatus ſum, numquam ægrotavi unum diem.
Neque ego inſanio, neque pugnas, neque ego lites cœpio.

Salvos

Salvus ſalvos alios video: novi homines, alloquor.
An qui perperam inſanire me ajunt, ipſi inſaniunt?
Quid ego nunc faciam? domum ire cupio: at uxor non ſinit.
Huc autem nemo intromittit. nimis proventum eſt nequiter.
Hic ergo uſque ad noctem: ſaltem, credo, intromittar domum.

ACTUS V. SCENA VI.

Meſſenio.

SPectamen bono ſervo id eſt, qui rem herilem
Procurat, videt, collocat, cogitatque,
Ut abſente hero rem heri diligenter
Tutetur, quam ſi ipſe adſit, aut rectius.
Tergum quam gulam, crura quam ventrem oportet
Potiora eſſe, quoi cor modeſte ſitum eſt.
Recordetur id, qui nihili ſunt, quid iis pretii
Detur ab ſuis heris, ignavis, improbis
Viris; verbera, compedes, molæ, magna
Laſſitudo, fames, frigus durum.
Hæc pretia ſunt ignaviæ.
Id ego male malum metuo. propterea bonum
Eſſe certum eſt, potius quam malum. nam magis multo
Patior facilius verba. verbera ego odi.
Nimioque edo libentius molitum, quam
Molitum præhibeo. propterea heri imperium
Exſequor bene, & ſedate ſervio.
Atque id mihi prodeſt. alii, ſeſe ita ut in rem
Eſſe ducunt, ſint: ego ita ero, ut me eſſe oportet:
Metum ut mihi adhibeam; culpam abſtineam:
Hero ut omnibus in locis ſim præſto.
Servi, qui culpa carent, & metuunt; ii
Solent eſſe heris utibiles. nam illi, qui nihil
Metuunt, poſtquam malum promeritum eſt, metuunt.
Metuam haud multum. prope eſt, quando
Herus, quod ſtrenue faciam, pretium exſolvet.
Eo exemplo ſervio, tergi ut in rem eſſe arbitror.
Poſtquam in tabernam vaſa & ſervos collocavi, ut juſſerat,
Ita venio advorſum. nunc fores pultabo, adeſſe ut me ſciat.
Neque utrum ex hoc ſaltu damni ſalvom ſcio eliciam foras.
Sed metuo, ne ſero veniam, depugnato prœlio.

ACTUS V. SCENA VII.

Senex, Menæchmus ſurreptus, Lorarii, Meſſenio.

PEr ego vobis deos atque homines dico, ut imperium meum
Sapienter habeatis curæ, quæ imperavi atque impero,
Facite illic homo jam in medicinam ablatus ſublimis ſiet,
Niſi quidem vos voſtra crura aut latera nihili penditis.
Cave quiſquam, quod illic minitetur, voſtrum flocciſecerit.
Quid ſtatis? quid dubitatis? jam ſublimem raptum oportuit.
Ego ibo ad medicum: præſto ero illic, cum venietis. *Men.* Occidi!
Quid hoc eſt negotii? quid illic homines ad me currunt, obſecro?
Quid voltis vos? quid quæritatis? quid me circumſiſtitis?
Quo rapitis me? quo fertis me? perii! obſecro veſtram fidem:
Epidamnienſes ſubvenite cives. quin me mittitis?
Meſ. Pro di immortales, obſecro, quid ego oculis aſpicio meis?
Herum meum indigniſſume neſcio qui ſublimem ferunt.
Men. Ecquis ſuppetias mihi audet afferre? *Meſ.* Ego, here, audaciſſume.
O facinus indignum & malum, Epidamni cives, herum
Meum hic in pacato oppido
Luci deripier in via, qui liber ad vos venerit!
Mittite iſtunc. *Men.* Obſecro te, quiſquis es, operam ut des mihi,
Neu ſinas in me inſignite fieri tantam injuriam.
Meſ. Immo & operam dabo, & defendam, & ſubvenibo ſedulo.
Numquam te patiar perire: me perire eſt æquius.
Eripe oculum iſti, ab humero qui te tenet, here, te obſecro.
Hiſce ego jam ſementem in ore faciam, pugnoſque obſeram.
Maxumo hodie malo, hercle, voſtro iſtunc fertis. mittite.
Men. Teneo ego huic oculum. *Meſ.* Face, ut oculi locus in capite appareat.
Vos ſceleſti, vos rapaces, vos prædones. *Lor.* Periimus!
Obſecro hercle. *Meſ.* Mittite ergo. *Men.* Quid me vobis tactio eſt?
Pecte pugnis. *Meſ.* Agite, abite, fugite hinc in malam crucem.
Hem tibi etiam, quia poſtremus cedis, hoc præmii feres.
Nimis autem bene ora commentavi, atque ex mea ſententia.
Edepol, here, næ tibi ſuppetias tempore adveni modo!
Men. At tibi di ſemper, adoleſcens, quiſquis es, faciant bene.
Nam abſque ted eſſet, hodie numquam ad Solem occaſum viverem.
Meſ. Ergo edepol, ſi recte facias, here, me mittas manu.
Men. Liberem ego te? *Meſ.* Verum, quandoquidem, here, te ſervavi. *Men.* Quid eſt?
Adoleſcens, erras. *Meſ.* Quid, erro? *Men.* Per Jovem adjuro patrem,
Me herum tuum non eſſe. *Meſ.* Non taces? *Men.* Non mentior.
Nec meus ſervos umquam tale fecit, quale tu mihi.
Meſ. Sic ſine igitur, ſi tuum negas me eſſe, abire liberum.
Men. Mea quidem hercle cauſſa liber eſto, atque ito quo voles.
Meſ. Nempe jubes? *Men.* Jubeo hercle, ſi quid imperii eſt in te mihi.
Meſ. Salve, mi patrone. *Serv. alius.* cum tu liber es, Meſſenio,
Gaudeo. *Meſ.* Credo hercle vobis. ſed, patrone, te obſecro,
Ne minus imperes mihi, quam cum tuus ſervos fui.
Apud te habitabo, & quando ibis, una tecum ibo domum.
Men. Minime. *Meſ.* Nunc ibo in tabernam: vaſa & argentum tibi

Referam. recte eſt obſignatum in vidulo marſupium
Cum viatico: id tibi jam huc afferam. *Men.* Affer ſtrenue.
Meſ. Salvom tibi item ut mihi dediſti, redhibebo. hic me mane.
Men. Nimia mira mihi quidem hodie exorta ſunt miris modis.
Alii me negant eum eſſe qui ſum, atque excludunt foras.
Etiam hic ſervom eſſe ſe meum ajebat, quem ego emiſi manu.
Is ait ſe mihi allaturum cum argento marſupium.
Id ſi attulerit, dicam ut a me abeat liber quo volet:
Ne tum, quando ſuus factus ſit, a me argentum petat.
Socer & medicus me inſanire dicebant. quid ſit, mira ſunt.
Hæc nihilo mihi eſſe videntur ſecius, quam ſomnia.
Nunc ibo intro ad hanc meretricem: quamquam ſuccenſet mihi,
Si poſſum exorare, ut pallam reddat, quam referam domum.

ACTUS V. SCENA VIII.

Menæchmus Soſicles, Meſſenio.

MEn' hodie uſquam conveniſſe te, audax, audes dicere,
Poſtquam adverſum mihi imperavi ut huc venires? *Meſ.* Quin modo
Eripui, homines qui te ferebant ſublimem quatuor,
Apud haſce ædeis. tu clamabas deum fidem atque hominum omnium.
Quom ego accurro, teque eripio, vi pugnando, ingratiis.
Ob eam rem, quia te ſervavi, me amiſiſti liberum.
Quom argentum dixi me petere, & vaſa; tu, quantum pote 'ſt,
Præcucurriſti obviam, ut quæ feciſti, inficias eas.
Men. Liberum ego te juſſi abire? *Meſ.* Certo. *Men.* Quoi certiſſumum 'ſt,
Mepte potius fieri ſervom, quam te umquam emittam manu.

ACTUS V. SCENA IX.

Menæchmus ſurreptus, Meſſenio, Menæchmus Soſicles.

SI voltis per oculos jurare, nihilo hercle ea cauſſa magis
Facietis, ut ego hodie abſtulerim pallam & ſpinther, peſſumæ.
Meſ. Pro dii immortales! quid ego video? *Men. S.* Quid vides? *Meſ.* Speculum tuum.
Men. S. Quid negotii eſt? *Meſ.* Tua eſt imago: tam conſimilis eſt, quam poteſt.
Men. S. Pol profecto haud eſt diſſimilis, meam cum formam noſcito.
Men. ſ. O adoleſcens, ſalve, qui me ſervaviſti, quiſquis es.
Meſ. Adoleſcens, quæſo hercle loquere tuum mihi nomen, ni piget.
Men. ſ. Non edepol ita promeruiſti de me, ut pigeat, quæ velis.
Mihi eſt Menæchmus nomen. *Men. S.* Immo edepol mihi.
Men. ſ. Siculus ſum Syracuſanus. *Men. S.* Ea domus & patria eſt mihi.
Men. ſ. Quid ego ex te audio? *Men. S.* Hoc quod res eſt. *Meſ.* Novi equidem hunc. herus eſt meus.
Ego quidem hujus ſervos ſum, ſed me eſſe hujus credidi.
Ego hunc cenſebam eſſe te, huic etiam exhibui negotium.
Quæſo ignoſcas, ſi quid ſtulte dixi atque imprudens tibi.
Men. S. Delirare mihi videre. non commeminiſti ſimul
Te hodie mecum exire e navi? *Meſ.* Enimvero æquom poſtulas.
Tu herus es: tu ſervom quære: ſalveto tu: tu vale.
Hunc ego eſſe ajo Menæchmum. *Men. ſ.* At ego me. *Men. S.* Quæ hæc Fabula eſt!
Tu es Menæchmus? *Men. ſ.* Me eſſe dico, Moſcho prognatum patre.
Men. S. Tun' meo patre es prognatus? *Men. ſ.* Immo equidem, adoleſcens, meo.
Tuum tibi neque occupare, neque præripere poſtulo.
Meſ. Dii immortales, ſpem inſperatam date mihi, quam ſuſpicor.
Nam niſi me animus fallit, hi ſunt gemini germani duo.
Nam & patrem & matrem commemorant pariter, qui fuerint ſibi.
Sevocabo herum. Menæchme. *Men. Ambo.* quid vis? *Meſ.* Non ambos volo.
Sed uter voſtrum eſt advectus mecum navi? *Men. ſ.* Non ego.
Men. S. At ego. *Meſ.* Te volo igitur: huc concede. *Men. S.* Conceſſi. quid eſt?
Meſ. Illic homo aut ſycophanta, aut geminus eſt frater tuus.
Nam ego hominem homini ſimiliorem numquam vidi alterum.
Neque aqua aquæ, neque lacte eſt lacti, crede mihi, uſquam ſimilius,
Quam hic tui eſt, tuque hujus. poſtea autem eamdem patriam ac patrem
Memorat. melius eſt nos adire, atque hunc percontarier.
Men. S. Hercle quin tu me admonuiſti recte; & habeo gratiam.
Perge operam dare obſecro, hercle liber eſto, ſi invenis
Hunc meum fratrem eſſe. *Meſ.* Spero. *Men. S.* & ego idem ſpero fore.
Meſ. Quid ais tu? Menæchmum, opinor, te vocari dixeras.
Men. ſ. Ita vero. *Meſ.* Huic item Menæchmo nomen eſt. in Sicilia,
Te Syracuſis natum eſſe dixiſti: hic natus eſt ibi.
Moſchum tibi patrem fuiſſe dixti: huic itidem fuit.
Nunc operam poteſtis ambo mihi dare, & vobis ſimul.
Men. ſ. Promeruiſti, ut ne quid ores, quod velis, quin impetres.
Tamquam ſi emeris me argento, liber ſervibo tibi.
Meſ. Spes mihi eſt, vos inventuros fratres germanos duos
Geminos, una matre natos, & patre uno, uno die.
Men. ſ. Mira memoras. utinam efficere, quod pollicitus, poſſies?

Meſ.

Meſ. Poſſum: ſed nunc coite. uterque id, quod rogabo, dicite.
Men. ſ. Ubi lubet, roga: reſpondebo. nihil reticebo, quod ſciam.
Meſ. Eſt tibi nomen Menæchmo? *Men. ſ.* Fateor. *Meſ.* Eſt itidem tibi?
Men. S. Eſt. *Meſ.* Patrem fuiſſe Moſchum tibi ais? *Men. ſ.* Ita vero. *Men. S.* Et mihi.
Meſ. Eſne tu Syracuſanus? *Men. ſ.* Certo. *Meſ.* Quid tu? *Men. S.* Quippini?
Meſ. Optume uſque adhuc conveniunt ſigna. porro operam date.
Quid longiſſume meminiſti, dic mihi, in patria tua?
Men. ſ. Cum patre ut abii Tarentum ad mercatum, tum poſtea
Inter homines me deerrare a patre, atque inde avehi.
Men. S. Juppiter ſupreme, ſerva me. *Meſ.* Quid clamas? quin taces?
Quot eras annos gnatus, cum te pater a patria avehit?
Men. ſ. Septuennis: nam tum dentes mihi cadebant primulum.
Neque patrem umquam poſtilla vidi. *Meſ.* Quid? voſtrum patri
Filii quot eratis? *Men. ſ.* Ut nunc maxime memini, duo.
Meſ. Uter eratis, tun' an ille major? *Men. ſ.* Æque ambo pares.
Meſ. Qui id poteſt? *Men. ſ.* Gemini ambo eramus. *Men. S.* Dii me ſervatum volunt.
Meſ. Si interpellas, ego tacebo. *Men. S.* potius taceo. *Meſ.* Dic mihi,
Uno nomine ambo eratis? *Men. ſ.* Minime. nam mihi hoc erat,
Quod nunc eſt, Menæchmus: illum tum vocabant Soſiclem.
Men. S. Signa agnovi: contineri, quin complectar, non queo.
Mi germane, gemine frater, ſalve: ego ſum Soſicles.
Men. ſ. Quomodo igitur poſt Menæchmo nomen eſt factum tibi?
Men. S. Poſtquam ad nos renuntiatum eſt, te & patrem eſſe mortuum,
Avos noſter mutavit: quod tibi nomen eſt, fecit mihi.
Men. ſ. Credo ita eſſe factum, ut dicis. ſed mihi hoc reſponde. *Men. S.* Roga.
Men. ſ. Quid erat nomen noſtræ matri? *Men. S.* Theuſimarche. *Men. ſ.* convenit.
O ſalve, inſperate, multis annis poſt quem conſpicor,
Frater. *Men. S.* Et tu, quem ego multis miſeris laboribus
Uſque adhuc quæſivi, quemque ego eſſe inventum gaudeo.
Meſ. Hoc erat, quod hæc te meretrix hujus vocabat nomine.
Hunc cenſebat te eſſe, credo, cum vocat te ad prandium.
Men. ſ. Namque edepol hic mihi hodie juſſi prandium apparariér,
Clam meam uxorem, quoi pallam ſurripui dudum domo.
Eam dedi huic. *Men. S.* Hancne dicis, frater, pallam, quam ego habeo?
Men. ſ. Quomodo hæc ad te pervenit? *Men. S.* Meretrix huc ad prandium
Me abduxit. me ſibi dediſſe ajebat. prandi perbene:
Potavi, atque accubui ſcortum: pallam, & aurum hoc *mihi dedit.*
Men. ſ. Gaudeo edepol, ſi quid propter me tibi evenit boni.
Nam illa cum te ad ſe vocabat, me eſſe credidit.
Meſ. Numquid me morare, quin ego liber, ut juſſiſti, eam?
Men. ſ. Optumum atque æquiſſumum orat, frater: fac cauſſa mea.
Men. S. Liber eſto. *Men. ſ.* Cum tu es liber, gaudeo, Meſſenio.
Meſ. Sed meliore eſt opus auſpicio, liber perpetuo ut ſiem.
Men. S. Quoniam hæc evenerunt, frater, noſtra ex ſententia,
In patriam redeamus ambo. *Men. ſ.* Frater, faciam, ut tu voles.
Auctionem hic faciam, & vendam quidquid eſt. nunc interim
Eamus intro, frater. *Men. S.* Fiat. *Meſ.* Scitin' quid ego vos rogo?
Men. ſ. Quid? *Meſ.* Mihi ut præconium detis. *Men. ſ.* Dabitur. *Meſ.* Ergo nunc jam
Vis conclamari auctionem fore? quo die? *Men. ſ.* Die ſeptimi.
Meſ. Auctio fiet *Menæchmi* mane ſane ſeptimi.
Venibunt ſervi, ſupellex, fundi, ædes, omnia
Venibunt, quiqui licebunt, præſenti pecunia.
Venibit uxor quoque etiam, ſi quis emtor venerit.
Vix credo tota auctione capiet quinquageſies.
Nunc, ſpectatores, valete, & nobis clare applaudite.

FINIS MENAECHMORUM.

MILES GLORIOSUS.

Dramatis Perſonæ.

PYRGOPOLINICES, *miles.* PLEUSIDES, *adoleſcens.*
ARTOTROGUS, *paraſit.* LUCRIO, *puer.*
PALAESTRIO, *ſervus.* MILPHIDIPPA, *ancilla.*
PERIPLECTOMENES, *ſenex.* ACROTELEUTIUM, *meretrix.*
SCELEDRUS, *ſervus.* PUER.
PHILOCOMASIUM, *meretrix.* CARIO, *cocus.*

ARGUMENTUM.

Meretricem ingenuam deperibat mutuo
Athenienſis juvenis. Nauctum is domo
Legatus abiit: miles in eamdem incidit.
Deportat Epheſum invitam. ſervos Attici,
Ut nuntiaret domino factum, navigat,
Capitur, donatur illi captus militi.
Ad herum, ut veniret Epheſum, ſcribit. advolat
Adoleſcens, atque in proximo divortitur
Apud hoſpitem paternum. medium parietem
Perfodit ſervos, commeatus clanculum
Qua foret amantum. geminam fingit: mulieris
Sororem ait eſſe. mox ei dominus ædium
Suam clientam ſollicitandum ad militem
Subornat. capitur ille, ſperat nuptias,
Dimittit concubinam, & mœchus vapulat.

Aliud *ARGUMENTUM.*

MEretricem Athenis Epheſum miles avehit.
Id hero dum amanti ſervos nuntiare volt,
Legato peregre, captu'ſt ipſus in mari,
Et illi eidem militi dono datu'ſt.
Suum arceſſit herum Athenis, & forat
Geminis communem clam parietem in ædibus,
Licere ut quiret convenire amantibus.
Obhærentes cuſtos hos vidit de tegulis.
Ridiculus autem, quaſi ſit alia, luditur.
Itemque impellit militem Palæſtrio,
Omiſſam faciat concubinam, quando ei
Senis vicini cupiat uxor nubere.
Ultro abeat, orat. donat multa. ipſe in domo
Senis prehenſus pœnas pro mœcho luit.

ACTUS PRIMUS.

Pyrgopolinices, Artotrogus.

CUrate, ut ſplendor meo ſit clypeo clarior,
Quam ſolis radii eſſe olim, cum ſudum 'ſt, ſolent:
Ut, ubi uſus veniat, contra conſerta manu
Oculorum præſtringat aciem in acie hoſtibus.
Nam ego hanc machæram mihi conſolari volo,
Ne lamentetur; neve animum deſpondeat,
Quia ſe jampridem feriatam geſtitem,
Quæ miſera geſtit fartum facere ex hoſtibus.
Sed ubi Artotrogus? *Art.* Hic eſt, ſtat propter virum
Fortem, atque fortunatum, & forma regia;
Tum bellatorem. Mars haud auſit dicere,
Neque æquiparare ſuas virtutes ad tuas.
Pyrg. Quemne ego ſervavi in campis Gurguſtidoniis,
Ubi Bombomachides Cluninſtaridyſarchides
Erat imperator ſummus, Neptuni nepos?
Art. Memini. nempe illum dicis cum armis aureis,
Quojus tu legiones diffiaviſti ſpiritu,
Quaſi ventus folia, aut panniculam tectoriam.
Pyrg. Iſtuc quidem edepol nihil eſt. *Art.* Nihil hercle quidem hoc,
Præ ut alia dicam, tu quæ numquam feceris.
Perjuriorem hoc hominem ſi quis viderit,
Aut gloriarum pleniorem, quam illic eſt;
Me ſibi habeto; ei ego me mancupio dabo,
Epityro, ut apud illum eſuriem inſane bene.
Pyrg. Ubi tu es? *Art.* Eccum. edepol vel elephanto in India
Quo pacto pugno perfregiſti brachium!
Pyrg. Quid, brachium? *Art.* Illud dicere volui, femur.
Pyrg. At indiligenter hic eram. *Art.* Pol ſi quidem
Conniſus eſſes, per corium, per viſcera,
Perque os elephanto brachium tranſmitteres.
Pyrg. Nolo iſtæc hic nunc. *Art.* Ne hercle operæ pretium quidem
Mihi te enarrare, tuas qui virtutes ſciam.
Venter creat omnes has ærumnas. auribus
Peraudienda ſunt, ne dentes dentiant,
Et aſſentandum eſt, quidquid hic mentibitur.
Pyrg. Quid illud, quod dico? *Art.* Hem, ſcio jam, quid vis dicere.
Factum eſt hercle: memini fieri. *Pyrg.* Quid id eſt? *Art.* Quidquid eſt.
Pyrg. Habes tabellas? *Art.* Vis rogare? habeo & ſtilum.
Pyrg. Facete advortis animum tuum ad animum meum.
Art. Noviſſe mores me tuos meditate decet,
Curamque adhibere, ut prævolet mihi, quo tu velis.
Pyrg. Ecquid meminiſti? *Art.* Memini, centum in Cilicia,
Et quinquaginta centum Sycolatronidæ,
Triginta Sardi, ſexaginta Macedones,
Sunt homines, tu quos occidiſti uno die.
Pyrg. Quanta iſtæc hominum ſumma eſt? *Art.* Septem millia.
Pyrg. Tantum eſſe oportet: recte rationem tenes.
Art. At nullos habeo ſcriptos; ſic memini tamen.
Pyrg. Edepol memoria eſt optuma. *Art.* Offa me monet.
Pyrg. Dum talem facies, qualem adhuc, aſſiduo edis:
Communicabo te ſemper menſa mea.
Art. Quid in Cappadocia, ubi tu quingentos ſimul,
Ni hebes machæra foret, uno ictu occideres.
At peditatus reliquiæ erant, ſi viverent.
Quid tibi ego dicam, quod omnes mortales ſciunt,
Pyrgopolinicem te unum in terra vivere
Virtute, & forma, & factis invictiſſumis.
Amant te omnes mulieres, neque hercle injuria,
Quis ſis tam pulcher. ut vel illæ, quæ here pallio
Me reprehenderunt. *Pyrg.* Quid here dixerunt tibi?
Art. Rogitabant: Hiccine Achilles eſt, inquit, tibi?
Immo ejus frater, inquam. innuit illarum altera:
Ergo mecaſtor pulcher eſt, inquit, mihi
Et liberalis viſus. cæſaries quam decet!
Næ illæ ſunt fortunatæ, quæ cum iſto cubant!
Pyrg. Itane ajebat tandem? *Art.* Quæ me ambæ obſecraverint,
Ut te hodie quaſi pompam illa præter ducerem.
Pyrg. Nimia eſt miſeria pulchrum eſſe hominem nimis.
Art. Moleſtæ ſunt mihi, orant, ambiunt, obſecrant,
Videre ut liceat: ad ſeſe arceſſi jubent.
Ut tuo non liceat operam dare negotio.
Pyrg. Videtur tempus eſſe, ut eamus ad forum,
Ut in tabellis quos conſignavi hic heri
Latrones, ibus dinumerem ſtipendium.
Nam rex Seleucus me opere oravit maxumo,
Ut ſibi latrones cogerem & conſcriberem.
Regi hunc diem mihi operam decretum eſt dare.
Art. Age eamus ergo. *Pyrg.* Sequimini, ſatellites.

ACTUS SECUNDUS

SCENA I.

Palæſtrio.

MIhi ad enarrandum hoc argumentum eſt comitas,
Si ad auſcultandum voſtra erit benignitas.
Qui autem auſcultare nolit, exſurgat foras,
Ut ſit ubi ſedeat ille, qui auſcultare volt.
Nunc, qua aſſediſtis cauſſa in feſtivo loco,
Comœ-

Comœdiai, quam modo acturi ſumus,
Et Argumentum, & Nomen vobis eloquar.
ALAZON Græce huic nomen eſt Comœdiæ,
Id nos Latine GLORIOSUM dicimus.
Hoc oppidum Epheſum eſt: inde eſt Miles meus herus,
Qui hinc ad forum abiit, glorioſus, impudens,
Stercoreus, plenus perjurii atque adulterii.
Ait ſeſe ultro omnes mulieres ſectarier.
Is deridiculu 'ſt, quaqua incedit, omnibus.
Itaque hic meretrices labiis dum ductant eum,
Majorem partem videas valgis ſaviis.
Nam ego haud diu apud hunc ſervitutem ſervio.
Id volo vos ſcire, quomodo ad hunc devenerim
In ſervitutem, ab eo quoi ſervivi prius.
Date operam. nam nunc argumentum exordiar.
Erat herus Athenis mihi adoleſcens optumus.
Is amabat meretricem matre Athenis Atticis,
Et illa illum contra, qui eſt amor cultu optumus.
Is publice legatus Naupactum hinc fuit,
Magnai reiipublicai gratia.
Interibi ut hic Miles forte Athenas advenit,
Inſinuat ſeſe ad illam amicam heri mei,
Occœpit ejus matri ſuppalparier
Vino, ornamentis, opipariſque obſoniis.
Itaque intimum ibi ſe Miles apud lenam facit.
Ubi primum evenit Militi huic occaſio,
Sublinit os illi lenæ, matri mulieris,
Quam herus meus amabat. nam is illius filiam
Conjicit in navem Miles, clam matrem ſuam.
Eamque invitam huc mulierem in Epheſum advehit.
Ego quantum vivos poſſum, mihi navem paro,
Ubi amicam herilem Athenis avectam ſcio.
Inſcendo, ut eam rem Naupactum ad herum nuntiem.
Ubi ſumus provecti in altum, id quod volunt,
Capiunt prædones navem illam, ubi vectus fui.
Prius perii, quam ad herum veni, quo ire occœperam.
Ille, *qui* me cepit, dat me huic dono militi.
Hic poſtquam in ædeis me ad ſe duxit domum,
Video illam amicam herilem, Athenis quæ fuit.
Ubi contra aſpexit me, oculis mihi ſignum dedit,
Ne ſe appellarem: deinde, poſtquam occaſio eſt,
Conqueritur mecum mulier fortunas ſuas.
Ait ſeſe Athenas fugere cupere ex hac domu.
Seſe illum amare meum herum, Athenis qui fuit:
Neque pejus quemquam odiſſe, quam iſtum militem.
Ego, quoniam inſpexi mulieris ſententiam,
Cepi tabellas, conſignavi clanculum:
Dedi mercatori, qui ad illum deferat
Meum herum, qui Athenis fuerat, qui hanc amaverat,
Ut is huc veniret. is non ſprevit nuncium.
Nam & venit, & is in proxumo hic devortitur
Apud ſuum paternum hoſpitem, lepidum ſenem.
Itaque ille amanti ſuo hoſpiti morem gerit.
Noſque opera conſilioque adhortatur, juvat.
Itaque ego paravi hic intus magnas machinas,
Qui amanteis una inter ſe facerem convenas.
Nam unum conclave, concubinæ quod dedit
Miles, quo nemo niſi eapſe inferret pedem,
In eo conclavi ego perfodi parietem,
Qua commeatus eſſet hinc huc mulieri.
Et ſene ſciente hoc feci, is conſilium dedit.
Nam meus conſervos eſt homo haud magni pretii,
Quem concubinæ miles cuſtodem addidit.
Ei nos facetis fabricis, & doctis dolis
Glaucomam ob oculos objiciemus: eumque ita
Faciemus, ut, quod viderit, non viderit.
Et mox, ne erretis, hæc duarum hodie vicem
Et hic & illic mulier feret imaginem:
Atque eadem erit, verum alia eſſe aſſimulabitur.
Ita ſublinitum eſt os cuſtodi mulieris.
Sed foris concrepuit hinc a vicino ſene.
Ipſe exit. hic ille eſt lepidus, quem dixi, ſenex.

ACTUS II. SCENA II.

PeriplectomenesPeriplectomenes, *Palæſtrio*.

NIſi hercle defregeritis talos, poſthac quemque in tegulis
Videritis alienum, ego voſtra faciam latera lorea.
Mihi quidem jam arbitri vicini ſunt, meæ quid fiat domi.
Ita per impluvium introſpectant. nunc adeo edico omnibus,
Quemque a milite hoc videritis hominem in noſtris tegulis,
Extra unum Palæſtrionem, huc deturbatote in viam.
Quod ille gallinam aut columbam ſe ſectari aut ſimiam
Dicat, diſperiſtis, ni uſque ad mortem male multaſſitis.
Atque adeo, ut ne legi fraudem faciam Talariæ,
Accuratote, ut ſine talis domi agitent convivium.
Pal. Neſcio quid malefactum a noſtra huic familia eſt, quantum audio:
Ita hic ſenex talos elidi juſſit conſervis meis.
Sed me excepit. nihili facio, quid illis faciat ceteris.
Aggrediar hominem. eſtne advorſum? eſt quaſi *collaturus pedem*.
Quid agis, Periplectomene? *Per.* Haud multos homines, ſi optandum fuerit,
Nunc videre & convenire, quam te, mavellem.
Pal. Quid eſt?
Quid negotii eſt? *Per.* Res palam eſt. *Pal.* Quæ res palam eſt? *Per.* De tegulis
Modo neſcio quis inſpectavit voſtrorum familiarium
Per noſtrum impluvium intus apud nos Philocomaſium atque hoſpitem
Oſculanteis. *Pal.* Quis homo vidit? *Per.* Tuus conſervos eſt. *Pal.* Quis is homo eſt?
Per. Neſcio, ita abripuit repente ſeſe ſubito. *Pal.* Suſpicor
Me periiſſe. *Per.* Ubi abiit, conclamo: Heus quid agis tu, inquam, *in tegulis?*

Ille

Ille mihi abiens ita reſpondit, ſe ſectari ſimiam.
Pal. Væ mihi miſero, cui pereundum eſt propter nihili beſtiam.
Sed Philocomaſium hiccine etiam nunc eſt? *Per.* Cum exibam, hic erat.
Pal. Sis, jube tranſire huc, quantum poſſit, ſe ut videant domi
Familiares: niſi quidem illa nos volt, qui ſervi ſumus,
Propter amorem ſuum omneis crucibus contubernaleis dari.
Per. Dixi ego iſtuc; niſi quid aliud vis. *Pal.* Volo. hoc dicito,
Paret artem & diſciplinam: obtineat colorem. *Per.* Hei, quemadmodum?
Pal. Ut eum, qui hic ſe vidit, vero vincat, ut ne viderit:
Siquidem centies hic viſa ſit, tamen inficias eat.
Os habet, linguam, perfidiam, malitiam, atque audaciam,
Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam:
Qui arguet ſe, eum contra vincat jurejurando ſuo.
Domi habet animum falſiloquom, falſificum, falſijurium:
Domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.
Nam mulier olitori numquam ſupplicat, ſi qua eſt mala.
Domi habet hortum & condimenta ad omnes mores maleficos.
Per. Ego iſtæc, ſi erit hic, nuntiabo. ſed quid eſt, Palæſtrio,
Quod volutas tute tecum in corde? *Pal.* Paullisper tace,
Dum ego mihi conſilia in animum convoco, & dum conſulo,
Quid agam; quem dolum doloſo contra conſervo parem,
Qui illam hic vidit oſculantem: id viſum ut ne viſum fiet.
Per. Quære. ego hinc abſceſſero abs te huc interim. illuc ſis vide,
Quemadmodum abſtitit, ſevera fronte curas cogitans.
Pectus digitis pultat, cor credo evocaturu'ſt foras.
Ecce autem avortit, niſus læva, in femine habet lævam manum,
Dextera digitis rationem computat, feriens femur
Dexterum ita vehementer, quod tactu ægre ſuppetit.
Concrepuit digitis; laborat; crebro commutat ſtatus.
Eccere autem capite nutat: non placet quod repperit.
Quidquid eſt, incoctum non expromit; bene coctum dabit.
Ecce autem ædificat: columnam mento ſuffulſit ſuo.
Apage, non placet profecto mihi illa inædificatio.
Nam os columnatum Poetæ eſſe inaudivi barbaro,
Quoi bini cuſtodes ſemper totis horis accubant.
Euge, euge, euſcheme hercle aſtitit, & dulice & comœdice.
Numquam hodie quieſcet, priuſquam id, quod petiit, perfecit.
Habet, opinor. age, ſi quid agis: vigila, ne ſomno ſtude:
Niſi quidem hic agitari mavis varius virgis. vigila:
Tibi ego dico. au! feriatus ne ſis. heus te alloquor, Palæſtrio:
Vigila, inquam: expergiſcere, inquam: lucet hoc, inquam. *Pal.* Audio.
Per. Viden' hoſteis tibi adeſſe, tuoque tergo obſidium? conſule:
Arripe opem auxiliumque ad hanc rem. propere hoc, non placide decet.
Antevenito aliqua aliquos, aut tu circumduce exercitum,
Curre in obſidium perduelleis, noſtris præſidium para:
Intercludito inimicis commeatum, tibi muni viam:
Qua cibatus commeatuſque ad te & legiones tuas
Tuto poſſit pervenire. hanc rem age. res ſubitaria eſt.
Reperi, comminiſcere, cedo calidum conſilium cito.
Quæ hic ſunt viſa, ut viſa ne ſint: facta infecta uti ſient.
Magnam illic, homo, rem incipiſſis: magna munis mœnia.
Tute unus ſi recipere hoc ad te dicis, confidentia eſt
Nos inimicos profligare poſſe. *Pal.* Dico & recipio
Ad me. *Per.* Et ego impetraturum dico id quod petis. *Pal.* At te Juppiter
Bene amet. *Per.* At imperti, amice, me, quod commentu's. *Pal.* Tace:
Dum in regionem aſtutiarum mearum te induco, ut ſcias
Juxta mecum mea conſilia. *Per.* Salva ſumes indidem.
Pal. Herus meus elephanti corio circumtentus eſt, non ſuo:
Neque habet plus ſapientiæ, quam lapis. *Per.* Egomet iſtuc ſcio.
Pal. Nunc ſic rationem incipiſſam, ita hanc inſtituam aſtutiam,
Ut Philocomaſio hanc ſororem geminam germanam alteram
Dicam Athenis adveniſſe cum amatore aliquo ſuo,
Tam ſimilem, quam lacte lacti: & apud te eos hic devortier
Dicam hoſpitio. *Per.* Euge, euge, lepide. laudo commentum tuum.
Pal. Ut ſi illic concriminatus ſit advorſum Militem
Meus conſervos, eam vidiſſe cum alieno oſcularier,
Eum arguam vidiſſe apud te contra conſervom meum
Cum ſuo amatore amplexantem atque oſculantem. *Per.* Immo ut optume.
Idem ego dicam, ſi me exquiret miles. *Pal.* Sed ſimillumas
Dicito eſſe: & Philocomaſio id præcipiendum eſt, ut ſciat,
Ne titubet, ſi quæret ex ea miles. *Per.* Nimis doctum dolum!
Sed ſi ambas videre in uno miles concilio volet,
Quid agimus? *Pal.* Facile eſt, trecentæ poſſunt cauſſæ colligi:
Non domi eſt, abiit ambulatum, dormit, ornatur, lavat,
Prandet, potat, occupata 'ſt, operæ non eſt, non poteſt.
Quantumvis prolationum; dum modo nunc prima via
Inducamus, vera ut eſſe credat quæ mentibimur.
Per. Placet ut dicis. *Pal.* Intro abi ergo, & ſi iſtic eſt mulier, eam jube
Cito domum tranſire, atque hæc ei monſtra: præcipe,
Ut teneat conſilia noſtra, quemadmodum exorſi ſumus
De gemina ſorore. *Per.* Docte tibi illam perdoctam dabo.
Numquid aliud? *Pal.* Intro ut abeas. *Per.* Abeo. *Pal.* Et quidem ego ibo domum,
Atque hominem inveſtigando ſumam operam: hinc diſſimulavero,
Qui fuerit conſervos, qui hodie fuerit ſectatus ſimiam. Nam

Nam ille non potuit, quin ſermoni ſuo aliquem familiarium
Participaverit de amica heri, ſeſe vidiſſe eam
Hic in proxumo oſculantem cum alieno adoleſcentulo.
Novi morem ego: & tacere *noſtrorum* ſolus ſcio.
Si invenio qui vidit, ad eum vineas pluteoſque agam.
Res parata eſt, vi pugnandoque hominem capere certa res eſt.
Si ita non reperio, ibo odorans quaſi canis venaticus,
Uſque donec perſecutus volpem ero veſtigiis.
Sed fores concrepuerunt noſtræ. ego voci moderabo meæ.
Nam illic eſt Philocomaſio cuſtos meus conſervos. atque it foras.

ACTUS II. SCENA III.

Sceledrus, Palæſtrio.

NIſi quidem ego hodie ambulavi dormiens in tegulis,
Certo edepol ſcio, me vidiſſe hic proxumæ viciniæ
Philocomaſium herilem amicam ſibi alium quærere.
Pal. Hic illam vidit oſculantem, quantum hunc audivi loqui.
Sc. Quis hic eſt? *Pal.* Tuus conſervos. quid agis, Sceledre? *Sc.* Te, Palæſtrio,
Volupe 'ſt conveniſſe. *Pal.* Quid jam? aut quid negotii, fac ſciam.
Sc. Metuo. *Pal.* Quid metuis? *Sc.* Ne hercle hodie, quantum hic familiarium eſt,
Maxumum in malum cruciatum inſiliamus. *Pal.* Tu ſali
Solus: nam ego iſtam inſulturam & deſulturam nihil hic moror.
Sc. Neſcis tu fortaſſe, apud nos facinus quod natum eſt novom.
Pal. Quod id eſt facinus? *Sc.* Impudicum. *Pal.* Tute ſcis ſoli te tibi,
Mihi ne dixis, ſcire nolo. *Sc.* Non enim faciam, quin ſcias.
Simiam hodie ſum ſectatus noſtram in horum tegulis.
Pal. Edepol, Sceledre, homo ſectatu 's nihili nequam beſtiam.
Sc. Dii te perdant. *Pal.* Te iſtuc æquom; quoniam occœpiſti eloqui.
Sc. Forte fortuna per impluvium huc deſpexi in proxumum:
Atque ego illa aſpicio oſculantem Philocomaſium cum altero
Neſcio quo adoleſcente. *Pal.* Quod ego, Sceledre, ſcelus ex te audio?
Sc. Profecto vidi. *Pal.* Tuten'? *Sc.* Egomet duobus his oculis meis.
Pal. Abi, non veriſimile dicis, neque vidiſti. *Sc.* Num tibi
Lippus videor? *Pal.* Medicum iſtuc tibi melius percontarier.
Verum enim tu iſtam, ſi te dii ament, temere haud tollas fabulam.
Tuis nunc cruribus capitique fraudem capitalem hinc creas.
Nam tibi jam, ut pereas, paratum eſt dupliciter; niſi ſupprimis
Tuum ſtultiloquium. *Sc.* Qui vero dupliciter? *Pal.* Id dicam tibi.
Primumdum, ſi falſo inſimulas Philocomaſium; hoc perieris:
Iterum, ſi id verum eſt, tu ei cuſtos additus perieris.
Sc. Quid fuat me, neſcio: hæc me vidiſſe ego certo ſcio.
Pal. Pergin' infelix? *Sc.* Quid tibi vis dicam, niſi quod viderim?
Quin etiam nunc intus hic in proxumo eſt. *Pal.* Eho, an non domi eſt?
Sc. Viſe, abi intro tute. nam ego mihi nihil credi poſtulo.
Pal. Certum eſt facere id. *Sc.* Hic te opperiar: eadem illi inſidias dabo,
Quam mox horſum ad ſtabulum junix recipiat ſe e pabulo.
Quid ego nunc faciam? cuſtodem me illi Miles tradidit.
Nunc ſi indicium facio, interii: ſi taceo, *interii* tamen,
Si hoc palam fuerit. *quid pejus* muliere atque audacius!
Dum ego in tegulis ſum, illac hæc ſe hoſpitio edit foras.
Edepol facinus fecit audax, hoccine ſi Miles ſciat:
Credo hercle has ſuſtollat ædes totas, atque hinc in crucem.
Hercle quidquid eſt, muſſitabo potius, quam inteream male.
Non ego poſſum, quæ ipſa ſeſe venditat, tutarier.
Pal. Sceledre, Sceledre. *Sc.* Quis homo interminat? *Pal.* Eſt te alter audacior?
Quis magis diis inimicis natus, quam tu, atque iratis? *Sc.* Quid eſt?
Pal. Juben' tibi oculos effodiri, quibus id, quod nuſquam eſt, vides?
Sc. Quid, nuſquam? *Pal.* Non ego nunc emam vitam tuam vitioſa nuce.
Sc. Quid negotii eſt? *Pal.* Quid negotii ſit, rogas? *Sc.* Cur non rogem?
Pal. Nonne tibi iſtam prætruncari linguam largiloquam jubes?
Sc. Quamobrem jubeam? *Pal.* Philocamaſium eccam domi, quam in proxumo
Vidiſſe ajebas te oſculantem atque amplexantem cum altero.
Sc. Mirum eſt lolio victitare te, tam vili tritico.
Pal. Quid jam? *Sc.* Quia luſcitioſus. *Pal.* Væ verbero! edepol tu quidem
Cæcus, non luſcitioſus. nam illam quidem eccam domi.
Sc. Quid? domi? *Pal.* Domi hercle vero. *Sc.* Abi; ludis me, Palæſtrio.
Pal. Tum mihi ſunt manus inquinatæ. *Sc.* Qui dum? *Pal.* Quia ludo luto.
Sc. Væ capiti tuo. *Pal.* Tuo iſtuc, Sceledre, promitto fore,
Niſi oculos orationemque aliam commutas tibi.
Sed fores concrepuerunt noſtræ. *Sc.* At ego illas obſervo fores.
Nam nihil eſt, qua hinc huc tranſire ea poſſit, niſi recto oſtio.
Pal. Quin domi eccam. neſcio, quæ te, Sceledre, ſcelera ſuſcitant.
Sc. Mihi ego video, mihi ego ſapio, mihi ego credo plurimum:
Me homo nemo deterruerit, quin ea ſit in his ædibus.

Hic

Hic obſiſtam, ne imprudenti huc ea ſe ſurrepſit mihi.
Pal. Meus illic homo eſt: deturbabo jam ego illum de pugnaculis.
Vin' jam faciam, ut ſtultividum te fatearis? *Sc.* Age, face.
Pal. Neque te quidquam ſapere corde, neque oculis uti? *Sc.* Volo.
Pal. Nempe tu iſtic ais eſſe herilem concubinam? *Sc.* Atque arguo
Eam me vidiſſe oſculantem hic intus cum alieno viro.
Pal. Scin' tum nullum commeatum hinc eſſe a nobis? *Sc.* Scio.
Pal. Neque ſolarium, neque hortum, niſi per impluvium? *Sc.* Scio.
Pal. Quid nunc, ſi ea domi eſt, ſi faciam, ut eam exire hinc videas domo,
Dignus es verberibus multis? *Sc.* Dignus. *Pal.* Serva iſtas fores,
Ne tibi clam ſe ſubterducat iſtinc, atque huc tranſeat.
Sc. Conſilium eſt ita facere. *Pal.* Pedes ego jam illam huc tibi ſiſtam in viam.
Sc. Agedum ergo, face. volo ſcire, utrum ego id, quod vidi, viderim:
An illic faciat, quod facturum dicit, ut ea ſit domi.
Nam ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos foris.
Sed hic illi ſupparaſitatur ſemper, hic ei proxumus eſt,
Primus ad cibum vocatur, primo pulmentum datur:
Nam illic noſter eſt fortaſſe circiter triennium,
Neque cuiquam, quam illi, in noſtra melius famulo familia.
Sed ego hoc quod ago, id me agere oportet, hoc obſervare oſtium.
Hic obſiſtam hac quidem. pol certo verba mihi numquam dabunt.

ACTUS II. SCENA IV.

Palæſtrio, Philocomaſium, Sceledrus.

PRæcepta facito ut memineris. *Phil.* Toties monere mirum eſt.
Pal. At metuo, ut ſatis ſis ſubdola. *Phil.* Cedo vel doctas, docebo:
Memini malas, ut ſint malæ: mihi ſolæ e quo ſuperſit.
Pal. Age, jam nunc inſiſte in dolos: ego abs te procul recedam.
Quid aſtas, Sceledre? *Sc.* Hanc rem gero: habeo aureis, loquere quidvis.
Pal. Credo ego iſtoc exemplo tibi eſſe eundum actutum extra portam,
Diſpeſſis manibus patibulum cum habebis. *Sc.* Quamnam ob rem?
Pal. Reſpice dum ad lævam: quis illæc eſt mulier? *Sc.* Pro dii immortales!
Heri concubina eſt hæc quidem. *Pal.* Mihi quoque pol ita videtur.
Age nunc jam, quando lubet. *Sc.* Quid agam? *Pal.* Peri perpropere.
Phil. Ubi iſte bonus ſervos, qui propudii me maxume innocentem
Falſo inſimulavit? *Pal.* Hem tibi. hic mihi id dixit. *Phil.* Tibi, quæſo? dixti
Tu te vidiſſe in proxumo hic, ſceleſte, me oſculantem?
Pal. Atque cum alieno adoleſcentulo, dixit. *Sc.* Dixi hercle vero.
Phil. Tun' me vidiſti? *Sc.* Atque his quidem oculis. *Phil.* Carebis, credo,
Qui plus vident, quam quod vident. *Sc.* Numquam hercle deterrebor,
Quin viderim id quod viderim. *Phil.* Ego ſtulta & mora multum,
Quæ cum hoc inſano fabulem! quem pol ego capitis perdam.
Sc. Noli minitari: ſcio crucem futuram mihi ſepulcrum:
Ibi mei majores ſunt ſiti; pater, avos, proavos, abavos.
Non poſſunt mihi minaciis tuis hiſce oculi fodiri.
Sed paucis verbis te volo, Palæſtrio. obſecro, unde
Hæc exit huc? *Pal.* Unde, niſi domo? *Sc.* Domo? *Pal.* Me vidente. *Sc.* Video.
Nimis mirum eſt facinus, quomodo hæc hinc potuerit tranſire!
Nam certo neque ſolarium eſt apud nos, neque hortus ullus,
Neque feneſtra, niſi clatrata. nam certo ego te hic intus vidi.
Pal. Pergin', ſceleſte, intendere, atque hanc arguere? *Phil.* Ecaſtor ergo
Mihi haud falſum eveniat ſomnium, quod noctu hac ſomniavi.
Pal. Quid ſomniaſti? *Phil.* Ego eloquar. ſed, amabo, advortito animum.
Hac nocte in ſomnis mea ſoror gemina germana viſa
Veniſſe Athenis in Epheſum cum ſuo amatore quodam:
Hi ambo hoſpitio huc in proxumum mihi devorti ſunt viſi.
Sc. Palæſtrionis ſomnium narratur. *Pal.* Perge porro.
Phil. Ego læta viſa, quia ſoror veniſſet, propter eamdem,
Suſpicionem maxumam ſum viſa ſuſtinere.
Nam arguere in ſomnis me familiaris meus mihi viſu'ſt
Me cum alieno adoleſcentulo, quaſi nunc eſt, oſculatam eſſe:
Cum illa oſculata mea ſoror gemina eſſet ſuumpte amicum.
Ita me inſimulatam perperam falſum eſſe ſomniavi.
Pal. Satin' eadem in vigilantes expetunt, quæ in ſomnis viſa memoras?
Heus hercle præſentia omnia! abi intro, & comprecare,
Narrandum ego iſtuc Militi cenſebo. *Phil.* Facere certum.
Neque me quidem patiar probri falſo impune inſimulatam.
Sc. Timeo, quid rerum geſſerim: ita dorſus totus prurit.
Pal. Scin' te periiſſe nunc quidem domi certo? *Sc.* Certa res eſt
Nunc noſtrum obſervare oſtium, ubi ubi ſit. *Pal.* At, Sceledre, quæſo,
Ut ad id exemplum ſomnium quam ſimile ſomniavit!
Atque ut tu ſuſpicatus es eam vidiſſe te oſculantem!
Sc. Me eam non vidiſſe arbitraris? *Pal.* Næ tu hercle, opinor! obſecro
Reſipiſce. ſi ad herum hæc res pervenerit, periſti pulchre.
Sc. Nunc demum experior, prius ob oculos mihi caliginem obſtitiſſe.

Pal.

Pal. Dudum edepol hoc planum quidem: quæ hic uſque fuerit intus.
Sc. Nihil habeo certi quid loquar: non vidi eam, etſi vidi.
Pal. Næ tu edepol ſtultitia tua nos pæne perdidiſti.
Dum te fidelem facere hero voluiſti, abſumtus es pæne.
Sed fores vicini proxumi crepuerunt. conticiſcam.

ACTUS II. SCENA V.

Philocomaſium Pſeudo-Glycere, *Palæſtrio*, *Sceledrus*.

INde ignem in aram, ut Epheſiæ Dianæ læta laudes
Grateſque agam, eique ut Arabico fumificem odore amœne:
Quæ me in locis Neptuniis templiſque turbulentis
Servavit, ſævis fluctibus ubi ſum afflictata multum.
Sc. Palæſtrio! o Palæſtrio. *Pal.* O Sceledre, Sceledre, quid vis?
Sc. Hæc mulier, quæ hinc exit modo, eſtne herilis concubina
Philocomaſium? an non eſt ea? *Pal.* Hercle opinor, ea videtur,
Sed facinus mirum eſt, quomodo hæc hinc potuerit tranſire:
Siquidem ea eſt. *Sc.* An dubium tibi eſt eam eſſe hanc? *Pal.* Ea videtur.
Adeamus, appellemus. *Sc.* Heus, quid iſtuc eſt, Philocomaſium?
Quid tibi iſtic hiſce in ædibus debetur? quid negotii eſt?
Quid nunc taces? tecum loquor. *Pal.* Immo edepol tute tecum:
Nam hæc nihil reſpondet. *Sc.* Te alloquor, vitii probrique plena,
Quæ circum vicinos vaga es. *Phil.* Quicum tu fabulare?
Sc. Quicum, niſi tecum? *Phil.* Quis tu homo es, aut mecum quid negotii eſt?
Sc. Men' rogas, hem, qui ſim? *Phil.* Quin ego hoc rogem, quod neſciam?
Pal. Quis ego ſum igitur, ſi tu hunc ignoras? *Phil.* Mihi odioſus, quiſquis es
Et tu, & hic. *Sc.* Nos non noviſti? *Phil.* Neutrum. *Sc.* Metuo maxume.
Pal. Quid metuis? *Sc.* Enim ne noſmet perdiderimus uſpiam.
Nam neque te, neque me noviſſe ait hæc. *Pal.* Perſcrutari hic volo,
Sceledre, nos noſtri, an alieni ſimus: ne dum quiſpiam
Nos vicinorum imprudenteis aliquis immutaverit.
Sc. Certe equidem noſter ſum. *Pal.* Et pol ego. quæris tu, mulier, malum.
Tibi dico, heus Philocomaſium. *Phil.* Quæ te intemperiæ tenent,
Qui me perperam perplexo nomine appelles? *Pal.* Eho,
Quis igitur vocare? *Phil.* Glycere nomen eſt. *Sc.* Injuria eſt.
Falſum nomen poſſidere, Philocomaſium, poſtulas.
At iſtuc non decet, & meo adeo hero facis injuriam.
Phil. Egone? *Pal.* Tute. *Phil.* Quæ heri Athenis Epheſum adveni veſperi
Cum meo amatore, adoleſcente Athenienſi. *Pal.* Dic mihi,
Quid hic tibi in Epheſo eſt negotii? *Phil.* Geminam germanam meam
Hic ſororem eſſe inaudivi: eam veni quæſitum. *Pal.* Mala es.
Phil. Immo ecaſtor ſtulta multum, quæ vobiſcum fabuler.
Abeo. *Sc.* Abire non ſinam te. *Phil.* Mitte. *Sc.* Manifeſtaria
Res eſt, non mitto. *Phil.* At mihi jam crepabunt manus, malæ tibi;
Niſi me omittis. *Sc.* Quid, malum, aſtas? quin retines altrinſecus?
Pal. Nihil moror negotioſum mihi eſſe tergum. qui ſcio
An iſta non ſit Philocomaſium, atque alia ejus ſimilis ſit?
Phil. Mittis me, an non mittis? *Sc.* Immo vi atque invitam, ingratiis,
Niſi voluntate ibis, rapiam te domum. *Phil.* Oſtium hoc mihi
Domicilium eſt: Athenis domus ac herus. ego iſtam domum
Neque moror: neque vos, qui homines ſitis, novi, neque ſcio.
Sc. Lege agito: te nuſquam mittam, niſi das firmatam fidem,
Te huc, ſi omiſero, intro ituram. *Phil.* vi me cogis, quiſquis es.
Do fidem, ſi omittis, iſtoc me intro ituram, quo jubes.
Sc. Ecce omitto. *Phil.* At ego abeo miſſa. *Sc.* Muliebri feciſti fide.
Pal. Sceledre, manibus amiſiſti prædam. tam ea eſt, quam potis,
Noſtra herilis concubina. vin' tu facere hoc ſtrenue?
Sc. Quid faciam? *Pal.* Affer mihi machæram huc intus. *Sc.* Quid facies ea?
Pal. Intro rumpam recta in ædes, quemque hic intus videro
Cum Philocomaſio oſculantem, eum ego obtruncabo extempulo.
Sc. Viſane eſt ea eſſe? *Pal.* Immo edepol plane ea eſt. ſed quomodo
Diſſimulabat! abi, machæram huc effer. *Sc.* Jam faxo hic erit.
Pal. Neque eques, neque pedes profecto quiſquam, tanta audacia,
Qui æque faciat confidenter quidquam, quam quæ mulieres
Faciunt. ut utrobique orationem docte edidit!
Ut ſublinitur os cuſtodi cauto, conſervo meo!
Nimis beat, quod commeatus tranſtinet trans parietem.
Sc. Heus, Palæſtrio, machæra nihil opus. *Pal.* Quid jam, aut quid opus eſt?
Sc. Domi eccam herilem concubinam. *Pal.* Quid? domi? *Sc.* In lecto cubat.
Pal. Edepol næ tu tibi malam rem repperiſti, ut prædicas.
Sc. Quid jam? *Pal.* Quia hanc attingere auſus mulierem hic in proxumo.
Sc. Magis hercle metuo. ſed numquam quiſquam faciet, quin ſoror
Iſta ſit germana hujus. *Pal.* Eam pol tu oſculantem hic videras.
Et quidem palam eſt eam eſſe, ut dicis. *Sc.* Quid propius fuit,
Quam ut perirem, ſi locutus fuiſſem hero! *Pal.* Ergo ſi ſapis,
Muſſitabis. Plus oportet ſcire ſervom, quam loqui.

Ergo abeo a te, ne quid tecum conſilii commiſceam:
Atque apud hunc vicinum. tuæ mihi turbæ non placent.
Herus ſi veniet, ſi me quærit, hic ero: hinc me arceſſito.

ACTUS II. SCENA VI.

Sceledrus, Periplectomenes.

SAtin' abiit ille, neque herile negotium
Plus curat, quam ſi non ſervitute ſerviat?
Certo quidem illæc noſtra intus eſt in ædibus.
Nam ego & cubantem eam modo offendi domi.
Certum eſt nunc obſervationi operam dare.
Per. Non hercle hiſce homines me marem, ſed feminam,
Vicini rentur eſſe ſervi Militis:
Ita me ludificant. meamne hic in via hoſpitam,
Quæ heri huc Athenis cum hoſpite advenit meo,
Tractatam, & ludificatam, ingenuam & liberam?
Sc. Perii hercle! hic ad me recta habet rectam viam.
Metuo, illæc mihi res ne magno malo fuat,
Quantum hunc audivi facere verborum ſenem.
Per. Accedam ad hominem. tun', Sceledre, hic, ſcelerum caput,
Meam ludificaſti hoſpitam ante ædeis modo?
Sc. Vicine, auſculta quæſo. *Per.* Ego auſcultem tibi?
Sc. Expurgare volo me. *Per.* Tun' te expurges mihi,
Qui facinus tantum tamque indignum feceris?
An quia latrocinamini, arbitramini
Quidvis licere facere vobis, verbero?
Sc. Licetne? *Per.* At ita me di deæque omnes ament,
Niſi mihi ſupplicium virgarum de te datur
Longum diutinumque a mane ad veſperum,
Quod meas confregiſti imbrices & tegulas,
Ibi dum condignam te ſectatus ſimiam,
Quodque inde inſpectaviſti meum apud me hoſpitem
Amplexum, amicam cum oſculabatur ſuam;
Quodque concubinam herilem inſimulare auſus es
Probri, pudicam, meque ſummi flagitii:
Tum quod tractaviſti hoſpitam ante ædes meas:
Niſi tibi ſupplicium ſtimuleum de te datur,
Dedecoris pleniorem herum faciam tuum,
Quam magno vento plenum eſt undarum mare.
Sc. Ita ſum coactus, Periplectomene, ut neſciam
Utrumne poſtulare prius tecum æquom ſiet,
An me expurgare hic tibi videatur æquius.
Niſi iſtæc non eſt hæc, neque iſta ſit mihi:
Sicut etiam nunc neſcio quid viderim:
Ita eſt iſtæc hujus ſimilis noſtræ tua,
Siquidem non eadem eſt. *Per.* Viſe ad me intro, jam ſcies.
Sc. Licetne? *Per.* Quin te jubeo. at placide noſcita.
Sc. Ita facere certum eſt. *Per.* Heus Philocomaſium! cito
Tranſcurre curriculo ad nos, ita negotium eſt.
Poſt, quando exierit Sceledrus a nobis, cito
Tranſcurrito ad vos rurſum curriculo domum.
Nunc pol ego metuo, ne quid infuſcaverit.
Si hic non videbit mulierem, aperitur dolus.
Sc. Pro di immortales! ſimiliorem mulierem,
Magiſque eamdem, utpote quæ non ſit eadem, non reor
Deos facere poſſe. *Per.* Quid nunc? *Sc.* Commerui malum.
Per. Quid igitur? ean' eſt? *Sc.* Etſi ea eſt, non eſt ea.
Per. Vidiſtin' iſtam? *Sc.* Vidi & illam, & hoſpitem
Complexam atque oſculantem. *Per.* Ean' eſt? *Sc.* Neſcio.
Per. Vin' ſcire plane? *Sc.* Cupio. *Per.* Abi intro ad vos domum
Continuo, vide ſitne iſtæc voſtra intus domum.
Sc. Licet: pulchre admonuiſti. jam ego ad te exibo foras.
Per. Numquam edepol hominem quemquam ludificarier
Magis facete vidi, & magis miris modis.
Sed eccum egreditur. *Sc.* Periplectomene, te obſecro
Per deos atque homines, perque ſtultitiam meam,
Perque tua genua. *Per.* Quid obſecras me? *Sc.* Inſcitiæ
Meæ & ſtultitiæ ignoſcas. nunc demum ſcio
Me fuiſſe excordem, cæcum, incogitabilem.
Nam Philocomaſium eccam intus. *Per.* Quid nunc, furcifer?
Vidiſtin' ambas? *Sc.* Vidi. *Per.* Herum exhibeas volo.
Sc. Meruiſſe equidem me maxumum fateor malum,
Et tuæ feciſſe me hoſpitæ ajo injuriam:
Sed meam eſſe herilem concubinam cenſui,
Quoi me cuſtodem herus addidit Miles meus.
Nam ex uno puteo ſimilior numquam poteſt
Aqua aquæ ſumi, quam hæc eſt, atque iſta hoſpita.
Et me deſpexe ad te per impluvium tuum
Fateor. *Per.* Quid ni fateare, ego quod viderim?
Sc. Sed Philocomaſium me vidiſſe cenſui.
Per. Ratuſne me iſtic hominem eſſe omnium minimi pretii,
Si ego, me ſciente, paterer vicino meo
Eam fieri apud me tam inſignite injuriam?
Sc. Nunc demum a me inſipienter factum eſſe arbitror,
Cum rem cognoſco: at non malitioſe tamen
Feci. *Per.* Immo indigne. namque hominem ſervom ſuos
Domitos habere oportet oculos & manus,
Orationemque. *Sc.* Egone? ſi poſt hunc diem
Muttivero, etiam quod egomet certo ſciam;
Dato excruciatum me: egomet dedam me tibi.
Nunc hoc mihi ignoſcas quæſo. *Per.* Vincam animum meum,
Ne malitioſe factum id eſſe abs te arbitrer.
Ignoſcam tibi iſtuc. *Sc.* At dii tibi faciant bene.
Per. Næ tu hercle, ſi te dii amant, linguam comprimes
Poſthac: etiam illud, quod ſcies, neſciveris:
Ne videris, quod videris. *Sc.* Bene me mones.
Ita facere certum eſt. ſed ſatine oratus abis?
Numquid nunc aliud me vis? *Per.* Ne me noveris.
Sc. Dedit hic mihi verba. quam benigne gratiam
Fecit, ne iratus eſſet! ſcio, quam rem gerat:
Ut Miles, cum extemplo a foro adveniat domum,
Domi comprehendat. una hic & Palæſtrio
Me habent venalem: ſenſi, & jamdudum ſcio.
Numquam hercle ex iſta naſſa ego hodie eſcam petam.
Nam jam aliquo aufugiam, & me occultabo aliquot dies,
Dum hæ conſileſcunt turbæ, atque iræ leniunt.
Nam *jam* nunc ſatis & plus nimio merui mali.
Verumtamen de me quidquid eſt, ibo hinc domum.
Per. Illic hinc abſceſſit. ſat edepol certo ſcio,
Occiſam ſæpe ſapere plus multo ſuem,
Cum manducatur. ne id, quod vidit, viderit!
Nam illius oculi, atque aures, atque opinio
Tranſfugere ad nos. uſque adhuc actum eſt probe.

Nimium

Nimium feſtivam mulier operam præbuit.
Redeo in ſenatum rurſus. nam Palæſtrio
Domi nunc apud me: Sceledrus nunc autem foras.
Frequens ſenatus poterit nunc haberier.
Ibo intro: ne, dum abſum, illis ſortito ſuam.

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

Palæſtrio, Pleuſides, Periplectomenes.

Cohibete intra limen etiam vos parumper, Pleuſides.
Sinite me prius proſpectare, ne uſpiam inſidiæ ſient
Concilio, quod habere volumus. nam opus eſt nunc tuto loco,
Unde inimicus ne quis noſtris ſpolia capiat conſiliis,
Unde inimicus ne quis noſtra ſpolia capiat auribus:
Nam bene conſultum, inconſultum eſt, ſi inimicis ſit uſui:
Neque poteſt, quin, ſi id inimicis uſui eſt, obſit mihi.
Nam bonum conſilium ſurripitur ſæpiſſume,
Si minus cum cura aut cate locus loquendi lectus eſt.
Quippe ſi reſciverint inimici conſilium tuum,
Tuopte tibi conſilio occludunt linguam, & conſtringunt manus:
Atque eadem, quæ illis voluiſti facere, faciunt tibi.
Sed ſpeculabor, ne quis aut hinc a læva, aut a dextera
Noſtro conſilio venator aſſit cum auritis plagis.
Sterilis hinc proſpectus uſque ad ultimam plateam eſt probe.
Evocabo: Heus Periplectomenes & Pleuſides, progredimini.
Per. Ecce nos tibi obedienteis. *Pal.* Facile eſt imperium in bonis.
Sed volo ſcire: eodem conſilio, quod intus meditati ſumus,
Si gerimus rem. *Per.* magis ad rem eſſe non poteſt utibile.
Pal. Immo quid tibi, Pleuſides? *Pl.* Quodne vobis placeat, diſpliceat mihi?
Quis homo ſit magis meus, quam tu es? *Per.* Loquere lepide & commode.
Pal. Pol ita decet hunc facere. *Pl.* At hoc me facinus miſerum macerat,
Meumque cor, corpuſque cruciat. *Per.* Quid id eſt, quod cruciat? cedo.
Pl. Me tibi iſtuc ætatis homini facinora puerilia
Objicere, neque te decora, neque tuis virtutibus,
Ea te expetere: te ex opibus ſummis mei honoris gratia,
Mihique amanti ire opitulatum, atque ea te facere facinora,
Quæ iſtæc ætas fugere facta magis, quam ſectari ſolet.
Eam pudet me tibi in ſenecta objicere ſollicitudinem.
Per. Novo modo tu homo amas: ſiquidem te quidquam, quod faxis, pudet.
Nihil amas: umbra es amantum magis, quam amator, Pleuſides.
Pl. Hanccine ætatem exercere me mei amoris gratia?
Per. Quid ais tu? itane tibi ego videor oppido Acheruntícus,
Tam capularis, tamne tibi diu videor vitam vivere?
Nam equidem haud ſum annos natus præter quinquaginta & quatuor:
Clare oculis video, pernix ſum manibus, ſum pedes mobilis.
Pal. Si albus capillus hic videtur, neutiquam ingenio eſt ſenex.
Ineſt in hoc amuſſitata ſua ſibi ingenua indoles.
Pl. Pol id quidem experior ita eſſe, ut prædicas, Palæſtrio,
Nam benignitas quidem hujus oppido ut adoleſcentuli eſt.
Per. Immo, hoſpes, magis cum periculum facies, magis noſces meam
Comitatem erga te amantem. *Pl.* Quid opus nota noſcere?
Per. Ut apud te exemplum experiundi habeas, ne petas foris.
Nam qui ipſe haud amavit, ægre amantis ingenium inſpicit.
Et ego amoris aliquantum habeo, humoriſque meo etiam in corpore:
Neque dum exarui ex amœnis rebus & voluptariis.
Vel cavillator facetus, vel conviva commodus
Item ero: neque ego umquam oblocutor ſum alteri in convivio,
Incommoditate abſtinere me apud convivas commode
Commemini, & meæ orationis juſtam partem perſequi:
Et meam partem itidem tacere, cum aliena eſt oratio.
Minime ſputator, ſcreator ſum, itidem minime muccidus.
Poſt Epheſi ſum natus; non in Apulis, non ſum in Umbria.
Pal. O lepidum ſenicem, ſi, quas memorat, virtutes habet:
Atque equidem plane eductum in nutricatu Venerio!
Per. Plus dabo, quam prædicabo, ex me venuſtatis tibi.
Neque ego ad menſam publicas res clamo, neque leges crepo:
Neque ego umquam alienum ſcortum ſubigito in convivio.
Neque præripio pulpamentum, neque prævorto poculum.
Neque per vinum umquam ex me exoritur diſſidium in convivio.
Si quis ibi eſt odioſus, abeo domum, ſermonem ſegrego.
Venerem, amorem, amœnitatemque accubans exerceo.
Pl. Tui quidem edepol omnis mores ad venuſtatem valent.
Cedo treis mihi homines aurichalco contra cum iſtis moribus.
Pal. At quidem illuc ætatis qui ſit, non invenies alterum
Lepidiorem ad omnes res, nec qui amicus amico ſit magis.
Per. Tute me ut fateare faciam, eſſe adoleſcentem moribus:
Ita apud omnes comparebo tibi res benefactis frequens.
Opuſne erit tibi advocato triſti, iracundo? ecce me.
Opuſne leni? leniorem dices, quam mutum eſt mare:
Liquidiuſculuſque ero, quam ventus eſt Favonius.
Vel hilariſſumum convivam hinc indidem expromam tibi,

Vel primarium paraſitum, atque obſonatorem optumum:
Tum ad ſaltandum non cinædus malacus æque eſt atque ego.
Pal. Quid ad illas artes optaſſis, ſi optio eveniat tibi?
Pl. Hujus pro meritis ut referri pariter poſſit gratia:
Tibique, quibus nunc me eſſe experior ſummæ ſollicitudini.
At tibi tanto ſumtui eſſe mihi moleſtum eſt. *Per.* Morus es.
Nam in mala uxore atque inimico ſi quid ſumas, ſumtus eſt:
In bono hoſpite atque amico, quæſtus eſt, quod ſumitur:
Et quod in divinis rebus ſumas, ſapienti lucro eſt.
Deum virtute, ut tranſeuntem hoſpitio accipiam, apud me eſt comitas.
Es, bibe, animo obſequere mecum, atque onera te hilaritudine.
Liberæ ſunt ædes: liber ſum autem ego: me uti volo libere.
Nam mihi, deum virtute dicam, propter divitias meas
Licuit uxorem dotatam genere ſummo ducere:
Sed nolo mihi oblatratricem in ædeis intromittere.
Pl. Cur non vis? nam procreare liberos lepidum eſt onus.
Per. Hercle vero, liberum eſſe, id multo eſt lepidius.
Pal. Tute homo & alteri ſapienter potis es conſulere, & tibi.
Per. Nam bona uxor, ſi ea deducta eſt uſquam gentium,
Ubi eam poſſim invenire? verum egone eam ducam domum?
Quæ mihi numquam hoc dicat: Eme, mi vir, lanam, unde tibi pallium
Malacum & calidum conficiatur, tunicæque hibernæ bonæ,
Ne algeas hac hieme. hoc numquam verbum ex uxore audias.
Verum priuſquam galli cantent, quæ me ſomno ſuſcitet,
Dicat: Da mihi, vir, Calendis meam quod matrem juverit:
Da qui farciat, da qui condiat: da quod dem Quinquatribus
Præcantatrici, conjectrici, hariolæ atque aruſpicæ:
Flagitium eſt, ſi nihil mittetur, quo ſupercilio ſpicit!
Tum piatricem clementer, non poteſt, quin munerem.
Jampridem, quia nihil abſtulerit, ſuccenſet ceraria.
Tum obſtetrix expoſtulavit mecum, parum miſſum ſibi.
Quid? nutrici non miſſurus quidquam, quæ vernas alit?
Hæc atque hujus ſimilia alia damna multa mulierum
Me uxore prohibent, mihi quæ hujus ſimiles ſermones ferat.
Pal. Dii tibi propitii ſunt hercle: nam ſi iſtam ſemel amiſeris
Libertatem, haud facile te in eumdem rurſus reſtitues locum.
Pl. At illa laus eſt, magno in genere & in divitiis maxumis,
Liberos hominem educare, generi monumentum & ſibi.
Per. Quando habeo multos cognatos, quid opus ſit mihi liberis?
Nunc bene vivo, & fortunate, atque ut volo, atque animo ut lubet:
Mea bona mea morte cognatis dicam, inter eos partiam.
Illi apud me edunt, me curant; viſunt, quid agam, ecquid velim.
Priuſquam lucet, aſſunt: rogitant, noctu ut ſomnum ceperim.
Eos pro liberis habeo. quin mihi mittunt munera.
Sacrificant? dant inde partem mihi majorem, quam ſibi:
Abducunt ad exta: me ad ſe ad prandium, ad cœnam vocant.
Ille miſerrimum ſe retur, minimum qui miſit mihi.
Illi inter ſe certant donis. ego hæc mecum muſſito:
Bona mea inhiant: certatim dona mittunt & munera.
Pal. Nimis bona ratione, nimiſque aperta tu multum vides.
Et tibi ſunt gemini, & trigemini, ſi te bene habes, filii.
Per. Pol, ſi habuiſſem, ſatis cepiſſem miſeriarum liberis.
Cenſerem emori: cecidiſſet ne ebrius, aut de equo uſpiam?
Metuerem, ne ibi defregiſſet crura aut cervices ſibi.
Tum ne uxor mihi inſignitos pueros pariat poſtea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum, aut broncum filium.
Pal. Huic homini dignum eſt divitias eſſe, & diu vitam dari,
Qui & rem ſervat, & qui bene habet, ſuiſque amicis eſt volup.
Pl. O lepidum caput! ita me dii deæque ament, æquom fuit
Deos paraviſſe, uno exemplo ne omnes vitam viverent.
Sicuti merci pretium ſtatui, pro virtute ut veneat:
Quæ improba eſt, pro mercis vitio dominum pretio pauperet.
Itidem divos diſpertiſſe vitam humanam æquom fuit.
Qui lepide ingeniatus eſſet, vitam longinquam darent:
Qui improbi eſſent & ſceleſti, iis adimerent animam cito.
Si hoc paraviſſent, homines eſſent minus multi mali,
Et minus audacter ſceleſta facerent facta: & poſtea
Qui probi homines eſſent, eſſet his annona vilior.
Per. Qui deorum conſilia culpet, ſtultus, inſcituſve ſit,
Quique eos vituperet. nunc jam iſtis rebus deſiſti decet.
Nunc volo obſonare, ut, hoſpes, tua te ex virtute, & mea
Meæ domi accipiam benigne, lepide, & lepidis victibus.
Pl. Nihil me pœnitet jam, quanto ſumtui fuerim tibi.
Nam hoſpes nullus tam in amici hoſpitium devorti poteſt,
Quin ubi triduum continuum fuerit, jam odioſus fiet.
Verum ubi dies decem continuos immorabitur,
Tametſi dominus non invitus patitur, ſervi murmurant.
Per. Servienteis ſervitute ego ſervos introduxi mihi,
Hoſpes, non qui mihi imperarent, quibus ego eſſem obnoxius:
Si illis ægre eſt, mihi quod volupe eſt, meo remigio rem gero.
Tamen id quod odio eſt, faciundum eſt cum malo atque ingratiis.
Nunc, quod occœpi, obſonatum pergam. *Pl.* Si certum eſt tibi,
Commodulum obſona, ne magno ſumtu: mihi quidvis ſat eſt.
Per. Quin tu iſtanc orationem hinc veterem atque antiquam amoves.
Nam proletario ſermone nunc quidem, hoſpes, utere.

Nam

Nam hi ſolent, quando accubuere, ubi cœna appoſita eſt, dicere;
Quid opus fuit hoc, *hoſpes*, ſumtu tanto noſtra gratia?
Inſaniviſti hercle: nam idem hoc hominibus ſat erat decem.
Quod eorum cauſſa obſonatum eſt, culpant; & comedunt tamen.
Pal. Fit pol illud ad illud exemplum. ut docte & perſpecte ſapit!
Per. Sed iidem homines numquam dicunt, quamquam appoſitum eſt ampliter,
Jube illud demi: tolle hanc patinam: remove pernam: nihil moror.
Aufer illam offam penitam: probus hic conger frigidus.
Remove, abi, aufer, neminem eorum hæc aſſeverare audias.
Sed procellunt ſe, & procumbunt dimidiati, dum appetunt.
Pal. Bonus bene ut malos deſcripſit mores! *Per.* Haud centeſimam
Partem dixi, atque, otium rei ſi ſit, poſſim expromere.
Pal. Igitur id quod agitur hic, primum prævorti decet.
Nunc huc animum advortite ambo: mihi opus eſt opera tua,
Periplectomene: nam ego inveni lepidam ſycophantiam,
Qui admutiletur Miles uſque cæſariatus: atque uti
Huic amanti ac Philocomaſio hanc efficiamus copiam,
Ut hic eam abducat, abeatque. *Per.* Dari iſtanc rationem volo.
Pal. At ego mihi annulum dari iſtum tuum volo. *Per.* Quam ad rem uſui eſt?
Pal. Quando habebo, igitur rationem mearum fabricarum dabo.
Per. Utere, accipe. *Pal.* Accipe a me rurſum rationem doli,
Quam inſtitui. *Pl.* Perpurgatis ambo damus tibi operam auribus.
Pal. Herus meus ita magnus mœchus mulierum eſt, ut neminem
Fuiſſe adæque. neque futurum credam. *Per.* Credo ego iſtuc idem.
Pal. Itaque Alexandri præſtare prædicat formam ſuam:
Itaque omneis ſe ultro ſectari in Epheſo memorat mulieres.
Per. Edepol quin te de iſto multi cupiunt non mentirier:
Sed ego ita eſſe, ut dicis, teneo pulchre. proin, Palæſtrio,
Quam potes, tam verba confer maxume ad compendium.
Pal. Ecquam tu potes reperire forma lepida mulierem,
Cui facetiarum cor corpuſque ſit plenum & doli?
Per. Ingenuamne, an libertinam? *Pal.* Æque iſtuc facio, dummodo
Eam des, quæ ſit quæſtuoſa, quæ alat corpus corpore,
Cuique ſapiat pectus: nam cor non poteſt, quod nulla habet.
Per. Lautam vis, an quæ nondum ſit lauta? *Pal.* Siccam, ſuccidam,
Quam lepidiſſumam potes, quamque adoleſcentem maxume.
Per. Habeo eccillam meam clientam, meretricem adoleſcentulam.
Sed quid ea uſus eſt? *Pal.* Ut ad te eam jam deducas domum,
Utique eam huc ornatam adducas matronarum modo:
Capite compto, crines vittaſque habeat, aſſimuletque ſe
Tuam eſſe uxorem. ita præcipiendum eſt: *Pl.* Erro, quam inſiſtas viam.
Pal. At ſcietis. ſed ecqua ancilla eſt illi? *Per.* Eſt primaria.
Pal. Ea quoque opus eſt: ita præcipito mulieri atque ancillulæ,
Ut ſimulet ſe tuam eſſe uxorem, & deperire hunc militem,
Quaſique hunc annulum faveæ ſuæ ancillæ dederit; ea porro mihi,
Militi ut darem, quaſique ego rei ſim interpres. *Per.* Audio.
Ne me ſurdum verbera. *Pal.* Tu ſi audis, ego recte meis
Dabo: a tua mihi uxore dicam delatum & datum,
Ut ſeſe ad eum conciliarem. ille ejuſmodi eſt; cupiet miſer.
Qui, niſi adulterio, ſtudioſus rei nullæ aliæ eſt, improbus.
Per. Non potuit reperire, ſi ipſi Soli quærendas dares,
Lepidiores duas ad hancce rem, quam ego. age: habe animum bonum.
Pal. Ergo accurato & properato opus eſt: nunc tu auſculta, Pleuſides.
Pal. Tibi ſum obediens. *Pl.* Hoc facito: Miles domum ubi advenerit,
Memineris ne Philocomaſium nemines. *Pl.* Quam nominem?
Pal. Glyceram. *Pl.* Nempe eamdem, quæ dudum conſtituta eſt. *Pal.* pax! abi.
Pl. Meminero. ſed quid meminiſſe id refert? ego te tamen.
Pal. Ego enim dicam tum, quando uſus poſcet. interea tace.
Ut nunc etiam hic agit, actutum partes defendas tuas.
Pl. Ego eo intro igitur. *Pal.* Et præcepta ſobrie ut cures, face.

ACTUS III. SCENA II.

Paleſtrio, Lucrio.

QUantas res turbo! quantas moveo machinas!
Eripiam ego hodie concubinam militi,
Si centuriati bene ſunt manipulares mei.
Sed illum vocabo. heus Sceledre, niſi negotium,
Progredere ante ædis; te vocat Palæſtrio.
Luc. Non opera eſt Sceledro. *Pal.* Quid jam? *Luc.* Sorbet dormiens.
Pal. Quid ſorbet? *Luc.* Illud ſtertit volui dicere.
Sed quia conſimile eſt, quod ſtertas, quaſi ſorbeas.
Pal. Eho, an dormit Sceledrus intus? *Luc.* Non naſo quidem;

Nam

Nam eo magnum clamat. tetigit calicem clanculum,
Demiſit nardini unam amphoram cellarius.
Pal. Eho tu ſceleſte, qui illi ſuppromus es, eho!
Luc. Quid vis? *Pal.* Qui libitum eſt illi condormiſcere?
Luc. Oculis opinor. *Pal.* Non te iſtuc rogito, ſcelus.
Procede huc: periiſti jam, niſi verum ſcio.
Promſiſti tu illi vinum? *Luc.* Non promſi. *Pal.* Negas?
Luc. Nego hercle vero: nam ille me vetuit dicere.
Neque equidem heminas octo expromſi in urceum,
Neque ille hic calidum exbibit in prandium.
Pal. Neque tu bibiſti? *Luc.* Dii me perdant, ſi bibi,
Si bibere potui. *Pal.* Qui jam? *Luc.* Quia enim obſorbui,
Nam nimis calebat, amburebat gutturem.
Pal. Alii ebrii ſunt, alii poſcam potitant.
Bono ſuppromo & promo cellam creditam!
Luc. Tu hercle idem faceres, ſi tibi eſſet credita:
Quoniam æmulari non licet, nunc invides.
Pal. Eho an numquam promſit antehac? reſponde, ſcelus.
Atque ut tu ſcire poſſis, edico tibi,
Si falſa dixis, cocio, excruciabere.
Luc. Ita vero, ut tu ipſe me dixiſſe delices;
Poſtea ſagina ego ejiciar cellaria,
Ut tibi qui promat, alium ſuppromum pares.
Pal. Non edepol faciam. age loquere audacter mihi.
Luc. Numquam edepol vidi promere. verum hoc erat:
Mihi imperabat, ego promebam poſtea.
Pal. Hui! illecebroſe! capite ſiſtebas cadum?
Luc. Non hercle tam iſtuc valide caſabant cadi.
Sed in cella eſt paullum nimis loculi lubrici,
Ibi erat bilibris aqualis, hic propter cados.
Ea ſæpe decies complebatur die,
Eam plenam atque inanem fieri maxumam
Vidi. bacchabatur hama, caſabant cadi.
Pal. Abi, abi intro jam. vos in cella vinaria
Bacchanal facitis. jam hercle ego herum adducam a foro.
Luc. Perii, excruciabit me herus, domum ſi venerit,
Quom hæc facta ſcibit, quia ſibi non dixerim.
Fugiam hercle aliquo, atque hoc in diem extollam malum.
Ne dixeritis obſecro huic voſtram fidem.
Pal. Quo tu te agis? *Luc.* Miſſus ſum alio: jam huc revenero.
Pal. Quis miſit? *Luc.* Philocomaſium. *Pal.* Abi, actutum redi.
Luc. Quæſo tamen, tu meam partem infortunii,
Si dividetur, me abſente, accipito tamen.
Pal. Modo intellexi, quam rem mulier geſſerit:
Quia Sceledrus dormit, hunc ſubcuſtodem ſuum
Foris ablegavit, dum ab ſe huc tranſiret. placet.
Sed Periplectomenes, quam ei mandavi, mulierem
Nimis lepida forma ducit. dii hercle hanc rem adjuvant.
Quam digne ornata incedit, haud meretricie!
Lepide hoc ſuccedit ſub manus negotium.

ACTUS III. SCENA III.

Periplectomenes, Acroteleutium, Palæſtrio, Milphidippa.

REm omnem, Acroteleutium, tibi, tibique, mea Milphidippa,
Domi demonſtravi ordine. hanc fabricam fallaciaſque
Minus ſi tenetis, denuo volo percipiatis plane.
Satis ſi intellegitis, aliud eſt quod potius fabulemur.
Acr. Stultitia atque inſipientia inſulſa atque maxuma hæc ſit,
Me ire in opus alienum, aut tibi meam operam pollicitari,
Si ea in opificina neſciam aut mala eſſe aut fraudulenta.
Per. At melius eſt monerier. *Acr.* Meretricem commoneri,
Quam ſane magni referat, mihi clam eſt! quin ego me fruſtro,
Poſtquam adbibere aures meæ tuam moram orationis;
Tibi dixi, Miles quemadmodum potis eſſet deaſciari.
Per. At nemo ſolus ſatis ſapit: nam ego multos ſæpe vidi
Regionem fugere conſilii prius quam repertam habuere.
Acr. Si quid faciundum eſt mulieri male atque malitioſe,
Ea ſibi immortalis memoria eſt meminiſſe & ſempiterna:
Sin bene quid aut fideliter faciundum eſt, eo deveniunt,
Obliviosæ extemplo uti fiant, meminiſſe nequeunt.
Per. Ergo iſtuc metuo, quo venit vobis faciundum utrumque.
Nam id proderit mihi, militi male quod facietis ambæ.
Acr. Dum ne inſcientes quid bonum faciamus, ne formida.
Mala nulla meretrix eſt, ne pave, pejora ubi conveniunt.
Per. Ita vos decet. conſequimini. *Pal.* Ceſſo ego illis obviam ire?
Venire ſalvom gaudeo. lepido hercle ornatu incedit.
Per. Bene opportuneque obviam es, Palæſtrio: hem tibi aſſunt,
Quas me juſſiſti adducere, & quo ornatu. *Pal.* heus! noſter eſto.
Paleſtrio Acroteleutium ſalutat. *Acr.* Quis hic amabo eſt.
Qui tam pro nota me nominat? *Per.* Hic noſter architectus eſt.
Acr. Salve architecte. *Pal.* Salva ſis. ſed dic mihi, ecquid hic te
Oneravit præceptis? *Per.* Probe meditatam utramque duco.
Pal. Audire cupio quemadmodum. ne quid peccetis, paveo.
Per. Ad tua præcepta de meo nihil his novom appoſivi.
Acr. Nempe ludificari militem tuum herum vis? *Pal.* Elocuta es.
Acr. Lepide & ſapienter, commode & facete res parata eſt.
Pal. Atque hujus uxorem eſſe te volo aſſimulare. *Acr.* Fiet.
Pal. Quaſi militi animum adjeceris, ſimulare. *Acr.* Sic futurum eſt.
Pal. Quaſique hæc res per me interpretem, & tuam ancillam geratur.
Acr. Bonus vates poteras eſſe: nam quæ ſunt futura, dicis.
Pal. Quaſique annulum hunc ancillula tua abs te detulerit ad me,

Quem

Quem ego militi darem tuis verbis. *Acr.* Vera dicis.
Per. Quid iſtis nunc memoratis opus eſt, quæ commeminere? *Acr.* Meliu' ſt.
Nam, mi patrone, hoc cogitato: ubi probus eſt architectus,
Bene lineatam ſi ſemel carinam collocavit,
Facile eſſe navem facere, ubi fundata, & conſtituta eſt.
Nunc hæc carina ſatis probe fundata, & bene ſtatuta eſt.
Adſunt fabri, architectique, a me, a te, haud imperiti.
Si non nos materiarius remoratur, quod opu' ſt qui det,
Novi indolem noſtri ingenii; cito erit parata navis.
Pal. Nempe tu noviſti militem meum herum? *Acr.* Rogare mirum eſt!
Populi odium quidni noverim? magnidicum, cincinnatum,
Mœchum unguentatum. *Pal.* num ille etiam te novit? *Acr.* numquam vidit:
Qui noverit me, quis ego ſim? *Pal.* Nimis lepide fabulare.
Eo potuerit lepidius pol fieri. *Acr.* Potine ut hominem
Mihi des? quieſcas cetera. ni lepide ludificata
Ero, culpam omnem in me imponito. *Pal.* Agite igitur, intro abite,
Inſiſtite hoc negotium ſapienter. *Acr.* Alia cura.
Pal. Age, Periplectomene, has nunc jam duc intro: ego ad forum illum
Conveniam, atque illi hunc annulum dabo, atque prædicabo
A tua uxore mihi datum eſſe, eamque illum deperire.
Hanc ad nos, cum extemplo a foro veniemus, mittito tu,
Quaſi clanculum ad me miſſa ſit. *Per.* Faciemus. alia cura.
Pal. Vos modo curate; ego illum probe jam oneratum huc accibo.
Per. Bene ambula, bene rem gere. at egone hoc ſi efficiam plane,
Ut concubinam Militis meus hoſpes habeat hodie,
Atque hinc Athenas abeat; ſi hodie hunc dolum dolamus,
Quid tibi ego mittam muneris? *Acr.* Datne ab ſe mulier operam?
Pal. Lepidiſſume & comiſſume. *Acr.* Confido confuturum.
Ubi facta erit collatio noſtrarum malitiarum,
Haud vereor, ne nos ſubdola perfidia pervincamur.
Per. Abeamus ergo intro, hæc uti meditemur cogitate:
Nequid, ubi Miles venerit, titubetur. *Acr.* Tu morare,
Ut accurate & commode, hoc quod agendum eſt, exſequamur.

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

Pyrgopolinices, *Palæſtrio*.

Volup eſt quod agas, ſi id procedit lepide & ex ſententia.
Nam ego hodie ad Seleucum regem miſi paraſitum meum,
Ut latrones, quos conduxi, hinc ad Seleucum duceret,
Qui ejus regnum tutarentur, mihi dum fieret otium.
Pal. Quin tu tuam rem cura potius, quam Seleuci: quæ tibi
Conditio nova & luculenta fertur per me interpretem!
Pyrg. Immo omneis res poſteriores pono atque operam do tibi.
Loquere, aures meas profecto dedo in ditionem tuam.
Pal. Circumſpicito dum, ne quis noſtro hic auceps ſermoni ſiet.
Nam hoc negotii clandeſtino ut agerem, mandatum 'ſt mihi.
Pyrg. Nemo adeſt. *Pal.* Hunc arrhabonem amoris primum a me accipe.
Pyrg. Quid hic? unde eſt? *Pal.* A luculenta atque a feſtiva fœmina,
Quæ te amat, tuamque expetiſſit pulchram pulchritudinem,
Ejus nunc mihi annulum ad te ancilla porro, ut deferrem, dedit.
Pyrg. Quid? ean' ingenua, an feſtuca facta e ſerva libera eſt?
Pal. Vah! egone ut ad te ab libertina eſſe auderem internuntius,
Qui ingenuis ſatis reſpondere nequeas cupidis tui!
Pyrg. Nupta ea eſt, an vidua? *Pal.* Et nupta & vidua. *Pyrg.* Quo pacto potis
Vidua & nupta eſſe eadem? *Pal.* Quia adoleſcens nupta eſt cum ſene.
Pyrg. Euge! *Pal.* Lepida & liberali forma eſt. *Pyrg.* Cave mendacium.
Pal. Ad tuam formam illa una digna eſt. *Pyrg.* Hercle pulchram prædicas.
Sed quis ea eſt? *Pal.* Senis hujus uxor Periplectomeni in proxumo,
Ea demoritur te, atque ab illo incipit abire; odit ſenem.
Nunc te orare atque obſecrare juſſit, ut tui copiam
Sibi poteſtatemque facias. *Pyrg.* Cupio hercle equidem, ſi illa volt.
Pal. Quæ cupit! *Pyrg.* Quid illa faciemus concubina, quæ domi eſt?
Pal. Quin tu illam jube abs te abire, quo lubet: ſicut ſoror
Ejus huc gemina venit Epheſum, & mater, arceſſuntque eam.
Pyrg. Ain' tu, advenit Epheſum mater ejus? *Pal.* Ajunt, qui ſciunt.
Pyrg. Hercle occaſionem lepidam, ut mulierem excludam foras.
Pal. Immo vin' tu lepide facere? *Pyrg.* Loquere: & conſilium cedo.
Pal. Vin' tu illam actutum amovere, a te ut abeat per gratiam?

Pyrg.

Pyrg. Cupio. *Pal.* Tum te hoc facere oportet: tibi divitiarum affatim eſt:
Jube ſibi aurum atque ornamenta, quæ illi inſtruxiſti mulieri,
Dono habere, auferreque abs te quo lubeat ſibi.
Pyrg. Placet, uti dicis: ſed ne iſtanc amittam, & hæc mutet fidem,
Vide modo. *Pal.* Vah delicatus, quæ te tamquam oculos amet!
Pyrg. Venus me amat. *Pal.* ſt! tace. aperiuntur fores: concede huc clanculum.
Hæc celox illius eſt, quæ hic egreditur internuncia.
Pyrg. Quæ hæc celox? *Pal.* Ancillula illius eſt, quæ hic egreditur foras,
Quæ annulum iſtunc attulit, quem tibi dedi. *Pyrg.* Edepol hæc quidem
Bellula eſt. *Pal.* Pithecium hæc eſt præ illa & ſpinturnicium.
Viden' tu illam oculis venaturam facere, atque aucupium auribus?

ACTUS IV. SCENA II.

Milphidippa, Pyrgopolinices, Palæſtrio.

Mil. Jamne eſt ante ædeis circus, ubi ſunt ludi faciendi mihi?
Diſſimulabo, hos quaſi non videam, neque eſſe hic, etiam dum ſciam.
Pyrg. Tace: ſubauſcultemus, ecquid de me fiat mentio.
Mil. Num quis nam hic prope adeſt, qui rem alienam potius curet quam ſuam?
Qui aucupet me quid agam? qui de veſperi vivat ſuo?
Eos nunc homines metuo, mihi ne obſint, neve obſtent uſpiam,
Domo ſi ibit, ac dum huc tranſibit, quæ hujus cupiens corporis eſt,
Quæ amat hunc hominem nimium lepidum, & nimia pulchritudine
Militem Pyrgopolinicem. *Pyrg.* Satin' hæc quoque me deperit?
Meam laudat ſpeciem. edepol hujus ſermones haud cinerem quæritant.
Pal. Quo argumento. *Pyrg.* Quia enim loquitur laute, & minime ſordide:
Tum autem illa ipſa eſt nimium lepida, nimiſque nitida femina.
Hercle vero jam allubeſcit primulum, Palæſtrio.
Pal. Priuſne, quam illam oculis tuis? *Pyrg.* Video id, quod credo tibi.
Quid illa autem abſens, cum hæc locuta ſubigit me ut amem? *Pal.* Hercle hanc quidem
Nihil tu amaſſis. mihi hæc deſponſa eſt: tibi ſi illa hodie nupſerit,
Ego hanc continuo uxorem ducam. *Pyrg.* Quid ergo hanc dubitas colloqui?
Pal. Sequere hac me ergo. *Pyrg.* Pediſſequus tibi ſum. *Mil.* Utinam, cujus cauſſa
Foras ſum egreſſa, conveniendi mihi poteſtas eveniat!
Pal. Erit; & tibi exoptatum obtinget: bonum habe animum, ne formida:
Homo quidam eſt, qui ſcit, quod quæris, ubi ſit. *Mil.* Quem ego hic audivi?
Pal. Socium tuorum conſiliorum, & participem conſiliarium.
Mil. Tum pol ego, id quod celo, haud celo. *Pal.* Immo, etiamſi non celas.
Mil. Quo argumento? *Pal.* Infidos celas: ego ſum tibi firma fide.
Mil. Cedo ſignum, ſi harunc Baccharum es. *Pal.* Amat mulier quædam quemdam.
Mil. Pol iſtuc quidem multæ? *Pal.* At non multæ de digito donum mittunt.
Mil. Enim cognovi nunc. feciſti modo mihi ex proclivo palam rem.
Sed hic numquis adeſt? *Pal.* Vel adeſt, vel non. *Mil.* Cedo te mihi ſolæ ſolum.
Pal. Brevin'an longinquo ſermone? *Mil.* Tribus verbis. *Pal.* Jam ad te redeo.
Pyrg. Quid? ego hic aſtabo tantiſper cum hac forma, & factis ſic fruſtra?
Pal. Patere, atque aſta. tibi hanc ego do operam. *Pyrg.* Properando excrucior.
Pal. Pedetentim. tu hæc ſcis, tractari ita ſolere haſce hujuſmodi merces.
Pyrg. Age, age, ut tibi maxume concinnum eſt. *Pal.* Nullum eſt hoc ſtolidius ſaxum.
Redeo ad te. quid me voluiſti? *Mil.* Quo pacto hoc dudum accepi,
Iſtuc fero ad te conſilium. *Pal.* Quaſi hunc depereat. *Mil.* Teneo iſtuc.
Pal. Collaudato formam & faciem, & virtutes commemorato,
Mil. Ad eam rem habeo omnem aciem, tibi ut dudum demonſtravi.
Pal. Tu cetera cura & contempla, & de meis venator verbis.
Pyrg. Aliquam mihi partem hodie operæ des denique: jam tandem ades illico.
Pal. Adſum: impera, ſi quid vis. *Pyrg.* Quid illæc narrat tibi? *Pal.* Lamentari
Ait illam miſeram, cruciari, & lacrumantem ſe adſflictare.
Quia tis egeat, quia te careat. ob eam rem huc ad te miſſa 'ſt.
Pyrg. Jube adire. *Pal.* At ſcin' quid tu facias? face te faſtidii plenum,
Quaſi non lubeat: me inclamato, quia ſic te volgo volgem.
Pyrg. Memini, & præceptis parebo. *Pal.* Voco ergo hanc, quæ te quærit?
Pyrg. Adeat, ſi quid volt. *Pal.* Si quid vis, adi, mulier. *Mil.* Pulcher, ſalve.
Pyrg. Meum cognomentum quis commemoravit? dii tibi dent quæ optes.
Mil. Tecum ætatem exigere ut liceat. *Pyrg.* Nimium optas. *Mil.* Non me dico,
Sed heram meam, quæ te demoritur. *Pyrg.* Multæ aliæ idem iſtuc cupiunt,
Quibus non eſt copia. *Mil.* Ecaſtor haud mirum, ſi te habeas carum,
Hominem tam pulchrum, & præclara virtute, & forma, & factis.
Ecquis dignior fuit, homo qui eſſet? *Pal.* Non hercle humanum eſt ergo:
Nam volturio plus humani credo eſt. *Pyrg.* Magnum me faciam
Nunc, quoniam illæc me collaudat. *Pal.* Viden' ignavom, ut ſeſe inferat!
Quin tu huic reſponde? hæc illæc eſt ab illa quam dudum.

Pyrg.

Pyrg. Quanam ab illarum? nam ita me occurſant multæ: meminiſſe haud poſſum.
Mil. Ab illa, quæ digitos deſpoliat ſuos, & tuos digitos decorat.
Nam hunc annulum ab tui cupiente huc detuli huic, *qui* porro.
Pyrg. Quid nunc tibi vis, mulier? memora. *Mil.* Ut, quæ te cupit, eam ne ſpernas.
Quæ per tuam nunc vitam vivit. ſit, necne ſit, ſpes in te uno eſt.
Pyrg. Quid nunc volt? *Mil.* Te compellare, & complecti, & contrectare.
Nam niſi tu illi fers ſuppetias, jam illa animum deſpondebit.
Age, mi Achilles, fiat quod te oro: ſerva illam pulchram pulchre:
Exprome benignum ex tete ingenium, urbicape, occiſor regum.
Pyrg. Heu hercle odioſas res! quoties hoc tibi, verbero, ego interdixi,
Meam ne ſic volgo polliciteris operam? *Pal.* Audin' tu, mulier?
Dixi hoc tibi dudum, & nunc dico: niſi huic verri affertur merces,
Non hic ſuo ſeminio quamquam porculam impertiturus eſt.
Mil. Dabitur, quantum ipſus pretii poſcet. *Pal.* Talentum Philippum huic opus auri eſt.
Minus ab nemine accipiet. *Mil.* Heu ecaſtor nimis vile eſt tandem.
Pyrg. Non mihi avaritia umquam innata eſt: ſatis eſt divitiarum.
Plus mihi auri mille eſt modiorum Philippei. *Pal.* Præter theſaurum.
Tum argenti montes, non maſſas habet. Ætna mons non æque altus.
Mil. Heu ecaſtor hominem perjurum! *Pal.* Ut ludo! *Mil.* Quid ego? ut ſublecto os! *Pal.* Scite.
Mil. Sed amabo, mitte me actutum. *Pal.* Quin tu huic reſpondes aliquid,
Aut facturum, aut non facturum? quid illam miſeram animi excrucias,
Quæ numquam male de te merita eſt? *Pyrg.* At jube eampſe exire huc ad nos.
Dic me omnia, quæ volt facturum. *Mil.* Facis nunc, ut facere æquom;
Quod, quæ te volt, eadem tu vis. *Pal.* Non hic inſulſum habet ingenium!
Mil. Quomque me oratricem haud ſpreviſti, ſiviſtique exorare ex te.
Quid eſt? ut ludo! *Pal.* Nequeo hercle quidem riſu me admoderarier.
Ob eam cauſſam huc abs te avorti. *Pyrg.* Non edepol tu ſcis, mulier,
Quantum ego honorem nunc illi habeo. *Mil.* Scio, & iſtuc illi dicam.
Pal. Contra auro alii hanc vendere potuit operam. *Mil.* Iſtuc pol tibi credo.
Pal. Meri bellatores gignuntur, quas hic prægnantes fecit.
Et pueri annos octingentos vivont. *Mil.* Væ tibi, nugator!
Pyrg. Quin mille annorum perpetuo vivont, ab ſæculo ad ſæclum.
Pal. Eo minus dixi, ne hæc cenſeret me advorſum ſe mentiri.
Mil. Perii, quot hic ipſe annos vivet, quojus filii tam diu vivont?
Pyrg. Poſtriduo natus ſum ego, mulier, quam Juppiter ex Ope natus eſt.
Pal. Si hic pridie natus foret, quam ille eſt, hic haberet regnum in cælo.
Mil. Jam jam ſat, amabo, eſt. ſinite abeam, ſi poſſum, viva a vobis.
Pal. Quin ergo abis, quando reſponſum eſt. *Mil.* Ibo, atque illam huc adducam,
Quam propter opera eſt mihi. numquid vis? *Pyrg.* Ne magis ſim pulcher, quam ſum:
Ita me mea forma ſollicitum habet. *Pal.* Quid hic nunc ſtas? quin abis? *Mil.* Abeo.
Pal. Atque adeo, audin' tu? dicito docte & cordate. *Mil.* Ut cor ei ſaliat.
Pal. Philocomaſio dic, ſi eſt hic, domum ut tranſeat: hunc hic eſſe.
Mil. Hic cum mea hera eſt, clam noſtrum hunc ſermonem ſublegerunt.
Pal. Lepide factum eſt: jam ex ſermone hoc gubernabunt doctius porro
Rem. *Mil.* Me morare. *Pal.* Abeo; neque te moror, neque te tango, neque te. taceo.
Pyrg. Jube maturate illam exire huc. jam iſti rei prævortemur.

ACTUS IV. SCENA III.

Pyrgopolinices, Palæſtrio.

Quid mihi nunc es auctor, ut faciam, Palæſtrio,
De concubina? nam nullo pacto poteſt
Prius hæc in ædeis recipi, quam illam omiſerim.
Pal. Quid me conſultas, quid agas? dixi equidem tibi,
Quo pacto id fieri poſſit clementiſſume.
Aurum atque veſtem omnem muliebrem habeat ſibi;
Quæ illi inſtruxiſti, ſumat, habeat, auferat.
Dicaſque tempus maxumum eſſe, ut eat domum:
Sororem geminam adeſſe & matrem, dicito,
Quibus concomitata recte deveniat domum.
Pyrg. Qui tu ſcis eas adeſſe? *Pal.* Quia oculis meis
Vidi hic ſororem eſſe ejus. *Pyrg.* Convenitne eam?
Pal. Convenit. *Pyrg.* Ecquid fortis viſa eſt? *Pal.* Omnia
Vis obtinere. *Pyrg.* Ubi matrem eſſe ajebat ſoror?
Pal. Cubare in navi lippam, atque oculis turgidis,
Nauclerus dixit, qui illas advexit, mihi.
Is ad hos nauclerus hoſpitio divortitur.
Pyrg. Quid is? ecquid fortis? *Pal.* Abi ſis hinc: nam tu quidem
Ad equas fuiſti ſcitus admiſſarius,
Qui conſectare qua mares, qua feminas.
Pyrg. Hoc age nunc. *Pal.* Iſtuc. *Pyrg.* Quod das conſilium mihi?
Te cum illa verba facere de iſta re volo;
Nam cum illa ſane congruus ſermo tibi.
Pal. Quin potius, quom tute ades, tuam rem tute agas.
Dicas uxorem tibi neceſſum eſſe ducere,
Cognatos perſuadere, amicos cogere.
Pyrg. Itane tu cenſes? *Pal.* Qui ego ni ita cenſeam?
Pyrg. Ibo igitur intro. tu hic ante ædeis interim
Speculare, ut, ubi illæc prodeat, me provoces
Pal Tu modo iſtuc cura, quod agis. *Pyrg.* Curatum id quidem eſt.
Quin ſi voluntate nolet, vi extrudam foris.
Pal. Iſtuc cave faxis: quin potius per gratiam

Bonam abeat abs te: atque illæc, quæ dixi, dato.
Aurum, ornamentaque, quæ illi inſtruxiſti, ferat.
Pyrg. Cupio hercle. *Pal.* Credo te facile impetraſſere.
Sed abi intro. noli ſtare. *Pyrg.* Tibi ſum obediens.
Pal. Numquid videtur demutare, atque uti ego
Dixi eſſe vobis dudum hunc mœchum Militem?
Nunc ad me ut veniat, uſu'ſt, Acroteleutium,
Ancillula ejus, & Pleuſides. proh Juppiter,
Satin' ut commoditas uſquequaque me adjuvat!
Nam quos videre exoptabam me maxume,
Una exeunteis video hinc e proxumo.

ACTUS IV. SCENA IV.

Acroteleutium, Milphidippa, Palæſtrio, Pleuſides.

SEquimini; ſimul circumſpicite, ne quis adſit arbiter.
Mil. Neminem pol video, niſi hunc, quem volumus conventum. *Pal.* Et ego vos.
Mil. Quid agis, noſter architecte? *Pal.* Egone architectus! vah! *Mil.* Quid eſt?
Pal. Qui enim non ſum dignus præ te, ut figam palum in parietem.
Acr. Eja vero. *Pal.* Nimis facete, nimiſque facunde mala eſt.
Ut lepide deruncinavit Militem! *Acr.* At etiam parum.
Pal. Bono animo es, negotium omne jam ſuccedit ſub manus.
Vos modo, porro, ut occœpiſtis, date operam adjutabilem.
Nam ipſe Miles concubinam intro abiit oratum ſuam,
Ab ſe ut abeat cum ſorore & matre Athenas. *Acr.* Eu! probe!
Pal. Quin etiam aurum atque ornamenta, quæ ipſe inſtruxit, mulieri
Omnia dat dono, ſe ut abeat: ita ego conſilium ei dedi.
Pl. Facile iſtuc quidem eſt, ſi & illa volt, & ille autem cupit.
Pal. Non tu ſcis, cum ex alto puteo ſurſum ad ſummum eſcenderis,
Maxumum periculum inde eſſe, a ſummo ne rurſum cadas?
Nunc hæc res apud ſummum puteum geritur: ſi proſenſerit
Miles, nihil hinc ferri poterit hujus. nunc quam maxume
Opus eſt dolis. *Pl.* Domi eſſe ad eam rem video ſilvæ ſatis:
Mulieres tres, quartus tute es, quintus ego, ſextus ſenex.
Pal. Quot apud nos fallaciarum eſt exciſum! certo ſcio
Oppidum quodvis videtur poſſe expugnari dolis.
Date modo operam. *Acr.* Id nos ad te, ſi quid velles, venimus.
Pal. Lepide facitis. nunc hanc tibi ego impero provinciam.
Acr. Impetrabis, Imperator, quod ego potero, quod voles.
Pal. Militem lepide, & facete, & laute ludificarier
Volo. *Acr.* Voluptatem mecaſtor mihi imperas. *Pal.* Et ſcin' tu quemadmodum?
Acr. Nempe ut aſſimulem me amore iſtius differri. *Pal.* Rem tenes.
Acr. Quaſique iſtius cauſſa amoris ex hoc matrimonio
Abierim, cupiens iſtius ſumme nuptiarum. *Pal.* Ordine is;
Niſi modo unum hoc: haſce eſſe ædeis dicas dotalis tuas:
Hinc ſenem abs te abiiſſe, poſtquam feceris divortium:
Ne ille mox vereatur introire in alienam domum.
Acr. Bene mones. *Pal.* Sed ubi ille exierit intus, iſtic te procul
Ita volo aſſimulare, præ illius forma quaſi ſpernas tuam,
Quaſique ejus opulentitatem reverearis; & ſimul
Formam amœnitatis illius, faciem, pulchritudinem
Collaudato. ſatin' præceptum 'ſt? *Acr.* Teneo. ſatin'eſt, ſi tibi
Meum opus ita dabo expolitum, ut improbare non queas?
Pal. Sat habeo. nunc tibi viciſſim quæ imperabo. *Pl.* Dicito.
Pal. Quam extemplo hoc erit factum, ubi intro hæc abierit, tu illico
Facito ut venias huc ornatu nauclerico,
Cauſiam habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam,
Palliolum habeas ferrugineum: (nam is colos thalaſſicu 'ſt)
Id connexum in humero lævo, exaſſilato brachio,
Præcinctus aliqui, aſſimulato quaſi gubernator ſies.
Atque apud hunc ſenem omnia hæc ſunt: nam is piſcatores habet.
Pl. Quid? ubi ero exornatus, quin tu dicis, quid facturus ſim?
Pal. Huc venito, & matris verbis Philocomaſium arceſſito,
Ut, ſi itura jam eſt Athenas, eat tecum ad portum cito:
Atque ut jubeat ferri in navim, ſi quid imponi velit.
Niſi eat, te ſoluturum eſſe navim: ventum operam dare.
Pl. Satis placet pictura, perge. *Pal.* Ille extemplo illam hortabitur
Ut eat, ut properet, ne moræ ſit matri. *Pl.* Multimodis ſapis.
Pal. Ego illi dicam, ut me adjutorem, qui onus feram ad portum, roget.
Ille jubebit me ire cum illa ad portum. ego adeo, ut tu ſcias,
Prorſum Athenas protinus abibo tecum. *Pl.* Atque ubi illo veneris,
Triduum *unum* ſervire numquam te, quin liber ſis, ſinam.
Pal. Abi cito, atque orna te. *Pl.* Numquid aliud? *Pal.* Hæc ut memineris.
Pl. Abeo. *Pal.* Et vos abite hinc intro actutum; nam illum hinc ſat ſcio
Jam exiturum eſſe intus. *Acr.* Celebre apud nos imperium tuum eſt.
Pal. Agite, abſcedite ergo. ecce autem commodo aperitur foris:
Hilarus exit; impetravit. inhiat, quod nuſquam eſt, miſer.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA V.

Pyrgopolinices, Palæſtrio.

QUod volui, ut volo, impetravi per amicitiam & gratiam
A Philocomaſio. *Pal.* Quidnam tam intus fuiſſe te dicam diu?
Pyrg. Numquam ego me tam ſenſi amari, quam nunc, ab illa muliere.
Pal. Quid jam? *Pyrg.* Ut multa verba fecit! ut lenta materies fuit!
Verum poſtremo impetravi, ut volui; donavique ei,
Quæ voluit, quæ poſtulavit. te quoque ei dono dedi.
Pal. Etiam me? quomodo ego vivam ſine te? *Pyrg.* Age, es animo bono,
Idem ego te liberabo. nam ſi poſſet ullo modo
Impetrari, ut abiret, ne te abduceret, operam dedi:
Verum oppreſſit. *Pal.* Deos ſperabo, teque poſtremo. tamen
Etſi iſtuc mihi acerbum 'ſt, quia hero te carendum eſt optumo,
Saltem id volupe eſt, cum ex virtute formæ evenit tibi
Mea opera ſuper hanc vicinam, quam ego nunc concilio tibi.
Pyrg. Quid opu 'ſt verbis? libertatem tibi ego & divitias dabo,
Si impetras. *Pal.* Reddam impetratum. *Pyrg.* At geſtio. *Pal.* At modice decet;
Moderare animo: ne ſis cupidus. ſed eccam ipſam, egreditur foras.

ACTUS IV. SCENA VI.

Milphidippa, Acroteleutium, Pyrgopolinices, Palæſtrio.

HEra, eccum præſto Militem. *Acr.* Ubi eſt? *Mil.* Ad lævam videto.
Aſpicito limis oculis, ne ille nos ſe videre ſentiat.
Acr. Video. edepol nunc nos tempus eſt malas pejores fieri.
Mil. Tuum eſt principium. *Acr.* Obſecro, tute ipſum conveniſti?
Ne parce voci, ut audiat. *Mil.* Cum ipſo pol ſum ſecuta
Placide ipſa, dum libitum eſt mihi, otioſe, meo arbitratu, ut volui.
Pyrg. Audin' quæ loquitur? *Pal.* Audio. quam læta eſt, quia adit ad te!
Acr. O fortunata mulier! *Pyrg.* Ut amari videor! *Pal.* Dignus es.
Acr. Permirum ecaſtor prædicas, te adiſſe atque exoraſſe.
Per epiſtolam, aut per nuntium, quaſi regem, adiri eum ajunt.
Mil. Namque edepol vix fuit copia adeundi atque impetrandi.
Pal. Ut tu inclytus apud mulieres! *Pyrg.* Patiar, quando ita Venus volt.
Acr. Veneri pol habeo gratiam. eamdemque & oro & quæſo,
Ut ejus mihi ſit copia, quem amo, quemque expeteſſo;
Benignuſque erga me ut ſiet; quod cupiam, ne gravetur.
Mil. Spero ita futurum, quamquam illum multæ ſibi expeteſſunt:
Ille illas ſpernit ſegregatque ab ſe omnes, extra te unam.
Acr. Ergo iſte metus me macerat, quod ille faſtidioſus eſt,
Ne oculi ejus ſententiam mutent, ubi viderit me,
Atque ejus elegantia meam extemplo ſpeciem ſpernat.
Mil. Non faciet, bonum animum habe. *Pyrg.* Ut ipſa ſe contemnit!
Acr. Metuo, ne prædicatio tua nunc meam formam exſuperet.
Mil. Iſtuc curavi, ut opinione illius pulchrior ſis.
Acr. Si pol me nolet ducere uxorem, genua amplectar,
Atque obſecrabo: modo alio ſi non quibo impetrare,
Conſciſcam letum; vivere ſine illo ſcio me non poſſe.
Pyrg. Prohibendam mortem video mulieri, adibon'? *Pal.* Minime.
Nam tu te vilem feceris, ſi te ultro largiere.
Sine ultro veniat, quæritet, deſideret, exſpectet.
Summovere iſtam vis gloriam, quam habes? cave ſis, faxis.
Nam nulli mortali ſcio obtigiſſe hoc, niſi duobus,
Tibi & Phaoni Lesbio, tam miſere ut amarentur.
Acr. Eo intro. abi tu: illum evocato foras, mea Milphidippa.
Mil. Immo opperiamur, dum exeat aliquis. *Acr.* Durare nequeo,
Quin eam intro. *Mil.* Occluſæ ſunt fores. *Acr.* Effringam. *Mil.* Sana non es.
Acr. Si amavit umquam, aut ſi parem ſapientiam hic habet ac formam,
Per amorem ſi quid fecero, clementi animo ignoſcet.
Pal. Ut, quæſo, amore perdita eſt hæc miſera! *Pyrg.* Mutuum fit.
Pal. Tace, ne audiat. *Mil.* Quid aſtitiſti obſtupida? cur non pultas?
Acr. Quia non eſt intus, quem ego volo. *Pal.* Qui ſcis? *Acr.* Scio edepol, ſcio.
Nam odore naſum ſentiat, ſi intus ſiet. *Pyrg.* Ariolatur.
Quia me amat, propterea Venus fecit eam, ut divinaret.
Acr. Neſcio, ubi hic prope adeſt, quem expeto videre: olet profecto.
Pyrg. Naſo pol jam hæc quidem videt plus, quam oculis. *Pal.* Cæca amore eſt.
Acr. Tene me obſecro. *Mil.* Cur? *Acr.* Ne cadam. *Mil.* Quid ita? *Acr.* Quia aſtare
Nequeo, ita animus per oculos meos deſit. *Mil.* Militem pol
Tu aſpexiſti! *Acr.* Ita. *Mil.* Non video. ubi eſt? *Acr.* Videres pol, ſi amares.
Mil. Non edepol tu illum magis amas, quam egomet, ſi per te liceat.
Pal. Omnes profecto mulieres te amant, ut quæque aſpexit.
Pyrg. Neſcio, tun' ex me hoc audieris, an non: nepos ſum Veneris.
Acr. Mea Milphidippa, adi, obſecro, & congredere. *Pyrg.* Ut me veretur!
Pal. Illa ad nos pergit. *Mil.* Vos volo. *Pyrg.* Et nos te. *Mil.* Ut juſſiſti,

Heram meam eduxi foras. *Pyrg.* Video. *Mil.* Jube ergo adire.
Pyrg. Induxi animum, ne oderim, item ut alias, quando hoc oraſti.
Mil. Verbum hercle facere non potis, ſi acceſſerit prope ad te.
Dum te obtuetur, interim linguam oculi præciderunt.
Pyrg. Levandum morbum mulieri video. *Mil.* Viden' ut tremit atque ex-
timuit, poſtquam te aſpexit? *Pyrg.* Viri quoque armati idem iſtuc faciunt:
Ne tu mirere plus mulierem. ſed quid volt med agere?
Mil. Ad ſed eas: tecum vivere volt atque ætatem exigere.
Pyrg. Egon' ad illam eam, quæ nupta ſit? vir ejus eſt metuendus.
Mil. Quin tua cauſſa exegit virum a ſe. *Pyrg.* Quid? qui id facere potuit?
Mil. Quia ædes dotales hujus ſunt. *Pyrg.* Itane? *Mil.* Ita pol. *Pyrg.* Jube eam domum ire.
Jam ego illic ero. *Mil.* Vide ne ſis in exſpectatione;
Ne illam animi excrucies. *Pyrg.* Non ero profecto. abite. *Mil.* Abimus.
Pyrg. Sed quid ego video? *Pal.* Quid vides? *Pyrg.* Neſcio quis, eccum, incedit
Ornatu quidem thalaſſico. *Pal.* Jam nos volt hic profecto:
Nauclerus eſt hic quidem. *Pyrg.* Videlicet arceſſit hanc hinc. *Pal.* Credo.

ACTUS IV. SCENA VII.

Pleuſides, Palæſtrio, Pyrgopolinices.

ALium alio pacto propter amorem ni ſciam
Feciſſe multa nequiter, verear magis
Me amoris cauſſa hoc ornatu incedere.
Verum cum multos multa admiſſe acceperim
Inhoneſta, propter amorem, atque aliena a bonis:
(Mitto jam, ut occidi Achilles civis paſſus eſt.)
Sed eccum Palæſtrionem, ſtat cum milite:
Oratio alio mihi demutanda eſt mea.
Mulier profecto nata eſt ex ipſa mora.
Nam quævis alia, quæ mora eſt æque, mora
Minor ea videtur, quam quæ propter mulierem eſt.
Hoc adeo fieri credo conſuetudine.
Nam ego hanc arceſſo Philocomaſium. ſed fores
Pultabo. heus! ecquis hic eſt? *Pal.* Adoleſcens, quid eſt?
Quid tu ais? quid pultas? *Pl.* Philocomaſium quærito,
A matre illius venio: ſi itura eſt, eat:
Omnes moratur: navim cupimus ſolvere.
Pyrg. Jamdudum res parata eſt. heus! Palæſtrio,
Aurum, ornamenta, veſtem, pretioſum omne ut ferat.
Duc adjutores tecum ad navim qui ferant.
Omnia compoſita ſunt, quæ donavi, ut ferat.
Pal. Eo.. *Pl.* Quæſo hercle propera. *Pyrg.* Non morabitur.
Quid iſtuc, quæſo? quid oculo factum eſt tuo?
Pl. Habeo equidem hercle oculum. *Pyrg.* At lævom dico. *Pl.* Eloquar.
Maris cauſſa hercle iſtoc ego oculo utor minus.
Nam ſi abſtinuiſſem amare, tamquam hoc uterer.
Sed nimis morantur me diu. *Pyrg.* Eccos, exeunt.

ACTUS IV. SCENA VIII.

Palæſtrio, Philocomaſium, Pyrgopolinices, Pleuſides.

QUid modi flendo, quæſo, hodie facies? *Phil.* Quid ego ni fleam?
Ubi pulcherrume egi ætatem, inde abeo. *Pal.* Viden' hominem tibi,
Qui a matre & ſorore venit? *Phil.* Video. *Pyrg.* Audiſtin', Palæſtrio?
Pal. Quid vis? *Pyrg.* Quin tu intus jubes efferri omnia, quæ iſti dedi?
Pl. Philocomaſium, ſalve. *Phil.* Et tu ſalve. *Pl.* Materque & ſoror
Tibi ſalutem me juſſerunt dicere. *Phil.* Salvæ ſient.
Pl. Orant te, ut eas, ventus operam dum dat, ut velum explicent.
Nam matri oculi ſi valerent, mecum veniſſet ſimul.
Phil. Ibo. quamquam invita facio omnia: pietas ſic cohibet. *Pl.* Sapis.
Pyrg. Si non mecum ætatem egiſſet, hodie ſtulta viveret.
Phil. Iſtuc crucior, a viro me tali abalienarier.
Nam tu quamvis potis es facere, uti fluat facetiis,
Et quia tecum eram, propterea animo eram ferocior:
Eam nobilitatem amittendam video. *Pyrg.* Nimium hæc flet. *Phil.* Nequeo,
Cum te video. *Pal.* Habe bonum animum. ſcio ego, & quid doleat mihi.
Nam nihil miror, ſi libenter, Philocomaſium, hic eras.
Forma hujus, mores, virtus, animum attinuere hic tuum.
Quin ego ſervos, quando aſpicio hunc, fleo, quia dijungimur.
Phil. Obſecro, licet complecti, priuſquam proficiſco? *Pyrg.* Licet.
Phil. O mei oculi, o mi anime! *Pal.* Obſecro, tene mulierem,
Ne affligatur. *Pyrg.* Quid iſtuc? *Pal.* Poſtquam abs te abit, animo male
Factum eſt huic repente miſeræ. *Pyrg.* Accurrite intro, atque afferte aquam.
Pal. Nihil aquam moror. *Pyrg.* Cur? *Pal.* Malo merum: ne *ipſe* intervenieris,
Quæſo, dum reſipiſcit. *Pyrg.* Capita inter ſe nimis nexa hice habent.
Non placet: labra labellis ferruminant. *Pl.* Acre malum!
Tentabam, ſpiraret an non. *Pyrg.* Aurem admotam oportuit.
Pl. Sin' magis vis, ambos mittam. *Pyrg.* Nolo: retineat. *Pal.* fleo miſer.
Pyrg. Exite, atque efferte huc intus omnia, quæ iſti dedi.
Pal. Etiam nunc ſaluto te, familiaris, priuſquam eo.
Conſervi conſervæque omnes, bene valete & vivite.
Bene, quæſo, inter vos dicatis & mihi abſenti tamen.
Pyrg. Age, Palæſtrio, bono animo es. *Pal.* Eheu! nequeo, quin fleam,
Quom abs te abeam. *Pyrg.* Fer æquo animo. *Pal.* Scio ego, quid doleat mihi.
Phil. Sed quid hoc? quæ res? quid video? lux, ſalve.
Pl. Jam reſipiſti? *Phil.* Obſecro, quem amplexa ſum

Homi-

Hominem? perii! ſumne ego apud me? *Pl.* Ne timeas, voluptas mea.
Pyrg. Quid illuc eſt negotii? *Pal.* Animus hanc modo hic reliquerat:
Metuoque & timeo, ne hoc tandem propalam fiat nimis.
Pyrg. Quid id eſt? *Pal.* Nos ſecundum ferre nunc per urbem hæc omnia,
Ne quis tibi hoc vitio vortat. *Pyrg.* Mea, non illorum dedi.
Parvi ego illos facio: agite, ite cum diis bene volentibus.
Pal. Tua ego hoc cauſſa dico. *Pyrg.* Credo. *Pal.* Jam vale. *Pyrg.* Et tu bene vale.
Pal. Ite cito, jam ego aſſequar vos: cum hero pauca *etiam* loquar.
Quamquam alios fideliores ſemper habuiſti tibi,
Quam me, tamen tibi habeo magnam gratiam rerum omnium:
Et, ſi ita ſententia eſſet, tibi ſervire mavelim
Multo, quam alii libertus eſſe. *Pyrg.* Habe bonum animum. *Pal.* Hau mihi!
Cum venit mihi in mentem, ut mores mutandi ſient;
Muliebres mores diſcendi, oblivilſcendi ſtratiotici.
Pyrg. Fac ſis frugi. *Pal.* Jam non poſſum, amiſi omnem lubidinem.
Pyrg. I, ſequere illos, ne morere. *Pal.* Bene vale. *Pyrg.* Et tu bene vale.
Pal. Quæſo, ut memineris, ſi forte liber fieri occœperim,
Mittam nuntium ad te, ne me deſeras. *Pyrg.* Non eſt meum.
Pal. Cogitato identidem, tibi quam fidelis fuerim.
Si id facies, tum demum ſcibis, tibi qui bonus ſit, qui malus.
Pyrg. Scio & perſpexi ſæpe: verum cum antehac, tum hodie maxume.
Pal. Scies: immo hodie verum factum faxo poſt dices magis.
Pyrg. Vix reprimor, quin te manere jubeam. *Pal.* Cave iſtuc feceris.
Dicent te mendacem, nec verum eſſe, fide nulla eſſe te.
Dicant ſervorum præter me eſſe fidelem neminem.
Nam ſi honeſte cenſeam te facere poſſe, ſuadeam:
Verum non poteſt: cave faxis. *Pyrg.* Abi, jam patiar quidquid eſt.
Pal. Bene vale igitur. *Pyrg.* Ire melius eſt ſtrenue. *Pal.* Etiam nunc vale.
Pyrg. Ante hoc factum hunc ſum arbitratus ſemper ſervom peſſumum:
Eum fidelem mihi eſſe invenio. cum egomet mecum cogito,
Stulte feci, qui hunc amiſi. ibo hinc intro nunc jam
Ad amores meos. & ſenſi: hinc ſonitum fecerunt fores.

ACTUS IV. SCENA IX.

Puer, Pyrgopolinices.

NE me moneatis: memini ego officium meum.
Ego jam conveniam illunc: ubi ubi eſt gentium,
Inveſtigabo: operæ non parco meæ.
Pyrg. Me quærit illic. ibo huic puero obviam.
Puer. Ehem te quæro. ſalve, vir lepidiſſume,
Cumulate commoditate: præter ceteros
Duo di quem curant. *Pyrg.* qui duo? *Puer.* Mars & Venus.
Pyrg. Facetum puerum. *Puer.* Intro te ut eas obſecrat.
Te volt, te quærit, teque exſpectans deperit:
Amanti fer opem: quid ſtas! quin intro is? *Pyrg.* eo.
Puer. Ipſus illic ſeſe jam impedivit in plagas.
Paratæ inſidiæ ſunt. in ſtatu ſtat ſenex,
Ut adoriatur mœchum, qui forma eſt ferox.
Qui omnes ſe amare credit, quæque aſpexerit
Mulier, eum odere qua viri, qua mulieres.
Nunc in tumultum ibo: intus clamorem audio.

ACTUS QUINTUS.

Periplectomenes, Pyrgopolinices.
Cario, Sceleſtus.

DUcite iſtum: ſi non ſequitur, rapite ſublimem foras:
Facite inter terram atque cœlum ut *medius* ſit: diſcindite.
Pyrg. Obſecro hercle, Periplectomene, te. *Per.* Nequidquam hercle obſecras.
Vide, ut iſtic tibi ſit acutus, Cario, culter probe.
Car. Quin jamdudum geſtit mœcho hoc abdomen adimere,
Ut faciam, quaſi puero in collo pendeant crepundia.
Pyrg. Perii! *Car.* Haud etiam numero hoc dicis. Jamne in hominem involo?
Per. Immo etiam prius verberetur fuſtibus. *Car.* Multum quidem.
Per. Cur es auſus ſubigitare alienam uxorem, impudens?
Pyrg. Ita me dii ament, ultro ventum eſt ad me. *Per.* Mentitur. feri.
Pyrg. Mane, dum narro. *Per.* Quid ceſſatis? *Pyrg.* Non licet mihi dicere?
Per. Dic. *Pyrg.* oratus ſum ad te venire huc. *Per.* quare auſus? hem tibi.
Pyrg. Oh! hei! ſum ſatis verberatus, obſecro. *Car.* Quam mox ſeco?
Per. Ubi lubet: diſtendite hominem divorſum, & diſpennite.
Pyrg. Obſecro hercle te, ut mea verba audias, priuſquam ſecat.
Per. Loquere: nondum nihili factus. *Pyrg.* Viduam eſſe cenſui:
Itaque ancilla, conciliatrix quæ erat, dicebat mihi.
Per. Jura, te nociturum eſſe homini nunc hac de re nemini,
Quod tu hodie hic verberatus, aut quod verberabere,
Si te ſalvom hinc mittimus Venereum nepotulum.
Pyrg. Juro per Dianam & Martem, me nociturum nemini,
Quod ego hic hodie vapulo: ſed mihi id æque factum arbitror.
Et ſi inteſtatus non abeo hinc, bene agitur pro noxia.
Per. Quid ſi id non faxis? *Pyrg.* Ut vivam ſemper inteſtabilis.
Car. Verberetur etiam, poſt tibi amittendum cenſeo.
Pyrg. Dii tibi benefaciant ſemper, cum advocatus mihi bene es.
Car. Ergo des minam auri nobis. *Pyrg.* Quamobrem? *Car.* Salvis teſtibus,

Ut

Ut te hodie hinc amittamus Venereum nepotulum.
Aliter hinc a nobis: ne ſis fruſtra. *Pyrg.* Dabitur. *Car.* Magis ſapis.
De tunica, & chlamyde, & machæra, ne quid ſperes, non feres.
Verberone etiam, antequam amittis? *Pyrg.* Mitis ſum equidem fuſtibus.
Obſecro vos. *Per.* Solvite iſtum. *Pyrg.* Gratiam habeo tibi.
Per. Si poſthac prehendero, ego te hic arcebo teſtibus.
Pyrg. Cauſſam haud dico. *Per.* Eamus intro, Cario. *Pyrg.* Servos meos
Eccos video. Philocomaſium jam profecta eſt? dic mihi.
Sc. Jamdudum. *Pyrg.* Hei mihi! *Sc.* Magis dicas, ſi ſcias, quod ego ſcio.
Namque ille, qui lanam ob oculum habebat, nauta non erat.
Pyrg. Quis erat igitur? *Sc.* Philocomaſio amator. *Pyrg.* Qui tu ſcis? *Sc.* Scio.
Nam poſtquam exierunt porta, nihil ceſſarunt illico,
Oſculari atque amplexari inter ſe. *Pyrg.* Væ miſero mihi!
Verba mihi data eſſe video. ſcelus viri Palæſtrio,
Is me in hanc illexit fraudem. jure factum judico.
Si ſic aliis mœchis fiat, minus hic mœchorum ſiet:
Magis metuant, minus has res ſtudeant. Eamus ad me. Plaudite.

FINIS MILITIS GLORIOSI.

MERCATOR.

Dramatis Perſonæ.

CHARINUS *adoleſcens*,
ACANTHIO *ſervus*,
DEMIPHO *ſenex*.
LYSIMACHUS *ſenex*,
LORARII.
EUTYCHUS *adoleſcens*.
PASICOMPSA *meretrix*.
DORIPPA *uxor*.
SYRA *anus ſerva*.
COCUS.

ARGUMENTUM.

MIſſus Mercator ab ſuo adoleſcens patre
Emit atque apportat ſcita forma mulierem.
Requirit quæ ſit, poſtquam eam vidit ſenex.
Confingit ſervos emtam matri pediſequam.
Amat ſenex hanc, ac ſe ſimulans vendere,
Tradit vicino. eum putat uxor illius
Obduxe ſcortum. tum Charinum ex fuga
Retrahit ſodalis, poſtquam amicam invenerat.

Aliud *ARGUMENTUM.*

MErcatum a ſe dum filium extrudit pater,
Is peregre unius redimit ancillam hoſpitis
Amore captus. ut venit, navi exilit.
Pater advolat, viſam ancillam deperit.
Quojus ſit, percontatur. ſervos, pediſequam
Ab adoleſcente matri emtam ipſius.
Senex ſibi proſpiciens, ut amico ſuo
Væniret, natum orabat: natus ut ſuo,
Hic filium ſubdiderat vicini; pater
Vicinum. præmercatur ancillam ſenex.
Eam domi deprehenſam conjunx illius
Vicini ſcortum inſimulat: protelat virum.
Mercator exſpes patria fugere deſtinat:
Prohibetur a ſodale, qui patrem illius
Orat ſuo cum patre, nato ut cederet.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

PROLOGUS.

Charinus.

DUas res ſimul nunc agere decretum eſt mihi.
Et argumentum & meos amores eloquar.
Non ego idem facio, ut alios in comœdiis
Vidi facere amatores, qui aut nocti, aut die,
Aut ſoli, aut lunæ miſerias narrant ſuas.
Quos pol ego credo humanas querimonias
Non tanti facere, quid velint, quid non velint.
Vobis narrabo potius meas nunc miſerias.
Græce hæc vocatur EMPOROS Philemonis,
Eadem Latine MERCATOR Marci Accii.
Pater ad mercatum hic me meus miſit Rhodum:
Biennium jam factum eſt, poſtquam abii domo.
Abii: amare occœpi forma eximia mulierem.
Sed, ea ut ſim implicitus, dicam, ſi opera eſt auribus,
Atque ad advortendum huc animum adeſt benignitas.
Et hoc parum etiam more majorum inſtiti:
Prius, ac percontatus ſum vos, ſumſi indicium illico.
Nam amorem hæc cuncta vitia ſectari ſolent,
Cura, ægritudo, nimiaque elegantia:
Hæc non illum modo qui amat, ſed quemque attigit,
Magno atque ſolido multat infortunio.
Nec pol profecto quiſquam ſine grandi malo,
Præquam res patitur, ſtuduit elegantiæ.
Sed amori accedunt etiam hæc, quæ dixi minus,
Inſomnia, ærumna, error, terror, & fuga,
Ineptia, ſtultitiaque adeo, & temeritas,
Incogitantia, excors immodeſtia,
Petulantia, cupiditas, & malevolentia:
Inhæret etiam aviditas, deſidia, injuria,
Inopia, contumelia, & diſpendium,
Multiloquium, pauciloquium. hoc ideo fit, quia,
Quæ nihil attingunt ad rem, nec ſunt uſui, hæc
Amator profert ſæpe advorſo tempore:
Hoc pauciloquium rurſum iccirco prædico,
Quia nullus umquam amator adeo 'ſt callide
Facundus, quæ in rem ſint ſuam, ut poſſit loqui.
Nunc vos mihi iraſci ob multiloquium non decet:
Eodem, quo amorem, Venus mihi hoc legavit die.
Illuc revorti certum, ut conata eloquar.
Principio atque animus ephebis ætate exiit,
Atque animus ſtudio amotus puerili eſt meus,
Amare valide cœpi hic meretricem: illico
Res exſulatum ad illam abibat clam patris.
Leno importunus, dominus ejus mulieris,
Vi ſumma quidque ut poterat, rapiebat domum.
Objurgare pater hæc me noctes & dies,
Perfidiam, injuſtitiam lenonum expromere:
Lacerari valide ſuam rem, illius augerier.

Sum-

Summo hæc clamore: interdum muſſans colloqui,
Abnuere: negitare adeo me natum ſuum:
Conclamitare tota urbe & prædicere,
Omnes tenerent mutuitanti credere.
Amorem multos illexe in diſpendium.
Intemperantem, non modeſtum, injurium,
Trahere, exhaurire me, quod quirem, ab ſe domo.
Rationem peſſumam eſſe; ea, quæ ipſus optuma
Omnes labores inveniſſet perferens,
Amoris vi diffunditari ac deteri.
Convicium tot me annos jam ſe paſcere.
Quod niſi puderet, ne luberet vivere.
Seſe extemplo, ex ephebis poſtquam exceſſerit,
Non, ut ego, amori, neque deſidiæ in otio
Operam dediſſe, neque poteſtatem ſibi
Fuiſſe; adeo arcte cohibitum eſſe ſe a patre:
Multo opere immundo ruſtico ſe exercitum:
Neque niſi quinto anno quoque poſſe tum viſere
Urbem, atque extemplo inde, ut ſpectaviſſet peplum,
Rus rurſum confeſtim exigi ſolitum a patre.
Ibi multo primum ſe familiarium
Laboraviſſe: quom hæc pater ſibi diceret:
Tibi aras, tibi occas, tibi ſeris, tibi eidem metis:
Tibi denique iſte pariet lætitiam labos.
Poſtquam receſſet vita patrio corpore,
Agrum ſe vendidiſſe, atque ea pecunia
Navim, metretas quæ trecentas tolleret,
Paraſſe, atque eapſe merces vectatum undique,
Adeo dum, quæ tum haberet, peperiſſet bona.
Me idem decere, ſi, ut deceret me, forem.
Ego me ubi inviſum meo patri eſſe intellego,
Atque odio eſſe ei me, quoi placere æquom fuit,
Amens, amanſque, utut animum offirmo meum,
Dico eſſe iturum me mercatum, ſi velit:
Amorem miſſum facere me, dum illi obſequar.
Agit gratias mihi, atque ingenium allaudat meum.
Sed mea promiſſa non neglexit perſequi.
Ædificat navim Cercurum, & merces emit:
Parata navi, imponit. præterea mihi
Talentum argenti ipſus ſua annumerat manu:
Servom una mittit, qui olim a puero parvolo
Mihi pædagogus fuerat, quaſi uti mihi foret
Cuſtos. iiſce confectis navim ſolvimus:
Rhodum venimus. ubi, quas merces vexeram,
Omnes, ut volui, vendidi ex ſententia,
Lucrum ingens facto, præterquam mihi meus pater
Dedit æſtimatas merces. ita peculium
Conficio grande. ſed, dum in portu illi ambulo,
Hoſpes me quidam agnovit, ad cœnam vocat.
Venio, decumbo, acceptus hilare atque ampliter.
Diſcubitum noctu ut imus, ecce ad me advenit
Mulier, qua mulier alia nulla eſt pulchrior:
Ea nocte mecum illa hoſpitis juſſu fuit.
Voſmet videte, quam mihi valde placuerit!
Poſtridie hoſpitem adeo, oro, ut vendat mihi.
Dico ejus pro meritis gratum me & munem fore.
Quid verbis opus eſt? emi, atque advexi heri.
Eam me adveхiſſe nolo reſciſcat pater.
Modo eam reliqui ad portum in navi, & ſervolum.
Sed quid currentem ſervom a portu conſpicor?
Quem navi abire vetui. timeo, quid ſiet.

ACTUS I. SCENA II.

Acanthio, Charinus.

Ex ſummis opibus viribuſque uſque experire, nitere,
Herus ut minor opera tua ſervetur: agedum, Acanthio,
Abige abs te laſſitudinem, cave pigritiæ prævorteris,
Simul enicato ſuſpiritus: vix ſuffero hercle anhelitum.
Simul autem pleniſſume eos, qui advorſum eunt, aſpellito,
Detrude, deturba in viam. hæc hic diſciplina peſſuma eſt;
Currenti, properanti haud quiſquam dignum habet decedere.
Ita tres ſimitu res agendæ ſunt, quando unam occœperis:
Et currendum, & pugnandum, & autem jurgandum eſt in via.
Ch. Quid illud eſt, quod ille tam expedite exquirit curſuram ſibi?
Cura eſt, negotii quid ſit, aut quid nunciet. *Ac.* Nugas ago.
Quam maxime reſiſto, tam res in periculo vortitur.
Ch. Mali neſcio quid nuntiat. *Ac.* Genua hunc curſorem deſerunt:
Perii! ſeditionem facit lien, occupat præcordia.
Perii! animam nequeo vortere. nimis nihili tibicen ſiem.
Ch. At tu edepol ſume laciniam, atque abſterge ſudorem tibi.
Ac. Numquam edepol omnes balineæ mihi hanc laſſitudinem eximent.
Domin' an foris dicam eſſe herum Charinum? *Ch.* Ego animi pendeo,
Quid illud ſit negotii: lubet ſcire ex hoc me, ut ut ſim certior.
Ac. At etiam adſto? at etiam ceſſo foribus facere hiſce aſſulas?
Aperite aliquis. ubi Charinus herus? domin' eſt an foris?
Num quiſquam adire ad oſtium dignum arbitratur? *Ch.* Ecce me,
Acanthio, quem quæris. *Ac.* Nuſquam eſt diſciplina ignavior.
Ch. Quæ te res male agitant? *Ac.* Multæ, here, te atque me. *Ch.* Quid eſt negotii?
Ac. Periimus! *Ch.* Principium inimicis dato. *Ac.* At tibi ſortito id obtigit.
Ch. Loquere id negotii, quidquid eſt. *Ac.* Placide: volo acquieſcere.
Tua cauſſa rupi ramices, jamdudum ſputo ſanguinem.
Ch. Reſinam ex melle Ægyptiam vorato, ſalvom feceris.
Ac. At tu edepol calidam picem bibito, ægritudo abſceſſerit.
Ch. Hominem ego iracundiorem, quam te, novi neminem.
Ac. At ego maledicentiorem, quam te, novi neminem.
Ch. Sin ſaluti quod tibi eſſe cenſeo, id conſuadeo.
Ac. Apage iſtiuſmodi ſalutem, cum cruciatu quæ advenit.
Ch. Dic mihi, an boni quid uſquam eſt, quod quiſquam uti poſſiet
Sine malo omni: aut, ne laborem capias, cum illo uti voles?
Ac. Neſcio ego iſtæc: philoſophari numquam didici, neque ſcio.
Ego bonum, malum quo accedit, mihi dari haud deſidero.

Ch. Ce-

Ch. Cedo tuam mihi dexteram agedum, Acanthio. *Ac.* Hem, dabitur: tene.
Ch. Vin' tu te mihi obſequentem, an nevis? *Ac.* Opera licet
Experiri, qui me rupi, cauſſa currendo tua:
Ut quæ ſcirem, ſcire actutum tibi liceret. *Ch.* Liberum
Caput tibi faciam, paucos cis menſes. *Ac.* Palpo percutis.
Ch. Egon' autem tibi uſquam quidquam facinus falſum proloqui?
Quin jam priuſquam ſim elocutus, ſcis, ſi mentiri volo. *Ac.* Ah,
Laſſitudinem hercle verba tua mihi addunt, enicas.
Ch. Siccine mihi obſequens es? *Ac.* Quid vis faciam? *Ch.* Tun'? id quod volo.
Ac. Quid eſt igitur, quod vis? *Ch.* Dicam. *Ac.* Dice. *Ch.* At enim placide volo.
Ac. Dormientes ſpectatores metuis, ne e ſomno excites.
Ch. Væ tibi. *Ac.* Tibi equidem a portu apporto hoc. *Ch.* Quid fers? dic mihi.
Ac. Vim, metum, cruciatum, curam, jurgiumque atque inopiam.
Ch. Perii! tu quidem theſaurum huc mihi apportaviſti mali.
Nullus ſum. *Ac.* Immo es. *Ch.* Scio. Jam miſerum dices. *Ac.* Tu dixti. ego taceo.
Ch. Quid iſtuc eſt mali? *Ac.* Ne rogites; maxumum infortunium eſt.
Ch. Obſecro, diſſolve jam me: nimis diu animi pendeo.
Ac. Placide: multa exquirere etiam prius volo, quam vapulem.
Ch. Hercle vero vapulabis, niſi jam loquere, aut hinc abis.
Ac. Hoc ſis vide, ut palpatur! nullus eſt, quando occœpit, blandior.
Ch. Obſecro hercle oroque, ut, iſtuc quid ſit, actutum indices:
Quandoquidem mihi ſupplicandum ſervolo video meo.
Ac. Tandem indignus videor! *Ch.* Immo dignus. *Ac.* Equidem credidi.
Ch. Obſecro, num navis periit? *Ac.* Salva eſt navis, ne time.
Ch. Quid alia armamenta? *Ac.* Salva, & ſana ſunt. *Ch.* Quin tu expedis,
Quid ſiet, quod me per urbem currens quærebas modo.
Ac. Tu quidem ex ore orationem mihi eripis. *Ch.* Taceo. *Ac.* Tace.
Credo, ſi boni quid ad te nuntiem, inſtes acriter.
Qui nunc, cum malum audiundum 'ſt, flagitas me, ut eloquar.
Ch. Obſecro hercle te, iſtuc uti tu mihi malum facias palam.
Ac. Eloquar, quandoquidem me oras. tuus pater. Ch. Quid meus pater?
Ac. Tuam amicam. *Ch.* Quid eam? *Ac.* Vidit. *Ch.* Vidit? væ miſero mihi!
Hoc, quod te interrogo, reſponde. *Ac.* Quin tu, ſi quid vis, roga.
Ch. Qui potuit videre? *Ac.* Oculis. *Ch.* Quo pacto? *Ac.* Hiantibus.
Ch. I hinc directus: nugare in re capitali mea.
Ac. Qui, malum, ego nugor, ſi tibi, quod me rogas, reſpondeo?
Ch. Certen' vidit? *Ac.* Tam hercle certe, quam ego te, ac tu me vides.
Ch. Ubi eam vidit? *Ac.* Intus intra navim, uti prope aſtitit,
Et cum ea confabulatus eſt. *Ch.* Perdidiſti me, pater.
Eho tu, eho tu, quin caviſti, ne eam videret, verbero?
Quin, ſceleſte, abſtrudebas, ne eam conſpiceret pater?
Ac. Quia negotioſi eramus nos noſtris negotiis:
Armamentis complicandis, & componendis ſtuduimus.
Dum hæc aguntur, lembo advehitur tuus pater pauxillulo:
Neque quiſquam hominem conſpicatu 'ſt, donec in navi ſuper.
Ch. Nequidquam mare ſubterfugi ſævis tempeſtatibus.
Equidem jam me cenſebam eſſe in terra, atque in tuto loco.
Verum video me ad ſaxa ferri ſævis fluctibus.
Loquere porro, quid ſit actum. *Ac.* Poſtquam aſpexit mulierem,
Rogitare occœpit, quoja eſſet. *Ch.* quid reſpondit? *Ac.* Illico
Occurri, atque interpello, matri te ancillam tuæ
Emiſſe illam. *Ch.* Viſu'ſt tibi credere id? *Ac.* Etiam rogas?
Sed ſceleſtus ſubigitare occœpit. *Ch.* Illamne, obſecro?
Ac. Mirum, quin me ſubigitaret. *Ch.* Edepol cor miſerum meum,
Quod guttatim contabeſcit, quaſi in aquam indideris ſalem.
Perii. *Ac.* Hem iſtuc unum verbum dixiſti veriſſumum:
Stultitia iſtæc eſt. *Ch.* Quid faciam? credo, non credet pater,
Si illam matri meæ emiſſe dicam. poſt autem mihi
Scelus videtur, me parenti proloqui mendacium.
Neque ille credet, neque credibile eſt forma eximia mulierem,
Eam me emiſſe ancillam matri. *Ac.* non taces, ſtultiſſume?
Credet hercle. nam credebat jam mihi. *Ch.* metuo miſer,
Ne patrem prehendat, ut ſit geſta res, ſuſpicio.
Hoc quod te rogo, reſponde, quæſo. *Ac.* Quid rogas?
Ch. Num eſſe amicam ſuſpicari viſus eſt? *Ac.* non viſus eſt.
Quin quidque, ut dicebam, mihi credebat. *Ch.* verum, ut tibi quidem
Viſus eſt. *Ac.* non; ſed credebat. *Ch.* væ mihi miſero! nullus ſum.
Sed quid ego hic in lamentando pereo, ad navim non eo?
Sequere. *Ac.* Si iſtac ibis, commodum obviam venies patri.
Poſteaquam aſpiciet te timidum eſſe, atque exanimatum, illico
Retinebit, rogabit, unde illam emeris, quanti emeris.
Timidum tentabit te. *Ch.* Quin hac ibo potius. jam cenſes patrem
Abiiſſe a portu? *Ac.* Quin ea ego huc præcucurri gratia,
Ne te opprimeret imprudentem, atque elevaret. *Ch.* optume.

ACTUS

ACTUS SECUNDUS
SCENA I.

Demipho.

Miris modis dii ludos faciunt hominibus,
Miriſque exemplis ſomnia in ſomnis danunt.
Velut ego nocte hac, quæ præteriit, proxuma
In ſomnis egi ſatis, & fui homo exercitus.
Mercari viſus mihi ſum formoſam capram.
Ei ne noceret, quam domi ante habui capram;
Neu diſcordarent, ſi ambo in uno eſſent loco;
Poſterius quam mercatus fueram, viſus ſum
In cuſtodiam eam Simiæ concredere.
Ea Simia adeo poſt haud multo ad me venit,
Male mihi precatur, & facit convicium:
Ait ſeſe illius opera atque adventu capræ,
Flagitium & damnum feciſſe haud mediocriter.
Dicit, capram, quam dederam ſervandam ſibi,
Suæ uxoris dotem ambadediſſe. oppido
Mihi illud videri mirum, ut una illæc capra
Uxoris Simiæ dotem ambadederit.
Inſtare factum Simia: atque hoc denique
Reſpondet, ni properem illam ab ſeſe abducere,
Ad me domum intro ad uxorem ducturum meam.
Atque oppido, hercle, bene velle illi viſus ſum:
Aſt non habere quoi commendarem capram.
Quo magis, quid facerem, cura cruciabar miſer.
Interea ad me hædus viſus eſt aggredirier,
Infit mihi prædicare, ſeſe ab Simia
Capram abduxiſſe, & cœpit irridere me.
Ego enim lugere, atque illam abductam conqueri.
Hoc quam ad rem credam pertinere ſomnium,
Nequeo invenire. niſi capram illam ſuſpicor
Jam me inveniſſe quæ ſit, aut quid voluerit.
Ad portum hinc abii mane cum luci ſimul,
Poſtquam hic id quod volui, tranſegi; atque ego conſpicor
Navem ex Rhodo, qua heri eſt advectus filius.
Collibitum eſt illud mihi, neſcio qui, viſere:
Aſcendi in lembum, atque ad navim advehor: atque ego
Illam conſpicio forma eximia mulierem,
Filius quam advexit meus matri ancillam ſuæ.
Quam ego poſtquam aſpexi, non ita amo ut ſani ſolent
Homines: ſed eodem pacto ut inſani ſolent.
Amavi hercle equidem ego olim in adoleſcentia:
Verum ad hoc exemplum numquam, ut nunc inſanio.
Unum quidem hercle jam ſcio, periiſſe me.
Voſmet videte ceterum, quanti ſiem.
Nunc hoc profecto ſic eſt: hæc illa eſt capra.
Sed ſimia illa atque hædus, timeo, quid velint.
Sed conticeſcam. vicinum eccum! exit foras.

ACTUS IV. SCENA III.

Lyſimachus, Demipho, Lorarii.

Profecto ego illunc hircum caſtrari volo,
Ruri qui nobis exhibet negotium.
Dem. Nec omen illud mihi, nec auſpicium placet.
Quaſi hircum, metuo, ne uxor me caſtret mea,
Atque illius hæc nunc ſimiæ parteis ferat.
L. I tu hinc ad villam, atque iſtos raſtros villico
Piſto ipſi facito coram ut tradas in manum.
Uxori facito ut nunties, negotium
Mihi eſſe in urbe, ne me exſpectet: nam mihi
Tris hodie lites judicandas dicito.
I, & hoc memento dicere. *Lor.* Numquid amplius?
L. Tantum eſt. *Dem.* Lyſimache, ſalve. *L.* Euge! Demipho,
Salve. o quid agis? quid fit? *Dem.* Quod miſerrumus.
L. Dii melius faxint. *Dem.* Dii hoc quidem faciunt. *L.* Quid eſt?
Dem. Dicam, ſi videam tibi eſſe aut operam aut otium.
L. Quamquam negotium eſt, ſi quid vis, Demipho,
Non ſum occupatus umquam amico operam dare.
Dem. Benignitatem tuam mihi experto prædicas.
Quid tibi ego ætatis videor? *L.* Acheruntīcus
Senex, vetus, decrepitus. *Dem.* Pervorſe vides.
Puer ſum, Lyſimache, ſeptuennis. *L.* Sanun' es?
Qui puerum te eſſe dicas? *Dem.* Vera prædico.
L. Modo hercle in mentem venit, quid tu diceres:
Senex cum extemplo eſt, jam nec ſentit, nec ſapit:
Ajunt ſolere eum rurſum repueraſcere.
Dem. Immo bis tanto valeo, quam valui prius.
L. Bene hercle factum, & gaudeo. *Dem.* Immo *ſi* ſcias,
Oculis quoque etiam plus jam video, quam prius.
L. Bene eſt. *Dem.* Malam rem dico. *L.* Jam iſtuc non bonum eſt.
Dem. Sed auſimne ego tibi eloqui, ſi quid velim?
L. Audacter. *Dem.* Animum advorte. *L.* Fiet ſedulo.
Dem. Hodie ire in ludum occœpi litterarium,
Lyſimache. ternas ſcio jam. *L.* Quid ternas? *Dem.* Amo.
L. Tun' capite cano amas, ſenex nequiſſume?
Dem. Seu canum, ſeu iſtuc rutilum, ſive atrum eſt, amo.
L. Ludificas nunc tu me hic, opinor, Demipho.
Dem. Decide collum, ſi falſum eſt, uti loquar:
Vel, ut ſcias me amare, cape cultrum, ſeca
Digitum vel aurem, vel tu naſum, vel labrum:
Si movero me, ſeu ſecari ſenſero,
Lyſimache, auctor ſum, uti me amando hic enices.
L. Si umquam vidiſti pictum amatorem, hem! illic eſt:
Nam meo quidem animo vetulus, decrepitus ſenex
Tantidem eſt, quaſi ſit ſignum pictum in pariete.
Dem. Nunc tu me, credo, caſtigare cogitas.
L. Egon' te? *Dem.* Nihil eſt jam, quod tu mihi ſuccenſeas:
Fecere tale ante alii ſpectati viri.
Humanum amare eſt, humanum autem ignoſcere eſt.
Ne ſis me objurga. huc non voluntas me impulit.
L. Quin non objurgo. *Dem.* At ne deteriorem tamen
Hoc facto ducas. *L.* Egone te? ah, ne Dii ſiverint.
Dem. Vide ſis modo etiam. L. Viſum' ſt. *Dem.* Certen'? *L.* Perdis me.
Hic homo ex amore inſanit. numquid vis? *Dem.* vale.
L. Ad portum propero: nam ibi mihi negotium eſt.
Dem. Bene ambulato. *L.* Bene valeto. *Dem.* Bene ſit tibi.
Quin mihi quoque etiam eſt ad portum negotium.
Nunc adeo ibo illuc. Sed optume gnatum meum
Video, eccum! opperiar hominem: hoc nunc mihi viſo eſt opus,
Huic perſuadere quomodo potis ſiem,
Ut illam vendat, neve det matri ſuæ:
Nam ei dono advexe audivi. ſed præcauto eſt opus,
Ne ad illam me animum adjeciſſe aliqua ſentiat.

ACTUS II. SCENA III.

Charinus, Demipho.

Homo me miſerior nullus eſt æque, opinor,
Neque advorſa quoi ſint plura ſempiterna.

Satin', quidquid eſt, *ut* quam rem agere occœpi,
Proprium nequit mihi evenire, quod cupio?
Ita mihi mala res objicitur aliqua,
Bonum quæ meum comprimit conſilium:
Miſer amicam mihi paravi, animi cauſſa, pretio,
Ratus clam patrem meum poſſe habere.
Is reſcivit, & vidit, & perdidit me.
Neque is, cum roget, quid loquar, cogitatum eſt;
Ita animi decem in pectore incerti certant.
Nec, quid corde nunc conſilii capere poſſim,
Scio, tantus cum cura meo eſt error animo.
Dum ſervi mei perplacet mihi conſilium,
Dum rurſum haud placet: nec pater potis videtur
Induci, ut putet matri ancillam emtam eſſe illam.
Nunc ſi dico, ut res eſt, atque illam mihi me
Emiſſe indico, quemadmodum exiſtimet me?
Atque illam abſtrahat; trans mare hinc venum aſportet.
Scio, ſævos quam ſit, domo doctus. igitur hoccine eſt
Amare? arare mavelim, quam ſic amare.
Jam hinc olim invitum domo extruſit ab ſeſe,
Mercatum juſſit ire: ibi hoc malum inveni. ubi
Voluptatem ægritudo vincat, quid ibi ineſt amœni?
Nequidquam abdidi, abſcondidi, abſtruſam habebam.
Muſca eſt meus pater, nihil poteſt clam illum haberi.
Nec ſacrum, nec tam profanum quidquam eſt, quin
Ibi illico adſit. nec, qui rebus meis
Confidam, mihi ulla ſpes in corde certa eſt.
Dem. Quid illuc eſt, quod ſolus ſecum fabulatur filius?
Sollicitus mihi, neſcio quare, videtur. *Ch.* Attate!
Meus pater hic quidem eſt, quem video. ibo, alloquar. quid fit, pater?
Dem. Unde incedis, quid feſtinas, gnate mi? *Ch.* Recte, pater.
Dem. Ita volo. ſed iſtuc quid eſt, tibi quod commutatu'ſt color?
Numquid tibi dolet? *Ch.* Neſcio quid meo animo eſt ægre, pater.
Poſtea hac nocte non quievi ſatis mea ex ſententia.
Dem. Per mare ut vectus, nunc oculi terram mirantur tui.
Ch. Magis opinor. *Dem.* Id eſt profecto. verum actutum abſceſſerit.
Ergo edepol palles: ſi ſapias, eas, ac decumbas domi.
Ch. Otium non eſt: mandatis rebus prævorti volo.
Dem. Cras agito, perendie agito. *Ch.* Sæpe ex te audivi, pater:
Rei mandatæ omnes ſapientes primum prævorti decet.
Dem. Age igitur, nolo advorſari tuam advorſus ſententiam.
Ch. Salvos ſum, ſi quidem iſti dicto ſolida & perpetua eſt fides.
Dem. Quid illuc eſt, quod ille ſolus ſe in conſilium ſevocat?
Jam non vereor, ne illam me amare hic potuerit reſciſcere.
Quippe haud etiam quidquam inepte feci, amantes ut ſolent.
Ch. Res adhuc quidem hercle in tuto'ſt: nam hunc neſcire ſat ſcio
De illa amica. quod ſi ſciret, eſſet alia oratio.
Dem. Quin ego hunc aggredior de illa? *Ch.* Quin ego hinc me amolior?
Eo ego, ut, quæ mandata, amicus amicis tradam. *Dem.* Immo mane.
Paucula etiam ſciſcitare prius volo. *Ch.* Dic, quid velis.
Dem. Uſquene valuiſti? *Ch.* Perpetuo recte, dum quidem illic fui:
Verum, in portum huc ut ſum advectus, neſcio qui animus mihi dolet.
Dem. Nauſea edepol factum credo: verum actutum abſceſſerit.
Sed quid ais? ecquam tu advexti tuæ matri ancillam Rhodo?
Ch. Advexi. *Dem.* Quid? ea ut videtur mulier? *Ch.* Non edepol mala.
Dem. Ut morata eſt? *Ch.* Nullam vidi melius mea ſententia.
Dem. Mihi quidem edepol viſa eſt, cum illam vidi. *Ch.* Ego, an vidiſti, pater?
Dem. Vidi: verum non ex uſu noſtro eſt, neque adeo placet.
Ch. Qui vero? *Dem.* Quia non noſtra formam habet dignam domo.
Nihil opus nobis ancilla, niſi quæ texat, quæ molat,
Lignum cædat, penſum faciat, ædeis verrat, vapulet;
Quæque habeat cotidianum familiæ coctum cibum.
Horunc illa nihilum quidquam facere poterit admodum.
Ch. Ea cauſſa equidem illam emi, dono quam darem matri meæ.
Dem. Ne duis, neu te advexiſſe dixeris. *Ch.* Dii me adjuvant!
Dem. Labefacto paullatim. verum quod præterii dicere,
Neque illa matrem ſatis honeſte tuam ſequi poterit comes,
Neque ſinam. *Ch.* Qui vero? *Dem.* Quia illa forma matremfamilias,
Flagitium ſit, ſi ſequatur: quando incedat per vias,
Contemplent, conſpiciant omnes, nutent, nictent, ſibilent,
Vellicent, vocent, moleſti ſint, occentent oſtium.
Impleantur meæ fores elogiorum carbonibus.
Atque, ut nunc ſunt maledicentes homines, uxori meæ,
Mihique objectent lenocinium facere. nam quid eo eſt opus?
Ch. Hercle quin tu recte dicis: & tibi aſſentior ego.
Sed quid illa nunc fiet? *Dem.* Recte. ego emero matri tuæ
Ancillam viraginem aliquam non malam, forma mala,
Ut matrem addecet familias, aut Syram, aut Ægyptiam:
Ea molet, conficiet penſum, pinſetur flagro, neque
Propter eam quidquam eveniet noſtris foribus flagitii.
Ch. Quid ſi igitur reddatur illi, unde empta eſt? *Dem.* Minime gentium.
Ch. Dixit ſe redhibere, ſi non placeat. *Dem.* Nihil iſtoc opu'ſt:
Litigare nolo ego vos. quam tuam autem accuſari fidem,
Multo edepol, ſi quid faciundum eſt, facere damni mavolo,
Quam opprobramentum aut flagitium muliebre efferri domo.
Me tibi illam poſſe opinor luculente vendere.
Ch. Dum quidem hercle ne minoris vendas, quam ego emi, pater.
Dem. Tace modo: ſenex eſt quidam, qui illam mandavit mihi

Ut

Ut emerem ad iſtanc faciem. *Ch.* At mihi quidam adoleſcens, pater,
Mandavit ad illam faciem, ita ut illa eſt, emerem ſibi.
Ch. At ego, ſi velim, jam dantur ſeptem & viginti minæ.
Dem. At ego. *Ch.* Quin ego, inquam. *Dem.* At neſcis, quid dicturus ſum: tace.
Treis minas accudere etiam poſſum, ut triginta fient.
Ch. Quo vortiſti? *Dem.* Ad illum, qui emit. *Ch.* Ubinam eſt is homo gentium?
Dem. Eccillum video. jubet quinque me addere etiam nunc minas.
Ch. Hercle illunc dii infelicent, quiſquis eſt. *Dem.* Ibidem mihi
Etiam nunc adnutat; addam ſex minas. *Ch.* Septem, mihi
(Numquam edepol me vincet hodie) commodis poſcit, pater.
Dem. Nequidquam poſcit: ego habebo. *Ch.* At illic pollicitu 'ſt prior.
Dem. Nihili facio. *Ch.* Quinquaginta poſcit. *Dem.* non centum datur.
Potine, ut ne licitere advorſum animi *mei* ſententiam?
Maxumam hercle habebis prædam. ita ille eſt, quoi emitur, ſenex.
Sanus non eſt ex amore illius; quod poſces, feres.
Ch. Certo edepol adoleſcens ille, quoi ego emo, efflictim perit
Ejus amore. *Dem.* Multo hercle ille magis ſenex, ſi tu ſcias.
Ch. Numquam edepol fuit, neque fiet ille ſenex inſanior
Ex amore, quam ille adoleſcens, quoi ego do hanc operam, pater.
Dem. Quieſce, inquam. iſtanc rem ego recte videro. *Ch.* Quid agis? *Dem.* quid eſt?
Ch. Non ego illam mancupio accepi. *Dem.* Sed ille illam accipit. ſine.
Ch. Non potes tu lege vendere illam. *Dem.* Ego aliquid videro.
Ch. Poſt autem communis eſt illa mihi cum alio. qui ſcio
Quid ſit ei animi: vænirene eam velit? an non velit?
Dem. Ego ſcio velle. *Ch.* At pol ego eſſe credo aliquem, qui non velit.
Dem. Quid id mea refert? *Ch.* Quia illi ſuam rem eſſe æquom eſt in manu.
Dem. Quid ais? *Ch.* Communis mihi illa eſt cum alio. is nunc hic non adeſt.
Dem. Prius reſpondes, quam rogo. *Ch.* Prius tu emis quam vendo, pater.
Neſcio, inquam, velit ille illam, nec ne, abalienarier.
Dem. Quid illic quidam, qui mandavit, cum ille nolet? nihil agis.
Numquam edepol quiſquam illam habebit potius, quam ille, quem ego volo.
Certum eſt. *Ch.* Cenſen' certum eſſe? *Dem.* Quin ad navim jam hinc eo.
Ibi vænibit. *Ch.* Vin' me tecum illo ire? *Dem.* Nolo. non placet.
Meliu' ſt te, quæ ſunt mandatæ res tibi, prævortier.
Ch. Tu prohibes. *Dem.* At tu excuſato, te feciſſe ſedulo.
Ad portum ne bitas, dico jam tibi. *Ch.* Auſcultabitur.
Dem. Ibo ad portum, & ne hic reſciſcat, cauto opu' ſt. non ipſe emam,
Sed Lyſimacho amico mandabo. is ſe ad portum dixerat
Ire dudum. me moror, cum hic aſto. *Ch.* Nullus ſum, occidi.

ACTUS II. SCENA IV.

Charinus, Eutychus.

PEntheum diripuiſſe ajunt Bacchas: nugas maxumas
Fuiſſe credo, præut quo pacto ego divorſus diſtrahor.
Cur ego vivo? cur non morior? quid mihi eſt in vita boni?
Certum eſt, ibo ad medicum, atque ibi me toxico morti dabo:
Quando id mihi adimitur, qua cauſſa vitam cupio vivere.
Eut. Mane, mane obſecro, Charine. *Ch.* qui me revocat? *Eut.* Eutychus
Tuus amicus & ſodalis, ſimul vicinus proxumus.
Ch. Non tu ſcis, quantum malarum rerum ſuſtineam. *Eut.* Scio.
Omnia ego iſtæc auſcultavi ab oſtio: omnem rem ſcio.
Ch. Quid id eſt, quod ſcis? *Eut.* Tuus pater volt vendere. *Ch.* Omnem rem tenes.
Eut. Tuam amicam. *Ch.* Nimium multum ſcis. *Eut.* Tuis ingratiis.
Ch. Plurimum tu ſcis. ſed qui ſcis eſſe amicam illam meam?
Eut. Tute heri ipſus mihi narraſti. *Ch.* Satin' ut oblitus fui,
Tibi me narraviſſe! *Eut.* Haud mirum factum eſt. *Ch.* Te nunc conſulo.
Reſponde, quo leto cenſes me ut peream potiſſumum?
Eut. Non taces? cave iſtuc dixis. *Ch.* Quid vis me igitur dicere?
Eut. Vin' patri ſublinere pulchre me os tuo? *Ch.* Sane volo.
Eut. Viſne eam ad portum? *Ch.* Qui potius, quam voles? *Eut.* Atque eximam
Mulierem pretio? *Ch.* Qui potius, quam auro expendas? *Eut.* Unde at erit id?
Ch. Achillem orabo, aurum mihi det, Hector qui expenſus fuit.
Eut. Sanun' es? *Ch.* Pol ſanus ſi ſim, non te medicum mihi expetam.
Eut. Tanti quanti poſcit, vin' tanti illam emi? *Ch.* Auctarium
Adjicito, vel mille nummum plus quam poſcet. *Eut.* Jam tace.
Sed quid ais? unde erit argentum, quod des, cum poſcet pater?
Ch. Invenietur, exquiretur, aliquid fiet. *Eut.* Enicas.
Jam iſtuc, aliquid fiet, metuo. *Ch.* Quin taces? *Eut.* Muto imperas.
Ch. Satin' iſtuc mandatu 'ſt? *Eut.* Potin' ut aliud cures? *Ch.* Non poteſt.
Eut. Bene vale. *Ch.* Non edepol poſſum, priuſquam tu ad me redieris.
Eut. Melius ſanus ſis. *Ch.* Vale, & vince, & me ſerva. *Eut.* Ego fecero.
Domi maneto me. *Ch.* Ergo actutum face cum præda recipias.

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

Lyſimachus, *Paſicompſa*.

AMice amico operam dedi: vicinus quod rogavit,
Hoc emi mercimonium. mea es tu: ſequere ſane:
Ne plora: nimis ſtulte facis, oculos corrumpis tales.
Quid? tibi quidem, quod rideas magis eſt, quam ut lamentere.
Paſ. Amabo ecaſtor, mi ſenex, eloquere. *L.* Exquire quid vis.
Paſ. Cur emeris me? *L.* Tene ego? ut, quod imperetur, facias.
Item quod tu mihi imperes, ego faciam. *Paſ.* Facere certum eſt,
Pro copia & ſapientia, quæ te velle arbitrabor.
L. Laborioſe nihil tibi quidquam operis imperabo.
Paſ. Namque edepol quidem, mi ſenex, non didici bajulare,
Nec pecua ruri paſcere, neque pueros nutricare.
L. Bona ſi eſſe vis, bene erit tibi. *Paſ.* Tum pol ego perii miſera.
L. Qui? *Paſ.* Quia illic unde advecta huc ſum, malis bene eſſe ſolitum'ſt:
Nec mos meu'ſt, ut prædicem, quod ego omnes ſcire credam.
L. Oratio edepol pluris eſt hujus, quam quanti hæc emta eſt:
Quaſi dicas, nullam mulierem bonam eſſe. *Paſ.* Haud equidem dico.
L. Rogare hoc unum te volo. *Paſ.* Roganti reſpondebo.
L. Quid ais tu? quod nomen tibi dicam eſſe? *Paſ.* Paſicompſæ.
L. Ex forma nomen inditum'ſt. ſed quid ais, Paſicompſa?
Poſſin' tu, ſi uſus venerit, ſubtemen tenue nere?
Paſ. Poſſim. *L.* Si tenue ſcis, ſcio te uberius poſſe nere.
Paſ. De lanificio neminem metuo, una ætate quæ ſit.
L. Bonam hercle te & frugi arbitror, matura jam inde ætate,
Quoniam ſcis facere officium tuum, mulier. *Paſ.* Pol docta didici.
Operam accuſari non ſinam meam. *L.* Hem, iſtæc hercle res eſt.
Ovem tibi ancillam dabo natam annos ſexaginta
Peculiarem. *Paſ.* Mi ſenex, tam vetulam? *L.* Generis Græci eſt.
Eam ſi curabis, perbona eſt, tondetur nimium ſcite.
Paſ. Honoris cauſſa quidquid eſt quod dabitur, gratum habebo.
L. Nunc, mulier, ne tu fruſtra ſis, mea non es, ne arbitrere.
Paſ. Dic igitur, quæſo, quoja ſum? *L.* tuo hero redemta es rurſum;
Ego redemi te: ille me oravit. *Paſ.* Animus rediit,
Si mecum ſervatur fides. *L.* Bono animo es, liberabit
Ille te homo: *nam* edepol deperit *te*, atque hodie primum vidit.
Paſ. Ecaſtor jam biennium eſt, cum mecum rem cœpit.
Nunc, quando amicum te ſcio eſſe illius, indicabo.
L. Quid ais tu? jam biennium eſt, cum tecum habet rem? *Paſ.* Certo.
Et inter nos conjuravimus, ego cum illo, & ille mecum,
Ego cum viro, & ille cum muliere: niſi cum illo, aut ille mecum,
Neuter ſtupri cauſſa caput limaret. *L.* Dii immortales!
Etiam cum uxore non cubet? *Paſ.* Amabo, an maritus eſt?
Neque eſt, neque erit. *L.* Nolim quidem. homo hercle perjuravit.
Paſ. Nullum adoleſcentem plus amo. *L.* Puer eſt ille quidem, ſtulta.
Nam illi quidem haud ſane diu eſt, cum dentes exciderunt.
Paſ. Quid, dentes? *L.* Nihil eſt: ſequere ſis huc me, diem unum oravit,
Ut apud me præhiberem locum: ideo, quia uxor ruri eſt.

ACTUS III. SCENA II.

Demipho.

TAndem impetravi, ut egomet me corrumperem.
Emta eſt amica clam uxore mea, & filio.
Certum eſt; antiqua recolam, & ſervibo mihi.
Decurſo in ſpatio, breve quod vitæ reliquum eſt,
Voluptate, vino & amore delectavero.
Nam hanc ſe bene habere ætatem nimio eſt æquius.
Adoleſcens cum ſis, tum cum eſt ſanguis integer,
Rei tuæ quærendæ convenit operam dare.
Demum igitur cum ſenex ſis, tunc in otium
Te colloces, dum poteſtur: id jam lucro eſt
Quod vivis. hoc ut dico, factis perſequar.
Interea tamen huc intro ad me inviſam domum.
Uxor me aſpectat jamdudum eſuriens domi.
Jam jurgio enicabit, ſi intro rediero.
Verum hercle poſtremo utut eſt, non ibo tamen,
Sed hunc vicinum prius conveniam, quam domum
Redeam. ut mihi ædeis aliquas conducat volo,
Ubi habitet iſtæc mulier. atque eccum it foras.

ACTUS III. SCENA III.

Lyſimabus, *Demipho*.

ADducam ego illum jam ad te, ſi convenero.
Dem. Me dicit. *L.* quid ais, Demipho? *Dem.* eſt mulier domi?
L. Quid cenſes? *Dem.* Quid ſi viſam? *L.* Quid properas? mane.
Dem. Quid faciam? *L.* Quod opus eſt facto, facito ut cogites.
Dem. Quid cogitem? equidem hercle opus hoc facto exiſtumo,
Ut illuc introeam. *L.* Itane vero, vervex, intro eas?
Dem. Quid aliud faciam? *L.* Prius hoc auſculta, atque ades.
Prius etiam eſt, quod te facere ego æquom cenſeo.
Nam nunc ſi illo introieris, amplecti voles,
Confabulari, atque oſculari. *Dem.* Tu quidem
Meum animum geſtas: ſcis, quid acturus ſiem.
L. Pervorſe facies. *Dem.* Quodne ames? *L.* Tanto minus.
Jam plenus ætatis, animaque fœtida,
Senex hircoſus, tu oſculere mulierem?

Utinc

Utine adveniens vomitum excutias mulieri?
Scio pol te amare, quom iſtæc præmonſtras mihi.
Dem. Quid ſi igitur (unum factum hoc ſi cenſes) coquom
Aliquem arripiamus, prandium qui percoquat
Apud te hic uſque ad veſperum? *L.* Hem iſtuc cenſeo.
Nunc tu ſapienter loquere atque amatorie.
Dem. Quid ſtamus? quin ergo imus, atque obſonium
Curamus, pulchre ut ſimus? L. Equidem te ſequor.
Atque hercule invenies tu locum illi, ſi ſapis.
Nullum hercle, præter hunc, diem, illa apud me erit:
Metuo ego uxorem, cras ſi rure redierit,
Ne illam hic offendat. *Dem.* Res parata eſt, ſequere me.

ACTUS III. SCENA IV.

Charinus, *Eutychus*.

SUmne ego homo miſer, qui nuſquam bene queo quieſcere.
Si domi ſum, foris eſt animus: ſin foris ſum, animus domi eſt.
Ita mihi in pectore atque in corde facit amor incendium:
Ni oculos lacrimæ defendant, jam ardeat, credo, caput.
Spem teneo, ſalutem amiſi: redeat an non, neſcio.
Si opprimit pater, quod dixit; exſulatum abiit ſalus:
Sed tandem ſi podagroſis pedibus eſſet Eutychus,
Jam a portu rediiſſe potuit. id illi vitium maxumum 'ſt,
Quod nimis tardus eſt, advorſum mei animi ſententiam.
Sed iſne eſt, quem currentem video? ipſus eſt. ibo obviam.
Divom atque hominum quæ Spectatrix atque Hera eadem es hominibus,
Spem ſperatam cum obtuliſti hanc mihi, tibi grates ago.
Numquid reſtat? eheu diſperii! voltus neutiquam hujus placet:
Triſtis incedit, pectus ardet: hæreo, quaſſat caput.
Eutyche. *Eut.* Heu! Charine. *Ch.* Priuſquam recipias anhelitum,
Uno verbo eloquere: ubi ego ſum? hiccine, an apud mortuos?
Eut. Neque apud mortuos, neque hic es. *Ch.* Salvos ſum: immortalitas
Mihi data eſt: hic emit illam: pulchre os ſublevit patri.
Impetrabilior qui vivat nullus eſt. dic, obſecro:
Si neque hic, neque Acherunti ſum, ubi ſum? *Eut.* Nuſquam gentium.
Ch. Diſperii! illæc interemit me modo *hic* oratio.
Odioſa eſt oratio, cum rem agas, longinquom loqui.
Quidquid eſt, ad capita rerum perveni. *Eut.* Primum omnium
Periimus. *Ch.* Quin tu illud potius nuntias, quod neſcio.
Eut. Mulier alienata eſt abs te. *Ch.* Eutyche, capital facis.
Eut. Qui? *Ch.* Quia æqualem & ſodalem civem liberum enicas.
Eut. Ne dii ſirint. *Ch.* Demiſiſti gladium in jugulum: jam cadam.
Eut. Quæſo hercle, animum ne deſponde. *Ch.* Nullus eſt, quem deſpondeam.
Loquere porro aliam malam rem. quoi eſt emta? *Eut.* Neſcio.
Jam addicta, atque abducta erat, cum ad portum venio. *Ch.* Væ mihi.
Montis tu quidem mali in me ardentes jamdudum jacis.
Perge, excrucia, carnufex, quandoquidem occœpiſti ſemel.
Eut. Nec tibi iſtuc magis dividiæ eſt, quam mihi hodie fuit.
Ch. Dic, quis emit? *Eut.* Neſcio hercle. *Ch.* Hem! iſtuccine eſt operam dare
Bonum ſodalem? *Eut.* Quid me facere vis? *Ch.* Idem, quod me vides,
Ut pereas. quin percontatu's, hominis quæ facies foret,
Qui illam emiſſet: eo ſi pacto poſſet indagarier
Mulier? *Eut.* Heu miſerum! *Ch.* Flere omitte, iſtuc quod nunc agis.
Eut. Quid ego feci? *Ch.* Perdidiſti me & fidem mecum tuam.
Eut. Dii ſciunt, culpam meam iſtanc non eſſe ullam. *Ch.* Euge, papæ!
Deos abſentis teſtes memoras: qui ego iſtuc credam tibi?
Eut. Quin tibi in manu eſt, quod credas: ego quod dicam, id mihi mea in manu eſt.
Ch. De iſtac re argutus es, ut par pari reſpondeas:
Ad mandata claudus, cœcus, mutus, mancus, debilis.
Promittebas te os ſublinere meo patri. egomet credidi
Homini docto rem mandare: is lapidi mando maxumo.
Eut. Quid ego facerem? *Ch.* Quid tu faceres? men' rogas? requireres,
Rogitares, quis eſſet, aut unde eſſet, qua proſapia;
Civiſne eſſet, an peregrinus. *Eut.* Civem eſſe ajebant Atticum.
Ch. Ubi habitaret, invenires ſaltem, ſi nomen nequis.
Eut. Nemo ajebat ſcire. *Ch.* At ſaltem hominis faciem exquireres.
Eut. Feci. *Ch.* Qua forma eſſe ajebant ergo? *Eut.* Ego dicam tibi.
Canum, varum, ventrioſum, bucculentum, breviculum.
Ch. Non hominem mihi, ſed theſaurum neſcio quem memoras mali.
Numquid eſt quod dicas aliud de illo? *Eut.* Tantum quod ſciam.
Ch. Edepol næ ille oblongis malis dedit mihi magnum malum.
Non poſſum durare: certum eſt exſulatum hinc ire me.
Sed quam capiam civitatem, cogito potiſſumum:
Megara, Eretriam, Corinthum, Chalcidem, Cretam, Cyprum,
Sicyonem, Gnidum, Zacynthum, Lesbiam, Bœotiam.
Eut. Cur iſtuc cœptas conſilium? *Ch.* Quia enim afflictat me amor.
Eut. Quid tu ais? quid cum illuc, quo nunc ire paritas, veneris?
Si ibi amare forte occipias, atque item ejus ſit inopia,
Jam inde porro aufugies? deinde item illinc, ſi item evenerit:
Quis modus tibi exſilio tandem eveniet? qui finis fugæ?
Quæ patria aut domus tibi ſtabilis eſſe poterit? dic mihi.
Cedo, ſi hac urbe abis, amorem te hic relicturum putas?
Si id forte ita ſat animo acceptum eſt: id pro certo ſi habes:
Quanto te ſatius eſt, rus aliquo abire, ibi eſſe, ibi vivere:
Adeo dum illius te cupiditas atque amor miſſum facit?
Ch. Jam dixiſti? *Eut.* Dixi. Fruſtra dixti. hoc mihi certiſſumum eſt.
Eo domum, patrem atque matrem ut meos ſalutem, poſtea
Clam patrem patria hac effugiam, aut aliquid capiam conſilii.
Eut. Ut corripuit ſe repente, atque abiit! heu miſero mihi!
Si ille abierit, mea factum omnes dicent eſſe ignavia
Cer-

Certum eſt præconum jubere jam quantum eſt conducier,
Qui illum inveſtigent, qui inveniant. poſt ad prætorem illico
Ibo, orabo, ut conquiſitores det mihi in vicis omnibus.
Nam mihi nihil relicti quidquam aliud eſſe jam intellego.

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

Dorippa, Syra.

QUoniam a viro ad me rus advenit nuntius,
Rus non iturum, feci ego ingenium meum,
Reveni, ut illum perſequar, qui me fugit.
Sed anum non video conſequi noſtram Syram.
Atque, eccam, incedit tandem. quin is ocyus?
S. Nequeo mecaſtor, tantum hoc oneris eſt, quod fero.
Dor. Quid oneris? *S.* Annos octoginta & quatuor:
Et eodem accedit ſervitus, ſudor, ſitis:
Simul hæc, quæ porto, deprimunt. *Dor.* Aliquid cedo,
Qui hanc vicini noſtri aram augeam, Syra.
S. Da ſane hanc virgam lauri. *Dor.* Abi jam tu intro. *S.* Eo.
Dor. Apollo, quæſo te, ut des pacem propitius,
Salutem & ſanitatem noſtræ familiæ,
Meoque ut parcas gnato pace propitius.
S. Diſperii, perii miſera, væ miſeræ mihi!
Dor. Satin' tu ſana es, obſecro? quid ejulas?
S. Dorippa mea, Dorippa! *Dor.* Quid clamas, obſecro?
S. Neſcio quæ eſt mulier intus hic in ædibus.
Dor. Quid? mulier? *S.* Mulier meretrix. *Dor.* Veron' ſerio?
S. Nimium ſcis ſapere, ruri quæ non manſeris:
Quamvis inſipiens poterat perſentiſcere
Illam eſſe amicam tui viri belliſſumi.
Dor. Credo mecaſtor. *S.* I hac mecum, ut videas ſimul
Tuam Alcumenam pellicem, Juno mea.
Dor. Ecaſtor vero! iſtuc eo, quantum poteſt.

ACTUS IV. SCENA II.

Lyſimachus.

PArumne eſt malæ rei, quod amat Demipho,
Ni ſumtuoſus inſuper etiam ſiet?
Decem vocaſſet ſi ad cœnam ſummos viros,
Nimium obſonavit. ſed coquos, quaſi in mari
Solet hortator remiges hortarier,
Ita hortabatur. egomet conduxi coquom.
Sed eum demiror non venire, ut juſſeram.
Sed qui hinc nam a nobis exit? aperitur foris.

ACTUS IV. SCENA III.

Dorippa, Lyſimachus.

MIſerior mulier me nec fiet, nec fuit,
Tali viro quæ nupſerim. heu miſeræ mihi!
Hem! quoi te, & tu quæ habeas, commendes viro!
Hem! quoi decem talenta dotis detuli!
Hæc ut viderem, ut ferrem has contumelias!
L. Perii hercle: rure jam rediit uxor mea:
Vidiſſe credo mulierem in ædibus.
Sed quæ loquatur, exaudire hinc non queo.
Accedam propius. *Dor.* Væ miſeræ mihi! *L.* Immo mihi.
Dor. Diſperii. *L.* Ego quidem hercle oppido perii miſer.
Vidit. ut omnes te, Demipho, di perduint!
Dor. Pol hoc eſt, ire quod rus meus vir noluit.
L. Quid nunc ego faciam, niſi ut adeam, atque alloquar?
Jubet ſalvere ſuus vir uxorem ſuam.
Urbani fiunt ruſtici. *Dor.* Pudicius
Faciunt illi, quam qui non fiunt ruſtici.
L. Numquid delinquunt ruſtici? *Dor.* Ecaſtor, minus
Quam urbani, & multo minus mali quærunt ſibi.
L. Quid autem urbani deliquerunt? dic mihi.
Dor. Quoja illa mulier intus eſt? *L.* Vidiſtine eam?
Dor. Vidi. *L.* Quoja ea ſit, rogitas? *Dor.* reſciſcam tamen:
Cupio hercle ſcire. ſed tu me tentas ſciens.
L. Vin' dicam, quoja eſt? illa, illa. edepol! væ mihi,
Neſcio quid dicam. *Dor.* Hæres. *L.* Haud vidi magis.
Dor. Quin dicis? *L.* Quin, ſi liceat. *Dor.* Dictum oportuit.
L. Non poſſum, ita inſtas: urges quaſi pro noxio.
Dor. Scio, innoxius. *L.* Audacter quamvis dicito.
Dor. Dic igitur. *L.* Ego dicam. *Dor.* Atqui dicundum eſt tamen.
L. Illa eſt. num etiam vis nomen dicam? *Dor.* Nihil agis:
Manifeſto teneo; in noxia es. *L.* Qua noxia?
Iſta quidem illa eſt. *Dor.* Quæ illa eſt? *L.* Illa. *Dor.* Johia!
L. Jam ſi nihil uſus eſſet, jam non dicerem.
Dor. Non tu ſcis quæ ſit illa? *L.* Immo etiam ſcio:
De iſtac ſum judex captus. *Dor.* Judex? jam ſcio:
Huc tu in conſilium iſtam advocaviſti tibi.
L. Immo ſic ſequeſtro mihi data eſt. *Dor.* Intellego.
L. Nihil hercle iſtius quidquam eſt. *Dor.* Numero purgitas.
L. Nimium negotii reperi. enimvero hæreo.

ACTUS IV. SCENA IV.

Coquus. Lyſimachus, Dorippa, Syra.

AGite, ite actutum. nam mihi amatori ſeni
Coquenda'ſt cœna. atque *equidem* cum recogito,
Nobis coquenda eſt, non *quoi conducti* ſumus.
Nam qui amat, quod amat, ſi id habet, id habet pro cibo:
Videre, amplecti, oſculari, alloqui.
Sed nos confido onuſtos redituros domum.
Ite hac. ſed eccum qui nos conduxit, ſenex.
L. Ecce autem, perii! coquos adeſt. *Coq.* Advenimus.
L. Abi. *Coq.* Quid? abeam? *L.* St, abi. *Coq.* Abeamne? *L.* Abi.
Coq. Non eſtis cœnaturi? *L.* Jam ſaturi ſumus.
Sed interii! *Dor.* Quid ais tu? etiamne hæc illi tibi
Juſſerunt ferri, quos inter judex datus?
Coq. Hæccine tua eſt amica, quam dudum mihi

Te

Te amare dixti, cum obſonabas? *L.* Non taces?
Coq. Satis ſcitum filum mulieris! virum hercle avet.
L. Abin' dierectus? *Coq.* Haud mala eſt. *L.* At tu malus.
Coq. Scitam hercle opinor ſatis concubinam hanc. *L.* non abis?
Non ego ſum, qui te dudum conduxi. *Coq.* quid eſt?
Immo hercle tu iſtuc ipſus. *L.* Væ miſero mihi!
Coq. Nempe uxor ruri eſt tua, quam dudum dixeras
Te odiſſe æque atque angueis. *L.* Egon' iſtuc dixi tibi?
Coq. Mihi quidem hercle. *L.* Ita me amabit Juppiter,
Uxor, ut ego illud numquam dixi. *Dor.* Etiam negas?
Coq. Non te odiſſe ajebat, uxorem verum ſuam.
Dor. Palam iſtæc fiunt, te me odiſſe. *L.* Quin nego.
Coq. Et uxorem ſuam ruri eſſe ajebat. *L.* Hæc ea eſt.
Quid mihi moleſtus? *Coq.* quia me non noviſſe ais.
Ni metuis tu iſtanc? *L.* ſapio: nam mihi unica eſt.
Coq. Vin' me experiri? *L.* Nolo. *Coq.* Mercedem cedo.
L. Cras petito; dabitur. nunc abi. *Dor.* Heu miſeræ mihi!
L. Nunc ego verum illud verbum eſſe experior vetus:
Aliquid mali eſſe propter vicinum malum.
Coq. Cur hic aſtamus? quin abimus? incommodi
Si quid tibi evenit, id non eſt culpa mea.
L. Quin me eradicas miſerum. *Coq.* Scio jam, quid velis,
Nempe hinc me abire vis. *L.* Volo, inquam. *Coq.* Abibitur,
Drachmam dato. *L.* Dabitur. *Coq.* dari ergo ſis jube.
Dari poteſt, interea dum illi ponunt. *L.* Quin abis?
Potin' ut moleſtus ne ſis? *Coq.* Agite, apponite
Obſonium iſtuc ante pedes illi ſeni.
Hæc vaſa aut mox, aut cras jubebo abs te peti:
Sequimini. *L.* Fortaſſe te illum mirari coquom,
Quod venit, atque hæc attulit. dicam quid eſt.
Dor. Non miror, ſi quid damni facis, aut flagitii.
Nec pol ego patiar, ſic me nuptam tam male,
Meaſque in ædes ſic ſcorta obductarier.
Syra, i, rogato meum patrem verbis meis,
Ut veniat ad me jam ſimul tecum *huc*. *S.* Eo.
L. Neſcis, negotii quid ſit, uxor. obſecro!
Conceptis verbis jam jusjurandum dabo,
Me numquam quidquam cum illa. jamne abiit Syra?
Perii hercle! ecce autem hæc abiit. væ miſero mihi!
At te, vicine, dii deæque perduint,
Tua cum amica, cumque amationibus.
Suſpicione implevit me indigniſſume:
Concivit hoſtes: domi uxor eſt acerruma.
Ibo ad forum, atque Demiphoni hæc eloquar,
Me iſtanc capillo protractirum eſſe in viam,
Niſi hinc abducit, quo volt, ex hiſce ædibus.
Uxor! heus uxor! quamquam tu irata es mihi,
Jubeas, ſi ſapias, hæc intro *hinc* auferrier:
Eadem licebit mox cœnare rectius.

ACTUS IV. SCENA V.

Syra, Eutychus.

Hera quo me miſit ad patrem, non eſt domi:
Rus abiiſſe ajebant. nunc domum renuntio.
Eut. Defeſſus ſum urbem totam pervenarier,
Nihil inveſtigo quidquam de illa muliere.
Sed mater rure rediit; nam video Syram
Aſtare ante ædeis. Syra. *S.* Quis eſt, qui me vocat?
Eut. Herus atque alumnus tuus ſum. *S.* Salve, alumne *mi*.
Eut. Jam mater rure rediit? reſponde mihi.
S. Sua quidem ſalute ac familiæ maxuma.
Eut. Quid iſtuc negotii eſt? *S.* Tuus pater belliſſumus
Amicam adduxit intro in ædeis. *Eut.* Quomodo?
S. Adveniens mater rure eam oſtendit domi.
Eut. Pol haud cenſebam iſtarum eſſe operarum patrem.
Etiam nunc mulier intu'ſt? *S.* Etiam. *Eut.* Sequere me.

Hiſce vett. Editiones continuo iſta attexunt:

Quid? Periſtratam hic Demiphonis contuor?
Gradus grandit, emittit oculos, circumfert ſe, obſtipat verticem.
Aſſervabo hinc, rerum quid gerat. magnum eſt, quidquid quæritat.

Quam Scenam ſtatim excipiunt duæ aliæ.

Periſtrata, Syra, Lyciſſa.

Diva Aſtarte hominum deorumque vis, vita, ſalus: rurſus eadem quæ eſt
Pernicies, mors, interitus, mare, tellus, cælum, ſidera.
Jovis quæcumque templa colimus, ejus ducuntur nutu, illi obtemperant.
Eam ſpectant: quod illi diſplicet, facile excludunt ceteri.
Quidquid complacitum, id ſequontur, quæ vivont omnia, atque ſentiunt.
Alios enicat, exſtinguit, alios ſuo lacte fovet, atque erigit: ſed quos enicat,
Hi vivont, & ſapiunt: quos properat alere, ac erigere,
Hi quidem confeſtim pereunt, atque male ſapiunt miſeri.
Jacent benevolentes, odioſi humum mordent, caput reptant,
Fremunt, perſtrepuntque: cumque putant vivere, tunc ruunt maxume,
Tunc, tunc ſtudeant perſequi, labant juvenes, itidem rapiuntur ſenes.
Illi ſe amant: quod amant, amatum volunt, atque cognitum.
Illi vero ſi amare ea ætate occœperunt, multo inſaniunt acrius.
Verum ſi non amant, oderunt, moleſti itidem, atque difficiles;
Garruli, oſores, infenſi, iracundi, ſibi ſuiſque invidi.
Quod in ſe olim admiſere turpiter, id ſi fiat modeſtius,
Nec tolerant, ut æquom eſt patres: ſed clamant, indecenter obſtrepunt.
S. *Quantum intelligo, & hanc male habet Demipho.* Per. *Id verum.*
Amat filius, & perit; id quom reſciſcit pater, inſanit vehementius.
Quæ iſtæc intemperies? abegit vir meus olim ipſe ad mercatum Rhodum filium:
Nunc, ut fert Acanthio, ipſe ſibimet faciet exſilium.
O iniquom patrem! o infortunatum filium! quo te recipies?
Ubi matrem relinques? ſola degam? filium amittam? non patiar.

Ven-

Vendidit pater? ubi ubi erit inventa, mater redimet.
Dic tu, Lyciſſa, num in hanc viciniam adductam autumant?
L. *In hanc opinor, in amici ſenis quojuſdam ædeis.* Per. *Hic, præter Lyſimachum,*
Nullus quem ſciam. S. *Lyſimachum nominant.*
Mirum ni ſenes vicini in unum nidum conſpiraverint.
Per. *Dorippam ejus uxorem conveniam.* L. *Quid, convenias? non eam vides?*
Per. *Video equidem: auſcultemus. neſcio quid ſecum iracundia muſſitat.*

Dorippa, Syra, Lyciſſa, Periſtrata.

SYra non redit, quam accerſitum patrem jamdiu eſt quod miſeram:
Tarda nimium aut lapis obriguit, aut angue demorſa ceſſavit turgida.
S. *Nulla ſum, adeſt hera, me quærit.* Dor. *Domi manere nequeo:*
Baſilicam iſtanc pellicem mei non patiuntur oculi. excluſiſſem foras,
At me meus continuit Eutychus. ſed omnino quod fert non creduam.
L. *Audin' hera?* Per. *Audio: ſine pergat.* L. *Sino.* Dor. *Amici inquit ſenis*
Gratia huc ad nos veniſſe. habet venalem, amanti dum detrahat filio.
Hæc quidem aut viri aut gnati fallacia: diſſident ſententiæ.
Sequeſtro vir ait datam: eamdem vero venalem dicit filius.
S. *Ibo de improviſo obviam, ne ceſſaſſe intelligat.* Dor. *Iſtæc filio*
Non credam: qui obſequitur patri: huic vero ut mero cuculo,
Id certum eſt mentiri ampliter: equidem coquo creduam.
Eccam Syram, ut currit venefica! Syra! S. *Quis me vocat?*
Dor. *Malum quod di tibi danunt.* S. *Hera, ſi ſapis, hoc potius*
Tuæ pellici, & marito dato. Dor. *Iſtuc dictum tibi non amplius iraſcor.*
Sed ubi pater? quid ceſſat? an hominem podagra impedit?
S. *Nec podagricus, nec articularius eſt, quem rus ducunt pedes.*
Dor. *Non domi?* S. *Non.* Dor. *Ubi?* S. *Ruri eſſe autumant.*
Atque numquid redeat incertum hodie: cum villico rationis ſatis.
Dor. *Omnia mihi hodie eveniunt præter ſententiam. non vivam veſperi,*
Niſi illanc a me ſceleſtam abigam: eo domum. L. *Hera, abit.*
Per. *Hem, abit? compella.* L. *Dorippa, Dorippa.* Dor. *Quid moleſtiæ*
Hoc eſt? quis me revocat? Per. *Non ſum moleſta: ſed benevolens,*
Et amica te compellat tua Periſtrata: mane quæſo.
Dor. *Hem Periſtrata, te pol non noram: mala bilis cruciat*
Me, atque exagitat. Per. *Iſtuc volo, quæſo, ne neges,*
Te audivi modo: dic mihi, quæ te nunc habet ſollicitudo?
Dor. *Periſtrata, ſic di tibi unicum gnatum ſoſpitent, da mihi benignius operam,*
Nulla dari mihi poterit melius: par eſt ætas: una crevimus,
Pares ætate habemus viros: nulli colloquor lubentius,
Solicitor merito quidem: quid tibi animi eſſe nunc poſſiet,
Si amicam hac ætate ante oculos tuus adduxerit Demipho?
Per. *Adduxit?* Dor. *Factum.* Per. *Domi eſt?* Dor. *Domi: imo coqui*
Conducti: parabatur convivium, ni meus diſturbaſſet adventus omnia.
Senem miſerum Venus & Cupido alieno ſatis vexant tempore.
Per. *Sed iſta levia ſunt, Dorippa: utinam non ego eſſem miſerior!*
Dor. *Levia?* Per. *Levia quidem.* Dor. *Quæ pejora tibi tuus faceret?*
Per. *Immo pejoribus pejora.* Dor. *Quæ iſtæc ſunt? quæſo loquere:*
Ut tu mihi, ego tibi, quæ facto opus ſunt, demus conſilium.
Vetus id dictum eſt, Feliciter is ſapit, qui periculo alieno ſapit.
Per. *Unicus mihi, Dorippa, eſt gnatus: ſcis?* Dor. *Scio.* Per. *Hunc pater*
Olim a ſe extruſit Rhodum. Dor. *Quare? quoniam amaret.*
Dor. *Ob id ipſum?* Per. *Id quidem nunc quoque, quom ancillam domum*
Adduxiſſet, hanc reſciſcens pater produxit, venalem præbuit.
Dor. *Atat novi: verum dixerat filius: ego mariti amicam putabam mei.*
Cuidata eſt? Per. *Seni quoidam in hac amico vicinia.*
Credo hic alium, præter tuum, amicum habere neminem.
Dor. *Ea quidem eſt. quid filius?* Per. *Urbem hanc ſe deſerturum autumat.*
Dor. *In portu res eſt. quid ſi invenerit?* Per. *Manſurum credito.*
Dor. *Præter ſpem ſalvæ ſumus, ne dubita: apud me ea eſt.*
Per. *Apud te? ea erat opinor, de qua loqui te audivi modo.*
Dor. *Ea.* Per. *O factum bene! merito te amo, reſtituiſti filium.*
Fac videam. Dor. *Eamus intro.* Per. *Eamus. Lyciſſa, ades,*
Acanthioni hæc nuntia: ego ad Dorippam huc devortam.

ACTUS IV. SCENA VI.

Syra.

ECaſtor lege dura vivont mulieres,
Multoque iniquiore miſeræ, quam viri.
Nam ſi vir ſcortum duxit clam uxorem ſuam,
Id ſi reſcivit uxor, impune eſt viro.
Uxor viro ſi clam domo egreſſa eſt foras,
Viro fit cauſſa, exigitur matrimonio.
Utinam lex eſſet eadem, quæ uxori eſt, viro!
Nam uxor contenta eſt, quæ bona eſt, uno viro.
Qui minus vir una uxore contentus ſiet?
Ecaſtor, faxim, ſi itidem plectantur viri,

Si

Si quis clam uxorem duxerit ſcortum ſuam ,
Ut illæ exiguntur, quæ in ſe culpam commerent;
Plures viri ſint vidui , quam nunc mulieres .

ACTUS QUINTUS.
SCENA I.

Charinus.

LImen ſuperum inferumque, ſalve , ſimul autem vale .
Hunc hodie poſtremum extollo mea domo patria pedem .
Uſus , fructus , victus , cultus jam mihi harunc ædium
Interemtu 'ſt, interfectu 'ſt, alienatu 'ſt. occidi .
Dii penates meum parentum, familiæ*que* Lar pater,
Vobis mando, meum parentum rem bene ut tuemini.
Ego mihi alios deos Penates perſequar, alium Larem,
Aliam urbem, aliam civitatem : ab Atticis abhorreo:
Nam ubi mores deteriores increbeſcunt in dies,
Ubi, qui amici, qui infideles ſint , nequeas pernoſcere,
Ubique id eripiatur, animo tuo quod placeat maxume:
Ibi quidem ſi regnum detur , non eſt cupida civitas.

ACTUS V. SCENA II.

Eutychus, *Charinus*.

DIvom atque hominum quæ Spectatrix atque Hera eadem es hominibus,
Spem ſperatam quoniam obtuliſti hanc mihi, grates ago .
Ecquiſnam deus eſt, qui mea nunc lætus lætitia ſuat?
Domi erat quod quæritabam. *ibi* ſex ſodales repperi,
Vitam, Amicitiam, Civitatem, Lætitiam, Ludum, Jocum.
Eorum inventu res *decem* ſimitu peſſumas peſſumdedi,
Iram, Inimicitiam, Stultitiam, Exitium, Pertinaciam,
Mærorem, Lacrimas, Exſilium, Inopiam, Solitudinem.
Date, di, quæſo, conveniendi mihi ejus celerem copiam.
Ch. Apparatus ſum, ut videtis: abjicio ſuperbiam.
Egomet mihi comes, calator, equos, agaſo, armiger:
Egomet ſum mihi imperator, idem egomet mihi obedio:
Egomet mihi fero, quod uſu 'ſt. o Cupido, quantus es!
Nam tu quemvis confidentem facile tuis factis facis,
Eumdem ex confidente actutum diffidentem denuo.
Eut. Cogito, quonam ego illum curram quæritatum. *Ch.* Certa re 'ſt:
Me uſque quærere illam, quo quo hinc abducta eſt gentium.
Neque mihi ulla obſiſtet amnis, neque mons, neque adeo mare;
Nec calor, nec frigus metuo, neque ventum, neque grandinem,
Imbrem perpetiar, laborem ſufferam, Solem, ſitim.
Non concedam, neque quieſcam uſquam noctu, neque interdius,
Prius profecto, quam aut amicam aut mortem inveſtigavero.
Eut. Neſcio, quoja vox ad aurem mihi advolavit. *Ch.* Invoco
Vos, Lares viales, ut me bene juvetis. *Eut.* Juppiter!
Eſtne illic Charinus? *Ch.* Cives, bene valete. *Eut.* Illico
Sta, Charine. *Ch.* Qui me revocat? *Eut.* Spes, Salus, Victoria.
Ch. Quid me voltis? *Eut.* Ire tecum. *Ch.* Alium comitem quærite,
Non amittunt hi me comites, qui tenent. *Eut.* Qui ſunt ei?
Ch. Cura, Miſeria, Aegritudo, Lacrimæ, Lamentatio.
Eut. Repudia iſtos comites, atque huc reſpice, & revortere.
Ch. Siquidem mecum fabulari vis, ſubſequere. *Eut.* Sta illico.
Ch. Male facis, properantem qui me commorare. Sol abit.
Eut. Si huc item properes, ut iſtuc properas, facias rectius,
Huc ſecundus ventus nunc eſt; cape modo vorſoriam:
Hic Favonius ſerenu 'ſt, iſtic Auſter imbricus:
Hic facit tranquillitatem, iſte omnes fluctus conciet.
Recipe te ad terram, Charine, huc. nonne ex advorſo vides?
Nubis ater imberque inſtat. aſpice nunc ad ſiniſtram *
* Cælum ut eſt ſplendore plenum, ex advorſo vides.
Ch. Religionem illic objecit: recipiam me illuc. *Eut.* Sapis,
O Charine. contra pariter fer gradum, & confer pedem.
Porrige brachium, prehende. jam tenes? *Ch.* Teneo. *Eut.* Tene.
Quo nunc ibas? *Ch.* Exſulatum. *Eut.* quid ibi facere is? *Ch.* quod miſer.
Eut. Ne pave, reſtituam jam ego te in gaudia, antequam is. *Ch.* eo.
Eut. Maxume quod vis audire, id audies quod gaudeas.
Sta illico. amicus advenio multum benevolens. *Ch. quid eſt?*
Eut. Tuam amicam. *Ch.* quid eam? *Eut.* ubi ſit, ego ſcio. *Ch.* Tun' obſecro?
Eut. Sanam & ſalvam. *Ch.* ubi eam ſalvam? *Eut.* quo ego ſcio. *Ch.* ego me mavelim.
Eut. Potin' ut animo ſis tranquillo? *Ch.* quid ſi animus fluctuat?
Eut. Ego iſtum in tranquillo & tuto ſiſtam: ne time.
Ch. Obſecro te, loquere, ubi ſit, ubi eam videris.
Quid taces? dic. enicas me miſerum tua reticentia.
Eut. Non longe hinc abeſt a nobis. *Ch.* quin ergo commonſtras, ſi tu vides?
Eut. Non video hercle nunc, ſed vidi modo. *Ch.* quin ego videam facis?
Eut. Faciam. *Ch.* longinquom iſtuc amanti eſt. *Eut.* etiam metuis? omnia
Commonſtrabo: amicior mihi nullus vivit, atque is eſt,
Qui illa habet; neque eſt, quoi magis me velle melius æquom ſiet.
Ch. Non curo iſtuc, illam quæro. *Eut.* de illa ergo ego dico tibi
Sane hoc non in mentem venit dudum, uti tibi.
Ch. Dic igitur, ubi illa eſt? *Eut.* In noſtris ædibus. *Ch.* Ædeis probas,
Si tu vera dicis, pulchre*que* ædificatas arbitror.
Sed quid ego iſtuc credam? vidiſtin'? an de audito nuntias?
Eut. Egomet vidi. *Ch.* Quis eam adduxit ad vos? *Eut.* Inique rogas.
Ch. Vera dicis. *Eut.* Nihil, Charine, te quidem quidquam pudet.

Quid tua refert, quicum iſtac venerit? *Ch.* Dum iſtuc fiet.
Eut. Eſt profecto. *Ch.* Opta ergo ob iſtunc nuntium, quidvis tibi.
Eut. Quid, ſi optabo? *Ch.* Deos orato, ut ejus faciant copiam.
Eut. Derides. *Ch.* Servata res eſt demum, ſi illam videro.
Sed quin ornatum hunc rejicio? heus aliquis, heus actutum huc foras
Exite, illinc pallium mihi huc ferte. *Eut.* Hem, nunc, mihi ut places!
Ch. Optume adveniens tu puere, cape chlamydem, atque hæc. iſtinc ſta illico:
Ut ſi hæc non ſint vera, inceptum hoc itiner perficere exequar.
Eut. Non mihi credis? *Ch.* Omnia equidem credo, quæ dicis mihi.
Sed quin introducis me ad eam, ut videam? *Eut.* Pauliſper mane.
Ch. Quid manebo? *Eut.* Tempus non eſt introeundi. *Ch.* Enicas.
Eut. Non opus eſt, inquam, nunc intro te ire. *Ch.* reſponde mihi
Qua cauſſa? *Eut.* Operæ non eſt. *Ch.* Cur? *Eut.* Quia non eſt illi commodum.
Ch. Itane? commodum illi non eſt, quæ me amat? quam ego contra amo?
Omnibus hic ludificatur me modis. ego ſtultior,
Qui iſti credam. commoratur: chlamydem ſumam denuo.
Eut. Mane parumper, atque hoc audi. *Ch.* Cape ſis, puer, hoc pallium.
Eut. Mater irata eſt patri vehementer, quia ſcortum ſibi
Ob oculos adduxerit in ædis, dum ruri ipſa abeſt:
Suſpicatur illam amicam eſſe illi. *Ch.* Zonam ſuſtuli.
Eut. Eam rem nunc exquirit intus. *Ch.* Jam machæra eſt in manu.
Eut. Nam ſi eo te *nunc* introducam. *Ch.* Tollo ampullam, atque hinc eo.
Eut. Mane, mane, Charine. *Ch.* Erras! me decipere haud potes.
Eut. Neque edepol volo. *Ch.* Quin tu ergo itiner exſequi meum me ſinis?
Eut. Non ſino. *Ch.* Ego me moror: tu puere, abi hinc intro ocyus.
Jam in currum aſcendi, jam lora in manus cepi meas.
Eut. Sanus non es! *Ch.* Quin, pedes, vos in curriculum conjicitis
In Cyprum recta, quandoquidem pater mihi exſilium parat.
Eut. Stultus es. noli iſtuc quæſo dicere. *Ch.* Certum eſt exſequi,
Operam ut ſumam ad perveſtigandum, ubi ſit illæc. *Eut.* Quin domi eſt.
Ch. Nam hic quod dixit, id mentitu 'ſt. *Eut.* Vera dixi equidem tibi.
Ch. Jam Cyprum veni. *Eut.* Quin ſequere, ut illam videas, quam expetis.
Ch. Percontatus non inveni. *Eut.* Matris jam iram neglego.
Ch. Porro proficiſcor quæſitum. nunc perveni Chalcidem,
Video ibi hoſpitem Zacyntho: dico, quid eo advenerim:
Rogito, quis eam vexerit, quis habeat, ſi ibi inaudiverit.
Eut. Quin tu iſtas omittis nugas, ac mecum huc intro ambulas?
Ch. Hoſpes reſpondit, Zacyntho ficos fieri non malas.
Eut. Nihil mentitu 'ſt. *Ch.* Sed de amica ſeſe inaudiſſe autumat,
Hic Athenis eſſe. *Eut.* Calchas iſte quidem Zacynthius 'ſt.
Ch. Navem conſcendo, proficiſcor illico. jam ſum domi.
Jam redii exſilio. ſalve, mihi ſodalis Eutyche:
Ut valuiſti? quid, parentes mei valent? cœna datur.
Bene vocas, benigne dicis: cras apud te, nunc domi.
Sic decet; ſic fieri oportet. *Eut.* Eho! quæ tu ſomnias?
Hic homo non ſanus eſt. *Ch.* Medicari amicus quin properas?
Eut. Sequere ſis. *Ch.* Sequor. *Eut.* Clementer, quæſo, calces deteris.
Audin' tu? *Ch.* Jamdudum audivi. *Eut.* Pacem componi volo
Meo patri cum matre: nam nunc eſt irata. *Ch.* I modo.
Eut. Propter iſtanc. *Ch.* I modo. *Eut.* Ergo cura. *Ch.* Quin tu ergo i modo.
Tam propitiam reddam, quam cum propitia eſt Juno Jovi.

ACTUS V. SCENA III.

Demipho, Lyſimachus.

Huic Scenæ;

Quaſi tu numquam quidquam, *&c.*

Præſcripſerant Vett. Edd. verſus XI. ſequentes:

L. *Demipho: ſapientum illud dictum te audiſſe reor ſæpius:*
Voluptas eſt malorum eſca: quod ea non minus homines,
Quam hamo capiantur piſces. hanc quando fugiant ſenes,
Tu tamen ſenectuti gratiam non habeas: quoniam hæc tibi
Non abſtulit modo, ſed in amorem conjecit fortius:
Quo te conſiliumque tuum atque mentem perdit funditus,
Atque oculorum tibi præſtringit aciem. me quoque
In magnum conjeciſti malum. nec quid faciam ſcio.
Dem. *Lyſimache, deum hoc arbitrium eſt, non hominum: tute hoc tecum*
Si cogites, non æquom te facere arbitrabere,
Quom amico homini, tuique conſcio ita ſuccenſeas miſere.

Quaſi tu numquam quidquam aſſimile hujus facti feceris.
L. Edepol numquam. cavi ne quid facerem. vix vivos ſum miſer!
Nam mea uxor propter illam tota in fermento jacet.
Dem. At ego expurgationem habebo, ut ne ſuccenſeat.
L. Sequere me. ſed exeuntem filium video meum.

ACTUS

ACTUS V. SCENA IV.

Eutychus, Lyſimachus, Demipho.

AD patrem ibo, ut matris iram ſibi eſſe ſedatam ſciat.
Jam redeo. *L.* Placet principium. quid agis? quid fit, Eutyche?
Eut. Optuma opportunitate ambo adveniſtis. *L.* Quid rei eſt?
Eut. Uxor tibi placida & placata'ſt. certe dextras nunc jam.
L. Dii me ſervant. *Eut.* Tibi amicam nullam eſſe nuntio.
Dem. Dii te perdant. quid negotii eſt nam quæſo iſtuc? *Eut.* Eloquar;
Animum advortite igitur ambo. *L.* Quin tibi ambo operam damus.
Eut. Qui bono ſunt genere nati, ſi ſunt ingenio malo,
Suapte culpa genere capiunt genus, ingenium improbant.
Dem. Verum dicit hic. *L.* Tibi ergo dicit. *Eut.* Eo illud verum eſt magis.
Nam te iſtac ætate haud æquom fuerat filio tuo
Adoleſcenti amanti amicam emtam argento eripere ſuo.
Dem. Quid tu ais? Charini amica'ſt illa? *Eut.* Ut diſſimulat malus!
Dem. Ille quidem illam ſeſe ancillam matri emiſſe dixerat.
Eut. Propterea igitur tu mercatus? novos amator, vetus puer.
L. Optume hercle: perge! ego aſſiſtam jam hinc altrinſecus.
Quibus eſt dictis dignus, uſque oneremus ambo. *Dem.* Nullus ſum.
L. Filio ſuo qui innocenti fecit tantam injuriam.
Eut. Quem quidem hercle ego, in exſilium cum iret, reduxi domum:
Nam ibat exulatum. *Dem.* An abiit? *L.* Etiam loquere, larua?
Temperare iſtac ætate iſtis decebat artibus.
Dem. Fateor: deliqui profecto. *Eut.* Etiam loquere, larua?
Vacuum eſſe iſtac ted ætate iis decebat noxiis:
Itidem, ut tempus anni, ætatem aliam aliud factum convenit.
Nam ſi iſtuc jus eſt, ſenecta ætate ſcortari ſenes,
Ubi loci res ſumma noſtra eſt publica? *Dem.* Hei, perii miſer!
Eut. Adoleſcentes rei agendæ iſti magis ſolent operam dare.
Dem. Jam obſecro, vobis hercle habete cum porcis, cum fiſcina.
Eut. Redde filio: ſibi habeat. *Dem.* Jam ut volt, per me ſibi habeat licet.
Eut. Temperi edepol! quoniam, ut aliter facias, non eſt copiæ.
Dem. Supplicii ſibi ſumat, quid volt ipſe, ob hanc injuriam;
Modo pacem faciatis, miſero ut ne mihi iratus ſiet.
Si hercle ſciviſſem, ſive adeo joculo dixiſſet mihi,
Se illam amare; numquam facerem, ut illam amanti abducerem.
Eutyche, ted oro, ſodalis ejus es, ſerva, & ſubveni.
Hunc ſenem para me clientem: memorem dices beneficii.
L. Ora, ut ignoſcat delictis tuis atque adoleſcentiæ.
Dem. Pergin' tu autem? eia! ſuperbe invehere! ſpero ego mihi quoque
Tempus tale eventurum, ut tibi gratiam referam parem.
L. Miſſas jam ego iſtas artes feci. *Dem.* Et quidem ego dehinc jam. *L.* Nihil.
Conſuetudine animus rurſus te huc inducet. *Dem.* Obſecro,
Satis jam ut habeatis. quin loris cædite etiam, ſi lubet.
L. Recte dicis. ſed iſtuc uxor faciet, cum hoc reſciverit.
Dem. Nihil opu'ſt reſciſcat. *Eut.* Quid iſtuc? non reſciſcet, ne time.
Eamus intro, non utibilis hic locus factis tuis,
Dum memoramus, arbitri ut ſint, qui prætereant per vias.
Dem. Hercle quin tu recte dicis: eadem brevior Fabula
Erit. eamus. *Eut.* Hic eſt intus filius apud nos tuus.
Dem. Optume eſt. illac per hortum nos domum tranſibimus.
L. Eutyche, hanc volo prius rem agi, quam meum intro refero pedem.
Eut. Quid iſtuc eſt? *L.* Suam quiſque homo rem meminit. reſponde mihi:
Certon' ſcis non ſuccenſere mihi tuam matrem? *Eut.* Scio.
L. Vide! *Eut.* Me vide. *L.* Satis habeo. at quæſo hercle, etiam vide!
Eut. Non mihi credis? *L.* Immo credo, ſed tamen metuo miſer.
Dem. Eamus intro. *Eut.* Immo dicamus ſenibus leges cenſeo,
Priuſquam abeamus, quas leges teneant, contentique ſint.
Annos natus ſexaginta qui erit, ſi quem ſcibimus,
Seu maritum, ſeu hercle adeo cœlibem, ſcortarier,
Cum eo nos hic lege agemus: inſcitum arbitrabimur.
Et per nos quidem hercle egebit, qui ſuum prodegerit.
Neu quiſquam poſthac prohibeto adoleſcentem filium,
Quin amet, & ſcortum ducat; quod bono fiat modo.
Si quis prohibuerit, plus perdet clam, quam ſi præhibuerit palam.
Hæc adeo, ut ex hacce nocte primum lex teneat ſenes.
Bene valete, atque, adoleſcentes, hæc ſi vobis lex placet,
Ob ſenum hercle induſtriam, vos æquom eſt clare plaudere.

FINIS MERCATORIS.

PSEUDOLUS.

Dramatis Perſonæ.

PSEUDOLUS, *ſervus.*	HARPAX, *cacula,*
CALIDORUS, *adoleſcens.*	CHARINUS, *adoleſcens.*
BALLIO, *leno.*	PUER.
LORARII, *quatuor.*	COQUUS.
SIMO, CALLIPHO, *ſenes.*	SIMIA, *ſycophanta.*
	PHOENICIUM, *meretrix.*

ARGUMENTUM.

PRæſentes numerat quindecim Miles minas:
Simul conſignat ſymbolum, ut Phœnicium

Ei det Leno, qui eum cum reliquo afferat.
Venientem Caculam intervortit ſymbolo,
Dicens Syrum ſe Ballionis, Pſeudolus:
Opemque herili ita tetulit: nam Simiæ
Leno mulierem, quem is ſuppoſuit, tradidit.
Venit Harpax verus: res palam cognoſcitur:
Senexque argentum, quod erat pactus, reddidit.

PROLOGUS.

STudete hodie mihi, bona in ſcenam affero.
Nam bona bonis ferri, reor æquom maxume,
Ut mala malis: ut, qui mali ſunt, habeant mala:
Qui boni, bona: bonos quod oderint mali,
Sunt mali: malos quod oderint boni, bonos
Eſſe oportet: voſque ideo eſtis boni, quandoquidem
Semper odiſtis malos; & lege & legionibus
Hos fugitaſtis, Quirites, ſucceſſis bonis.
Huic vos nunc pariter bonam boni operam date gregi,
Qui bonus eſt, & hodie ad bonos affert bona.
Aures, oculi, animus, ampliter fient ſaturi.
In ſcenam qui jejunus venerit aut ſitiens,
Is riſu & ventre raſo vigilabit ſedulo:
Dum ridebunt ſaturi, mordebunt famelici.
Nunc ſi ſapitis, cedite jejuni atque diſcedite.
Vos ſaturi ſtate, immo ſedete, atque attendite.
Non argumentum, neque hujus nomen fabulæ
Nunc proloquar ego: ſatis id faciet Pſeudolus;
Satis id dictum vobis puto jam, atque deputo.
Ubi lepos, joci, riſus, vinum, ebrietas decent;
Gratiæ, decor, hilaritas atque delectatio;
Qui quærit alta, is malum videtur quærere.
Curas malas abjicite jam, ut otioſi hodie.
Exporgi meliu'ſt lumbos, atque exſurgier.
Plautina longa Fabula in Scenam venit.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Pſeudolus, Calidorus.

SI ex tacente fieri poſſem certior,
Here, quæ miſeriæ te tam miſere macerant,
Duorum labori ego hominum parſiſſem lubens,
Mei te rogandi, & tui reſpondendi mihi.
Nunc, quoniam id fieri non poteſt, neceſſitas
Me ſubigit, ut te rogitem. reſponde mihi:
Quid eſt, quod tu exanimatus jam hos multos dies
Geſtas tabellas tecum, eas lacrumis lavis,
Neque tui participem conſilii quemquam facis?
Eloquere, ut quod ego neſcio, id tecum ſciam.
Cal. Miſere miſer ſum, Pſeudole! Pſ. Id te Juppiter
Prohibeſſit. Cal. Nihil hoc Jovis ad judicium attinet.
Sub Veneris regno vapulo, non ſub Jovis.
Pſ. Licet me id ſcire quid ſit? nam tu me antidhac
Supremum habuiſti comitem conſiliis tuis.
Cal. Idem animus nunc eſt. Pſ. Fac me certum, quid tibi eſt.
Juvabo aut re, aut opera, aut conſilio bono.
Cal. Cape has tabellas, tute hinc narrato tibi,
Quæ me miſeria & cura contabefacit.
Pſ. Mos tibi geretur. ſed quid hoc quæſo? Cal. Quid eſt?
Pſ. Ut opinor, quærunt litteræ hæ ſibi liberos,
Alia aliam ſcandit. Cal. ludis me ludo tuo.
Pſ. Has quidem pol, credo, niſi Sibylla legerit,
Interpretari alium poteſſe neminem.
Cal. Cur inclementer dicis lepidis litteris,
Lepidis tabellis, lepida conſcriptis manu?
Pſ. An, obſecro hercle, habent quoque gallinæ manus?
Nam has quidem gallina ſcripſit. Cal. odioſus mihi es.
Lege, vel tabellas redde. Pſ. Immo enim pellegam:
Advortito animum. Cal. non adeſt. Pſ. at tu cita.
Cal. Immo ego tacebo, tu hinc ex cera cita:
Nam iſtic meus animus nunc eſt, non in pectore.
Pſ. Tuam amicam video, Calidore. Cal. ubi ea eſt, obſecro.
Pſ. Eccam in tabellis porrectam: in cera cubat.
Cal. At te dii deæque quantus es. Pſ. ſervaſſint quidem.
Cal. Quaſi ſolſtitialis herba paulisper fui:
Repente exortus ſum, repentino occidi.
Pſ. Tace, dum tabellas pellego. Cal. ergo quin legis?
Pſ. Phœnicium Calidoro amatori ſuo
Per ceram & linum litteraſque interpretes
Salutem mittit, & ſalutem abs te expetit,
Lacrimans titubanti animo, corde, & pectore.
Cal. Perii! ſalutem nuſquam invenio, Pſeudole,
Quam illi remittam. Pſ. quam ſalutem? Cal. argenteam.
Pſ. Pro lignean' ſalute vis argenteam
Remittere illi? vide ſis, quam tu rem geras.
Cal. Recita modo: ex tabellis jam faxo ſcies,
Quam ſubito argento mihi uſus invento ſiet.
Pſ. Leno me peregre militi Macedonico
Minis viginti vendidit, voluptas mea:
Et priuſquam hinc abiit, quindecim Miles minas
Dederat; nunc unæ quinque remorantur minæ:
Ea cauſſa Miles hic reliquit ſymbolum,
Expreſſam in cera ex annulo ſuam imaginem,
Ut qui huc adferret ejus ſimilem ſymbolum,
Cum eo ſimul me mitteret. ei rei dies
Hæc præſtituta eſt, proxuma Dionyſia.
Cal. Cras ea quidem ſunt. prope adeſt exitium mihi,
Niſi quid mihi in te eſt auxilii. Pſ. ſine pellegam.
Cal. Sino. nam mihi videor cum ea fabularier.
Lege, dulce amarumque una nunc miſces mihi.
Pſ. Nunc noſtri amores, mores, conſuetudines,
Jocus, ludus, ſermo, ſuavis ſaviatio,
Compreſſiones arctæ amantum comparum,
Teneris labellis molles morſiunculæ,
Papillarum horridularum oppreſſiunculæ,
Harum voluptatum mihi omnium, atque itidem tibi
Diſtractio, diſcidium, vaſtities venit,
Niſi quæ mihi in te'ſt aut tibi eſt in me ſalus.
Hæc quæ ego ſcivi, ut ſcires, curavi omnia:
Nunc ego te experiar, quid ames, quid ſimules. vale.
Cal. Eſt miſere ſcriptum, Pſeudole! Pſ. O miſerrume!
Cal. Quin fles? Pſ. pumiceos oculos habeo: non queo
Lacrumam exorare ut exſpuant unam modo.
Cal. Quid ita? Pſ. genus noſtrum ſemper ſiccoculum fuit.
Cal. Nihilne adjuvare me audes? Pſ. quid faciam tibi? Cal. heu!
Pſ. Heu? id quidem tibi hercle, ne parſis, dabo.
Cal. Miſer ſum; argentum nuſquam invenio mutuum,
Pſeudole. Pſ. heu! Cal. neque intus nummus ullus eſt. Pſ. eheu!

Cal.

Cal. Ille abducturus eſt mulierem cras. *Pſ.* Eheu!
Cal. Iſtoccine pacto me adjutas? *Pſ.* Do id quod mihi eſt:
Nam is mihi theſaurus jugis in noſtra eſt domo.
Cal. Actum hodie de me eſt. ſed potes nunc mutuam
Drachmam dare mihi unam, quam cras reddam tibi?
Pſ. Vix hercle opinor, ſi me opponam pignori.
Sed quid de drachma facere vis? *Cal.* Reſtim volo
Mihi emere. *Pſ.* Quamobrem? *Cal.* Qui me faciam penſilem.
Certum eſt mihi ante tenebras, tenebras perſequi.
Pſ. Quis mihi igitur drachmam reddet, ſi dederim tibi?
An tu te ea cauſſa vis ſciens ſuſpendere,
Ut me defraudes drachma, ſi dederim tibi?
Cal. Profecto nullo pacto poſſum vivere,
Si illa a me abalienatur atque abducitur.
Pſ. Quid fles, cucule? vives. *Cal.* Quid ego ni fleam?
Cui nec paratus nummus argenti ſiet:
Neque *cui* libellæ ſpes ſit uſquam gentium.
Pſ. Ut litterarum ego harum ſermonem audio,
Niſi tu illi drachmis fleveris argenteis,
Quod tu iſtis lacrumis te probare poſtulas,
Non pluris refert, quam ſi imbrem in cribrum geras.
Verum ego te amantem, ne pave, non deſeram.
Spero, alicunde hodie me bona opera, aut hac mea,
Tibi inventurum eſſe auxilium argentarium.
Atque id futurum, unde unde dicam neſcio;
Niſi quia futurum eſt: ita ſupercilium ſalit.
Cal. Utinam quæ dicis, dictis facta ſuppetant!
Pſ. Scis tu quidem hercle, mea ſi commovi ſacra,
Quo pacto & quantas ſoleam turbellas dare!
Cal. In te nunc ſunt omnes ſpes ætati meæ.
Pſ. Satin' eſt, ſi hanc hodie mulierem efficio tibi,
Tua ut ſit, aut ſi tibi do viginti minas?
Cal. Satis, ſi futurum eſt. *Pſ.* Roga me viginti minas.
Ut me effecturum tibi, quod promiſi, ſcias,
Roga obſecro hercle. geſtio promittere.
Cal. Dabiſne argenti mihi hodie viginti minas?
Pſ. Dabo, moleſtus nunc jam ne ſis mihi.
Atque hoc ne dictum tibi neges, dico prius,
Si neminem alium potero, tuum tangam patrem.
Cal. Dii te mihi omnes ſervent! verum ſi potes,
Pietatis cauſſa, vel etiam matrem quoque.
Pſ. De iſtac re in oculum utrumvis conquieſcito.
Cal. Oculum utrum, anne in aurem? *Pſ.* At hoc pervolgatum eſt minus.
Nunc ne quis dictum ſibi neget, dico omnibus,
Pube præſenti, in concione, omni poplo,
Omnibus amicis, notiſque edico meis,
In hunc diem a me ut caveant, ne credant mihi.
Cal. St! tace obſecro hercle. *Pſ.* Quid negotii eſt? *Cal.* Oſtium
Lenonis crepuit. *Pſ.* Crura mavellem modo.
Cal. Atque ipſe egreditur penitus perjurum caput.

ACTUS I. SCENA II.

Leno, Lorarii IV., Pſeudolus, Callidorus.

Exite, agite, ite ignavi, male habiti, & male conciliati,
Quorum numquam quidquam quoiquam venit in mentem, ut recte faciant.
Quibus niſi ad hoc exemplum experior, non poteſt uſurpari uſura.
Neque ego homines magis aſinos quoiquam vidi, ita plagis coſtæ callent.
Quos dum ferias, tibi plus noceas. eo enim ingenio hi ſunt flagritribæ:
Qui hæc habent conſilia: Ubi data occaſio eſt, rape, clepe, tene, harpaga,
Bibe, es, fuge: hoc eſt eorum opus.
Ut mavelis lupos apud oves linquere, quam hos domi cuſtodes.
At faciem cum aſpicias eorum, haud mali videntur, opera fallunt.
Nunc adeo, niſi hanc edictionem animum advortitis omnes,
Niſi ſomnum ſocordiamque ex pectore oculiſque amovetis,
Ita ego voſtra latera loris faciam, ut valide varia ſient,
Ut ne periſtromata quidem æque picta ſint Campanica,
Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.
Atque heri ante dixeram omnibus, dederamque eas provincias:
Verum ita vos eſtis perditi, negligentes, ingenio improbo,
Officium voſtrum ut vos malo cogatis commonerier.
Nempe ita animati eſtis vos, vincite hoc duritia ergo, atque me.
Hoc vide ſis; ut alias res agunt! hoc agite, hoc animum advortite,
Huc adhibete aures, quæ ego loquar, plagigera genera hominum.
Numquam edepol voſtrum durius tergum erit, quam terginum hoc meum.
Qui nunc? doletne? hem! ſic datur, ſi quis herum ſervos ſpernit.
Aſſiſtite omnes contra me, & quæ loquor, advortite animum.
Tu qui urnam habes, aquam ingere, face plenum aenum ſit cito.
Te, cum ſecuri, caudicali præficio provinciæ.
Lor. At hæc retunſa eſt. *Len.* ſine ſiet: itidem vos quoque eſtis plagis omnes.
Num qui minus ea gratia tamen omnium opera utor?
Tibi hoc præcipio, ut niteant ædes. habes, quod facias: propera, abi intro.
Tu eſto lectiſterniator. tu argentum eluito, idem exſtruito.
Hæc, cum ego a foro revortor, facite ut offendam parata,
Verſa, præſterga, ſtrata, lautaque coctaque omnia uti ſint.
Nam mihi hodie natalis dies eſt. decet eum omnes vos concelebrare.
Pernam, callum, glandium, ſumen, facito in aqua jaceant. ſatin' audis?
Magnifice volo enim ſummos viros accipere, ut mihi rem eſſe reantur.
Intro abite, atque hæc cito celebrate, ne mora quæ ſit, cocus cum veniat
Mihi. ego eo in macellum, ut piſcium quidquid eſt, pretio præſtinem.
I, puere, præ: ne quiſquam pertundat cruminam, cautio eſt.
Vel opperire: eſt quod domi dicere pæne fui oblitus.
Auditin'? vobis, mulieres, hanc habeo edictionem:
Vos quæ in mundiciis, molliciis, deliciiſque ætatulam agitis,

Viris

Viris cum ſummis, inclytæ amicæ: nunc ego ſcibo, atque hodie experiar,
Quæ capiti, quæ ventri operam det, quæque ſuæ rei, quæ ſomno ſtudeat:
Quam libertam fore mihi credam, & quam venalem, hodie experiar.
Facite hodie, ut mihi munera multa huc ab amatoribus conveniant.
Nam niſi penus annuus hodie convenit, cras populo proſtituam vos.
Natalem ſcitis mihi diem eſſe hunc. ubi iſti ſunt, quibus vos oculi eſtis?
Quibus vitæ? quibus deliciæ eſtis? quibus ſuavia? mamillæ? mellitæ?
Manipulatim mihi munerigeruli facite ante ædis jam hic adſint.
Cur ego veſtem, aurum, atque ea quibus eſt vobis uſui, præhibeo? quid mihi
Domi, niſi malum, veſtra opera eſt hodie? improbæ! vino modo cupidæ eſtis:
Eo vos veſtros panticeſque adeo madefacitis, cum ego ſim hic ſiccus.
Nunc adeo hoc factum eſt optumum, ut nomine quamque appellem ſuo:
Ne dictum eſſe actutum ſibi quæpiam voſtrarum mihi neget. advortite animum cunctæ.
Principio, Hedylium, tecum ago, quæ amica es frumentariis,
Quibus cunctis montes maxumi acervi frumenti ſunt domi:
Faxis ſit delatum huc mihi frumentum, hunc annum quod ſatis
Mihi, etiam familiæ omni ſit meæ: atque adeo ut frumento affluam:
Ut civitas nomen mihi commutet: meque ut prædicet
Lenone ex Ballione regem Jaſonem. *Cal.* Audin' furcifer
Quæ loquitur! ſatin' magnificus tibi videtur? *Pſ.* Pol iſte,
Atque etiam malificus. ſed tace, atque hanc rem gere.
Len. Æſchrodora tu, quæ amicos tibi habes lenonum æmulos
Lanios, qui item ut nos jurejurando malo quærunt rem, audi:
Niſi carnaria tria grandia tergoribus oneri uberi hodie
Mihi erunt, cras te quaſi Dircam olim, ut memorant, duo gnati
Jovis devinxere ad taurum, item hodie ſtringam ad carnarium: id tibi
Profecto taurus fiet. *Pſ.* Nimis ſermone hujus ira incendor.
Hunccine hic hominem pati colere juventutem Atticam?
Ubi ſunt, ubi latent, quibus ætas integra eſt, qui amant a lenone?
Quin conveniunt? quin una omnes peſte hac populum hunc liberant?
Sed nimis ſum ſtultus, nimium fui indoctus: ne illi audeant
Id facere? quibus ut ſerviant, ſuus amor cogit, ſimul
Prohibet, faciant advorſum eos, quod volunt. *Cal.* Vah! tace. *Pſ.* Quid eſt?
Cal. Male morigerus male facis mihi, cum ſermone huic obſonas. *Pſ.* Taceo.
Cal. At taceas malo multo, quam tacere te dicas. *Len.* Tu autem
Xyſtylis, fac ut animum advortas, quojus amatores olivi
Dynamin domi habent maxumam.
Si mihi non jam huc culleis oleum deportatur,
Te ipſam culleo ego cras faciam ut deportere in pergulam,
Ibi tibi adeo lectus dabitur, ubi tu haud ſomnum capias,
Sed ubi uſque ad languorem. tenes, quorſum hæc tendant, quæ loquor?
En Excetra tu, quæ tibi amicos tot habes, tam probe oleo onuſtos,
Num quoipiam eſt hodie tua tuorum opera conſervorum
Nitidiuſculum caput? aut num ipſe ego pulmento utor magis
Unctiuſculo? ſed ſcio, tu oleum haud magni pendis, vino te
Devincis. ſine modo. reprehendam ego cuncta hercle una opera, niſi
Quidem hodie tu omnia facis, ſceleſta, hæc uti loquor.
Tu autem, quæ pro capite argentum mihi jam jamque ſæpe numeras,
Ea paciſci modo ſcis; ſed quæ pacta es, non ſcis ſolvere;
Phœnicium, tibi hæc ego loquor, deliciæ ſummatum virum:
Niſi hodie mihi ex fundis tuorum amicorum omne huc penus affertur,
Cras Phœnicium Phœnicio corio inviſes pergulam.

ACTUS I. SCENA III.

Callidorus, Pſeudolus, Ballio.

Pſeudole, non audis quæ hic loquitur? *Pſ.* Audio, here, equidem atque animum advorto.
Cal. Quid mihi es auctor, huic ut mittam, ne amicam hic meam proſtituat?
Pſ. Bene curaſſis: liquido es animo! ego pro me, & pro te curabo.
Jamdiu ego huic bene & hic mihi volumus, & amicitia eſt antiqua.
Mittam hodie huic ſuo die natali malam rem magnam & maturam.
Cal. Quid opus eſt? *Pſ.* Potin' aliam rem ut cures? *Cal.* At. *Pſ.* Bat. *Cal.* Crucior. *Pſ.* Cor dura.
Cal. Non poſſum. *Pſ.* Fac poſſis. *Cal.* Quonam pacto poſſim vincere animum?
Pſ. In rem quod ſit, prævortaris, quam re advorſa animo auſcultes.
Cal. Nugæ iſtæc ſunt: non jucundum eſt, niſi amans facit ſtulte. *Pſ.* Pergin'?
Cal. O Pſeudole mi, ſine ſim nihili: mitte me ſis. *Pſ.* Sine, modo ego
Abeam. *Cal.* Mane, mane: jam ut voles me eſſe, ita ero. *Pſ.* Nunc tu ſapis.
Bal. It dies: ego mihi ceſſo. i præ, puere. *Cal.* Heus! abiit. quin revocas?
Pſ. Quid properas? placide! *Cal.* At priuſquam abeat.
Bal. Quod hoc malum? tam placide is, puere.
Pſ. Hodie nate heus! hodie nate, tibi ego dico, heus hodie nate, redi, &
Reſpice ad nos, tametſi occupatus, moramur. mane! ſunt, colloqui

Qui

Qui volunt te. *Bal.* Quid hoc eſt? quis eſt, qui moram occupato moleſtam obtulit?
Cal. Qui tibi ſoſpitalis fuit. *Bal.* Mortuus eſt, qui fuit: qui eſt, vivos eſt.
Pſ. N[illegible] Nimis moleſtus. *Cal.* R[illegible] [illegible]pere.
Bal. [illegible] Accedimus hic obviam. *Bal.* Juppiter te [illegible], quiſquis es.
Pſ. Te volo. *Bal.* At vos ego ambos. vorte hac te, puere. *Pſ.* non licet
Colloqui te? *Bal.* At mihi non lubet. *Cal.* Sin tuam eſt quippiam in rem? *Bal.* Licet-
ne obſecro vivere, an non licet? *Pſ.* Vah! manta. *Bal.* Omitte. *Cal.* Ballio.
Audi. *Bal.* Surdus ſum: profecto inanilogus es. *Cal.* Dedi, dum fuit.
Bal. Non peto quod dediſti. *Cal.* Dabo, quando erit. *Bal.* Ducito,
Quando habebis. *Cal.* Heu, heu, quam ego malis perdidi modis,
Quod tibi detuli, & quod dedi! *Bal.* Mortua re, verba nunc facis.
Stultus es, rem actam agis. *Pſ.* Noſce ſaltem hunc, quis eſt. *Bal.* Jam diu
Scio, qui fuit: nunc quis eſt is, ipſus ſciat. ambula tu.
Pſ. Potin' ut ſemel modo, Ballio, huc cum lucro reſpicias?
Bal. Reſpiciam iſtoc pretio. nam ſi ſacruficem ſummo Jovi;
Atque in manibus exta teneam, ut porriciam, interea loci
Si lucri quid detur, potius rem divinam deſeram.
Pſ. Non poteſt pietate obſiſti huic, ut res ſunt ceteræ!
Deos quidem, quos maxume æquom eſt metuere, eos minimi facit.
Bal. Compellabo. ſalve multum, ſerve Athenis peſſume.
Pſ. Di te deæque ament vel hujus arbitratu, vel meo:
Vel ſi dignus alio pacto, neque ament, neque faciant bene.
Bal. Quid agitur, Calidore? *Pſ.* Amatur, atque egetur acriter.
Bal. Miſereat, ſi familiam alere poſſim miſericordia.
Pſ. Eja! ſcimus nos quidem te, qualis ſis; ne prædices.
Sed ſcin' quid nos volumus? *Bal.* Pol ego propemodo: ut male ſit mihi.
Pſ. Et id, & hoc: quod te revocamus, quæſo, animum advorte. *Bal.* Audio.
Atque in pauca, ut occupatus nunc ſum, confer, quid velis.
Pſ. Hunc pudet, quod tibi promiſit, quaque id promiſit die,
Quia tibi minas viginti pro amica etiam non dedit.
Bal. Nimio id quod pudet, facilius fertur, quam illud quod piget.
Non dediſſe, iſtum pudet: me, quia non accepi, piget.
Pſ. At dabit, parabit: aliquot hos dies manta modo.
Nam hic id metuit, ne illam vendas ob ſimultatem ſuam.
Bal. Fuit occaſio, ſi vellet, jampridem argentum ut daret.
Cal. Quid, ſi non habui? *Bal.* Amabas? invenires mutuum,
Ad Daniſtam devenires, adderes fœnuſculum:
Surripuiſſes patri. *Pſ.* Surriperet hic patri, audaciſſume?
Non periculum eſt, ne quid recte monſtres. *Bal.* Non lenonium eſt.
Cal. Egon' patri ſurripere poſſim quidquam? tam cauto ſeni?
Atque adeo, ſi facere poſſem, pietas prohibet. *Bal.* Audio.
Pietatem ergo iſtam amplexator noctu, pro Phœnicio.
Sed quoniam pietatem amori video tuo prævortere,
Omnes tibi patres ſunt? nullus eſt tibi, quem roges mutuum
Argentum? *Cal.* Quin nomen quoque jam interiit Mutuum.
Bal. Heus tu, poſtquam hercle iſti a menſa ſurgunt ſaturi, poti **
Qui ſuum repetunt, alienum reddunt nato nemini,
Ab alienis cautiores ſunt, ne credant alteri.
Cal. Nimis miſer ſum, nummum nuſquam reperire argenti queo:
Ita miſer, & amore pereo, & inopia argentaria.
Bal. Eme die cæca hercle olivom, id vendito oculata die.
Jam hercle vel ducentæ fieri poſſunt præſentes minæ.
Cal. Perii! an non tum lex me perdit quina vicenaria?
Metuunt credere omnes. *Bal.* Eadem eſt mihi lex, metuo credere.
Pſ. Credere autem? eho, an pœnitet te, quanto hic fuerit uſui?
Bal. Non eſt juſtus quiſquam amator, niſi qui perpetuat data,
Datque uſque: quando nihil ſit, ſimul amare deſinat.
Cal. Nihilne te mei miſeret? *Bal.* Inanis cedis: dicta non ſonant.
Atque ego te vivom ſalvomque vellem. *Pſ.* Eho, an jam mortuus eſt?
Bal. Ut ut eſt: mihi quidem profecto cum iſtis dictis mortuus eſt.
Illico vixit amator, ubi lenoni placet.
Semper tu ad me cum argentata accedito querimonia.
Nam iſtoc, quod nunc lamentare, non eſſe argentum tibi,
Apud novercam querere. *Pſ.* Eho, an umquam tu hujus nupſiſti patri?
Bal. Dii melius faciant. *Pſ.* Fac hoc, quod te rogamus, Ballio,
Mea fide, ſi iſti formidas credere. ego in hoc triduo
Aut terra aut mari alicunde evolvam id argentum tibi.
Bal. Tibi ego credam? *Pſ.* Cur non? *Bal.* Quia pol, qua opera ſic credam tibi.
Una opera alligem fugitivam canem agninis lactibus.
Cal. Siccine mihi abs te bene merenti male refertur gratia?
Bal. Quid nunc vis? *Cal.* Ut opperiare hos ſex dies ſaltem modo,
Ne illam vendas, neu me perdas hominem amantem. *Bal.* Animo bono es.
Vel ſex menſes opperibor. *Cal.* Euge, homo lepidiſſume.
Bal. Immo vin' etiam te faciam ex læto lætantem magis?
Cal. Quid jam? *Bal.* quia enim non venalem jam habeo Phœnicium.

Cal.

Cal. Non habes? *Bal.* non hercle vero. *Cal.* Pſeudole, arceſſe hoſtias,
Victimas, lanios; ut ego huic ſacruficem ſummo Jovi:
Nam hic mihi nunc eſt multo potior Juppiter, quam Juppiter.
Bal. Nolo victimas: agninis me extis placari volo.
Cal. Propera, quid ſtas? arceſſe agnos. audin', quid ait Juppiter?
Pſ. Jam hic ero: verum extra portam Metiam currendum eſt prius.
Cal. Quid eo? *Pſ.* Lanios inde arceſſam duos cum tintinnabulis.
Eadem duo greges virgarum inde ulmearum adegero,
Ut hodie ad litationem huic ſuppetat ſatias Jovi.
In malam crucem iſtic ibit Juppiter lenonius.
Bal. Ex tua re non eſt, ut ego emoriar. *Pſ.* Qui dum? *Bal.* Ego dicam tibi:
Quia edepol dum ego vivos vivam, numquam eris frugi bonæ.
Pſ. Ex tua re non eſt, ut ego emoriar. *Bal.* qui dum? *Pſ.* Sic, quia
Si ego emortuus ſim, Athenis te ſit nemo nequior.
Cal. Dic mihi, obſecro hercle, verum ſerio, hoc quod te rogo.
Non habes venalem amicam tu meam Phœnicium?
Bal. Non edepol habeo profecto; nam jampridem vendidi.
Cal. Quomodo? *Bal.* Sine ornamentis, cum inteſtinis omnibus.
Cal. Meam tu amicam vendidiſti! *Bal.* Valde! viginti minis.
Cal. Viginti minis? *Bal.* Utrum vis, vel quater quinis minis,
Militi Macedonio. & jam quindecim habeo minas.
Cal. Quid ego ex te audio? *Bal.* Amicam tuam eſſe factam argenteam.
Cal. Cur id auſus facere? *Bal.* Libuit, mea fuit. *Cal.* Eho! Pſeudole,
I, gladium affer. *Pſ.* Quid opus gladio? *Cal.* Qui hunc occidam, atque me.
Pſ. Quin tu te occidis potius? nam hunc fames jam occiderit.
Cal. Quid ais, quantum terra tegit, hominum perjuriſſume?
Juraviſtin' te illam nulli venditurum, niſi mihi?
Bal. Fateor. *Cal.* Nempe conceptis verbis, *Bal.* Etiam conſultis quoque.
Cal. Perjuraviſti, ſceleſte. *Bal.* At argentum intro condidi.
Ego ſceleſtus nunc argentum promere poſſum domo:
Tu, qui pius es iſtoc genere gnatus, nummum non habes.
Cal. Pſeudole, aſſiſte altrinſecus, atque onera hunc maledictis. *Pſ.* Licet.
Numquam ad prætorem æque curſim curram, ut emittar manu.
Cal. Ingere mala multa. *Pſ.* Jam ego te differam dictis meis:
Impudice. *Bal.* Ita eſt. *Pſ.* Sceleſte. *Bal.* Dicis vera. *Pſ.* Verbero.
Bal. Quippini? *Cal.* Buſtirape. *Bal.* Certe. *Cal.* Furcifer. *Bal.* Factum optume.
Cal. Sociofraude. *Bal.* Sunt mea hæc iſta. *Pſ.* Patricida. *Bal.* Perge tu.
Pſ. Sacrilege. *Bal.* Fateor. *Cal.* Perjure. *Bal.* Vetera vaticinamini.
Cal. Legirupa. *Bal.* Valide. *Pſ.* Pernicies adoleſcentum. *Bal.* Acerrume.
Cal. Fur. *Bal.* Babæ. *Pſ.* Fugitive. *Bal.* Bombax.
Cal. Fraus populi. *Bal.* Planiſſume.
Pſ. Fraudulente. *Cal.* Impure leno. *Pſ.* Cœnum. *Bal.* Cantores probos!
Cal. Verberaviſti patrem atque matrem. *Bal.* Atque occidi quoque,
Potius quam cibum præhiberem. num peccavi quippiam?
Pſ. In pertuſum ingerimus dicta dolium: operam ludimus.
Bal. Numquid aliud etiam voltis dicere? *Cal.* Ecquid te pudet?
Cal. Ted amatorem inventum eſſe inanem, quaſi caſſam nucem.
Sed quamquam multa, malaque in me dicta dixiſtis mihi,
Niſi mihi attulerit Miles quinque, quas debet, minas,
Sicut hæc eſt præſtituta ſumma ei argento dies:
Si is non aderit, poſſe opinor facere officium me meum.
Cal. Quid id eſt? *Bal.* Si tu argentum attuleris, cum illo perdiderim fidem.
Hoc meum eſt officium: ego, operæ ſi ſit, plus tecum loquar:
Sed ſine argento fruſtra eſt, quod me tui miſereri poſtulas.
Hæc mea eſt ſententia, ut tu hinc porro, quid agas, conſulas.
Cal. Jamne abis? *Bal.* negotii nunc ſum plenus. *Pſ.* paulo poſt magis.
Illic homo meus eſt: niſi omnes di me atque homines deſerunt,
Exoſſabo ego illum ſimiliter itidem ut murænam cocus.
Sed nunc, Calidore, operam te mihi volo dare. *Cal.* Ecquid imperas?
Pſ. Hoc ego oppidum admœnire, ut hodie capiatur, volo.
Ad eam rem uſu'ſt hominem aſtutum, doctum, ſcitum, & callidum,
Qui imperata effecta reddat; non qui vigilans dormiat.
Cal. Cedo mihi, quid es facturus? *Pſ.* Tempori ego faxo ſcies:
Nolo bis iterare: ſat ſic longæ fiunt Fabulæ.
Cal. Optumum atque æquiſſumum oras. *Pſ.* propera, adhuc hominem cito.
Pauci ex multis ſunt amici, homini qui certi ſient.
Cal. Ego ſcio iſtuc. *Pſ.* ergo utrimque tibi nunc delectum para:
Ex multis exquire illis unum, qui certus ſiet.
Cal. Jam hic faxo aderit. *Pſ.* potin' ut abeas? tibi moram dictis creas.

ACTUS I. SCENA IV.

Pſeudolus.

POſtquam illic hinc abiit, tu aſtas ſolus, Pſeudole.
Quid nunc acturus, poſtquam herili filio
Largitus dictis dapſilis? ubi ſunt ea?
Quoi neque parata gutta certi conſilii,
Neque adeo argenti: neque nunc quid faciam ſcio,
Neque exordiri primum, unde occipias, habes,

Neque

Neque ad detexundam telam certos terminos.
Sed quaſi Poeta tabulas cum cepit ſibi,
Quærit quod nuſquam eſt gentium, reperit tamen;
Facit illud veriſimile, quod mendacium eſt:
Nunc ego Poeta fiam: viginti minæ
Quæ nuſquam nunc ſunt gentium, inveniam tamen.
Atque ego huic jam pridem me daturum dixeram.
At volui injicere tragulam in noſtrum ſenem:
Verum is, neſcio quo pacto, præſenſit prius.
Sed comprimenda eſt mihi vox atque oratio.
Herum eccum video huc una Simonem ſimul
Cum ſuo vicino Calliphone incedere.
Ex hoc ſepulchro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie, quas dem herili filio.
Nunc huc concedam, ut horum ſermonem legam.

ACTUS I. SCENA V.

Simo, Callipho, Pſeudolus.

SI de damnoſis, aut de amatoribus
Dictator fiat nunc Athenis Atticis,
Nemo antecedat filio, credo, meo:
Ita nunc per urbem ſolus ſermo eſt omnibus,
Eum velle amicam liberare, & quærere
Argentum ad eam rem. hoc alii mihi renuntiant,
Atque id jam pridem ſenſi, & ſubolet mihi.
Pſ. Occiſa eſt hæc res, hæret hoc negotium.
Quo in commeatum volui argentarium
Proficiſci, ibi nunc oppido obſepta eſt via.
Præſenſit: nihil eſt prædæ prædatoribus.
Cal. Homines qui geſtant, quique auſcultant crimina,
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant,
Geſtores linguis, auditores auribus.
Nam iſtæc quæ tibi renuntiantur: filium
Te velle amantem argento circumducere,
Forſitan ea tibi dicta ſunt mendacia.
Sed ſi vera ea ſunt, ut nunc mos eſt, maxume,
Quid mirum fecit? quid novom? adoleſcens homo
Si amat, ſi amicam liberat? *Pſ.* Lepidum ſenem!
Sim. Vetus nolo faciat. *Cal.* At enim nequidquam nevis.
Vel tu ne faceres tale in adoleſcentia.
Probum patrem eſſe oportet, qui gnatum ſuum
Eſſe probiorem, quam ipſus fuerit, poſtulet.
Nam tu quod damni, & quod feciſti flagitii,
Populo viritim potuit diſpertirier.
Idne tu miraris, ſi patriſſat filius?
Pſ. ὦ ζεῦ, quam pauci eſtis homines commodi!
Ehem, illuc eſt patrem eſſe, ut æquom eſt, filio!
Sim. Quis hic loquitur? meus hic eſt quidem ſervos Pſeudolus.
Hic mihi corrumpit filium, ſcelerum caput.
Hic dux, hic ille eſt pædagogus: hunc ego
Cupio excruciari. *Cal.* Jam iſtæc inſipientia eſt,
Sic iram in promtu gerere. quanto ſatius eſt,
Adire blandis verbis, atque exquirere,
Sint illa, necne ſint, quæ tibi renuntiant?
Bonus animus in mala re dimidium eſt mali.
Sim. Tibi auſcultabo. *Pſ.* Itur ad te, Pſeudole:
Orationem tibi para advorſum ſenem.
Herum ſaluto primum, ut æquom eſt: poſtea
Si quid ſuperſit, vicinos impertio.
Sim. Salve. quid agitur? *Pſ.* Statur hic ad hunc modum.
Sim. Statum vide hominis, Callipho, quaſi baſilicum.
Cal. Bene confidenterque aſtitiſſe intellego.
Pſ. Decet innocentem, qui ſit atque innoxius,
Servom ſuperbum eſſe, apud herum potiſſumum.
Cal. Sunt, quæ te volumus percontari, quæ quaſi
Per nebulam noſmet ſcimus atque audivimus.
Sim. Conficiet jam te hic verbis: ut tu cenſeas
Non Pſeudolum, ſed Socratem tecum loqui.
Pſ. Ita eſt. jampridem tu me ſpernis, ſentio,
Parvam eſſe apud te mihi fidem ipſe intellego:
Cupis me eſſe nequam, tamen ero frugi bonæ.
Sim. Fac ſis vacivas, Pſeudole, ædis aurium,
Mea ut migrare dicta poſſint quo volo.
Pſ. Age loquere quid vis, tametſi tibi ſuccenſeo.
Sim. Mihin' domino ſervos tu ſuccenſes? *Pſ.* Jam tibi
Mirum id videtur? *Sim.* Hercle qui, ut tu prædicas,
Cavendum eſt mihi abs te irato: atque alio tu modo
Me verberare, atque ego te ſoleo, cogitas.
Cal. Quid cenſes? edepol merito eſſe iratum arbitror,
Cum apud te parum ſtet fides. *Sim.* Jam ſic ſino,
Iratus ſit: ego, ne quid noceat, cavero.
Sed quid ais? quid hoc, quod te rogo? *Pſ.* Si quid vis, roga.
Quod ſcibo, Delphis tibi reſponſum dicito.
Sim. Advorte ergo animum, & fac ſis promiſſi memor.
Quid ais? ecquam ſcis filium tibicinam
Meum amare? *Pſ.* Negare meum eſt. *Sim.* Liberare quam velit?
Pſ. Καὶ τοῦτο, καὶ τοῦτο nego. *Sim.* Ecquas viginti minas
Per ſycophantiam atque per doctos dolos
Paritas ut auferas a me? *Pſ.* Abs te ego auferam?
Sim. Ita: quas meo gnato des, qui amicam liberet.
Pſ. Fateri δεῖ ϗ τοῦτο ναί. ϗ τοῦτο ναὶ.
Cal. Fatetur. *Sim.* Dixin', Callipho, dudum tibi?
Cal. Memini. *Sim.* Cur hæc, ubi tu reſciviſti illico,
Celata me ſunt? cur non reſcivi? *Pſ.* Eloquar.
Quia nolebam ex me morem prægigni malum,
Herum ut ſervos *ſuum* criminaret apud herum.
Sim. Juberes hunc præcipitem in piſtrinum trahi.
Cal. Numquid peccatum eſt, Simo? *Sim.* Immo maxume.
Pſ. Deſiſte: recte ego rem meam ſapio, Callipho.
Peccata mea ſunt. animum advorte nunc jam.
Quapropter te expertem amoris nati habuerim.
Piſtrinum in mundo ſcibam, ſi id faxem, mihi.
Sim. Non a me ſcibas piſtrinum in mundo tibi,
Cnm ea muſſitabas. *Pſ.* Scibam. *Sim.* Cur non dictum eſt mihi?
Pſ. Quia illud malum aderat; iſtuc aberat longius.
Illud erat præſens; huic erant dieculæ.
Sim. Quid nunc agetis? nam hinc quidem a me non poteſt
Argentum auferri, qui præſertim ſenſerim.
Ne quiſquam credat nummum, jam edicam omnibus.
Pſ. Numquam edepol quoiquam ſupplicabo, dum quidem
Tu vives: tu mihi hercle argentum dabis:
Abs te equidem ſumam. *Sim.* Tu a me ſumes? *Pſ.* Strenue.
Sim. Excludito mihi hercle oculum, ſi dedero. *Pſ.* Dabis.
Jam dico, ut a me caveas. *Cal.* Certe edepol ſcio,
Si abſtuleris, mirum & magnum facinus feceris.

Pſ. Faciam. *Sim.* Si non abſtuleris? *Pſ.* Virgis cædito.
Sed quid, ſi abſtulero? *Sim.* Do Jovem teſtem tibi,
Te ætatem impune habiturum. *Pſ.* Facito, ut memineris.
Sim. Egon' ut cavere nequeam, quoi prædicitur?
Pſ. Prædico, ut caveas: dico, inquam, ut caveas: cave.
Hem! iſtis mihi tu hodie manibus argentum dabis.
Cal. Edepol mortalem graphicum, ſi ſervat fidem!
Pſ. Servitum tibi me abducito, ni fecero.
Sim. Bene atque amice dicis: nam nunc jam meus es.
Pſ. Vin' etiam dicam, quod vos magis miremini?
Cal. Studeo hercle audire, nam ted auſculto libens.
Sim. Agedum, nam ſatis libenter te auſculto loqui.
Pſ. Priuſquam iſtam pugnam pugnabo, ego etiam prius
Dabo aliam pugnam claram & commemorabilem.
Sim. Quam pugnam? *Pſ.* Hem, ab hoc lenone vicino tuo
Per ſycophantiam atque per doctos dolos
Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit,
Eam circumducam lepide lenonem. *Sim.* Quid eſt?
Pſ. Effectum hoc hodie reddam utrumque ad veſperum.
Sim. Siquidem iſtæc opera, ut prædicas, perfeceris,
Virtute regi Agathocli anteceſſeris.
Sed ſi non faxis, numquid cauſſæ eſt, illico
Quin te in piſtrinum condam? *Pſ.* Non unum quidem
Diem modo, verum hercle in omnis, quantum eſt. ſed ſi effecero,
Dabin' mihi argentum, quod dem lenoni illico
Tua voluntate? *Cal.* Jus bonum orat Pſeudolus:
Dabo, inque. *Sim.* At enim ſcin' quid mihi in mentem venit?
Quid ſi hice inter ſe conſenſerunt, Callipho,
Aut de compacto faciunt conſutis dolis,
Qui me argento circumvortant? *Pſ.* Quis me audacior
Sit, ſi iſtuc facinus audeam facere? immo ſic, Simo,
Si ſumus compecti, ſive conſilium umquam inivimus
De iſtac re, aut ſi de ea re umquam inter nos convenimus:
Quaſi in libro cum ſcribuntur calamo litteræ,
Stilis me totum uſque ulmeis conſcribito.
Sim. Indice ludos nunc jam, quando lubet.
Pſ. Da in hunc diem operam, Callipho, quæſo mihi,
Ne quo te ad aliud occupes negotium.
Cal. Quin rus uti irem, jam heri conſtitueram.
Pſ. At nunc diſturba, quas ſtatuiſti, machinas.
Cal. Nunc non abire certum eſt iſtac gratia.
Lubido eſt ludos tuos ſpectare, Pſeudole.
Et ſi hunc videbo non dare argentum tibi,
Quod dixit: potius quam id non fiat, ego dabo.
Non demutabo. *Pſ.* Namque edepol, ſi non dabis,
Clamore magno & multum flagitabere.
Agite, amovemini hinc vos intro nunc jam,
Ac meis viciſſim date locum fallaciis.
Sim. Fiat, geratur mos tibi. *Pſ.* Sed te volo
Domi uſque adeſſe. *Sim.* Quin tibi hanc operam dico.
Cal. At ego ad forum ibo: jam hic adero. *Sim.* Actutum redi.
Pſ. Suſpicio eſt mihi nunc vos ſuſpicarier,
Me iccirco hæc tanta facinora promittere,
Qui vos oblectem, hanc Fabulam dum tranſigam,
Neque ſim facturus, quod facturum dixeram:
Non demutabo. atque etiam certum, quod ſciam,
Quo ſim facturus pacto, nihil etiam ſcio;
Niſi quia futurum eſt. nam qui in Scenam provenit
Novo modo, novom aliquid inventum afferre addecet.
Si id facere nequeat, det locum illi, qui queat.
Concedere aliquantiſper hinc mihi intro libet,
Dum concenturio in corde ſycophantias.
Tibicen vos interea hic delectaverit.

ACTUS SECUNDUS

SCENA I.

Pſeudolus.

PRoh Juppiter, ut mihi, quidquid ago, lepide omnia proſpereque eveniunt!
Neque quod dubitem, neque quod timeam, meo in pectore conditum eſt conſilium.
Nam ea ſtultitia eſt, facinus magnum timido cordi credere. nam omnes
Res perinde ſunt, ut agas, ut eas magnifacias. nam ego in meo
Pectore prius ita paravi copias duplicis, triplicis, dolos,
Perfidias; ut ubicumque cum hoſtibus congrediar, malorum meorum
Fretus virtute dicam, mea induſtria & malitia, fraudulentia,
Facile ut vincam, facile ut ſpoliem meos perduelleis meis perfidiis.
Nunc inimicum ego hunc communem meum, atque voſtrum omnium
Ballionem exballiſtabo lepide. date operam modo. hoc ego oppidum
Admœnire, ut hoc capiatur, volo: atque ad hoc meas legiones
Adducam. ſi hoc expugno, facilem ego hanc rem meis civibus faciam.
Poſt ad oppidum hoc vetus continuo mecum exercitum protinus obducam:
Inde me & ſimul participes omnes meos præda onerabo, atque opplebo:
Metum & fugam perduellibus meis *injiciam*, me eſſe ut ſciant natum.
Ego ſum genere gnatus, magna me facinora decet efficere,
Quæ poſt mihi clara, & diu clueant. ſed hunc quem video, quis hic eſt,
Qui oculis meis obviam ignorabilis objicitur? libet ſcire,
Quid hic velit cum machæra; & huic, quam rem agat, huic dabo inſidias.

ACTUS II. SCENA II.

Harpax, Pſeudolus.

HI loci ſunt, atque hæ regiones, quæ mihi ab hero ſunt demonſtratæ:
Ut ego oculis rationem capio, quam mihi ita dixit herus meus Miles,
Septimas eſſe ædeis a porta, ubi ille habitat leno, cui juſſit
Symbolum me ferre, & hoc argentum. nimis velim, certum qui

Mihi

Mihi faciat, Ballio leno ubi hic habitat. *Pſ.* ſt. tace tace,
Meus hic eſt homo, ni omnes di atque homines deſerunt. novo conſilio
Nunc mihi opus eſt: nova res ſubito mihi hæc objecta eſt:
Hoc prævortar principio: illa omnia miſſa habeo, quæ ante agere occœpi.
Jam pol ego hunc ſtratioticum nuntium advenientem probe percutiam.
Har. Oſtium pultabo, atque intus evocabo aliquem foras.
Pſ. Quiſquis es, compendium ego te facere pultandi volo,
Nam ego precator & patronus foribus proceſſi foras.
Har. Tune es Ballio? *Pſ.* Immo vero ego ejus ſum Subballio.
Har. Quid iſtuc verbi eſt? *Pſ.* Condus-promus ſum, procurator peni.
Har. Quaſi te dicas atrienſem. *Pſ.* Immo atrienſi ego impero.
Har. Quid tu! ſervoſne es, an liber? *Pſ.* Nunc quidem etiam ſervio.
Har. Ita videre; & non videre dignus, qui liber ſies.
Pſ. Non ſoles reſpicere te, cum dicas injuſte alteri?
Har. Hunc hominem malum eſſe oportet. *Pſ.* Di me ſervant atque amant.
Nam hic mihi incus eſt: procudam ego hodie hinc multos dolos.
Har. Quid illic ſecum ſolus loquitur? *Pſ.* Quid ais tu, adoleſcens? *Har.* Quid eſt?
Pſ. Eſne tu, an non es, ab illo milite Macedonio,
Servos ejus, qui hinc a nobis eſt mercatus mulierem?
Qui argenti hero meo Lenoni quindecim dederat minas,
Quinque debet? *Har.* Sum. ſed ubi tu me noviſti gentium,
Aut vidiſti, aut collocutus? nam equidem Athenas antidhac
Numquam adveni, neque te vidi ante hunc diem umquam oculis meis.
Pſ. Quia videre inde eſſe. nam olim cum abiit, argento hæc dies
Præſtituta eſt, quoad referret nobis: neque dum rettulit.
Har. Immo adeſt. *Pſ.* Tun' attuliſti? *Her.* Egomet. *Pſ.* quid dubitas dare?
Har. Tibi ego dem? *Pſ.* Mihi hercle vero, qui res rationeſque heri
Ballionis curo, argentum accepto, expenſo, & cui debet dato.
Har. Siquidem hercle etiam ſupremi promtas theſauros Jovis,
Tibi libellam argenti numquam credam. *Pſ.* dum tu ſtrenuas,
Res erit ſoluta. *Har.* Vinctam potius ſic ſervavero.
Pſ. Væ tibi! tu inventus vero, meam qui torcilles fidem!
Quaſi mihi non ſexcenta tanta ſoli ſoleant credier!
Har. Poteſt, ut alii ita arbitrentur; & ego ut ne credam tibi.
Pſ. Quaſi tu dicas, me te velle argento circumducere.
Har. Immo vero quaſi tu dicas, quaſique ego autem id ſuſpicer.
Sed quid eſt tibi nomen? *Pſ.* Servos eſt huic lenoni Syrus,
Eum eſſe me dicam. Syrus ſum. *Har.* Syrus? *Pſ.* Id eſt nomen mihi.
Har. Verba multa facimus: herus ſi tuus domi eſt, quin provocas:
Ut id agam, quod miſſus huc ſum? quidquid eſt nomen tibi.
Pſ. Si intus eſſet, evocarem. verum ſi dare vis mihi,
Magis erit ſolutum, quam ipſi dederis. *Har.* At enim ſcin' quid eſt?
Reddere hoc, non perdere, herus me miſit. nunc certo ſcio
Hoc febrim tibi eſſe, quia non licet hoc injicere ungulas.
Ego, niſi ipſi Ballioni, nummum credam nemini.
Pſ. At ille nunc negotioſus eſt: res agitur apud judicem.
Har. Di bene vortant. at ego quando eum eſſe cenſebo domi,
Rediero. tu epiſtolam hanc a me accipe, atque illi dato.
Nam iſtic ſymbolum eſt inter herum meum & tuum de muliere.
Pſ. Scio equidem, ut qui argentum afferret, atque expreſſam imaginem
Suam huc ad nos, cum eo ajebat velle mitti mulierem.
Nam hic quoque exemplum reliquit ejus. *Har.* Omnem rem tenes.
Pſ. Quid ego ni teneam? *Har.* Dato ergo iſtum ſymbolum illi. *Pſ.* Licet.
Sed quid eſt tibi nomen? *Har.* Harpax. *Pſ.* Apage te; Harpax, haud places.
Huc quidem hercle haud ibis intro; ne quid harpax feceris.
Har. Hoſtis vivos rapere ſoleo ex acie: ex hoc nomen mihi eſt.
Pſ. Pol te multo magis, opinor, vaſa ahenea ex ædibus.
Har. Non ita eſt. ſed ſcin' quid te prem, Syre? *Pſ.* Sciam, ſi dixeris.
Har. Ego devortor extra portam huc in tabernam tertiam,
Apud anum illam diobolarem, cludam, craſſam, Chryſidem.
Pſ. Quid nunc vis? *Har.* Inde ut me arceſſas, herus tuus ubi venerit.
Pſ. Tuo arbitratu, maxume. *Har.* Nam ut laſſus veni de via,
Me volo curare. *Pſ.* Sane ſapis, & conſilium placet:
Sed videſis, ne in quæſtione ſis, quando arceſſam, mihi.
Har. Quin ubi prandero, dabo operam ſomno. *Pſ.* Sane cenſeo.
Har. Nunc quid vis? *Pſ.* Dormitum ut abeas. *Har.* Abeo. *Pſ.* Atque audin', Harpage?
Jube ſis te operiri: beatus eris, ſi conſudaveris.

ACTUS II. SCENA III.

Pſeudolus.

DI immortales! conſervavit me illic homo adventu ſuo.
Suo viatico reduxit me uſque ex errore in viam.
Nam ipſa mihi Opportunitas non potuit opportunius
Advenire, quam hæcce allata eſt mihi opportune epiſtola.

Nam

Nam hæc allata cornucopiæ eſt, ubi ineſt quidquid volo.
Hic doli, hic fallaciæ omnes ſunt: hic ſunt ſycophantiæ,
Hic argentum, hic amica amanti herili filio.
Atque ego nunc me ut glorioſum faciam, ut copi pectore;
Quo modo quidque agerem, ut Lenoni ſurriperem mulierculam;
Jam inſtituta, ornata, cuncta in ordine animo ut volueram,
Certa, deformata habebam. ſed profecto hoc ſic erit.
Centum doctum hominum conſilia ſola hæc devincit dea
Fortuna. atque hoc verum eſt: proinde ut quiſque fortuna utitur,
Ita præcellet, atque exinde ſapere eum omnes dicimus.
Bene ubi quod conſilium diſcimus accidiſſe, hominem catum
Eum eſſe declaramus: ſtultum autem illum, quoi vortit male.
Stulti haud ſcimus, fruſtra ut ſimus, cum quod cupienter dari
Petimus nobis, quaſi, quid in rem ſit, poſſimus noſcere.
Certa amittimus, dum incerta petimus. atque hoc evenit,
In labore atque in dolore ut mors obrepat interim.
Sed jam ſatis eſt philoſophatum. nimis diu & longum loquor.
Di immortales! aurichalco contra non carum fuit
Meum mendacium, hic modo quod ſubito commentus fui,
Quia Lenonis me eſſe dixi. nunc ego hac epiſtola
Tris deludam; herum, & Lenonem, & qui hanc mihi dedit epiſtolam.
Euge, par pari! aliud autem, quod cupiebam, contigit.
Venit, eccum, Calidorus, ducit neſcio quem ſecum ſimul.

ACTUS II. SCENA IV.

Calidorus, Charinus, Pſeudolus.

Dulcia atque amara apud te ſum elocutus omnia,
Scis amorem, ſcis laborem, ſcis egeſtatem meam.
Ch. Commemini omnia: id tu modo, quid me vis facere, fac ſciam.
Cal. Cum hæc tibi alia ſum elocutus, ut ſcires, ſi ſcis, de ſymbolo.
Ch. Omnia, inquam. tu modo, quid me facere vis, fac ut ſciam.
Cal. Pſeudolus mihi ita imperavit, ut aliquem hominem ſtrenuum,
Benevolentem adducerem ad ſe. *Ch.* Servas imperium probe,
Nam & amicum & benevolentem ducis. ſed iſtic Pſeudolus
Novos mihi eſt. *Cal.* Nimium eſt mortalis graphicus: heuretes mihi eſt:
Is mihi hæc eſſe effecturum dixit, quæ dixi tibi.
Pſ. Magnifice hominem compellabo. *Cal.* Cuja vox ſonat? *Pſ.* Jo, jo, *jo*.
Te te te, tyranne, te rogo; qui imperitas Pſeudolo,
Quæro: quoi ter, trina, triplicia, tribus modis, tria gaudia,
Artibus tribus, ter demeritas dem lætitias, de tribus
Fraude partas; per malitiam, & per dolum & fallaciam,
In libello hoc obſignato ad te attuli pauxillulo.
Cal. Illic homo eſt. *Ch.* Ut paratragœdiat carnufex!
Ch. Confer gradum
Contra pariter. *Pſ.* Porrige audaciter ad ſalutem brachium.
Ch. Dic, utrum Spemne an Salutem te ſalutem, Pſeudole?
Pſ. Immo utrumque. *Ch.* Utrumque, ſalve. ſed quid actum eſt? *Pſ.* Quid times?
Cal. Attuli hunc. *Pſ.* Quid? attuliſti? *Cal.* Adduxi, volui dicere.
Pſ. Quis iſtic eſt? *Cal.* Charinus. *Pſ.* Euge! jam χαρῖνον οἰωνὸν ποιῶ.
Ch. Quin tu quidquid opu'ſt, mihi audacter imperas. *Pſ.* Jam gratiam.
Bene ſit, Charine: nolo tibi moleſtos eſſe nos.
Ch. Vos moleſtos mihi? moleſtum eſt *id* quidem. *Pſ.* Tum tu igitur mane.
Ch. Quid iſtuc eſt? *Pſ.* Epiſtolam modo hanc intercepi, & ſymbolum.
Ch. Symbolum? quem ſymbolum? *Pſ.* Qui a milite allatu'ſt modo.
Ejus ſervo, qui hunc ferebat cum quinque argenti minis,
Tuam qui amicam hinc arceſſebat; ei os ſublevi modo.
Cal. Quomodo? *Pſ.* Horum cauſa hæc agitur ſpectatorum Fabula.
Hi ſciunt, qui hic affuerunt, vobis poſt narravero.
Cal. Quid nunc agimus? *Pſ.* Liberam hodie tuam amicam amplexabere.
Cal. Egone? *Pſ.* Tute. *Cal.* Ego? *Pſ.* Ipſus, inquam: ſi quidem hoc vivet caput.
Si modo mihi hominem invenietis propere. *Cal.* Qua facie? *Pſ.* Malum,
Calhdum, doctum, qui quando principium prehenderit,
Porro ſua virtute teneat, quid ſe facere oporteat.
Atque eum, qui non hic uſitatus ſæpe ſit. *Ch.* Si ſervos eſt,
Numquid refert? *Pſ.* Immo multo mavolo quam liberum.
Ch. Poſſe opinor me dare hominem tibi malum & doctum; modo
Qui a patre advenit Caryſto: nec dum exiit ex ædibus
Quoquam, neque Athenas advenit umquam, ante heſternum diem.
Pſ. Bene juvas. ſed quinque inventis opus eſt argenti minis
Mutuis, quas hodie reddam: nam unam hujus mihi debet pater.
Ch. Ego dabo, ne quære aliunde. *Pſ.* O hominem opportunum mihi!
Etiam opu'ſt chlamyde, & machæra, & petaſo. *Ch.* Poſſum a me dare.
Pſ. Di immortales! non Charinus mihi hic quidem eſt, ſed Copia!
Sed iſtic ſervos, ex Caryſto huc qui advenit, quid ſapit?
Ch. Hircum ab alis. *Pſ.* Manuleatam tunicam habere hominem decet.

Ecquid

Ecquid habet is homo aceti in pectore? *Ch.* Atque acidiſſumi.
Quid, ſi opus ſit, ut dulce promat indidem, ecquid habet? *Ch.* Rogas?
Murrhinam, paſſum, defrutum, melinam, mel quojuſmodi.
Quin in corde inſtruere quondam cœpit thermopolium.
Pſ. Eugepæ! lepide, Charine, me meo ludo lamberas.
Sed quid nomen eſſe dicam ego iſti ſervo? *Ch.* Simiæ.
Pſ. Scitne in re advorſa vorſari? *Ch.* Turbo non æque citus eſt.
Pſ. Ecquid argutus eſt? *Ch.* Malorum facinorum ſæpiſſume.
Pſ. Quid cum manifeſto tenetur? *Ch.* Anguilla' ſt, elabitur.
Pſ. Ecquid is homo ſcitus eſt? *Ch.* Plebiſcitum non eſt ſcitius.
Pſ. Probus homo eſt, ut prædicare te audio. *Ch.* Immo ſi ſcias;
Ubi te aſpexerit, narrabit ultro, quid ſeſe velis.
Sed quid es acturus? *Pſ.* Dicam: ubi hominem exornavero,
Subditițium fieri ego illum militis ſervom volo:
Symbolum hunc ferat lenoni cum quinque argenti minis:
Mulierem ab lenone abducat. hem tibi omnem fabulam!
Ceterum quo quidque pacto faciat, ipſi dixero.
Cal. Quid nunc igitur ſtamus? *Pſ.* Hominem cum ornamentis omnibus
Exornatum adducite ad me, jam ad trapezitam Æſchinum.
Sed properate. *Ch.* Prius illic erimus, quam tu. *Pſ.* abite ergo ocyus.
Quidquid incerti mihi in animo prius, aut ambiguum fuit,
Nunc liquet: nunc defæcatum eſt; cor mihi nunc pervium' ſt.
Omnes ordines ſub ſignis ducam, legiones meas,
Avi ſiniſtra, auſpicio liquido, atque ex ſententia:
Confidentia eſt inimicos meos me poſſe perdere.
Nunc ibo ad forum, atque onerabo meis præceptis Simiam,
Quid agat, ne quid titubet, docte ut hanc ferat fallaciam.
Jam ego hoc ipſum oppidum expugnatum faxo erit lenonium.

ACTUS TERTIUS

SCENA I.

Puer.

QUi ſervitutem di danunt lenoniam
Puero, atque eidem ſi addunt turpitudinem,
Næ illi, quantum ego nunc corde conſpicio meo,
Malam rem magnam, multaſque ærumnas danunt.
Velut hæc mihi evenit ſervitus, ubi ego omnibus
Parvis magniſque miſeriis præſulcior:
Neque ego amatorem mihi invenire ullum queo:
Qui amet me, ut curet tandem nitidiuſcule.
Nunc huic lenoni eſt hodie natalis dies:
Interminatus eſt a minimo ad maxumum,
Si quis non hodie munus miſiſſet ſibi,
Eum cras cruciatu maxumo perbitere.
Nunc neſcio hercle rebus quid faciam meis.
Neque ego illud poſſum, quod illi qui poſſunt, ſolent,
Nunc niſi lenoni munus hodie miſero,
Cras mihi potandus fructus eſt fullonius.
Eheu! quam illæ rei ego etiam nunc ſum parvolus!
Atque edepol ut nunc male eum metuo miſer!
Si quiſpiam det, quoi manus gravior ſiet,
Quamquam illud ajunt magno gemitu fieri,
Comprimere dentes videor poſſe aliquo modo.
Sed comprimenda eſt mihi vox atque oratio,
Herus eccum recipit ſe domum, & ducit coquom.

ACTUS III. SCENA II.

Ballio, Coquus, Puer.

FOrum coquinum qui vocant, ſtulte vocant,
Nam non coquinum eſt, verum furinum eſt forum:
Nam ſi ego juratus pejorem hominem quærerem,
Coquom non potui, quam hunc, quem duco, ducere,
Multiloquom, glorioſum, inſulſum, inutilem:
Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad ſe noluit,
Ut eſſet hic, qui mortuis cœnam coquat.
Nam hic ſolus illis coquere, quod placeat, poteſt.
Coq. Si me arbitrabare iſto pacto, ut prædicas,
Cur conducebas? *Bal.* Inopia: alius non erat.
Sed cur ſedebas in foro, ſi eras coquos
Tu ſolus præter alios? *Coq.* Ego dicam tibi:
Hominum avaritia ego ſum factus improbior coquos,
Non meopte ingenio. *Bal.* Qua iſtuc ratione? *Coq.* Eloquar.
Quia enim cum extemplo veniunt conductum coquom,
Nemo illum quærit, qui optumus, & cariſſumu'ſt:
Illum conducunt potius, qui viliſſumu'ſt.
Hoc ego fui hodie ſolus obſeſſor fori.
Illi drachmis iiſſent miſeri: me nemo poteſt
Minoris quiſquam nummo, ut ſurgam, ſubigere.
Non ego item cœnam condio, ut alii coqui,
Qui mihi condita prata in patinis proferunt;
Boves qui convivas faciunt, herbaſque oggerunt;
Eas herbas herbis aliis porro condiunt,
Indunt coriandrum, feniculum, allium, atrum olus:
Apponunt rumicem, braſſicam, betam, blitum,
Eo laſerpicii libram pondo diluunt:
Teritur ſinapis ſcelerata cum illis: qui terunt,
Priuſquam triverunt, oculi ut exſtillent, facit.
Ei homines cœnas ſibi coquint. cum condiunt,
Non condimentis condiunt, ſed ſtrigibus,
Vivis convivis inteſtina quæ exedint.
Hoc hic quidem homines tam brevem vitam colunt.
Cum haſce herbas hujuſmodi in ſuum alvom congerunt,
Formidoloſas dictu, non eſu modo.

Quas

Quas herbas pecudes non edunt; homines edunt.
Bal. Quid tu? divinis condimentis utere,
Qui prorogare vitam poſſis hominibus,
Qui ea culpes condimenta. *Coq.* Audacter dicito.
Nam vel ducenos annos poterunt vivere,
Meas qui eſitabunt eſcas, quas condivero.
Nam ego cicilendrum quando in patinas indidi,
Aut ſipolindrum, aut macidem, aut ſancaptidem,
Eæ ipſæ ſeſe patinæ fervefaciunt illico.
Hæc ad Neptuni pecudes condimenta ſunt:
Terreſtres pecudes cicimandro condio,
Aut happalopſide, aut cataractria. *Bal.* At te Juppiter
Diique omnes perdant, cum condimentis tuis,
Cumque tuis *iſtis* omnibus mendaciis.
Coq. Sine ſis loqui me. *Bal.* Loquere, atque i in malam crucem.
Coq. Ubi omnes patinæ fervent, omnis aperio,
Is odos demiſſis pedibus in cœlum volat:
Eum in odorem cœnat Juppiter cotidie.
Bal. Odor demiſſis pedibus? *Coq.* Peccavi inſciens.
Bal. Quid eſt? *Coq.* Quia enim demiſſis manibus volui dicere.
Bal. Si nuſquam is coctum, quidnam cœnat Juppiter?
Coq. It incœnatus cubitum. *Bal.* I in malam crucem.
Iſtaccine cauſſa tibi hodie nummum dabo?
Coq. Fateor equidem, eſſe me coquom cariſſumum:
Verum pro pretio facio ut opera appareat
Mea, quo conductus veni. *Bal.* Ad furandum quidem,
Coq. An invenire poſtulas quemquam coquom,
Niſi milvinis aut aquilinis ungulis?
Bal. An tu coquinatum te ire quoquam poſtulas,
Quin ibi conſtrictis ungulis cœnam coquas?
Nunc adeo tu, qui meus es, jam edico tibi,
Uti noſtra properes amoliri omnia:
Tum ut hujus oculos in oculis habeas tuis:
Quoquo hic ſpectabit, eo tu ſpectato ſimul:
Si quo hic gradietur, pariter progrediminor.
Manum ſi protollet, pariter proferto manum.
Suum ſi quid ſumet, id tu ſinito ſumere:
Si noſtrum ſumet, tu teneto altrinſecus.
Si iſte ibit, ito; ſtabit, aſtato ſimul.
Si conquiniſcet iſtic, ceveto ſimul.
Item his diſcipulis privos cuſtodes dabo.
Coq. Habe modo bonum animum. *Bal.* Quæſo, qui poſſim, doce,
Animum *bonum* habere, qui te ad me adducam domum?
Coq. Quia ſorbitione faciam ego te hodie mea,
Item ut Medea Peliam concoxit ſenem:
Quem medicamento, & ſuis venenis dicitur
Feciſſe rurſus ex ſene adoleſcentulum:
Item ego te faciam. *Bal.* Eho, an *tu* etiam veneficus?
Coq. Immo edepol vero hominum ſervator magis.
Bal. Hem mane. quanti iſtuc unum me coquinare perdoces?
Coq. Quid? *Bal.* Ut te ſervem, ne quid ſurripias mihi.
Coq. Si credis, nummo; ſi non, ne mina quidem.
Sed utrum amicis hodie, an inimicis tuis
Daturus cœnam? *Bal.* pol ego amicis, ſcilicet.
Coq. Quin tu illos inimicos potius, quam amicos vocas:
Nam ego ita convivis cœnam conditam dabo
Hodie, atque ita ſuavitate condiam,
Ut quiſque quidque conditum guſtaverit,
Ipſos ſibi faciam ut digitos prærodat ſuos.
Bal. Quæſo hercle priuſquam quidquam convivis dabis,
Guſtato tute prius, & diſcipulis dato,
Ut prærodatis voſtras furtificas manus.
Coq. Fortaſſe hæc tu nunc mihi non credas, quæ loquor.
Bal. Moleſtus ne ſis, nimium jam tinnis, non places.
Hem! illic ego habito. intro huc abi, & cœnam coque
Propere. *Coq.* Quin is accubitum, & convivas cedo.
Corrumpitur jam cœna. *Bal.* Hem! ſubolem ſis vide!
Jam hic quoque ſceleſtus, eſt coqui ſublingio.
Profecto, quid nunc primum caveam, neſcio.
Ita in ædibus ſunt fures: prædo in proxumo eſt.
Jam a me hic vicinus apud forum paullo prius
Pater Calidori opere petivit maxumo,
Ut mihi caverem a Pſeudolo ſervo ſuo,
Neu fidem ei haberem. nam eum circumire in hunc diem,
Ut me, ſi poſſet, muliere intervorteret,
Eum promiſiſſe firmiter, dixit ſibi,
Seſe abducturum a me dolis Phœnicium.
Nunc ibo intro, atque edicam familiaribus,
Profecto ne quis quidquam credat Pſeudolo.

ACTUS QUARTUS

SCENA I.

Pſeudolus, *Simia*.

SI umquam quemquam di immortales voluere eſſe auxilio adjutum,
Tum me & Calidorum ſervatum volunt eſſe, & lenonem extinctum,
Cum te adjutorem genuere mihi, tam doctum hominem atque aſtutum.
Sed ubi illic eſt? ſumne ego homo inſipiens, qui hæc mecum egomet loquor ſolus?
Dedit verba mihi hercle, ut opinor, malus cum malos ſtulte cavi.
Tum pol ego interii, homo ſi ille abiit: neque hoc opus, quod volui, ego hodie efficiam.
Sed eccum! video verbeream ſtatuam. ut magnifice infert ſeſe!
Hem! te hercle ego circumſpectabam: nimis metuebam male, ne abiiſſes.
Sim. Fuit meum officium, ut facerem: fateor. *Pſ.* ubi reſtiteras? *Sim.* ubi mihi libitum eſt.
Pſ. Iſtuc ego jam ſatis ſcio. *Sim.* cur ergo, quod ſcis, me rogas? *Pſ.* at hoc volo monere te.
Sim. Monendus ne me moneat. *Pſ.* Nimis tandem ego abs te contemnor.
Sim. Quippe ego te ni contemnam, ſtratioticus homo qui cluear? *Pſ.* Jam
Hoc volo, quod occeptum'ſt, agi. *Sim.* Numquid agere aliud me vides?
Pſ. Ambula ergo cito. *Sim.* Immo otioſe volo. *Pſ.* Hæc ea occaſio eſt. dum ille dormit,
Volo tu prior ut occupes adire. *Sim.* Quid properas? placide.
Ne time. ita ille faxit Juppiter! ut ille palam ibidem aſſiet,

Quiſquis

Quiſquis ille eſt, qui adeſt a Milite. numquam edepol erit ille potior
Harpax, quam ego. habe animum bonum: pulchre ego hanc explicitam tibi rem dabo.
Sic ego illum dolis atque mendaciis in timorem dabo
Militem advenam, ipſe ſeſe ut neget eum eſſe qui ſiet,
Meque ut eſſe autumet, qui ipſus eſt. *Pſ.* Qui poteſt? *Sim.* Occidis me,
Cum iſtuc rogitas. *Pſ.* O hominem lepidum! te quoque etiam dolis
Atque etiam mendaciis, Juppiter te mihi ſervet.
Sim. Immo mihi. ſed vide, ornatus hic ſatis me condecet?
Pſ. Optume habet. *Sim.* Eſto. *Pſ.* Tantum tibi boni di immortales duint,
Quantum tu tibi optes. nam ſi exoptem, quantum dignus, tantum dent,
Minus nihilo eſt. neque ego hoc homine quemquam vidi magis malum
Et maleficum. *Sim.* Tun' id mihi? *Pſ.* Taceo. ſed ego quæ tibi dona
Dabo & faciam, ſi hanc rem ſobrie accuraſſis! *Sim.* Potin' ut taceas?
Memorem immemorem facit, qui monet, quod memor meminit. teneo omnia.
In pectore condita ſunt, meditati ſunt doli docte. *Pſ.* Probus hic eſt
Homo. *Sim.* Neque hic eſt, neque ego. *Pſ.* At vide ne titubes. *Sim.* Potin' ut taceas?
Pſ. Ita me dii ament. *Sim.* Ita non facient, mera jam mendacia fundes.
Pſ. Ut ego ob tuam, Simia, perfidiam te amo, & metuo, & magnifico!
Sim. Ego iſtuc aliis dare condidici, mihi obtrudere non potes palpum.
Pſ. Ut ego te hodie accipiam lepide, ubi effeceris hoc opus! *Sim.* Ha ha he!
Pſ. Lepido victu, vino, unguentis, & inter pocula pulpamentis:
Ibidem una aderit mulier lepida, tibi ſavia ſuper ſavia quæ det.
Sim. Lepide accipis me. *Pſ.* Immo ſi efficis, tum faxo magis dicas.
Sim. Niſi effecero, cruciabiliter carnufex me accipito.
Sed propera mihi demonſtrare, ubi oſtium Lenonis ædium.
Pſ. Tertium hoc eſt. *Sim.* St! tace, ædes hiſcunt. *Pſ.* Credo, animo male' ſt
Ædibus. *Sim.* Quid jam? *Pſ.* Quia edepol ipſum Lenonem evomunt.
Sim. Illiccine eſt? *Pſ.* Illic eſt. *Sim.* Mala merx eſt. *Pſ.* Illuc ſis vide:
Non prorſus, verum ex tranſvorſo cedit, quaſi cancer ſolet.

ACTUS IV. SCENA II.

Ballio, Pſeudolus, Sycophanta.

MInus malum hunc hominem eſſe opinor, quam eſſe cenſebam coquom:
Nam nihil etiam dum harpagavit, præter cyathum & cantharum.
Pſ. Heus tu! nunc occaſio eſt & tempus. *Syc.* Tecum ſentio.
Pſ. Ingredere in viam doloſe: & ego hic in inſidiis ero.
Syc. Habui numerum ſedulo, hoc eſt ſextum a porta proxumum
Angiportum, in id angiportum me devorti juſſerat.
Quotumas ædeis dixerit, id ego admodum incerto ſcio.
Bal. Quis hic homo chlamydatus eſt, aut unde eſt, aut quem quæritat?
Peregrina facies videtur hominis, atque ignobilis.
Syc. Sed eccum, qui ex incerto faciet mihi, quod quæro, certius.
Bal. Ad me adit recta. unde ego hominem hunc eſſe dicam gentium!
Syc. Heus tu, qui cum hirquina aſtas barba, reſponde quod rogo.
Bal. Eho, an non prius ſalutas? *Syc.* Nulla eſt mihi ſalus dataria.
Bal. Nam pol hinc tantumdem accipies. *Pſ.* Jam inde a principio probi.
Syc. Ecquem in angiporto hoc hominem tu noviſti? te rogo.
Bal. Egomet me. *Syc.* Pauci iſtuc faciunt homines, quod tu prædicas:
Nam in foro vix decimus quiſque eſt, qui ipſus ſeſe noverit.
Pſ. Salvos ſum! jam philoſophatur. *Syc.* Hominem ego hic quæro malum,
Legirupam, impium, perjurum, atque improbum. *Bal.* Me quæritat:
Nam illa *mea* ſunt cognomenta, nomen ſi memoret modo.
Quid eſt ei homini nomen? *Syc.* Leno Ballio. *Bal.* Scivin' ego?
Ipſe ego is ſum, adoleſcens, quem tu quæritas. *Syc.* tune es Ballio?
Bal. Ego enimvero is ſum. *Syc.* Ut veſtitus eſt perfoſſor parietum!
Bal. Credo, in tenebris conſpicatus ſi ſis me, abſtineas manum.
Syc. Herus meus tibi me ſalutem multam voluit dicere.
Hanc epiſtolam accipe a me, hanc me tibi juſſit dare.
Bal. Quis is homo 'ſt, qui juſſit? *Pſ.* Perii, nunc homo in medio luto eſt,
Nomen neſcit. hæret hæc res. *Bal.* Quem hanc miſiſſe ad me autumas?
Syc. Noſce imaginem: tute ejus nomen memorato mihi,
Ut ſciam te Ballionem eſſe ipſum. *Bal.* Cedo mihi epiſtolam.
Syc. Accipe: cognoſce ſignum. *Bal.* Oho! Polymachæroplacides
Purus putus eſt ipſus: novi: heus! *Syc.* Polymachæroplacides
Nomen eſt. ſcio jam tibi me recte dediſſe epiſtolam:
Poſtquam Polymachæroplacidæ elocutus nomen es.
Bal. Sed quid agit is? *Syc.* Quod homo edepol fortis, atque bellator probus.
Sed propera hanc pellegere quæſo epiſtolam; ita negotium eſt;
Atque accipere argentum actutum, mulieremque mihi emittere.
Nam neceſſe hodie Sicyoni me eſſe, aut cras mortem exſequi,
Ita herus meus eſt imperioſus. *Bal.* Novi, notis prædicas.

Syc.

Syc. Propera pellegere epiſtolam ergo. *Bal.* Id ago, ſi taceas modo.
Miles lenoni Ballioni epiſtolam
Conſcriptam mittit Polymachæroplacides,
Imaginem obſignatam, quæ inter nos duo
Convenit olim. *Syc.* Symbolum eſt in Epiſtola.
Bal. Video, & cognoſco ſignum. ſed in Epiſtola
Nullam ſalutem mittere ne ſcriptam ſolet?
Syc. Ita militaris diſciplina eſt, Ballio:
Manu ſalutem mittunt benevolentibus.
Eadem malam rem mittunt malevolentibus;
Sed, ut occœpiſti, perge operam experirier,
Quid epiſtola iſta narret. *Bal.* Auſculta modo.
Harpax calator meus eſt, ad te qui venit,
Tune is es Harpax? *Syc.* Ego ſum; atque ipſe Harpax quidem.
Bal. Qui epiſtolam iſtam fert, ab eo argentum accipi,
Et cum eo ſimitu mulierem mitti volo.
Salutem ſcriptam dignum eſt dignis mittere:
Te ſi arbitrarem dignum, miſiſſem tibi.
Syc. Quid nunc? *Bal.* Argentum des, abducas mulierem.
Syc. Uter remoratur? *Bal.* Quin ſequere ergo intro. *Syc.* Sequor.

ACTUS IV. SCENA III.

Pſeudolus.

PEjorem ego hominem magiſque vorſute malum
Numquam edepol quemquam vidi, quam hic eſt Simia.
Nimiſque ego illum hominem metuo & formido male,
Ne malus item erga me ſit, ut erga illum fuit,
Ne in re ſecunda nunc mihi obvortat cornua;
Si occaſionem capſit, qui ſiet malus.
Atque edepol equidem nolo: nam illi bene volo.
Nunc in metu ſum maxumo, triplici modo.
Primum omnium jam hunc comparem metuo meum,
Ne deſerat me, atque ad hoſtis tranſeat.
Metuo autem, ne herus redeat etiam dum a foro,
Ne capta præda capti prædones fuant.
Cum hæc metuo, metuo ne ille huc Harpax adveniat,
Priuſquam hinc hic Harpax abierit cum muliere.
Perii hercle! nimium tarde egrediuntur foras.
Cor colligatis vaſis expectat meum,
Si non educat mulierem ſecum ſimul,
Ut exſulatum ex pectore aufugiat meo.
Victor ſum; vici cautos cuſtodes meos.

ACTUS IV. SCENA IV.

Sycophanta, Pſeudolus.

NE plora: neſcis ut res ſit, Phœnicium,
Verum haud multo poſt faxo ſcibis accubans,
Non ego te ad illum duco dentatum virum
Macedonienſem, qui te nunc flentem facit.
Quojam eſſe te vis maxume, ad eum duco te:
Calidorum haud multo poſt faxo amplexabere.
Pſ. Quid tu intus quæſo deſediſti? quam diu
Mihi cor retunſum 'ſt oppugnando pectore!
Syc. Occaſionem reppeciſti, verbero,
Ubi perconteris me inſidiis hoſtilibus:
Quin hinc metimur gradibus militariis.
Pſ. Atque edepol, quamquam nequam homo es, recte mones.
Ite hac triumphi ad cantharum recta via.

ACTUS IV. SCENA V.

Ballio.

HA hæ! nunc demum mihi animus in tuto eſt loco,
Poſtquam iſte hinc abiit, atque abduxit mulierem.
Mihi libet nunc venire Pſeudolum, ſcelerum caput,
Et abducere a me mulierem fallaciis.
Conceptis hercle verbis ſatis certo ſcio,
Ego perjurare mavellem me millies,
Quam mihi illum verba per deridiculum dare.
Nunc deridebo hercle hominem, ſi convenero.
Verum in piſtrinum, credo, ut convenit, fore.
Nunc ego Simonem mihi obviam veniat velim,
Ut mea lætitia lætus promiſcam ſiet.

ACTUS IV. SCENA VI.

Simo, Ballio.

VIſo, quid rerum meus Ulyſſes egerit,
Jamne habeat ſignum ex arce Ballionia.
Bal. O fortunate, cedo fortunatam manum,
Simo. *Sim.* Quid eſt? *Bal.* Jam. *Sim.* Quid jam? *Bal.* Nihil eſt, quod metuas. *Sim.* Quid eſt?
Venitne homo ad te? *Bal.* Non. *Sim.* Quid eſt igitur boni?
Bal. Minæ viginti ſanæ ac ſalvæ ſunt tibi,
Hodie quas abs te inde eſt inſtipulatus Pſeudolus.
Sim. Velim quidem hercle. *Bal.* Roga me viginti minas.
Si ille hodie illa ſit potitus muliere,
Sive eam tuo gnato hodie, ut promiſit, dabit.
Rogato hercle obſecro! geſtio promittere.
Omnibus modis tibi eſſe rem ut ſalvam ſcias,
Atque etiam habeto mulierem dono tibi.
Sim. Nullum periclum eſt, quod ſciam, ſtipularier.
Ut concepiſti verba, viginti minas
Dabin'? *Bal.* Dabuntur. *Sim.* Hoc quidem actum 'ſt haud male.
Sed hominem conveniſtin'? *Bal.* Immo ambos ſimul.
Sim. Quid ait? quid narrat? quæſo! quid dicit tibi?
Bal. Nugas theatri, verba quæ in Comœdiis
Solent lenoni dici, quæ pueri ſciunt:
Malum, & ſceleſtum, & perjurum ajebat eſſe me.
Sim. Pol haud mentitu 'ſt. *Bal.* Ergo haud iratus fui.
Nam quanti refert te nec recte dicere,
Qui nihili faciat, quique inficias non eat?
Sim. Quid eſt quod non metuas ab eo? id audire expeto.
Bal. Quia numquam ab me abducet mulierem jam; nec poteſt.
Meminiſtine tibi me dudum dicere,
Eam væniſſe militi Macedonio?
Sim. Memini. *Bal.* Hem, illius ſervos huc ad me argentum attulit,
Et obſignatum ſymbolum. *Sim.* Quid poſtea?
Bal. Qui inter me atque illum militem convenerat:
Is ſecum abduxit mulierem haud multo prius.
Sim. Bonan' fide iſtuc dicis? *Bal.* Unde ea ſit mihi?
Sim. Vide modo, ne illic ſit contechnatus quippiam.

Bal.

Bal. Epiſtola atque imago me certum facit.
Quin jam quidem illam in Sicyonem ex urbe adduxit modo.
Sim. Bene hercle factum. quid ego ceſſo, Pſeudolum
Facere, ut det nomen ad molarum coloniam?
Sed quis hic homo eſt chlamydatus? *Bal.* Non edepol ſcio,
Niſi ut obſervemus quo eat, aut quam rem gerat.

ACTUS IV. SCENA VII.

Harpax, Simo, Ballio.

MAlus & nequam eſt homo, qui nihili imperium heri
Sui ſervos facit: nihili eſt autem, ſuum
Qui officium facere immemor eſt, niſi adeo monitus.
Nam qui liberos eſſe illico ſe arbitrantur,
Ex conſpectu heri ſi ſui ſe abdiderunt,
Luxuriantur, luſtrantur, comedunt quod
Habent, ii nomen diu ſervitutis ferunt:
Nec boni ingenii quidquam in his ineſt, niſi ut improbis ſe artibus teneant. cum his mihi nec locus, nec ſermo
Convenit, neque his umquam nobilis fui.
Ego, ut mihi imperatum eſt, etſi abeſt, hic adeſſe herum
Arbitror. nunc ego illum metuo, cum hic non adeſt,
Ne, cum aſſiet, metuam. ei rei operam dabo.
Nam *me* in taberna uſque adhuc ſineret Syrus,
Quoi dedi ſymbolum: manſi, ut juſſerat:
Leno ubi eſſet domi, me ajebat arceſſere.
Verum ubi is non venit, nec vocat; venio huc ultro,
Ut ſciam, quid rei ſiet: ne illic homo me ludificetur.
Neque quidquam eſt melius, quam ut hoc pultem, atque aliquem
Evocem huc intus. Leno argentum hoc volo a me accipiat,
Atque amittat mulierem *nunc* mecum ſimul.
Bal. Heus tu? *Sim.* Quid vis? *Bal.* Hic homo meu'ſt. *Sim.* Qui dum. *Bal.* Quia
Præda hæc mea eſt: ſcortum quærit, habet argentum.
Jam admordere hunc mihi lubet.
Sim. Jamne illum comeſurus es? *Bal.* Dum recens eſt,
Dum datur, dum calet, devorari decet: nam
Boni viri me pauperant, improbi alunt,
Augent rem meam mali; populi ſtrenui
Damno mihi, improbi uſui ſunt. *Sim.* Malum!
Quod tibi dei dabunt, qui ſic ſceleſtus.
Har. Me nunc commoror, cum has fores non ferio,
Ut ſciam, ſitne Ballio domi. *Bal.* Venus mihi hæc
Bona dat, cum hos huc adigit lucrifugas, damnicupidos, qui ſe ſuamque ætatem bene curant;
Edunt, bibunt, ſcortantur. illi ſunt alio ingenio atque tu,
Qui neque tibi bene eſſe patere; & illis, quibus eſt, invides.
Har. Heus! ubi eſtis vos? *Bal.* Hic quidem ad me recta habet rectam viam.
Har. Heus! ubi eſtis vos? *Bal.* Heus! adoleſcens, quid iſtic debetur tibi?
Bene ego ab hoc prædatus ibo: novi! bona ſcæva eſt mihi.
Har. Ecquis hoc aperit? *Bal.* Heus chlamydate, quid iſtic debetur tibi?
Har. Aedium dominum Lenonem Ballionem quærito.
Bal. Quiſquis es, adoleſcens, operam fac componendi quærere.
Har. Quid jam? *Bal.* Quia te *is* ipſus coram præſens præſentem videt.
Har. Tun' is es? *Sim.* Chlamydate! cave ſis tibi a curio infortunio,
Atque in hunc intende digitum: hic Leno eſt. *Bal.* At hic eſt vir probus.
Sed tu, bone vir, flagitare ſæpe clamore in foro,
Cum libella nuſquam eſt, niſi quid Leno hic ſubvenit tibi.
Har. Quin tu mecum fabulare? *Bal.* Fabulor. quid vis tibi?
Har. Argentum accipias. *Bal.* Jamdudum, ſi des, porrexi manum.
Har. Accipe: hic ſunt quinque argenti lectæ numeratæ minæ.
Hoc tibi herus me juſſit ferre Polymachæroplacides,
Quod deberet, atque ut mecum mitteres Phœnicium.
Bal. Herus tuus? *Har.* Ita dico. *Bal.* Miles? *Har.* Ita loquor. *Bal.* Macedonius?
Har. Admodum, inquam. *Bal.* Te ad me miſit Polymachæroplacides?
Har. Vera memoras. *Bal.* Hoc argentum ut mihi dares? *Har.* Si tu quidem es
Leno Ballio. *Bal.* Atque ut a me mulierem abduceres? *Har.* Ita.
Bal. Phœniciumne eſſe dixit? *Har.* Recte meminiſti. *Bal.* Mane.
Jam redeo ad te. *Har.* At maturate propera. nam propero: vides
Jam die multum eſſe. *Bal.* Video. hunc advocare etiam volo.
Mane modo iſtic. jam revortar ad te. quid nunc fiet Simo?
Quid agimus? manifeſto hunc hominem teneo, qui argentum attulit.
Sim. Quid jam? *Bal.* An neſcis, quæ ſit hæc res? Juxta cum ignariſſumis.
Bal. Edepol hominem verberonem Pſeudolum! ut docte dolum
Commentu'ſt! tantumdem argenti, quantum miles debuit,
Dedit huic, atque hominem exornavit, mulierem qui arceſſeret.
Pſeudolus tuus allegavit hunc, quaſi a Macedonio
Milite eſſet. *Sim.* Habeſne argentum ab homine? *Bal.* Rogitas, quod vides?
Sim. Heus! memento ergo dimidium iſthinc mihi de præda dare:
Commune iſtuc eſſe oportet. *Bal.* Quid, malum? id totum tuum eſt.
Har. Quam mox mihi operam das? *Bal.* Tibi do equidem. quid nunc mihi es auctor, Simo?
Sim. Exploratorem hunc faciamus ludo ſuppoſiticium.
Bal. Adeo, donicum ipſus ſeſe ludos fieri ſenſerit:
Sequere. quid ais? nempe tu illius ſervos es? *Har.* Planiſſume.
Bal. Quanti te emit? *Har.* Suarum in pugna virium victoria.
Nam ego eram domi imperator ſummus in patria mea.
Bal. An etiam ille umquam expugnavit carcerem, patriam tuam?

Har. Contumeliam ſi dices, audies. *Bal.* Quotumo die
Ex Sicyone huc perveniſti? *Har.* iAltero ad meridiem.
Bal. Strenue mehercle iſti. quamvis pernix hic eſt homo!
Ubi furam aſpicias, ſcias poſſe eum gerere craſſas compedes.
Quid ais? tune etiam cubitare ſolitus es in cunis puer?
Sim. Scilicet. *Bal.* Etiamne facere ſolitus es? Scin' quid loquar?
Sim. Scilicet ſolitum eſſe. *Har.* Sanine eſtis? *Bal.* Quid hoc, quod te rogo?
Noctu in vigiliam quando ibat miles, tum tu ibas ſimul?
Conveniebatne in vaginam tuam machæra militis?
Har. I in malam crucem. *Bal.* Ire licebit tibi tamen hodie tempori.
Har. Quin tu mulierem mihi emittis, aut reddis argentum? *Bal.* Mane.
Har. Quid maneam? *Bal.* Chlamydem hanc commemores, quanti conducta 'ſt. *Har.* Quid eſt?
Bal. Quid meret machæra? *Har.* Helleborum hiſce hominibus eſt opus.
Bal. Eho! *Har.* Mitte. *Bal.* Quid mercedis petaſus hodie domino demeret?
Har. Quid, domino? quid ſomniatis? mea quidem hæc habeo omnia,
Meo peculio emta. *Bal.* Nempe quod femina ſumma ſuſtinent.
Har. Uncti hi ſunt ſenes, fricari ſeſe ex antiquo volunt.
Bal. Reſponde obſecro hercle hoc vero ſerio, quod te rogo:
Quid meres? quantillo argento te conduxit Pſeudolus?
Har. Quid iſtic Pſeudolu 'ſt? *Bal.* Præceptor tuus, qui te hanc fallaciam
Docuit, ut fallaciis hinc a me mulierem abduceres.
Har. Quem tu Pſeudolum, quas tu mihi prædicas fallacias?
Quem ego hominem nullius coloris novi. *Bal.* Non tu iſtinc abis?
Nihil eſt hodie hic Sycophantis quæſtus: proin tu Pſeudolo
Nuncies, abduxiſſe alium prædam, qui occurrit prior
Harpax. *Har.* Is quidem edepol Harpax ego ſum. *Bal.* Immo edepol eſſe vis.
Purus putus hic ſycophanta eſt. *Har.* Ego tibi argentum dedi,
Et dudum adveniens extemplo ſymbolum ſervo tuo,
Heri imagine obſignatam epiſtolam hic ante oſtium.
Bal. Meo tu epiſtolam dediſti ſervo? cui ſervo? *Har.* Syro.
Bal. Non confidit. ſycophanta hic nequam eſt: nugis meditatur male.
Edepol hominem verberonem Pſeudolum! ut docte dolum
Commentu' ſt! tantumdem argenti, quantum miles debuit,
Dedit huic, atque hominem exornavit, mulierem qui abduceret.
Nam illam epiſtolam ipſus verus Harpax huc ad me attulit.
Har. Harpax ego vocor: ego ſervos ſum Macedonis militis.
Ego nec ſycophantioſe quidquam ago, nec malefice,
Neque iſtum Pſeudolum mortalis qui ſit novi, neque ſcio.
Sim. Tu, niſi mirum'ſt, Leno, plane perdidiſti mulierem.
Bal. Edepol næ iſtuc magis magiſque metuo, cum verba audio.
Sim. Mihi quoque edepol jamdudum ille Syrus cor perfrigefacit,
Symbolum qui hoc accepit. mira ſunt! Pſeudolus eſt. eho
Tu! qua facie fuit dudum, cui dediſti ſymbolum?
Har. Rufus quidam, ventrioſus, craſſis ſuris, ſubniger,
Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo, admodum
Magnis pedibus. *Sim.* Perdidiſti, poſtquam dixiſti pedes.
Pſeudolus fuit ipſus. *Bal.* Actum eſt de me. jam morior, Simo.
Har. Hercle haud te ſinam emoriri, niſi argentum mihi redditur,
Viginti minæ. *Sim.* Atque etiam mihi aliæ viginti minæ.
Bal. Auferetur id præmium a me, quod promiſi per jocum?
Sim. De improbis viris auferri præmium & prædam decet.
Bal. Saltem Pſeudolum mihi dedas. *Sim.* Pſeudolum ego dedam tibi?
Quid deliquit? dixin', ab eo tibi ut caveres, centies?
Bal. Perdidit me. *Sim.* At me viginti commodis mulctavit minis.
Bal. Quid nunc faciam? *Har.* Si mihi argentum dederis, te ſuſpendito.
Bal. Di te perdant! ſequere ſis me ergo hac ad forum, ut ſolvam. *Har.* Sequor.
Bal. Hodie ego peregrinos abſolvam, cras agam cum civibus.
Pſeudolus mihi centuriata habuit capitis comitia,
Qui illum ad me hodie allegavit, mulierem qui abduceret.
Sequere tu. nunc ne exſpectetis, dum hac domum redeam via.
Ita res geſta eſt: angiporta hæc certum eſt conſectarier.
Har. Si graderere tantum, quantum loquere, jam eſſes ad forum.
Bal. Certum 'ſt mihi emortualem facere ex natali die.

ACTUS IV. SCENA VIII.

Simo.

Bene ego illum tetigi! bene autem ſervos inimicum ſuum.
Nunc mihi certum eſt, alio pacto Pſeudolo inſidias dare,
Quam in aliis Comœdiis fit, ubi cum ſtimulis aut flagris
Inſidiantur: at ego jam inultus promam viginti minas,
Quas promiſi, ſi effeciſſet: obviam ei ultro deferam.
Nimis illic mortalis doctus, nimis verſutus, nimis malus.
Superavit Dolum Trojanum atque Ulyſſem Pſeudolus.
Nunc ibo intro, argentum promam: Pſeudolo inſidias dabo.

ACTUS

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

Pſeudolus.

QUid hoc? ſiccine hoc fit? pedes, ſtatin' an non?
An id voltis, ut me hic jacentem aliquis tollat?
Nam hercle ſi cecidero, voſtrum erit flagitium.
Pergitin' pergere? ah, ſæviendum mihi
Hodie eſt. Magnum hoc vitium vino eſt,
Pedes captat primum. luctator dolosu 'ſt.
Profecto edepol ego nunc probe abeo maduſſa:
Ita victu excurato, ita mundiciis digne. ah!
Itaque in loco feſtivo ſumus feſtive accepti.
Quid opus, me multas agere ambages? hoc
Eſt homini, quamobrem vitam amet. hic omnes
Voluptates; in hoc omnes venuſtates ſunt:
Deis proxumum eſſe arbitror. nam ubi amans complexu 'ſt
Amantem, ubi labra ad labella adjungit,
Ubi alter alterum bilingui manifeſto
Inter ſe prehendunt: ubi mamma manicula
Opprimitur alia; aut, ſi lubet, corpora
Conduplicant: manu candida cantharum dulciferum
Propinare amiciſſumam amicitiam: neque ibi eſſe alium alii
Odio, ibi nec moleſtum, nec ſermonibus morologis uti:
Unguenta, atque odores, lemniſcos, corollas dari dapſiles.
Non enim parcipromi victu cetero; ne quis me roget.
Hoc ego modo, atque herus minor hanc diem ſumſimus prothyme,
Poſtquam opus meum, ut volui, omne perpetravi, hoſtibus fugatis:
Illos accubantis, potantis, amantis, cum ſcortis
Reliqui, & meum ſcortum ibidem, cordi atque animo ſuo
Obſequentes. ſed poſtquam exſurrexi, orant med, uti ſaltem.
Ad hunc me modum intuli, ut illis ſatisfacerem ex diſciplina: quippe ego
Qui probe Jonica perdidici. ſed palliolatim amictus
Sic hac inceſſi ludibundus. plaudunt partim: clamitant me, ut revortar.
Occepi denuo hoc modo volvi. idem amicæ dabam me meæ,
Ut me amaret: ubi circumvortor, cado: id fuit nænia ludo.
Itaque dum enitor, pax! jam pæne inquinavi pallium. nimiæ tum
Voluptati edepol fui, ob caſum. datur cantharus: bibi. commuto
Illico pallium, illud poſivi: inde huc exii, crapulam dum amoverem.
Nunc ab hero ad herum meum majorem venio, fœdus commemoratum.
Ape[ri]te, aperite! heus! Simoni me adeſſe, quis nunciate.

ACTUS V. SCENA II.

Simo, Pſeudolus, Ballio.

VOx viri peſſumi me exciet foras. ſed quid hoc? quo modo? quid tu? video ego?
Pſ. Cum corona ebrium Pſeudolum tuum. *Sim.* Libere hercle hoc quidem. ſed vide ſtatum!
Num mea gratia pertimeſcit? magis cogito, ſæviter blanditerne alloquar.
Sed hoc me vetat vim facere nunc, quod fero, ſi qua in hoc ſpes ſita 'ſt mihi.
Pſ. Vir malus viro optumo obviam it. *Sim.* Di te ament, Pſeudole. phui! in malam crucem.
Pſ. Cur ergo me afflictor? *Sim.* Quid tu, malum, ergo in os mihi ebrius irructas?
Pſ. Molliter ſiſte nunc me, cave ne cadam: non vides me, ut madide madeam?
Sim. Quæ iſta hæc audacia eſt, te ſic interdius cum corolla ebrium incedere? *Pſ.* Lubet.
Sim. Quid, lubet? pergin' ructare in os mihi! *Pſ.* Suavis ructus mihi eſt; ſic ſine modo.
Sim. Credo equidem poteſſe te, ſcelus, Maſſici montis uberrumos quatuor
Fructus ebibere in hora una. *Pſ.* Hiberna, addito. *Sim.* Haud male mones:
Sed dic tamen, unde onuſtam celocem agere te prædicem? *Pſ.* Cum tuo filio
Perpotavi modo. ſed, Simo, ut probe tactus Ballio eſt! quæ tibi dixi, ut
Effecta reddidi! *Sim.* Derides? peſſumus homo eſt. *Pſ.* Mulier hæc
Feci cum tuo filio libera accubet. *Sim.* Omnia, ut quidque egiſti ordine,
Scio. *Pſ.* Quid ergo dubitas dare mihi argentum? *Sim.* Jus petis, fateor.
Tene. *Pſ.* At negabas daturum eſſe te mihi, tamen das. onera hunc hominem, atque me
Conſequere hac. *Sim.* Ego iſtum onerem? *Pſ.* Onerabis, ſcio. *Sim.* Quid ego huic homini faciam?
Satin' ultro & argentum aufert, & me irridet? *Pſ.* Væ victis! vorte ergo humerum.
Hem! *Bal.* Hoc ego numquam ratus ſum fore, me ut tibi fierem ſupplex.
Heu heu heu! *Pſ.* Deſine. *Bal.* Doleo. *Pſ.* Ni doleres tu, ego dolerem.
Bal. Quid hoc? auferrene, Pſeudole, abs tuo hero? *Pſ.* Lubentiſſumo corde atque animo.
Bal. Non audes, quæſo, aliquam partem mihi gratiam facere hinc argenti?
Pſ. Novi, me dices avidum eſſe. nam hinc numquam eris nummo divitior.
Neque te mei tergi misereret, ſi hoc non hodie effeciſſem.
Bal. Erit, ubi te ulciſcar, ſi vivo. *Pſ.* Quid minitare? habeo tergum.
Bal. Age ſane. *Pſ.* Igitur redi. *Bal.* Quid redeam? *Pſ.* redi modo; non eris deceptus.
Bal. Redeo. *Pſ.* Simul mecum potatum. *Bal.* Egone eam? *Pſ.* Fac, quod te jubeo.
Si is; aut dimidium, aut plus etiam faxo hinc feres. *Bal.* Eo; duc me, quo vis. *Pſ.* Quid nunc?
Numquid iratus es aut mihi, aut filio, propter has res, Simo? *Sim.* Nihil profecto.
Pſ. I hac. *Bal.* Te ſequor. quin vocas ſpectatores ſimul? *Pſ.* Hercle me iſti

Haud ſolent vocare; neque ergo ego iſtos. verum ſi voltis applaudere
Atque approbare hunc gregem & Fabulam, in craſtinum vos vocabo.

FINIS PSEUDOLI.

PŒNULUS.

Dramatis Perſonæ.

AGORASTOCLES, *adoleſc.*
MILPHIO, *ſervus.*
ADELPHASIUM, *meretrix.*
ANTERASTILIS, *meretrix.*
LYCUS, *leno.*
ANTHEMONIDES, *miles.*
ADVOCATI.
COLLYBISCUS, *villicus.*
SYNCERASTUS, *ſervus.*
HANNO, *Pœnus.*
GIDDENEME, *nutrix.*
PUER.

ARGUMENTUM.

Puer ſeptuennis ſurripitur Carthagine.
Oſor mulierum adoptat hunc emtum ſenex,
Et facit hæredem. ejus pueri *cognatæ duæ,*
Nutrixque earum raptæ. mercatur Lycus,
Vexatque amantem. at ille cum auro villicum
Lenoni obtrudit: ita eum furto alligat.
Venit Hanno Pœnus, gnatum hunc fratris repperit,
Suaſque agnoſcit, quas perdiderat, filias.

PROLOGUS.

Achillem Ariſtarchi mihi commentari lubet.
Inde mihi principium capiam ex ea Tragœdia.
Sileteque & tacete, atque animum advortite;
Audire jubet vos imperator hiſtricus.
Bonoque ut animo ſedeant in ſubſelliis,
Et qui eſurientes, & qui ſaturi venerint.
Qui ediſtis, multo feciſtis ſapientius:
Qui non ediſtis, ſaturi fite fabulis.
Nam cui paratum 'ſt, quod edit; noſtra gratia,
Nimia eſt ſtultitia, ſeſſum impranſum incedere.
Exſurge, præco, fac populo audientiam.
Jamdudum exſpecto, ſi tuum officium ſcias.
Exerce vocem, quam per vivis & colis.
Nam niſi clamabis, tacitum te obrepet fames.
Age nunc reſide, duplicem ut mercedem feras.
Bonum factum 'ſt! edicta ut ſervetis mea.
Scortum exoletum ne quis in proſcenio
Sedeat, neu lictor verbum, aut virgæ muttiant,
Neu diſſignator præter os obambulet,
Neu ſeſſum ducat, dum hiſtrio in ſcena ſiet.
Diu qui domi otioſi dormierunt, decet
Animo æquo nunc ſtent; vel dormire temperent.
Servi ne obſideant, liberis ut ſit locus,
Vel æs pro capite dent: ſi id facere non queunt,
Domum abeant, vitent ancipiti infortunio:
Ne & hic varientur virgis, & loris domi,
Si minus curaſſint, cum veniant heri domum.
Nutrices, pueros infanteis minutulos
Domi ut procurent, neu quæ ſpectatum afferant,
Ne & ipſæ ſitiant, & pueri pereant fame:
Neve eſurientes hic quaſi hædi obvagiant.
Matronæ tacitæ ſpectent, tacitæ rideant,
Canora hic voce ſua tinnire temperent.
Domum ſermones fabulandi conferant,
Ne & hic viris ſint & domi moleſtiæ.
Quodque ad ludorum curatores attinet,
Ne palma detur quoiquam artifici injuria,
Neve ambitionis cauſſa extrudantur foras,
Quo deteriores anteponantur bonis.
Et hoc quoque etiam, quod pæne oblitus ſui,
Dum ludi fiunt, in popinam, pediſequi,
Irruptionem facite; nunc dum occaſio eſt,
Nunc dum ſcribilitæ æſtuant, occurrite.
Hæc imperata quæ ſunt pro imperio hiſtrico,
Bonum hercle factum, pro ſe quiſque ut meminerit.
Ad argumentum nunc viciſſatim volo
Remigrare, æque ut mecum ſitis gnarures.
Ejus nunc regiones, limites, confinia
Determinabo: ei rei ego ſum factus finitor.
Sed niſi moleſtum eſt, nomen dare vobis volo
Comœdiai: ſin odio eſt, dicam tamen:
Siquidem licebit per illos, quibus eſt in manu.
CARCHEDONIUS vocatur hæc Comœdia;
Latine Plautus, PATRUUS PULTIPHAGONIDES.
Nomen jam habetis. nunc rationes ceteras
Accipite: nam argumentum hoc hic cenſebitur.
Locus argumento 'ſt ſuum ſibi proſcenium.
Vos juratores eſtis: quæſo, operam date.
Carthaginenſes fratres patrueles duo
Fuere, ſummo genere & ſummis divitiis:
Eorum alter vivit, alter eſt emortuus.
Propterea apud vos dico confidentius,
Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.
Sed illi ſeni qui mortuus eſt, filius
Unicus qui fuerat, abditivos a patre,
Puer ſeptuennis ſurripitur Carthagine,
Sexennio prius quidem, quam moritur pater.
Quoniam periiſſe ſibi videt gnatum unicum,
Conjicitur ipſe in morbum ex ægritudine.
Facit illum hæredem fratrem patruelem ſuum.
Ipſe abiit ad Acheruntem ſine viatico.
Ille qui ſurripuit puerum, Calydonem avehit.
Vendit eum domino hic diviti cuidam ſeni,
Cupienti liberorum, oſori mulierum.
Emit hoſpitalem is filium imprudens ſenex
Puerum illum, eumque adoptat ſibi pro filio:
Eumque hæredem fecit, cum ipſe obiit diem.
Is illic adoleſcens habitat in illiſce ædibus.
Revortor rurſus denuo Carthaginem:
Si quid mandare voltis aut curarier,
Argentum niſi qui dederit, nugas egerit.
Verum qui dederit, magis majores egerit.
Sed illi patruo hujus, qui vivit ſenex,
Carthaginenſi duæ fuere filiæ;
Altera quinquennis, altera quadrimula.
Cum nutrice una periere. a Megaribus
Eas qui ſurripuit, in Anactorium devehit,
Venditque has omnis, & nutricem, & virgines,
Præſenti argento, homini, ſi leno eſt homo,
Quantum hominum terra ſuſtinet, ſacerrumo.
Voſmet nunc facite conjecturam ceterum,
Quid id ſit hominis, cui Lyco nomen ſiet.
Is ex Anactorio, ubi prius habitaverat,
Huc commigravit in Calydonem haud diu,
Sui quæſti cauſſa. is in illis habitat ædibus.
Earum hic adoleſcens alteram efflictim perit
Suam ſibi cognatam imprudens, neque ſcit, quæ ea

Sit

Sit; neque eam umquam tetigit: ita eum leno macerat.
Neque quidquam cum ea fecit etiamnum ſtupri,
Neque duxit umquam; neque ille voluit mittere.
Quia amare cernit, tangere hominem volt bolo.
Illam minorem in concubinatum ſibi
Volt emere miles quidam, qui illam deperit.
Sed pater illarum Pœnus, poſtquam eas perdidit,
Marique terraque uſquequaque quæritat.
Ubi quamque in urbem eſt ingreſſus, illico
Omnes meretrices, ubi quiſque habitant, invenit:
Dat aurum, ducit noctem: rogitat poſtibi,
Unde ſit, quojatis; captane an ſurrepta ſit,
Quo genere gnata, qui parentes fuerint.
Ita docte atque aſtu filias quærit ſuas.
Et is omnis linguas ſcit: ſed diſſimulat ſciens
Se ſcire. Pœnus plane eſt; quid verbis opu'ſt?
Is heri huc in portum navi venit veſpere.
Pater harunc idem huic patruus adoleſcentulo eſt.
Jamne hoc tenetis? ſi tenetis, ducite.
Cave dirumpatis: quæſo, finite tranſigi.
Ehem! pæne oblitus ſum reliquom dicere.
Ille qui adoptavit hunc pro filio ſibi,
Is illi Pœno hujuſce patri hoſpes fuit.
Is hodie huc veniet, reperietque hic filias;
Et hunc ſui fratris filium, ut quidem didici ego.
Ego ibo, ornabor: vos æquo animo noſcite.
Hic qui hodie veniet, reperiet ſuas filias,
Et hunc ſui fratris filium. dehinc ceterum
Valete, adeſte. ibo: alius nunc fieri volo.
Quod reſtat, reſtant alii, qui faciant palam.
Valete, atque adjuvate, ut vos ſervet Salus.

ACTUS PRIMUS

SCENA I.

Agoraſtocles, Milphio.

SÆpe ego res multas tibi mandavi, Milphio,
Dubias, egenas, inopioſas conſilii,
Quas tu ſapienter, docte, & cordate, & cate
Mihi reddidiſti opiparas opera tua.
Quibus pro benefactis fateor deberi tibi
Et libertatem, & multas grates gratias.
Mil. Scitum 'ſt, per tempus ſi obviam it, verbum vetus.
Nam tuæ blanditiæ mihi ſunt, quod dici ſolet,
Gerræ germanæ, atque edepol liræ liræ.
Nunc mihi blandidicus es; heri in tergo meo
Tris facile corios contriviſti bubulos.
Ag. At amans per amorem ſi quid feci, Milphio,
Ignoſcere id te mihi æquom eſt. *Mil.* Haud vidi magis.
Et nunc ego amore pereo. ſine te verberem,
Item ut tu mihi feciſti, ob nullam noxiam.
Poſt id locorum tu mihi amanti ignoſcito.
Ag. Si tibi lubido eſt aut voluptati, ſino.
Suſpende, vinci, verbera, auctor ſum, ſino.
Mil. Si auctoritatem poſtea defugeris,
Ubi diſſolutus tu ſies, ego pendeam.
Ag. Egone iſtuc auſim facere, præſertim tibi?
Quin ſi feriri video te, extemplo dolet.
Mil. Mihi quidem hercle. *Ag.* Immo mihi. *Mil.* Iſtuc mavelim.
Sed quid nunc tibi vis? *Ag.* Cur ego apud te mentiar?
Amo immodeſte. *Mil.* Meæ iſtuc ſcapulæ ſentiunt.
Ag. At ego hanc vicinam dico Adelphaſium meam,
Lenonis hujus meretricem majuſculam.
Mil. Jampridem equidem iſtuc ex te audivi. *Ag.* Differor
Cupidine ejus, ſed lenone iſtoc Lyco,
Illius domino, non lutum 'ſt lutulentius.
Mil. Vin' tu illi nequam dare nunc? *Ag.* Cupio. *Mil.* en! me dato.
Ag. Abi dierectus. *Mil.* Dic mihi vero ſerio.
Vin' dare malum illi? *Ag.* Cupio. *Mil.* Hem! eumdem me dato.
Utrumque faxo habebit, & nequam, & malum.
Ag. Jocare. *Mil.* Vin' tu illam hodie ſine damno & diſpendio
Tuo tuam libertam facere? *Ag.* Cupio, Milphio.
Mil. Ego faciam, ut facias. ſunt tibi intus aurei
Trecenti nummi Philippi. *Ag.* Sexcenti quoque.
Mil. Satis ſunt trecenti. *Ag.* Quid iis facturus? *Mil.* Tace.
Totum lenonem tibi cum tota familia
Dabo hodie dono. *Ag.* Quid facturus? *Mil.* Jam ſcies.
Tuus Collybiſcus nunc in urbe 'ſt villicus,
Eum hic non novit leno. ſatin' intellegis?
Ag. Intellego hercle, ſed quo evadas neſcio.
Mil. Non ſcis? *Ag.* Non hercle. *Mil.* At ego jam faxo ſcies.
Ei dabitur aurum, ut ad lenonem deferat,
Dicatque ſe peregrinum eſſe ex alio oppido:
Se amare velle, atque obſequi animo ſuo:
Locum ſibi velle liberum præberier,
Ubi nequam faciat clam, ne quis ſit arbiter.
Leno ad ſe accipiet auri cupidus illico:
Celabit hominem, & aurum. *Ag.* Conſilium placet.
Mil. Rogato, ſervos veneritne ad eum tuus.
Ille me cenſebit quæri. continuo tibi
Negabit. quid tu dubitas, quin extempulo
Dupli tibi auri & hominis fur leno fiet?
Neque id unde efficiat, habet. ubi in jus venerit,
Addicet prætor familiam totam tibi.
Ita decipiemus fovea Lenonem Lycum.
Ag. Placet conſilium. *Mil.* Immo etiam, ubi expolivero,
Magis hoc tum demum dices; nunc etiam rude 'ſt.
Ag. Ego in ædem Veneris eo, niſi quid vis, Milphio.
Aphrodiſia hodie ſunt. *Mil.* Scio hoc. *Ag.* Oculos volo
Meos delectare munditiis meretriciis.
Mil. Hoc primum agamus, quod conſilium cœpimus.
Abeamus intro, ut Collybiſcum villicum
Hanc perdoceamus ut ferat fallaciam.
Ag. Quamquam Cupido in corde vorſatur, tamen
Tibi auſcultabo. *Mil.* Faciam, ut facto gaudeas.
Ineſt amoris macula huic homini in pectore,
Sine damno magno quæ elui neutiquam poteſt.
Itaque hic ſceleſtus eſt homo leno Lycus,
Quoi jam infortunii intenta balliſta eſt probe,
Quam ego haud multo poſt mittam e balliſtario.
Sed Adelphaſium eccam exit, atque Anteraſtilis.
Hæc eſt prior, quæ meum herum dementem facit,
Sed evocabo. heus! i foras, Agoraſtocles,
Si vis videre ludos jucundiſſumos.
Ag. Quid iſtuc tumulti 'ſt, Milphio? *Mil.* Hem! amores tuos
Si vis ſpectare. *Ag.* O multa tibi di dent bona!
Cum mihi hoc obtuliſti tam lepidum ſpectaculum.

ACTUS

ACTUS I. SCENA II.

Adelphaſium, Anteraſtilis, Milphio, Agoraſtocles, Ancilla.

NEgotii ſibi qui volet vim parare,
Navem & mulierem, hæc duo comparato.
Nam nullæ magis res duæ plus negotii
Habent, forte ſi occeperis exornare.
Neque umquam ſatis hæ duæ res ornantur,
Neque eis ulla ornandi ſatis ſatietas eſt.
Atque hæc ut loquor, nunc modo docta dico.
Nam nos uſque ab aurora ad hoc quod diei eſt,
Ex induſtria ambæ numquam conceſſavimus
Lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari,
Poliri, expoliri, pingi, fingi: & una
Binæ ſingulis quæ datæ nobis ancillæ,
Eæ nos lavando, eluendo, operam dederunt:
Aggerundaque aqua ſunt viri duo defeſſi.
Apageſis, negotii quantum in muliere una eſt!
Sed vero duæ, ſat ſcio, maxumo uni
Populo, cui lubet, plus ſatis dare potis ſunt.
Quæ noctes dieſque omni in ætate ſemper
Ornantur, lavantur, tergentur, poliuntur.
Poſtremo, modus muliebris nullus eſt,
Neque umquam lavando & fricando ſcimus
Facere * nam quæ lavata eſt, niſi
Perculta eſt, meo quidem animo, quaſi illauta eſt.
Ant. Miror equidem, ſoror, te iſtæc ſic fabulari,
Quæ tam callida & docta ſis & faceta.
Nam cum ſedulo munditer nos habemus,
Vix ægreque amatorculos invenimus.
Ad. Ita eſt. verum hoc unum tamen cogitato:
Modus omnibus in rebus, ſoror, optumum eſt habitu.
Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex ſe.
Ant. Soror, cogita, amabo, item nos perhiberi,
Quaſi ſalſa muriatica eſſe autumantur
Sine omni lepore, & ſine ſuavitate:
Niſi multa aqua uſque & diu macerantur,
Olent, ſalſa ſunt, tangere ut non velis: item nos ſumus
Ejus ſeminis. mulieres ſunt inſulſæ
Admodum, atque invenuſtæ ſine munditia & ſumtu.
Mil. Coqua eſt hæc quidem, Agoraſtocles, ut ego opinor:
Scit, muriatica ut maceret. *Ag.* Quid moleſtus?
Ad. Soror, parce, amabo: ſat eſt iſtuc alios dicere nobis;
Ne noſmet noſtra etiam vitia loquamur.
Ant. Quieſco ergo. *Ad.* Amo te. ſed hoc nunc reſponde mihi:
Sunt hic omnia, quæ ad Deum pacem oportet adeſſe?
Ant. Omnia accuravi. *Ag.* Diem pulchrum, & celebrem & venuſtatis plenum!
Dignum Veneri pol, cui ſunt Aphrodiſia hodie.
Mil. Ecquid gratiæ, cum huc foras te evocavi? num jam
Me decet cado donari vini veteris? dic dari.
Nihil reſpondes? lingua huic excidit, ut ego opinor, quid hic, malum,
Aſtans obſtipuiſti? *Ag.* Sine amem: ne *me* obturba, ac tace.
Mil. Taceo. *Ag.* Si tacuiſſes, jam iſtuc taceo non natum foret.
Ant. Eamus mea ſoror. *Ad.* Eho! amabo, quid illo nunc properas? *Ant.* Rogas?
Quia herus nos apud ædem Veneris mantat. *Ad.* Maneat pol. mane.
Turba eſt nunc apud aram. an te ibi vis inter iſtas vorſarier
Proſedas, piſtorum amicas, reliquias alicarias,
Miſeras, ſchœno delibutas, ſervolicolas ſordidas?
Quæ tibi olant ſtabulum ſtatumque, ſellam & ſeſſibulum merum:
Quas adeo haud quiſquam umquam liber tetigit, neque duxit domum:
Servolorum ſordidulorum ſcorta diobolaria.
Mil. I in malam crucem! tun' audes etiam ſervos ſpernere?
Propudium! quaſi bella ſit, quaſi eampſe reges ductitent.
En monſtrum mulieris! tantilla tanta verba funditat:
Quojus ego vel nebulæ cyatho ſeptem noctes non emam.
Ag. Dii immortales omnipotentes, quid eſt apud vos pulchrius?
Quid habetis, mage qui immortales vos credam eſſe, quam ego ſiem,
Qui hæc tanta oculis bona concipio? nam Venus non eſt Venus.
Hanc equidem Venerem venerabor, me ut amet poſthac propitia.
Milphio, heus! Milphio, ubi es? *Mil.* Aſſum apud te eccum! *Ag.* Ego elixus ſis volo.
Mil. Enimvero, here, facis delicias. *Ag.* De te quidem hæc didici omnia.
Mil. Etiamne ut ames eam, quam numquam tetigeris? nihil illic quidem eſt.
Ag. Deos quoque edepol & amo & metuo, quibus ego tamen abſtineo manus.
Ant. Heu! ecaſtor, cum ornatum aſpicio noſtrum ambarum, pœnitet,
Exornatæ ut ſimus. *Ad.* Immo vero ſane commode.
Nam pro herili & noſtro quæſtu ſatis bene ornatæ ſumus.
Non enim poteſt quæſtus conſiſtere, ſi eum ſumtus ſuperat, ſoror.
Eo illud ſatiu'ſt ſatis, quod ſatis eſt, habitus plus quam ſat eſt.
Ag. Ita me di ament, ut illa me amet malim, quam di, Milphio.
Nam illa mulier lapidem ſilicem ſubigere, ut ſe amet, poteſt.
Mil. Pol id quidem haud mentire. nam tu es lapide ſilice ſtultior,
Qui hanc ames. *Ag.* At vide ſis, cum illa numquam limavi caput.
Mil. Curram igitur aliquo ad piſcinam, aut lacum; limum petam.
Ag. Quid eo opu'ſt? *Mil.* Ego dicam: ut illi & tibi limem caput.
Ag. I in malam rem! *Mil.* Ibi ſum equidem. *Ag.* Pergis? *Mil.* Taceo. *Ag.* At te perpetuo volo.
Mil. Enimvero, here, meo me laceſſis ludo, & delicias facis.
An. Satis nunc lepide ornatam credo, ſoror, te tibi viderier:
Sed ubi exempla conferentur meretricum aliarum, tibi
Erit cordolium, ſi quam ornatam melius forte conſpexeris.
Ad. Invidia in me numquam innata'ſt, neque malitia, mea ſoror.

Bono

Bono ingenio me eſſe ornatam, quam auro multo mavolo.
Aurum in fortuna invenitur, natura ingenium bonum.
Bonum ego quam beatam me eſſe nimio dici mavolo.
Meretricem pudorem gerere magis decet, quam purpuram:
Magiſque meretricem pudorem, quam aurum gerere condecet.
Pulchrum ornatum turpes mores pejus cœno collinunt.
Lepidi mores turpem ornatum facile facti comprobant.
Ag. Eho tu! vin' tu facinus facere lepidum & feſtivom? *Mil.* Volo.
Ag. Poteſne mihi auſcultare? *Mil.* Poſſum. *Ag.* Abi domum, ac ſuſpende te.
Mil. Quamobrem? *Ag.* Quia jam numquam audibis verba tot tam ſuavia.
Quid tibi opu'ſt vixiſſe? auſculta mihi modo, ac ſuſpende te.
Mil. Siquidem tu es mecum futurus pro uva paſſa penſilis.
Ag. At ego amo hanc. *Mil.* At ego eſſe & bibere. *Ad.* Eho tu, quid ais? *An.* Quid rogas?
Ad. Viden' tu, pleni oculi ſordium qui erant, jam ſplendent mihi?
An. Immo etiam in medio oculo paullum ſordis eſt. *Ad.* cedo ſis dexteram.
Ag. Ut tu quidem hujus oculos illotis manibus tractes ac teras?
Ant. Nimia nos ſocordia hodie tenuit. *Ad.* Qua de re, obſecro?
An. Quia jam non dudum ante lucem ad ædem Veneris venimus,
Primæ ut inferremus ignem in aram. *Ad.* Ah! non facto 'ſt opus:
Quæ habent nocturna ora, noctu ſacruficatum ire occupant:
Priuſquam Venus expergiſcatur, prius deproperant ſedulo
Sacruficare. nam vigilante Venere ſi veniant eæ,
Ita ſunt turpes, credo ecaſtor Venerem ipſam e fano fugent.
Ag. Milphio. *Mil.* Edepol Milphionem miſerum! quid nnnc vis tibi?
Ag. Obſecro hercle; ut mulſa loquitur! *Mil.* Nihil niſi laterculos,
Seſamum, papaveremque, triticum, & frictas nuces.
Ag. Ecquid amare videor? *Mil.* Damnum, quod Mercurius minime amat.
Ag. Namque edepol lucrum amare nullum amatorem addecet.
An. Eamus, mea germana. *Ad.* Age ſis ut lubet. ſequere hac. *An.* Sequor.
Ag. Eunt hæ. quid ſi adeamus? *Mil.* Adeas. *Ag.* Primum, prima ſalva ſis:
Et ſecunda tu ſecundo ſalve in pretio: tertia
Salve extra pretium. *Anc.* Tum pol ego & oleum & operam perdidi.
Ag. Quo te agis? *Ad.* Egone? in ædem Veneris. *Ag.* Quid eo? *Ad.* Ut Venerem propitiem.
Ag. Eho! an irata eſt? propitia hercle eſt. vel ego pro illa ſpondeo.
Ad. Quid tu agis? quid mihi moleſtus, obſecro? *Ag.* Ah! tam ſæviter!
Ad. Mitte, amabo. *Ag.* Quid feſtinas? turba nunc illi eſt. *Ad.* Scio.
Sunt illi aliæ, quas ſpectare ego, & me ſpectari volo.
Ag. Qui lubet ſpectare turpes, pulchram ſpectandam dare?
Ad. Quia apud ædem Veneris hodie eſt mercatus meretricius.
Eo conveniunt mercatores: ibi ego me oſtendi volo.
Ag. Invendibili merce oportet ultro emptorem adducere:
Proba merx facile emtorem reperit, tametſi in abſtruſo ſita eſt.
Quid agis tu? quando illi apud me mecum caput & corpus copulas?
Ad. Quo die Orcus ab Acheronte mortuos amiſerit.
Ag. Sunt mihi intus neſcio quot nummi aurei lymphatici.
Ad. Deferto ad me, faxo actutum conſtiterit lymphaticum.
Mil. Bellula hercle! *Ag.* I dierecte in maxumam malam crucem.
Mil. Quam magis aſpecto, tam magis eſt nimbata, & nugæ meræ.
Ad. Segrega ſermonem! tædet. *Ag.* Age, ſuſtolle hoc amiculum.
Ad. Pura ſum: comperce, amabo, me attrectare, Agoraſtocles.
Ag. Quid agam nunc? *Mil.* Si ſapias, curam hanc facere compendi potes.
Ag. Quid ego nunc te curem? quid agis, Milphio? *Mil.* Ecce odium meum.
Quid me vis? *Ag.* Cur mihi hæc irata eſt? *Mil.* Cur hæc irata eſt tibi?
Cur ego id curem? namque iſtæc magis tua eſt curatio.
Ag. Jam hercle tu periſti, niſi illam mihi tam tranquillam facis,
Quam mare eſt olim, cum ibi alcedo pullos educit ſuos.
Mil. Quid faciam? *Ag.* Exora, blandire, expalpa. *Mil.* Faciam ſedulo.
Sed vide ſis, ne tu oratorem hunc pugnis pectas poſtea.
Ag. Non faciam. *Ad.* Nos eamus nunc. etiam morare? male facis.
Bene promittis multa. ex multis omnia incaſſum cadunt.
Liberare juraviſti me haud ſemel, ſed centies.
Dum te exſpecto, neque uſquam aliam mihi paravi copiam:
Neque iſtuc uſquam apparet: ita nunc ſervio nihilo minus.
I, ſoror. abſcede tu a me. *Ag.* Perii, eho! quid agis, Milphio?
Mil. Mea voluptas! meæ deliciæ! mea vita! mea amœnitas!
Meus ocellus! meum labellum! mea ſalus! meum ſavium!
Meum mel! meum cor! mea coloſtra! meus molliculus caſeus!
Ag. Mene ego illæc patiar præſente dici? diſcrucior miſer,
Niſi ego illum jubeo quadrigis curſim ad carnuficem rapi.
Mil. Noli, amabo, ſuccenſere hero meo cauſſa mea.
Ad. Ego faxo: ſine. *Mil.* Irata es nimium. argentum pro te dabit.
Atque te faciet, ut ſis civis Attica atque libera.
Ad. Quin abire ſinis? quid vis tibi? bene volunt, bene vis item. *Mil-*

Mil. Si ante quidem mentitus eſt, nunc jam dehinc erit verax tibi.
Ad. Abſcede hinc ſis, ſycophanta. *Mil.* Pareo. at ſcin' quomodo?
Sine te exorem, ſine te prendam auriculis, ſine dem ſavium.
Jam hercule ego faciam plorantem illum, niſi te facio propitiam.
Atque hic me ne verberet (illud faciet, niſi te propitio)
Male formido: novi ego hujus mores moroſi malos.
Quamobrem, amabo, mea voluptas, ſine te exorarier.
Ag. Non ego homo triboli ſum, niſi ego illi maſtigiæ
Exturbo oculos atque dentes. hem voluptatem tibi!
Hem mel! hem cor! hem labellum! hem ſalutem! hem ſavium!
Mil. Impias, here, te! oratorem verberas. *Ag.* Jam iſtoc magis.
Et jam ocellum addam, & labellum, & linguam. *Mil.* Ecquid facies modi?
Ag. Siccine ego te orare juſſi? *Mil.* Quomodo ergo orem? *Ag.* Rogas?
Sic enim diceres, ſceleſte: Hujus voluptas, te obſecro:
Hujus mel, hujus cor, hujus labellum, hujus lingua, hujus ſavium,
Hujus coloſtra, hujus ſalus amæna, hujus feſtivitas,
Hujus coloſtra, hujus dulciculus caſeus, maſtigia,
Hujus cor, hujus ſtudium, hujus ſavium, maſtigia.
Omnia illa, quæ dicebas tua eſſe, ea memorares mea.
Mil. Obſecro hercle te, voluptas hujus, atque odium meum!
Hujus amica mammeata, mea inimica & malevola!
Oculus hujus, lippitudo mea! mel hujus, fel meum!
Ut tu huic irata ne ſis: aut ſi id fieri non poteſt.
Ad. Capias reſtim, ac te ſuſpendas cum hero & voſtra familia.
Mil. Nam mihi jam video propter te victitandum ſorbilo,
Itaque jam quaſi oſtreatum tergum ulceribus geſtito,
Propter amorem voſtrum. *Ad.* Amabo, men' prohibere poſtulas,
Ne te verberet, magis quam ne mendax me advorſum ſiet?
Ant. Aliquid huic reſponde, amabo, commode; ne incommodus
Nobis ſit. nam detinet nos de noſtro negotio.
Ad. Verum. etiam tibi hanc amittam noxiam unam, Agoraſtocles.
Non ſum irata. *Ag.* Non es? *Ad.* Non ſum. *Ag.* Da ergo, ut credam, ſavium.
Ad. Mox dabo, cum ab re divina rediero. *Ag.* I ergo ſtrenue.
Ad. Sequere me, ſoror. *Ag.* Atque audin' etiam? Veneri dicito
Multam meis verbis ſalutem. *Ad.* Dicam. *Ag.* Atque hoc audi. *Ad.* Quid eſt?
Ag. Paucis verbis rem divinam facito. atque audin'? reſpice.
Reſpexit. idem pol Venerem credo facturam tibi.

ACTUS I. SCENA III.

Agoraſtocles, Milphio.

QUid nunc mihi es auctor, Milphio? *Mil.* Ut me verberes.
Atque auctionem facias: nam impuniſſume
Tibi quidem hercle vendere haſce ædis licet.
Ag. Quid jam? *Mil.* Majorem partem in ore habitas meo.
Ag. Superſede iſtis verbis. *Mil.* Quid nunc vis tibi?
Ag. Trecentos Philippos Collybiſco villico
Dedi dudum, priuſquam me evocaſti foras.
Nunc obſecro te, Milphio, hanc per dexteram,
Perque hanc ſororem lævam, perque oculos tuos,
Perque meos amores, perque Adelphaſium meam,
Perque tuam libertatem. *Mil.* Hem! nunc nihil obſecras.
Ag. Mi Milphidiſce, mea commoditas, mea ſalus,
Fac, quod facturum te eſſe promiſiſti mihi,
Ut ego hunc lenonem perdam. *Mil.* Perfacile id quidem eſt.
I, adduce teſteis tecum: ego intus interim
Jam & ornamentis meis & ſycophantiis
Tuum exornabo villicum: propera atque abi.
Ag. Fugio. *Mil.* Meum eſt iſtuc magis officium, quam tuum.
Ah. Egone? egone? ſi iſtuc lepide effexis! *Mil.* I modo.
Ag. Ut non ego te hodie! *Mil.* Abi modo. *Ag.* emittam manu?
Mil. I modo. *Ag.* Non hercle meream. ah! *Mil.* Vah! abi modo.
Ag. Quantum Acherunte' ſt mortuorum. *Mil.* Etiamne abis?
Ag. Neque quantum aquæ eſt in mari. *Mil.* Abiturusne es?
Ag. Neque nubis quantum. *Mil.* Pergin' pergere?
Ag. Neque ſtellæ in cœlo. *Mil.* Pergin' aures tundere?
Ag. Neque hoc, neque illuc, neque: enim vero ſerio.
Neque hercle vero. quid opus eſt verbis? quippini!
Quod uno verbo dicere hic quidvis licet,
Neque hercle vero ſerio. ſcin' quomodo?
Ita me dii amabunt! vin' bona dicam fide?
Quod hic inter nos liceat. ita me Juppiter!
Scin' quam? vide tu. credin', quod ego fabuler?
Mil. Si nequeo facere, ut abeas, egomet abiero.
Nam iſti quidem hercle orationi Oedipo
Opus conjectore eſt, qui Sphingi interpres fuit.
Ag. Illic hinc iratus abiit. nunc mihi cautio eſt,
Ne meamet culpa meo amori objexim moram.
Ibo atque arceſſam teſteis: quando amor jubet
Meo obedientem *me* eſſe ſervo liberum.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

Lycus, Anthemonides.

DI illum infelicent omnes, qui poſt hunc diem
Leno ullam Veneri umquam immolarit hoſtiam:
Quive ullum turis granum ſacrruficaverit.
Nam ego hodie infelix dis meis iratiſſumis
Sex immolavi agnos: nec potui tamen,
Propitiam Venerem facere uti eſſet mihi.
Quoniam litare nequeo, abii illinc illico
Iratus: vetui exta proſicarier:
Neque ea aſpicere volui. quoniam non bona

Haru-

Haruſpex dixit, deam eſſe indignam credidi.
Eo pacto avaræ Veneri pulchre adii manum.
Quando id, quod ſat erat, ſatis habere noluit,
Ego paulam feci: ſic ago. ſic me decet.
Ego faxo poſthac di deæque ceteri
Contentiores mage erunt, atque avidi minus,
Cum ſcibunt, Veneri ut adierit leno manum.
Condigne haruſpex, non homo trioboli,
Omnibus in extis ajebat portendi mihi
Malum damnumque, & deos eſſe iratos mihi.
Quid ei divini aut humani æquom eſt credere?
Mina mihi argenti dono poſtilla data eſt.
Sed quaeſo! ubinam illic reſtitit miles modo,
Qui hanc mihi donavit? quem ego vocavi ad prandium.
Sed eccum incedit! *Ant.* Ita ut occepi dicere,
Lenulle, de illac pugna pentethronica,
Qua ſexaginta millia hominum uno die
Volaticorum manibus occidi meis.
Lyc. Eh! volaticorum hominum? *Ant.* Ita dico quidem.
Lyc. An obſecro uſquam ſunt homines volatici?
Ant. Fuere; verum ego interfeci. *Lyc.* Quomodo
Potuiſti? *Ant.* Dicam. viſcum legioni dedi,
Fundaſque: eo præſternebant folia farferi.
Lyc. Quoi rei? *Ant.* Ne ad fundas viſcus adhæreſceret.
Lyc. Perge! optume hercle perjuras. quid poſtea?
Ant. In fundas viſci indebant grandiculos globos,
Eo illos volantes juſſi funditarier.
Quid multa verba? quemquem viſco offenderant,
Tam crebri ad terram accidebant quam pira.
Ut quiſque acciderat, eum necabam illico
Per cerebrum pinna ſua ſibi, quaſi turturem.
Lyc. Si hercle iſtuc umquam factum eſt, tum me Juppiter
Faciat, ut ſemper ſacruficem, nec umquam litem.
Ant. An mihi hæc non credis? *Lyc.* Credo, ut mihi eſt æquom credier.
Age eamus intro, dum exta referuntur. *Ant.* Volo
Narrare tibi etiam unam pugnam. *Lyc.* Nihil moror.
Ant. Auſculta. *Lyc.* Non hercle. *Ant.* *Immo* jam elidam caput,
Niſi auſcultas, aut is *hinc* in malam crucem.
Lyc. Malam crucem ibo potius. *Ant.* Certum ne eſt tibi?
Lyc. Certum. *Ant.* Tum tu igitur die bono Aphrodiſiis
Addice tuam mihi meretricem minuſculam.
Lyc. Ita res divina mihi fuit: res ſerias
Omnes extollo ex hoc die in alium diem.
Profecto feſtos habeam decretum eſt mihi.
Nunc hinc eamus intro. ſequere hac me. *Ant.* Sequor.
In hunc diem jam tuus ſum mercenarius.

ACTUS TERRIUS

SCENA I.

Agoraſtocles, Advocati.

ITa me di ament, tardo amico nihil eſt quidquam iniquius,
Præſertim homini amanti; qui quidquid agit, properat omnia.
Sicut ego hos duco advocatos, homines ſpiſſigradiſſumos,
Tardiores quam corbitæ ſunt in tranquillo mari.
Atque equidem hercle dedita opera amicos fugitavi ſenes.
Sciebam ætate tardiores. metui meo amori moram.
Nequidquam hos procos mihi elegi loripedes, tardiſſumos.
Quin ſi ituri eſtis hodie, ite, aut ite hinc in malam crucem.
Siccine oportet ire amicos homini amanti operam datum?
Nam iſte quidem gradus ſuccretu'ſt cribro pollinario,
Niſi cum pedicis condidiciſtis ſic hoc graſſari gradu.
Ad. Heus tu! quamquam nos videmur tibi plebei & pauperes,
Si nec-recte dicis nobis, dives de ſummo loco,
Divitem audacter ſolemus mactare infortunio.
Nec tibi nos obnoxii ſumus iſtuc, quid tu ames aut oderis:
Cum argentum pro capite dedimus, noſtrum dedimus, non tuum.
Liberos nos eſſe oportet: nos te nihili pendimus.
Ne tuo nos amori ſervos tuos eſſe addictos cenſeas.
Liberos homines per urbem modico magis par eſt gradu
Ire. ſervoli eſſe duco feſtinantem currere.
Præſertim in re populi placida, atque interfectis hoſtibus,
Non decet tumultuari. ſed ſi properabas magis,
Pridie nos te advocatos huc duxiſſe oportuit;
Ne tu opinere, haud quiſquam hodie noſtrum curret per vias.
Neque nos populus pro cerritis inſectabit lapidibus.
Ag. At ſi ad prandium me in ædem vos dixiſſem ducere,
Vinceretis cervom curſu, vel clavatorem gradu.
Nunc vos quia mihi advocatos dixi, & teſtes ducere,
Podagroſi eſtis, ac viciſtis cochleam tarditudine.
Ad. An vero non juſta cauſſa eſt, quo curratur celeriter,
Ubi bibas, edas de alieno, quantum velis uſque affatim?
Quod tu invitus numquam reddas domino, de quo ederis.
Sed tamen quomodocumque, quamquam ſumus pauperculi,
Eſt domi, quod edimus: ne nos tam contemtim conteras.
Quidquid eſt pauxillulum illuc noſtrum, illud omne intus eſt:
Neque nos quemquam flagitamus, neque nos quiſquam flagitat.
Tua cauſſa nemo noſtrorum eſt ſuos rupturus ramices.
Ag. Nimis iracundi eſtis! equidem hæc vobis dixi per jocum.
Ad. Per jocum itidem dictum habeto, quæ nos tibi reſpondimus.
Ag. Obſecro hercle operam celocem hanc mihi, ne corbitam date:
Attrepidate ſaltem! nam vos approperare haud poſtulo.
Ad. Si quid tu placide otioſeque agere vis, operam damus:
Si properas; curſores meliu'ſt te advocatos ducere.
Ag. Scitis, rem narravi vobis, quod voſtra opera mihi opus ſiet,
De lenone hoc, qui me amantem ludificatur tam diu,
Ei paratæ ut ſint inſidiæ de auro & de ſervo meo.
Ad. Omnia iſtæc ſcimus jam nos, ſi hi ſpectatores ſciant.

Horunc hic nunc cauſſa hæc agitur ſpectatorum Fabula:
Hos te ſatius eſt docere, ut, quando agas, quid agant, ſciant.
Nos tu ne curaſſis. ſcimus rem omnem: quippe omnes ſimul
Didicimus tecum una, ut reſpondere poſſimus tibi.
Ag. Ita profecto eſt. ſed agite igitur, ut ſciam vos ſcire rem
Expedite, & mihi quæ dudum vobis dixi, dicite.
Ad. Itane tentas an ſciamus? non meminiſſe nos ratus,
Quomodo trecentos Philippos Collybiſco villico
Dederis, quos deferret huc ad lenonem inimicum tuum;
Iſque ſe ut aſſimularet peregrinum eſſe aliunde, ex alio oppido.
Ubi is tetulerit, tu eo quæſitum ſervom adventes tuum
Cum pecunia. *Ag.* Meminiſtis memoriter: ſervaſtis me.
Ad. Ille negabit. Milphionem quæri cenſebit tuum:
Id duplicabit omne furtum. leno addicetur tibi.
Ad eam rem nos eſſe teſtis vis tibi. *Ag.* Tenetis rem.
Ad. Vix quidem hercle, ita pauxilla eſt, digitulis primoribus.
Ag. Hoc cito & curſim eſt agendum. propera jam quantum poteſt.
Ad. Bene vale igitur! te advocatos melius celeris ducere:
Tardi ſumus nos. *Ag.* Optume itis, peſſume hercle dicitis.
Quin etiam deciderint vobis femina in talos velim.
Ad. At edepol nos tibi in lumbos linguam, atque oculos in ſolum.
Ag. Eja! haud voſtrum eſt iracundos eſſe, quod dixi joco.
Ad. Nec tuum quidem eſt, amicis per jocum injuſte loqui.
Ag. Mittite iſtæc: quid velim, vos ſcitis. *Ad.* Callemus probe:
Lenonem perjurum ut perdas, id ſtudes. *Ag.* Tenetis rem.
Ecce opportune egrediuntur Milphio una & villicus.
Baſilice exornatus incedit, & fabre ad fallaciam.

ACTUS III. SCENA II.

Milphio, Collybiſcus, Agoraſtocles, Advocati.

JAm tenes præcepta in corde. *Col.* Pulchre. *Mil.* Vide ſis calleas.
Col. Quid opu'ſt verbis? callum aprugnum callere æque non ſinam.
Mil. Fac modo ut condocta tibi ſint dicta ad hanc fallaciam.
Col. Quin edepol condoctior ſum, quam Tragœdi aut Comici.
Mil. Probus homo es. *Ag.* Adeam propius. aſſunt teſtes. *Mil.* Tot quidem
Non potuiſti adducere homines magis ad hanc rem idoneos.
Nam iſtorum nullus nefaſtu'ſt; comitiales ſunt meri:
Ibi habitant: ibi eos conſpicias, quam Prætorem, ſæpius.
Hodie juris coctiores non ſunt, qui lites creant,
Quam ſunt hi: qui ſi nihil eſt litium, lites ferunt.
Ad. Di te perdant. *Mil.* Vos quidem hercle, commendo, quom, quiqui tamen,
Et bene & benigne facitis; quom hero amanti operam datis.
Sed iſti jam ſciunt, negotii quid ſit? *Ag.* Omnem rem ordine.
Mil. Tum vos animum advortite igitur. hunc vos lenonem Lycum
Noviſtis. *Ad.* Facile. *Col.* At ego pol eum, qua ſit facie, neſcio.
Eum volo mihi demonſtretis hominem. *Ad.* Nos curabimus.
Satis præceptum. *Ag.* Hic trecentos nummos numeratos habet.
Ad. Ergo nos inſpicere oportet iſtuc aurum, Agoraſtocles,
Ut ſciamus, quid dicamus mox pro teſtimonio.
Ag. Agite, inſpicite: aurum eſt. *Col.* Profecto, ſpectatores, Comicum:
Macerato hoc pingues fiunt auro in barbaria boves.
Verum ad hanc rem agundam Philippum eſt. *Ad.* Ita nos aſſimulabimus.
Col. Sed ita aſſimulatote, quaſi ego ſim peregrinus. *Ad.* Scilicet.
Et quidem quaſi tu nobiſcum adveniens hodie oraveris;
Liberum ut commonſtraremus tibi locum, & voluptarium,
Ubi ames, potes, pergræcere. *Mil.* Heu! edepol mortales malos!
Ag. Ego enim docui. *Mil.* Quis te porro? *Col.* Agite, intro abite, Agoraſtocles:
Ne hic vos mecum conſpicetur leno: neu fallaciæ
Præpedimentum objiciatur. *Mil.* Hic homo ſapienter ſapit.
Facite, quod jubet. *Ag.* Abeamus. ſed vos! ſatis dictum'ſt? *Col.* Abi.
Ag. Abeo. quæſo, dii immortales. *Col.* Quin abis? *Ag.* Abeo. *Mil.* Sapis.
Col. St! Tace. *Ad.* Quid eſt? *Col.* Fores hæ fecerunt magnum flagitium modo.
Ad. Quid id eſt flagitii? *Col.* Crepuerunt clare. *Ad.* Di te perduint.
Pone nos recede. *Col.* Fiat. *Ad.* Nos priores ibimus.
Col. Faciunt, ſcurræ quod conſuerunt: pone ſeſe homines locant.
Ad. Illic homo eſt qui egreditur leno. *Col.* Bonus eſt: nam ſimilis malo eſt.
Jam nunc ego illi egredienti ſanguinem exſugam procul.

ACTUS III. SCENA III.

Lycus, Advocati, Collybiſcus.

JAm iſtuc ego revortar, Miles: convivas volo
Reperire nobis commodos, qui una fient:
Interibi attulerint exta: atque eadem mulieres
Jam ab re divina credo apparebunt domi.
Sed quid huc tantum hominum incedunt? ecquidnam afferunt?
Et ille chlamydatus quiſnam eſt, qui ſequitur procul?
Ad. Ætoli cives te ſalutamus, Lyce:
Quamquam hanc ſalutem ferimus inviti tibi;
Et quamquam bene volumus leviter lenonibus.
Lyc. Fortunati omnes ſitis, quod certe ſcio

Nec

Nec fore, nec Fortunam id ſituram fieri.
Ad. Iſtic eſt Theſaurus ſtultis in lingua ſitus,
Ut quæſtui habeant male loqui melioribus.
Lyc. Viam qui neſcit, qua deveniat ad mare,
Eum oportet amnem quærere comitem ſibi.
Ego male loquendi vobis neſcivi viam:
Nunc vos mihi amnes eſtis: vos certum eſt ſequi.
Si benedicetis, voſtra ripa vos ſequar.
Si maledicetis, voſtro gradiar limite.
Ad. Malo benefacere, tantumdem eſt periculum,
Quantum bono malefacere. *Lyc.* Qui vero? *Ad.* Scies.
Malo ſi quid benefacias, id beneficium interit,
Bono ſi quid malefacias, ætatem expetit.
Lyc. Facete dictum: ſed quid iſtuc ad me attinet?
Ad. Quia nos honoris tui cauſſa huc ad te venimus.
Quamquam bene volumus leviter lenonibus.
Lyc. Si quid boni apportatis, habeo gratiam.
Ad. Boni de noſtro tibi nec ferimus, nec damus,
Neque pollicemur, neque adeo volumus datum.
Lyc. Credo hercle vobis; ita voſtra eſt benignitas.
Sed quid nunc voltis? *Ad.* Hunc chlamydatum quem vides,
Ei Mars iratus eſt. *Col.* Capiti voſtro iſtuc quidem.
Ad. Hunc nunc, Lyce, ad te diripiendum adducimus.
Col. Cum præda hic hodie incedet venator domum.
Canes compellunt in plagas lepide Lycum.
Lyc. Quis hic eſt? *Ad.* Neſcimus nos iſtum quidem, qui ſiet.
Niſi dudum a mani ut ad portum proceſſimus,
Atque iſtunc e navi exeuntem oneraria
Videmus. adiit ad nos extemplo exiens,
Salutat: reſpondemus. *Col.* Mortales malos!
Ut ingrediuntur docte in ſycophantiam!
Lyc. Quid deinde? *Ad.* Sermonem nobiſcum ibi copulat.
Ait ſe peregrinum eſſe hujus ignarum oppidi.
Locum ſibi velle liberum præberier,
Ubi nequam faciat. nos hominem ad te adduximus.
Tu, ſi te dii amant, agere tuam rem occaſio eſt.
Lyc. Itane ille eſt cupiens? *Ad.* Aurum habet! *Lyc.* Præda hæc mea eſt.
Ad. Potare, amare volt. *Lyc.* Locum lepidum dabo.
Ad. At enim hic clam furtim eſſe volt, ne qui ſciant,
Neve arbiter ſit; nam hic latro in Sparta fuit,
Ut quidem ipſe nobis dixit, apud regem Attalum.
Inde nunc aufugit; quoniam capitur oppidum.
Col. Nimis lepide de latrone; de Sparta optume.
Lyc. Di deæque vobis multa bona dent, cum mihi
Et bene præcipitis, & bonam prædam datis.
Ad. Immo ut ipſe nobis dixit, quo accures magis,
Trecentos nummos Philippos portat præſidii.
Lyc. Rex ſum, ſi ego illum hodie hominem ad me allexero.
Ad. Quin hic quidem tuus eſt. *Lyc.* Obſecro hercle hortamini,
Ut devortatur ad me in hoſpitium optumum.
Ad. Neque nos hortari, neque dehortari decet
Hominem peregrinum: tuam rem tu ages, ſi ſapis.
Nos tibi palumbem ad aream uſque adduximus:
Nunc te illum melius capere, ſi captum eſſe vis.
Lyc. Jamne itis? *Col.* Quid, quod vobis mandavi, hoſpites?
Ad. Cum illoc te melius tuam rem, adoleſcens, loqui:
Illic eſt ad iſtas res probus, quas quæritas.
Col. Videre equidem vos vellem, cum huic aurum darem.
Ad. Illinc procul nos iſtuc inſpectabimus.
Col. Bonam dediſtis mihi operam. *Lyc.* It ad me lucrum.
Col. Illud quidem, quorſum aſinus cædit calcibus.
Lyc. Blande hominem compellabo. hoſpes hoſpitem
Salutat: ſalvom te advenire gaudeo.
Col. Multa tibi di dent bona, cum me ſalvom eſſe vis.
Lyc. Hoſpitium te ajunt quæritare. *Col.* Quærito.
Lyc. Ita illi dixerunt, qui hinc a me abierunt modo,
Te quæritare a muſcis. *Col.* Minime gentium.
Lyc. Quid ita? *Col.* Quia a muſcis ſi mihi hoſpitium quærerem,
Adveniens huc irem in carcerem recta via:
Ego id quæro hoſpitium, ubi ego curer mollius,
Quam regi Antiocho oculi curari ſolent.
Lyc. Edepol næ tibi poſſum illum feſtivom dare,
Siquidem potes eſſe pati *te* in lepido loco,
In lecto lepide ſtrato, lepidam mulierem
Complexum contrectare te. *Col.* Is leno viam.
Lyc. Ubi tu Leucadio, Lesbio, Thaſio, Coo,
Vetuſtate vino edentulo ætatem irriges:
Ibi te replebo uſque unguentum echeumatis.
Quid multa verba? faciam, ubi tu laveris,
Ibi ut balneator faciat unguentariam.
Sed hæc latrocinantur, quæ ego dixi omnia.
Col. Quid ita? *Lyc.* Quia aurum poſcunt præſentarium.
Col. Quin hercle accipere tu non mavis, quam ego dare.
Ad. Quid ſi evocemus huc foras Agoraſtoclem,
Ut ipſe teſtis ſit ſibi certiſſumus?
Heus tu! qui furem captas, egredere ocyus,
Ut tute inſpectes aurum lenoni dari.

ACTUS III SCENA IV.

Agoraſtocles, Advocati, Collybiſcus, Lycus.

Quid eſt? quid voltis teſtes? *Ad.* Specta ad dexteram.
Tuus ſervos aurum ipſi lenoni datat.
Col. Age, accipe hoc ſis, hic ſunt numerati aurei
Trecenti nummi qui vocantur Philippei.
Hinc me procura: propere hoſce abſumi volo.
Lyc. Edepol feciſti prodigum promum tibi.
Age eamus intro. *Col.* Te ſequor. *Lyc.* Age, age! ambula.
Ibique reliqua alia fabulabimur.
Col. Eadem narrabo tibi res Spartiaticas.
Lyc. Quin ſequere me ergo. *Col.* Abduc intro. addictum tenes.
Ag. Quid nunc mihi auctores eſtis? *Ad.* Ut frugi fies.
Ag. Quid ſi animus eſſe non ſinit? *Ad.* Eſto, ut ſinit.
Ag. Vidiſtis, leno cum aurum accepit? *Ad.* Vidimus.
Ag. Eum vos eſſe meum ſervom ſcitis? *Ad.* Scivimus.
Ag. Rem advorſus populi ſæpe-leges? *Ad.* Scivimus.
Ag. Hem! iſtæc volo ergo vos commeminiſſe omnia,
Mox cum ad Prætorem uſus veniet. *Ad.* Meminerimus.
Ag. Quid ſi recenti re ædeis pultem? *Ad.* Cenſeo.
Ag. Si pultem, non recludet. *Ad.* Panem frangito.
Ag. Si exierit leno, cenſetis hominem interrogem,
Meus ſervos ſi ad eum venerit, nec ne? *Ad.* Quippini?
Ag. Cum auri ducentis nummis Philippis? *Ad.* Quippini?
Ag. Ibi extemplo leno errabit. *Ad.* Qua de re? *Ag.* Rogas?

Quia centum nummis minus dicetur. *Ad.* Bene putas.
Ag. Alium cenſebit quæritari. *Ad.* Scilicet.
Ag. Extemplo denegabit. *Ad.* Juratus quidem.
Ag. Homo furti ſeſe adſtringet. *Ad.* Haud dubium id quidem eſt.
Ag. Quantumquantum ad eum erit delatum. *Ad.* Quippini?
Ag. Dieſpiter vos perduit. *Ad.* Te quippini?
Ag. Ibo & pultabo januam hanc. *Ad.* Ita quippini?
Ag. Tacendi tempus eſt: nam crepuerunt fores.
Foras egredier video lenonem Lycum.
Adeſte, quæſo. *Ad.* Quippini? *quin* ſi voles,
Operire capita, ne nos leno noverit,
Qui illi malæ rei tantæ fuimus illices.

ACTUS III. SCENA V.

Lycus, Agoraſtocles, Advocati.

SUſpendant nunc omnes jam ſe haruſpices.
Quid ego illis poſthac, quod loquantur, creduam?
Qui in re divina dudum dicebant, mihi
Malum damnumque maxumum portendier,
Is explicavi meam rem poſt illa lucro.
Ag. Salvos ſis, leno. *Lyc.* Di te ament, Agoraſtocles.
Ag. Magis me benigne nunc ſalutas, quam antidhac.
Lyc. Tranquillitas evenit, quaſi navi in mari:
Utcumque eſt ventus, exin velum vortitur.
Ag. Valeant apud te, quas volo, atque haud te volo.
Lyc. Valent, ut poſtulatum eſt, verum non tibi.
Ag. Mitte ad me, ſodes, hodie Adelphaſium tuam,
Die feſto celebri nobilique Aphrodiſiis.
Lyc. Calidum prandiſti prandium hodie? dic mihi.
Ag. Quid jam? *Lyc.* Quia os nunc frigefactas, cum rogas.
Ag Hoc ageſis, leno. ſervom eſſe audivi meum
Apud te. *Lyc.* Apud me? numquam factum reperies.
Ag. Mentire. nam ad te venit, aurumque attulit.
Ita mihi renunciatum eſt, quibus credo ſatis.
Lyc. Malus es; captatum me advenis cum teſtibus.
Tuorum apud me nemo eſt, nec quidquam tui.
Ag. Mementote illuc, Advocati! *Ad.* Meminimus.
Lyc. Ha ha he! Jam teneo quid ſit; perſpexi modo.
Hi, qui illum dudum conciliaverunt mihi
Peregrinum Spartanum, id nunc his cerebrum uritur,
Me eſſe hos trecentos Philippos facturum lucri.
Nunc hunc inimicum quia eſſe ſciverunt mihi,
Eum allegaverunt, ſuum qui ſervom diceret
Cum auro eſſe apud me. compoſita eſt fallacia,
Ut eo me privent, atque inter ſe dividant.
Lupo agnum eripere poſtulant, nugas agunt.
Ag. Negaſne apud te eſſe aurum, nec ſervom meum?
Lyc. Nego: & negando, ſi quid refert, ravio.
Ad. Periſti, leno. nam iſte eſt hujus villicus,
Quem tibi nos eſſe Spartiatem diximus,
Qui ad te trecentos modo Philippos detulit.
Idque adeo in iſtoc aurum ineſt marſupio.
Lyc. Væ voſtræ ætati! *Ad.* Id quidem in mundo eſt tuæ.
Ag. Age omitte actutum, furcifer, marſupium:
Manifeſto fur es mihi. quæſo, hercle operam date,
Dum me videatis ſervom ab hoc abducere.
Lyc. Nunc pol ego perii certo, haud arbitrario.
Conſulto hoc factum eſt, mihi ut inſidiæ fierent.
Sed quid ego dubito fugere hinc in malam crucem,
Priuſquam hinc obtorto collo ad prætorem trahor?
Eheu! quam ego habui ariolos haruſpices!
Qui ſi quid boni promittunt, pro ſpiſſo evenit:
Id quod mali promittunt, præſentarium eſt.
Nunc ibo, amicos conſulam, quo me modo
Suſpendere æquom cenſeant potiſſumum.

ACTUS III. SCENA VI.

Agoraſtocles, Collybiſcus, Advocati.

AGe tu progredere, ut teſtes videant te ire iſtinc foras.
Eſtne hic ſervos meus? *Col.* Sum mehercle vero, Agoraſtocles.
Ag. Quid nunc, ſceleſte leno? *Ad.* Quicum litigas,
Abſceſſit. *Ag.* Utinam hinc abierit malam crucem.
Ad. Ita nos velle æquom eſt. *Ag.* Cras ſubſcribam homini dicam.
Col. Numquid me? *Ag.* Abſcedas, ſumas ornatum tuum.
Col. Non ſum nequidquam miles factus: paullulum
Prædæ intus feci. dum lenonis familia
Dormitat, extis ſum ſatur factus probe.
Abſcedam hinc intro. *Ag.* Factum a vobis comiter.
Bonam dediſtis, Advocati, operam mihi.
Cras mane, quæſo, in comitio eſtote obviam.
Tu ſequere me intro. vos valete. *Ad.* Et tu vale.
Injuriam illic inſignite poſtulat:
Noſtro ſervire nos ſibi cenſet cibo.
Verum ita ſunt iſti noſtri divites:
Si quid benefacias, levior pluma eſt gratia:
Si quid peccatum 'ſt, plumbeas iras gerunt.
Domos abeamus noſtras, ſultis, nunc jam:
Quando id, quoi rei operam dedimus, impetravimus,
Ut perderemus corruptorem civium.

ACTUS QUARTUS

SCENA I.

Milphio.

EXſpecto quo pacto meæ technæ proceſſuræ fient.
Studeo hunc lenonem perdere, velut meum herum miſerum macerat.
Is me autem porro verberat, incurſat pugnis, calcibus.
Servire amanti, miſeria eſt; præſertim qui, quod amat, caret.
Attat! e fano recipere video ſe Synceraſtum
Lenonis ſervom: quid habeat ſermonis, auſcultabo.

ACTUS IV. SCENA II.

Synceraſtus, Milphio.

SAtis ſpectatum eſt, deos atque homines ejus negligere gratiam,
Cui homini herus eſt conſimilis, velut ego habeo nunc hujuſmodi.
Neque perjurior, neque pejor alter uſquam eſt gentium,

Quam

Quam herus meus eſt: neque tam luteus, neque tam cœno collitus.
Ita me di ament! vel in lautumiis, vel in piſtrino mavelim
Agere ætatem, præpeditus latera forti ferro *mea*,
Quam apud lenonem hunc ſervitutem colere. quid illuc eſt genus!
Quæ illic hominum corruptelæ fiunt! di voſtram fidem!
Quodvis genus ibi hominum videas, quaſi Acheruntem veneris.
Equitem, peditem, libertinum, furem ac fugitivom velis,
Verberatum, vinctum, addictum: qui habet quod det, *ut*ut homo eſt,
Omnia genera recipiuntur: itaque in totis ædibus
Tenebræ, latebræ: bibitur, eſtur, quaſi in popina, haud ſecus.
Ibi tu videas litteratas fictiles epiſtolas,
Pice ſignatas: nomina inſunt cubitum longis litteris.
Ita vinariorum habemus noſtræ delectum domi.
Mil. Omnia edepol mira ſunt, niſi herus hunc hæredem facit,
Nam is quidem illi ut meditatur, verba facit emortuo.
Et adire lubet hominem, & autem nimis eum auſculto libens.
Sync. Hæc cum hic video fieri, crucior pretiis emtos maxumis,
Apud nos expeculiatos ſervos fieri ſuis heris.
Sed ad poſtremum nihil apparet. male partum, male diſperit.
Mil. Proinde habet hic orationem, quaſi ipſe ſit frugi bonæ,
Qui ipſus hercle ignaviorem potis eſt facere Ignaviam.
Sync. Nunc domum hæc ab æde Veneris refero vaſa, ubi hoſtiis
Herus nequivit propitiare Venerem ſuo feſto die.
Mil. Lepidam Venerem! *Sync.* Nam meretrices noſtræ primis hoſtiis
Venerem placavere extemplo. *Mil.* O lepidam Venerem denuo!
Sync. Nunc domum ibo. *Mil.* Heus! Synceraſte. *Sync.* Syncerastum qui vocat?
Mil. Tuus amicus. *Sync.* Haud amice facis, qui cum onere offeras moram.
Mil. At ob hanc rem tibi reddam operam, ubi voles, ubi juſſeris.
Habe rem pactam. *Sync.* Si futurum eſt, do tibi operam hanc. *Mil.* Quomodo?
Sync. Ut enim ubi mihi vapulandum eſt, tute corium ſuffeeras.
Mil. Apage! *Sync.* neſcio quid viri ſis. *Mil.* malus ſum. *Sync.* Tibi ſis. *Mil.* Te volo.
Sync. At onus urget. *Mil.* At tu appone; & reſpice ad me. *Sync.* Fecero:
Quamquam haud otium eſt. *Mil.* Salvos ſis, Syncerafte. *Sync.* O Milphio,
Di omnes deæque ament. *Mil.* Quemnam hominem? *Sync.* Nec te, nec me, Milphio:
Neque herum meum adeo. *Mil.* Quem ament igitur? *Sync.* Alium quem*libet*.
Nam noſtrum nemo dignus eſt. *Mil.* Lepide loquere. *Sync.* Me decet.
Mil. Quid agis? *Sync.* Facio, quod manifeſto-mœchi haud ferme ſolent.
Mil. Quid id eſt? *Sync.* refero vaſa ſalva. *Mil.* Di te & tuum herum perduint!
Sync. Me non perdent, illum ut perdant. facere poſſim, ſi velim,
Meum herum ut perdant; ni mihi metuam, Milphio. *Mil.* Quid id eſt? cedo.
Sync. Malus es. *Mil.* Malus ſum. *Sync.* Male mihi eſt. *Mil.* Memoradum! eſſe aliter decet.
Quid eſt, quod male ſit? quoi domi eſt, quod edis, quod ames affatim,
Neque triobolum ullum amicæ das; & ductas gratiis.
Sync. Dieſpiter me ſic amabit. *Mil.* Ut quidem edepol dignus es.
Sync. Ut ego hanc familiam interire cupio. *Mil.* Adde operam, ſi cupis.
Sync. Sine pennis volare haud facile'ſt. meæ alæ pennas non habent.
Mil. Nolito edepol develliſſe, jam his duobus menſibus
Volucres tibi erunt tuæ hirquinæ. *Sync.* I in malam rem. *Mil.* Ut itaque herus.
Sync. Verum enim qui homo eum norit, cito homo pervorti poteſt.
Mil. Quid jam? *Sync.* Quaſi tu tacere quidquam potis ſis. *Mil.* Rectius
Tacitus tibi reſiſtam, quam quod dictum eſt malæ mulieri.
Sync. Animum inducam facile, ut tibi iſtuc credam, ni te noverim.
Mil. Crede audacter meo periculo. *Sync.* Male credam & credam tamen.
Mil. Scin' tu herum tuum meo hero eſſe inimicum capitalem? *Sync.* Scio.
Mil. Propter amorem. *Sync.* Omnem operam perdis. *Mil.* Quid jam? *Sync.* Quia doctum doces.
Mil. Quid ergo dubitas, quin lubenter tuo hero meus quod poſſiet
Facere, faciat male, ejus merito? tum autem ſi quid tu adjuvas,
Eo facilius poterit facere. *Sync.* At ego hoc metuo Milphio.
Mil. Quid eſt, quod metuas? *Sync.* Dum hero inſidias parem, ne a te perdeam:
Si herus meus me eſſe locutum cuiquam mortali ſciat,
Continuo is me ex Syncerasto crurifragium fecerit.
Mil. Numquam edepol mortalis quiſquam fiet e me certior,
Niſi hero meo uni indicaſſo, atque ei quoque, ut ne enunciet
Id eſſe facinus ex te ortum. *Sync.* Male credam, & credam tamen.
Sed hoc tu tecum tacitum habeto. *Mil.* Fidei non melius creditur.
Loquere (locus occaſioque eſt) libere: hic ſoli ſumus.
Sync. Herus ſi tuus volet facere frugem, meum herum perdet. *Mil.* Qui id poteſt?
Sync. Facile. *Mil.* Fac ergo id facile noſcam, ut ille poſſit noſcere.
Sync. Quia Adelphaſium, quam herus deamat tuus, ingenua eſt. *Mil.* Quo modo?
Sync. Eodem, quo ſoror illius altera Anteraſtilis. *Mil.* Sed qui id credam? *Sync.* Quia
Illas emit in Anactorio parvolas, duodeviginti minis
De prædone Siculo. *Mil.* Quanti? *Sync.* Duodeviginti minis.
Mil. Duas illas? *Sync.* Nutricem earum tertiam.

Et

Et ille qui eas vendebat, dixit ſe furtivas vendere:
Ingenuas Carthagine ajebat eſſe. *Mil.* Dii voſtram fidem!
Nimium lepidum memoras facinus. nam herus meus Agoraſtocles
Ibidem gnatus, inde ſurreptus fere ſexennis: poſt ibi
Qui eum ſurripuit, huc devexit, meoque hero eum hic vendidit.
Is in divitias homo adoptavit hunc, cum diem obiit ſuum.
Sync. Omnia memoras. quo id facilius fiat, manu eas afferat
Suas populares liberali cauſſa. *Mil.* Tacitus tace modo.
Sync. Profecto ad incitas Lenonem rediget, ſi eas abduxerit.
Mil. Quin prius diſperibit, faxo, quam unam calcem civerit.
Ita paratum eſt. *Sync.* Ita dii faxint, ne apud lenonem hunc ſerviam.
Mil. Quin hercle collibertus meus faxo eris, ſi dii volent.
Sync. Ita dii faxint. numquid aliud vis memorare, Milphio?
Mil. Valeas, beneque ut tibi ſit. *Sync.* Pol iſtuc tibi, & hero tuo eſt in manu.
Vale, & hæc cura, clanculum ut ſint dicta. *Mil.* Non dictum eſt: vale.
Sync. At enim nihil eſt, niſi, dum calet, hoc agitur! *Mil.* Lepidus, cum mones:
Et hoc ita fiet. *Sync.* Proba materies data eſt, ſi probum adhibes fabrum.
Mil. Potin' ut taceas? *Sync.* Taceo, atque abeo. *Mil.* Mihi commoditatem creas.
Illic hinc abiit. dii immortales meum herum ſervatum volunt,
Et hunc diſperditum lenonem: tantum eum inſtat exitii.
Satine, priuſquam unum eſt injectum telum, tum inſtat alterum!
Ibo intro, hæc ut meo hero memorem. nam huc ſi ante ædes ſevocem,
Quæque audiviſtis modo, nunc ſi eadem hic iterem, inſcitia 'ſt.
Hero uni potius intus ero odio, quam hic ſim vobis omnibus.
Di immortales, *quid malorum*, quanta advenit calamitas
Hodie ad hunc lenonem! ſed ego nunc eſt cum me moror.
Id negotium inſtitutum eſt, non datur ceſſatio.
Nam & hoc nocte conſulendum, quod modo concreditum 'ſt,
Et illud autem inſerviendum 'ſt conſilium vernaculum.
Remora ſi ſit, qui malam rem mihi det, merito fecerit.
Nunc intro ibo: dum herus adveniat a foro, opperiar domi.

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

Hanno-Pœnus loquitur Punice.
(*ex emendatione Bocharti*, *&* *Petiti*.)

N'Yth alonim valonuth ſicorath jiſmacon ſith,
Chy-mlachai jythmu; mitslia mittebariim iſchi.
Liphocaneth yth beni ith jad adi ubi nuthai.
Birua rob ſyllohom alonim vbymiſyrtohom.
Bytlym moth ynot othi helech Antidamarchon,
Ys ſideli; Brim tyfel yth chili ſchontem Liphul.
Vth bin imys dibur thim nocuth nu' Agoraſtocles.
Ythem aneti hy chyr ſaely choc; ſith naſo.
Binni id chi lubilli gubylim laſibit thym.
Body aly thera ynn' ynnu' yſl' im moncor lu ſim.
Et alonim valonoth: ſeccarati miſti attic, umaſſe,
Conco biti miabel lo cuti nibe ani: lo laccu tchina, anus is.
Hoi ceſi, lec po, naſſe athid amas, con al emun diber teſelon, ob, uthume:
Cel tum: com ucra: lu enu: & oni manu oſe: ubar banthy ach Ariſtoclem.
At, aſſena china ſoth, el iaeli, coſa lemun diber termi, cai: upſu aſpoti:
Eod eanec lictor bo deſi aſſam limnim coles.
Deos deaſque veneror, qui hanc urbem colunt,
Ut, quod de mea re huc veni, rite venerim.
Meaſque ut gnatas, & mei fratris filium
Reperire me ſiritis: dii voſtram fidem!
Quæ mihi ſurreptæ ſunt, & fratris filium.
Sed hic mihi antehac hoſpes Antidamas fuit.
Eum feciſſe ajunt, ſibi quod faciundum fuit.
Ejus filium hic prædicant eſſe Agoraſtoclem:
Deum hoſpitalem ac teſſeram mecum fero:
In hiſce habitare monſtratu 'ſt regionibus.
Hos percontabor, qui huc egrediuntur foras.

ACTUS V. SCENA II.

Agoraſtocles, *Milphio*, *Hanno*.

AIn' tu tibi dixe Synceraſtum, Milphio,
Has eſſe ingenuas ambas ſurrepticias
Carthaginenſis? *Mil.* Ajo: &, ſi frugi eſſe vis,
Eas liberali jam aſſeres cauſſa manu.
Nam tuum flagitium 'ſt tuas populareis te pati
Servire ante oculos, domi quæ fuerint liberæ.
Han. Pro di immortales, obſecro voſtram fidem!
Creta eſt profecto horum hominum oratio.
Quam orationem hanc aures dulcem devorant!
Ut mihi abſterſerunt omnem ſorditudinem!
Ag. Si ad eam rem teſtis habeam, faciam, quod jubes.
Mil. Quid tu mihi teſtis? quin tu inſiſtis fortiter?
Aliqua fortuna fuerit adjutrix tibi.
Ag. Incipere multo eſt, quam impetrare, facilius.
Mil. Sed quænam illæc avis eſt, quæ huc cum tunicis advenit?
Numnam it a balneis circumductus pallio?
Facies quidem edepol *Punica eſt*. ***
Servos quidem edepol veteres antiquoſque habet.

Ag.

Ag. Qui ſcis? *Mil.* Viden' homines ſarcinatos conſequi?
Atque, ut opinor, digitos in manibus non habent.
Ag. Quid jam? *Mil.* Quia incedunt cum annulatis auribus.
Adibo hoſce, atque appellabo Punice.
Si reſpondebunt, Punice pergam loqui:
Si non: tum ad horum mores linguam vertero.
Quid ais tu? ecquid commeminiſti Punice?
Ag. Nihil edepol. nam qui ſcire potui, dic mihi,
Qui illinc ſexennis perierim Carthagine?
Han. Pro di immortales! plurimi ad hunc modum
Periere pueri liberi Carthagine.
Mil. Quid ais tu? *Ag.* Quid vis? *Mil.* Vin' appellem hunc Punice?
Ag. An ſcis? *Mil.* Nullus me eſt hodie Pœnus Punior.
Ag. Adi, atque appella, quid velit, quid venerit,
Qui ſit, quojatis, unde ſit: ne parſeris.
Mil. Avo! quojates eſtis? aut quo ex oppido?
Han. Hanno muthumballe bechaedreanech.
Ag. Quid ait? *Mil.* Hannonem ſeſe ait Carthagine?
Carthaginienſem Muthumballis filium.
Han. Avo! *Mil.* Salutat. *Han.* Donni! *Mil.* Doni volt tibi
Dare hinc neſcio quid. audin' pollicerier?
Ag. Saluta hunc rurſus Punice verbis meis.
Mil. Avo donni, hic mihi tibi inquit verbis ſuis.
Han. Me bar bocca. *Mil.* Iſtuc tibi ſit potius, quam mihi!
Ag. Quid ait? *Mil.* Miſeram eſſe prædicat buccam ſibi.
Fortaſſe medicos nos eſſe arbitrarier.
Ag. Si *ita* eſt, nega eſſe: nolo ego errare hoſpitem.
Mil. Audi tu, rufen nuco iſtam. *Ag.* Sic volo
Profecto vera cuncta huic expedirier.
Roga, numquid opus ſit. *Mil.* Tu qui zonam non habes,
Quid in hanc veniſtis urbem, aut quid quæritis?
Han. Muphurſa. *Ag.* Quid ait? *Han.* Mivulechianna. *Ag.* Quid venit?
Mil. Non audis? mures Africanos prædicat
In pompam ludis dare velle ædilibus.
Han. Laech lachananim limi nichot. *Ag.* Quid nunc ait?
Mil. Ligulas canalis ait ſe advexiſſe & nuces:
Nunc orat, operam ut des ſibi, ut ea veneant.
Ag. Mercator credo eſt. *Han.* Iſam aruinam. *Ag.* Quid eſt?
Han. Palum erga dectha, *Ag.* Milphio, quid nunc ait?
Mil. Palas vendundas ſibi ait, & mergas datas,
Ut hortum fodiat, atque ut frumentum metat.
Ad meſſim credo miſſus hic quidem tuam.
Ag. Quid iſtuc ad me? *Mil.* Certiorem te eſſe volui,
Ne quid clam furtive accepiſſe cenſeas.
Han. Muphonnium ſucorahim. *Mil.* Hem! cave ſi feceris,
Quod hic te orat. *Ag.* Quid ait, aut quid orat? expedi.
Mil. Sub cratim uti jubeas ſeſe ſupponi, atque eo
Lapides imponi multos, ut ſeſe neces.
Han. Gubenel balſamenieraſan. *Ag.* Narra, quid eſt?
Quid ait? *Mil.* Non hercle nunc quidem quidquam ſcio.
Han. At ut ſcias nunc, dehinc Latine jam loquar.
Servom hercle te eſſe oportet & nequam & malum,
Hominem peregrinum atque advenam qui irrideas.
Mil. At hercle te hominem & ſycophantam, & ſubdolum,
Qui huc adveniſti nos captatum migdilybs,
Biſulcilingua, quaſi proſerpens beſtia.
Ag. Maledicta hinc aufer: linguam compeſcas face.
Maledicere huic tu temperabis, ſi ſapis.
Meis conſanguineis nolo te injuſte loqui.
Carthagini ego ſum natus, ut tu ſis ſciens.
Han. O mi popularis, ſalve! *Ag.* Et tu Edepol, quiſquis es.
Et ſi quid opus eſt, quæſo, dic; atque impera,
Popularitatis cauſſa. *Han.* Habeo gratiam.
Verum ego hic hoſpitium habeo: Antidamæ filium
Quæro. commonſtra, ſi noviſti Agoraſtoclem.
Ecquem adoleſcentem tu hic noviſti, Agoraſtoclem?
Ag. Siquidem Antidamarchi quæris adoptaticium,
Ego ſum ipſus, quem tu quæris. *Han.* Hem! quid ego audio?
Ag. Antidamæ gnatum me eſſe. *Han.* Si ita eſt, teſſeram
Conferre ſi vis hoſpitalem, eccam, attuli.
Ag. Agedum huc oſtende. eſt par probe: nam habeo domi.
Han. O mi hoſpes, ſalve multum! nam mihi tuus pater,
Pater tuus ergo, hoſpes Antidamas fuit:
Hæc mihi hoſpitalis teſſera cum illo fuit.
Ag. Ergo hic apud me hoſpitium tibi præbebitur.
Nam haud repudio hoſpitium, neque Carthaginem:
Inde ſum oriundus. *Han.* Di dent tibi omnes, quæ velis.
Quid ais? qui potuit fieri, ut Carthagini
Gnatus ſis, hic autem habuiſti Ætolum patrem?
Ag. Surreptus ſum illinc. hic me Antidamas hoſpes tuus
Emit, & is me ſibi adoptavit filium.
Han. Demarcho item ipſe fuit adoptaticius.
Sed mitto de illo, & ad te redeo. dic mihi,
Ecquid meminiſti tuum parentum nomina?
Ag. Patris atque matris memini. *Han.* Memoradum mihi:
Si novi forte, aut ſi ſunt cognati mihi.
Ag. Ampſigura mater mihi fuit, Jachon pater.
Han. Patrem atque matrem viverent vellem tibi!
Ag. An mortui ſunt? *Han.* Factum; quod ægre tuli.
Nam mihi ſobrina Ampſigura tua mater fuit.
Pater tuus is erat frater patruelis meus,
Et is me hæredem fecit, cum ſuum obiit diem,
Quo me privatum ægre patior mortuo.
Sed ſi ita eſt, ut tu ſis Jachonis filius,
Signum eſſe oportet in manu læva tibi,
Ludenti puero quod momordit ſimia.
Oſtende, ut inſpiciam. aperi. *Ag.* Vide. eccum adeſt.
Mi patrue, ſalve. *Han.* Et tu ſalveto, Agoraſtocles.
Iterum mihi gnatus videor, quia te repperi.
Mil. Pol iſtam rem vobis bene eveniſſe gaudeo.
Et te moneri numne vis? *Han.* Sane volo.
Mil. Paterna oportet reddi filio bona.
Æquom eſt habere hunc bona, quæ poſſedit pater.
Han. Haud poſtulo aliter: reſtituentur omnia:
Suam rem ſibi ſalvam ſiſtam, ſi illo advenerit.
Mil. Facito ſis reddas, etſi hic habitabit tamen.
Han. Quin mea quoque iſte habebit, ſi quid me fuat.
Mil. Feſtivom facinus venit mihi in mentem modo.
Han. Quid id eſt? *Mil.* Tua eſt opus opera. *Han.* Dic mihi, quid lubet?
Profecto uteris, ut voles, operam meam.
Quid

Quid eſt negotii? *Mil.* Potin' tu fieri ſubdolus?
Han. Inimico poſſum. amico inſipientia eſt.
Mil. Inimicus hercle eſt hujus. *Han.* Male ſaxim lubens.
Mil. Amat a lenone hic. *Han.* Facere ſapienter puto.
Mil. Leno hic habitat vicinus. *Han.* Male ſaxim lubens.
Mil. Ei duæ puellæ ſunt meretrices ſervolæ
Sorores: earum hic alteram efflictim perit.
Neque eam incestavit umquam. *Han.* Acerba amatio eſt.
Mil. Nunc leno ludificatur. *Han.* Suum quæſtum colit.
Mil. Hic illi malam rem dare volt. *Han.* Frugi, ſi id facit.
Mil. Nunc hoc conſilium capio, & hanc fabricam apparo.
Ut te allegemus: filias dicas tuas,
Surreptaſque eſſe parvolas Carthagine,
Manuque liberali cauſſa ambas aſſeras,
Quaſi filiæ tuæ ſint ambæ. intellegis?
Han. Intellego hercle. nam mihi item gnatæ duæ
Cum nutrice una ſurreptæ ſunt parvolæ.
Mil. Lepide hercle aſſimulas! jam in principio id mihi placet.
Han. Pol magis, quam vellem. *Mil.* Heu! hercle mortalem catum,
Malum, crudumque & callidum atque ſubdolum!
Ut afflet! quo illud geſtu faciat facilius.
Me quoque dolis jam ſuperat architectonem.
Han. Sed earum nutrix, qua ſit facie, mihi expedi.
Mil. Statura haud magna, corpore aquilo. *Han.* Ipſa ea 'ſt.
Mil. Specie venuſta, ore parvo, atque oculis pernigris.
Han. Formam quidem hercle verbis depinxti mihi.
Mil. Vin' eam videre? *Han.* Filias malo meas.
Sed i, atque evoca illam: ſi eæ meæ ſunt filiæ:
Si illarum eſt nutrix, me continuo novit.
Mil. Heus! ecquis hic eſt? nuntiate, ut prodeat
Foras Giddeneme: eſt, qui illam conventam eſſe volt.

ACTUS V. SCENA III.

Giddeneme, Milphio, Hanno, Agoraſtocles, Puer.

QUis pultat? *Mil.* Qui te proxumus eſt. *Gid.* Quid vis? *Mil.* Eho,
Noviſtin' tu illunc tunicatum hominem, qui ſiet?
Gid. Nam quem ego aſpicio! pro ſupreme Juppiter!
Herus meus hic quidem eſt, mearum alumnarum pater,
Hanno Carthaginienſis. *Mil.* Ecce autem mala!
Præſtigiator hic quidem Pœnus probus eſt,
Perduxit omnis ad ſuam ſententiam.
Gid. O mi here, ſalve! Hanno, inſperatiſſume
Mihi tuiſque filiis, ſalve. atque eho!
Mirari noli, neque me contemplarier.
Cognoſtin' Giddenemen ancillam tuam?
Han. Novi. ſed ubi ſunt meæ gnatæ? id ſcire expeto.
Gid. Apud ædem Veneris. *Han.* Quid ibi faciunt? dic mihi.
Gid. Aphrodiſia hodie Veneris eſt feſtus dies:
Oratum ierunt deam, ut ſibi eſſet propitia.
Mil. Pol ſatis ſcio impetrarunt, quando hic hic adeſt.
Ag. Eho an hujus ſunt illæ filiæ? *Gid.* Ita, ut prædicas.
Tua pietas nobis plane auxilio fuit,
Cum huc adveniſti hodie in ipſo tempore,
Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerentque indignum genere quæſtum corpore.
Puer. Handones illi havon bene ſi illi in muſtine.
Gid. Me ipſi & eneſte dum & alamna ceſtinum.
Ag. Quid illi locuti ſunt inter ſe? dic mihi.
Mil. Matrem ſalutat hic ſuam, hæc autem hunc filium.
Han. Tace atque parce muliebri ſupellectili.
Ag. Quæ ea eſt ſupellex? *Han.* Clarus clamor ſine modo.
Tu abduc hos intro, & una nutricem ſimul
Jube abire hanc ad te. *Ag.* Fac, quod imperat.
Mil. Sed quis illas tibi monſtrabit? *Ag.* Ego doctiſſume.
Mil. Abeo igitur. *Ag.* Facias modo, quam memores, mavelim.
Patruo advenienti cœna curetur volo.
Mil. Lachanam vos! quos ego jam detrudam ad molas,
Inde porro ad puteum, atque ad robuſtum codicem.
Ego ſaxo hoſpitium hoc leviter laudabitis.
Ag. Audin' tu, patrue? dico, ne dictum neges:
Tuam mihi majorem filiam deſpondeas.
Han. Pactam rem habeto. *Ag.* Spondeſne igitur? *Han.* Spondeo.
Ag. Mi patrue, ſalve! nam nunc es plane meus.
Nunc demum ego cum illa fabulabor libere.
Nunc, patrue, ſi vis tuas videre filias,
Me ſequere. *Han.* Jamdudum equidem cupio, & te ſequor.
Ag. Quid ſi eamus illis obviam? *Han.* At ne inter vias
Præterbitamus, metuo. magne Juppiter,
Reſtitue certas mihi ex incertis nunc opes.
Ag. Ego quidem meos amores mecum confido fore.
Sed eccas video ipſas. *Han.* Hæccine ſunt meæ filiæ!
Quantæ e quantillis jam ſunt factæ! *Ag.* Scin' quid eſt?
Græcæ ſunt hæ columnæ; ſuſtolli ſolent.
Mil. Opinor hercle hodie quod ego dixi per jocum,
Id eventurum eſſe & ſeverum & ſerium,
Ut hæc inveniantur hodie eſſe hujus filiæ.
Ag. Pol iſtud quidem jam certum eſt. tu iſtos, Milphio,
Abduce intro: nos haſce hic præſtolabimur.

ACTUS V. SCENA IV.

Anteraſtilis, Adelphaſium, Agoraſtocles. Hanno-Pœnus.

FUit hodie operæ pretium ejus, qui amabilitati animum adjiceret,
Oculis epulas dare, delubrum qui hodie ornatum eo viſere venit.
Deamavi ecaſtor illic ego hodie lepidiſſuma munera meretricum,
Digna diva venuſtiſſuma Venere: neque contemſi ejus opus hodie,
Tanta ibi copia venuſtatum aderat, in ſuo quæque loco ſita munde.
Arabius murrhinuſque omnis odor complebat. haud ſordere viſus eſt
Feſtus dies, Venus, nec tuum fanum: tantus ibi clientarum erat numerus,
Quæ ad Calydoniam venerant Venerem. certo enim, quod quidem ad nos duas
Attinuit, præpotentes, pulchræ, paciſque potentes, ſoror, ſumus:
Neque ab juventute ibi irridiculo habitæ: quod pol, ſoror, ceteris omnibus factum eſt.

Ad.

Ad. Malim iſtuc aliis ita videatur, quam uti tu te, ſoror, collaudes. *Ant.* Spero equidem.
Ad. Et pol ego; cum, ingenuis quibus ſumus atque aliæ, cognoſco.
Eo ſumus gnatæ genere, ut deceat nos eſſe a culpa caſtas.
Han. Juppiter, qui genus colis aliſque hominum, per quem vivimus vitalem ævom,
Quem penes ſpes vitæ ſunt hominum omnium, da diem hunc ſoſpitem, quæſo,
Rebus meis agundis: quibus annos multos carui, quaſque e patria
Perdidi parvas, redde his libertatem: invictæ præmium ut eſſe ſciam pietati.
Ag. Omnia faciet Juppiter faxo. nam mihi eſt obnoxius, & me metuit.
Han. Tace quæſo. *Ag.* Ne lacruma, patrue.
Ant. Ut volupe 'ſt homini, mea ſoror, ſi quod agit, cluet victoria!
Sicut hodie nos inter alias præſtitimus pulchritudine.
Ad. Stulta, ſoror, es magis, quam volo. an vero pulchra videre, obſecro,
Si tibi illic non os oblitum eſt fuligine?
Ag. O patrue, o patrue mi patruiſſume!
Han. Quid eſt, fratris mei gnate? mi gnate, quid vis? expedi.
Ag. At enim volo hoc agas. *Han.* At enim ago iſtuc. *Ag.* Patrue mi patruiſſume.
Han. Quid eſt? *Ag.* Eſt lepida & lauta: ut ſapit!
Han. Ingenium patris habet, quod ſapit.
Ag. Quæ res? jam diu edepol ſapientiam tuam abuſa eſt hæc quidem.
Nunc hinc ſapit, hinc ſentit: quidquid ſapit, amore meo *ſapit*.
Ad. Non eo ſumus genere prognatæ, tametſi ſumus ſervæ, ſoror,
Ut deceat facere nos quidquam, quod homo quiſquam irrideat.
Multa ſunt mulierum vitia: ſed hoc e multis maxumum eſt,
Cum ſibi nimis placent, nimiſque operam *dant* ut placeant viris.
Ant. Nimiæ voluptati eſt, quod in extis noſtris portentum eſt, ſoror,
Quodque haruſpex de ambabus dixit. *Ag.* Velim de me aliquid dixerit.
Ant. Nos fore invito domino noſtro diebus paucis liberas,
Id ego niſi quid di aut parentes faxint, quid ſperem, haud ſcio.
Ag. Mea fiducia hercle haruſpex, patrue, his promiſit, ſcio,
Libertatem, quia me amare hanc ſcit. *Ad.* Soror, ſequere hac. *Ant.* Sequor.
Han. Priuſquam abitis, vos volo ambas, niſi piget, conſiſtite.
Ad. Quis revocat? *Ag.* Qui bene volt vobis facere. *Ad.* Facere occaſio eſt.
Sed quis homo eſt? *Ag.* Amicus vobis. *Ad.* Qui quidem non inimicus eſt.
Ag. Bonus eſt hic homo, mea voluptas. *Ad.* Pol iſtum malim, quam malum.
Ag. Siquidem amicitia eſt habenda, cum hoc habenda eſt. *Ad.* Haud precor.
Ag. Multa bona vobis facere volt. *Ad.* Bonus bonis beneſeceris.
Han. Gaudio ero vobis. *Ad.* At edepol nos voluptati tibi.
Han. Libertatique. *Ad.* Iſto pretio tuas nos facile feceris.
Ag. Patrue mi, ita me di amabunt, ut ego, ſi ſim Juppiter,
Jam hercle ego illam uxorem ducam, & Junonem extrudam foras.
Ut pudice verba fecit! cogitate, & commode!
Ut modeſte orationem præbuit! certo hæc mea eſt.
Han. Sed ut aſtu ſum aggreſſus ad eas! *Ag.* Lepide hercle atque commode.
Han. Pergo etiam tentare? *Ag.* In pauca confer: ſitiunt qui ſedent.
Han. Quid iſtic, quod faciundum eſt, cur non agimus? in jus vos voco.
Ag. Nunc tene, patrue. *Han.* Tu, frugi ſi bonæ es. *Ag.* Vin' ego hanc apprehendam? *Han.* Tene.
Ad. An patruus eſt, Agoraſtocles, tuus hic? *Ag.* Jam faxo ſcibis.
Nunc pol ego te ulciſcar probe; nam faxo mea eris ſponſa.
Han. Ite in jus, ne moramini. *Ant.* Anteſtare me, atque duce.
Ag. Ego te anteſtabor. poſtea hanc amabo, atque amplexabo:
Sed illud quidem volui dicere, immo dixi hercle, quod volebam.
Han. Moramini: in jus vos voco, niſi honeſtiu 'ſt prehendi.
Ad. Quid in jus vocas nos? quid tibi debemus? *Ag.* Dice tu illi.
Ad. Etiam me meæ latrant canes? *Ag.* At tu hercle alludiato:
Dato mihi pro offa ſavium, pro oſſe linguam objicito:
Ita hanc canem faciam tibi oleo tranquilliorem.
Han. Ite, ſi itis. *Ad.* Quid nos fecimus tibi? *Han.* Fures eſtis ambæ.
Ad. Noſne tibi? *Han.* Vos, inquam. *Ag.* Atque ego ſcio. *Ad.* Quid furti eſt id? *Ag.* Hunc rogato.
Han. Quia annos multos filias meas celaviſtis clam me:
Atque equidem ingenuas, liberas, ſummoque genere gnatas.
Ad. Numquam mecaſtor reperies tu iſtuc probrum penes nos.
Ag. Da pignus, ni nunc perjures, in ſavium, uter utri det.
Ad. Nihil tecum ago, abſcede obſecro. *Ag.* Atque hercle mecum agendum eſt.
Nam hic patruus meus eſt: pro hoc mihi patronus ſim neceſſe eſt.
Ei prædicabo, quomodo vos furta faciatis multa:
Quoque modo hujuſce filias apud vos habeatis ſervas,
Quas vos ex patria liberas ſurreptas eſſe ſcitis.
Ad. Ubi ſunt eæ? aut quæ ſunt, obſecro? *Ag.* Satis ſunt maceratæ.
Han. Quin eloquar. *Ag.* Cenſeo hercle, patrue. *Ad.* Miſera timeo, quid
Hoc ſit negotii, mea ſoror! ita ſtupida ſine animo aſto.
Han. Advortite animum, mulieres: primum, ſi id fieri poſſit,
Ne indigna indignis di darent, id ego evenire vellem:
Nunc quod boni mihi di dant, vobis voſtræque matri,

Eas dis eſt æquom gratias nos agere ſempiternas,
Cum noſtram pietatem approbant decorantque di immortales.
Vos meæ eſtis ambæ filiæ: & hic eſt cognatus voſter:
Hujuſce fratris filius, Agoraſtocles. *Ad.* Amabo,
Num hi falſo oblectant gaudio nos? *Ag.* At me ita dii ſervent,
Ut hic pater eſt voſter. date manus. *Ad.* Salve, inſperate nobis
Pater: te complecti nos ſine. *Han.* Cupitæ atque exſpectatæ.
Ant. Pater, ſalve: ambæ filiæ ſumus: amplectamur ambæ.
Ag. Quis me amplectetur poſtea? *Han.* Nunc ego ſum fortunatus:
Multorum annorum miſerias nunc hac voluptate ſedo.
Ad. Vix hoc videamur credere. *Han.* Magis qui credatis dicam:
Nam voſtra nutrix primum me cognovit. *Ad.* Ubi ea, amabo, eſt?
Han. Apud hunc eſt. *Ag.* Quæſo, qui lubet tam diu tenere collum,
Priuſquam te mihi deſponderit? *Ad.* Omitto. *Ag.* Sperata, ſalve. *Ad.* Omitte
Salutem. *Ag.* Et tu altera. *Ant.* Nolo ego iſtuc: enicas me.
Han. Condamus alter alterum ergo in nervom brachialem.
Quibus nunc in terra melius eſt? *Ag.* Eveniunt digna dignis.
Tandem huic cupitum contigit. o Apella, o Zeuxis pictor!
Cur numero eſtis mortui? hinc exemplum ut pingeretis.
Nam alios pictores nihil moror hujuſmodi tractare exempla.
Han. Di deæque omnes, vobis habeo merito magnas gratias,
Cum hac me lætitia tanta & tantis affeciſtis gaudiis,
Ut meæ gnatæ ad me redirent in poteſtatem meam.
Ad. Mi pater, tua pietas plane nobis auxilio fuit.
Ag. Patrue, facito in memoriam habeas, tuam majorem filiam
Mihi te deſpondiſſe. *Han.* Memini. *Ag.* Et dotis quid promiſeris.

ACTUS V. SCENA V.

Anthemonides, Adelphaſium, Anteraſtilis, Hanno, Agoraſtocles.

SI ego minam non ultus fuero probe, quam lenoni dedi,
Tum profecto me ſibi habento ſcurræ ludificatui.
Is etiam me ad prandium ad ſe adduxit ignaviſſumus,
Ipſe abiit foras, me reliquit pro atrienſi in ædibus:
Ubi nec leno, neque illæ redeunt, nec quod edim quidquam datur:
Pro minore parte prandii pignus cepi, abii foras.
Si dedero, ære militari tetigero lenunculum.
Nactus eſt hominem, mina quem argenti circumduceret.
Sed mea amica nunc mihi irato obviam veniat velim!
Jam pol ego illam pugnis totam faciam, ut ſit morula;
Ita replebo atritate, atrior multo ut ſiet,
Quam Ægyptii, aut qui cortinam ludis per Circum ferunt.
Ad. Tene ſis me arcte, mea voluptas: male ego metuo miluos.
Mala illa beſtia eſt: ne forte me auferat pullum tuum.
Anter. Ut nequeo te ſatis complecti, mi pater! *Anthem.* Ego me moror.
Propemodum hoc obſonare prandium potero mihi.
Sed quid hoc eſt? quid hoc? quid hoc eſt? quid ego video? quomodo?
Quid hoc eſt conduplicationis? quæ hæc eſt congeminatio?
Quis hic homo eſt cum tunicis longis, quaſi puer cauponius?
Satin' ego oculis cerno? eſtne illæc mea amica Anteraſtilis?
Et ea certo eſt! jampridem ego me ſenſi nihili pendier.
Non pudet puellam amplexari baliolum in media via!
Jam hercle ego illum excruciandum totum carnufici dabo.
Sane genus hoc muliebroſum eſt tunicis demiſſitiis.
Sed adire certum eſt hanc ad amatricem Africam.
Heus tu! tibi dico, mulier, ecquid te pudet?
Quid tibi negotii autem eſt cum iſtac, dic mihi?
Han. Adoleſcens, ſalve! *Anthem.* Nolo, nihil ad te attinet.
Quid tibi hanc digito tactio eſt? *Han.* Quia mihi lubet.
Anthem. Lubet? *Han.* Ita dico. *Anthem.* Ligula, i in malam crucem.
Tune hic amator audes eſſe, hallex viri?
Aut contrectare, quod mares homines amant?
Deglupta mænas, Sarrapis ſementium,
Maſtruga, ἄλς ἀγοράς, ἄμα: tum autem plenior
Alli, ulpicique, quam Romani remiges.
Ag. Num tibi, adoleſcens, malæ, aut dentes pruriunt,
Qui huic es moleſtus, an malam rem quæritas?
Anthem. Cur non adhibuiſti, dum iſtæc loquereris, tympanum?
Nam te cinædum eſſe arbitror magis, quam virum.
Ag. Scin', quam cinædus ſum? ite iſtinc, ſervi, foras:
Efferte fuſtis. *Anthem.* Heus tu! ſi quid per jocum
Dixi, nolito in ſerium convortere.
Anter. Quid tibi lubido eſt, obſecro, Anthemonides,
Loqui inclementer noſtro cognato & patri?
Nam hic noſter pater eſt: hic nos cognovit modo;
Et hunc ſui fratris filium. *Anthem.* ita me Juppiter
Bene amet, bene factum! gaudeo, & volupe 'ſt mihi,
Siquidem *quid* lenoni obtigit magni mali;
Cumque e virtute vobis fortuna obtigit.
Anter. Credibile ecaſtor dicit: crede huic, mi pater.
Han. Credo. *Ag.* Et ego credo. ſed eccum lenonem Lycum,
Bonum virum, eccum video, ſe recipit domum.
Han. Quis hic eſt? *Ag.* Utrumvis eſt, & leno & Lycus.
In ſervitute hic habuit filias tuas.
Et mihi hic auri fur eſt. *Han.* Bellum hominem, quem noveris.
Ag. Rapiamus in jus. *Han.* Minume. *Ag.* Quapropter? *Han.* Quia
Injuriarum multam dici ſatius eſt.

ACTUS V. SCENA VI.

Lycus, Agoraſtocles, Hanno, Anthemonides.

DEcipitur nemo, mea quidem ſententia,
Qui ſuis amicis narrat recte res ſuas:

Nam

Nam omnibus amicis meis idem unum convenit,
Ut me ſuſpendam, ne addicar Agoraſtocli.
Ag. Leno, eamus in jus. *Lyc.* Obſecro te, Agoraſtocles,
Suſpendere ut me liceat. *Han.* Leno, in jus te voco.
Lyc. Quid tibi mecum autem? *Han.* Quia haſce ajo liberas,
Ingenuaſque eſſe filias ambas meas,
Quæ ſunt ſurreptæ cum nutrice parvolæ.
Lyc. Jampridem equidem iſtuc ſcivi, & miratus fui,
Neminem venire, qui iſtas aſſereret manu.
Meæ quidem profecto non ſunt. *Ant.* Leno, in jus eas.
Lyc. De prandio tu dicis. debetur, dabo.
Ag. Duplum pro furto mihi opus eſt. *Lyc.* Sume hinc quidem.
Han. Et mihi ſuppliciis multis. *Lyc.* Sume hinc, quid lubet.
Ant. Et mihi quidem mina argenti. *Lyc.* Sume hinc quid lubet.
Collo rem ſolvam jam omnibus, quaſi bajolus.
Ag. Numquid recuſas contra me? *Lyc.* Advorſum quidem.
Ag. Ite igitur intro, mulieres, ſed patrue mi,
Tuam, ut dixiſti, mihi deſponde filiam.
Han. Haud aliter auſim. *Ant.* Bene vale. *Ag.* Et tu bene vale.
Ant. Leno! arrhabonem hoc pro mina mecum fero.
Lyc. Perii hercle. *Ag.* Immo haud multo poſt, cum in jus veneris.
Lyc. Quin egomet tibi me addico. quid Prætore opus eſt?
Verum obſecro te, ut liceat ſimplum ſolvere.
Trecentos Philippos, credo, corradi poteſt:
Cras auctionem faciam. *Ag.* Tantiſper quidem,
Ut ſis apud me lignea in cuſtodia.
Lyc. Fiat. *Ag.* Sequere intro, patrue mi, ut hunc feſtum diem
Habeamus hilarem, hujus malo, & noſtro bono.
Multum valete. multa verba fecimus.
Malum poſtremo hoc omne ad lenonem redit.
Nunc quod poſtremum eſt condimentum Fabulæ,
Si placuit, plauſum poſtulat Comœdia.

POENULO SUPPOSITA.

POſt actus V. ſcenam VI. & ultimam, adjecerunt Vett. Editt. ſequentem ſcenam.

Agoraſtocles, Lycus, Hanno, Adelphaſium, Anteraſtilis, Anthemonides.

Q*Uam rem agit is miles, quoi lubet patruo meo loqui inclementer?*
Ne mirare, mulieres quod eum ſequuntur: modo cognovit filias
Suas eſſe haſce ambas. Lyc. *Hem, quod verbum aures meas tetigit! nunc perii.*
Unde hæ perierunt? Ag. *Domo Carthaginienſes ſunt.* Lyc. *At ego ſum perditus.*
Illud ego metui ſemper, ne cognoſceret eas aliquis: quod nunc factum eſt.
Væ miſero mihi! periere, opinor, duodeviginti minæ, qui haſce emi.
Ag. *Et tu ipſe periiſti, Lyce: Carthaginienſes ſunt.* Lyc. *At ego ſum perditus.* Han. *Quis hic eſt?*
Utrumvis eſt vel Leno, vel Lycus, in ſervitute hic qui filias habuit duas.
Ag. *Et mihi auri fur eſt.* Han. *Bellum hominem, quem noveris. Leno, rapacem*
Te eſſe ſemper credidi: verum etiam furacem, qui norunt magis. Lyc. *Accedam.*
Per ego te tua genua obſecro, & hunc cognatum quem tuum eſſe intelligo,
Quando boni eſtis, ut bonos facere addecet, facite, & voſtro ſubveniatis ſupplici.
Jam pridem equidem iſtas ſcivi eſſe liberas, & exſpectabam, ſi quis eas aſſereret manu.
Nam meæ prorſus non ſunt. tum autem aurum tuum reddam, quod apud me eſt:
Et jusjurandum dabo, me malitioſe nihil feciſſe, Agoraſtocles.
Ag. *Quod mihi par facere, tamen egomet conſulam. omitte genua.* Lyc. *Mitto,*
Si ita ſententia eſt. Ag. *Heus tu leno.* Lyc. *Quid lenonem vis inter negotium?*
Ag. *Utinam mihi argentum reddas, priuſquam hinc in nervom abducere.* Lyc. *Dii*
Meliora faxint. Ag. *Sic eſt, video: cœnabis foris: aurum, argentum, collum,*
Leno, tris res nunc debes ſimul. Han. *Quid me hac re facere deceat, egomet*
Mecum cogito: ſi volo hunc ulciſci, lites ſequar in alieno oppido:
Quantum audivi ingenium, & mores ejus quo pacto ſient. Ad. *Mi pater,*
Ne quid tibi cum iſtoc rei ſiet, te maxume obſecro. Ant. *Auſculta ſorori.*
Abi, disjunge inimicitias cum improbo. Han. *Hoc ageſis, Leno: quamquam ego te*
Meruiſſe, ut pereas, ſcio; non experiar tecum. Ag. *Neque ſi aurum mihi reddas, mecum,*
Leno, quando ex nervo emiſſus, compingare in carcerem. Lyc. *Jam autem ut ſolet.*
Ego, Pœne, tibi me purgatum volo, ſiquid dixi iratus advorſum
Animi tui ſententiam; id uti ignoſcas, quæſo: & cum iſtas inveniſti filias,
Ita me dii ament, mihi volupta'ſt. Han. *Ignoſco, & credo tibi.*
Ant. *Leno, tu aut amicam mihi des facito, aut auri reddas mihi mnam.*
Lyc. *Vin' tibicinam meam habere?* Ant. *Nihil moror tibicinam: neſcias,*
Utrum ei majores buccæ, an mammæ ſient. Lyc. *Dabo, quod placeat.*
Ag. *Cura.* Lyc. *Aurum cras ad te referam tuum.* Ag. *Facito in memoria habeas.*
Lyc. *Miles, ſequere me.* Ant. *Ego vero ſequor.* Ag. *Quid ais, patrue? quando hinc ire cogitas*
Carthaginem? nam tecum una ire certum eſt. Han. *Ubi primum potero,*
Illico. Ag. *Dum auctionem facio, hic opus eſt, aliquos ut maneas dies.*
Han. *Faciam ita, ut vis.* Ag. *Ageſis, eamus; nos curemus. Plaudite.*

FINIS PŒNULI.

PERSA.

Dramatis Perſonæ.

Toxilus,	} *ſervi.*	Lemniselene, *meretrix.*
Sagaristio,		Pægnium, *puer.*
Saturio, *paraſitus.*		Virgo.
Sophoclidisca, *ancilla.*		Dordalus, *leno.*

ARGUMENTUM.

PRofectò domino ſuos amores Toxilus
Emit, atque curat, leno ut emittat manu,
Raptamque ut emeret de prædone virginem,
Subornata ſuadet ſui paraſiti filia:
Atque ita intricatum ludit potans Dordalum.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Toxilus, Sagariſtio.

QUi amans egens ingreſſus eſt princeps in amoris vias,
Superavit ærumnis is ſuis ærumnas Herculis:
Nam cum leone, & cum excetra, cum cervo, cum apro Aetolico,
Cum avibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mavelim,
Quam cum amore. ita fio miſer quærendo argento mutuo;
Nec quidquam, niſi, non eſt, ſciunt mihi reſpondere, quos rogo.
Sag. Qui hero ſuo ſervire volt bene ſervos ſervitutem,
Næ edepol illum multa in pectore ſuo collocare oportet,
Quæ hero placere cenſeat præſenti atque abſenti ſuo.
Ego neque libenter ſervio, neque ſatis ſum hero ex ſententia:
Sed quaſi lippo oculo me herus meus manum abſtinere haud quit tamen,
Quin mihi imperet, quin me ſuis negotiis præfulciat.
Quis illic eſt, qui contra me aſtat? *Tox.* Quis hic eſt, qui contra me aſtat?
Similis eſt Sagariſtionis. *Sag.* Toxilus hic quidem meus amicus eſt.
Tox. Is eſt profecto. *Sag.* Eum eſſe opinor. *Tox.* Congrediar. *Sag.* Contra aggrediar.
Tox. O Sagariſtio, di ament te! *Sag.* O Toxile, dabunt di quæ exoptes.
Ut vales? *Tox.* Ut queo. *Sag.* Quid agitur? *Tox.* Vivitur.
Sag. Satin'ergo ex ſententia? *Tox.* Si eveniunt quæ exopto, ſatis.
Sag. Nimis ſtulte amicis utere. *Tox.* Quid jam? *Sag.* Quia jam imperare oportet.
Tox. Mihi quidem tu jam eras mortuus, quia te non viſitavi.
Sag. Negotium edepol *fuit*. *Tox.* Ferreum fortaſſe. *Sag.* Pluſculum annum
Fui præterratus apud molas tribunus vapularis.
Tox. Vetus jam iſtæc militia 'eſt tua. *Sag.* Satin'tu uſque valuiſti? *Tox.* Haud probe.
Sag. Ergo edepol palles. *Tox.* Saucius factus ſum: in Veneris prœlio
Sagitta Cupido cor meum transfixit. *Sag.* Jam ſervi hic amant?
Tox. Quid ergo faciam? diſne advorſer? quaſi Titani cum dis belligerem,
Quibus ſat eſſe non queam?
Sag. Vide modo, ulmeæ catapultæ tuum ne transfigant latus.
Tox. Baſilice agito eleutheria. *Sag.* Quid jam?
Tox. Quia herus peregre eſt. *Sag.* Ain'tu, peregre eſt?
Tox. Si tute tibi bene eſſe potes pati, veni; vives mecum,
Baſilico accipiere victu. *Sag.* Vah! jam ſcapulæ pruriunt,
Quia te iſtæc audivi loqui. *Tox.* Sed hoc me unum excruciat.
Sag. Quidnam id eſt? *Tox.* Hæc dies ſumma hodie eſt, mea amica ſitne libera,
An ſempiternam ſervitutem ſerviat. *Sag.* Quid nunc vis ergo?
Tox. *Facere amicum* tibi me potis es ſempiternum. *Sag.* Quemadmodum?
Tox. Ut mihi des nummos ſexcentos, quos pro capite illius pendam,
Quos continuo tibi reponam in hoc triduo, aut quatriduo.
Age! ſi benignus, ſubveni.
Sag. Qua confidentia rogare tu a me argentum tantum audes,
Impudens? quin ſi egomet totus veneam, vix recipi poteſſit
Quod tu me rogas. nam tu aquam a pumice nunc poſtulas,
Qui ipſus ſitiat. *Tox.* ſiccine hoc te mihi facere? *Sag.* Quid faciam? *Tox.* Rogaſne?
Alicunde exora mutuum. *Sag.* Tu fac idem, quod rogas me.
Tox. Quæſivi, nuſquam repperi. *Sag.* Quæram equidem, ſi quis credat.
Tox. Nempe habeo in mundo. *Sag.* Si id domi eſſet mihi, jam pollicerer:
Hoc meum eſt, ut faciam ſedulo. *Tox.* Quidquid erit, recipe te ad me.
Sag. Quære tamen. ego item ſedulo, ſi quid erit, *faciam* ut ſcias.
Tox. Obſecro te; reſecro! operam da hanc mihi fidelem. *Sag.* Ah! odio me enicas.
Tox. Amoris vitio, non meo, nunc tibi morologus fio.
Sag. At pol ego abs te conceſſero. *Tox.* Jamne abis? *Sag.* Bene ambulato.
Sed recipe te quam primum potes: cave ſuas mihi in quæſtione:
Uſque ero domi, dum excoxero lenoni malum.

ACTUS I. SCENA II.

Saturio.

VEterem atque antiquom quæſtum *meum alimoniæ*
Servo atque obtineo, & magna cum cura colo.
Nam numquam quiſquam meorum majorum fuit,
Quin paraſitando paverint ventres ſuos:
Pater, avos, proavos, abavos, atavos, tritavos,

Quaſi

Quaſi mures ſemper edere alienum cibum,
Neque edacitate eos quiſquam poterat vincere.
His cognomentum erat duris Capitonibus.
Unde hunc ego quæſtum obtineo & majorum locum.
Neque quadruplari me volo: neque enim decet
Sine meo periculo ire aliena ereptum bona:
Neque illi, qui faciunt, mihi placent: plane loquor!
Nam publicæ rei cauſſa quicumque id facit
Magis, quam ſui quæſti; animus induci poteſt,
Eum eſſe civem & fidelem & bonum:
Sed legirupam qui damnet, det in publicum
Dimidium: atque etiam mea lege adſcribitor;
Ubi quadruplator quempiam injexit manum,
Tantidem ille illi rurſus injiciat manum,
Uti æqua parti prodeant ad Treſviros:
Si id fiat, ne iſti faxim uſquam appareant,
Qui hic albo rete aliena oppugnant bona.
Sed ſumne ego ſtultus, qui rem curo publicam,
Ubi ſunt magiſtratus, quos curare oporteat?
Nunc huc introibo, viſam heſternas reliquias,
Quieverint recte, necne: num infuerit febris,
Opertæne fuerint, ne quis obreptaverit.
Sed aperiuntur ædes, remorandus eſt gradus.

ACTUS I. SCENA III.

Toxilus, Saturio.

OMnem rem inveni, ut ſua ſibi pecunia
Hodie illam faciat leno libertam ſuam.
Sed eccum paraſitum, quojus mihi auxilio eſt opus.
Simulabo quaſi non videam, ita alliciam virum.
Curate iſtic vos, atque approperate ocyus.
Ne mihi moræ ſit quidquam, ubi ego intro advenero.
Commiſce mulſum; ſtruthea coluthea que appara
Bene ut in ſcutris concaleant, & calamum injice.
Jam pol ille hic aderit, credo, congerro meus.
Sat. Me dicit, euge! *Tox.* Lautum credo a balneis
Jam hic affuturum. *Sat.* Ut ordine omnem rem tenet!
Tox. Collyræ facite ut madeant & colliphia:
Ne mihi incocta detis. *Sat.* Rem loquitur meram!
Nihil ſunt crudæ, niſi quas madidas glutias.
Tum niſi cremore craſſo eſt jus collyricum.
Nihil eſt macrum illud, epicrocum, pellucidum:
Quaſi juream eſſe jus decet collyricum.
Nolo, in veſicam quod eat, in ventrem volo.
Tox. Prope me hic neſcio quis loquitur. *Sat.* O mi Juppiter
Terreſtris, te coepulonus compellat tuus.
Tox. O Saturio, opportune adveniſti mihi.
Sat. Mendacium edepol dicis, atque haud te decet:
Nam Eſurio venio, non advenio Saturio.
Tox. At edis! nam jam intus ventris fumant focula.
Calefieri juſſi reliquias. *Sat.* Pernam quidem
Jus eſt apponi frigidam poſtridie.
Tox. Ita fieri juſſi. *Sat.* Ecquid alecis? *Tox.* Vah! rogas?
Sat. Sapis multum ad Genium. *Tox.* Sed ecquid meminiſti, here
Qua de re ego tecum mentionem feceram?
Sat. Memini: ut muræna & conger ne calefierent.
Nam nimio melius oppectuntur frigida.
Sed quid ceſſamus prælium committere?
Dum mane eſt, omnes eſſe mortalis decet.
Tox. Nimis pæne mane' ſt. *Sat.* Mane quod tu occœperis

Negotium agere, id totum procedit diem.
Tox. Quæſo animum advorte: hoc enim jam here narravi tibi,
Tecumque oravi, ut nummos ſexcentos mihi
Dares utendos mutuos. *Sat.* Memini & ſcio,
Et te me orare, & mihi non eſſe quod darem.
Nihili Paraſitus eſt, quoi argentum domi eſt.
Lubido extemplo cœpere eſt convivium,
Tuburcinari de ſuo, ſi quid domi eſt.
Cynica eſſe e gente oportet paraſitum probe:
Ampullam, ſtrigilem, ſcaphium, ſoccos, pallium,
Marſupium habeat; inibi paulum præſidii,
Qui familiarem ſuam vitam oblectet modo.
Tox. Jam nolo argentum; filiam utendam tuam
Mihi da. *Sat.* Numquam edepol cuiquam etiam utendam dedi.
Tox. Non ad iſtoc, quod tu inſimulas. *Sat.* Quid eam vis? *Tox.* Scies.
Quia forma lepida & liberali eſt. *Sat.* Res ita'ſt.
Tox. Hic leno neque te novit, neque gnatam tuam.
Sat. Me ut quiſquam norit, niſi ille qui præbet cibum?
Tox. Ita eſt. hoc tu mihi reperire argentum potes.
Sat. Cupio hercle. *Tox.* Tum tu me ſine illam vendere.
Sat. Tun' illam vendas? *Tox.* Immo alium allegavero
Qui vendat, qui eſſe ſe peregrinum prædicet.
Siquidem hic leno nondum ſex menſes Megaribus
Huc eſt cum commigravit. *Sat.* Pereunt reliquiæ.
Poſterius iſtuc tamen poteſt. *Tox.* Scin' quam poteſt?
Numquam hercle hodie hic prius edis, ne fruſtra ſis,
Quam te hoc facturum, quod rogo, affirmas mihi.
Atque niſi gnatam tecum huc jam, quantum poteſt,
Adducis, exigam hercle ego te ex hac decuria.
Quid nunc? quid eſt? quin dicis, quid facturus ſis?
Sat. Quæſo, hercle, me quoque etiam vendas, ſi lubet,
Dum ſaturum vendas. *Tox.* Hoc ſi facturus, face.
Sat. Faciam equidem, quæ vis. *Tox.* Bene facis, propera, abi domum:
Præmonſtra docte, præcipe aſtu filiæ,
Quid fabuletur, ubi ſe natam prædicet;
Qui ſibi parentes fuerint, unde ſurrepta ſit;
Sed longe ab Athenis eſſe ſe gnatam autumet:
Et ut affleat, cum ea memoret. *Sat.* Etiam tu taces?
Ter tanto pejor ipſa eſt quam illam tu eſſe vis.
Tox. Lepide hercle dicis. ſed ſcin', quid facias? cape
Tunicam, atque zonam, & chlamydem afferto, & cauſiam,
Quam ille habeat, qui hanc lenoni huic vendat. *Sat.* Heu! probe.
Tox. Quaſi ſit peregrinus. *Sat.* Laudo. *Tox.* Et tu tuam gnatam tamen
Ornatam adduce lepide in peregrinum modum.
Sat. Πόθεν ornamenta? *Tox.* Abs chorago ſumito.
Dare debet: præbenda ædiles locaverunt.
Sat. Jam faxo hic aderunt. ſed ego horum nihil ſcio.
Tox. Nihil hercle vero. nam ubi ego argentum accepero,
Continuo tu illam a lenone aſſerito manu.
Sat. Sibi habeat, ſi non extemplo ab eo abduxero.
Tox. Abi, & iſtuc cura. interibi ego puerum volo
Mittere ad amicam meam, ut habeat animum bonum,
Me eſſe effecturum hodie. nimis longum loquor.

ACTUS

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

Sophoclidiſca, *Lemniſelene*.

SAtis ſuit indoctæ, immemori, inſipienti dicere toties.
Nimis tandem me quidem pro barda & pro ruſtica reor habitam
Eſſe abs te. quamquam ego vinum bibo, at mandata non conſuevi ſimul bibere
Una. me quidem jam ſatis tibi ſpectatam cenſueram eſſe, & meos mores:
Nam equidem te jam ſector quintum hunc annum: cum interim, credo,
Cuculus ſi in ludum iret, potuiſſet jam fieri, ut probe litteras ſciret,
Cum interim tu meum ingenium fans non edidiciſti, atque infans.
Potin' ut taceas? potin' ne moneas? memini & ſcio, & calleo, & commemini.
Amas pol miſera: id tuus ſcatet animus. ego iſtuc placidum tibi
Ut ſit, faciam. *Lemn.* Miſer eſt, qui amat.
Soph. Certo is quidem nihili eſt, qui nihil amat: quid ei homini opus vita eſt?
Ire decet me, ut heræ obſequens ſiam, libera mea opera ocyus ut ſit.
Conveniam hunc Toxilum: ejus aures, quæ mandata ſunt, onerabo.

ACTUS II. SCENA II.

Toxilus, *Pægnium*, *Sophoclidiſca*.

SAtin' hæc tibi ſunt plana & certa? ſatin' hæc meminiſti & tenes?
Pæg. Melius, quam qui docuiſti. *Tox.* Ain' vero, verbereum caput?
Pæg. Ajo enimvero. *Tox.* Quid ergo dixi? *Pæg.* Ego recte apud illam dixero.
Tox. Non edepol ſcis. *Pæg.* Da hercle pignus, ni omnia memini & ſcio.
Tox. Equidem ſi ſcis tute, quot habeas hodie digitos in manu:
Eo dem pignus tecum. *Pæg.* Audacter! ſi lubido eſt perdere.
Tox. Bona pax ſit potius. *Pæg.* Tum tu igitur ſine me ire. *Tox.* Et jubeo & ſino.
Sed ita volo te curare, ut domi ſis, cum ego te eſſe illi cenſeam.
Pæg. Faciam. *Tox.* Quo ergo is nunc? *Pæg.* Domum: uti domi ſim, cum illi cenſeas.
Tox. Scelus tu pueri es: atque ob iſtam rem ego aliqui te peculiabo.
Pæg. Scio fidei hercle herili ut ſoleat impudicitia opprobrari.
Nec ſubigi queantur umquam, ut pro ea fide habeant judicem.
Tox. Abi modo. *Pæg.* Ego laudabis faxo. *Tox.* Sed has tabellas, Pægnium,
Ipſi Lemniſelenæ fac des, & quæ juſſi, nuntiato.
Soph. Ceſſo ire ego, quo miſſa ſum?
Pæg. Eo ego. *Tox.* I ſane: ego domum ibo: facc rem hanc cum cura geras.
Vola curriculo. *Pæg.* Iſtuc marinus paſſer per Circum ſolet.
Illic abiit hinc intro huc. ſed quis hæc, quæ me advorſum incedit?
Soph. Pægnium hic quidem eſt. *Pæg.* Sophoclidiſca hæc peculiaris eſt ejus,
Quo ego ſum miſſus. *Soph.* Nullus eſſe hodie hoc puero pejor perhibetur.
Compellabo. *Pæg.* Commorandum 'ſt *mihi* apud hanc obicem.
Soph. Pægnium, deliciæ pueri, ſalve! quid agis? ut vales?
Pæg. Sophoclidiſca, di me amabunt. *Soph.* Quid me? utrum? *Pæg.* hercle *neſcio*.
Sed ſi, ut digna es, faciant, odio hercle habeant, & faciant male.
Soph. Mitte male loqui. *Pæg.* Cum, ut digna es, dico, bene, non male loquor.
Soph. Quid agis? *Pæg.* Fœminam ſceleſtam te aſtans contra contuor.
Soph. Certe equidem puerum pejorem, quam te, novi neminem.
Pæg. Quid mali facio? aut cui male dico? *Soph.* Cui pol cumque occaſio eſt.
Pæg. Nemo homo umquam ita arbitratus eſt. *Soph.* At pol multi eſſe ita ſciunt.
Pæg. Heja! *Soph.* Heja! *Pæg.* Tuo ex ingenio mores alienos probas.
Soph. Fateor ego profecto me eſſe, ut decet lenonis familiæ.
Pæg. Satis jam dictum habeo. *Soph.* Sed quid tu? confitere, ut te autumo?
Pæg. Fatear, ſi ita ſim. *Soph.* Jam abi, viciſti. *Pæg.* Abi nunc jam. *Soph.* Ergo hoc mihi expedi,
Quo agis? *Pæg.* Quo tu? *Soph.* Dic tu: prior rogavi. *Pæg.* At poſt ſcies.
Soph. Eo ego hinc haud longe. *Pæg.* Et quidem ego haud longe. *Soph.* Quo ergo ſcelus?
Pæg. Niſi ſciero prius ex te, tu ex me numquam hoc, quod rogitas, ſcies.
Soph. Numquam ecaſtor hodie ſcibis, priuſquam ex te audivero.
Pæg. Itane eſt? *Soph.* Itane eſt? *Pæg.* Mala es. *Soph.* Sceleſtus. *Pæg.* Decet me. *Soph.* Me quidem haud decet.
Pæg. Quid ais? certumne eſt celare, quo iter facias, peſſuma?
Soph. Obfirmaſtin' occultare, quo te immittas, peſſume?
Pæg. Par pari reſpondes dicto: abi jam, quando ita certa res eſt.
Nihil facio ſcire. valeas. *Soph.* Aſta. *Pæg.* At propero. *Soph.* Et pol ego item.
Pæg. Ecquid habes? *Soph.* Ecquid tu? *Pæg.* Nihil equidem. *Soph.* Cedo manum ergo. *Pæg.* Eſtne hæc manus?
Soph. Ubi illa altera eſt furtifica læva? *Pæg.* Domi. Eccam! huc nullam attuli.
Soph. Habes neſcio quid. *Pæg.* Ne me attrecta, ſubigitatrix. *Soph.* Sin te amo?
Pæg. Male operam locas. *Soph.* Qui? *Pæg.* Quia enim nihil amas, cum ingratum amas.
Soph. Tempori hanc vigilare oportet formulam, atque ætatulam:
Ne, ubi capillus verſipellis fiat, fœde ſemper ſervias:

Tu quidem haud etiam es octoginta pondo. *Pæg.* At confidentia
Illa militia militatur multo magis, quam pondere.
Atque ego hanc nunc operam perdo. *Soph.* Quid jam? *Pæg.* Quia peritæ prædico.
Sed ego ceſſo. *Soph.* Mane. *Pæg.* Moleſta es. *Soph.* Ero quoque, niſi ſcio,
Quo agas te. *Pæg.* Ad vos. *Soph.* Et pol ego ad vos. *Pæg.* Quid eo? *Soph.* Quid id ad te attinet?
Pæg. Enim non ibis nunc viciſſim, niſi ſcio. *Soph.* Odioſus es. *Pæg.* Lubet.
Numquam hercle iſtuc exterebrabis tu, ut ſis pejor, quam ego ſiem.
Soph. Malitia certare tecum, miſeria eſt. *Pæg.* Merx tu mala es.
Soph. Quid eſt, quod metuas? *Pæg.* Idem iſtuc, quod tu. *Soph.* Dic ergo, *quid eſt?*
Pæg. Ne hoc cuiquam homini edicerem, omnes muti ut loquerentur prius.
Soph. Et edictum eſt magnopere mihi, ne cuiquam homini crederem,
Omnes muti ut loquerentur prius hoc, quam ego. at tu hoc face!
Fide data credamus. *Pæg.* Novi! omnes ſunt lenæ levifidæ:
Neque tippulæ levius pondus eſt quam fides lenonia.
Soph. Dic, amabo! *Pæg.* Dic, amabo! *Soph.* Nolo ames. *Pæg.* Facile impetras.
Soph. Tecum habeto. *Pæg.* Et tu hoc taceto. *Soph.* Tacitum erit. *Pæg.* Celabitur.
Soph. Toxilo has fero tabellas tuo hero. *Pæg.* Abi! eccillum domi.
At ego hanc ad Lemniſelenem tuam heram obſignatam abietem.
Soph. Quid iſtic ſcriptum? *Pæg.* Juxta tecum, ſi tu neſcis, neſcio.
Niſi fortaſſe blanda verba. *Soph.* Abeo. *Pæg.* At ego abiero. *Soph.* Ambula.

ACTUS II. SCENA III.

Sagariſtio.

JOvi opulento, incluto, Ope gnato, ſupremo, valido, viripotenti,
Opes, ſpes, bonas copias commodanti lubens meritoque vitulor:
Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiam
Danunt argenti mutui, ut egenti opem afferam:
Quod ego non magis ſomniabam, neque opinabar, neque cenſebam,
Eam fore mihi occaſionem; ea nunc quaſi decidit de cœlo.
Nam herus meus me Eretriam miſit, domitos boves uti ſibi mercarer.
Dedit argentum: nam ibi mercatum dixit eſſe die ſeptimi.
Stultus qui hoc mihi daret argentum, cujus ingenium noverat:
Nam hoc argentum alibi abutar; boves quos emerem, non erant.
Nunc & amico meo proſperabo, & Genio meo multa bona faciam.
Diu quod bene erit, die uno abſolvam: tax, tax, tergo meo erit! non curo.
Nunc amico homini bobus domitis mea ex crumena largiar.
Nam id demum lepidum eſt, triparcos homines, vetulos, avidos, aridos
Bene admordere, qui ſalinum ſervo obſignant cum ſale.
Virtus eſt, ubi occaſio admonet, diſpicere. quid faciet mihi?
Verberibus cædi juſſerit, compedes imponi. vapulet!
Ne ſibi me credat ſupplicem fore, væ illi! mihi jam nihil novi
Offerri poteſt, quin ſim peritus. ſed Toxili puerum Pægnium eccum.

ACTUS II. SCENA IV.

Pægnium Sagariſtio.

PEnſum meum, quod datum 'ſt, confeci. nunc propero domum. *Sag.* Mane, etſi
Properas, Pægnium, auſculta. *Pæg.* Emere oportet, quem tibi obedire velis.
Sag. At ſta. *Pæg.* Exhibeas moleſtiam, ut opinor, ſi quid debeam,
Qui nunc ſic tam es moleſtus. *Sag.* Scelerate, etiam reſpicis?
Pæg. Scio ego, quid ſim ætatis, eo iſtuc maledictum impune auferes.
Sag. Ubi Toxilus eſt tuus herus? *Pæg.* Ubi illi libet: neque te conſulit.
Sag. Etiamne dicis, ubi ſit, venefice? *Pæg.* Neſcio inquam, ulmitriba tu.
Sag. Maledicis majori. *Pæg.* Prior promeritus, perpetiare:
Servam operam, linguam liberam herus meus me juſſit habere.
Sag. Dicisne mihi, ubi ſit Toxilus? *Pæg.* Dico. ut perpetuo pereas.
Sag. Cædere hodie tu reſtibus. *Pæg.* Tua quidem, cucule, cauſſa:
Non hercle ſi os perciderim tibi, metuam, morticine.
Sag. Video ego te! jam incubitatus es. *Phg.* Ita ſum. quid id attinet ad te?
At non ſum ita, ut tu, gratis. *Sag.* Confidens! *Pæg.* Sum hercle vero.
Nam ego me confido liberum fore, tu te numquam ſperas.
Sag. Potin', ut moleſtus ne ſies? *Pæg.* Quod dicis, facere non quis.
Sag. Abi in malam rem. *Pæg.* At tu domum. nam ibi tibi parata præs eſt.
Sag. Vadatur hic me. *Pæg.* Utinam vades deſint, in carcere ut ſis.
Sag. Quid hoc? *Pæg.* Quid eſt? *Sag.* Etiam, ſcelus, male loquere? *Pæg.* Tandem ut liceat,
Cum ſervos ſis, ſervom tibi maledicere. *Sag.* Itane? ſpecta,
Quid dedero. *Pæg.* Nihil: nam nihil habes. *Sag.* Di deæque me omnes perdant,
Niſi te hodie, ſi prehendero, defigam in terram colaphis.
Pæg. Amicus ſum. eveniant volo tibi, quæ optas, atque id fiat:
Tu me defigas; te cruci ipſum propediem affigent alii.
Sag. Quin te di deæque! ſcis, quid hinc porro dicturus fuerim,

Ni

Ni linguæ moderari queam. potin' abeas? *Pæg.* Abigis facile.
Nam umbra mea intus vapulat. *Sag.* Ut iſtunc di deæque perdant!
Tamquam proſerpens beſtia, eſt bilinguis & ſceleſtus.
Hercle illum abiiſſe gaudeo. fores aperite. eccere autem,
Quem convenire maxume cupiebam, egreditur intus.

ACTUS II. SCENA V.

Toxilus, Sagariſtio, Sophoclidiſca.

PAratum jam eſſe dicito, unde argentum ſit futurum:
Jubeto habere animum bonum, dic me illam amare multum.
Ubi ſe allevat, ibi me allevat. quæ dixi ut nuntiares,
Satin' ea tenes? *Soph.* Magis calleo, quam aprugnum callum callet.
Tox. Propera, abi domum. *Sag.* Nunc ego huic graphice facetus fiam.
Submiſſis alis me inferam, atque amicibor glorioſe.
Tox. Sed quis hic anſatus ambulat? *Sag.* Magnifice conſcreabor.
Tox. Sagariſtio hic quidem eſt. quid agitur, Sagariſtio? ut valetur?
Ecquid, quod mandavi tibi? eſtne *quid* in te ſpeculæ? *Sag.* Adito.
Videbitur, factum volo: venito: præmoneto.
Tox. Quid hoc hic in collo tibi tumet? *Sag.* Vomica 'ſt, preſſare parce.
Nam ubi qui mala tetigit manu, dolores cooriuntur.
Tox. Quando iſtæc innata' ſt nam tibi? *Sag.* Hodie. *Tox.* Secari jubeas.
Sag. Metuo, ne immaturam ſecem, ne exhibeat plus negotii.
Tox. Inſpicere morbum tuum lubet. *Sag.* Abi, atque caveſis
A cornu. *Tox.* Quid jam? *Sag.* Quia boves bini hic ſunt in crumena.
Tox. Emitte ſodes, ne enices fame, ſine ire paſtum.
Sag. Enim metuo, ut poſſim in bubilem rejicere, ne vagentur.
Tox. Ego rejiciam. habe animum bonum. *Sag.* Creditur: commodabo.
Sequere hac ſis. argentum hic eſt, quod me dudum rogaſti.
Tox. Quid tu ais? *Sag.* Dominus me boves mercatum Eretriam miſit.
Nunc mihi Eretria erit hæc tua domus. *Tox.* Nimis tu facete loquere.
Atque ego omne argentum tibi actutum incolume redigam:
Nam jam omnes ſycophantias inſtruxi & comparavi,
Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum. *Sag.* Tanto melior!
Tox. Et mulier ut ſit libera, atque ipſe ultro det argentum.
Sed ſequere me: ad eam rem uſus eſt tua mihi opera. *Sag.* Utere, ut vis.

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

Saturio, Virgo.

QUæ res bene vortat mihi, & tibi, & ventri meo,
Perennitatiſque adeo huic perpetuo cibo,
Ut mihi ſuperſit, ſuppetat, ſuperſtitet:
Sequere hac, mea gnata, me, cum diis volentibus.
Quoi rei opera detur, ſcis, tenes, intellegis:
Communicavi tecum conſilia omnia.
Ea cauſſa ad hoc exemplum te exornavi ego.
Venibis tu hodie, virgo. *Vir.* Amabo, mi pater,
Quamquam libenter eſcis alienis ſtudes,
Tuin' ventris cauſſa filiam vendis tuam?
Sat. Mirum, quin regis Philippi cauſſa, aut Attali
Te potius vendam, quam mea, quæ ſis mea.
Vir. Utrum tu pro ancilla me habes, an pro filia?
Sat. Utrum hercle magis in ventris rem videbitur:
Meum, opinor, imperium in te, non in me tibi 'ſt.
Vir. Tua iſtæc poteſtas eſt, pater. verumtamen,
Quamquam res noſtræ ſunt, pater, pauperculæ,
Modice & modeſte melius eſt vitam vivere.
Nam ſi ad paupertatem admigrant infamiæ,
Gravior paupertas fit, fides ſubleſtior.
Sat. Enimvero odioſa es. *Vir.* Non ſum, neque me eſſe arbitror,
Cum parva natu recte præcipio patri.
Nam inimici famam non ita, ut nata eſt, ferunt,
Sat. Ferant, eantque in maxumam malam crucem.
Non ego inimicitias omneis pluris æſtimo,
Quam menſa inanis nunc ſi apponatur mihi.
Vir. Pater, hominum immortalis eſt infamia,
Etiam tum vivit, cum eſſe credas mortuam.
Sat. Quid? metuis, ne te vendam? *Vir.* Non metuo, pater:
Verum inſimulari nolo. *Sat.* At nequidquam nevis.
Meo modo iſtud potius fiet, quam tuo
Fiat. quæ hæ res ſuut! *Vir.* Cogita, hoc verbum pater:
Herus ſi minatus eſt malum ſervo ſuo,
Tamenetſi id futurum non eſt, ubi captum 'ſt flagrum,
Dum tunicas ponit, quanta afficitur miſeria!
Ego nunc quod non futurum 'ſt, formido tamen.
Sat. Virgo atque mulier nulla erit, quin ſit mala,
Quæ præter ſapiet, quam placet parentibus.
Vir. Virgo atque mulier nulla erit, quin ſit mala,
Quæ reticet, ſi quid fieri pervorſe videt.
Sat. Malo cavere melius eſt te. *Vir.* At ſi non licet
Cavere, quid agam? nam ego tibi cautum volo.
Sat. Malufne ego ſum? *Vir.* Non es: neque me dignum 'ſt dicere:
Verum ei rei operam do, ne alii dicant, quibus licet.
Sat. Dicat, quod quiſque volt: ego de hac ſententia
Non demovebor. *Vir.* At, meo ſi liceat modo,
Sapienter potius facias, quam ſtulte. *Sat.* Lubet.
Vir. Lubere per me tibi licere intellego:
Verum lubere haud lubeat, ſi liceat mihi.
Sat. Futura es dicto obediens, an non, patri?
Vir. Futura. *Sat.* Sciſnam, tibi quæ præcepi? *Vir.* Omnia.
Sat. Et id, ut ſurrepta fueris? *Vir.* Docte calleo.

Sat.

Sat. Et qui parentes fuerint? *Vir.* Habeo in memoria.
Neceſſitate me, mala ut fiam, facis.
Verum videto, ubi me voles nuptum dare,
Ne hæc fama faciat repudioſas nuptias.
Sat. Tace, ſtulta. non tu nunc hominum mores vides?
Quojuſmodi hic cum fama facile nubitur.
Dum dos ſit, nullum vitium vitio vortitur.
Vir. Ergo iſtuc facito, ut veniat in mentem tibi,
Me eſſe indotatam. *Sat.* Caveſis tu iſtuc dixeris.
Pol deum virtute dicam, & majorum meum,
Ne te indotatam dicas, quoi dos ſit domi.
Librorum eccillum habeo plenum ſoracum.
Si hoc accuraſſis lepide, quoi rei operam damus,
Dabuntur dotis tibi inde ſexcenti logi,
Atque Attici omnes, nullum Siclum acceperis:
Cum hac dote poteris vel mendico nubere.
Vir. Quin tu me ducis, ſi quo ducturus, pater.
Vel tu me vende, vel face quod tibi lubet.
Sat. Bonum æquomque oras. ſequere hac. *Vir.* Dicto ſum audiens.

ACTUS III. SCENA II.

Dordalus.

QUidnam eſſe acturum hunc dicam vicinum meum,
Qui mihi juratus eſt ſeſe hodie argentum dare?
Quod ſi non dederit, atque hic dies præterierit,
Ego argentum, ille jusjurandum amiſerit.
Sed ibi concrepuit foris. quiſnam egreditur foras?

ACTUS III. SCENA III.

Toxilus, Dordalus.

CUrate iſtuc intus: jam ego domum me recipiam.
Dor. Toxile, quid agitur? *Tox.* Eho! lutum lenonium,
Commictum cœnum, ſterquilinium publicum:
Impure, inhoneſte, injure, illex, labes popli,
Pecuniæ accipiter, avide atque invide,
Procax, rapax, trahax! trecentis verſibus
Tuas impuritias traloqui nemo poteſt.
Accipin' argentum? accipe ſis argentum, impudens,
Teneſis argentum: etiam tu argentum tenes?
Poſſum te facere, ut argentum accipias, lutum?
Qui niſi jurato mihi nihil auſus credere.
Dor. Sine reſpirare me, tibi ut reſpondeam.
Vir ſumme populi, ſtabulum ſervitricium,
Scortorum liberator, ſubiculum flagri,
Compedium tritor, piſtrinorum civitas,
Perenniſerve, lurco, edax, furax, fugax,
Cedo ſis mihi argentum: da mihi argentum, impudens:
Poſſum a te exigere argentum? argentum, inquam, cedo.
Quin tu mihi argentum reddis? nihilne te pudet?
Leno te argentum poſcit, ſolida ſervitus,
Pro liberanda amica, ut omnes audiant.
Tox. Tace obſecro hercle: næ tua vox valide valet!
Dor. Referundæ ego habeo linguam natam gratiæ:
Eodem mihi pretio ſal præhibetur, quo tibi.
Niſi me hæc defendet, numquam delinget ſalem.
Tox. Jam omitto iratus eſſe. id tibi ſuccenſui,
Quia te negabas credere argentum mihi.
Dor. Mirum, quin tibi ego crederem, ut idem mihi
Faceres, quod partim faciunt argentarii:
Ubi quid credideris, citius extemplo a foro
Fugiunt, quam ex porta, ludis cum emiſſu'ſt lepus.
Tox. Cape hoc ſis. *Dor.* Quin das? *Tox.* Nummi ſexcenti hic erunt
Probi, numerati: fac ſit mulier libera,
Atque huc continuo adduce. *Dor.* Jam faxo hic erit.
Non hercle, cui nunc hoc dem ſpectandum, ſcio.
Tox. Fortaſſe metuis in manum concredere.
Dor. Mirum quin, citius jam a foro argentarii
Abeunt, quam in curſu rotula circumvortitur.
Tox. Abi iſtac avorſis angiportis ad forum,
Eadem iſtæc facito mulier ad me tranſeat
Per hortum. *Dor.* Jam hic faxo aderit. *Tox.* At ne propalam.
Dor. Sapienter ſane. *Tox.* Supplicatum cras eat.
Dor. Ita hercle vero. *To.* Dum ſtas, reditum oportuit.

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

Toxilus.

SI quam rem accures ſobrie aut frugaliter,
Solet illa recte ſub manus ſuccedere.
Atque edepol, ferme ut quiſque rem accurat ſuam,
Sic ei procedunt poſt-principia denique.
Si malus aut nequam'ſt, male res vortunt, quas agit:
Sin autem frugi'ſt, eveniunt frugaliter.
Hanc ego rem exorſus ſum facete & callide;
Igitur proventuram bene confido mihi.
Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo,
Ut ipſus ſeſe, qua ſe expediat, neſciat.
Sagariſtio, heus! exi, atque educe virginem,
Et iſtas tabellas, quas conſignavi tibi,
Quas tu attuliſti ab hero meo uſque e Perſia.

ACTUS IV. SCENA II.

Sagariſtio, Toxilus.

NUmquid moror? *Tox.* Euge! euge! exornatus baſilice!
Tiara ornatum lepide condecorat tuum.
Tum hanc hoſpitam autem crepidula ut graphice decet!
Sed ſatin' eſtis meditati? *Sag.* Tragici & Comici
Numquam æque ſunt meditati. *Tox.* Lepide hercle adjuvas.
Sag. Age, illuc abſcede procul e conſpectu, & tace,
Ubi cum lenone me videbis colloqui,
Id erit adeundi tempus: nunc agite; ite vos.

ACTUS IV. SCENA III.

Dordalus, Toxilus.

CUi homini di propitii ſunt, aliquid objiciunt lucri.
Nam ego hodie compendi-feci binos panes in dies,

Ita ancilla mea quæ fuit hodie, ſua nunc eſt: argento vicit:
Jam hodie alienum cœnabit; nihil guſtabit de meo.
Sumne probus? ſum lepidus civis, qui Atticam hodie civitatem
Maxumam majorem feci, atque auxi civi femina?
Sed ut & ego hodie fui benignus! ut ego multis credidi!
Nec ſatis a quiquam homine accepi: ita prorſum credebam omnibus.
Nec metuo quibus credidi hodie, ne quis mihi in jure abjuraſſit.
Bonus volo jam ex hoc die eſſe: quod neque fiet, neque fuit.

Tox. Hunc ego hominem hodie in tranſennam doctis ducam dolis,
Itaque huic inſidiæ paratæ ſunt probe. aggrediar virum.
Quid agis? *Dor.* Credo. *Tox.* Unde agis te, Dordale? *Dor.* Credo tibi.

Tox. Di dent, quæ velis. eho, an jam manu emiſiſti mulierem?

Dor. Credo pol, credo, inquam, tibi. *Tox.* Jam liberta auctus es? *Dor.* Enicas.
Quin tibi me dico credere. *Tox.* Dic bona fide: jam libera eſt?

Dor. I, i ad forum, ad Prætorem, exquire; ſiquidem credere mihi non vis:
Libera, inquam, eſt: ecquid audis? *Tox.* At tibi di benefaciant omnes.
Numquam enim poſthac tibi, nec tuorum, quod nolis, volam.

Dor. Abi, ne jura: ſatis credo. *Tox.* Ubi nunc tua liberta 'ſt? *Dor.* Apud te. *Tox.* Ain',
Apud me eſt? *Dor.* Ajo, inquam: apud te eſt, inquam. *Tox.* Ita me di ament, ut ob iſtam rem
Tibi multa bona inſtant a me: nam eſt res quædam, quam occultabam
Tibi dicere: nunc eam narrabo, unde tu pergrande lucrum facias:
Faciam, ut mei memineris, dum vitam vivas. *Dor.* Benedictis
Tuis benefacta aures meæ auxilium expoſtulant.

Tox. Tuum promeritum'ſt, merito ut faciam. & ut me ſcias eſſe facturum,
Tabellas tene has. pellege. *Dor.* Hæ quid ad me? *Tox.* Immo ad te attinent,
Et tua refert. Nam e Perſia ad me allatæ modo ſunt iſtæ a meo domino.

Dor. Quando? *Tox.* Haud dudum. *Dor.* Quid iſtæc narrant? *Tox.* Percunctare ex ipſis.
Ipſæ tibi narrabunt. *Dor.* Cedo ſane mihi. *Tox.* At clare recitato.

Dor. Tace, dum pellego. *Tox.* Haud verbum faciam.

Dor. Salutem dicit Toxilo Timarchides,
Et familiæ omni. ſi valetis, gaudeo.
Ego valeo recte, & rem gero, & facio lucrum.
Neque iſto redire his octo poſſum menſibus:
Itaque hic eſt, quod me detinet, negotium.
Eleuſipolim Perſæ cepere urbem in Arabia,
Plenam bonarum rerum, atque antiquom oppidum:
Ea comparatur præda, ut fiat auctio
Publicitus. ea res me domo expertem facit:
Operam atque hoſpitium ego iſti præhiberi volo,
Qui tibi tabellas affert. cura, quæ is volet:
Nam is mihi honores ſuæ domi habuit maxumos.

Dor. Quid id ad me, aut ad meam rem refert, Perſæ quid rerum gerant,
Aut quid herus tuus? *Tox.* Tace, ſtultiloque: neſcis, quid inſtet boni.
Nequidquam tibi fortuna faculam lucrificam allucere volt.

Dor. Quæ iſtæc fortuna lucrifica eſt? *Tox.* Iſtas, quæ norunt, roga.
Ego tantumdem ſcio, quantum tu, niſi quod pellegi prior.
Sed, ut occœpiſti, ex tabellis noſce rem. *Dor.* Bene me mones;
Fac ſilentium. *Tox.* Nunc ad illud venies, quod refert tua.

Dor. Iſte, qui tabellas affert, adduxit ſimul
Forma expetenda liberalem mulierem,
Furtivam, advectam ex Arabia penitiſſuma;
Eam te volo accurare, ut iſtic veneat,
Ac ſuo periculo is emat, qui eam mercabitur:
Mancipio neque promittet, neque quiſquam dabit.
Probum & numeratum argentum ut accipiat, face.
Hæc cura, & hoſpes cura ut curetur. vale.

Tox. Quid igitur, poſtquam recitaſti, quod erat ceræ creditum,
Jam mihi credis? *Dor.* Ubi nunc ille'ſt hoſpes, qui haſce attulit?

Tox. Jam hic credo aderit: arceſſit illam a navi. *Dor.* nihil mihi opus eſt
Litibus, neque tricis. quam ob rem ego argentum numerem foras?
Niſi mancipio accipio, quid eo mihi opus mercimonio?

Tox. Tacen'an non taces? numquam ego te tam eſſe matulam credidi.
Quid metuis? *Dor.* Metuo hercle vero: ſenſi ego jam compluries:
Neque mihi haud imperito eveniet, tali ut in luto hæream.

Tox. Nihil periculi videtur. *Dor.* Scio iſtuc, ſed metuo mihi.

Tox. Mea quidem iſtuc nihil refert. tua ego refero gratia.
Ut tibi recte conciliandi primo facerem copiam.

Dor. Gratiam habeo. ſed te de aliis, quam alios de te ſuaviu' ſt
Fieri doctos. *Tox.* Ne quis vero ex Barbaria penitiſſuma
Perſequatur! etiam tu illam deſtinas? *Dor.* Videam modo
Mercimonium. *Tox.* Æqua dicis. ſed optume eccum ipſe advenit
Hoſpes ille, qui has tabellas attulit. *Dor.* Hiccine eſt? *Tox.* Hic eſt.

Dor. Hæccine illa'ſt furtiva virgo? *Tox.* Juxta tecum æque ſcio,
Niſi quia aſpexi. equidem edepol liberali 'ſt, quiſquis eſt.

Dor. Sat edepol concinna eſt facie. *Tox.* Ut contemtim carnufex!
Taciti contemplemur formam. *Dor.* Laudo conſilium tuum.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA IV.

Sagariſtio, Virgo, Toxilus, Dordalus.

SAtin' Athenæ tibi viſæ fortunatæ atque opiparæ? *Vir.* Urbis ſpeciem vidi, hominum mores perſpexi parum.

Tox. Numquid in principio ceſſavit verbum docte dicere?

Dor. Haud potui etiam in primo verbo perſpicere ſapientiam.

Sag. Quid id quod vidiſti: ut munitum muro tibi viſum 'ſt oppidum?

Vir. Si incolæ bene ſunt morati, pulchre munitum arbitror;
Perfidia & Peculatus ex urbe & Avaritia ſi exſulant,
Quarta Invidia, quinta Ambitio, ſexta Obtrectatio,
Septimum Perjurium. *Tox.* Euge! *Vir.* Octava Indiligentia:
Nona Injuria: decimum, quod peſſumum aggreſſu, Scelus.
Hæc niſi inde aberunt, centuplex murus rebus ſervandis parum eſt.

Tox. Quid ais tu? *Dor.* Quid vis? *Tox.* Tu in illis es decem ſodalibus:
Te in exſilium ire hinc oportet. *Dor.* Quid jam? *Tox.* Quia perjurus es.

Dor. Verba quidem haud indocte fecit. *Tox.* Ex tuo, inquam, uſu eſt: eme hanc.

Dor. Edepol qui cum hanc magis contemplo, magis placet. *Tox.* Si hanc emeris,
Di immortales, nullus leno te alter erit opulentior.
Evortes tuo arbitratu homines fundis, familiis.
Cum optumis viris rem habebis: gratiam cupient tuam:
Venient ad te comeſſatum. *Dor.* At ego intromitti non ſinam.

Tox. At enim illi noctu occentabunt oſtium, exurent fores:
Proinde tu tibi jubeas concludi ædes foribus ferreis:
Ferreas ædes commutes, limina indas ferrea:
Ferream ſeram atque annulum: ne ſi ferro parſeris,
Ferreas tute tibi impingi jubeas craſſas compedes.

Dor. I in malum cruciatum. *Tox.* I ſane! hanc eme atque auſculta mihi.

Dor. Modo ut ſciam, quanti indicet. *Tox.* Vin' huc vocem? *Dor.* Ego illo acceſſero.

Tox. Quid ais, hoſpes? *Sag.* Venio, adduco hanc, uti dudum dixeram.
Nam heri in portum noctu navis venit: vænire hanc volo,
Si poteſt: ſi non poteſt, ire hinc volo, quantum poteſt.

Dor. Salvos ſis, adoleſcens. *Sag.* Siquidem hanc vendidero pretio ſuo.

Tox. Atqui aut hoc emtore vendes pulchre, aut alio non potes.

Sag. Eſne huic tu amicus? *Tox.* Tamquam di omnes, qui cælum colunt.

Dor. Tum mihi es inimicus certus. nam generi lenonio
Numquam ullus deus tam benignus fuit, qui fuerit propitius.

Sag. Hoc age! opuſne 'ſt hac tibi emta? *Dor.* Si tibi væniſſe 'ſt opus,
Mihi quoque emta eſt: ſi tibi ſubiti nihil eſt, tantumdem 'ſt mihi.

Sag. Indica, fac pretium. *Dor.* Tua merx eſt, tua indicatio eſt.

Tox. Æquom hic orat. *Sag.* Vin' bene emere? *Dor.* Vin' tu pulchre vendere?

Tox. Ego ſcio hercle utrumque velle. *Dor.* Age, indica prognariter.

Sag. Prius dico: hanc mancupio nemo tibi dabit. jam ſcis? *Dor.* Scio.
Indica, minimo daturus qui ſis, qui duci queat.

Tox. Tace, tace; nimis tu quidem hercle homo ſtultus es pueriliter.

Dor. Quid ita? *Tox.* Quia enim te ex puella prius percontari volo,
Quæ ad rem referunt. *Dor.* Et quidem hercle tu me monuiſti haud male.
Vide ſis! ego ille doctus leno pæne in foveam decidi,
Ni hic adeſſes. quantum eſt adhibere hominem amicum, ubi quid geras!

Tox. Quo genere, aut qua in patria ſit nata, aut quibus parentibus.
Ne temere hanc te emiſſe dicas ſuaſu atque impulſu meo.
Niſi moleſtum eſt, percontari hanc paucis hic volt. *Sag.* Maxume,
Suo arbitratu. *Tox.* Quid ſtas? abi tute, atque ipſe itidem roga,
Ut tibi percontari liceat, quæ velis, etſi mihi
Dixit dare poteſtatem ejus: ſed ego te malo tamen
Eum ipſum adire, ut ne contemnat te ille. *Dor.* Satis recte mones.
Hoſpes, volo ego hanc percontari. *Sag.* A terra ad cælum, quid lubet.

Tox. Jubedum ea huc accedat ad me. *Sag.* I ſane, ac morem illi gere.
Percontare, exquire quidvis. *Tox.* Age age nunc tu, i præ: vide,
Ut ingrediare auſpicato. *Dor.* Liquidum eſt auſpicium. *Tox.* Tace.
Concede ſis, jam ego illam adducam. *Dor.* Age, ut rem eſſe in noſtram putas.

Tox. Sequere me, adduco hanc; ſi quid vis ex hac percontarier.

Dor. Enim volo te adeſſe. *Tox.* Haud poſſum, quin huic operam dem hoſpiti,
Quoi herus juſſit, quid ſi hic non volt me adeſſe una? *Sag.* Immo i modo.

Tox. Do ego tibi operam. *Dor.* Tibi ibidem das, ubi tu tuum amicum adjuvas.

Tox. Exquire, heus tu, advigila. *Vir.* Satis eſt dictum: quamquam ego ſerva ſum,
Scio ego officium meum, ut quæ rogitet, vera, ut accepi, eloquar.

Tox. Virgo, hic homo probus eſt. *Vir.* Credo. *Tox.* Non diu apud hunc ſervies.

Vir. Ita pol ſpero, ſi parentes facient officium ſuum.

Dor. Nolo ego te mirari, ſi nos ex te percontabimur
Aut patriam tuam, aut parentes. *Vir.* Cur ego id mirer, mi homo?
Servitus mea mihi interdixit, nequid mirer meum
Malum. *Tox.* Dii iſtam perdant! ita cata eſt & callida.
Habet cor! quam dicit, quod opu'ſt! *Dor.* Quid nomen tibi eſt?

Tox. Nunc metuo, ne peccet. *Vir.* Lucridi nomen in patria fuit.
Tox. Nomen atque omen quantivis eſt pretii! quin tu hanc emis?
Nimis pavebam, ne peccaret. expedivit. *Dor.* Si te emam,
Mihi quoque Lucridem confido fore te. *Tox.* Tu ſi hanc emeris,
Numquam hercle hunc menſem vortentem, credo, ſervibit tibi.
Dor. Ita velim quidem hercle! *Tox.* Optata ut eveniant, operam addito.
Nihil adhuc peccavit etiam. *Dor.* Ubi tu nata es? *Vir.* Ut mihi
Mater dixit, in culina, in angulo ad lævam manum.
Tox. Hæc erit tibi fauſta meretrix! nata eſt in calido loco,
Ubi rerum omnium bonarum copia eſt ſæpiſſume.
Tactus eſt leno, qui rogarat, ubi nata eſſet, diceret.
Lepide luſit. *Dor.* At ego patriam te rogo, quæ ſit tua.
Vir. Quæ mihi ſit, niſi hæc, ubi nunc ſum? *Dor.* At ego illam quæro, quæ fuit.
Vir. Omne ego pro nihilo eſſe ducto, quod fuit, quando fuit:
Tamquam hominem, quando animam efflavit, quid eum quæras, qui fuit?
Tox. Ita me di bene ament, ſapienter! atque equidem miſeret tamen.
Dor. Sed tamen, Virgo, quæ patria eſt tua? age mihi actutum expedi. quid taces?
Vir. Dico equidem patriam. quandoquidem hic ſervio, hæc patria eſt mea.
Tox. Jam de iſtoc rogare omitte. non vides nolle eloqui,
Ne ſuarum ſe miſerſarum in memoriam inducas? *Dor.* Quid eſt?
Captuſne eſt pater? *Vir.* Non captus, ſed quod habuit, id perdidit.
Tox. Hæc erit bono genere nata, nihil ſcit, niſi verum loqui.
Dor. Quis fuit? dic nomen. *Vir.* Quid illum miſerum memorem, qui fuit?
Nunc & illum Miſerum & me Miſeram æquom eſt nominarier.
Dor. Quojuſmodi is in populo habitus eſt? *Vir.* Nemo quiſquam acceptior:
Servi liberique amabant. *Tox.* Hominem miſerum prædicas;
Cum ipſus prope perditus eſt, & benevolentis perdidit.
Dor. Emam, opinor. *Tox.* Etiam, Opinor? *Dor.* Summo genere eſſe arbitror.
Tox. Divitias tu ex iſtac facies. *Dor.* Ita di ſaxint. *Tox.* eme modo.
Vir. Jam hoc tibi dico: jam actutum ecaſtor meus pater, ubi me ſciet
Veniſſe huc, aderit hic, & me abſentem redimet. *Tox.* Quid nunc? *Dor.* Quid eſt?
Tox. Audin' quid ait? *Vir.* Nam, etſi res ſunt fractæ, amici ſunt tamen.
Dor. Ne ſis plora, libera eris actutum, ſi crebro cades.
Vin' mea eſſe? *Vir.* Dum quidem ne nimis diu tua ſim, volo.

Tox. Satin' ut meminit libertatis! dabit hæc tibi grandes bolos.
Age, ſi quid agis: ego ad hunc redeo, ſequere, reduco hanc tibi.
Dor. Adoleſcens, vin' vendere iſtanc? *Sag.* Magis lubet, quam perdere.
Tox. Tum tu pauca in verba confer: qui datur, tanti indica.
Sag. Faciam ita, ut te velle video. ut emas, habe tibi centum minis.
Dor. Nimium'ſt. *Sag.* Octoginta. *Dor.* Nimium'ſt. *Sag.* Nummus abeſſe hinc non poteſt,
Quod nunc dicam. *Dor.* Quid id eſt ergo? eloquere actutum, atque indica.
Sag. Tuo periculo ſexaginta hæc datur argenti minis.
Dor. Toxile, quid ago? *Tox.* Di deæque te agitant irati, ſcelus,
Qui hanc non properes deſtinare. *Dor.* Habeto. *Tox.* Heu, prædatus probe!
Abi, argentum effer huc.
Non edepol minis trecentis cara'ſt: feciſti lucri.
Sag. Heus tu! etiam pro veſtimentis huc decem accedent minæ.
Dor. Abſcedent enim, non accedent. *Tox.* Tace ſis, non tu illum vides
Quærere anſam, infectum ut faciat? abiſne, atque argentum petis?
Dor. Heus tu ſerva iſtum. *Tox.* Quin tu is intro? *Dor.* Abeo, atque argentum affero.

ACTUS IV. SCENA V.

Toxilus, Sagariſtio, Virgo.

EDedol dediſti, Virgo, operam allaudabilem,
Probam & ſapientem & ſobriam. *Vir.* Si quid bonis
Boni fit, eſſe idem & grave & gratum ſolet.
Tox. Audin' tu! Perſa, ubi argentum ab hoc acceperis,
Simulato, quaſi eas prorſum in navem. *Sag.* Ne doce.
Tox. Per angiportum rurſum te ad me recipito,
Illac per hortum. *Sag.* Quod futurum eſt, prædicas.
Tox. At ne cum argento protinam permutes domum,
Moneo te. *Sag.* Quod te dignum'ſt, me dignum eſſe vis.
Tox. Tace! parce voci! præda progreditur foras.

ACTUS IV. SCENA VI.

Dordalus, Sagariſtio, Toxilus, Virgo.

PRobati hic argenti ſunt ſexaginta minæ,
Duobus nummis minus eſt. *Sag.* Quid ei nummi ſciunt?
Dor. Crumenam hanc emere, aut facere, ut remigret domum.
Sag. Ne non ſat eſſes leno, id metuebas, miſer,
Impure, avare, ne crumenam amitteres.
Tox. Sine, quæſo. quando leno'ſt, nihil mirum facit.
Dor. Lucro faciundo ego auſpicavi in hunc diem:
Nihil mihi tam parvi'ſt, quin me id pigeat perdere.
Age accipe hoc ſis. *Sag.* Hunc in collum, niſi piget,
Impone. *Dor.* Vero fiat. *Sag.* Numquid ceterum
Me voltis? *Tox.* Quid tam properas? *Sag.* Ita negotium'ſt,
Mandatæ quæ ſunt, volo deferre epiſtolas.
Geminum autem fratrem ſervire audivi hic meum,
Eum ego, ut requiram atque ut redimam, volo.
Tox. Atque edepol tu me commonuiſti haud male.

Videor vidiſſe hic forma perſimilem tui,
Eadem ſtatura. *Sag.* Quippe qui frater ſiet.
Dor. Sed ſcire velimus, quod tibi nomen ſiet.
Tox. Quid attinet nos ſcire? *Sag.* Auſculta ergo, ut ſcias:
Vaniloquidorus, Virginiſvendonides,
Nugipolyloquides, Argentiexterebronides,
Tedigniloquides, Nummorumexpalponides:
Quodſemelarripides, Numquam*poſtea*eripides.
Dor. Heu hercle nomen multis modis ſcriptum 'ſt tuum!
Sag. Ita ſunt Perſarum mores, longa nomina
Contortiplicata habemus. numquid ceterum
Voltis? *Dor.* Vale. *Sag.* Et vos: nam animus in navi 'ſt meus.
Dor. Cras ires potius, hodie hic cœnares. Vale.

ACTUS IV. SCENA VII.

Toxilus, Dordalus, Saturio, Virgo.

POſtquam illic abiit, dicere hic quidvis licet.
Næ hic tibi dies illuxit lucrificabilis!
Nam non emiſti hanc, verum feciſti lucri.
Dor. Ille quidem jam ſcit, quid negotii geſſerit,
Qui mihi furtivam meo periclo vendidit.
Argentum accepit, abiit. quid ego nunc ſcio,
An jam afferatur hæc manu? quo illum ſequar?
In Perſas? nugas. *Tox.* Credidi gratum fore
Beneficium meum apud te. *Dor.* Immo equidem gratiam
Tibi, Toxile, habeo: nam ſenſi te ſedulo
Mihi dare bonam operam. *Tox.* Tibin' ego? immo ſervii.
Dor. Attat oblitus ſum intus dudum edicere,
Quæ volui edicta. aſſerva hanc. *Tox.* Salva' ſt hæc quidem.
Vir. Pater nunc ceſſat. *Tox.* Quid ſi admoneam? *Vir.* Tempus eſt.
Tox. Heus! Saturio, exi. nunc eſt illa occaſio
Inimicum ulciſci. *Sag.* Ecce me. numquid moror?
Tox. Age, illuc abſcede procul e conſpectu. *Sag.* Tace!
Tox. Ubi cum lenone me videbis colloqui,
Tum turbam facito. *Sag.* Dictum ſapienti ſat eſt.

ACTUS IV. SCENA VIII.

Dordalus, Toxilus.

TRanſcidi loris omneis adveniens domi,
Ita mihi ſupellex ſqualet, atque ædes meæ.
Tox. Redis tu tandem? *Dor.* Redeo. *Tox.* Næ ego hodie tibi
Bonam vitam feci. *Dor.* Fateor habere gratiam.
Tox. Num quippiam aliud me vis? *Dor.* Ut bene ſit tibi.
Tox. Pol iſtuc quidem jam ego omne uſurpabo domi:
Nam jam inclinabo me cum liberta tua.

ACTUS VI. SCENA IX.

Saturio, Dordalus, Virgo.

NIſi ego illunc hominem perdo! *Dor.* Perii! *Sat.* Atque optume
Eccum ipſum ante ædes. *Vir.* Salve multum, mi pater.
Sat. Salve, mea gnata. *Dor.* Hei! Perſa me peſſumdedit.
Vir. Pater hic meus eſt. *Dor.* Hem! quid? pater? perii oppido.
Quid ego igitur ceſſo infelix lamentarier
Minas ſexaginta? *Sat.* Ego pol te faciam, ſcelus,
Te quoque etiam ipſum ut lamenteris. *Dor.* Occidi.
Sat. Age, ambula in jus, leno. *Dor.* Quid me in jus voeas?
Sat. Illi apud Prætorem dicam. ſed ego in jus voco.
Dor. Nonne anteſtaris? *Sat.* Tuan' ego cauſſa, carnufex,
Quoiquam mortali libero aureis atteram?
Qui hic commercaris cives homines liberos.
Dor. Sine dicam. *Sat.* Nolo. *Dor.* Audi. *Sat.* Sum ſurdus, ambula.
Sequere hac, ſceleſta feles virginaria.
Sequere hac, mea nata, me uſque ad Prætorem.
Vir. Sequor.

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

Toxilus, Sagariſtio, Lemniſelene.

HOſtibus victis, civibus ſalvis, re placida, pacibus perfectis,
Bello exſtincto, re bene geſta, integro exercitu & præſidiis,
Cum bene nos, Juppiter, juviſti, dique alii omnes cælipotentes,
Ea vobis grates habeo, atque ago: quia probe ſum ultus meum inimicum.
Nunc ob eam rem inter participes dividam prædam & participabo.
Ite foras: hic volo ante oſtium & januam meos participes bene accipere.
Statuite hic lectulos, ponite hic quæ aſſolent. hic ſtatui volo primum
Aquilam mihi: unde ego omnes hilaros, lubentes, lætificantes faciam ut fiant,
Quorum opera hæc mihi facilia factu facta ſunt, quæ volui effieri.
Nam improbus eſt homo, qui beneficium ſcit ſumere, & reddere neſcit.
Lem. Toxile mi, cur ego ſine te ſum? cur autem tu ſine me es? *Tox.* Agedum ergo,
Accede, mea, ad me, atque amplectere ſis. *Lem.* Ego vero. oh! nihil magis dulce 'ſt.
Sed, amabo, oculus meus, quin lectis nos actutum commendamus?
Tox. Omnia quæ tu vis, ea cupio. *Lem.* Mutua fiunt a me. *Tox.* Age, age, age ergo!
Tu Sagariſtio, accumbe in ſummo. *Sag.* Ego nihil moror: cedo parem, quem pepegi.
Tox. Temperi. *Sag.* Mihi iſtuc Temperi, ſero 'ſt. *Tox.* Hoc age! accumbe. hunc diem ſuavem
Meum natalem agitemus amœnum. date aquam manibus: apponite menſam.
Do hanc tibi florentem florenti: tu hic eris dictatrix nobis. age, puere,
A ſummo ſeptenis cyathis committe hos ludos. move manus; propera.
Pægnium! tarde cyathos mihi das: cedo ſane. Bene mihi, bene vobis, bene amicæ meæ.
Optatus hic mihi dies datus hodie 'ſt ab dis, quia te licet liberam me amplecti.
Lem. Tua factum opera. Bene omnibus nobis! hoc mea manus tuæ poculum donat,
Ut amanten amanti decet. *Tox.* Cedo. *Lem.* Accipe. *Tox.* Bene ei qui invidet mihi,
Et ei qui hoc gaudio gaudet.

ACTUS

ACTUS V. SCENA II.

Dordalus, Sagariſtio, Lemniſelene, Pægnium.

QUi ſunt, qui erunt, quique fuerunt, quique futuri ſunt poſthac,
Solus ego omnibus antideo facile, miſerrumus hominum ut vivam.
Perii! interii! peſſumus hic mihi dies hodie illuxit. corruptor
Ita me Toxilus perfabricavit, itaque meam rem divexavit.
Vehiculum argenti miſer ejeci, amiſi: neque quamobrem ejeci, habeo.
Qui illum Perſam, atque omnis Perſas, atque etiam omnis perſonas
Male di omnes perdant! ita miſer! Toxilus hæc mihi concivit.
Quia ei fidem non habui argenti, eo mihi eas machinas molitu'ſt:
Quem pol ego ut non in cruciatum atque in compedis cogam, ſi vivam,
Siquidem huc umquam herus redierit ejus, quod ſpero. ſed quid ego aſpicio?
Hoc vide! quæ hæc fabula eſt? pol hic quidem potant: aggrediar. o bone vir,
Salveto, & tu bona liberta! *Tox.* Dordalus hic quidem eſt. *Sag.* Quin jube adire.
Tox. Adi, ſi libet. agite! applaudamus. Dordale, homo lepidiſſume, ſalve.
Locus hic tuus eſt, huc accumbe. ferte aquam pedibus. præben'tu puere?
Dor. Ne ſis, me uno digito attigeris, ne te ad terram, ſcelus, affligam.
Pæg. At tibi ego hoc continuo cyatho oculum excutiam tuum.
Dor. Quid ais, crux, ſtimulorum tritor? quomodo me hodie vorſaviſti!
Ut me in tricas conjeciſti! quomodo de Perſa manus mihi adita'ſt!
Tox. Jurgium hinc auferas, ſi ſapias. *Dor.* At, bona liberta, hæc ſciviſti,
Et me celaviſti? *Lemn.* Stultitia'ſt, quoi bene eſſe licet, eum prævorti
Litibus. poſterius iſtæc te magis par agere'ſt. *Dor.* uritur cor mihi!
Tox. Da illi cantharum: exſtingue ignem, ſi cor uritur, caput ne ardeſcat.
Dor. Ludos me facitis, intellego. *Tox.* Vin' cinædum novom tibi dari, Pægnium?
Quin elude, ut ſoles, quando liber locu'ſt hic.
Hui! babæ! baſilice te intuliſti & facete.
Pæg. Decet me facetum eſſe: & hunc irridere
Lenonem lubido'ſt, quando dignu'ſt.
Tox. Perge, ut cœperas. *Pæg.* Hoc, leno, tibi.
Dor. Perii! perculit me prope. *Pæg.* Hem! ſerva rurſum.
Dor. Delude, ut lubet, herus dum hinc abeſt.
Pæg. Viden', ut tuis dictis pareo?
Sed quin tu meis contra item dictis ſervis,
Atque hoc, quod tibi ſuadeo, facis? *Dor.* Quid eſt id?
Pæg. Reſtim tu tibi cape craſſam, ac ſuſpende te.
Dor. Cave ſis me attingas: ne tibi hoc ſcipione
Malum magnum dem. *Pæg.* Utere, te condono.
Tox. Jamjam, Pægnium, da pauſam * * *
Dor. Ego pol vos eradicabo. *Pæg.* At te ille, qui ſupra nos habitat,
Qui tibi male volt, maleque faciet. non hi dicunt, verum ego.
Tox. Age! circumfer mulſum: bibere da uſque plenis cantharis.
Jamdiu factum eſt, poſtquam bibimus: nimis diu ſicci ſumus.
Dor. Di faciant, ut id bibatis, quod vos numquam tranſeat.
Pæg. Nequeo, leno, quin tibi ſaltem ſtaticulum *dem*, olim quem Hegea
Faciebat. vide vero, ſi tibi ſatis placet. *Sag.* Me quoque volo
Reddere, Diodorus quem olim faciebat in Jonia.
Dor. Malum ego vobis dabo, niſi abitis. *Sag.* Etiam muttis, impudens?
Jam ego tibi, ſi me irritaſſis, Perſam adducam denuo.
Dor. Jam taceo hercle. atque tu Perſa es, qui me uſque admutilaviſti ad cutem.
Tox. Tace, ſtulte! hic ejus geminus eſt frater. *Dor.* Hiccine'ſt? *Tox.* Ac geminiſſumus.
Dor. Di deæque & te, & geminum fratrem excrucient. *Sag.* Qui te perdidit:
Nam ego nihil merui. *Dor.* At enim, quod ille meruit, tibi id obſit volo.
Tox. Agite, ſultis, hunc ludificemus, niſi non dignu'ſt. *Sag.* Non opu'ſt.
Lem. At me haud par eſt. *Tox.* Eo credo, quia non inconciliavit, cum te emo.
Lem. Attamen. *Tox.* Non tamen: cave ergo ſis malo, & ſequere me.
Te mihi dicto audientem eſſe addecet. nam hercle abſque me
Foret & meo præſidio, hic faceret te proſtibilem propediem.
Sed ita pars libertinorum eſt; niſi patrono qui advorſatus eſt,
Nec ſatis liber ſibi videtur, nec ſatis frugi, nec ſatis honeſtus:
Ni id efficit, ni ei male dixit, ni grato ingratus repertus eſt.
Lem. Pol benefacta tua me hortantur, tuo ut imperio paream.
Tox. Ego ſum tibi patronus plane, qui huic pro te argentum dedi.
Pro hiſce hunc volo ludificari. *Lem.* Meo ego in loco ſedulo curabo.
Dor. Certo illi homines mihi neſcio quid mali conſulunt, quod faciant. *Sag.* Heu vos!
Tox. Quid ais? *Sag.* Hiccine Dordalus eſt leno, qui hic liberas virgines?
Hiccine eſt, qui fuit quondam fortis? *Dor.* Quæ hæc res eſt? hei! colaphum icit.
Malum vobis dabo. *Tox.* At tibi nos dedimus, dabimuſque etiam. *Dor.* Hei! nates pervellit.
Pæg. Licet: jam diu ſæpe ſunt expunctæ. *Dor.* Loquere tu etiam, fruſtum pueri?
Lem. Patrone, i intro amabo ad cœnam. *Dor.* Mea ignavia, tu nunc me irrides?
Lem. Quiane te voco, bene ut tibi ſit? *Dor.* Nolo mihi bene eſſe. *Lem.* Ne ſit.
Tox. Quid igitur, ſexcenti nummi quid agunt? quas turbas danunt!
Dor. Male diſperii. ſciunt referre probe inimico gratiam.

Tox.

Tox. Satis ſumſimus ſupplicii jam. *Dor.* Fateor, manus vobis do. *Tox.* Et poſt dabis
Sub furcis. abi intro. *Sag.* In crucem. *Dor.* An me hic parum exercitum
Hiſce me habent? *Tox.* Conveniſſe te Toxilum memineris.
Spectatores, bene valete: leno periit. Plaudite.

FINIS PERSÆ.

RUDENS.

Dramatis Perſonæ.

ARCTURUS, *Prologus.*
SCEPARNIO, *ſervus.*
PLEUSIDIPPUS, *adoleſcens.*
DÆMONES, *ſenex.*
PALÆSTRA,) *mulieres.*
AMPELISCA,)
SACERDOS, *anus.*
PISCATORES.
TRACHALIO, *ſervus.*
LABRAX, *leno.*
CHARMIDES, *paraſitus.*
LORARII.
GRIPUS. *piſcator.*

ARGUMENTUM.

Reti piſcator de mari extraxit vidulum,
Ubi erant herilis filiæ crepundia,
Dominum ad lenonem quæ ſurrepta venerat.
Ea in clientelam ſuipte imprudens patris
Naufragio ejecta devenit: cognoſcitur,
Suoque amico Pleuſidippo jungitur.

ARCTURUS

PROLOGUS.

Qui gentes omnes, mariaque & terras movet,
Ejus ſum civis civitate cælitum.
Ita ſum, ut videtis, ſplendens ſtella candida,
Signum quod ſemper tempore exoritur ſuo,
Hic atque in cælo. nomen Arcturo eſt mihi.
Noctu ſum in cælo clarus, atque inter deos:
Inter mortales ambulo interdius.
Et alia ſigna de cælo ad terram accidunt.
Qui eſt imperator divom atque hominum Juppiter,
Is nos per gentis alium alia diſparat,
Hominum qui facta, mores, pietatem & fidem
Noſcamus; ut quemque adjuvet opulentia:
Qui falſas lites falſis teſtimoniis
Petunt; quique in jure abjurant pecuniam;
Eorum referimus nomina exſcripta ad Jovem.
Cotidie ille ſcit, quis hic quærat malum.
Qui hic litem adipiſci poſtulant perjurio,
Malis res falſas qui imperrant apud judicem:
Iterum ille eam rem judicatam judicat,
Majore multa multat, quam litem auferunt.
Bonos in aliis tabulis exſcriptos habet.
Atque hoc ſceleſti in animum inducunt ſuum,
Jovem ſe placare poſſe donis, hoſtiis.
Et operam & ſumtum perdunt: id eo fit, quia
Nihil ei acceptum eſt a perjuris ſupplicii.
Facilius, ſi qui pius eſt, a dis ſupplicans,
Quam qui ſceleſtus eſt, inveniet veniam ſibi.
Iccirco moneo vos ego hæc, qui eſtis boni,
Quique ætatem agitis cum pietate & cum fide,
Retinete porro; poſt factum ut lætemini.
Nunc, huc qua cauſſa veni, argumentum eloquar.
Primum dum huic eſſe nomen urbi Diphilus
Cyrenas voluit. illic habitat Dæmones
In agro atque villa proxuma propter mare,
Senex, qui huc Athenis exſul venit, haud malus.
Neque is adeo propter malitiam patria caret:
Sed, dum alios ſervat, ſe impedivit interim:
Rem bene paratam comitate perdidit.
Huic filiola virgo periit parvola,
Eam de prædone vir mercatur peſſumus.
Is eam huc Cyrenas leno advexit virginem.
Adoleſcens quidam civis hujus Atticus
Eam vidit ire e ludo fidicino domum.
Amare occœpit: ad lenonem devenit,
Minis triginta ſibi puellam deſtinat,
Datque arrhabonem, & jurejurando alligat.
Is leno, ut ſe æquom eſt, flocci non fecit fidem:
Neque, quod juratus adoleſcenti dixerat.
Ei erat hoſpes, par illius, Siculus, ſenex
Sceleſtus, Agrigentinus, urbis proditor:
Is illius laudare infit formam virginis,
Et aliarum itidem, quæ ejus erant mulierculæ.
Infit lenoni ſuadere, ut ſecum ſimul
Eat in Siciliam: ibi eſſe homines voluptarios
Dicit: poteſſe ibi fieri eum divitem:
Ibi eſſe quæſtum maxumum meretricibus.
Perſuadet. navis clanculum conducitur.
Quidquid erat, noctu in navem comportat domo
Leno: adoleſcenti, qui puellam ab eo emerat,
Ait ſeſe Veneri velle votum ſolvere.
Id hic eſt fanum Veneris, & eo ad prandium
Vocavit adoleſcentem huc. ipſe hinc illico
Conſcendit navem, avehit meretriculas.
Adoleſcenti alii narrant, ut res geſta ſit:
Lenonem abiviſſe. ad portum adoleſcens venit:
Illorum navis longe in altum abſceſſerat.
Ego, quoniam video virginem aſportarier,
Tetuli ei auxilium & lenoni exitium ſimul:
Increpui hibernum, & fluctus movi maritimos.
Nam Arcturus ſignum ſum omnium acerrumum:
Vehemens ſum exoriens: cum occido, vehementior.
Nunc ambo in ſaxo, leno atque hoſpes, ſimul
Sedent ejecti: navis confracta eſt ibus.
Illa autem virgo, atque altera itidem ancillula,
De navi timidæ deſiluerunt in ſcapham.
Nunc eas ab ſaxo fluctus ad terram ferunt,
Ad villam illius, exſul ubi habitat ſenex,
Quojus deturbavit ventus tectum & tegulas.
Et ſervos illic eſt ejus, qui egreditur foras.
Adoleſcens huc jam adveniet, quem videbitis,
Qui illam mercatu' ſt de lenone virginem.
Valete, ut hoſtes voſtri diffidant ſibi.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Sceparnio.

Pro di immortales! tempeſtatem cujuſmodi
Neptunus nobis nocte hac miſit proxuma!
Detexit ventus villam. quid verbis opu'ſt?
Non ventus fuit, verum Alcumena Euripidi,
Ita omnis de tecto deturbavit tegulas:
Illuſtrioris fecit, feneſtraſque indidit.

ACTUS

ACTUS I. SCENA II.

Pleuſidippus, Dæmones, Sceparnio.

ET vos a voſtris abduxi negotiis,
Neque id proceſſit, qua vos duxi gratia,
Neque quivi lenonem ad portum prehendere.
Sed mea deſidia ſpem deſerere nolui:
Eo vos, amici, detinui diutius.
Nunc huc ad Veneris fanum venio viſere;
Ubi rem divinam ſe facturum dixerat.
Sc. Si ſapiam, hoc, quod me mactat, concinnem lutum.
Pl. Prope me hinc neſcio quis loquitur. *Dæm.* Heus! Sceparnio.
Sc. Qui nominat me? *Dæm.* Qui pro te argentum dedit.
Sc. Quaſi me tuum eſſe ſervom dicas, Dæmones?
Dæm. Luto uſu'ſt multo, multam terram confode:
Villam integundam intellego totam mihi:
Nam nunc perlucet ea, quam cribrum, crebrius.
Pl. Pater ſalveto, amboque adeo. *Dæm.* Salvos ſies.
Sc. Sed utrum tu mas an femina es, qui illum patrem
Voces? *Pl.* Vir ſum equidem. *Dæm.* Quære vir porro patrem.
Filiolam ego unam habui, eam unam perdidi.
Virile ſecus numquam ullum habui. *Pl.* At Di dabunt.
Sc. Tibi quidem hercle, quiſquis es, magnum malum,
Qui oratione hic nos occupatos occupes.
Pl. Iſticcine vos habitatis? *Sc.* Quid tu id quæritas?
An quo furatum mox venias, veſtigas loca?
Pl. Peculioſum eſſe decet ſervom & probum,
Quem hero præſente prætereat oratio,
Aut qui inclementer dicat homini libero.
Sc. Et impudicum & impudentem hominem addecet,
Moleſtum ultro advenire ad alienam domum,
Cui debeatur nihil. *Dæm.* Tace, Sceparnio.
Quid opus, adoleſcens, *eſt*? *Pl.* Iſti infortunium,
Qui præfeſtinet, ubi herus adſit, præloqui.
Sed niſi moleſtum'ſt, paucis percontarier
Volo ego ex te. *Dæm.* Dabitur opera, atque in negotio.
Sc. Quin tu in paludem is, exſiccaſque arundines,
Qui pertegamus villam, dum ſudum'ſt? *Dæm.* Tace.
Tu, ſi quid opus eſt, dice. *Pl.* Dic, quod te rogo.
Ecquem tu hic hominem criſpum, incanum videris,
Malum, perjurum, palpatorem? *Dæm.* Plurimos.
Nam ego propter ejuſmodi viros vivo miſer.
Pl. Hic dico in fanum Veneris qui mulierculas
Duas ſecum adduxit: quique adornaret ſibi,
Ut rem divinam faciat aut hodie aut heri.
Dæm. Non hercle, adoleſcens, jam hos dies compluſculos
Quemquam iſtic vidi ſacruficare; neque poteſt
Clam me eſſe, ſi qui ſacruficant. ſemper petunt
Aquam hinc, aut ignem, aut vaſcula, aut cultrum, aut veru,
Aut aulam extarem, aut aliquid: quid verbis opu'ſt?
Veneri paravi vaſa & puteum, non mihi.
Nunc intervallum jam hos dies multos fuit.
Pl. Ut verba præhibes, me periiſſe prædicas.
Dæm. Mea quidem hercle cauſſa ſalvos ſis licet.
Sc. Heus tu! qui fana ventris cauſſa circumis,
Jubere melius eſt prandium ornari domi;
Fortaſſe tu huc vocatus es ad prandium.
Ille, qui vocavit, nullus venit. *Pl.* Admodum.
Sc. Nullum'ſt periculum te hinc ire impranſum domum.
Cererem te melius quam Venerem ſectarier;
Amore hæc curat, tritico curat Ceres.
Pl. Deludificavit me ille homo indignis modis.
Dæm. Pro dii immortales, quid illuc eſt, Sceparnio,
Hominum ſecundum littus? *Sc.* Ut mea eſt opinio,
Propter viam illi ſunt vocati ad prandium.
Dæm. Qui? *Sc.* Quia poſt cœnam, credo, laverunt heri,
Confracta navis in mari eſt illis. *Dæm.* Ita eſt.
Sc. At hercle nobis villa in terra & tegulæ. *Dæm.* Hui!
Homunculi, quanti eſtis! ejecti ut natant!
Pl. Ubi ſunt ii homines, obſecro? *Dæm.* Hac ad dexteram,
Viden' ſecundum littus? *Pl.* Video. ſequimini.
Utinam ſit is, quem ego quæro, vir ſacerrumus!
Valete. *Sc.* Si non moneas, noſmet meminimus.
Sed o Palæmon, ſancte Neptuni comes,
Quique hercule illi ſocius eſſe diceris,
Quod facinus video! *Dæm.* Quid vides? *Sc.* Mulierculas
Video ſedenteis in ſcapha ſolas duas.
Ut afflictantur miſeræ! euge euge, perbene,
Ab ſaxo avortit fluctus ad littus ſcapham.
Neque gubernator umquam potuit:
Non vidiſſe undas me majoris cenſeo.
Salvæ ſunt, ſi illos fluctus devitaverint.
Nunc, nunc periculum'ſt! ejecit alteram,
At in vado'ſt. jam facile enabit. eugepæ!
Viden', alteram illam ut fluctus ejecit foras!
Surrexit: horſum ſe capeſſit: ſalva res!
Deſiluit hæc autem altera in terram e ſcapha.
Ut præ timore in genua in undas concidit!
Salva'ſt! evaſit ex aqua; jam in littore eſt.
Sed dextrovorſum avorſa it in malam crucem.
Hem! errabit illæc hodie. *Dæm.* Quid id refert tua?
Sc. Si ad ſaxum quo capeſſit, ea deorſum cadit,
Errationis fecerit compendium.
Dæm. Si tu de illarum cœnaturus veſperi es,
Illis curandum cenſeo, Sceparnio:
Si apud me eſurus es, mihi dari operam volo.
Sc. Bonum æquomque oras. *Dæm.* Sequere me hac ergo. *Sc.* Sequor.

ACTUS I. SCENA III.

Palæſtra.

NImio hominum fortunæ minus miſeræ memorantur,
Quam reapſe experiundo iis datur acerbum!
Hoc deo complacitum eſt? me hoc ornatu ornatam,
In incertas regiones, timidam, ejectam?
Hanccine ego ad rem natam miſeram me memorabo?
Hanccine ego partem capio ob pietatem præcipuam?
Nam hoc mihi haud labori eſt laborem hunc potiri,
Si erga parentem aut Deos me impiavi;
Sed id ſi parate curavi ut caverem;
Tunc hoc mihi indecore, inique, immodeſte
Datis, Di. nam quid habebunt ſibi igitur impii
Poſthac, ſi ad hunc modum eſt innoxiis honor
Apud vos? nam me, ſi ſciam feciſſe
Aut parentes ſceleſte, minus me miſerer:

Sed

Sed herile ſcelus me ſollicitat. ejus me impietas male
Habet. is navem atque omnia perdidit in mari.
Hæc bonorum ejus ſunt reliquiæ. etiam, quæ ſimul
Vecta mecum in ſcapha 'ſt, excidit. ego nunc ſola ſum.
Quæ ſi mihi foret ſalva ſaltem, labor
Lenior eſſet hic mihi ejus opera.
Nunc quam ſpem, aut opem, aut conſilii quid capeſſam?
Ita hic ſolis locis compotita ſum.
Hic ſaxa ſunt, hic mare ſonat, nec quiſquam
Homo mihi obviam venit.
Hoc quod induta ſum, ſummæ opes oppido,
Nec cibo, nec loco, tecta quo ſim, ſcio.
Quæ mihi eſt ſpes, qua me vivere velim?
Nec loci gnara ſum, nec diu hic fui.
Saltem aliquem velim, qui mihi ex his locis
Aut viam aut ſemitam monſtret: ita nunc hac
An illac eam, incerta ſum conſilii:
Nec prope uſquam hic quidem cultum agrum conſpicor.
Algor, error, pavor membra omnia tenent.
Hæc parentes haud mei ſcitis miſeri,
Me nunc miſeram ita eſſe, uti ſum. libera ego
Prognata fui maxume; nequidquam fui.
Nunc qui minus ſervio, quam ſi ſerem ſerva nata?
Neque quidquam umquam iis profui, qui me ſibi eduxerunt.

ACTUS I. SCENA IV.

Ampeliſca, Palæſtra.

QUid mihi melius eſt, quid magis in rem eſt, quam corpore vitam ſecludam?
Ita male vivo: atque ita mihi multæ in pectore ſunt curæ exanimales.
Nunc dein vitæ haud parco: perdidi ſpem, qua me oblectabam.
Omnia jam circumcurſavi, atque omnibus in latebris perreptavi
Quærere conſervam voce, oculis, auribus; ut perveſtigarem.
Neque eam uſquam invenio, neque quo eam, neque qua quæram conſultum 'ſt,
Neque quem rogitem reſponſorem, quemquam interea invenio,
Neque magis ſolæ terræ ſunt, quam hæc loca atque hæ regiones,
Neque ſi vivit, eam vivam umquam quin inveniam, deſiſtam.
Pal. Quænam vox mihi prope hic ſonat? *Amp.* Pertimui,
Quis hic loquitur prope? *Pal.* Spes bona, obſecro ſubventa
Mihi. *Amp.* Mulier eſt. muliebris vox mihi ad aures
Venit. *an* eximes ex hoc miſeram metu?
Pal. Certo vox muliebris auris tetigit meas.
Num Ampeliſca obſecro 'ſt? *Amp.* Ten', Palæſtra, audio?
Pal. Quin voco, ut me audiat, nomine illam ſuo.
Ampeliſca! *Amp.* Hem quis eſt? *Pal.* Ego Palæſtra ſum.
Amp. Dic, ubi es? *Pal.* Pol ego nunc in malis plurimis.
Amp. Socia ſum; nec minor pars mea 'ſt quam tua.
Sed videre expeto te. *Pal.* Mihi es æmula.
Amp. Conſequamur gradu vocem. ubi es? *Pal.* Ecce me.
Accede ad me, atque adi contra, *Amp.* Fit ſedulo.
Pal. Cedo manum. *Amp.* Accipe. *Pal.* Dic, vivisne obſecro?
Amp. Tu facis me quidem ut vivere nunc velim,
Quando mihi te licet tangere: ut vix mihi
Credo ego hoc, te tenere! obſecro, amplectere,
Spes mea! ut me omnium jam laborum levas!
Pal. Occupas præloqui, quæ mea eſt oratio.
Nunc abire hinc decet nos, *Amp.* Quo, amabo, ibimus?
Pal. Litus hoc perſequamur. *Amp.* Sequor, quo lubet.
Pal Siccine hic cum uvida veſte graſſabimur?
Amp. Hoc quod eſt, id neceſſarium eſt perpeti.
Sed quid hoc, obſecro, eſt? *Pal.* Quid? *Amp.* Viden' amabo,
Faxum, videſne hoc? *Pal.* Ubi eſt? *Amp.* Ad dexteram.
Pal. Video decorum dis locum viderier.
Amp. Haud longe abeſſe oportet homines hinc: ita hic
Lepidu 'ſt locus. *nunc, quiſquis* eſt deus, veneror,
Ut nos ex hac ærumna miſeras eximat,
Inopes, ærumnoſas ut aliquo auxilio adjuvet.

ACTUS I. SCENA V.

Sacerdos, Palæſtra, Ampeliſca.

QUi ſunt, qui a patrona preces mea expeteſſunt?
Nam vox precantum me huc foras excitavit.
Bonam atque obſequentem deam, atque haud gravatam
Patronam exſequuntur, benignamque multum.
Pal. Jubemus te ſalvere, mater. *Sac.* Salvete,
Puellæ. ſed unde vos ire cum uvida
Veſte dicam, obſecro, tam mæſtiter veſtitas?
Pal. Illico hinc imus, haud longule ex hoc loco.
Verum longe hinc abeſt, unde huc vectæ ſumus.
Sac. Nempe equo ligneo per vias cæruleas
Eſtis vectæ. *Pal.* Admodum. *Sac.* Ergo æquius vos erat
Candidatas venire hoſtiataſque. ad hoc
Fanum ad iſtunc modum non veniri ſolet.
Pal. Quane ejectæ e mari ſumus ambæ, obſecro!
Unde nos hoſtias agere voluiſti huc?
Nunc tibi amplectimur genua egentes opum,
Quæ in locis neſciis neſcia ſpe ſumus,
Ut tuo recipias tecto, ſerveſque nos,
Miſerarumque te ambarum uti miſereat,
Quibus nec locus ullus, nec ſpes parata eſt,
Neque hoc amplius, quam quod vides, nobis quidquam 'ſt.
Sac. Manus mihi date; exſurgite a genibus ambæ:
Miſericordior nulla me eſt feminarum.
Sed hic pauperes res ſunt inopeſque, puellæ:
Egomet vix vitam colo: Veneri cibo meo
Servio. *Amp.* Veneris fanum, obſecro, hoc eſt? *Sac.* Fateor. ego
Hujus fani ſacerdos clueo. verum, quidquid eſt,
Comiter fiet a me, quo noſtra copia
Valebit. ite hac mecum. *Pal.* Amice benigneque
Honorem, mater, noſtrum habes. *Sac.* Oportet.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

Piſcatores.

OMnibus modis, qui pauperes ſunt homines, miſeri vivont,
Præſertim quibus nec quæſtus eſt, nec didicere artem ullam,
Neceſſitate, quidquid eſt domi, id ſat eſt habendum.
Nos jam de ornatu propemodum ut locupletes ſimus, ſcitis,
Hiſce hami, atque hæ harundines ſunt nobis quæſtu & cultu.
Ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum:
Pro exercitu gymnaſtico & palæſtrico, hoc habemus,
Echinos, lepadas, oſtreas, balanos captamus, conchas,
Marinam urticam, muſculos, plaguſias, ſtriatas,
Poſt id piſcatum hamatilem & ſaxatilem aggredimur.
Cibum captamus e mari: ſin eventus non venit,
Neque quidquam captum eſt piſcium, ſalſi lautique pure
Domum redimus clanculum; dormimus incœnati.
Atque ut nunc valide fluctuat mare, nulla nobis ſpes eſt.
Niſi quid concharum capſimus, incœnati ſumus profecto.
Nunc Venerem hanc veneremur bonam, ut nos lepide adjuverit hodie.

ACTUS II. SCENA II.

Trachalio, Piſcatores.

ANimo advorſavi ſedulo, ne herum uſquam prætetirem.
Nam cum modo exibat foras, ad portum ſe ajebat ire,
Me huc obviam juſſit ſibi venire ad Veneris fanum.
Sed quos perconter, commode eccos video aſtare! adibo.
Salvete, fures maritimi, conchitæ, atque hamiotæ,
Famelica hominum natio! quid agitis? ut peritis?
Piſc. Ut piſcatorem æquom eſt; fame, ſiti, ſpeque.
Tr. Ecquem adoleſcentem huc,
Dum hic aſtatis, ſtrenua facie, rubicundum, fortem, qui tres
Duceret chlamydatos cum machæriis, vidiſtis venire?
Piſc. Nullum iſtac facie, ut prædicas, veniſſe huc ſcimus. *Tr.* Ecquem
Recalvom ac ſilonem ſenem, ſtatutum, ventrioſum,
Tortis ſuperciliis, contracta fronte, fraudulentum,
Deorum odium atque hominum; malum, mali vitii probrique plenum,
Qui duceret mulierculas duas ſecum ſatis venuſtas?
Piſc. Cum iſtiuſmodi virtutibus operiſque natus qui ſit,
Eum quidem ad carnuficem eſt æquius, quam ad Venerem commeare.
Tr. At ſi vidiſtis, dicite. *Piſc.* Huc profecto nullus venit.
Vale! *Tr.* Valete! credidi: factum eſt, quod ſuſpicabar.
Data verba hero ſunt; leno abiit ſceleſtus exſulatum,
In navem aſcendit, mulieres avexit; ariolus ſum.
Is huc herum etiam ad prandium vocavit ſceleris ſemen.
Numquid mihi meliu'ſt, quam illico hic opperiar herum, dum veniat?
Eadem hanc ſacerdotem Veneriam, ſi quid amplius ſcit,
Si videro, exquiſivero: faciet me certiorem.

ACTUS II. SCENA III.

Ampeliſca, Trachalio.

INtellego: hanc quæ proxuma eſt villam Veneris fano
Pulſare juſſiſti, atque aquam rogare. *Tr.* Cuja ad auris
Vox mihi advolavit? *Amp.* Obſecro! quis hic loquitur? quem ego video?
Tr. Eſtne Ampeliſca hæc, quæ foras e fano egreditur?
Amp. Eſtne hic Trachalio, quem conſpicor, calator Pleuſidippi?
Tr. Ea eſt. *Amp.* Is eſt. Trachalio, ſalve! *Tr.* Salve, Ampeliſca!
Quid agis tu? *Amp.* Ætatem haud mala male. *Tr.* Melius ominare!
Amp. Verum omnes ſapientes decet conferre & fabulari.
Sed Pleuſidippus tuus herus ubi, amabo, eſt? *Tr.* Eja vero!
Quaſi non ſit intus. *Amp.* Neque pol eſt, neque ullus quidem huc venit.
Tr. Non venit? *Amp.* Vera prædicas. *Tr.* Non eſt meum, Ampeliſca.
Sed quam mox coctum eſt prandium? *Amp.* Quod prandium, obſecro te?
Tr. Nempe rem divinam facitis hic. *Amp.* Quid ſomnias, amabo!
Tr. Certe huc Labrax Pleuſidippum ad prandium vocavit
Herum meum, herus voſter. *Amp.* Pol haud miranda facta dicis.
Si deos decepit & homines, lenonum more fecit.
Tr. Non rem divinam facitis hic vos, neque herus? *Amp.* Ariolare.
Tr. Quid tu agis hic igitur? *Amp.* Ex malis multis, metuque ſummo,
Capitalique ex periculo, orbas auxiliique opumque huc
Recepit ad ſe Veneria hæc ſacerdos, me, & Palæſtram.
Tr. An hic Palæſtra 'ſt, obſecro! heri mei amica? *Amp.* Certo.
Tr. Ineſt lepos in nuntio tuo magnus, mea Ampeliſca.
Sed iſtuc periculum perlubet quod fuerit vobis ſcire.
Amp. Confracta eſt, mi Trachalio, hac nocte navis nobis.
Tr. Quid, navis? quæ iſtæc fabula eſt! *Amp.* Non audiviſti, amabo,
Quo pacto leno clanculum nos hinc auferre voluit
In Siciliam, & quidquid domi fuit, in navem impoſivit?
Ea nunc perierunt omnia. *Tr.* Oh! Neptune lepide, ſalve:
Nec te aleator ullus eſt ſapientior. profecto
Nimis lepide jeciſti bolum: perjurum perdidiſti.
Sed nunc ubi eſt leno Labrax? *Amp.* Periit potando, opinor.

Neptu-

Neptunus magnis poculis hac nocte eum invitavit.
Tr. Credo, hercle, anancæo datum, quod biberet. ut ego amo te,
Mea Ampeliſca! ut dulcis es! ut mulſa dicta dicis!
Sed tu & Palæſtra quomodo ſalvæ eſtis? *Amp.* Scibis faxo.
E navi timidæ ambæ in ſcapham inſiluimus: quia videmus
Ad ſaxa navem ferrier, properans exſolvi reſtim:
Dum illi timent, nos cum ſcapha tempeſtas dextrovorſum
Differt ab illis. itaque nos ventiſque fluctibuſque
Jactatæ exemplis plurimis miſeræ perpetuam noctem:
Vix hodie ad litus pertulit nos ventus exanimatas.
Tr. Novi, Neptunus ita ſolet: quamvis faſtidioſus
Ædilis eſt: ſi quæ improbæ ſunt merces, jactat omnes.
Amp. Væ capiti atque ætati tuæ! *Tr.* Tuo! mea Ampeliſca,
Scivi lenonem facere hoc, quod fecit. ſæpe dixi.
Capillum promittam optumum 'ſt, occipiamque ariolari.
Amp. Caviſtis ergo tu atque herus, ne abiret, cum ſcibatis?
Tr. Quid faceret? *Amp.* Si amabat, rogas, quid faceret? aſſervaret
Dies noctesque: in cuſtodia eſſet ſemper. verum ecaſtor
Ut multi fecit: ita probe curavit Pleuſidippus.
Tr. Cur tu iſtuc dicis? *Amp.* Res palam eſt. *Tr.* Scin' tu etiam, qui it lavatum
In balineas, ibi cum ſedulo ſua veſtimenta ſervat,
Tamen ſurripiuntur: quippe qui, quem illorum obſervet, falſus eſt:
Fur facile, quem obſervet, videt: cuſtos, qui fur ſit, neſcit.
Sed duce me ad illam. ubi eſt? *Amp.* I ſane in Veneris fanum huc intro,
Sedentem flentemque opprimes. *Tr.* Ut jam iſtuc mihi moleſtum eſt!
Sed quid flet? *Amp.* Ego dicam tibi. hoc ſeſe excruciat animi,
Quia leno ademit ciſtulam ei, quam habebat; ubique habebat,
Qui ſuos parentes noſcere poſſet: eam veretur
Ne perierit. Tr. Ubinam ea fuit ciſtellula? *Amp.* Ibidem in navi
Concluſit ipſe in vidulum, ne copia eſſet ejus,
Qui ſuos parentes noſcerent. *Tr.* O facinus impudicum,
Quam liberam eſſe oporteat, ſervire poſtulare!
Amp. Nunc eam cum navi ſcilicet abiviſſe peſſum in altum.
Et aurum & argentum fuit lenonis omne ibidem.
Credo aliquem immerſiſſe, atque eum excepiſſe. id miſera mæſta 'ſt,
Sibi eorum eveniſſe inopiam. *Tr.* Jam iſtoc magis uſus facto 'ſt,
Ut eam intro, conſolerque eam, ne ſe ſic excruciet animi:
Nam multa præter ſpem ſcio multis bona eveniſſe.
Amp. At ego etiam, qui ſperaverint, ſpem decepiſſe multos.
Tr. Ergo animus æquos optumum eſt ærumnæ condimentum.
Ego eo intro, niſi quid vis. *Amp.* eas: ego, quod mihi imperavit
Sacerdos, id faciam; atque aquam hinc de proxumo rogabo.
Nam extemplo, ſi verbis ſuis peterem, daturos dixit:
Neque digniorem cenſeo vidiſſe anum me quemquam,
Cui deos atque homines cenſeam benefacere magis decere.
Ut lepide, ut liberaliter, ut honeſte, atque haud gravate
Timidas, egentes, uvidas, ejectas, exanimatas
Accepit ad ſeſe! haud ſecus, quam ſi ex ſe ſimus natæ:
Ut eapſe *ſic* ſuccincta aquam calefactat, ut lavemus!
Nunc ne moræ illi ſim, petam hinc aquam, unde mihi imperavit.
Heus! ecquis in villa 'ſt? ecquis hoc recludit? ecquis prodit?

ACTUS II. SCENA IV.

Sceparnio, Ampeliſca.

Quis eſt, qui noſtris tam proterve foribus facit injuriam?
Amp. Ego ſum. *Sc.* Hem! quid hoc boni eſt? heu! edepol ſpecie lepida mulier!
Amp. Salve, adoleſcens. *Sc.* Et tu multum ſalveto, adoleſcentula.
Amp. Ad vos venio. *Sc.* Accipiam hoſpitio, ſi mox venis,
Item ut affectam: nam nunc nihil eſt qui te inanem * *
Sed quid ais, mea lepida, hilara? *Amp.* Aha! nimium familiariter
Me attrectas. *Sc.* pro di immortales! Veneris effigia hæc quidem eſt.
Ut in ocellis hilaritudo eſt! eja, corpus quojuſmodi!
Subvolturium! illud quidem, ſubaquilum volui dicere.
Vel papillæ quojuſmodi! tum quæ indoles in ſavio eſt!
Amp. Non ego ſum pollucta pago. potin' ut me abſtineas manum?
Sc. Non licet te ſicce placide bellam belle tangere?
Amp. Otium ubi erit, tum tibi operam ludo & deliciæ dabo:
Nunc, quamobrem huc ſum miſſa, amabo, vel tu mihi ajas, vel neges.
Sc. Quid nunc vis? *Amp.* Sapienti ornatus, quid velim, indicium facit.
Sc. Meus quoque hic ſapienti ornatus, quid velim, indicium facit.
Amp. Hæc ſacerdos Veneris hinc me petere juſſit a vobis aquam.
Sc. At ego baſilicus ſum: quem niſi oras, guttam non feres.
Noſtro illum puteum periculo & ferramentis fodimus:
Niſi multis blanditiis, a me gutta non feret poteſt.
Amp. Cur tu aquam gravare, amabo, quam hoſtis hoſti commodat?
Sc. Cur tu operam gravare mihi, quam civis civi commodat?
Amp. Immo etiam tibi, mea voluptas, quæ voles, faciam omnia.
Sc. Eugepæ! ſalvos ſum! hæc jam me ſuam voluptatem vocat.
Dabitur tibi aqua, ne nequidquam me ames: cedo mihi urnam. *Amp.* Cape,

Propera, amabo, efferre. *Sc.* Mutta: jam hic ero, voluptas mea.
Am. Quid ſacerdoti me dicam hic demoratam tam diu?
Ut etiam nunc miſera timeo, ubi oculis intueor mare!
Sed quid ego miſera video procul in littore,
Meum herum lenonem Siculenſemque hoſpitem,
Quos periiſſe ambos miſera cenſebam in mari.
Jam illud mali plus nobis vivit, quam rati.
Sed quid ego ceſſo fugere in fanum, ac dicere hæc
Palæſtræ; in aram uti confugiamus prius,
Quam huc ſceleſtus leno veniat, noſque hic opprimat?
Confugiam hinc, res ita ſuppetit ſubito *mihi*.

ACTUS II. SCENA V.

Sceparnio.

PRo di immortales! in aqua numquam credidi
Voluptatem ineſſe tantam. ut hanc traxi lubens!
Nimio minus altus puteus viſus eſt, quam prius.
Ut ſine labore hanc extraxi! præfiſcine,
Satis nequam ſum: ut pote qui hodie inceperim
Amare. hem tibi aquam, mea tu belia. hem! ſic volo
Te ferre honeſte, ut ego fero: ut placeas mihi.
Sed ubi tu es, delicata? cape aquam hanc ſis. ubi es?
Amat hercle me, ut ego opinor: delituit mala.
Ubi tu es? etiamne hanc urnam acceptura? ubi es?
Commodule melius: tandem vero ſerio.
Etiam acceptura es urnam hanc? ubi tu es gentium?
Nuſquam hercle equidem illam video. ludos me facit.
Apponam hercle urnam jam ego hanc in media via.
Sed autem, quid ſi hanc hinc abſtulerit quiſpiam
Sacram urnam Veneris? mihi exhibeat negotium.
Metuo hercle, ne illa mulier mihi inſidias locet,
Ut comprehendar cum ſacra urna Veneria.
Nempe optumo *me* jure in vinculis enicet
Magiſtratus: ſi quis me hanc habere viderit.
Nam hæc litterata'ſt: ab ſe cantat cuja ſit.
Jam hercle evocabo hinc hanc ſacerdotem foras,
Ut hanc accipiat urnam. accedam huc ad fores.
Heus ſis, Ptolemocratia! cape hanc urnam tibi.
Muliercula hanc neſcio quæ huc ad me detulit.
Intro ferunda eſt. repperi negotium:
Siquidem his mihi ultro aggerunda etiam eſt aqua.

ACTUS II. SCENA VI.

Labrax, Charmides.

QUi homo ſeſe miſerum & mendicum volet,
Neptuno credat ſeſe atque ætatem ſuam:
Nam ſi quis quid cum eo rei commiſcuit,
Ad hoc exemplum amittit ornatum domum.
Edepol libertas lepida es, quæ numquam pedem
Voluiſti in navem mecum hercle una imponere.
Sed ubi ille meus eſt hoſpes, qui me perdidit!
Atque eccum incedit! *Ch.* Quo, malum, properas Labrax?
Nam equidem te nequeo conſequi tam ſtrenue.
Lab. Utinam te prius quam oculis vidiſſem meis,
Malo cruciatu in Siciliam perbiteres;
Quem propter hoc mihi obtigit miſero mali!
Ch. Utinam, cum in ædes me ad te adduxiſti tuas,
In carcere illo potius cubuiſſem die!
Deoſque immortales quæſo, dum vivas, uti
Omnes tui ſimiles hoſpites habeas tibi.
Lab. Malam Fortunam in ædeis te adduxi meas.
Quid mihi ſceleſto tibi erat auſcultatio?
Quidve hinc abitio? quidve in navem inſcenſio?
Ubi perdidi etiam plus boni quam mihi fuit.
Ch. Pol minume miror, navis ſi fracta'ſt tibi;
Scelus te, & ſceleſte parta quæ vexit bona.
Lab. Peſſum dediſti me blandimentis tuis.
Ch. Sceleſtiorem cœnam cœnavi tuam,
Quam quæ Thyeſtæ quondam antepoſita eſt, & Tereo.
Lab. Perii, animo male fit, contine, quæſo, caput.
Ch. Pulmoneum edepol nimis velim vomitum vomas.
Lab. Eheu Palæſtra atque Ampeliſca! ubi eſtis nunc?
Ch. Piſcibus in alto, credo, præbent pabulum.
Lab. Mendicitatem mihi obtuliſti opera tua,
Dum tuis auſculto magnidicis mendaciis.
Ch. Bonam eſt quod habeas gratiam merito mihi,
Qui te ex inſulſo ſalſum feci opera mea.
Lab. Quin tu hinc is a me in maxumam malam crucem?
Ch. Eas! eaſque res agebam commodum.
Lab. Eheu! quis vivit me mortalis miſerior!
Ch. Ego multo tanto miſerior, quam tu, Labrax.
Lab. Qui? *Ch.* Quia ego indignus ſum, tu dignus, qui ſies.
Lab. O ſcirpe, ſcirpe! laudo fortunas tuas,
Qui ſemper ſervas gloriam aritudinis.
Ch. Equidem me ad velitationem exerceo.
Nam omnia coruſca præ tremore fabulor.
Lab. Edepol, Neptune, es balneator frigidus:
Cum veſtimentis poſteaquam abs te abii, algeo.
Ne thermopolium quidem ullum inſtruit:
Ita ſalſam præbet potionem & frigidam.
Ch. Ut fortunati ſunt fabri ferrarii,
Qui apud carbones aſſident! ſemper calent.
Lab. Utinam fortuna nunc anatina uterer,
Uti, cum exiviſſem ex aqua, arerem tamen!
Ch. Quid, ſi aliquo ad ludos me pro manduco locem?
Lab. Quapropter? *Ch.* Quia pol clare crepito dentibus.
Jure optumo me laviſſe arbitror.
Lab. Qui? *Ch.* Quia auderem tecum in navem aſcendere,
Qui a fundamento mihi uſque moviſti mare.
Lab. Tibi auſcultavi, tu promittebas mihi
Illic eſſe quæſtum maxumum meretricibus;
Ibi me corruere poſſe ajebas divitias.
Ch. Jam poſtulabas te, impurata belua,
Totam Siciliam devoraturum inſulam.
Lab. Quænam balæna meum voravit vidulum,
Aurum atque argentum ubi omne compactum fuit?
Ch. Eadem illa, credo, quæ meum marſupium,
Quod plenum argenti fuit in ſacciperio.
Lab. Eheu! redactus ſum uſque ad hanc unam tuniculam,
Et ad hoc miſellum pallium. perii oppido!
Ch. Vel conſociare mihi quidem tecum licet:
Æquas habemus partes. *Lab.* Saltem ſi mihi
Mulierculæ eſſent ſalvæ! ſpes aliquæ forent.
Nunc ſi me adoleſcens Pleuſidippus viderit,
A quo arrhabonem pro Palæſtra acceperam,
Jam is exhibebit hic mihi negotium.
Ch. Quid, ſtulte, ploras? tibi quidem edepol copia'ſt,
Dum lingua vivet, qui rem ſolvas omnibus.

ACTUS

ACTUS II. SCENA VIII.

Sceparnio, *Charmides*, *Labrax*.

QUid illuc, obſecro, eſt negotii, quod duæ mulierculæ
Hic in fano Veneris ſignum flentes amplexæ tenent;
Neſcio quem metuentes miſeræ? nocte hac vero proxuma
Se jactitas atque ejectas hodie eſſe ajunt e mari.
Lab. Obſecro hercle adoleſcens, ubi iſtæc ſunt, quas memoras, mulieres?
Sc. Hic in fano Veneris. *Lab.* Quot ſunt? *Sc.* Totidem quot ego & tu ſumus.
Lab. Nempe meæ. *Sc.* Nempe neſcio iſtuc. *Lab.* Qua ſunt facie? *Sc.* Scitula.
Vel ego amare utramvis poſſim, ſi probe appotus ſiem.
Lab. Nempe puellæ? *Sc.* Nempe moleſtus es: viſe, ſi lubet.
Lab. Meas oportet intus eſſe hic mulieres, mi Charmides.
Ch. Juppiter te perdat, & ſi ſunt, & ſi non ſunt tamen.
Lab. Intro rumpam jam huc in Veneris fanum. *Ch.* In barathrum mavelim.
Obſecro, hoſpes, da mihi aliquid, ubi condormiſcam, loci.
Sc. Iſtic ubi vis condormiſce: nemo prohibet, publicum eſt.
Ch. At vides me, ornatus ut ſim veſtimentis uvidis:
Recipe me in tectum, da mihi veſtimenti aliquid aridi,
Dum mea areſcunt: in aliquo tibi referam gratiam.
Sc. Tigillum eccillud mihi unum areſcit: id ſi vis, dabo:
Eodem amictus, eodem tectus eſſe ſoleo, ſi pluvit.
Tu iſtæc mihi dato: exareſcunt ſaxo. *Ch.* Eho! an te pœnitet,
In mari quod elavi, ni hic in terra iterum eluam?
Sc. Eluas tu an exungare, ciccum non interduim.
Tibi ego numquam quidquam credam, niſi accepto pignore.
Tu vel ſuda, vel peri algu; vel tu ægrota, vel vale:
Barbarum hoſpitem mihi in ædeis, nihil moror: ſat litium eſt.
Ch. Jamne abis? venales illic ductitavit, quiſquis eſt.
Non eſt miſericors. ſed quid ego hic aſto infelix, uvidus?
Quin abeo hinc in Veneris fanum, ut edormiſcam hanc crapulam,
Quam potavi præter animi, quam libuit, ſententiam.
Quaſi vinis Græcis Neptunus nobis ſuffudit mare:
Itaque alvom prodi ſperavit nobis ſalſis poculis.
Quid opu'ſt verbis? ſi invitare nos paulliſper pergeret,
Ibidem obdormiſſemus: nunc vix vivos amiſit domum.
Nunc lenonem, quid agit intus, viſam; convivam meum.

ACTUS TERTIUS

SCENA I.

Dæmones.

MIris modis di ludos faciunt hominibus,
Mirīſque exemplis ſomnia in ſomnis danunt.
Ne dormientes quidem ſinunt quieſcere.
Velut ego hac nocte, quæ præceſſit, proxuma
Mirum atque inſcitum ſomniavi ſomnium.
Ad hirundininum nidum viſa eſt ſimia
Aſcenſionem ut faceret admolirier:
Neque eas eripere quibat inde. poſtibi
Videbatur ad me ſimia aggredirier,
Rogare, ſcalas ut darem utendas ſibi.
Ego ad hoc exemplum ſimiæ reſpondeo,
Natas ex Philomela atque ex Progne eſſe hirundines,
Ago cum illa, ne quid noceat meis popularibus,
Atque illa animo jam fieri ferocior,
Videtur ultro mihi malum minitarier.
In jus vocat me. ibi ego neſcio quomodo
Iratus videor mediam arripere ſimiam:
Concludo in vincla beſtiam nequiſſumam.
Nunc quam ad rem dicam hoc attinere ſomnium,
Numquam hodie quivi ad conjecturam evadere.
Sed quid hic in Veneris fano
Clamoris oritur! animus mirat.

ACTUS III. SCENA II.

Trachalio, *Dæmones*.

PRo, Cyrenenſes populares! voſtram ego imploro fidem,
Agricolæ, accolæ, propinqui qui eſtis his regionibus,
Ferte opem inopiæ, atque exemplum peſſumum peſſumdate,
Vindicate: ne impiorum potior ſit pollentia,
Quam innocentium, qui ſe ſcelere fieri nolunt nobiles.
Statuite exemplum impudenti, date pudori præmium.
Facite hic lege potius liceat, quam vi, victo vivere.
Currite huc in Veneris fanum: voſtram iterum imploro fidem,
Qui prope hic adeſtis, quique auditis clamorem meum,
Ferte ſuppetias, qui Veneri Veneriæque antiſtitæ
More antiquo in cuſtodiam ſuum commiſerunt caput,
Prætorquete injuriæ prius collum, quam ad vos perveniat.
Dæm. Quid iſtuc eſt negotii? *Tr.* Per ego te hæc genua obteſtor ſenex,
Quiſquis es. *Dæm.* Quin tu ergo omitte genua; & quid ſit, mihi expedi,
Quid tumultues. *Tr.* Teque oro & quæſo, ſi ſperas tibi
Hoc anno multum futurum ſirpe, & laſerpitium,
Eamque eventuram exagogam Capuam ſalvam & ſoſpitem,
Atque ab lippitudine uſque ſiccitas ut ſit tibi.
Dæm. Sanun' es? *Tr.* Seu tibi confidis fore multam magudarim,

Ut te ne pigeat dare operam mihi, quod te orabo, ſenex.
Dæm. At ego te per crura & talos, tergumque obteſtor tuum,
Si tibi ulmeam uberem eſſe ſperas virgidemiam,
Et tibi eſſe eventuram hoc anno uberem meſſem mali,
Ut mihi iſtuc dicas negotii quid ſit, quod tumultues.
Tr. Qui lubet maledicere? equidem tibi bona exoptavi omnia.
Dæm. Bene equidem tibi dico, qui, te digna ut eveniant, precor.
Tr. Obſecro, hoc prævortere ergo. *Dæm.* Quid negotii eſt? *Tr.* Mulieres
Duæ innocentes intus hic ſunt, tui indigentes auxilii,
Quibus advorſum jus, legeſque inſignite injuria hic
Facta eſt, fitque in Veneris fano. tum ſacerdos Veneris
Indigne afflictatur. *Dæm.* Quis homo eſt tanta confidentia,
Qui ſacerdotem audeat violare? ſed eæ mulieres
Quæ ſunt? aut quid iis iniqui fit? *Tr.* Si das operam, eloquar.
Veneris ſignum ſunt amplexæ. nunc ***
Eas deripere volt, eas ambas eſſe oportet ***
Dæm. Quis iſtic eſt, qui deos tam parvipendit?
Tr. Fraudis, ſceleris, parricidii, perjurii plenus,
Legirupa, impudens, impurus, inverecundiſſumus:
Uno verbo abſolvam, Leno 'ſt: quid illum porro prædicem?
Dæm. Edepol infortunio hominem prædicas donabilem.
Tr. Qui ſacerdoti ſceleſtus fauces interpreſſerit.
Dæm. At malo cum magno ſuo fecit hercle. ite iſtinc foras,
Turbalio, Sparax! ubi eſtis? *Tr.* I, obſecro, intro, ſubveni
Illis. *Dæm.* Iterum haud imperabo. ſequimini hac. *Tr.* Age nunc jam,
Jube oculos elidere, itidem ut ſepiis faciunt coqui.
Dæm. Proripite hominem pedibus huc, itidem quaſi occiſam ſuem.
Tr. Audio tumultum: opinor, leno pugnis pectitur.
Nimis velim improbiſſumo homini malas edentaverint.
Sed ecce ipſæ huc egrediuntur timidæ e fano mulieres.

ACTUS III. SCENA III.

Palæſtra, Ampeliſca, Trachalio.

Nunc id eſt, cum omnium copiarum atque opum,
Auxilii, præſidii viduitas nos tenet,
Nec ulla ſpecula eſt, quæ ſalutem afferat:
Nec ſcimus, quam in partem ingredi perſequamur.
Maxumo miſeræ in metu nunc ſumus ambæ,
Tanta importunitas, tantaque injuria
Facta in nos eſt modo hic intus ab noſtro hero;
Qui ſceleſtus ſacerdotem anum præcipem
Reppulit, propulit, perquam indignis modis,
Noſque ab ſigno intimo vi deripuit ſua.
Sed nunc ſeſe ut ferunt res fortunæque noſtræ,
Par eſt moriri. neque eſt melius morte, in malis
Rebus, miſeris. *Tr.* Quid eſt? quæ illæc oratio 'ſt?
Ceſſo ego has conſolari? heus, Palæſtra! *Pal.* Qui vocat?
Tr. Heus, Ampeliſca! *Amp.* Obſecro, quis eſt, qui vocat?
Pal. Quis is eſt, qui nominat? *Tr.* Si reſpexis, ſcies.
Pal. O ſalutis meæ ſpes! *Tr.* Tace, ac bono animo es.
Me vide. *Pal.* Si modo id liceat, vis ne opprimat:
Quæ vis, vim mihi afferam ipſa, adigit. *Tr.* Ah deſine! nimis inepta es.
Amp. Deſiſte dictis nunc jam miſeram me conſolari.
Pal. Niſi quid re præſidium apparas, Trachalio, acta hæc res eſt:
Certum 'ſt moriri, quam hunc pati *graſſari* lenonem in me.
Sed muliebri animo ſum tamen: miſeræ *ubi venit* in mentem
Mihi mortis, metus membra occupat edepol. *Tr.* *Etſi* hoc acerbum,
Bonum animum habete. *Pal.* Nam, obſecro, unde *animus* mihi invenitur?
Tr. Ne, inquam, timete: aſſidite hic in ara. *Amp.* Iſtæc quid ara
Prodeſſe nobis *plus* poteſt, quam ſignum in fano hic intus
Veneris, quod amplexæ modo, unde abreptæ per vim miſeræ?
Tr. Sedete hic modo: ego hinc vos tamen tutabor. aram habete hanc
Vobis pro caſtris: mœnia hinc ego defenſabo.
Præſidio Veneris malitiæ lenonis contra incedam.
Amp. Tibi auſcultamus. &, Venus alma, ambæ te obſecramus,
Aram amplexantes hanc tuam lacrimantes, genibus nixæ,
Nos in cuſtodiam tuam ut recipias, & tutere:
Illos ſceleſtos, qui tuum fecerunt fanum parvi,
*Ut ulciſc*are, noſque ut hanc tua pace aram obſidere
Patiare, quæ elautæ ambæ ſumus opera Neptuni noctu:
Ne invijas habeas, neve iccirco nobis vitio vortas,
Si quippiam 'ſt, minus quod bene eſſe lautum arbitrare.
Tr. Æquom has petere intellego: decet abs te id impetrarier:
Ignoſcere his te convenit: metus has, id ut faciant, ſubigit.
Te ex concha natam eſſe autumant: cave tu harum conchas ſpernas.
Sed optume eccum exit ſenex, patronus mihique & vobis.

ACTUS III. SCENA IV.

Dæmones, Trachalio, Lorarii, Labrax.

Exi e fano, natum quantum eſt hominum ſacrilegiſſume.
Vos in aram abite ſeſſum, ſed ubi ſunt? *Tr.* Huc reſpice.
Dæm. Optume. *Lor.* Iſtuc volueramus. jube modo accedat prope.
Dæm. Tunc legirupionem hic nobis cum dis facere poſtulas?
Pugnum in os impinge. *Lab.* Iniqua hæc patior cum pretio tuo.
Dæm. At etiam minitatur audax. *Lab.* Jus meum ereptum eſt mihi,
Meas mihi ancillas invito me eripis. *Tr.* *Ergo dato*

De

De ſenatu Cyrenenſi quemvis opulentum *arbitrum*,
Si tuas eſſe oportet, niveeas eſſe oportet liberas,
Nive te in carcerem compingi eſt æquom, ætatemque ibi
Te uſque habitare, donec totum carcerem contriveris.
Lab. Non hodie iſti rei auſpicavi, ut cum furcifero fabuler.
Te ego appello. *Dæm.* Cum iſtoc primum, qui te novit, diſputa.
Lab. Tecum ago. *Tr.* Atqui mecum agendum 'ſt. ſuntne illæ ancillæ tuæ?
Lab. Sunt. *Tr.* Agedum ergo, tange utramvis digitulo minumo modo.
Lab. Quid ſi attigero? *Tr.* Extemplo hercle ego te follem pugilatorium
Faciam, & pendentem incurſabo pugnis, perjuriſſume.
Lab. Mihi non liceat meas ancillas Veneris de ara abducere?
Dæm. *Non licet: ita* eſt lex apud nos. *Lab.* Mihi cum voſtris legibus
Nihil eſt commercii. equidem iſtas jam ambas educam foras.
Tu, ſenex, ſi iſtas amas, huc arido argento 'ſt opus.
Dæm. Hæ autem Veneri complacuerunt. *Lab.* Habeat, ſi argentum dabit.
Dæm. Do tibi argentum. nunc adeo ut ſcias meam ſententiam,
Occipito modo illis afferre vim joculo pauſillulum,
Ita hinc ego te ornatum amittam, tu ipſus te ut non noveris.
Vos adeo, ubi ego innuero vobis, ſi ne ei caput exoculaſſitis;
Quaſi murteta juncis, item ego vos virgis circumvinciam.
Lab. Vi agis mecum. *Tr.* Etiam vim opprobras, flagitii flagrantia?
Lab. Tun', triſurcifer, mihi audes inclementer dicere?
Tr. Fateor, ego triſurcifer ſum: tu es homo apprime probus.
Num qui minus haſce eſſe oportet liberas? *Lab.* Quid, liberas?
Tr. Atque heras tuas quidem hercle, atque in germana Græcia:
Nam altera hæc eſt nata Athenis ingenuis parentibus.
Dæm. Quid ego ex te audio? *Tr.* Hanc Athenis eſſe natam liberam.
Dæm. Mea popularis, obſecro, hæc eſt? *Tr.* Non tu Cyrenenſis es?
Dæm. Immo Athenis natus altuſque educatuſque Atticis.
Tr. Obſecro, defende cives tuas, ſenex. *Dæm.* O filia
Mea! cum ego hanc video, mearum me abſens miſeriarum commones.
Trima quæ periit mihi, jam tanta eſſet, ſi vivit, ſcio.
Lab. Argentum ego pro iſtiſce ambabus, cujæ erant, domino dedi:
Quid mea refert, hæ Athenis natæ, an Thebis ſient,
Dum mihi recte ſervitutem ſerviant? *Tr.* Itane impudens,
Tune hic feles virginalis liberos parentibus
Sublectos habebis, atque indigno quæſtu conteres?
Nam huic alteræ patria quæ ſit, profecto neſcio:
Niſi ſcio probiorem hanc eſſe, quam te impuratiſſume.

Lab. Tuæ iſtæ ſunt? *Tr.* Contende ergo, uter ſit tergo verior.
Ni offerumentas habebis plures in tergo tuo,
Quam ulla navis longa clavos, tum ego ero mendaciſſumus:
Poſtea aſpicito meum, quando ego tuum inſpectavero,
Niſi erit tam ſincerum, ut quivis dicat ampullarius,
Optimum eſſe opere faciundo corium, & ſinceriſſumum;
Quid cauſſæ eſt, quin virgis te uſque ad ſaturitatem ſauciem?
Quid illas ſpectas? quas ſi attigeris, oculos eripiam tibi.
Lab. Atqui, quia vetas, utramque jam mecum abducam ſimul.
Dæm. Quid facies? *Lab.* Volcanum adducam, is Veneris eſt advorſarius.
Dæm. Quo illic it? *Lab.* Heus ecquis hic eſt? Heus. *Dæm.* Si attigeris oſtium,
Jam, hercle, tibi meſſis in ore fiet mergis pugneis.
Lor. Nullum habemus ignem, ficis victitamus aridis.
Dæm. Ego dabo ignem, ſiquidem in capite tuo conflandi copia 'ſt.
Lab. Ibo, hercle, aliquo quæritatum ignem. *Dæm.* Quid, cum inveneris?
Lab. Ignem magnum hic faciam. *Dæm.* Quin ut humanum exuras tibi.
Lab. Immo haſce ambas hic in ara ut vivas comburam. *Dæm.* Id volo:
Nam, hercle, ego te barba continuo arripiam, & in ignem conjiciam,
Teque ambuſtulatum objiciam magnis avibus pabulum.
Cum conjecturam egomet mecum facio, hæc illa eſt ſimia,
Quæ has hirundines ex nido volt eripere ingratiis,
Quod ego in ſomnis ſomniavi. *Tr.* Scin' quid? tecum oro, ſenex,
Ut illas ſerves, vim defendas, dum ego herum adduco meum.
Dæm. Quære herum, atque adduce. *Tr.* At hic ne. *Dæm.* Maxumo malo ſuo,
Si attigerit, ſive occeptaſſit. *Tr.* Cura. *Dæm.* Curatum eſt, abi.
Tr. Hunc quoque aſſerva ipſum, ne quo abitat, nam promiſimus
Carnifici aut talentum magnum, aut hunc hodie ſiſtere.

ACTUS III. SCENA V.

Dæmones, Labrax, Palæſtra, Ampeliſca, Lorarii.

Utrum, tu, leno, cum malo libentius
Quieſcis, an ſic ſine malo, ſi copia eſt?
Lab. Ego, quæ tu loquere, flocci non facio, ſenex.
Meas quidem te invito, & Venere, & ſummo Jove,
De ara capillo jam deripiam. *Dæm.* Tange dum.
Lab. Tangam hercle vero. *Dæm.* Agedum ergo! accede huc modo.
Lab. Jube dum recedere iſtos ambo illuc modo.
Dæm. Immo ad te accedent. *Lab.* Non hercle egomet cenſeo.
Dæm. Quid ages, ſi accedent propius? *Lab.* Ego receſſero.

Verum,

Verum, ſenex, ſi te umquam in urbe offendero,
Numquam hercle quiſquam me lenonem dixerit,
Si non te ludos peſſumos dimiſero.

Dæm. Facito illuc, quod minitaris. ſed nunc interim
Si illas attigeris, dabitur tibi magnum malum.

Lab. Quam magnum vero? *Dæm.* Quantum lenoni ſat eſt.

Lab. Minacias ego iſtas flocci non facio tuas.
Equidem te invito jam ambas rapiam. *Dæm.* Tange dum.

Lab. Tangam hercle vero. *Dæm.* Tange! ſed ſcin, quomodo?
I dum, Turbalio, curriculo affer
Duas clavas. *Lab.* Clavas? *Dæm.* Sed probas: propera cito,
Ego te hodie ſaxo recte acceptum, ut dignus es.

Lab. Eheu! ſceleſtus galeam in navi perdidi:
Nunc mihi opportuna hic eſſet, ſalva ſi foret.
Licet ſaltem iſtas mihi appellare. *Dæm.* Non licet.
Ehem! optume edepol, eccum, clavator advenit.

Lab. Illud quidem, edepol, tinnimentum eſt auribus.

Dæm. Age accipe illanc alteram clavam, Sparax:
Age alter iſtinc, alter hinc aſſiſtite.
Aſſiſtite ambo. ſic! audite nunc jam:
Si hercle illic illas hodie digito tetigerit
Invitas, ni iſtunc iſtis invitaſſitis
Uſque adeo, donec, qua domum abeat, neſciat,
Periſtis ambo. ſi appellabit quempiam,
Vos reſpondetote iſtinc iſtarum vicem:
Sin ipſe abire hinc volet, quantum poteſt,
Extemplo amplectitote crura fuſtibus.

Lab. Etiam me abire hinc non ſinent? *Dæm.* Dixi ſatis.
Et ille ubi ſervos cum hero huc advenerit,
Qui herum arceſſivit, itote extemplo domum.
Curate hæc ſultis magna diligentia.

Lab. Heu hercle! næ iſtic ſana mutantur cito.
Jam hoc Herculis eſt, Veneris ſanum quod fuit.
Ita duo deſtituit ſigna hic cum clavis ſenex.
Non hercle quo hinc nunc gentium aufugiam ſcio,
Ita nunc mihi utrumque ſævit & terra & mare.
Palæſtra! *Lor.* Quid vis? *Lab.* Apage! controverſia eſt.
Hæc equidem Palæſtra, quæ reſpondit, non mea eſt.
Heus Ampeliſca! *Lor.* Caveſis infortunio.

Lab. Ut poteſt, ignavi homines ſatis recte monent.
Sed vobis dico, heus vos! num moleſtia eſt,
Me adire ad illas propius? *Lor.* Nihil nobis quidem.

Lab. Numquid moleſtum mihi erit? *Lor.* Nihil, ſi caveris.

Lab. Quid eſt, quod caveam? *Lor.* Hem a craſſo infortunio.

Lab. Quæſo, hercle, abire ut liceat. *Lor.* Abeas, ſi velis.

Lab. Bene hercle factum! habeo vobis gratiam.
Non. accedam potius. *Lor.* Illic aſtato illico.

Lab. Edepol proveni nequiter multis modis.
Certum 'ſt haſce hodie uſque obſidione vincere.

ACTUS III. SCENA VI.

Pleuſidippus, Trachalio, Mulieres, Labrax, Lorarii, Charmides.

MEamne ille amicam leno vi, violentia
De ara deripere Veneris voluit? *Tr.* Admodum.

Pl. Quin occidiſti extemplo? *Tr.* Gladius non erat.

Pl. Caperes aut fuſtem, aut lapidem. *Tr.* Quid ego, quaſi canem,
Hominem inſectarer lapidibus nequiſſumum?

Lab. Nunc pol ego perii! Pleuſidippus eccum adeſt:
Converret jam hic me totum cum pulviſculo.

Pl. Etiamne in ara tunc ſedebant mulieres,
Cum ad me profectus ire? *Tr.* Ibidem nunc ſedent.

Pl. Quis illas nunc illic ſervat? *Tr.* Neſcio quis ſenex,
Vicinus Veneris. is dedit operam optumam.
Is nunc cum ſervis ſervat: ego mandaveram.

Pl. Duc me ad lenonem recta. ubi illic eſt homo?

Lab. Salve. *Pl.* Nihil ſalutem moror. opta ocyus;
Rapi te obtorto collo mavis, an trahi?
Utrumvis opta, dum licet. *Lab.* Neutrum volo.

Pl. Abi ſane ad litus curriculo, Trachalio:
Jube illos in urbem ire obviam ad portum mihi,
Quos mecum duxi, hunc qui ad carnificem traderent:
Poſt huc redito, atque agitato hic cuſtodiam:
Ego hunc ſceleſtum in jus rapiam exſulem.
Age, ambula in jus. *Lab.* Quid ego deliqui? *Pl.* Rogas?
Quin arrhabonem a me accepiſti ob mulierem, &
Eam hinc abduxiſti. *Lab.* Non avexi. *Pl.* Cur negas?

Lab. Quia pol provexi; avehere non quivi miſer.
Equidem tibi me dixeram præſto fore
Apud Veneris fanum: quid muto? ſumne ibi?

Pl. In jure cauſſam dicito: hic verbum ſat eſt:
Sequere. *Lab.* Obſecro te, ſubveni, mi Charmides.
Rapior obtorto collo. *Ch.* Quis me nominat?

Lab. Viden' me, ut rapior? *Ch.* Video, atque inſpecto lubens.

Lab. Non ſubvenire mihi audes? *Ch.* Quis homo te rapit?

Lab. Adoleſcens Pleuſidippus. *Ch.* Ut nactu's, habe
Bono animo: melius eſt te in nervom correpere.
Tibi obtigit, quod plurimi exoptant ſibi.

Lab. Quid id eſt? *Ch.* Ut id quod quærant, inveniant ſibi.

Lab. Sequere, obſecro, me. *Ch.* Pariter ſuades, qualis es.
Tu in nervom rapere: eo me obſecras, ut te ſequar.
Etiam retentas? *Lab.* Perii. *Pl.* Verum ſit velim!
Tu, mea Palæſtra & Ampeliſca, ibidem illico
Manete, dum huc ego redeo. *Lor.* Equidem ſuadeo
Ut ad nos abeant potius, dum recipis. *Pl.* Placet;
Bene facitis. *Lab.* Fures mihi eſtis. *Lor.* Quid, fures? *Pl.* Rape.

Lab. Oro, obſecro, Palæſtra. *Pl.* Sequere, carnufex.

Lab. Hoſpes! *Ch.* Non ſum hoſpes: repudio hoſpitium tuum.

Lab. Siccine me ſpernis? *Ch.* Sic ago: ſemel bibo.

Lab. Di te infelicent. *Ch.* Illi capiti dicito.
Credo alium in aliam belluam hominem vortier.
Illic in columbum, credo, leno vortitur:
Nam in columbari collum haud multo poſt erit:
In nervom ille hodie nidamenta congeret.
Verumtamen ibo, ei advocatus ut ſiem,
Si qui mea opera citius addici poteſt.

ACTUS QUARTUS

SCENA I.

Dæmones.

BEne factum, & volupe eſt, hodie me his mulierculis
Tetuliſſe auxilium. jam clientas repperi;
Atque ambas forma ſcitula atque ætatula.
Sed uxor ſceleſta me omnibus ſervat modis,
Ne qui ſignificem quippiam mulierculis.
Sed Gripus ſervos noſter, quid rerum gerat
Miror, de nocte qui abiit piſcatum ad mare.
Pol magis ſapiſſet, ſi dormiviſſet domi.
Nam nunc & operam ludos facit, & retia:
Ut tempeſtas eſt nunc, atque ut noctu fuit.
In digitis hodie percoquam, quod ceperit;
Ita fluctuare video vehementer mare.
Sed ad prandium uxor me vocat; redeo domum,
Jam meas opplebit aures ſua vaniloquentia.

ACTUS IV. SCENA II.

Gripus.

NEptuno has ago meo patrono gratias,
Qui ſalſis locis incolit piſculentis,
Cum me ex ſuis pulchre ornatum expedivit
Templis reducem, plurima præda onuſtum,
Salute horiæ, quæ in mari fluctuoſo
Piſcatu novo me uberi compotivit.
Miroque modo atque incredibili hic piſcatus mihi
Lepide evenit: neque piſcium ullam unciam hodie
Pondo cepi, niſi hoc quod fero hic in rete.
Nam ut de nocte multa impigreque exſurrexi,
Lucrum præpoſivi ſopori & quieti:
Tempeſtate ſæva experiri expetivi
Paupertatem heri, qui & meam ſententiam
Tolerarem, opera haud fui parcus mea. Nimis homo
Nihili eſt, qui piger eſt: nimiſque id genus odi ego male.
Vigilare decet hominem, qui volt ſua tempori conficere officia.
Non enim illum exſpectare oportet, dum herus ſe ad ſuum ſuſcitet officium.
Nam qui dormiunt libenter, ſine lucro & cum malo quieſcunt.
Nam ego nunc mihi, qui impiger fui, repperi, ut piger, ſi velim, ſiem.
Hoc ego in mari, quidquid ineſt, repperi: quidquid ineſt, grave quidem eſt: aurum
Hic ego ineſſe reor. nec mihi conſcius eſt ullus homo. nunc hæc tibi
Occaſio, Gripe, obtigit, ut liberet ex populo Prætor te.
Nunc ſic faciam, ſic conſilium eſt, ad herum ut veniam docte atque aſtute.
Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut ſim liber.
Jam ubi liber ero; igitur demum inſtruam agrum, ædes, mancipia:
Navibus magnis mercaturam faciam: apud reges rex perhibebor.
Poſt animi cauſſa mihi navem faciam, atque imitabor Stratonicum:
Oppida circumvectabor. ubi nobilitas mea erit clara,
Oppidum magnum communibo: eii ego urbi Gripo indam nomen,
Monimentum meæ famæ & factis: ibique regnum magnum inſtituam.
Magnas res hic agito in mentem inſtruere. nunc hunc vidulum condam.
Sed hic rex cum aceto pranſurus eſt & ſale, ſine bono pulmento.

ACTUS IV. SCENA III.

Trachalio, Gripus.

HEus mane. *Gr.* Quid maneam? *Tr.* Dum hanc tibi, quam trahis, rudentem complico.
Gr. Mitte modo. *Tr.* At pol ego te adjuvabo. nam bonis quod
Bene fit, haud perit. *Gr.* Turbida tempeſtas heri fuit,
Nihil habeo, adoleſcens, piſcium: ne tu mihi eſſe poſtules.
Non vides referre me uvidum rete, ſine ſquamoſo pecu?
Tr. Non edepol piſces expeto, quam tui ſermonis ſum indigens.
Gr. Enicas jam me odio, quiſquis es. *Tr.* Non ſinam ego abire hinc te. mane.
Gr. Cave ſis malo. quid tu, malum, nam me retrahis? *Tr.* Audi.
Gr. Non audio. *Tr.* At pol quin audies. *Gr.* Quin poſt loquere, quid vis.
Tr. Eho, modo eſt operæ pretium, quod tibi ego narrare volo.
Gr. Eloquere, quid id eſt? *Tr.* Vide num quiſpiam conſequitur prope nos.
Gr. Ecquid eſt, quod mea referat? *Tr.* Scilicet! ſed boni conſilii
Ecquid in te mihi eſt? *Gr.* Quid negotii eſt? modo dic. *Tr.* Dicam.
Tace, ſi fidem modo das mihi te non fore infidum.
Gr. Do fidem tibi, fidus ero, quiſquis es. *Tr.* Audi. furtum ego vidi
Qui faciebat: noveram dominum, id cui fiebat: poſt ad
Furem egomet devenio, feroque ei conditionem hoc pacto:
Ego iſtuc furtum ſcio cui factum eſt. nunc mihi ſi vis
Dare dimidium, indicium domino non faciam. is nihil
Etiam reſpondit. quid inde æquom eſt dare mihi? dimidium
Volo ut dicas. *Gr.* Immo hercle etiam amplius: nam niſi dat, domino dicundum
Cenſeo. *Tr.* Tuo conſilio faciam. nunc advorte animum;
Namque hoc attinet omne ad te. *Gr.* quid eſt factum? *Tr.* Vidulum
Iſtum, cujus ille eſt, novi ego hominem jampridem. *Gr.* Quid eſt?
Tr. Et quo pacto periit. *Gr.* At ego quo pacto inventu'ſt ſcio.
Et qui invenit, hominem novi: & dominus qui nunc eſt, ſcio.

Nihilo pol pluris tua hoc, quam quanti illud refert mea.
Ego illum novi, cujus nunc eſt; tu illum, cujus antehac fuit.
Hunc homo feret a me nemo: ne tute ſperes potius. *Tr.* Non ferat,
Si dominus veniat? *Gr.* Dominus huic nemo, ne fruſtra ſis,
Niſi ego, nemo natu'ſt; hunc qui cepi in venatu meo.
Tr. Itane vero? *Gr.* Ecquem eſſe dices in mari piſcem meum?
Quos cum capio, ſiquidem cepi, mei ſunt; habeo pro meis:
Nec manu aſſeruntur; neque illinc partem quiſquam poſtulat.
In foro palam omnes vendo pro meis venalibus.
Mare quidem commune certo'ſt omnibus. *Tr.* Aſſentio,
Qui minus hunc communem quæſo mihi eſſe oportet vidulum?
In mari inventu'ſt, commune eſt. *Gr.* Næ impudenter impudens!
Nam ſi iſtuc jus ſit, quod memoras, piſcatores perierint:
Quippe cum extemplo in macellum piſces prolati ſient,
Nemo emat: ſuam quiſque partem piſcium poſcat ſibi:
Dicat, in mari communi captos. *Tr.* Quid ais, impudens?
Auſus etiam comparare vidulum cum piſcibus?
Eadem tandem res videtur? *Gr.* In manu non eſt mea;
Ubi demiſi retem atque hamum, quidquid hæſit, extraho.
Meum, quod rete atque hami nacti ſunt, meum potiſſumum'ſt.
Tr. Immo hercle haud eſt; ſiquidem quod vas excepiſti. *Gr.* Philoſophe!
Tr. Sed tu en umquam piſcatorem vidiſti, venefice,
Vidulum piſcem cepiſſe? aut protuliſſe ullum in forum?
Non enim tu hic quidem occupabis omnis quæſtus, quos voles.
Et vietorem & piſcatorem te eſſe, impure, poſtulas.
Vel te mihi monſtrare oportet, piſcis qui ſit vidulus,
Vel, quod in mari non natum eſt, neque habet ſquamas, ne feras.
Gr. Quid tu, numquam audiviſti eſſe antehac vidulum piſcem? *Tr.* Scelus.
Nullus eſt. *Gr.* Immo eſt profecto. ego, qui ſum piſcator, ſcio!
Vero rare capitur: nullus minus ſæpe ad terram venit.
Tr. Nil agis: dare verba ſperas mihi te poſſe, furcifer.
Quo colore eſt? *Gr.* Hoc colore capiuntur pauxilluli.
Sunt alii puniceo corio, magni item atque atri. *Tr.* Scio.
Tu hercle, opinor, in vidulum te piſcem convortes, niſi caves:
Fiet tibi puniceum corium, poſtea atrum denuo.
Gr. Quod ſcelus hodie hoc inveni! *Tr.* Verba facimus: it dies.
Vide ſis, quojus arbitratu nos facere vis? *Gr.* Viduli
Arbitratu. *Tr.* Ita enim vero? ſtultus es. *Gr.* Salve, Thales!
Tr. Tu iſtunc hodie non feres, niſi das ſequeſtrum aut arbitrum,
Quojus hæc res arbitratu fiat. *Gr.* Quæſo ſanus es?
Tr. Elleboroſus ſum. *Gr.* Ego cerritus, hunc non amittam tamen.
Tr. Verbum adde etiam unum, jam in cerebro colaphos abſtrudam tuo.
Ego jam hic te, itidem quaſi penicillus novos exurgeri ſolet,
Ni hunc amittis, exurgebo quidquid humoris tibi'ſt.
Gr. Tange! affligam ad terram te itidem, ut piſcem ſoleo polypum.
Vis pugnare? *Tr.* Quid opu'ſt? quin tu potius prædam divide.
Gr. Hinc tu, niſi malum, fruniſci nihil potes, ne poſtules.
Abeo ego hinc. *Tr.* At ego hinc offlectam navem, ne quo abeas: mane.
Gr. Si tu proreta iſti navi es, ego gubernator ero.
Mitte rudentem, ſceleſte. *Tr.* Mittam: omitte vidulum.
Gr. Numquam, hercle, hinc hodie ramenta fies fortunatior.
Tr. Non probare pernegando mihi potes, niſi pars datur,
Aut ad arbitrum reditur, aut ſequeſtro ponitur.
Gr. Quemne ego excepi in mari? *Tr.* At ego inſpectavi e litore.
Gr. Mea opera, labore, & rete, & horia. *Tr.* Num qui minus,
Si veniat nunc dominus, quojus eſt, ego qui inſpectavi procul,
Te hunc habere, fur ſum, quam tu? *Gr.* Nihilo. *Tr.* Mane, maſtigia!
Quo argumento ſocius non ſum, & fur ſum? fac dum ex te ſciam.
Gr. Neſcio: neque ego iſtas voſtras leges urbanas ſcio,
Niſi quia, hunc meum eſſe, dico. *Tr.* Et ego item eſſe ajo meum.
Gr. Mane jam: reperi rem, quo pacto nec fur, nec ſocius fies.
Tr. Quo pacto? *Gr.* Sine me hinc abire: tu abi tacitus tuam viam:
Nec tu me quoiquam indicaſſis, neque ego tibi quidquam dabo.
Tu taceto; ego muſſitabo: hoc optumum, atque æquiſſumum eſt.
Tr. Ecquid conditionis audes ferre? *Gr.* Jamdudum fero:
Ut abeas, rudentem amittas, mihi moleſtus ne ſies.
Tr. Mane, dum refero conditionem. *Gr.* Te obſecro, hercle, aufer te modo.
Tr. Ecquem in his locis noviſti? *Gr.* Oportet vicinos meos.
Tr. Ubi tu hic habitas? *Gr.* Porro illic longe uſque in campis ultimis.
Tr. Vin' qui in hac villa habitat, ejus arbitratu fieri?
Gr. Paulliſper remitte reſtem, dum concedo, & conſulo.
Tr. Fiat. *Gr.* Euge! ſalva res eſt: præda hæc perpetua eſt mea.
Ad meum herum arbitrum vocat me hic intra præſepis meas.

Num-

Numquam, hercle, hodie abjudicabit ab ſuo triobolum.
Næ ille haud ſcit, quam conditionem tetulerit. ibo ad arbitrum.
Tr. Quid igitur? *Gr.* Quamquam iſtuc eſſe jus meum certo ſcio,
Fiat iſtuc potius, quam nunc pugnem tecum. *Tr.* Nunc places.
Gr. Quamquam ad ignotum arbitrum me appellis; ſi adhibebit fidem,
Et ſi eſt ignotus, notus: ſi non; notus, ignotiſſumus eſt.

ACTUS IV. SCENA IV.

Dæmones, Palæſtra, Ampeliſca, Gripus, Trachalio.

SErio, edepol, quamquam *volo* vobis quæ voltis, mulieres,
Metuo, propter vos, ne uxor mea me extrudat ædibus:
Quæ me pellices adduxiſſe dicet ante oculos ſuos.
Vos confugite in aram potius, quam ego. *Mul.* Miſeræ periimus.
Dæm. Ego vos ſalvas ſiſtam, ne timete. ſed quid vos foras
Proſequimini? quoniam ego aſſum, faciet nemo injuriam.
Ite, inquam, domum ambo nunc jam ex præſidio præſides.
Gr. O here, ſalve. *Dæm.* Salve, Gripe. quid fit? *Tr.* Tuuſne hic ſervos eſt?
Gr. Haud pudet. *Tr.* Nihil ago tecum. *Gr.* Ergo abi hinc ſis. *Tr.* Quæſo reſponde, ſenex.
Tuus hic ſervos eſt? *Dæm.* Meus eſt. *Tr.* Hem! iſtuc optume, quando tuus eſt.
Iterum te ſaluto. *Dæm.* Et ego te. tune es, qui haud multo prius
Abiiſti hinc herum arceſſitum? *Tr.* Ego is ſum. *Dæm.* Quid nunc vis tibi?
Tr. Nempe hic tuus eſt? *Dæm.* Meus eſt. *Tr.* Iſtuc optume, quando tuu 'ſt.
Dæm. Quid negoti 'ſt? *Tr.* Vir ſceleſtus illic eſt. *Dæm.* Quid fecit tibi
Vir ſceleſtus? *Tr.* Homini ego iſti talos ſuffringi volo.
Dæm. Quid eſt? qua de re litigatis nunc inter vos? *Tr.* Eloquar.
Gr. Immo ego eloquar. *Tr.* Ego, opinor, rem faceſſo. *Gr.* Siquidem
Sis pudicus, hinc faceſſas. *Dæm.* Gripe, animum advorte, ac tace.
Gr. Utin' iſtic prius dicat? *Dæm.* Audi, loquere tu. *Gr.* Alienon' prius,
Quam tuo dabis orationem? *Tr.* Ut nequitur comprimi!
Ita ut occœpi dicere; illum quem dudum
Lenonem extruſiſti, hic ejus vidulum, eccillum.
Gr. Non habeo. *Tr.* Negas, quod oculis video? *Gr.* At ne videas, velim.
Habeo, non habeo. quid tu me curas, quid rerum geram?
Tr. Quomodo habeas, illud refert: jurene an injuria.
Gr. Ni iſtum cepi, nulla cauſſa eſt, quin me condones cruci:
Si in mari reti apprehendi, qui tuum potius eſt, quam meum?
Tr. Verba dat. hoc modo res geſta eſt, ut ego dico. *Gr.* Quid tu ais?
Tr. Quoad primarius vir dicat, comprime hunc ſis, ſi tuus eſt.
Gr. Quid? tu idem mihi vis fieri, quod herus conſuevit tibi?
Si ille te comprimere ſolitus, hic noſter nos non ſolet.
Dæm. Verbo illo modo ille vicit. quid nunc tu vis? dic mihi.
Tr. Equidem neque ego partem poſco mihi iſtinc de iſtoc vidulo,
Neque meum eſſe hodie umquam dixi. ſed iſtic ineſt ciſtellula
Hujus mulieris, quam dudum dixi fuiſſe liberam.
Dæm. Nempe tu hanc dicis, quam eſſe ajebas dudum popularem meam?
Tr. Admodum: & ea, quæ olim parva geſtavit, crepundia
Iſtic in iſta ciſtula inſunt, quæ iſtic ineſt in vidulo.
Hoc neque iſti uſus eſt, & illi miſeræ ſuppetias feret,
Si id dederit, qui ſuos parentes quærat. *Dæm.* Faciam ut det: tace.
Gr. Nihil, hercle, ego ſum iſti daturus. *Tr.* Nihil peto, niſi ciſtulam,
Et crepundia. *Gr.* Quid ſi ea ſunt aurea? *Tr.* Quid iſtic tua?
Aurum auro expendetur; argentum argento exæquabitur.
Gr. Fac ſis aurum ut videam; poſt ego faciam ut videas ciſtulam.
Dæm. Cave malo, ac tace tu! tu perge, ut occœpiſti, dicere.
Tr. Unum te obſecro, ut te hujus commiſereſcat mulieris,
Siquidem hic lenonis ejus eſt vidulus, quem ſuſpicor.
Hic niſi de opinione certum nihil dico tibi.
Gr. Viden' ſceleſtus ut aucupatur! *Tr.* Sine me, ut occœpi, loqui.
Si ſceleſti illius eſt hic, quojus dico, vidulus,
Hæ poterunt noviſſe: oſtendere his jube. *Gr.* Ain' oſtendere?
Dæm. Haud iniquom dicit, Gripe, ut oſtendatur vidulus.
Gr. Immo hercle inſignite inique. *Dæm.* Qui dum? *Gr.* Quia ſi oſtendero,
Continuo hunc noviſſe dicent ſcilicet. *Tr.* Scelerum caput!
Ut tute es, item omnis cenſes eſſe? perjurii caput!
Gr. Omnia iſtæc ego facile patior, dum hic hinc a me ſentiat.
Tr. Atqui nunc abs te ſtat. verum hinc ibit teſtimonium.
Dæm. Gripe, advorte animum. tu paucis expedi, quid poſtulas.
Tr. Dixi equidem: ſed ſi parum intellexti, dicam denuo:
Haſce ambas, ut dudum dixi, ita eſſe oportet liberas.
Hæc Athenis parva fuit virgo ſurrepta. *Gr.* Dic mihi,
Quid iſta ad vidulum pertinent, ſervæ ſint iſtæ an liberæ?
Tr. Omnia iterum vis memorari, ſcelus, ut defiat dies.

Dæm. Abſtine maledictis, & mihi, quod rogavi, dilue.
Tr. Ciſtellam iſtic ineſſe oportet caudeam in iſto vidulo,
Ubi ſunt ſigna qui parentes noſcere hæc poſſit ſuos,
Quibuſcum parva Athenis periit, ſicuti dixi prius.
Gr. Juppiter te diique perdant! quid ais vir venefice? Quid? iſtæ mutæ ſunt, quæ pro ſe fabulari non queant?
Tr. Eo tacent, quia tacita bona 'ſt mulier ſemper, quam loquens.
Gr. Tum pol tu pro oratione, nec vir nec mulier mihi es.
Tr. Qui dum? *Gr.* Quia enim neque loquens es, neque tacens umquam bonus.
Quæſo, en umquam hodie licebit mihi loqui. *Dæm.* Si præterhac
Unum verbum faxis hodie, ego tibi comminuam caput.
Tr. Ut id occœpi dicere, ſenex, eam te quæſo ciſtulam
Ut jubeas hunc reddere illis. ob eam, ſi quid poſtulat
Sibi mercedis, dabitur: aliud quidquid ibi eſt, habeat ſibi.
Gr. Nunc demum iſtuc dicis, quoniam jus meum eſſe intellegis:
Dudum dimidiam petebas partem. *Tr.* Immo etiam nunc peto.
Gr. Vidi petere milvom, etiam cum nihil auferret tamen.
Dæm. Non ego te comprimere poſſum ſine malo? *Gr.* Si iſtic tacet,
Ego tacebo: ſi iſte loquitur, ſine me pro re mea parte loqui.
Dæm. Cedo modo mihi iſtum vidulum, Gripe. *Gr.* Concredam tibi.
At ſi iſtorum nihil ſit, ut mihi reddas. *Dæm.* Reddetur. *Gr.* Tene.
Dæm. Audi nunc jam, Palæſtra atque Ampeliſca, hoc quod loquor.
Eſtne hic vidulus, ubi ciſtellam tuam ineſſe ajebas? *Pal.* Is eſt.
Gr. Perii, hercle, ego miſer! ut, priuſquam plane aſpexit, illico
Eum eſſe dixit! *Pal.* Faciam ego hanc rem * *planam* tibi:
Ciſtellam iſtic ineſſe oportet caudeam in iſto vidulo.
Ibi, ego dicam, quidquid inerit, nominatim; tu mihi
Nullus oſtenderis. ſi falſa dicam, fruſtra dixero.
Vos tamen iſtæc, quidquid illic inerit, vobis habebitis.
Sed ſi erunt vera, tum obſecro te, ut mea mihi reddantur. *Dæm.* Placet.
Jus merum oras, meo quidem animo. *Tr.* Ac meo, hercle.
Gr. Quid ſi iſta aut ſuperſtitioſa, aut ariola eſt, atque omnia,
Quidquid inſit, vera dicet? anne habebit ariola?
Dæm. Non feret, niſi vera dicet: nequidquam ariolabitur.
Solve vidulum ergo, ut, quidquid ſit verum, quam primum ſciam.
Gr. Hoc habet! ſolutum eſt: ah perii! video ciſtellam. *Dæm.* Hæccine eſt?
Pal. Iſtæc eſt. o mei parentes? hic vos concluſos gero.
Huc opeſque ſpeſque voſtrum cognoſcendum condidi.

Gr. Tum tibi, hercle, deos iratos eſſe oportet, quiſquis es,
Quæ parenteis in tam anguſtum tuos locum compegeris.
Dæm. Gripe, accede huc. tua res agitur. tu puella, iſtinc procul
Dicito, quid inſit, & qua facie, memorato omnia.
Si hercle tantillum peccaſſis, quod poſterius poſtules
Te ad verum convorti; nugas, mulier, magnas egeris.
Gr. Jus bonum oras. *Tr.* Edepol haud orat te: nam tu injurius.
Dæm. Loquere nunc jam, puella. Gripe, animum advorte, ac tace.
Pal. Sunt crepundia. *Dæm.* Ecca video. *Gr.* Perii in primo prœlio!
Mane, ne oſtenderis. *Dæm.* Qua facie ſunt? reſponde ex ordine.
Pal. Enſiculu 'ſt aureolus primum litteratus. *Dæm.* Dice dum:
In eo enſiculo litterarum quid eſt? *Pal.* Mei nomen patris.
Poſt altrinſecus eſt ſecuricula ancipes, item aurea
Litterata: ibi matris nomen in ſecuricula 'ſt. *Dæm.* Mane!
Dic, in enſiculo quid nomen eſt paternum? *Pal.* Dæmones.
Dæm. Di immortales! ubi loci ſunt ſpes meæ? *Gr.* Immo edepol, meæ?
Dæm. Perge, te obſecro, continuo. *Gr.* Placide! aut ite in malam crucem.
Dæm. Loquere matris nomen hic in ſecuricula quid ſiet.
Pal. Dædalis. *Dæm.* Di me ſervatum cupiunt. *Gr.* At me perditum.
Dæm. Filiam meam eſſe hanc oportet, Gripe. *Gr.* Sit per me quidem.
Qui te di omnes perdant, qui me hodie oculis vidiſti tuis,
Meque adeo ſceleſtum, qui non circumſpexi centies
Prius, me ne quis inſpectaret, quam rete extraxi ex aqua.
Pal. Poſt eſt ſicilicula argenteola, & duæ connexæ maniculæ, &
Sucula. *Gr.* Quin tu i dierecta cum ſucula, & cum porculis!
Pal. Et bulla aurea eſt, pater quam dedit mihi natali die.
Dæm. Ea eſt profecto! contineri, quin complectar, non queo.
Filia mea, ſalve! ego is ſum, qui te produxi, pater:
Ego ſum Dæmones, & mater tua, ecca, hic intus Dædalis.
Pal. Salve, mi pater inſperate! *Dæm.* Salve. ut te amplector libens!
Tr. Volupe 'ſt, cum iſtuc ex pietate voſtra vobis contigit.
Dæm. Capedum: hunc, ſi potes, fer intro vidulum, age Trachalio.
Tr. Ecce Gripi ſcelera! cum iſtæc res male evenit tibi,
Gripe, gratulor. *Dæm.* Age eamus, mea gnata, ad matrem tuam,
Quæ ex te poterit argumentis hanc rem magis exquirere,
Quæ te magis tractavit, magiſque ſigna pernovit tua.
Tr. Eamus intro omnes, *omnes* quando operam promiſcuam damus.
Pal. Sequere me, Ampeliſca. *Amp.* Cum te dii amant, voluptati eſt mihi. Gr.

Gr. Sumne ego ſceleſtus, qui illunc hodie excepi vidulum!
Aut cum excepi, qui non alicubi in ſolo abſtruſi loco!
Credam edepol turbulentam prædam eventuram mihi,
Quia illa mihi tam turbulenta tempeſtate evenerat.
Credo edepol ego illic ineſſe auri & argenti largiter.
Quid melius eſt, quam ut hinc intro abeam, & me ſuſpendam clanculum;
Saltem tantiſper, dum abſcedat hæc a me ægrimonia,

ACTUS IV. SCENA V.

Dæmones.

PRo dii immortales, quis me eſt fortunatior,
Qui ex improviſo filiam inveni meam?
Satin' ſi quoi homini dei eſſe benefactum volunt,
Aliquo illud pacto obtingit optatum piis!
Ego hodie, *qui* neque ſperavi, neque credidi,
Is improviſo filiam inveni tamen:
Et eam de genere ſummo adoleſcenti dabo
Ingenuo, Athenienſi, & cognato meo.
Ego eum adeo arceſſi huc ad me quamprimum volo,
Juſſique exire huc ejus ſervom, ut ad forum
Iret. nondum egreſſum eſſe eum, id miror tamen.
Accedam opinor ad fores. quid conſpicor?
Uxor complexa collo retinet filiam.
Nimis pæne inepta atque odioſa ejus amatio eſt.

ACTUS IV. SCENA VI.

Dæmones, Trachalio.

ALiquando oſculando melius eſt, uxor, pauſam fieri.
Atque adorna, ut rem divinam faciam, cum intro advenero,
Laribus familiaribus: cum auxerunt noſtram familiam.
Sunt domi agni & porci ſacres. ſed quid iſtum remoramini,
Mulieres, Trachalionem? atque optume, eccum, exit foras.
Tr. Ubi ubi erit, tamen jam inveſtigabo, & mecum ad te adducam ſimul
Pleuſidippum. *Dæm.* Eloquere, ut hæc res obtigit de filia:
Eum rogato, ut relinquat alias res, & huc veniat. *Tr.* Licet.
Dæm. Dicito daturum meam illi filiam uxorem. *Tr.* Licet.
Dæm. Et patrem ejus me noviſſe, & mihi eſſe cognatum. *Tr.* Licet.
Dæm. Sed propera. *Tr.* Licet. *Dæm.* Jam hic fac ſit, cœna ut curetur. *Tr.* Licet.
Dæm. Omnian' licet? *Tr.* Licet. ſed ſcin', quid eſt, quod te volo?
Quod promiſiſti, ut memineris, hodie ut liber ſim. *Dæm.* Licet.
Tr. Fac, ut exores Pleuſidippum, ut me emittat manu. *Dæm.* Licet.
Tr. Et tua filia facito oret: facile exorabit. *Dæm.* Licet.
Tr. Atque ut mihi Ampeliſca nubat, ubi ego ſim liber. *Dæm.* Licet.
Tr. Atque ut gratum mihi beneficium factis experiar. *Dæm.* Licet.
Tr. Omnian' licet? *Dæm.* Licet. tibi rurſum refero gratiam.
Sed propera ire in urbem actutum, & recipe te huc rurſum. *Tr.* Licet.
Jam hic ero. tu interibi adorna ceterum, quod opus eſt. *Dæm.* Licet.
Tr. Hercules iſtum infelicet cum ſua licentia!
Ita meas replevit aures. quidquid memorabam, licet.

ACTUS IV. SCENA VII.

Gripus, Dæmones.

QUam mox licet te compellare, Dæmones?
Dæm. Quid eſt negotii Gripe? *Gr.* De illo vidulo
Si ſapias, ſapias: habeas quod di danunt boni.
Dæm. Æquom videtur tibi, ut ego, alienum quod eſt,
Meum eſſe dicam? *Gr.* Quodne ego inveni in mari?
Dæm. Tanto melius illi obtigit, qui perdidit:
Tuum eſſe nihilo magis oportet vidulum.
Gr. Iſto tu pauper es, cum nimis ſancte pius.
Dæm. O Gripe Gripe, in ætate hominum plurimæ
Fiunt tranſennæ, ubi decipiuntur dolis.
Atque edepol in eas plerumque eſca imponitur:
Quam ſi quis avidus poſcit eſcam avariter,
Decipitur in tranſenna avaritia ſua.
Ille qui conſulte, docte, atque aſtute cavet,
Diutine uti bene licet partum bene:
Mihi iſtæc videtur præda prædatum irier,
Ut cum majore dote abeat quam advenerit.
Egone ut quod ad me allatum eſſe alienum ſciam,
Celem? minime iſtuc faciet noſter Dæmones.
Semper cavere hoc ſapienter æquiſſumum eſt,
Ne conſcii ſint ipſi maleficiis ſuis.
Ego mihi cum luſi, nihil moror ullum lucrum.
Gr. Spectavi ego pridem Comicos ad iſtum modum
Sapienter dicta dicere, atque iis plaudier,
Cum illos ſapientis mores monſtrabant poplo:
Sed cum inde ſuam quiſque ibant diverſi domum,
Nullus erat illo pacto, ut illi juſſerant.
Dæm. Abi intro, ne moleſtus. linguæ tempera.
Ego daturus tibi nihil ſum, ne tu fruſtra ſis.
Gr. At ego deos quæſo, ut quidquid in illo viduło'ſt,
Si aurum, ſi argentum eſt, omne id ut fiat cinis.
Dæm. Illuc eſt, quod nos nequam ſervis utimur.
Nam illic cum ſervo ſi quo congreſſus foret,
Et ipſum ſeſe & illum furti adſtringeret.
Dum prædam habere ſe cenſeret, interim
Præda ipſius eſſet: præda prædam duceret.
Nunc hinc intro ibo, & ſacrificabo. poſtibi
Jubebo nobis cœnam continuo coqui.

ACTUS IV. SCENA VIII.

Pleuſidippus, Trachalio.

ITerum mihi iſtæc omnia itera, mi anime, mi Trachalio,
Mi liberte, mi patrone, immo potius, mi pater.
Repperit patrem Palæſtra ſuum atque matrem? *Tr.* Repperit.
Pl. Et popularis eſt? *Tr.* Opinor. *Pl.* Et nuptura eſt mihi? *Tr.* Suſpicor.
Pl. Cenſen' hodie deſpondebit eam mihi, quæſo? *Tr.* Cenſeo.
Pl. Quid? patri etiam gratulabor, cum illam invenit? *Tr.* Cenſeo. *Pl.*

Pl. Quid? matri ejus? *Tr.* Cenſeo. *Pl.* Quid ergo cenſes? *Tr.* quod rogas,
Cenſeo. *Pl.* Dic ergo quanti cenſes? *Tr.* Egone? cenſeo.
Pl. At ſume quidem, ne cenſionem ſemper facias. *Tr.* Cenſeo.
Pl. Quid ſi curram? *Tr.* Cenſeo. *Pl.* An ſic potius placide? *Tr.* Cenſeo.
Pl. Etiamne eam adveniens ſalutem? *Tr.* Cenſeo. *Pl.* Etiamne ejus patrem?
Tr. Cenſeo. *Pl.* Poſt ejus matrem? *Tr.* Cenſeo. *Pl.* quid poſtea?
Etiamne adveniens complectar ejus patrem? *Tr.* Non cenſeo.
Pl. Quid, matrem? *Tr.* Non cenſeo. *Pl.* quid eampſe illam? *Tr.* Non cenſeo.
Pl. Perii! delectum dimiſit. nunc non cenſet, cum volo.
Tr. Sanus non es, ſequere. *Pl.* Duc me, mi patrone, quo libet.

ACTUS QUINTUS

SCENA I.

Labrax.

QUis me eſt mortalium miſerior, qui vivat alter hodie,
Quem ad recuperatores modo damnavit Pleuſidippus.
Abjudicata a me modo eſt Palæſtra. perditus ſum!
Nam lenones ex gaudio credo eſſe procreatos,
Ita omnes mortales, ſi quid eſt mali lenoni, gaudent.
Nunc alteram illam, quæ mea eſt, viſam huc in Veneris fanum.
Saltem ut eam abducam, de bonis quod reſtat reliquiarum.

ACTUS V. SCENA II.

Gripus, Labrax.

NUmquam edepol hodie ad veſperam Gripum inſpicietis vivom,
Niſi vidulus mihi redditur. *Lab.* Perii, cum mentionem
Fieri audio uſquam viduli, quaſi palo pectus tundat.
Gr. Iſtic ſceleſtus liber eſt: ego qui in mari prehendi
Rete, atque excepi vidulum, dare ei negatis quidquam,
Lab. Pro di immortales! ſuo mihi hic ſermone arrexit aures.
Gr. Cubitum hercle longis litteris ſignabo jam uſque quaque,
Si quis perdiderit vidulum cum auro atque argento multo,
Ad Gripum ut veniat. non feretis iſtum, ut poſtulatis.
Lab. Meum, hercle, illic homo vidulum ſcit, qui habet, ut ego opinor.
Adeundus mihi illic eſt homo. di, quæſo, ſubvenite.
Gr. Quid me intro revocas? hoc volo hic ante oſtium extergere.
Nam hoc quidem pol e robigine, non e ferro factum eſt,
Ita quanto magis extergeo, rutilum atque tenuius fit:
Nam quidem hoc Vere natum eſt verum: ita in manibus conſeneſcit.
Lab. Adoleſcens, ſalve! *Gr.* Di te ament cum irraſo capite. *Lab.* Quid fit?
Gr. Verum extergetur. *Lab.* Ut vales? *Gr.* Quid tu? num medicus, quæſo, es?
Lab. Immo edepol una littera plus ſum, quam medicus. *Gr.* Tum tu
Mendicus es? *Lab.* Tetigiſti acu. *Gr.* Videtur digna forma.
Sed quid tibi eſt? *Lab.* Hac proxuma nocte in mari elavi.
Confracta eſt navis. perdidi, quidquid erat, miſer ibi omne.
Gr. Quid perdidiſti? *Lab.* Vidulum cum auro atque argento multo.
Gr. Ecquid meminiſti in vidulo, qui perit, quid infuerit ibi?
Lab. Quid refert, qui periit? *Gr.* Tamen ſi non hoc, aliud fabulemur.
Quid ſi ego ſciam qui invenerit? volo ex te ſcire ſigna.
Lab. Nummi octingenti aurei in marſupio infuerunt.
Præterea centum denaria Philippea in paſceolo ſeorſus.
Gr. Magna hercle præda' ſt! largiter mercedis indipiſcar.
Dii homines reſpiciunt. bene ego hinc prædatus ibo.
Profecto hujus eſt vidulus. perge alia tu expedire.
Lab. Talentum argenti commodum magnum inerat in in crumena,
Præterea ſinus, epichyſis, cantharus, gaulus, cyathuſque.
Gr. Papæ! divitias tu quidem habuiſti luculentas.
Lab. Miſerum iſtuc verbum & peſſumum eſt, Habuiſſe, & nihil habere.
Gr. Quid dare velis, qui iſtæc tibi inveſtiget indicetque?
Eloquere propere celeriter. *Lab.* Nummos trecentos. *Gr.* Tricas.
Lab. Quadringentos. *Gr.* Tramas putridas. *Lab.* Quingentos. *Gr.* Caſſam glandem.
Lab. Sexcentos. *Gr.* Curculiunculos minutos fabulare.
Lab. Dabo ſeptingentos. *Gr.* Os calet tibi! num git frigidefactas?
Lab. Mille dabo nummos. *Gr.* Somnias. *Lab.* Nihil addo: abi! *Gr.* Igitur audi:
Si, hercle, abiero hinc, hic non ero. *Lab.* Vin' centum & mille? *Gr.* Dormis.
Lab. Eloquere quantum poſtules. *Gr.* Quo nihil invitus addas;
Talentum magnum; non poteſt triobolum hinc abeſſe.
Proin' tu vel ajas, vel neges. *Lab.* Quid iſtic neceſſum eſt, video:
Dabitur talentum. *Gr.* Accededum huc. Venus hæc volo arroget te.
Lab. Quod tibi libet, id mihi impera. *Gr.* Tange aram hanc Veneris. *Lab.* Tango.
Gr. Per Venerem hanc jurandum eſt tibi. *Lab.* Quid jurem? *Gr.* Quod jubebo.
Lab. Præi verbis quidvis. id quod domi eſt, numquam ulli ſupplicabo.

Gr.

Gr. Tene aram hanc. *Lab.* Teneo. *Gr.* Dejura, te mihi argentum daturum,
Eodem die, viduli ubi ſis potitus. *Lab.* Fiat.
Gr. Lab. Venus Cyrenenſis, teſtem te teſtor mihi,
Si vidulum illum, quem ego in navi perdidi,
Cum auro atque argento ſalvom inveſtigavero,
Iſque in poteſtatem meam pervenerit.
Gr. Tum ego huic Gripo dico, inquito, & me tangito.
Lab. Tum ego huic Gripo dico, Venus, ut tu audias.
Gr. Lab. Talentum argenti magnum continuo dabo.
Gr. Si fraudaſſis; dicito, uti te in quæſtu tuo
Venus eradicet caput atque ætatem tuam.
Tecum hoc habeto tamen, ubi juraveris.
Lab. Et illum ego advorſum ſi quid peccaſſo, Venus,
Veneror te, ut omnes miſeri lenones ſient.
Gr. Tamen fiet, etſi tu fidem ſervaveris.
Tu hic opperire, jam ego faxo exibit ſenex;
Eum tu continuo vidulum repoſcito.
Lab. Si maxume mihi illum reddiderit vidulum,
Non illi ego hodie debeo triobulum.
Meus arbitratus eſt, lingua quod juret mea.
Sed conticeſcam. eccum exit, & ducit ſenem.

ACTUS V. SCENA III.

Gripus, Dæmones, Labrax.

SEquere hac. ubi iſtic leno eſt? heus tu, hem tibi, hic habet vidulum.
Dæm. Habeo, & fateor eſſe apud me: &, ſi tuus eſt, habeas tibi.
Omnia, ut quidquid infuere, ita ſalva ſiſtentur tibi.
Tene, ſi tuus eſt. *Lab.* O di immortales! meus eſt. ſalve, vidule.
Dæm. Tuuſne eſt? *Lab.* Rogitas? Siquidem hercle Jovis fuit, meus eſt tamen.
Dæm. Omnia inſunt ſalva: una iſtinc ciſtella excepta eſt modo
Cum crepundiis, quibuſcum hodie filiam inveni meam.
Lab. Quam? *Dæm.* Tua quæ fuit Palæſtra; ea filia inventa eſt mea.
Lab. Bene mehercle factum eſt; cum iſtæc res tibi ex ſententia
Pulchre evenit, gaudeo. *Dæm.* Iſtuc facile non credo tibi.
Lab. Immo, hercle, ut ſcias gaudere me, mihi triobolum
Ob eam ne duis: condono te. *Dæm.* Benigne edepol facis.
Lab. Immo tu quidem hercle vero. *Gr.* Heus tu! jamne habes vidulum?
Lab. Habeo. *Gr.* Propera. *Lab.* Quid properabo? *Gr.* Reddere argentum mihi.
Lab. Neque edepol tibi do, neque quidquam debeo. *Gr.* Quæ hæc factio eſt?
Non debes? *Lab.* Non hercle vero. *Gr.* Non tu juratus mihi es?
Lab. Juratus ſum: & nunc jurabo, ſi quid voluptati eſt mihi:
Jusjurandum rei ſervandæ, non perdendæ, conditum eſt.
Gr. Cedo ſis mihi talentum magnum argenti, perjuriſſume.
Dæm. Gripe! quod tu iſtum talentum poſcis? *Gr.* Juratu'ſt mihi
Dare. *Lab.* Libet jurare. tun' meo Pontifex perjurio es?
Dæm. Qua pro re argentum promiſit hic tibi? *Gr.* Si vidulum
Iſtum redegiſſem in poteſtatem ejus, juratus dare
Mihi talentum magnum argenti. *Lab.* Cedo quicum habeam judicem,
Ni dolo malo inſtipulatus ſis, nive etiam dum ſiem
Quinque & viginti natus annos. *Gr.* Habe cum hoc. *Lab.* Alio'ſt opus.
Dæm. Jam ab iſto auferre haud ſinam, niſi iſtum condemnavero.
Promiſiſti huic argentum? *Lab.* Fateor. *Dæm.* quod ſervo *meo*
Promiſiſti, meum eſſe oportet: ne tu leno poſtules
Te hic fide lenonia uti: non potes. *Gr.* Jam te ratus
Nactum hominem, quem defraudares. dandum huc argentum eſt probum:
Id ego continuo huic dabo, adeo me ut hic emittat manu.
Dæm. Quando ergo erga te benignus fui, atque opera mea
Hæc tibi ſunt ſervata. *Gr.* Immo hercle mea, ne tu dicas tua.
Dæm. Si ſapies, tacebis. tum te mihi benigne itidem addecet
Benemerenti bene referre gratiam. *Lab.* Nempe pro meo
Jure oras. *Dæm.* Mirum quin tuum jus meo periculo abs te expetam.
Gr. Salvos ſum, leno labaſcit, libertas portenditur.
Dæm. Vidulum iſtic ille invenit, illud mancipium meum eſt.
Ego tibi hunc porro ſervavi cum magna pecunia.
Lab. Gratiam habeo, & de talento nulla cauſſa eſt, quin feras,
Quod iſti ſum juratus. *Gr.* Heus tu! mihi dato ergo, ſi ſapis.
Dæm. Tacen' an non? *Gr.* Tu meam rem ſimulas agere, tibi mu **
Non hercle iſtoc me intervortes, ſi aliam prædam perdidi.
Dæm. Vapulabis, verbum ſi addes iſtuc unum. *Gr.* Vel hercle enica.
Non tacebo umquam alio pacto, niſi talento comprimor.
Lab. Tibi operam hic quidem dat: taceto. *Dæm.* Concede hoc tu leno. *Lab.* Licet.
Gr. Palam age, nolo murmur ullum neque ſuſurrum fieri.
Dæm. Dic mihi, quanti illam emiſti tuam alteram mulierculam
Ampeliſcam? *Lab.* Mille nummos denumeravi. *Dæm.* Vin tibi
Conditionem luculentam ferre me? *Lab.* Sane volo.
Dæm. Dividuum talentum faciam. *Lab.* Bene facias. *Dæm.* Pro illa altera,
Libera ut ſit, dimidium tibi ſume, dimidium huic cedo.
Lab. Maxume. *Dæm.* Pro illo dimidio ego Gripum emittam manu,
Quem propter tu vidulum, & ego natam inveni. *Lab.* Bene facis.
Gratiam habeo magnam. *Gr.* Quam mox mihi argentum ergo redditur?
Dæm. Res ſoluta eſt, Gripe. ego habeo. *Gr.* Hercle, at ego me mavolo.

Dæm.

Dæm. Nihil hercle hic tibi eſt, ne tu ſperes. jurisjurandi volo
Gratiam facias. *Gr.* Perii hercle: niſi me ſuſpendo, occidi.
Numquam hercle iterum defraudabis me quidem poſt hunc diem.
Dæm. Hic hodie cœnato, leno. *Lab.* Fiat. conditio placet.
Dæm. Sequimini intro. ſpectatores, vos quoque ad cœnam vocem,
Ni daturus nihil ſim, neque ſit quidquam pollucti domi,
Neve adeo vocatos credam vos eſſe ad cœnam foras.
Verum ſi voletis plauſum Fabulæ huic clarum dare,
Comiſſatum omnes venitote ad me ad annos ſedecim.
Vos hic hodie cœnatote ambo. *Lab.* Fiat. *Dæm.* Plauſum date.

FINIS RUDENTIS.

STICHUS.

Dramatis Perſonæ.

Panegyris,) *mulieres*,
Pinacium,)
Antipho, *ſenex*.
Gelasimus, *paraſitus*.
Crocotium, *ancilla*.
Dinacium, *puer*.
Epignomus.
Stichus, *ſervus*.
Pamphilippus, *adoleſcens*.
Sagarinus, *ſervus*,
Stephanium, *ancilla*.

ARGUMENTUM.

SEnex caſtigat filias, quod hæ viros
Tam perſeverent peregrinantis pauperes
Ita ſuſtinere fratres, neque relinquere.
Contraque verbis delenitur commodis,
Habere ut ſineret, quos ſemel nactæ forent.
Viri reveniunt opibus aucti trans mare:
Suam quiſque retinet: ac Sticho ludus datur.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Panegyris, Pinacium.

Credo ego miſeram fuiſſe Penelopam,
Soror, ſuo ex animo; quæ tam diu vidua
Viro ſuo caruit, nam nos ejus animum
De noſtris factis noſcimus, quarum viri hinc abſunt,
Quorumque nos negotiis abſentum, ut æquom eſt,
Sollicitæ noctes & dies, ſoror, ſumus ſemper.
Pin. Noſtrum officium nos facere æquom eſt: neque
Id magis facimus, quam nos monet pietas.
Sed hic, mea ſoror, aſſis-dum: mutua volo tecum
Loqui de re viri. *Pan.* Salvene, amabo?
Pin. Spero quidem, & volo: ſed hoc, ſoror, crucior,
Patrem tuum meumque adeo, unice qui unus
Civibus ex omnibus probus perhibetur,
Eum nunc improbi viri officio uti;
Viris qui tantas abſentibus noſtris
Facit injurias immerito,
Noſque ab his abducere volt.
Hæ res vitæ me, ſoror, ſaturant:
Hæ mihi dividiæ & ſenio ſunt.
Pan. Neu lacruma, ſoror; neu tuo id animo
Fac, quod tibi tuus pater facere minatur.
Spes eſt eum melius facturum.
Novi ego illum: iſtæc joculo dicit:
Neque ille ſibi mereat Perſarum
Montes, qui eſſe aurei perhibentur,
Uti iſtuc faciat, quod tu metuis.
Tamen ſi faciat, minume iraſci
Decet: neque id immerito eveniet.
Nam viri noſtri domo ut abierunt,
Hic tertius annus. *Pin.* Ita ut memoras.
Pan. Cum ipſi interea vivant, valeant;
Ubi ſint, quid agant, ecquid agant,
Neque participant nos, neque redeunt.
Pin. An id doles, ſoror, quia illi ſuum officium
Non colunt, cum tuum facis? *Pan.* Ita pol.
Pin. Tace ſis! cave ſis audiam ego iſtuc;
Cave, poſthac ex te. *Pan.* Nam qui jam?
Pin. Quia pol meo animo omnes ſapientes
Suum officium æquom eſt colere, & facere.
Quamobrem ego te hoc, ſoror, tametſi es major,
Moneo, ut tuum memineris officium.
Et, ſi illi improbi ſint, atque aliter
Nos faciant, quam æquom eſt: tamen pol
Ne quid magis ſimus, omnibus obnoxiæ opibus,
Noſtrorum officium meminiſſe decet.
Pan. Placet: taceo. *Pin.* At memineris facito.
Pan. Nolo ego, ſoror, me credi eſſe immemorem viri,
Neque ille eos honores, mihi quos habuit, perdidit:
Nam mihi pol grata acceptaque hujus eſt benignitas:
Et me quidem hæc conditio nunc non pœnitet:
Neque eſt, cur nunc ſtudeam has nuptias mutarier.
Verum poſtremo in patris poteſtate eſt ſitum;
Faciundum id nobis quod parentes imperant.
Pin. Scio, atque in cogitando mœrore angor.
Nam propemodum jam oſtendit ſuam ſententiam.
Pan. Igitur quæramus, nobis quid facto uſus ſit.

ACTUS I. SCENA II.

Antipho, Panegyris, Pinacium.

QUi manet ut moneatur ſemper ſervos homo officium ſuum,
Nec voluntate id facere meminit, ſervos is habitu haud probus eſt.
Vos meminiſtis quot calendis petere demenſum cibum,
Qui minus meminiſtis, quod opus ſit facto, facere in ædibus?
Jam quidem in ſuo quidque loco niſi erit mihi ſitum ſupellectilis,
Cum ego revortar, vos monumentis commonefaciam bubulis.
Non homines habitare mecum mihi hic videntur, ſed ſues.
Facite, ſultis, nitidæ ut ædes meæ ſint, cum redeam domum.
Jam ego domi adero: ad meam majorem filiam inviſo domum.

Si quis me quæret, inde vocatote aliqui: aut jam egomet hic ero.
Pin. Quid agimus, ſoror; ſi offirmaſſit pater advorſum nos? *Pan.* Pati
Nos oportet, quod ille faciat, cujus poteſtas plus poteſt.
Ant. Si manere hic ſeſe malint potius, quam alio nubere;
Non faciant? quid mihi opu'ſt decurſo ætatis ſpatio cum eis
Gerere bellum; cum nihil, quamobrem faciam, meruiſſe arbitror?
Principium ego quo pacto cum illis occipiam, id ratiocinor:
Utrum ego perplexim laceſſam oratione ad hunc modum,
Quaſi numquam quidquam in eas ſimulem; quaſi nihil inaudiverim,
Eas in ſe meruiſſe culpam: an potius tentem leniter;
An minaciter? ſcio lites fore: ego meas novi optume.
Pin. Exorando, haud advorſando ſumendam operam cenſeo.
Gratiam a patre ſi petimus, ſpero ab eo impetraſſere:
Advorſari ſine dedecore & ſcelere ſummo haud poſſumus.
Neque ego ſum factura; neque tu ut facias, conſilium dabo:
Verum ut exoremus. novi ego noſtros: exorabili'ſt.
Ant. Sic faciam. aſſimulabo, quaſi aliquam culpam in ſeſe admiſerint.
Perplexabiliter earum hodie perpavefaciam pectora:
Poſt id agam igitur: deinde, ut animus meus erit, faciam palam.
Multa, ſcio, facienda verba. ibo intro. ſed aperta eſt foris.
Pin. Certo enim mihi paternæ vocis ſonitus aures accidit.
Pan. Is eſt ecaſtor. ferre advorſum hominem occupemus oſculum.
Pin. Salve, mi pater. *Ant.* Et vos. ambæ illico, agite, abſcedite.
Pin. Oſculum. *Ant.* Sat eſt oſculi mihi voſtri. *Pin.* Qui, amabo, pater?
Ant. Quia ita meæ animæ ſalſura evenit. *Pin.* aſſide hic, pater.
Ant. Non ſedeo iſtic. vos ſedete: ego ſedero in ſubſellio.
Pin. Mane pulvinum. *Ant.* Bene procuras mihi: ſatis ſic fultum eſt mihi.
Pin. Sine, pater. *Ant.* Quid opus eſt? *Pin.* Opus eſt. *Ant.* Morem tibi geram, atque hoc ſatis eſt.
Pin. Numquam enim nimis curare poſſunt ſuum parentem filiæ.
Quem æquius eſt nos potiorem habere, quam te? poſtidea, pater,
Viros noſtros, quibus tu voluiſti eſſe nos matresfamilias?
Ant. Bonas ut æquom eſt facere, facitis; cum tamen abſentes viros
Perinde habetis, quaſi præſentes ſint. *Pin.* Pudicitia eſt, pater,
Eos magnificare, qui nos ſocias ſumſerunt ſibi.
Ant. Numquis eſt alienus noſtris dictis auceps auribus?
Pan. Nullus præter nos, teque. *Ant.* Voſtrum animum adhiberi volo.
Nam ego ad vos nunc imperitus rerum, & mulierum,
Diſcipulus venio ad magiſtras. quibus matronas moribus,
Quæ optumæ ſunt, eſſe oportet? ſed utraque ut dicat mihi.
Pan. Quid iſtuc eſt, quod huc exquæſitum mulierum mores venis?
Ant. Pol ego uxorem quæro, poſtquam voſtra mater mortua eſt.
Pan. Facile invenies, & pejorem, & pejus moratam, pater,
Quam illa fuit: meliorem neque tu reperies, neque ſol videt.
Ant. At ego ex te exquiro, atque ex iſtac tua ſorore. *Pin.* Edepol, pater,
Scio ut oportet eſſe, ſi ſint ita, ut ego æquom cenſeo.
Ant. Volo ſcire ergo, ut æquom cenſes. *Pin.* Ut per urbem cum ambulent,
Omnibus os obturent, ne quis merito maledicat ſibi.
Ant. Dic viciſſim nunc jam tu. *Pan.* Quid vis tibi dicam, pater?
Ant. Ubi facillime ſpectatur mulier, quæ ingenio eſt bono?
Pan. Cui malefaciundi eſt poteſtas, quæ, ne faciat, id temperat.
Ant. Haud male iſtuc. age tu altera; utra ſit conditio penſior,
Virginemne an viduam habere? *Pin.* Quanta mea ſapientia eſt,
E malis multis malum quod minimum eſt, id minimum eſt malum.
Qui poteſt mulieres vitare, vitet: ut quotidie
Pridie caveat, ne faciat quod pigeat poſtridie.
Ant. Quæ tibi mulier videtur multo ſapientiſſuma?
Pan. Quæ tamen, cum res ſecundæ ſunt, ſe poterit noſcere.
Et illa, quæ æquo animo patietur ſibi eſſe pejus, quam fuit.
Ant. Edepol vos lepide tentavi, voſtrumque ingenium ingenii.
Sed hoc eſt, quod ad vos venio, quodque eſſe ambas conventas volo.
Mihi auctores ita ſunt amici, ut vos hinc abducam domum.
Pan. At enim nos, quarum res agitur, aliter auctores ſumus.
Nam aut olim, niſi tibi placebant, non datas oportuit:
Aut nunc non æquom eſt abduci, pater, illiſce abſcentibus.
Ant. Voſne ego patiar cum mendicis nuptas, me vivo, viris.
Pin. Placet ille meus mihi mendicus. ſuus rex reginæ placet.
Idem animus eſt in paupertate, qui olim in divitiis fuit.
Ant. Voſne latrones & mendicos homines magnipenditis?
Pan. Non me tu argento dediſti, opinor, nuptum, ſed viro.
Ant. Quid? illos exſpectatis, qui abhinc jam abierunt triennium?

Quin vos capitis conditionem ex peſſuma primariam?
Pan. Stultitia eſt, pater, venatum ducere invitas canes.
Hoſtis eſt uxor, invita quæ ad virum nuptum datur.
Ant. Certumne eſt neutram voſtrarum perſequi imperium patris?
Pin. Perſequimur. nam quo dediſti nuptum, abire nolumus.
Ant. Bene valete: ibo, atque amicis voſtra conſilia eloquar.
Pan. Probiores credo arbitrabunt, ſi probis narraveris.
Ant. Curate igitur familiarem rem, ut poteſtis, optume.
Pan. Nunc placet, cum recte monſtras: nunc tibi auſcultabimus.
Nunc, ſoror, abeamus intro. *Pin.* Immo interviſam prius domum.
Si a viro tibi forte veniet nuntius, facito ut ſciam.
Pan. Neque ego te celabo, neque tu me celaſſis, quod ſcies.
Eho, Crocotium, i, paraſitum Gelaſimum huc arceſſito:
Tecum adduce. nam illum ecaſtor mittere ad portum volo,
Si quæ forte ex Aſia navis heri aut hodie venerit.
Nam dies totos apud portum ſervos unus aſſidet.
Sed tamen volo interviſi. propera. ac actutum redi.

ACTUS I. SCENA III.

Gelaſimus, Crocotium.

FAmem fuiſſe ſuſpicor matrem mihi:
Nam poſtquam natus ſum, ſatur numquam fui.
Quam ego matri meæ retuli invitiſſumus,
Eam mihi numquam retulit mater gratiam.
Nam illa me in alvo menſes geſtavit decem,
At ego illam in alvo geſto plus annos decem.
Atque illa puerum me geſtavit parvolum,
Quo minus laboris illam cepiſſe exiſtimo:
At ego non pauxillulam in utero geſto famem,
Verum hercle multo maxumam & graviſſumam.
Uteri dolores mihi oboriuntur cotidie;
Sed matrem parere nequeo; neſcio quomodo.
Audivi ſæpe hoc volgo dicier,
Solere elephantum gravidam perpetuos decem
Eſſe annos. ejus ex ſemine hæc certo eſt fames.
Nam jam complures annos utero hæret meo.
Nunc ſi ridiculum hominem quæret quiſpiam,
Venalis ego ſum cum ornamentis omnibus.
Inanimentis explementum quærito.
Gelaſimo nomen mihi indidit parvo pater:
Quia inde jam a pauxillo puero ridiculus fui.
Propter paupertatem adeo hoc nomen repperi;
Eo, quia paupertas fecit, ridiculus forem:
Nam illa omnes artes perdocet, ubi quem attigit.
Per annonam caram dixit me natum pater:
Propterea, credo, nunc eſurio acrius.
Sed generi noſtro hæc reddita eſt benignitas,
Nulli negare ſoleo, ſi quis eſum me vocat.
Oratio una interiit hominum peſſume,
Atque optuma hercle, meo animo, & ſcitiſſuma,
Qua ante utebantur, Veni illo ad cœnam: Sic face!
Promitte vero! Ne gravare! Eſt commodum?
Volo, inquam, fieri! Non amittam, quin eas!
Nunc reppererunt ei verbo vicarium,
Nihili quidem hercle verbum ac viliſſumum,
Vocem te ad cœnam, niſi egomet cœnem foris.
Ei hercle ego verbo lumbos defractos velim,
Ni vere perierit, ſi cœnaſſit domi.
Hæc verba ſubigunt me, mores ut barbaros
Diſcam, atque ut faciam præconis compendium;
Itaque auctionem prædicem, ipſe ut veneam.
Cr. Hic ille eſt Paraſitus, quem arceſſitum miſſa ſum.
Quæ loquitur, auſcultabo, priuſquam colloquar.
Gel. Sed curioſi ſunt hic quam plures mali,
Alienas res qui curant ſtudio maxumo,
Quibus ipſis nulla eſt res, quam procurent, ſua:
Ei quando quem auctionem facturum ſciunt,
Adeunt, perquirunt, quid ſiet cauſſæ illico:
Alienum æs cogat, an pararit prandium:
Uxorin' ſit reddenda dos divortio?
Eos omnes (tametſi hercle haud indignos judico,
Qui, ut multum miſeri ſint, laborent) nihil moror:
Dicam auctionis cauſſam, ut animo gaudeant,
(Nam curioſus nemo eſt, quin ſit malevolus,)
Ipſe egomet quamobrem auctionem prædicem:
Damna evenerunt maxuma miſero mihi,
Ita me mancupia miſerum affecerunt male;
Potationes plurimæ demortuæ:
Quot adeo cœnæ, quas deflevi, mortuæ!
Quot potiones mulſi! quot autem prandia!
Quæ inter continuum perdidi triennium.
Præ mærore adeo miſer atque ægritudine
Conſenui: pæne ſum fame emortuus.
Cr. Ridiculus æque nullus eſt, quando eſurit.
Gel. Nunc auctionem facere decretum eſt mihi.
Foras neceſſum eſt, quidquid habeo, vendere.
Adeſte ſultis, præda erit præſentium.
Logos ridiculos vendo: agite! licemini.
Qui cœna poſcit? ecquid poſcit prandio?
Hercules te amabit prandio? cœna tibi?
Ehem annuiſtin'? nemo meliores dabit.
Nullis meliores eſſe paraſitos ſinam.
Vel unctiones Græcas, ſudatorias,
Vel alias magis malacas crapularias,
Cavillationes, aſſentatiunculas,
Ac perjuratiunculas paraſiticas,
Rubiginoſam ſtrigilem, ampullam rubidam,
Paraſitum inanem, quo recondas reliquias.
Hæc veniſſe jam opus eſt, quantum poteſt.
Uti decumam partem Herculi polluceam.
Cr. Ecaſtor auctionem haud magni pretii!
Adhæſit homini ad infimum ventrem fames.
Adibo hominem. *Gel.* Quis hæc eſt, quæ advorſum it mihi?
Epignomi ancilla hæc quidem eſt Crocotium.
Cr. Gelaſime, ſalve. *Gel.* Non eſt id nomen mihi.
Cr. Certo mecaſtor id fuit nomen tibi.
Gel. Fuit diſertim: verum id uſu perdidi:
Nunc Miccotrogus nomine ex vero vocor.
Cr. Heu ecaſtor, riſi te hodie multum. *Gel.* Quando aut in quo loco?
Cr. Hic cum auctionem prædicabas. *Gel.* Peſſuma,
Ehon' audiſti? *Cr.* Te quidem digniſſumam.
Gel. Quo nunc is? *Cr.* Ad te. *Gel.* Quid venis? *Cr.* Panegyris
Rogare juſſit te opere maxumo,
Mecum ſimitu ut ires ad ſeſe domum.
Gel. Ego illo mehercle vero eo, quantum poteſt.
Jamne exta cocta ſunt? quot agnis fecerat?
Cr. Illa quidem nullum ſacrificavit. *Gel.* Quomodo?
Quid igitur me volt? *Cr.* Tritici modios decem

Roga-

Rogare, opinor, te volt. *Gel.* Mene ut ab ſe petam?
Cr. Immo hercle ut abs te mutuum nobis dares.
Gel. Negato eſſe quod dem, nec mu, nec mutuum,
Neque aliud quidquam, niſi hoc, quod habeo, pallium;
Linguam quoque etiam venditariam.
Cr. Hau, nulla tibi lingua eſt, quæ quidem dicat, Dabo?
Gel. Veterem reliqui: eccam illam, quæ dicat, Cedo.
Cr. Malum tibi di dent! *Gel.* Hæc eadem dicit tibi.
Cr. Quid nunc? iturus, an non? *Gel.* Abi ſane domum:
Jam illo venturum dicito, propera, atque abi.
Demiror, quid illæc me ad ſe arceſſi juſſerit,
Quæ numquam juſſit me ad ſe arceſſi ante hunc diem,
Poſtquam vir abiit ejus. miror, quid ſiet,
Niſi ut periculum fiat; viſam, quid velit.
Sed eccum Dinacium ejus puerum. hoc vide!
Satin' ut facete, atque ex pictura aſtitit?
Næ iſte edepol vinum poculo pauxillulo
Sæpe exanclavit ſubmerum ſcitiſſume.

ACTUS SECUNDUS

SCENA I.

Dinacium, Gelaſimus.

MErcurius, Jovis qui nuntius perhibetur, numquam æque patri
Suo nuntium lepidum attulit, quam ego nunc meæ heræ nuntiabo.
Itaque onuſtum pectus porto lætitia lubentiaque:
Neque lubet, niſi glorioſe, quidquam proloqui. profecto
Amœnitates omnium Venerum atque venuſtatum affero,
Ripiſque ſuperat mihi atque abundat pectus lætitia meum.
Propterea, Dinacium, pedes hortare. honeſta dicta factis:
Nunc tibi poteſtas adipiſcendi eſt gloriam, laudem, decus:
Heræque egenti ſubveni: benefacta majorum tuorum exauge.
Quæ miſera exſpectatione eſt Epignomi adventus viri.
Proinde ut decet, amat virum ſuum cupide. nunc expedi, Dinacium.
Age, ut placet; curre, ut lubet; cave quemquam flocciſeceris,
Cubitis depulſa de via; tranquillam concinna viam.
Si rex obſtabit obviam, regem ipſum prius pervortito.
Gel. Quidnam dicam, Dinacium
Laſcivibundum tam lubenter currere?
Harundinem fert, ſportulamque, & hamulum piſcarium.
Din. Sed tandem, opinor, æquius eſt heram mihi eſſe ſupplicem,
Atque oratores mittere ad me, donaque ex auro, & quadrigas,
Qui vehar. nam pedibus ire non queo. ergo jam revortar.
Ad me iri & ſupplicari egomet mihi cenſeo æquom.
An vero nugas cenſeas; nihil eſſe quod ego nunc ſcio?
Tantum a portu apporto bonum, tam gaudium affero grande,
Vix ipſa domina hoc, niſi ſciat, exoptare a dis audeat.
Nunc ultro hoc deportem? haud placet: neque id vero officium arbitror.
Hic hoc videtur mihi magis meo convenire huic nuntio.
Advorſum ut veniat, obſecret, ſe ut nuntio hoc impertiam.
Secundas fortunas decent ſuperbiæ.
Sed tandem cum recogito, qui potuit ſcire hæc ſcire me?
Non enim poſſum, quin revortar, quin loquar, quin ediſſerem,
Heramque ex mœrore eximam, benefacta majorum meum
Exaugeam, atque illam augeam ex inſperato opportuno modo.
Contundam facta Talthybii, contemnamque omnis nuntios:
Simulque ad curſuram meditabor me ad ludos Olympiæ.
Sed ſpatium hoc occidit: breve 'ſt curriculo: quam me pœnitet!
Quid hoc? occluſam januam video. ibo, & pultabo fores.
Aperite, atque approperate, fores facite ut pateant: removete moram.
Nimis hæc res ſine cura geritur. vide, quamdudum hic aſto & pulto!
Somnon' operam datis? experiar; fores, an cubiti, an pedes plus valeant.
Nimis vellem hæ fores herum fugiſſent, ea cauſſa ut haberent malum.
Defeſſus ſum pultando.
Hoc poſtremum eſt vobis.
Gel. Ibo, atque hunc compellabo.
Salvos ſis! *Din.* Et tu ſalve.
Gel. Jam tu piſcator factus?
Din. Quampridem non ediſti?
Gel. Unde is? quid fers? quid feſtinas?
Din. Tua quod nihil refert, ne
Cures. *Gel.* Quid iſtic ineſt?
Din. Quas tu vides colubras?
Gel. Quid tam iracundus? *Din.* Si in te
Pudor aſſit, non me appelles.
Gel. Poſſum ſcire ex te verum?
Din. Potes. hodie non cœnabis.

ACTUS II. SCENA II.

Panegyris, Gelaſimus, Dinacium.

QUiſnam, obſecro, has frangit fores? ubi eſt?
Tun' hæc facis? tun' mihi huc hoſtis venis?
Gel. Salve, tuo arceſſitu venio huc. *Pan.* Ean' gratia fores effringis?
Gel. Tuos inclama, tui delinquont: ego, quid me velles, viſebam:
Nam equidem harum miſerebat. *Din.* Ergo auxilium propere latum eſt.
Pan. Quiſnam hic loquitur tam prope nos? *Din.* Dinacium. *Pan.* Ubi is eſt?
Din. Reſpice me, & relinque egentem paraſitum, Panegyris.
Pan. Dinacium! *Din.* Iſtuc indidere nomen majores mihi.
Pan. Quid agis? *Din.* Quid agam, rogitas? *Pan.* Quid ni rogitem? *Din.* Quid mecum eſt tibi?

Pan. Men' faſtidis, propudioſe? eloquere propere, Dinacium.
Din. Jube me omittere igitur hos, qui retinent. *Pan.* Qui retinent? *Din.* Rogas?
Omnia membra laſſitudo mihi tenet. *Pan.* Linguam quidem
Sat ſcio tibi non tenere. *Din.* Ita celeri curriculo fui
Propere a portu, tui honoris cauſſa. *Pan.* Ecquid apportas boni?
Din. Nimio impartior multo tanta plus, quam ſperas. *Pan.* Salva ſum.
Din. At ego perii, quoi medullam laſſitudo perbibit.
Gel. Quid ego? quoi miſero medullam ventris percepit fames.
Pan. Ecquem conveniſti? *Din.* Multos. *Pan.* At virum ecquem? *Din.* Plurimos.
Verum ex multis nequiorem nullum, quam hic eſt. *Gel.* Quomodo?
Jamdudum ego iſtum patior dicere injuſte mihi.
Præter hac ſi me irritaſſis. *Din.* Edepol eſuries male.
Gel. Animum inducam, ut iſtuc verum te elocutum eſſe arbitrer.
Din. Munditias volo fieri. efferte huc ſcopas, ſimulque harundinem,
Ut operam omnem aranearum perdam & texturam improbam,
Dejiciamque earum omnis telas. *Gel.* Miſeræ algebunt poſtea.
Din. Quid? illas itidem eſſe cenſes, quaſi te cum veſte unica?
Cape illas ſcopas. *Gel.* Capiam. *Din.* Hoc egomet, tu hoc converre. *Gel.* Fecero.
Din. Ecquis huc effert naſiternam cum aqua? *Gel.* Sine ſuffragio
Populi tamen ædilitatem hic quidem gerit. *Din.* Age, tu ocyus
Pinge humum, conſperge ante ædeis. *Gel.* Faciam. *Din.* Factum oportuit.
Ego hinc araneas de foribus dejiciam, & de pariete.
Gel. Edepol rem negotioſam! *Pan.* Quid ſit, nihil etiam ſcio.
Niſi forte hoſpites ſunt venturi. *Din.* *Alii* lectos ſternite:
Gel. Principium placet de lectis. *Din.* Alii ligna cædite,
Alii piſces depurgate, quos piſcator attulit;
Pernam & glandium dejicite. *Gel.* Hic hercle homo nimium ſapit.
Pan. Non ecaſtor, ut ego opinor, ſatis heræ morem geris.
Din. Immo res omnis relictas habeo, præ quod tu velis.
Pan. Tum tu igitur, qua cauſſa miſſus es ad portum, mihi expedi.
Din. Dicam. poſtquam me miſiſti ad portum cum luci ſimul,
Commodum radioſus ecce ſol ſuperabat ex mari.
Dum percontor portitores, ecquæ navis venerit
Ex Aſia, negant veniſſe. conſpicatus ſum interim
Cercurum, quo ego me majorem non vidiſſe cenſeo.
In portum vento ſecundo, velo paſſo pervenit.
Alius alium percontamur, Cuja eſt navis? quid vehit?
Interim Epignomum conſpicio tuum virum, & ſervom Stichum.
Pan. Hem! quid? Epignomum elocutus? *Gel.* Tuum virum, & vitam meam.
Din. Venit inquam. *Pan.* Tun' eum ipſum vidiſti? *Din.* Ita ego; libens!
Argenti aurique advexit multum. *Pan.* Nimis factum bene!
Gel. Hercle vero capiam ſcopas, atque hoc converram libens.
Din. Lanam purpuramque multam. *Gel.* Hem! qui ventrem veſtiam.
Din. Lectos eburatos, auratos. *Gel.* Accubabo regie.
Din. Tum Babylonica periſtromata, conſutaque tapetia
Advexit nimium bonæ rei. *Gel.* Hercle, rem geſtam bene.
Din. Poſt, ut occœpi narrare, fidicinas, tibicinas,
Sambucinas advexit ſecum forma eximia. *Gel.* Eugepæ!
Quando adbibero, alludiabo: tum ſum ridiculiſſumus.
Din. Poſtea unguenta multigenerum multa. *Gel.* Non vendo logos.
Jam non facio auctionem. mihi obtigit hæreditas.
Malevoli perquiſitores auctionum perierint.
Hercules, decumam eſſe adauctam, tibi quam vovi, gratulor.
Din. Poſt autem advexit ſecum Paraſitos. *Gel.* Hei, perii miſer!
Din. Ridiculoſiſſumos. *Gel.* Reverram hercle hoc, quod converri modo.
Pan. Vidiſtin' virum ſororis Pamphilippum? *Din.* Non. *Pan.* Adeſt?
Din. Immo ajebant eum veniſſe ſimul. ſed ego huc citus
Præcucurri, ut nuntiarem nuntium exoptabilem.
Gel. Venales logi ſunt illi, quos negabam vendere;
Illico & meo malo eſt, quod malevolentes gaudeant.
Hercules ſane, qui deus ſis, diſceſſiſſes non male.
Pan. I, i intro, Dinacium: jube famulos rem divinam mihi apparent.
Bene vale. *Gel.* Vin' adminiſtrem? *Pan.* Sat ſervorum habeo domi.
Gel. Enimvero, Gelaſime, opinor proveniſti futile,
Si neque ille adeſt, neque hic, qui venit, quidquam ſubvenit.
Ibo intro ad libros, & diſcam de dictis melioribus.
Nam ni illos homines expello, ego occidi planiſſume.

ACTUS TERTIUS
SCENA I.

Epignomus, Stichus.

Cum bene re geſta ſalvos convortor domum,
Neptuno grates habeo & Tempeſtatibus:
Simul Mercurio, qui me in mercimoniis
Juvit, lucriſque quadruplicavit rem meam.
Olim quos abiens affeci ægrimonia,
Eos nunc lætantes faciam adventu meo.
Nam jam Antiphonem conveni affinem meum,
Cumque eo reveni ex inimicitia in gratiam.
Videte, quæſo, quid poteſt pecunia!
Quoniam re bene geſta rediſſe me videt,
Magnaſque apportaviſſe divitias domum,
Sine advocatis ibidem in cercuro, in ſtega,
In amicitiam atque in gratiam convortimus.
Et hic hodie apud me cœnat, & frater meus.
Nam heri ambo in uno portu fuimus: ſed mea

Hodie ſoluta eſt navis aliquanto prius.
Age abduc has intro, quas mecum abduxi, Stiche.
St. Here, ſive ego taceam, ſeu loquar, ſcio ſcire te,
Quam multas tecum miſerias multaverim.
Nunc hunc diem unum ex illis multis miſeriis
Volo me Eleutheriam capere advenientem domum.
Ep. Et jus & æquom poſtulas: ſumas, Stiche,
In hunc diem: te nihil moror, abi, quo lubet.
Cadum tibi veteris vini propino. *St.* Papæ!
Ducam hodie amicam. *Ep.* Vel decem, dum de tuo.
Ubi cœnas hodie, ſi hanc rationem inſtituis?
St. Amicam ego habeo Stephanium hinc ex proxumo,
Tui fratris ancillam: eo condixi in ſymbolam
Ad cœnam, ad ejus conſervom Sagarinum Syrum.
Eadem eſt amica ambobus, rivales ſumus.
Ep. Age, abduc eas intro. hunc tibi dedo diem.
St. Meam culpam habeto, niſi probe excruciavero.
Jam hercle ego per hortum amicam tranſibo meam
Mihi hanc occupatum noctem: eadem ſymbolam
Dabo, & jubebo ad Sagarinum cœnam coqui.
At egomet ibo, atque obſonabo obſonium.
Atque id ne vos miremini, homines ſervolos
Potare, amare, atque ad cœnam condicere.
Licet hoc Athenis nobis. ſed cum cogito,
Potius quam in dividiam veniam, eſt etiam hic oſtium
Aliud poſticum noſtrarum harunce ædium.
(Poſticam partem magis utuntur ædium.)
Ea ibo obſonatum, eadem referam obſonium
Per hortum: utroque commeatus continet.
Ite hac ſecundum vos me. ego hunc lacero diem.

ACTUS III. SCENA II.

Gelaſimus, Epignomus.

LIbros inſpexi. tam confido, quam poti 'ſt,
Me meum obtenturum regem ridiculis meis.
Nunc interviſo, jamne a portu advenerit:
Ut eum advenientem meis dictis deliniam.
Ep. Hic quidem Gelaſimus eſt paraſitus, qui venit.
Gel. Auſpicio hodie optumo exivi foras;
Muſtela murem abſtulit præter pedes.
Cum ſtrena obſcævavit, ſpectatum hoc mihi eſt.
Nam ut illa vitam repperit hodie ſibi,
Item me ſpero facturum. augurium hæc facit.
Epignomus hic quidem eſt, qui aſtat. ibo atque alloquar.
Epignome, ut ego te nunc conſpicio libens!
Ut præ lætitia lacrumæ præſiliunt mihi!
Valuiſtin' uſque? *Ep.* Suſtentatum 'ſt ſedulo.
Gel. Bene atque amice dicis. di dent quæ velis.
Propino tibi ſalutem plenis faucibus.
Cœnabis apud me, quoniam ſalvos advenis.
Ep. Vocata eſt opera nunc quidem: tam gratia eſt.
Gel. Promitte. *Ep.* Certum eſt. *Gel.* Sic fac, inquam. *Ep.* Certa res 'ſt.
Gel. Lubente me, hercle, facies. *Ep.* Idem ego iſtuc ſcio.
Quando uſus veniet, fiet. *Gel.* Nunc ergo uſus eſt.
Ep. Non edepol poſſum. *Gel.* Quid gravare? cenſeo
Eas: neſcio quid vero habeo in mundo. *Ep.* I modo,
Alium convivam quærito tibi in hunc diem.
Gel. Quin tu promittis? *Ep.* Non graver, ſi poſſiem.
Gel. Unum quidem hercle certum promitto tibi:
Libens accipiam, certo ſi promiſeris.
Ep. Valeas. *Gel.* Certumne eſt? *Ep.* Certum. cœnabo domi.
Gel. Quandoquidem *operam* tuam non vis promittere:
Vin' ad te ad cœnam veniam? *Ep.* Si poſſim, velim:
Verum hic apud me cœnant alieni novem.
Gel. Haud poſtulo equidem me in lecto accumbere:
Scis tu med eſſe imi ſubſellii virum.
Ep. At ii oratores ſunt populi, ſummi viri,
Ambracia veniunt, huc legati publice.
Gel. Ergo oratores populi, ſummates viri,
Summi accumbent, ego infimatis infimus.
Ep. Haud æquom eſt te inter oratores accipi.
Gel. Equidem hercle orator ſum: ſed procedit parum.
Ep. Cras de reliquiis nos volo: multum vale.
Gel. Nunc ego hercle perii plane, nihil obnoxie.
Uno Gelaſimo minus eſt, quam dudum fuit.
Certum eſt muſtelæ poſthac numquam credere.
Nam incertiorem nullam novi beſtiam.
Quæne ipſa decies in die mutat locum,
Eam ego auſpicavi in re capitali mea!
Certum eſt amicos convocare, ut conſulam
Qua lege me nunc eſurire oporteat.

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

Antipho, Pamphilippus, Epignomus.

ITa me di bene ament, meaſque mihi bene ſervaſſint filias;
Ut mihi volupe 'ſt, Pamphilippe, quia vos in patriam domum
Rediſſe video, bene geſta re, ambos, te & fratrem tuum.
Pamph. Satis abs te accipiam, niſi videam mihi te amicum eſſe, Antipho.
Nunc quia te amicum mihi experior eſſe, creditur tibi.
Ant. Vocem ego te ad me ad cœnam, frater tuus niſi dixiſſet mihi,
Te apud ſe cœnaturum eſſe hodie, cum me ad ſe cœnam vocat.
Et magis par fuerat me dare vobis cœnam advenientibus,
Quam me ad illum promittere, niſi nollem ei advorſarier.
Nunc me gratiam abs te inire verbis nihil deſidero.
Cras apud me eritis, & tu & ille, cum voſtris uxoribus.
Pamph. Et apud me perendie: nam ille heri me jam vocaverat
In hunc diem. ſed ſatin' ego tecum pacificatus ſum, Antipho?
Ant. Quando ita rem geſſiſtis, uti vos vellem, amicos atque addecet,
Pax commerciumque eſt vobis mecum. nam hoc tu facito cogites,
Ut cuique homini res parata eſt, firmi amici ſunt: ſi res laſſa labat,
Itidem amici collabaſcunt. Res amicos invenit.
Ep. Jam redeo. nimia eſt voluptas, ſi diu abfueris a domo,
Domum ſi redieris, ſi tibi nulla eſt ægritudo animo obviam.
Nam ita me abſente familiarem rem uxor curavit meam,
Omnium me exilem atque inanem fecit ægritudinum.
Sed

Sed eccum fratrem Pamphilippum, incedit cum ſocero ſuo.
Pamph. Quid agitur, Epignome? *Ep.* Quid tu? quamdudum in portum venis
Huc? *Pamph.* Longiſſume. *Ep.* Poſtilla jam iſte eſt tranquillus tibi?
Ant. Magis quam mare, quo ambo eſtis vecti. *Ep.* Facis, ut alias res ſoles.
Hodiene exoneramus navem, frater? *Pamph.* Clementer volo,
Noſmet potius oneremus viciſſatim voluptatibus.
Quam mox cocta eſt cœna? impranſus ego ſum. *Ep.* Abi intro ad me, & lava.
Pamph. Deos ſalutatum atque uxorem modo intro devortor domum.
Ep. Apud nos eccilla feſtinat cum ſorore uxor tua,
Pamph. Optumum eſt, jam iſtoc moræ minus erit. *Ep.* Jam ego apud te ero.
Ant. Priuſquam abis, præſente te huic apologum agere unum volo.
Ep. Maxume. *Ant.* Fuit olim, quaſi ego ſum, ſenex: ei filiæ
Duæ erant, quaſi nunc meæ ſunt: eæ erant duobus nupræ fratribus,
Quaſi nunc meæ ſunt vobis. *Pamph.* Miror, quo evaſuru'ſt apologus.
Ant. Erat minori illi adoleſcenti fidicina & tibicina;
Peregre advexerat, quaſi nunc tu: ſed ille erat cœlebs ſenex,
Quaſi ego nunc ſum. *Pamph.* Perge porro, præſens hic quidem eſt apologus.
Ant. Deinde ſenex ille illi dixit, quojus erat tibicina,
Quaſi ego nunc tibi dico. *Pamph.* Auſculto, atque animum advorto ſedulo.
Ant. Ego tibi meam filiam, bene quicum cubitares, dedi:
Nunc mihi reddi ego æquom eſſe abs te, quicum cubitem, cenſeo,
Pamph. Quis iſtuc dicit? an ille, quaſi tu? *Ant.* Quaſi ego nunc dico tibi.
Immo duas dabo, inquit ille adoleſcens, una ſi parum eſt:
Et ſi duarum pœnitebit, inquit, addentur duæ.
Pamph. Quis iſtuc, quæſo? an ille, quaſi ego? *Ant.* Is ipſe, quaſi tu. *tum* ſenex
Ille, quaſi ego, ſi vis, inquit, quatuor ſane dato;
Dum equidem, hercle, quod edant, addas: meum ne contruncent cibum.
Pamph. Videlicet parcum illum fuiſſe ſenem, qui dixerit:
Quoniam ille illi pollicetur, qui eum cibum popoſcerit.
Ant. Videlicet fuiſſe illum nequam adoleſcentem, qui illico,
Ubi ille poſcit, denegavit ſe dare granum tritici.
Hercle, quia æquom poſtulabat ille ſenex, quandoquidem
Filiæ illæ dederat dotem, accipere pro tibicina.
Pamph. Hercle, ille quidem certo adoleſcens docte verſutus fuit,
Qui ſeni illi concubinam dare dotatam noluit.
Ant. Senex quidem voluit, ſi poſſet indipiſci de cibo:
Quia nequit; qua lege licuit, velle dixit fieri.
Fiat! ille inquit adoleſcens. facis benigne! inquit ſenex.
Habeon' rem factam? inquit. faciam ita, inquit, ut fieri voles.
Sed ego ibo intro, & gratulabor voſtrum adventum filiis.
Poſtea ibo lavatum in Pilum: ibi fovebo ſenectutem meam.
Poſt ubi lavero, otioſus vos operiar accubans.
Pamp. Graphicum mortalem Antiphonem! ut apologum fecit, quam fabre!
Ut jam nunc ſceleſtus eſſe ducit pro adoleſcentulo!
Dabitur homini amica, noctu quæ in lecto accendet ſenem:
Namque, edepol, aliud quidem illi quid amica opus ſit, neſcio.
Sed quid agit paraſitus noſter Gelaſimus? etiam valet?
Ep. Vidi edepol hominem haud perdudum! *Pamph.* Quid agit? *Ep.* Quod famelicus.
Pamph. Quin vocaſti hominem ad cœnam? *Ep.* Ne quid adveniens perderem.
Atque eccum tibi lupum in ſermone; præſens eſuriens adeſt.
Pamph. Ludificemur hominem. *Ep.* Capti conſilii memorem mones.

ACTUS IV. SCENA II.

Gelaſimus, Pamphilippus, Epignomus.

SEd ita quod occœpi narrare vobis; cum hic non affui,
Cum amicis deliberavi jam, & cum cognatis meis:
Ita mihi auctores fuere, ut egomet me hodie jugularem fame.
Sed videone ego Pamphilippum cum fratre Epignomo? atque is eſt.
Aggrediar hominem. ſperate Pamphilippe, o ſpes mea!
O mea vita! o mea voluptas! ſalve! ſalvom gaudeo,
Peregre te in patriam rediſſe ſalvom. *Pamph.* Salve, Gelaſime!
Gel. Valuiſtin' bene? *Pamph.* Suſtentavi ſedulo. *Gel.* edepol gaudeo.
Edepol næ egomet mihi modium nunc mille eſſe argenti velim.
Ep. Quid eo tibi opus eſt. *Gel.* Hunc ad cœnam hercle ut vocem, te non vocem.
Ep. Advorſum te fabulare illud quidem. *Gel.* Ambos ut vocem.
Ep. Edepol te vocem libenter, ſi ſuperfiat locus.
Gel. Quin tu, ſtans obſtruſero aliquid ſtrenue. *Ep.* Immo unum hoc poteſt.
Gel. Quid? *Ep.* Ubi convivæ abierint, tum venias. *Gel.* Væ ætati tuæ!
Gel. Una lutum, non ad cœnam dico. *Gel.* Di te perduint!
Quid ais, Pamphilippe? *Pamph.* Ad cœnam hercle alio promiſi foras,
Gel. Quid, foras? *Pamph.* Foras hercle vero. *Gel.* Qui, malum, tibi laſſo libet
Foris cœnare? *Pamph.* Utrum tu cenſes? *Gel.* Jube domi cœnam coqui,
Atque ad illum renunciari. *Ep.* Solus cœnabo domi?
Gel. Non enim ſolus, me vocato. *Pamph.* At ille ne ſuccenſeat,
Mea qui cauſſa ſumtum fecit. *Gel.* Facile excuſari poteſt:
Mihi modo auſculta. jube domi cœnam coqui. *Ep.* Non me quidem
Faciet auctore, hodie ut illum decipiat. *Ep.* Non tu hinc abis?

Niſi

Niſi me non perſpicere cenſes, quid agas, cave ſis tu tibi.
Nam illic homo tuam hæreditatem inhiat, quaſi eſuriens lupus.
Non tu ſcis, quam efflictentur homines noctu hic in via?
Pamph. Tanto plureis, qui defendant, ire advorſum juſſero.
Ep. Non it, non it: quia tanto opere ſuades, ne ebitat. *Gel.* Jube
Domi mihi, tibi, tuæque uxori celeriter cænam coqui.
Si hercle ſaxis, non opinor dices deceptum fore.
Pamph. Per hanc tibi cœnam incœnato, Gelaſime, eſſe hodie licet.
Gel. Ibiſne ad cœnam foras? *Pamph.* Apud fratrem cœno, in proxumo.
Gel. Certumne eſt? *Pamph.* Certum. *Gel.* Edepol te hodie lapide percuſſum velim.
Pamph. Non metuo: per hortum tranſibo, non prodibo in publicum.
Ep. Quid agis Gelaſime? *Gel.* Oratores tu accipis: habeas tibi.
Ep. Tua pol refert enim. *Gel.* Siquidem mea refert, opera utere,
Poſce. *Ep.* Edepol tibi, opinor, etiam uni locum conſpicor,
Ubi accubes. *Pamph.* Sane faciundum cenſeo. *Gel.* O lux oppidi!
Ep. Si arte poteris accubare. *Gel.* Vel inter cuneos ferreos.
Tantillum loci, ubi catellus cubet, id mihi ſat eſt loci.
Ep. Exorabo aliquo modo. veni. *Gel.* Huccine? *Ep.* Immo in carcerem.
Nam hic quidem meliorem Genium tuum non facies. eamus, tu.
Pamph. Deos ſalutabo modo, poſtea ad te continuo tranſeo.
Gel. Quid igitur? *Ep.* Dixi equidem, in carcerem ires. *Gel.* Quin juſſeris,
Eo quoque ibo. *Ep.* Di immortales! hic quidem in ſummam crucem
Cæna aut prandio perduci poteſt. *Gel.* Ita ingenium meum eſt;
Quicumvis depugno multo facilius, quam cum fame.
Pamph. Non ergo is tu? apud me ſatis ſpectata eſt mihi jam tua felicitas:
Dum paraſitus mihi atque fratri fuiſti, rem confregimus.
Nunc ego nolo e Gelaſimo mihi te Catagelaſimum.
Gel. Jamne abiſti? Gelaſime, vide, quid es capturus conſilii.
Egone? tune? mihine? tibine? vides, ut annona eſt gravis!
Vides, benignitates hominum ut periere & prothymiæ:
Vides, ridiculos nihili fieri, atque ipſos paraſitarier.
Numquam edepol me vivom quiſquam in craſtinum proſpiciet diem.
Nam mihi jam intus potione vincea onerabo gulam.
Neque ego hoc committam, ut homines mortuum me dicant fame.

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

Stichus.

MOre hoc fit, atque ſtulte, mea ſententia:
Si quem hominem exſpectant, eum ſolent proviſere:
Qui hercle illa cauſſa nihil ocyus venit.
Idem ego nunc facio, qui proviſo Sagarinum,
Qui nihil ocyus venit tamen hac gratia.
Jam hercle ego decumbam ſolus, ſi ille huc non venit.
Cadum modo hinc a me huc cum vino transferam:
Poſtea accumbam. quaſi ſenex tabeſcit dies.

ACTUS V. SCENA II.

Sagarinus, Stichus.

SAlvete, Athenæ, quæ nutrices Græciæ.
Terra herilis patria! te video libens.
Sed amica mea & conſerva quid agat Stephanium,
Cura eſt, ut valeat. nam Sticho mandaveram,
Salutem ut nuntiaret; atque ei ut diceret,
Me hodie venturum: ut cœnam coqueret temperi.
Sed Stichus eſt hic quidem. *St.* Feciſti, here, facetias,
Cum hoc donaviſti dono tuum ſervom Stichum.
Pro di immortales, quot ego voluptates fero!
Quot riſiones! quot jocos! quot ſavia!
Saltationes, blanditias, prothymias!
Sag. Stiche! *St.* Hem! *Sag.* Quid fit? *St.* Euge, Sagarine lepidiſſume!
Fero convivam Dionyſum mihique & tibi.
Namque edepol cœna dicta eſt, locus liber datus eſt
Mihi & tibi apud vos: nam apud nos eſt convivium.
Ibi voſter cœnat cum uxore adeo & Antipho.
Ibidem herus eſt noſter. hoc mihi dono datum 'ſt.
Sag. Quis ſomniavit aurum? *St.* Quid id ad te attinet?
Proin' tu lavare propera. *Sag.* Lautus ſum. *St.* Optume.
Sequere ergo hac me intro. *Sag.* Ego vero ſequor.
St. Volo eluamus hodie. peregrina omnia
Relinque: Athenas nunc colamus. ſequere me.
Sag. Sequor, & domum redeundi principium placet.
Bona ſcæva ſtrenaque obviam occeſſit mihi.

ACTUS V. SCENA III.

Stephanium.

MIrum videri nemini voſtrum volo, ſpectatores,
Quid ego hinc, quæ illic habito, exeam: faciam vos certiores.
Domo dudum huc arceſſita ſum. quoniam nuntiatum eſt,
Iſtarum venturos viros. ibi feſtinamus omnes,
Lectis ſternendis ſtuduimus, munditiiſque apparandis.
Inter illud tamen negotium meis curavi amicis,
Sticho & conſervo Sagarino meo, cœna cocta ut eſſet.
Stichus obſonatus eſt. ceterum ego curando id allegavi.
Nunc ibo hinc, & amicos meos curabo hic advenientes.

ACTUS

ACTUS V. SCENA IV.

Sagarinus, Stichus.

AGite, ite foras: ferte pompam. cado te præficio, Stiche.
Omnibus modis temperare certum'ſt noſtrum hodie convivium.
Ita me di ament, lepide accipiemur, cum hoc recipiamur in loco.
Quiſquis prætereat, comiſſatum volo vocari. *St.* Convenit;
Dum quidem hercle quiſque veniat cum vino ſuo. nam hinc quidem
Hodie polluctura, præter nos, jactura dabitur nemini.
Noſmet inter nos miniſtremus, monotrophe. hoc convivium eſt
Pro opibus noſtris ſatis commodule, nucibus, fabulis, ficulis,
Olea in tryblio, lupilli comminuto cruſtulo.
Sat eſt. Servo homini modeſte melius facere ſumtum, quam ampliter.
Suum quemque decet. quibus divitiæ domi ſunt, ſcaphio & cantharis,
Batiolis bibunt: at nos noſtro Samiolo poterio
Tamen vivimus: nos tamen efficimus pro opibus noſtra mœnia.
Sag. Amicæ uter utrubi accumbamus? *St.* Abi tu ſane ſuperior.
Atque adeo ut tu ſcire poſſis, factum ego tecum hoc divido.
Vide, utram tibi libet etiamnum capere, cape provinciam.
Sag. Quid iſtuc eſt provinciæ? *St.* Utrum Fontinali an Libero
Imperium te inhibere mavis? *Sag.* Nimio liquido Libero.
Sed amica mea & tua dum comit, dumque ſe exornat, nos volo
Tamen ludere inter nos. ſtrategum te facio huic convivio.
St. Nimium lepide in mentem venit. potius in ſubſellio
Cynice accipiemur, quam in lectis. *Sag.* Immo enim hic magis eſt dulcius.
Sed interim, ſtratege noſter, cur hic ceſſat cantharus?
Vide, quot cyathos bibimus. *St.* Tot, quot digiti ſunt tibi in manu.
Cantio eſt Græca: ἢ πέντε πὶν, ἢ τρὶς πὶν, ἢ μὴ τέτταρα.
Sag. Tibi propino decuma fonte: tibi tute inde, ſi ſapis.
Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene noſtram etiam Stephanium.
St. Bibe, ſi bibis. *Sag.* Non mora erit apud me. *St.* Edepol convivi ſat eſt,
Modo noſtra huc amica accedat: id abeſt, aliud nihil abeſt.
Sag. Lepide hoc actum eſt. tibi propino cantharum: vinum tu habes.
Nimis vellem aliquid pulpamenti. *St.* Si horum, quæ aſſunt, pœnitet,
Nihil eſt. tene aquam. *Sag.* Melius dicis: nihil moror cupedia.
Bibe, tibicen: age, ſi quid agis. bibendum hercle hoc eſt, ne nega.
Quid hic faſtidis, quod faciundum vides eſſe tibi? quin bibis?
Age, ſi quid agis: accipe, inquam. non hoc impendet publicum.
Haud tuum iſtuc eſt te vereri. eripe ex ore tibias.
St. Ubi illic biberit, vel ſervato meum modum, vel tu dato.
Nolo ego nos pro ſummo bibere. nulli relerimus poſtea:
Namque edepol, quamvis deſubito vel cadus vorti poteſt.
Sag. Quid igitur? quamquam gravatus fuiſti, non nocuit tamen.
Age tibicen, quando bibiſti, refer ad labias tibias,
Suffla celeriter tibi buccas, quaſi proſerpens beſtia.
Agedum, Stiche; uter demutaſſit, poculo multabitur.
St. Bonum jus dicis. impetrare oportet, quia æquom poſtulas.
Age ergo obſerva: ſi peccaſſis, multam hic retinebo illico.
Sag. Optumum atque æquiſſumum oras. *St.* Hem tibi hoc primum omnium.
Hæc facetia'ſt, amare inter ſe rivales duos;
Uno cantharo potare, & unum ſcortum ducere.
Hoc memorabil'eſt: ego tu ſum, tu es ego: uni animi ſumus:
Unam amicam amamus ambo: mecum ubi eſt, tecum eſt tamen.
Tecum ubi autem eſt, mecum ibi autem eſt: neuter utri invidet.
Sag. Ohe, jam ſatis. nolo obſcæves: catuli ut ludunt, nunc volo.
Vin' amicam huc evocemus? ea ſaltabit. *St.* Cenſeo.
Sag. Mea ſuavis, amabilis, amœna Stephanium, ad amores tuos
Foras egredere, ſatis mihi pulchra es. *St.* At enim *mihi* pulcherruma.
Sag. Fac nos hilaros hilariores opera atque adventu tuo.
Peregre advenientes te expetimus, Stephaniſcidium, mel meum;
Si amabilitas tibi noſtra placet, ſi tibi ambo accepti ſumus.

ACTUS V. SCENA V.

Stephanium, Sagarinus, Stichus.

MOrem vobis geram, meæ deliciæ. nam ita me Venus amœna amet,
Ut ego hic jamdudum exiſſem ſimitu vobiſcum foras,
Niſi me vobis exornarem. nam ita eſt ingenium muliebre,
Bene cum lauta eſt, terſa, ornata, ficta eſt; infecta eſt tamen.
Nimioque ſibi mulier meretrix repperit odium ocyus
Sua immunditia, quam in perpetuum ut placeat munditia ſua.
Sag. Nimium lepide fabulata eſt. *Stich.* Veneris mera eſt oratio,
Sagarine. *Sag.* Quid eſt? *Stich.* Totus doleo. *Sag.* Totus? tanto miſerior.
Steph. Utrubi accumbo? *Sag.* Utrubi tu vis? *Steph.* Cum ambobus volo: nam ambos amo.
Stich. Vapulat peculium: actum eſt, fugit hoc libertas caput.
Steph. Date mihi locum, ubi accumbam, amabo. ſiquidem placeo: tum mihi Cupio

Cupio cum utroque mihi eſſe bene. *Stich.* Diſpereo!
Sag. Quid ais? *Stich.* Quid, ego?
Sag. Ita me di ament, numquam enim fiet hodie, hæc quin ſaltet tamen.
Age mulſa mea! ſuavitudo! ſalta: ſaltabo ego ſimul.
Stich. Numquam edepol me iſtoc vinces, quin ego tibi pruriam.
Steph. Siquidem mihi ſaltandum eſt, tum vos date, bibat, tibicini.
Stich. Et quidem nobis. *Sag.* Tene, tibicen, primum; poſtidea loci
Si hoc eduxeris, proinde ut conſuetus antehac, celeriter
Lepidam & ſuavem cantationem aliquam occipito cinædicam,
Ubi perpruriſcamus uſque ex unguiculis. inde huc aquam.

ACTUS V. SCENA VI.

Eidem.

Sag. TEne tu hoc, educe: dudum haud placuit potio:
Nunc minus gravate jam accipit, tene tu. interim,
Meus oculus, da mihi ſuavium, dum illic bibit.
Proſtibili eſt autem ſtantem ſtanti ſavium
Dare amicum amicæ. euge euge! ſic furi datur!
Quid igitur? quamquam gravatus, non nocuit tamen.
Age, jam infla buccas. *Stich.* Nunc jam aliquid ſuaviter!
Redde cantionem veteri pro vino novam.

ACTUS V. SCENA VII.

Eidem.

Sag. QUi Ionicus aut cinædicus, qui hoc tale facere poſſiet?
Si iſtoc me vorſu viceris, alio me provocato:
Fac tu hoc modo. *Stich.* At tu hoc modo. *Sag.* Babæ! *Stich.* Tatæ! *Sag.* Papæ! *Stich.* Pax!
Sag. Nunc pariter ambo. omnes voco cinædos contra.
Satis eſſe nobis non magis potis eſt, quam fungo imber.
Intro hinc abeamus, nunc jam ſaltatum ſatis pro vino'ſt.
Vos ſpectatores, plaudite, atque ite ad vos comiſſatum.

FINIS STICHI.

TRINUMMUS.

Dramatis Perſonæ.

Luxuria.) *Prologus.*
Inopia.)
Megaronides,) *ſenes.*
Callicles,)
Lysiteles, *adoleſcens.*
Philto, *ſenex.*
Lesbonicus, *adoleſcens.*
Stasimus, *ſervus.*
Charmides, *ſenex.*
Sycophanta.

ARGUMENTUM.

THeſaurum abſtruſum abiens peregre Charmides,
Remque omnem amico Callicli mandat ſuo.
Iſtoc abſente male rem perdit filius.
Nam & ædis vendit: has mercatur Callicles.
Virgo indotata ſoror iſtius poſcitur:
Minus quo cum invidia ei det dotem Callicles,
Mandat, qui dicat aurum ferre ſe a patre.
Ut venit ad ædis, hunc deludit Charmides
Senex, ut rediit; quojus nubunt liberi.

PROLOGUS.

Luxuria, & Inopia.

SEquere me, mea gnata, ut munus fungaris tuum.
In. Sequor. ſed finem fore quem dicam, neſcio.
Lux. Adeſt. hem! illæ ſunt ædes: i intro nunc jam.
Nunc, ne quis erret voſtrum, paucis in viam
Deducam, ſiquidem operam dare promittitis.
Nunc primum igitur, quæ ego ſim, & quæ illa hæc ſiet,
Huc quæ abiit intro, dicam, ſi animum advortitis.
Primum mihi Plautus nomen Luxuriæ indidit:
Tum hanc mihi gnatam gnatam eſſe voluit Inopiam.
Sed ea huc quid introierit impulſu meo,
Accipite, & date vacivas auris, dum eloquor.
Adoleſcens quidam eſt, qui in hiſce habitat ædibus:
Is rem paternam me adjutrice perdidit.
Quoniam ei, qui me aleret, nihil video eſſe reliqui,
Dedi meam gnatam, quicum ætatem exigat.
Sed de argumento ne exſpectetis Fabulæ:
Senes qui huc venient, hi rem vobis aperient.
Huic nomen Græce eſt THESAURO Fabulæ:
Philemo ſcripſit, Plautus vortit barbare:
Nomen TRINUMMO fecit. nunc hoc vos rogat,
Ut liceat poſſidere hanc nomen Fabulam.
Tantum eſt. valete, adeſte cum ſilentio.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Megaronides.

NAE amicum caſtigare ob meritam noxiam,
Immune eſt facinus; verum in ætate utile
Et conducibile. nam ego amicum hodie meum
Concaſtigabo pro commerita noxia,
Invitus, ni me id invitet ut faciam fides.
Nam hic nimium morbus mores invaſit bonos,
Ita plerique omnis jam ſunt intermortui.
Sed dum illi ægrotant, interim mores mali
Quaſi herba irrigua ſuccreverunt uberrume.
Neque quidquam hic vile nunc eſt, niſi mores mali.
Eorum licet jam meſſem metere maxumam,
Nimioque hic pluris pauciorum gratia n
Faciunt pars hominum, quam id, quod proſit pluribus.
Ita vincunt illud conducibile gratiæ
Quæ in rebus multis obſtant, odioſæque ſunt,
Remoramque faciunt rei privatæ & publicæ.

ACTUS

ACTUS I. SCENA II.

Callicles, Megaronides.

LArem corona noſtrum decorari volo.
Uxor! venerare; ut nobis hæc habitatio
Bona, fauſta, felix, fortunataque eveniat;
Teque ut, quam primum poſſim, videam emortuam.
Meg. Hic ille eſt, ſenecta ætate qui factus eſt puer,
Qui admiſit in ſe culpam caſtigabilem.
Aggrediar hominem. *Cal.* Cuja vox prope me ſonat?
Meg. Tui benevolentis, ſi ita es, ut ego volo:
Sin aliter es, inimici atque irati tibi.
Cal. O amice, ſalve, atque æqualis! ut vales,
Megarodines? *Meg.* Et tu edepol ſalve, Callicles.
Valen'? valuiſtin'? *Cal.* Valeo, & valui rectius.
Meg. Quid agit tua uxor? ut valet? *Cal.* Pluſquam ego volo.
Meg. Bene hercle eſt, illam tibi bene valere & vivere.
Cal. Credo hercle te gaudere, ſi quid mihi mali eſt.
Meg. Omnibus amicis quod mihi eſt, cupio eſſe idem.
Cal. Eho, tua uxor quid agit? *Meg.* immortalis eſt.
Vivit, victuraque eſt. *Cal.* Bene hercle nuntias,
Deoſque oro, ut vitæ tuæ ſuperſtes ſuppetat.
Meg. Dum quidem hercle tecum nupta ſit, ſane velim.
Cal. Vin' commutemus? tuam ego ducam, & tu meam?
Faxo haud tantillum dederis verborum mihi.
Meg. Neque enim tu, credo, mihi imprudenti obrepſeris.
Cal. Næ tu hercle faxo haud ſcies, quam rem egeris.
Meg. Habeas, ut nactus: nota mala res, optuma 'ſt.
Nam ego nunc ſi ignotam capiam, quid agam, neſciam.
Cal. Edepol, proinde ut bene vivitur, diu vivitur.
Meg. Sed hoc animum advorte; atque aufer ridicularia:
Nam ego dedita opera huc ad te advenio. *Cal.* Quid venis?
Meg. Malis te ut verbis multis multum objurgitem.
Cal. Men'? *Meg.* Num quis eſt hic alius præter me atque te?
Cal. Nemo eſt. *Meg.* Quid igitur rogitas, tene objurgitem?
Niſi tute mihi me cenſes dicturum male.
Nam ſi in te ægrotant artes antiquæ tuæ,
Sive immutare vis ingenium moribus;
Aut ſi demutant mores ingenium tuum,
Neque eos antiquos ſervas, aſt captas novos,
Omnibus amicis morbum tu incuties gravem,
Ut te videre audireque ægroti ſient.
Cal. Qui in mentem venit tibi iſtæc dicta dicere?
Meg. Quia omnes bonos bonaſque accurare addecet,
Suſpicionem & culpam ut ab ſe ſegregent.
Cal. Non poteſt utrumque fieri. *Meg.* Quapropter? *Cal.* Rogas?
Ne admittam culpam, ego meo ſum promus pectori:
Suſpicio eſt in pectore alieno ſita.
Nam nunc ego ſi te ſurripuiſſe ſuſpicer
Jovi coronam de capite, e Capitolio,
Quod in culmine aſtat ſummo: ſi id non feceris,
Atque id tamen mihi lubeat ſuſpicarier,
Qui tu id prohibere me potes, ne ſuſpicer?
Sed iſtuc negotii ſcire cupio, quidquid eſt.
Meg. Haben' tu amicum aut familiarem quempiam,
Cui pectus ſapiat? *Cal.* Edepol haud dicam dolo;
Sunt, quos ſcio eſſe amicos: ſunt, quos ſuſpicor:
Sunt, quorum ingenia atque animos non poſſum noſcere,
Ad amici partem, an ad inimici perveniant.
Sed tu ex amicis certis mihi es certiſſumus.
Si quid ſcis me feciſſe inſcite aut improbe,
Si id me non accuſas, tute ipſe objurgandus es.
Meg. Scio;
Et, ſi alia huc cauſſa ad te adveni, æquom poſtulas.
Cal. Exſpecto, ſi quid dicas. *Meg.* Primum dum omnium,
Male dictitatur tibi volgo in ſermonibus:
Turpilucricupidum te vocant cives tui.
Tum autem ſunt alii, qui te volturium vocant:
Hoſteſne an cives comedis, parvipendere.
Hæc cum audio in te dicier, excrucior miſer.
Cal. Eſt, atque non eſt, mihi in manu, Megaronides.
Quin dicant, non eſt: merito ut ne dicant, id eſt.
Meg. Fuitne hic tibi amicus Charmides? *Cal.* Eſt, & fuit.
Id ita eſſe ut credas, rem tibi auctorem dabo.
Nam poſtquam hic ejus rem confregit filius,
Videtque ipſe ad paupertatem protractum eſſe ſe,
Suamque filiam eſſe adultam virginem,
Simul ejus matrem, ſuamque uxorem mortuam;
Quoniam hinc iturus eſt ipſe in Seleuciam,
Mihi commendavit virginem gnatam ſuam,
Et rem ſuam omnem, & illum corruptum filium.
Hæc, ſi mihi inimicus eſſet, credo, haud crederet.
Meg. Quid tu adoleſcentem, quem eſſe corruptum vides,
Qui tuæ mandatus eſt fidei & fiduciæ,
Quin eum reſtituis? quin ad frugem corrigis?
Ei rei operam dare te fuerat aliquanto æquius,
Si qui probiorem facere poſſis, non uti
In eamdem tute accederes infamiam,
Malumque ut ejus cum tuo miſceres malo.
Cal. Quid feci? *Meg.* Quod homo nequam. *Cal.* Non iſtuc meum eſt.
Meg. Emiſtin' de adoleſcente has ædes? quid taces?
Ubi nunc tute habitas. *Cal.* Emi, atque argentum dedi
Minas quadraginta adoleſcenti ipſi in manum.
Meg. Dediſti argentum? *Cal.* Factum: neque facti piget.
Meg. Edepol fidei adoleſcentem mandatum malæ!
Dediſtine hoc pacto ei gladium, qui ſe occideret?
Quid ſecus eſt, aut quid intereſt dare te in manus
Argentum amanti homini adoleſcenti, animi impoti,
Qui exædificaret ſuam inchoatam ignaviam?
Cal. Non ego illi argentum redderem? *Meg.* Non redderes:
Neque de illo quidquam neque emeres, neque venderes,
Nec, qui deterior eſſet, faceres copiam.
Inconciliaſtin' eum, qui mandatu 'ſt tibi?
Ille qui mandavit, eum exturbaſti ex ædibus?
Edepol mandatum pulchre, & curatum probe.
Crede huic tute: ſuam jam melius rem geſſerit.
Cal. Subigis maledictis me tuis, Megaronides,
Novo modo adeo, ut quod meæ concreditum eſt
Taciturnitati clam, fidei, & fiduciæ,
Ne enunciarem cuiquam, neu facerem palam;
Uti mihi neceſſe ſit jam id tibi concredere.
Meg. Mihi quod credideris, ſumes, ubi poſiveris.
Cal. Circumſpice dum te, ne quis aſſit arbiter
Nobis: & quæſo identidem circumſpice.
Meg. Auſculto, ſi quid dicas. *Cal.* Si taceas, loquar.
Quoniam hinc eſt profectus peregre Charmides,
The-

Theſaurum mihi demonſtravit in hiſce ædibus,
Hic in conclavi quodam. ſed circumſpice!
Meg. Nemo eſt. *Cal.* Nummorum Philippeum ad tria millia.
Id ſolus ſolum, per amicitiam & per fidem,
Flens me obſecravit, ſuo ne gnato crederem,
Neve cuiquam, unde ad eum id poſſet permanaſcere.
Nunc ſi ille huc ſalvos revenit, reddam ſuum ſibi.
Si quid eo fuerit, certo illius filiæ,
Quæ mihi mandata eſt, habeo dotem unde dem,
Ut eam in ſe dignam conditionem collocem.
Meg. Pro di immortales! verbis paucis quam cito
Alium feciſti me! alius ad te veneram.
Sed ut occepiſti, perge porro proloqui.
Cal. Quid tibi ego dicam? qui illius ſapientiam
Et meam fidelitatem, & celata omnia
Pæne ille ignavos funditus peſſum dedit.
Meg. Qui dum? *Cal.* Quia rure dum ſum ego unos ſex dies,
Me abſente atque inſciente, inconſultu meo,
Ædes venales haſce inſcribit litteris.
Meg. Adeſurivit magis, & inhiavit acrius
Lupus. obſervavit, dum dormitaret canes,
Gregem univerſum voluit totum avortere.
Cal. Feciſſet edepol, ni hæc præſenſiſſet canes.
Sed nunc rogare ego viciſſim te volo,
Quid fuit officium meum me facere, face ſciam.
Utrum indicare me ei theſaurum æquom fuit,
Advorſum quam ejus me obſecraviſſet pater;
An ego alium dominum paterer fieri hiſce ædibus?
Qui emiſſet, ejus eſſetne ea pecunia?
Emi egomet potius ædis, argentum dedi
Theſauri cauſſa, ut ſalvom amico traderem.
Neque adeo haſce emi mihi, nec uſuræ meæ:
Illi redemi rurſum: a me argentum dedi.
Hæc ſunt, ſeu recte, ſeu perverſe facta ſunt;
Egomet feciſſe confiteor, Megaronides.
Hem mea malefacta! hem meam avaritiam tibi!
Haſcine me propter res maledicta differunt?
Meg. Pauſa! viciſti caſtigatorem tuum:
Occluſi linguam: nihil eſt, qui reſpondeam.
Cal. Nunc ego te quæſo, ut me opera & conſilio juves,
Communiceſque hanc mecum meam provinciam.
Meg. Polliceor operam. *Cal.* Ergo ubi eris paullo poſt? *Meg.* Domi.
Cal. Numquid vis? *Meg.* Cures tuam fidem. *Cal.* Fit ſedulo.
Meg. Sed quid ais? *Cal.* Quid vis? *Meg.* Ubi nunc adoleſcens habet?
Cal. Poſticulum hoc recepit, cum ædis vendidit.
Meg. Iſtuc volebam ſcire. i ſane nunc jam.
Sed quid ais? *Cal.* Quid? *Meg.* Nunc virgo nempe apud te eſt. *Cal.* Ita, eſt:
Juxtaque eam curo cum mea. *Meg.* Recte facis.
Cal. Num, priuſquam abeo, me rogaturus? *Meg.* Vale.
Nihil eſt profecto ſtultius neque ſtolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque perjurius,
Quam urbani aſſidui cives, quos ſcurras vocant.
Atque egomet me adeo cum illis una ibidem traho,
Qui illorum verbis falſis acceptor fui:
Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quidquam ſciunt.
Quod quiſque in animo habet, aut habiturus eſt, ſciunt.
Sciunt id, quod in aurem rex reginæ dixerit:
Sciunt, quod Juno fabulata eſt cum Jove:
Quæ neque futura, neque facta ſunt, tamen illi ſciunt.
Falſon' an vero laudent, culpent, quem velint,
Non flocci faciunt, dum illud, quod lubeat, ſciant.
Omnes mortales hunc ajebant Calliclem
Indignum civitate hac eſſe & vivere,
Bonis qui hunc adoleſcentem evortiſſet ſuis.
Ego de eorum verbis famigeratorum inſcius
Proſilui amicum caſtigatum innoxium.
Quod ſi exquiratur uſque ab ſtirpe auctoritas,
Unde quidquid auditum dicant, niſi id appareat,
Famigeratori res ſit cum damno & malo:
Hoc ita ſi fiat, publico fiat bono.
Pauci ſint faxim, qui ſciant, quod neſciunt,
Occluſioremque habeant ſtultiloquentiam.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

Lyſiteles.

Multas res ſimitu in meo corde vorſo, multum in cogitando
Dolorem indipiſcor: egomet me concoquo, & macero, & defatigo.
Magiſter mihi exercitor animus hinc eſt. ſed hoc non liquet,
Nec ſatis cogitatum eſt, utram potius harum mihi artem expeteſſam,
Utram ætati agundæ arbitrer firmiorem: amorin' me, an rei
Obſequi potius par fiet: utra in parte plus voluptatis ſit vitæ,
Ad ætatem agundam, de hac re mihi ſatis haud liquet. niſi hoc
Sic faciam opinor: utramque rem ſimul exputem: judex ſim,
Reuſque ad eam rem. ita faciam: ita placet: omnium primum
Amoris artes eloquar, quemadmodum expediant. numquam
Amor quemquam niſi cupidum hominem poſtulat ſe in plagas
Conjicere: eos cupit, eos conſectatur, ſubdole blanditur: ab re
Conſulit blandiloquentulus, harpago, mendax, cuppes, avarus,
Elegans, deſpoliator, latebricolarum hominum corruptor,
Blandus, inops, celati indagator. nam qui ab eo, quod amat,
Quam extemplo ſaviis ſagittatis percuſſus eſt, illico res foras
Labitur, liquitur. Da mihi hoc, mel meum, ſi me amas, ſi audes.
Ibi ille cuculus; Ocelle mi, fiat! & iſtuc, & ſi amplius vis dari,
Dabitur. ibi illa pendentem ferit: jam amplius orat. non ſat
Id eſt mali, ni amplius etiam, quod ebibit, quod comeſt,
Quod facit ſumti. nox datur? ducitur familia tota;
Veſtiſpicæ, unctor, auri cuſtos, flabelliferæ, ſandaligerulæ,

Cantrices, ciſtellatrices, nuntii, renuntii, raptores panis & peni.
Fit ipſe, dum illis comis eſt, inops amator. hæc ego cum ago
Cum meo animo, & recolo, ubi qui eget, quam pretii ſit parvi; apage te,
Amor: non places, nihil te utor: quamquam illud eſt dulce, eſſe & bibere.
Amor amara dat tibi ſatis, quod ægre ſit. fugit forum, fugat tuos
Cognatos, fugat ipſe ſe a ſuo contuitu.
Neque enim eum ſibi amicum volunt dici. Mille modis amor ignorandu 'ſt:
Procul adhibendus eſt, atque abſtinendus. nam qui in amorem
Præcipitavit, pejus perit, quam ſi ſaxo ſaliat. apage ſis amor:
Tuas res tibi habe. Amor, mihi amicus ne ſuas umquam. ſunt tamen,
Quos miſeros, maleque habeas, quos tibi obnoxios feciſti.
Certum 'ſt ad frugem applicare animum: quamquam ibi animo
Labos grandis capitur. boni ſibi hæc expetunt, rem, fidem, honorem,
Gloriam & gratiam. hoc probis pretium 'ſt: eo mihi magis lubet
Cum probis potius, quam cum improbis vivere vanidicis.

ACTUS II. SCENA II.

Philto, Lyſiteles.

QUo illic homo foras ſe penetravit ex ædibus? *Lyſ.* Pater, aſſum.
Impera quodvis: neque tibi ero in mora, neque latebroſe me abs tuo
Conſpectu occultabo. *Ph.* Feceris par tuis ceteris factis, patrem
Tuum ſi percoles. Per pietatem! nolo ego cum improbis te viris,
Gnate mi, neque in via, neque in foro ullum ſermonem exſequi.
Novi ego hoc ſeculum, moribus quibus ſit. malus bonum, malum
Eſſe volt, ut ſit ſui ſimilis: turbant, miſcent mores mali; rapax,
Avarus, invidus: ſacrum profanum, publicum privatum habent:
Hiulca gens. hæc ego doleo: hæc ſunt, quæ me excruciant.
Hæc dies nocteſque tibi canto, ut caveas. quod manu non queunt
Tangere, tantum fas habent, quo manus abſtineant:
Cetera, rape, trahe, fuge, late. lacrumas hæc mihi, cum video,
Eliciunt. quia ego ad hoc genus hominum duravi. quin prius
Me ad plures penetravi? nam hi mores majorum laudant:
Eoſdem lutulant, quos collaudant. hiſce ego te artibus gratiam
Facio neu colas, neu imbuas ingenium. meo modo, & moribus vivito
Antiquis. quæ ego tibi præcipio, ea facito. nihil ego iſtos
Moror fatuos mores, & turbidos, quibus boni dedecorant ſe.
Hæc tibi, ſi mea imperia capeſſes, multa bona in pectore conſident.
Lyſ. Semper ego uſque ad hanc ætatem ab ineunte adoleſcentia,
Tuis ſervivi ſervitutem imperiis & præceptis, pater.
Pro ingenio, ego me liberum eſſe ratus ſum: pro imperio, tuum.
Meum animum tibi ſervitutem ſervire, æquom cenſui.
Ph. Qui homo cum animo inde ab ineunte ætate depugnat ſuo,
Utrum is itane eſſe mavelit, ut eum animus æquom cenſeat;
An ita potius, ut parentes eum eſſe & cognati velint:
Si animus hominem perpulit, actum eſt, animo ſervibit; non ſibi.
Sin ipſe animum perpulit; dum vivit, victor victorum cluet.
Tu ſi animum viciſti, potius quam animus te, eſt quod gaudeas.
Nimio ſatius eſt, ut opu 'ſt, te ita eſſe, quam ut animo lubet.
Qui animum vincunt, quam quos animus, ſemper probiores cluent.
Lyſ. Iſtæc ego mihi ſemper habui ætati tegumentum meæ,
Ne penetrarem me uſquam, ubi eſſet damni conciliabulum:
Ne noctu irem obambulatum, neu ſuum adimerem alteri.
Neu tibi ægritudinem, pater, parerem, parſi ſedulo.
Sarta tecta tua præcepta uſque habui mea modeſtia.
Ph. Quid exprobras? bene quod feciſti, tibi feciſti, non mihi.
Mihi quidem ætas acta eſt ferme: tua iſtuc refert maxume.
Is probus eſt, quem non pœnitet, quam probus ſit & frugi bonæ.
Qui ipſus ſibi ſatis placet, nec probus eſt nec frugi bonæ.
Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.
Qui ipſus ſe contemnit, in eo eſt indoles induſtriæ.
Lyſ. Ob eam rem hæc, pater, autumavi: quia res quædam 'ſt, quam volo
Ego me abs te exorare. *Ph.* Quid id eſt? veniam jam dare geſtio.
Lyſ. Adoleſcenti huic genere ſummo, amico atque æquali meo,
Minus qui caute & cogitate ſuam rem tractavit, pater,
Bene volo ego illi facere, ſi tu non nevis. *Ph.* Nempe de tuo.
Lyſ. De meo: nam quod tuum 'ſt, meum 'ſt: omne meum eſt autem tuum.
Ph. Quid is, egetne? *Lyſ.* Eget. *Ph.* Habuitne rem? *Lyſ.* Habuit. *Ph.* Qui eam perdidit?
Publiciſne affinis fuit, an maritumis negotiis?
Mercaturamne, an venales habuit, ubi rem perdidit?
Lyſ. Nihil iſtorum. *Ph.* Quid igitur? *Lyſ.* Per comitatem edepol, pater.
Præterea aliquantum animi cauſſa in deliciis diſperdidit.
Ph. Edepol hominem prædicatum ferme familiariter.
Qui quidem nuſquam per virtutem rem confregit, atque eget,

Nihil

Nihil moror eum tibi eſſe amicum cum ejuſmodi virtutibus.
Lyſ. Quia ſine omni malitia eſt, tolerare egeſtatem ejus volo.
Ph. De mendico male meretur, qui ei dat quod edit, aut quod bibat.
Nam & illud quod dat, perdit, & illi producit vitam ad miſeriam.
Non eo hoc dico, quin, quæ tu vis, ego velim, & faciam lubens:
Sed ego hoc verbum cum illi cuidam dico, præmonſtro tibi,
Ut ita te aliorum miſereſcat, ne tui alios miſereat.
Lyſ. Deſerere illum, & dejuvare in rebus advorſis pudet.
Ph. Pol pudere quam pigere præſtat, totidem litteris.
Lyſ. Edepol, deum virtute dicam, pater, & majorum, & tua,
Multa bona bene parta habemus. bene ſi amico feceris,
Ne pigeat feciſſe: ut potius pudeat, ſi non feceris.
Ph. De magnis divitiis ſi quid demas, plus fit, an minus?
Lyſ. Minus, pater. ſed civi immunifico ſcis quid cantari ſolet?
Quod habes, ne habeas: & illud quod nunc non habes, habeas malum:
Quandoquidem nec tibi bene eſſe potes pati, nec alteri.
Ph. Scio equidem iſtuc ita ſolere fieri. verum, gnate mi,
Is eſt immunis, cui nihil eſt, qui munus fungatur ſuum.
Lyſ. Deum virtute habemus, & qui noſmet utamur, pater,
Et aliis qui comitati ſimus benevolentibus.
Ph. Non edepol tibi pernegare poſſum quidquam, quod velis.
Cujus egeſtatem tolerare vis? loquere audacter patri.
Lyſ. Lesbonico huic adoleſcenti, Charmidæ filio,
Qui illic habitat. *Ph.* Qui comedit quod fuit, quod non fuit?
Lyſ. Ne opprobra, pater. multa eveniunt homini, quæ volt, quæ nevolt.
Ph. Agedum, eloquere. quid dare illi nunc vis? *Lyſ.* Nihil quidquam, pater.
Sapientiæ ætas condimentum 'ſt: ſapiens ætati cibus eſt.
Ph. Mentire, edepol, gnate! atque id nunc facis haud conſuetudine.
Nam ſapiens quidem pol ipſe fingit fortunam ſibi.
Eo ne multa quæ nevolt eveniunt, niſi fictor malus ſiet.
Multa eſt opera opus ficturæ, qui ſe fictorem probum
Vitæ agendæ eſſe expetit. *Lyſ.* Sed hic admodum adoleſcentulus.
Ph. Non ætate, verum ingenio adipiſcitur ſapientia.
Lyſ. Tu modo ne me prohibeas accipere, ſi quid det mihi.
Ph. An eo egeſtatem ejus tolerabis, ſi quid ab illo acceperis?
Lyſ. Eo, pater. *Ph.* Pol ego iſtam volo me rationem edoceas. *Lyſ.* Licet.
Scin' tu illum quo genere gnatus ſit? *Ph.* Scio, apprime probo.
Lyſ. Soror illi eſt adulta virgo grandis: eam cupio, pater,
Ducere uxorem. *Ph.* Sine dote? *Lyſ.* Sine dote. *Ph.* Uxorem? *Lyſ.* Ita.
Tua re ſalva. hoc pacto ab illo inibis ſummam gratiam:
Neque commodius ullo pacto ei poteris auxiliarier.
Ph. Egone indotatam te uxorem ut patiar? *Lyſ.* Patiundum eſt, pater:
Et eo pacto addideris noſtræ lepidam famam familiæ.
Ph. Multa ego poſſum docta dicta, & quamvis facunde loqui:
Hiſtoriam veterem atque antiquam hæc mea ſenectus ſuſtinet:
Verum ego quando te & amicitiam & gratiam in noſtram domum
Video allicere, etſi advorſatus tibi fui, iſtac judico.
Tibi permitto, poſce, duce. *Lyſ.* Di te ſervaſſint mihi.
Sed adde ad iſtam gratiam unum. *Ph.* Quid id eſt autem unum? *Lyſ.* Eloquar.
Tute ad eum adeas, tute concilies, tute poſcas. *Ph.* Eccere.
Lyſ. Nimio citius tranſiges: firmum omne erit, quod tu egeris.
Gravius erit tuum unum verbum ad eam rem, quam centum mea.
Ph. Ecce autem in benignitate hoc repperi negotium.
Dabitur opera. *Lyſ.* lepidus vivis. hæ ſunt ædes: hic habet.
Lesbonico eſt nomen: age rem cura: ego te opperiar domi.

ACTUS II. SCENA III.

Philto.

NOn optuma hæc ſunt, neque ut ego æquom cenſeo.
Verum meliora ſunt, quam quæ deterruma.
Sed hoc unum conſolatur me atque animum meum,
Quia, qui nihil aliud, niſi quod ſibi ſoli placet,
Conſulit advorſum filium, nugas agit:
Miſer ex animo fit: factius nihilo facit.
Suæ ſenectuti is acriorem hiemem parat,
Cum illanc importunam tempeſtatem conciet.
Sed aperiuntur ædes, quo ibam: commode
Ipſe exit Lesbonicus cum ſervo foras.

ACTUS II. SCENA IV.

Lesbonicus, Staſimus, Philto.

MInus quindecim dies ſunt, cum pro hiſce ædibus
Minas quadraginta accepiſti a Callicle.
Eſtne hoc, quod dico, Staſime? *St.* Cum conſidero,
Meminiſſe videor fieri. *Lesb.* Quid factum eſt eo?
St. Comeſum, expotum, exutum, elotum in balneis.
Piſcator, piſtor abſtulit, lanii, coqui,
Olitores, myropolæ, aucupes, confit cito,
Quam ſi tu objicias formicis papaverem.
Lesb. Minus hercle in hiſce rebus ſumtum eſt ſex minis.
St. Quid, quod dediſti ſcortis? *Lesb.* Ibidem una traho.
St. Quid, quod ego defraudavi? *Lesb.* Hem! iſta ratio maxuma eſt.
St. Non tibi illud apparere, ſi ſumas, poteſt:
Niſi tu immortale rere eſſe argentum tibi.
Sero atque ſtulte, prius quod cautum oportuit,
Poſtquam comedit rem, poſt rationem putat.

Lesb. Nequaquam argenti ratio comparet tamen.
St. Ratio quidem hercle apparet. argentum οἴχεται.
Minas quadraginta accepiſti a Callicle,
Et ille ædeis abs te accepit mancupio. *Lesb.* Admodum.
Ph. Pol, opinor, affinis noſter ædes vendidit.
Pater cum peregre veniet, in porta eſt locus:
Niſi forte in ventrem filio correpſerit.
St. Trapezitæ mille drachumarum Olympicum,
Quas de ratione debuiſti, redditæ.
Lesb. Nempe quas ſpopondi. *St.* Immo, quas dependi, inquito.
Quas ſponſione pronuper tu exactus es
Pro illo adoleſcente, quem tu ajebas eſſe divitem.
Lesb. Factum. *St.* Ut quidem illud perierit. *Lesb.* Factum id quoque eſt.
Nam nunc eum vidi miſerum, & me ejus miſeritum'ſt.
St. Miſeret te aliorum, tui te nec miſeret, nec pudet.
Ph. Tempus adeundi eſt. *Lesb.* Eſtne hic Philto, qui advenit?
Is hercle eſt ipſus. *St.* Edepol næ ego iſtum velim
Meum fieri ſervom cum ſuo peculio.
Ph. Herum atque ſervom plurimum Philto jubet
Salvere; Lesbonicum & Staſimum. *Lesb.* Di duint
Tibi, Philto, quæcumque optes. quid agit filius?
Ph. Bene volt tibi. *Lesb.* Edepol mutuum mecum facit.
St. Nequam illud verbum 'ſt, Bene volt, niſi qui bene facit.
Ego quoque volo eſſe liber; nequidquam volo:
Hic poſtulet frugi eſſe; nugas poſtulet.
Ph. Meus gnatus me ad te miſit, inter ſe atque vos
Affinitatem ut conciliarem & gratiam.
Tuam volt ſororem ducere uxorem. & mihi
Sententia eadem 'ſt, & volo. *Lesb.* Hau! noſco tuum:
Bonis tuis rebus meas res irrides malas.
Ph. Homo ego ſum, homo tu es: ita me amabit Juppiter!
Neque te deriſum veni, neque dignum puto.
Verum hoc, ut dixi, meus me oravit filius,
Ut tuam ſororem poſcerem uxorem ſibi.
Lesb. Mearum rerum me noviſſe æquom 'ſt ordinem.
Cum voſtris noſtra non eſt æqua factio.
Affinitatem vobis aliam quærite.
St. Satin' tu ſanus mentis aut animi tui,
Qui conditionem hanc repudies? nam illum tibi
Ferentarium eſſe amicum inventum intellego.
Lesb. Abin' hinc dierecte? *St.* Si hercle ire occipiam, vetes.
Lesb. Niſi quid me aliud vis, Philto, reſpondi tibi.
Ph. Benigniorem, Lesbonice, te mihi,
Quam nunc experior eſſe, confido fore:
Nam & ſtulte facere, & ſtulte fabularier,
Utrumque, Lesbonice, in ætate haud bonum 'ſt.
St. Verum hercle hic dicit. *Lesb.* Oculum ego effodiam tibi,
Si verbum addideris. *St.* Hercle quin dicam tamen.
Nam ſi ſic non licebit, luſcus dixero.
Ph. Ita tu nunc dicis non eſſe æquiparabiles
Voſtras cum noſtris factiones atque opes?
Lesb. Dico. *Ph.* Quid? nunc ſi in ædem ad cœnam veneris,
Atque ibi opulentus tibi par forte ut venerit,
Appoſita ſit cœna, popularem quam vocant,
Si illi congeſtæ ſint epulæ a clientibus,
Si quid tibi placeat, quod illi congeſtum ſiet,
Ediſne, an incœnatus cum opulento accubes?
Lesb. Edim, niſi ille vetet. *St.* At pol ego, etiamſi vetet,
Edim, atque ambabus malis expletis vorem:
Et quod illi placeat, præripiam potiſſumum:
Neque illi concedam quidquam de vita mea.
Verecundari neminem apud menſam decet,
Nam ibi de divinis atque humanis cernitur.
Ph. Rem fabulare. *St.* Non tibi dicam dolo:
Decedam ego illi de via, de ſemita,
De honore populi: verum quod ad ventrem attinet,
Non hercle hoc longe, niſi me pugnis vicerit.
Cœna hæc annona eſt ſine ſacris hæreditas.
Ph. Semper tu hoc facito, Lesbonice, cogites,
Id optumum eſſe, tute uti ſis optumus:
Si id nequeas, ſaltem ut optumis ſis proxumus.
Nunc conditionem hanc, quam ego fero, & quam abs te peto,
Dare atque accipere, Lesbonice, te volo.
Dei divites ſunt, Deos decent opulentiæ
Et factiones; verum nos homunculi;
Satillum animæ qui cum extemplo amiſimus,
Æquo mendicus atque ille opulentiſſumus
Cenſetur cenſu ad Acherontem mortuus.
St. Mirum, ni tu illuc tecum divitias feras.
Ubi mortuus ſis, ita ſis, ut nomen cluet.
Ph. Nunc ut ſcias hic factiones atque opes
Non eſſe, neque nos tuam negligere gratiam,
Sine dote poſco tuam ſororem filio.
Quæ res bene vortat! habeon' pactam? quid taces?
St. Pro di immortales, conditionem quojuſmodi!
Ph. Quin fabulare. Di bene vortant! ſpondeo.
St. Eheu! ubi uſus nihil erat dicto, Spondeo
Dicebat: nunc hic, quom opus eſt, non quit dicere.
Lesb. Cum affinitate voſtra me arbitramini
Dignum, habeo vobis, Philto, magnam gratiam.
Sed etſi hercle graviter cecidit ſtultitia mea,
Philto; eſt ager ſub urbe hic nobis, eum dabo
Dotem ſorori. nam is de ſtultitia mea
Solus ſuperſit præter vitam reliquos.
Ph. Profecto dotem nihil moror. *Lesb.* Certum'ſt dare.
St. Noſtramne vis nutricem, here, quæ nos educat,
Abalienare a nobis? cave ſis feceris.
Quid edemus noſmet poſtea? *Lesb.* Etiam tu taces?
Tibi ego rationem reddam. *St.* Plane periimus,
Niſi quid ego comminiſcor. Philto, te volo.
Ph. Si quid vis, Staſime? *St.* Huc concede aliquantum. *Ph.* Licet.
St. Arcano tibi ego hoc dico, ne ille ex te ſciat,
Neve alius quiſquam. *Ph.* Crede audacter, quid lubet.
St. Per deos atque homines dico, ne tu illunc agrum
Tuum ſiris umquam fieri, neque gnati tui.
Ei rei argumentum dicam. *Ph.* Audire edepol lubet.
St. Primum omnium, olim terra cum proſcinditur,
In quinto quoque ſulco moriuntur boves.
Ph. Apage! *St.* Acherontis oſtium in noſtro'ſt agro.
Tum vinum, priuſquam coactum'ſt, pendet putidum.
Lesb. Conſuadet homini, credo: etſi ſceleſtus eſt,
At mihi infidelis non eſt. *St.* Audi cetera.
Poſt id, frumenti quom alibi meſſis maxuma'ſt,
Tribus tantis illi minus redit, quam obſeveris.
Ph. Hem! iſtic oportet obſeri mores malos,
Si in obſerendo poſſint interfieri.
St. Neque umquam quiſquam eſt, quojus ille ager fuit,
Quin peſſume ei res vorterit, quojum fuit.
Alii exſulatum abierunt, alii emortui,

Alii

Alii ſe ſuſpendere. hem! nunc hic, cujus eſt,
Ut ad incitas redactus! *Ph.* Apage a me iſtum agrum!
St. Magis apage dicas, ſi omnia a me audiveris.
Nam fulguritæ ſunt hic alternæ arbores.
Sues moriuntur angina acerrume.
Oves ſcabræ ſunt, tam glabræ, hem! quam hæc eſt manus.
Tum autem Syrorum, genus quod patientiſſumum eſt
Hominum, nemo exſtat, qui ibi ſex menſes vixerit:
Ita cuncti ſolſtitiali morbo decidunt.
Ph. Credo ego iſtuc, Staſime, ita eſſe: ſed Campas genus
Multo Syrorum jam antidit patientia.
Sed iſte eſt ager profecto, ut te audivi loqui,
Malos in quem omnes publice mitti decet.
Sicut fortunatorum memorant inſulas,
Quo cuncti, qui ætatem egerunt caſte ſuam,
Conveniant. contra iſtoc detrudi maleficos
Æquom videtur, qui quidem iſtius ſit modi.
St. Hoſpitium eſt calamitatis. quid verbis opu'ſt?
Quamvis malam rem quærens, illic reperias.
Ph. At tu hercle & illi & alibi. *St.* Cave ſis dixeris,
Me tibi dixiſſe hoc. *Ph.* Dixiſti arcano ſatis.
St. Quin hic quidem cupit illum ab ſeſe abalienarier;
Si quidem reperire poſſet, cujus os ſublinat.
Ph. Meus quidem hercle numquam fiet. *St.* Si ſapies quidem.
Lepide hercle de agro ego hunc ſenem deterrui:
Nam qui vivamus, nihil eſt, ſi illum amiſerit.
Ph. Redeo ad te, Lesbonice. *Lesb.* Dic ſodes mihi,
Quid hic locutus tecum? *Ph.* Quid cenſes? homo'ſt:
Volt fieri liber: verum, quod det, non habet.
Lesb. Et ego eſſe locuples, verum nequidquam volo.
St. Licitum, ſi velles: nunc, quoniam nihil eſt, non licet.
Lesb. Quid tecum, Staſime? *St.* De iſtoc, quod dixiſti modo,
Si antea voluiſſes, eſſes: nunc ſero cupis.
Ph. De dote mecum convenire nihil potes:
Quod tibi lubet, tute agito cum nato meo.
Nunc tuam ſororem filio poſco meo.
Quæ res bene vortat. quid nunc? etiam conſulis?
Lesb. Quid iſtic? quando ita vis, Di bene vortant; ſpondeo.
Ph. Numquam edepol cuiquam tam exſpectatus filius
Natus, quam eſt illud Spondeo natum mihi.
St. Di fortunabunt voſtra conſilia. *Ph.* Ita volo.
Lesb. Sed, Staſime, abi huc ad meam ſororem: ad Calliclem
Dic hoc negotii quomodo actum eſt. *St.* Ibitur.
Lesb. Et gratulator meæ ſorori. *St.* Scilicet.
Ph. I hac, Lesbonice mecum, ut coram nuptiis
Dies conſtituatur; eadem hæc confirmabimus.
Lesb. Tu iſtuc cura quod juſſi: jam ego hic ero.
Dic Callicli, me ut conveniat. *St.* Quin tu i modo.
Lesb. De dote ut videat, quid opus ſit facto. *St.* I modo.
Lesb. Nam certum 'ſt me ſine dote haud dare. *St.* Quin tu i modo.
Lesb. Neque enim illi damno umquam eſſe patiar. *St.* abi modo.
Lesb. Meam negligentiam. *St.* I modo. *Lesb.* O pater,
Æquom videtur, quin quod peccarim. *St.* I modo.
Lesb. Potiſſumum mihi id obtit. *St.* I modo. *Lesb.* O pater,
En umquam aſpiciam te? *St.* I modo, i modo, i modo.
Tandem impetravi abiret. Dii voſtram fidem!
Edepol re geſta peſſume geſtam probe,
Siquidem ager nobis ſalvos eſt: etſi admodum
In ambiguo eſt etiam, nunc quid de hac re fuat.
Sed ſi alienatur, actum 'ſt de collo meo.
Geſtandus peregre clypeus, galea, ſarcina:
Effugiet ex urbe, ubi erunt factæ nuptiæ:
Ibit iſtac aliquo in maxumam malam crucem
Latrocinatum, aut in Aſiam, aut in Ciliciam.
Ibo huc, quo mihi imperatum 'ſt; etſi odi hanc domum,
Poſtquam exturbavit hic nos ex noſtris ædibus.

ACTUS TERTIUS

SCENA I.

Callicles, Staſimus.

Quomodo tu iſtuc, Staſime, dixiſti? noſtrum herilem filium
Lesbonicum ſuam ſororem deſpondiſſe? *St.* Hoc modo.
Cal. Quoi homini deſpondit? *St.* Lyſiteli Philtonis filio,
Sine dote. *Cal.* Sine dote ille illam in tantas divitias dabit?
Non credibile dicis. *St.* At tu Edepol nullus creduas.
Si hoc non credis, ego credidero. *Cal.* Quid? *St.* Me nihili pendere.
Cal. Quamdudum iſtuc, aut ubi actum 'ſt? *St.* Illico hic ante oſtium.
Tam modo, inquit Præneſtinus. *Cal.* Tanton' in re perdita,
Quam in re ſalva, Lesbonicus factus eſt frugalior?
St. Atque equidem ipſus ultro venit Philto oratum filio.
Cal. Flagitium quidem hercle fiet, niſi dos dabitur virgini.
Poſtremo edepol ego iſtam rem ad me attinere intellego.
Ibo ad meum caſtigatorem, atque ab eo conſilium petam.
St. Propemodum quid illic feſtinet, ſentio, & ſubolet mihi,
Ut agro evortat Lesbonicum, quando evortit ædibus.
O here Charmide, quam abſente te hic tua res diſtrahitur tibi!
Utinam te rediſſe ſalvom videam, ut inimicos tuos
Ulciſcare, ut mihi, ut erga te fui & ſum, referas gratiam!
Nimium difficile 'ſt reperiri amicum, ita ut nomen cluet,
Cui tuam cum rem credideris, ſine omni cura dormias.
Sed generum noſtrum ire eccillum video cum affini ſuo.
Neſcio quid non ſatis inter eos convenit. celeri gradu
Eunt uterque. ille reprehendit hunc priorem pallio.
Haud illi euſcheme aſtiterunt. huc aliquantum abſceſſero.
Eſt lubido orationem audire duorum affinium.

ACTUS III. SCENA II.

Lyſiteles, Lesbonicus Staſimus.

STa illico. noli avorſari, neque te occultaſſis mihi.
Lesb. Potin' ut me ire, quo profectus ſum, ſinas? *Lyſ.* Si in rem tuam,
Lesbonice, eſſe videatur, gloriæ aut famæ, ſinam.
Lesb. Quod eſt facillumum, facis. *Lyſ.* Quid id eſt? *Lesb.* Amico injuriam.
Lyſ. Neque meum'ſt, neque facere didici. *Lesb.* Indoctus quam docte facis!
Quid faceres, ſi quis docuiſſet te, ut ſic odio eſſes mihi?
Qui bene cum ſimulas facere mihi te, male facis, male conſulis.
Lyſ. Egone? *Lesb.* Tu næ. *Lyſ.* Quid male facio? *Lesb.* Quod ego nolo, id cum facis.
Lyſ. Tuæ rei bene conſulere cupio. *Lesb.* Tu mihi es melior, quam egomet mihi?
Sat ſapio, ſatis in rem quæ ſint meam ego conſpicio mihi.
Lyſ. An id eſt ſapere, ut qui beneficium benevolente repudies?
Lesb. Nullum beneficium eſſe duco id, quod, cui facias, non placet.
Scio ego, & ſentio ipſe, quid agam, neque a me officium migrat:
Nec tuis depellor dictis, quin rumori ſerviam.
Lyſ. Quid ais? (nam retineri nequeo, quin dicam ea quæ promeres)
Itane tandem majores famam tradiderunt tibi tui,
Ut virtute eorum anteparta per flagitium perderes?
Atque honori poſterorum tuorum ut vindex fieres:
Tibi paterque avoſque facilem fecit & planam viam
Ad quærendum honorem: tu feciſti, ut difficilis foret
Culpa maxume & deſidia, tuiſque ſtultis moribus.
Præoptaviſti, amorem tuum uti virtuti præponeres.
Nunc te hoc pacto credis poſſe obtegere errata? ah! non ita eſt.
Cape ſis virtutem animo, & corde expelle deſidiam tuo:
In foro operam amicis da: haud in lecto amicæ, ut ſolitus es.
Atque ego iſtum agrum tibi relinqui ob eam rem enixe expeto:
Ut tibi ſit, qui te corrigere poſſis: ne omnino inopiam
Cives objectare poſſint tibi, quos tu inimicos habes.
Lesb. Omnia ego, iſtic quæ dixiſti, ſcio, vel exſignavero:
Ut rem patriam & majorum gloriam fœdarim meum.
Sciebam ut eſſe me deceret: facere non quibam miſer:
Ita vi Veneris vinctus, otio captus in fraudem incidi:
Et tibi nunc, proinde ac merere, ſummas habeo gratias.
Lyſ. At operam perire meam ſic, & te hæc dicta corde ſpernere,
Perpeti nequeo: ſimul me piget parum pudere te.
Et poſtremo, niſi me auſcultas, atque hoc, ut dico, facis,
Tute pone te latebis facile, ne inveniat te honor:
In occulto jacebis, cum te maxume clarum voles.
Pernovi equidem, Lesbonice, imperitum tuum ingenium admodum.
Scio te ſponte non tuapte erraſſe, ſed amorem tibi
Pectus obſcuraſſe. atque ipſe amoris teneo omnes vias.
Ita eſt amor; baliſta ut jacitur: nihil ſic celere eſt, neque volat,
Atque is mores hominum moros & moroſos efficit.
Minus placet, magis quod ſuadetur: quod diſſuadetur, placet.
Cum inopia 'ſt, cupias; quando ejus copia 'ſt, tum non velis.
Ille qui aſpellit, is compellit: ille qui conſuadet, vetat.
Inſanum eſt malum in hoſpitium devorti ad Cupidinem.
Sed te moneo, hoc etiam atque etiam ut reputes, quid facere expetas.
Si iſtuc, ut facis indicium, conare, tuum incendes genus.
Tum igitur tibi aquæ erit cupido, genus qui reſtinguas tuum.
Atque erit, ſi nactus, proinde ut corde amantes ſunt cati,
Ne ſcintillam quidem relinques, genus qui congliſcat tuum.
Lesb. Facile eſt inventu: datur ignis, tametſi ab inimicis petas.
Sed tu objurgans me a peccatis rapis deteriorem in viam.
Meam vis ſororem tibi dem: ſuades ſine dote. hoc non convenit;
Me, qui abuſus ſum tantam rem patriam, porro in divitiis
Eſſe, agrumque habere: egere illam autem: ut me merito oderit.
Numquam erit alienis gravis, qui ſuis ſe concinnat levem.
Sicut dixi, faciam: nolo te jactari diutius.
Lyſ. Tanto meliu 'ſt te ſororis cauſſa egeſtatem exſequi,
Atque eum agrum me habere, quam te, tua qui toleres mœnia?
Lesb. Nolo ego mihi te tam proſpicere, qui meam egeſtatem leves,
Sed ut inops infamis ne ſim: ne mihi hanc famam differant,
Me germanam meam ſororem in concubinatum tibi
Sic ſine dote dediſſe, magis quam in matrimonium.
Quis me improbior perhibeatur eſſe? hæc famigeratio
Te honeſtet, me autem collutulet, ſi ſine dote duxeris.
Tibi ſit emolumentum honoris: mihi, quod objectent, ſiet.
Lyſ. Quid? te dictatorem cenſes fore, ſi abs te agrum acceperim.
Lesb. Neque volo, neque poſtulo, neque cenſeo. verum tamen
Is eſt honos homini pudico, meminiſſe officium ſuum.
Lyſ. Scio equidem te, animatus ut ſis: video, ſubolet ſentio.
Id agis, ut, ubi affinitatem inter nos noſtram adſtrinxeris,
Atque eum agrum dederis, nec quidquam hic tibi ſit, qui vitam colas,
Effugias ex urbe inanis, profugus patriam deſeras,
Cognatos, affinitatem, amicos, factis nuptiis:
Mea opera hinc proterritum te, meaque avaritia autument.

Id

Id me commiſſurum, ut patiar fieri, ne animum induxeris.
St. Non enim poſſum quin exclamem: Euge! euge! Lyſiteles πάλιν
Facile palmam habes. hic victus, vicit tua comœdia.
Hic agit magis ex argumento, & verſus meliores facit.
Etiam ob ſtultitiam tuam te tueris? multam abomina.
Lesb. Quid tibi interpellatio aut in concilium huc acceſſio eſt?
St. Eodem pacto, quo huc acceſſi, abſceſſero. *Lesb.* I hac mecum domum,
Lyſiteles: ibi de iſtis rebus plura fabulabimur.
Lyſ. Nihil ego in occulto agere ſoleo. meus ut animus eſt, eloquar:
Si mihi tua ſoror, ut ego æquom cenſeo, ita nuptum datur
Sine dote, neque tu hinc abiturus; quod meum erit, id erit tuum:
Sin aliter animatus es, bene quod agas, eveniat tibi.
Ego amicus numquam tibi ero alio pacto. ſic ſententia eſt.
St. Abiit hercle ille quidem. ecquid audis, Lyſiteles? ego te volo.
Hic quoque hinc abiit. Staſime, reſtas ſolus. quid ego nunc agam?
Niſi uti ſarcinam conſtringam, & clypeum ad dorſum accommodem:
Fulmentas jubeam ſuppingi ſoccis: non ſiſti poteſt.
Video caculam militarem me futurum haud longius:
Aut aliquem ad regem in ſaginam herus ſe conjecit meus.
Credo ad ſummos bellatores acrem fugitorem fore:
Et capturum ſpolia ibi illum, qui meo hero advorſus venerit.
Egomet autem quom extemplo arcum mihi, & pharetram, & ſagittas ſumſero,
Caſſidem in caput, dormibo placide in tabernaculo.
Ad forum ibo: nudius ſextus quoi talentum mutuum
Dedi, repoſcam, ut habeam, mecum quod feram, viaticum.

ACTUS III. SCENA III.

Megaronides, Callicles.

UT mihi rem narras, Callicles, nullo modo
Poteſt fieri prorſus, quin dos detur virgini.
Cal. Namque hercle honeſte fieri ferme non poteſt,
Ut eam perpetiar ire in matrimonium
Sine dote, cum ejus rem penes me habeam domi.
Meg. Parata dos domi 'ſt, niſi exſpectare vis
Ut eam ſine dote frater nuptum collocet:
Poſt adeas tute Philtonem, & dotem dare
Te ei dicas: facere id ejus ob amicitiam patris.
Verum hoc ego vereor, ne iſtæc pollicitatio
Te in crimen populo ponat atque infamiam.
Non temere dicant te benignum virgini,
Datam tibi dotem, ei quam dares, ejus a patre:
Ex ea largitar*i* te illi; neque ita, ut ſit data, *in*columem te ſiſtere illi, & detraxe autument.
Nunc ſi opperiri vis adventum Charmidis,
Perlongum 'ſt: huic ducenti interea abſceſſerit.
Cal. Nam hercle omnia iſtæc veniunt in mentem mihi.
Meg. Vide, ſi hoc utibile magis atque in rem deputas,
Ut adeam Lesbonicum, edoceam, ut res ſe habet.
Cal. Ut ego nunc adoleſcenti theſaurum indicem
Indomito, pleno amoris ac laſciviæ?
Minume minume hercle vero! nam certo ſcio
Locum quoque illum omnem, ubi ſitu 'ſt, comederit.
Quem fodere metuo, ſonitum ne ille exaudiat,
Neu ipſam rem indaget, dotem dare ſi dixerim.
Meg. Quo pacto ergo igitur? *Cal.* Clam dos depromi poteſt,
Dum occaſio ei rei reperiatur: interim
Ab amico alicunde argentum roges.
Meg. Potin' eſt ab amico alicunde exorari? *Cal.* Poteſt.
Meg. Gerræ! næ tu illud verbum actutum inveneris,
Mihi quidem hercle non eſt, quod dem mutuum.
Cal. Malim hercle ut verum dicas, quam ut des mutuum.
Meg. Sed vide conſilium, ſi placet. *Cal.* Quid conſili 'ſt?
Meg. Scitum, ut ego opinor, conſilium inveni. *Cal.* Quid eſt?
Meg. Homo conducatur aliquis jam, quantum poteſt,
Quaſi ſit peregrinus. *Cal.* Quid is ſcit facere poſtea?
Meg. Is homo exornetur graphice in peregrinum modum,
Ignota facies, quæ non viſitata ſit,
Falſidicum, confidentem. *Cal.* Quid tum poſtea?
Meg. Quaſi ad adoleſcentem a patre ex Seleucia
Veniat, ſalutem ei nuntiet verbis patris,
Illum bene gerere rem, & valere & vivere,
Et eum rediturum actutum. ferat epiſtolas
Duas: eas nos conſignemus, quaſi ſint a patre:
Det alteram illi, dicat alteram tibi
Dare ſeſe velle. *Cal.* Perge porro dicere.
Meg. Seque aurum ferre virgini dotem a patre
Dicat, patremque id juſſiſſe aurum tibi dare.
Tenes jam? *Cal.* Propemodum! atque auſculto perlubens.
Meg. Tum tu igitur demum id adoleſcenti aurum dabis,
Ubi erit locata virgo in matrimonium.
Cal. Scite hercle ſane. *Meg.* Hoc, ubi theſaurum effoderis,
Suſpicionem ab adoleſcente amoveris.
Cenſebit aurum eſſe a patre allatum tibi,
Tu de Theſauro ſumes. *Cal.* Satis ſcite & probe.
Quamquam hoc me ætatis ſycophantari pudet.
Sed epiſtolas quando obſignatas afferet,
Siquidem obſignatas attulerit epiſtolas,
Nonne arbitraris eum adoleſcentem annuli
Paterni ſignum noviſſe? *Meg.* Etiam tu taces?
Sexcentæ ad rem cauſſæ poſſunt colligi:
Illum, quem habuit, perdidit, alium poſt fecit novom.
Jam ſi obſignatas non feret, dici hoc poteſt,
Apud portitorem eas reſignatas ſibi
Inſpectaſque eſſe. in hujuſmodi negotio
Diem ſermone terere, ſegnities mera 'ſt.
Quamvis ſermones poſſunt longi texier.
Abi ad theſaurum jam confeſtim clanculum;
Servos, ancillas amove. atque audin'? *Cal.* Quid eſt?
Meg. Uxorem quoque ipſam hanc rem ut celes, face,
Nam pol tacere numquam quidquam 'ſt quod queat.
Quid nunc ſtas? quin te hinc amoves, & te moves?
Aperi, depromе inde auri ad hanc rem quod ſat eſt.
Continuo operito denuo: ſed clanculum,
Sicut præcepi: cunctos exturba ædibus.

Cal. Ita faciam. *Meg.* At enim nimis longo ſermone utimur.
Diem conficimus, quod jam properato'ſt opus.
Nihil eſt, de ſigno quod vereare, me vide.
Lepida eſt illa cauſſa, ut commemoravi, dicere,
Apud portitores eſſe inſpectas. denique
Diei tempus non vides? quid illum putas
Natura illa atque ingenio? jamdudum ebriu'ſt.
Quidvis probari poterit. tum, quod maxumum eſt,
Afferre, non petere hic ſe dicet. *Cal.* Jam ſat eſt.
Meg. Ego ſycophantam jam conduco de foro,
Epiſtolaſque jam conſignabo duas,
Eumque huc ad adoleſcentem meditatum probe
Mittam. *Cal.* Eo ego igitur intro ad officium meum.
Tu iſtuc age. *Meg.* Actum reddam. *

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

Charmides.

SAlſipotenti & multipotenti Jovis fratri, & Nerei Neptuni,
Lætus, lubens, laudes ago, & grates gratiaſque habeo, & fluctibus ſalſis,
Quos penes mei poteſtas, bonis meis quid foret, & meæ vitæ:
Quom ſuis me ex locis in patriam urbiſque mœnia reducem faciunt.
Atque ego, Neptune, tibi ante alios deos gratias ago atque habeo ſummas.
Nam te omnes ſævomque ſeverumque atque avidis moribus commemorant,
Spurcificum, immanem, intolerandum, veſanum. contra opera expertus:
Nam pol placido te & clementi meo uſque modo, ut volui, uſus ſum in alto.
Atque hanc tuam gloriam jam ante auribus acceperam, & nobiles apud homines,
Pauperibus te parcere ſolitum, divites damnare atque domare.
Abi, laudo. ſcis ordine, ut æquom'ſt,
Tractare homines. hoc dis dignum'ſt, ſemper mendicis modeſti ſint.
Fidus fuiſti. infidum eſſe iterant. nam abſque foret te, ſat ſcio in alto
Diſtraxiſſent, diſque tuliſſent ſatellites tui me miſerum fœde,
Bonaque omnia item una mecum paſſim cæruleos per campos.
Ita jam quaſi canes, haud ſecus, circumſtabant navem turbines venti:
Imbres fluctuſque atque procellæ infenſæ frangere malum,
Ruere antennas, ſcindere vela, ni tua pax propitia foret præſto.
Apage me ſis. deinde hinc certum'ſt otio me dare. ſatis partum habeo.
Quibus ærumnis deluctavi, filio dum divitias quæro!
Sed quis hic eſt, qui in plateam ingreditur cum novo ornatu ſpecieque
Simul? pol! quamquam domum cupio, opperiar hic, quam gerat rem.

ACTUS IV. SCENA II.

Sycophanta, Charmides.

HUic ego diei nomen TRINUMMO faciam: nam ego operam meam
Tribus nummis hodie locavi ad artes nugatorias.
Advenio ex Seleucia, Macedonia, Aſia, atque Arabia,
Quas ego neque oculis, neque pedibus umquam uſurpavi meis.
Viden' egeſtas quid negotii dat homini miſero mali!
Qui ego nunc ſubigor trium nummorum cauſſa, ut has epiſtolas
Dicam ab eo homine me accepiſſe, quem ego, qui ſit homo, neſcio,
Neque novi: neque natus, necne is fuerit, id ſolide ſcio.
Ch. Pol hic quidem fungino genere eſt, capite ſe totum tegit:
Illurica facies videtur hominis; eo ornatu advenit.
Syc. Ille qui me conduxit, ubi conduxit, abduxit domum.
Quæ voluit, mihi dixit: docuit, & præmonſtravit prius,
Quomodo quidque agerem. nunc adeo, ſi quid ego addidero amplius,
Eo conductor melius de me nugas conciliaverit.
Ut ille me exornavit, ita ſum ornatus. argentum hoc facit.
Ipſe ornamenta a Chorago hæc ſumſit ſuo periculo.
Nunc ego ſi potero ornamentis hominem circumducere,
Dabo operam: ut me eſſe ipſum plane ſycophantam ſentiat.
Ch. Quam magis ſpecto, minus placet mihi hominis facies. mira ſunt,
Ni illic homo'ſt aut dormitator, aut ſector zonarius.
Loca contemplat, circumſpectat ſeſe, atque ædeis noſcitat.
Credo edepol, quo mox furatum veniat, ſpeculatur loca.
Magis lubido'ſt obſervare, quid agat: ei rei operam dabo.
Syc. Has regiones demonſtravit mihi ille conductor meus:
Apud illas ædeis ſiſtendæ mihi ſunt ſycophantiæ.
Fores pultabo. *Ch.* Ad noſtras ædes hic quidem habet rectam viam.
Hercle opinor mihi advenienti hac noctu agitandum eſt vigilias.
Syc. Aperite hoc, aperite. heus! ecquis his foribus tutelam gerit?
Ch. Quid, adoleſcens, quæris? quid vis? quid iſtas pultas? *Syc.* Heu ſenex!
Cenſus cum juratori recte rationem dedi,
Lesbonicum hic adoleſcentem quæro, in his regionibus
Ubi habitet, & item alterum ad iſtanc capitis albitudinem:
Calliclem ajebat vocari, qui has mihi dedit epiſtolas.
Ch. Meum gnatum hic quidem Lesbonicum quærit & amicum meum,
Cui ego liberoſque bonaque commendavi, Calliclem.
Syc. Fac me, ſi ſcis, certiorem, hice homines ubi habitent, pater.

Ch.

Ch. Quid eos quæris? aut quis es? aut unde es? aut unde advenis?
Syc. Multa ſimul rogitas! neſcio quid expediam potiſſumum.
Sin unumquidquid ſingillatim & placide percunctabere,
Et meum nomen, & mea facta, & itinera ego faxo ſcias.
Ch. Faciam ita ut vis. agedum nomen tuum primum memora mihi.
Syc. Magnum facinus incipiſſis petere. *Ch.* Quid ita? *Syc.* Quia, pater,
Si ante lucem ire occipias a meo primo nomine,
Concubium ſit noctis, priuſquam ad poſtremum perveneris.
Ch. Opus face eſt & viatico ad tuum nomen, ut tu prædicas.
Syc. Eſt minuſculum alterum, quaſi vaſculum vinarium.
Ch. Hic homo ſolide ſycophanta eſt. quid ais tu, adoleſcens? *Syc.* Quid eſt?
Ch. Eloquere, iſti tibi quid homines debent, quos tu quæritas?
Syc. Pater iſtius adoleſcentis dedit has duas mihi epiſtolas
Lesbonici. mihi eſt amicus. *Ch.* Teneo hunc manifeſtarium.
Me ſibi epiſtolas dediſſe dicit. ludam hominem probe.
Syc. Ita ut occepi, ſi animum advortas, dicam. *Ch.* Dabo operam tibi.
Syc. Hanc me juſſit Lesbonico ſuo gnato dare epiſtolam,
Et item hanc alteram ſuo amico Callicli juſſit dare.
Ch. Mihi quoque edepol, quom hic nugatur, contra nugari lubet.
Ubi ipſe erat? *Syc.* Bene rem gerebat. *Ch.* Ergo ubi? *Syc.* In Seleucia.
Ch. Ab ipſon' iſtas accepiſti? *Syc.* E manibus dedit mihi ipſe in manus.
Ch. Qua facie eſt homo? *Syc.* Seſquipede quidem eſt quam tu longior.
Ch. Hæret hæc res: ſiquidem ego abſens ſum, quam præſens, longior.
Noviſtin' hominem? *Syc.* Ridicule rogitas, quocum una cibum
Capere ſoleo. *Ch.* Quid eſt ei nomen? *Syc.* Quod edepol homini probo.
Ch. Lubet audire. *Syc.* Ille edepol! illi illi! væ miſero mihi!
Ch. Quid eſt negotii? *Syc.* Devoravi nomen imprudens modo.
Ch. Non placet, qui amicos intra dentes concluſos habet.
Syc. Atque etiam modo vorſabatur mihi in labris primoribus.
Ch. Temperi huic hodie anteveni. *Syc.* Teneor manifeſto miſer!
Ch. Jamne commentatus es nomen? *Syc.* Deum hercle me atque hominum pudet.
Ch. Vide, homo, ut hominem noveris. *Syc.* Tamquam me. fieri iſtuc ſolet,
Quod in manu teneas atque oculis videas, id deſideres.
Litteris recomminiſcar. C eſt principium nomini.
Ch. Callicias? *Syc.* Non eſt. *Ch.* Callipus? *Syc.* Non eſt. *Ch.* Callidemides?
Syc. Non eſt. *Ch.* Callinicus? *Syc.* Non eſt. *Ch.* Callimarchus? *Syc.* Nil agis.
Neque adeo edepol floccifacio, quando egomet memini mei.
Ch. At enim multi Lesbonici ſunt hic, niſi nomen patris
Dices, non monſtrare poſſum iſtos homines, quos tu quæritas.
Quod ad exemplum eſt? conjectura ſi reperire poſſumus.
Syc. Ad hoc exemplum eſt, Char. *Ch.* An Chares? an Charidemus? num Charmides?
Syc. Hem! iſtic erit. qui iſtum di perdant! *Ch.* Dixi ego jamdudum tibi;
Te potius bene dicere æquom 'ſt homini amico, quam male.
Syc. Satin' intra labra atque dentes latuit vir minumi pretii?
Ch. Ne male loquare abſenti amico. *Syc.* Quid ergo ille ignaviſſumus
Mihi latitabat? *Ch.* Si appellaſſes, reſpondiſſet, nomine.
Sed ipſe ubi eſt? *Syc.* Pol illum reliqui ad Rhadamantem in Cecropia inſula.
Ch. Qui homo eſt me inſipientior, qui ipſe egomet, ubi ſim, quæritem?
Sed nihil diſconducit huic rei. quid ais? *Syc.* Quid? *Ch.* Hoc te rogo.
Quos locos adiſti? *Syc.* Nimium miris modis mirabiles.
Ch. Lubet audire, niſi moleſtum 'ſt. *Syc.* Quin diſcupio dicere.
Omnium primum in Pontum advecti ad Arabiam terram ſumus.
Ch. Eho! an etiam Arabia 'ſt in Ponto? *Syc.* Eſt: non illæc, ubi tus gignitur,
Sed ubi abſinthium fit, atque cunila gallinacea.
Ch. Nimium graphicum hunc nugatorem! ſed ego ſum inſipientior,
Qui egomet, unde redeam, hunc rogitem, quæ ego ſciam, atque hic neſciat:
Niſi quia lubet experiri, quo evaſuru 'ſt denique.
Quid eſt tibi nomen, adoleſcens? *Syc.* Pax, id eſt nomen mihi:
Hoc cotidianum 'ſt. *Ch.* Edepol nomen nugatorium.
Quaſi dicas, ſi quid crediderim tibi, pax! periiſſe illico.
Sed quid ais, quo inde iiſti porro? *Syc.* Si animum advortas, eloquar.
Ad caput amnis, quod de cælo exoritur ſub ſolio Jovis.
Ch. Sub ſolio Jovis? *Syc.* Ita dico. *Ch.* E cœlo? *Syc.* Atque e medio quidem.
Ch. Eho! an etiam in cælum eſcendiſti? *Syc.* Immo horiola advecti ſumus,
Uſque aqua advorſa per amnem. *Ch.* Eho, an etiam vidiſti Jovem?
Syc. Alii dii iſſe ad villam ajebant ſervis depromtum cibum.
Deinde porro. *Ch.* Deinde porro nolo quidquam prædices.
Syc. *Ego* hercle, ſi es moleſtus. *Ch.* Nam pudicum neminem
Eſſe oportet, qui abs terra ad cælum pervenerit.
Syc. Emittam, ut te velle video. ſed monſtra hoſce homines mihi.

Hos ego quæro, quibus me oportet has deferre epiſtolas.
Ch. Quid ais tu nunc? ſi forte eum ipſum Charmidem conſpexeris;
Illum, quem tibi iſtas dediſſe commemoras epiſtolas,
Noveritne hominem? *Syc.* Næ tu me edepol arbitrare belluam,
Qui quidem non noviſſe poſſim, quicum ætatem exegerim.
An ille tam eſſet ſtultus, qui mihi mille nummum crederet
Philippeum, quod me aurum deferre juſſit ad gnatum ſuum,
Atque ad amicum Calliclem, quoi rem ajebat mandaſſe hic ſuam?
Mihi concrederet, niſi me ille & ego illum noſſem approbe?
Ch. Enimvero ego nunc Sycophantæ huic ſycophantari volo:
Si hunc poſſum illo mille nummum Philippo circumducere,
Quod ſibi me dediſſe dixit: quem ego, qui ſit homo, neſcio:
Neque oculis ante hunc diem umquam vidi: eine aurum crederem?
Cui, ſi capitis res ſiet, nummum numquam credam plumbeum.
Aggrediundu'ſt hic homo mihi aſtu. heus, Pax, te tribus verbis volo.
Syc. Vel trecentis. *Ch.* Haben' tu id aurum, quod accepiſti a Charmide?
Syc. Atque etiam Philippeum, numeratum illius in menſa manu
Mille nummum. *Ch.* Nempe ab ipſo id accepiſti Charmide?
Syc. Mirum quin ab avo ejus, aut proavo acciperem, qui ſunt mortui.
Ch. Adoleſcens, cedo-dum iſtuc aurum mihi. *Syc.* Quod ego aurum dem tibi?
Ch. Quod a me te accepiſſe faſſus. *Syc.* Abs te accepiſſe? *Ch.* Ita loquor.
Syc. Quis tu homo es? *Ch.* Qui mille nummum tibi dedi, ego ſum Charmides.
Syc. Neque edepol tu is es, neque hodie is umquam eris, auro huic quidem.
Abi ſis, nugator! nugari nugatori poſtulas.
Ch. Charmides ego ſum. *Syc.* Nequidquam hercle es: nam nihil auri fero.
Nimis argute obrepſiſti in eapſe occaſiuncula.
Poſtquam ego me aurum ferre dixi, poſt tu factus Charmides.
Prius tu non eras, quam auri feci mentionem. nihil agis.
Proin' tu te itidem, ut charmidatus es, rurſum techarmida.
Ch. Quis ego ſum igitur, ſiquidem is non ſum, qui ſum? *Syc.* Quid id ad me attinet?
Dum'ille ne ſis, quem ego eſſe nolo, ſis mea cauſſa, qui lubet.
Prius non is eras, qui eras: nunc is factus, qui tum non eras.
Ch. Age ſi quid agis. *Syc.* Quid ego agam? *Ch.* Aurum redde. *Syc.* Dormitas, ſenex.
Ch. Faſſus Charmidem dediſſe aurum tibi? *Syc.* Scriptum quidem.
Ch. Properas, an non properas abire actutum ab his regionibus,
Dormitator, priuſquam ego hic te jubeo mulcari male?
Syc. Quamobrem? *Ch.* Quia illum quem ementitus es, ego ſum ipſus Charmides:
Quem tibi epiſtolas dediſſe ajebas. *Syc.* Eho! quæſo, an tu is es?
Ch. Is enimvero ſum. *Syc.* Ain' tu tandem, is ipſuſne es? *Ch.* Ajo. *Syc.* Ipſus es?
Ch. Ipſus, inquam, Charmides ſum. *Syc.* Ergo ipſuſne es? *Ch.* Ipſiſſumus.
Abi hinc ab oculis. *Syc.* Enimvero ſero quoniam advenis,
Vapulabis meo arbitratu & novorum ædilium.
Ch. At etiam maledicis? *Syc.* Immo, ſalvos quandoquidem advenis,
Di te perdant; etſi floccifacio, an periiſſes prius.
Ego ob hanc operam argentum accepi: te macto infortunio.
Ceterum qui ſis, qui non ſis, floccum non interduim.
Ibo ad illum, renuntiabo, qui mihi tris nummos dedit,
Ut ſciat, ſe perdidiſſe. ego abeo. male vive & vale.
Quod di te omnes advenientem peregre perdant, Charmides.
Ch. Poſtquam ille hinc abiit, poſt loquendi libere
Videtur tempus veniſſe, atque occaſio.
Jamdudum meum ille pectus pungit aculeus,
Quid illi negotii fuerit ante ædeis meas.
Nam epiſtola illa mihi concenturiat metum
In corde, & illud mille nummum quam rem agat.
Numquam edepol temere tinniit tintinnabulum:
Niſi qui illud tractat aut movet, mutum eſt, tacet.
Sed quis hic eſt, qui huc in plateam curſuram incipit?
Lubet obſervare, quid agat: huc conceſſero.

ACTUS IV. SCENA III.

Staſimus, Charmides.

STaſime, fac te propere celerem, recipe te ad dominum domum;
Ne ſubito metus exoriatur ſcapulis ſtultitia tua.
Adde gradum: appropera. jamdudum factum 'ſt, cum abiſti domo.
Cave ſis tibi, ne bubuli in te cottabi crebri crepent,
Si abieris ab heri quæſtione. ne deſtiteris currere.
Ecce hominem te, Staſime, nihili! ſatin' in thermopolio
Condalium es oblitus, poſtquam thermopotaſti gutturem?
Recipe te, & recurre petere re recenti. *Ch.* Huic, quiſquis eſt,
Curculio 'ſt exercitor: is hunc hominem curſuram docet.
St. Quid, homo nihili, non pudet te? tribuſne te poteriis
Memoria eſſe oblitum? an vero, quia cum frugi hominibus
Ibi bibiſti, qui ab alieno facile cohiberent manus?
Theruchus fuit, Cerconicus, Crinnus, Cercobulus, Collabus,
Oculicrepidæ, Cruricrepidæ, Ferriteri, Maſtigiæ.
Inter eoſne homines condalium te redipiſci poſtulas,
Quorum eorum unus ſurripuit currenti curſori ſolum?

Ch.

Ch. Ita me di ament, graphicum furem! *St.* Quid ego, quod periit, petam?
Niſi etiam laborem ad damnum apponam epithecam inſuper?
Quin tu quod periit, periiſſe ducis? cape vorſoriam.
Recipe te ad herum. *Ch.* Non fugitivos eſt hic homo, commeminit domi.
St. Utinam veteres mores, veteres parſimoniæ
Potius majori honori hic eſſent, quam mores mali.
Ch. Di immortales! baſilica hic quidem facinora inceptat loqui.
Vetera quærit, vetera amare hunc, morem majorum, ſcias.
St. Nam nunc mores nihil faciunt, quod licet, niſi quod lubet.
Ambitio jam more ſancta 'ſt, libera 'ſt a legibus:
Scuta jacere, fugereque hoſtes, more habent licentiam:
Petere honorem pro flagitio, more fit. *Ch.* Morem improbum!
St. Strenuos præterire, more fit. *Ch.* Nequam quidem.
St. Mores leges perduxerunt jam in poteſtatem ſuam,
Magis queis ſunt obnoxioſi, quam parentes liberis.
Eæ miſeræ etiam ad parietem ſunt fixæ clavis ferreis,
Ubi malos mores affigi nimio fuerat æquius.
Ch. Lubet adire atque appellare hunc: verum auſculto perlubens.
Et metuo, ſi compellabo, ne aliam rem occipiat loqui.
St. Neque iſtis quidquam lege ſanctum 'ſt. leges mori ſerviunt.
Mores autem rapere properant, qua ſacrum, qua publicum.
Ch. Hercle iſtis malam rem magnam moribus dignum 'ſt dari!
St. Nonne hoc publice animum advorti? nam id genus hominum omnibus
Univerſis eſt advorſum, atque omni populo male facit:
Male fidem ſervando, illis quoque abrogant etiam fidem,
Qui nihil meriti: quippe ex eorum ingenio ingenium horum probant.
Hoc qui in mentem venerit mihi, reipſa modo commonitus ſum.
Si quis mutuum quid dederit, fit pro proprio perditum.
Cum repetas, inimicum amicum beneficio invenis tuo.
Si mage exigere cupias, duarum rerum exoritur optio:
Vel illud, quod credideris, perdas; vel illum amicum amiſeris.
Ch. Meus eſt hic quidem Staſimus ſervos. *St.* Nam ego talentum mutuum
Quod dederam, talento inimicum mihi emi, amicum vendidi.
Sed ego ſum inſipientior, qui rebus curem publicis
Potius, quam id quod proxumum 'ſt, meo tergo tutelam geram.
Eo domum. *Ch.* Heus tu! adſta illico. audi, heus tu! *St.* Non ſto. *Ch.* At ego te ſtare volo.
St. Quid ſi egomet te velle nolo? *Ch.* Ha nimium, Staſime, ſæviter!
St. Emere meliu'ſt, cui imperes. *Ch.* Pol ego emi, atque argentum dedi:
Sed ſi non dicto audiens eſt, quid ago? *St.* Damnum malum.

Ch. Bene mones. ita facere certum eſt. *St.* Niſi quidem es obnoxius.
Ch. Si bonus eſt, obnoxius ſum: ſin ſecus eſt, faciam uti jubes.
St. Quid id ad me attinet, boniſne ſervis tu utare an malis?
Ch. Quia boni malique in ea re pars tibi eſt. *St.* Partem alteram
Tibi permitto, illam alteram ad me, quod boni eſt, apponito.
Ch. Si eris meritus, fiet. ſed reſpice ad me huc! ego ſum Charmides.
St. Hem quis eſt, qui mentionem facit homo hominis optumi?
Ch. Ipſe homo optumus. *St.* Mare, terra, cælum, di, voſtram fidem!
Satin' ego oculis plane video? eſtne ipſus, an non eſt? is eſt.
Certe is eſt! is eſt profecto! o mi here exoptatiſſume,
Salve! *Ch.* Salve, Staſime. *St.* Salvom te. *Ch.* Scio & credo tibi.
Sed omitto alia: hoc mihi reſponde. Liberi quid agunt mei,
Quos reliqui hic filium atque filiam? *St.* Vivunt, valent.
Ch. Nempe uterque? *St.* Uterque. *Ch.* Di me ſalvom & ſervatum volunt.
Cetera intus otioſe percunctabor, quæ volo.
Eamus intro. ſequere. *St.* Quo tu te agis? *Ch.* Quonam, niſi domum?
St. Hiccine nos habitare cenſes? *Ch.* Ubinam ego alibi cenſeam?
St. Jam. *Ch.* Quid jam? *St.* Non ſunt noſtræ ædes iſtæ. *Ch.* Quid ego ex te audio?
St. Vendidit tuus natus ædeis. *Ch.* Perii. *St.* Præſentariis
Argenti minis numeratis. *Ch.* Quot? *St.* Quadraginta. *Ch.* Occidi.
Quis eas emit? *St.* Callicles, cui tuam rem commendaveras,
Is habitatum huc commigravit, noſque exturbavit foras.
Ch. Ubi nunc filius meus habitat? *St.* Hic, in hoc poſticulo.
Ch. Male diſperii. *St.* Credidi ægre tibi id, ubi audiſſes, fore.
Ch. Ego miſer meis periculis ſum per maria maxuma
Vectus capitali periculo, per prædones plurimos
Me ſervavi, ſalvos redii: nunc hic diſperii miſer,
Propter eoſdem, quorum cauſſa fui hac ætate exercitus.
Adimit animam mihi ægritudo. Staſime! tene me. *St.* Viſne aquam
Tibi petam? *Ch.* Res quom animam agebat, tum eſſe offuſam oportuit.

ACTUS IV. SCENA IV.

Callicles, Charmides, Staſimus.

QUid hoc hic clamoris audio ante ædeis meas?
Ch. O Callicles! o Callicles! o Callicles!
Qualine amico mea commendavi bona!
Cal. Probo & fideli, & fido, & cum magna fide;

Et

Et ſalve, & ſalvom te adveniſſe gaudeo.
Ch. Credo omnia iſtæc, ſi ita 'ſt, ut prædicas.
Sed quis iſte eſt tuus ornatus? *Cal.* ego dicam tibi.
Theſaurum effodiebam intus, dotem, filiæ
Tuæ quæ daretur. ſed intus narrabo tibi
Et hoc & alia. ſequere. *Ch.* Staſime! *St.* Hem! *Ch.* Strenue
Curre in Piræum, atque unum curriculum face.
Videbis jam illic navem, qua advecti ſumus.
Jubeto Sangarionem, quæ imperaverim,
Curare, ut efferantur. & tu ito ſimul.
Solutum 'ſt portitori jam portorium.
St. Nihil eſt moræ. *Ch.* I, i, ambula. actutum redi.
St. Illic ſum atque hic ſum. *Cal.* Sequere tu hac me intro. *Ch.* Sequor.
St. Hic meo hero amicus ſolus firmus reſtitit,
Neque demutavit animum de firma fide.
Quamquam labores multos * * *
Sed hic unus, ut ego ſuſpicor, ſervat fidem.
Ob rem laborem eum ego cepiſſe cenſeo.

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

Lyſiteles.

HIc homo eſt omnium hominum præcipuus, voluptatibus gaudiiſque antepotens:
Ita commoda, quæ cupio, eveniunt: quod ago, aſſequitur, ſubeſt,
Subſequitur: ita gaudiis gaudium ſuppeditat.
Modo me Staſimus Lesbonici ſervos convenit: is
Mihi dixit, ſuum herum peregre huc adveniſſe Charmidem.
Nunc mihi is propere conveniendus eſt; ut, quæ cum ejus filio
Egi, ei rei fundus pater ſit potior. eo. ſed fores
Hæ ſonitu ſuo mihi moram objiciunt incommode.

ACTUS V. SCENA II.

Charmides, Callicles, Lyſiteles, Lesbonicus.

NEque fuit, neque erit, neque eſſe quemquam hominum in terra dum arbitror,
Cui fides fidelitaſque amicum erga æquiparet ſuum:
Nam exædificaviſſet me ex his ædibus, abſque te foret.
Cal. Si quid amicum erga bene feci, aut conſului fideliter,
Non videor meruiſſe laudem: culpa caruiſſe arbitror.
Nam beneficium, homini proprium quod datur, proprium ſumſerit:
Quod datum utendum eſt, id repetundi copia 'ſt, quando velis.
Ch. Eſt ita, ut tu dicis. ſed ego hoc nequeo mirari ſatis,
Eum ſororem deſpondiſſe ſuam in tam fortem familiam,
Lyſiteli quidem Philtonis filio. *Lyſ.* Enim me nominat.
Ch. Familiam optumam occupavit. *Lyſ.* Quid ego ceſſo hos colloqui?
Sed maneam etiam opinor: namque hoc commodum orditur loqui.
Ch. Vah! *Cal.* Quid eſt? *Ch.* Oblitus intus dudum tibi ſum dicere:
Modo mihi advenienti nugator quidam acceſſit obviam,
Nimis pergraphicus ſycophanta: is mille nummum ſe aureum
Meo datu tibi ferre, & gnato Lesbonico ajebat meo:
Quem ego nec qui eſſet noram, neque eum ante uſquam conſpexi prius.
Sed quid rides? *Cal.* Meo allegatu venit, quaſi qui aurum mihi
Ferret abs te, quod darem tuæ gnatæ dotem: ut filius
Tuus, quando illi a me darem, eſſe allatum id abs te crederet,
Neu qui rem ipſam poſſet intelligere, & theſaurum tuum
Me eſſe penes, atque eum a me lege populi patrium poſceret.
Ch. Scite edepol! *Cal.* Megaronides communis hoc meus & tuus
Benevolens commentu 'ſt. *Ch.* Quin collaudo conſilium, & probo.
Lyſ. Quid ego ineptus, dum ſermonem vereor interrumpere,
Solus ſto; nec quod conatus ſum agere, ago? homines colloquar.
Ch. Quis hic eſt, qui huc ad nos incedit? *Lyſ.* Charmidem ſocerum ſuum
Lyſiteles ſalutat. *Ch.* Di dent tibi, Lyſiteles, quæ velis.
Cal. Non ego ſum ſalutis dignus? *Lyſ.* Immo ſalve, Callicles.
Hunc priorem æquom 'ſt me habere. tunica propior pallio eſt.
Ch. Deos volo conſilia voſtra recte vortere.
Filiam meam tibi deſponſatam eſſe audio. *Lyſ.* Niſi tu nevis.
Ch. Immo haud nolo. *Lyſ.* Sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi?
Ch. Spondeo, & mille auri Philippum dotis. *Lyſ.* Dotem nihil moror.
Ch. Si illa tibi placet, placenda dos quoque eſt, quam dat tibi.
Poſtremo, quod vis, non duces, niſi illud quod non vis, feres.
Cal. Jus hic orat. *Lyſ.* Impetrabit te advocato atque arbitro.
Iſtac lege filiam tuam ſponden' mihi uxorem dari?
Ch. Spondeo. *Cal.* Et ego ſpondeo idem hoc. *Lyſ.* Oh, ſalvete affines mei!
Ch. Atque edepol ſunt res, quas propter tibi tamen ſuccenſui.
Cal. Quid ego feci? *Ch.* Meum corrumpi quia perpeſſus filium.
Cal. Si id mea voluntate factum eſt, eſt quod mihi ſuccenſeas.
Sed ſine me hoc abs te impetrare, quod volo. *Ch.* Quid id eſt? *Cal.* Scies.
Si quid ſtulte fecit, ut ea miſſa facias omnia.
Quid quaſſas caput? *Ch.* Cruciatur cor mihi, & metuo. *Cal.* Quidnam id eſt?
Ch. Quom ille ita 'ſt, ut eſſe nolo, id crucior; metuo, ſi tibi

Dene-

Denegem, quod me oras, ne te leviorem erga me putes.
Non gravabor. faciam ita, ut vis. *Cal.* Probus es. eo, ut illum evocem.
Ch. Miſerum 'ſt, male promerita, ut merita, ſi mihi ulciſci non licet.
Cal. Aperite hoc, aperite propere, & Lesbonicum, ſi domi 'ſt, foras
Evocate: ita ſubitum 'ſt, propere quod eum conventum volo.
Lesb. Quis homo tam tumultuoſo ſonitu me excivit ſubito foras?
Cal. Benevolens tuus atque amicu 'ſt. *Lesb.* Satin' ſalve? dic mihi.
Cal. Recte tuum patrem rediiſſe ſalvom peregre, gaudeo.
Lesb. Quis id ait? *Cal.* Ego. *Lesb.* Tun' vidiſti? *Cal.* Et tute idem videas liceat.
Lesb. O pater, pater mi, ſalve! *Ch.* Salve multum, gnate mi.
Lesb. Si quid tibi, pater, laboris. *Ch.* Nihil evenit, ne time.
Bene re geſta ſalvos redeo: ſi tu modo frugi eſſe vis,
Hæc tibi pacta 'ſt Callicli filia. *Lesb.* Ego ducam, pater:
Etiam & ſi quam aliam jubebis. *Ch.* Quamquam tibi ſuccenſui.
Cal. Miſeria *una* uni quidem homini 'ſt affatim. *Ch.* Immo huic parum 'ſt.
Nam ſi pro peccatis centum ducat uxores, parum 'ſt.
Lesb. At jam poſthac temperabo. *Cal.* Dicis; ſi facias modo.
Lesb. Numquid cauſſæ eſt, quin uxorem cras domum ducam? *Ch.* Optumum 'ſt, licet.
Tu in perendinum paratus ſis ut ducas. Plaudite.

FINIS TRINUMMI.

TRUCULENTUS.

Dramatis Perſonæ.

DINARCHUS, *adoleſcens.*
PHRONESIUM, *meretrix.*
GETA, *ſervus.*
CALLICLES, *ſenex.*
ASTAPHIUM, *ancilla.*
STRATILAX, *ſervus.*
STRATOPHANES, *miles.*
STRABAX, *adoleſcens, ruſticus.*
ANCILLA, *altera.*

ARGUMENTUM.

TRes unam pereunt adoleſcentes mulierem,
Rure unus, alter urbe, peregre tertius.
Utique iſta ingenti militem tangat bolo,
Clam ſuppoſuit ſibi clandeſtino editum.
Vi magna ſervos eſt ac trucibus moribus,
Lupæ ne rapiant domini parſimoniam.
Et is tamen mollitur. Miles advenit,
Natique cauſſa dat propenſa munera.
Tandem compreſſæ pater cognoſcit omnia.
Utque illam ducat, qui vitiarat, convenit;
Suumque is repetit a meretrice ſubditum.

PROLOGUS.

PErparvam partem poſtulat Plautus loci
De voſtris magnis atque amœnis mœnibus,
Athenas quo ſine architectis conferat.
Quid nunc? daturin' eſtis, an non? annuunt.
Meditor equidem vobis me ablaturum ſine
Mora. quid ſi de voſtro quippiam orem? abnuunt.
En mehercle in vobis reſident mores priſtini,
Ad denegandum ut celeri lingua utamini.
Sed hoc agamus, qua huc ventum eſt gratia.
Athenæ iſtæ ſunto, ita ut hoc eſt proſcenium,
Tantiſper dum tranſigimus hanc Comœdiam.
Hic habitat mulier, nomine quæ eſt Phroneſium.
Hæc hujus ſæcli mores in ſe poſſidet;
Numquam ab amatore ſuo poſtulat id quod datum eſt:
Sed reliquom dat operam ne ſit reliquom,
Poſcendo atque auferendo, ut mos eſt mulierum.
Nam omnes id faciunt, cum ſe amari intellegunt.
Ea ſe peperiſſe puerum ſimulat Militi,
Quo citius rem ab eo auferat cum pulviſculo.
Quid multa? *ætas* huic ſi ſuperet mulieri,
Is cum anima ad eam habentiam everrerit.

ACTUS PRIMUS

SCENA I.

Dinarchus.

NOn omnis ætas ad perdiſcendum ſat eſt
Amanti, dum id perdiſcat, quot pereat modis.
Neque eam rationem eapſe umquam edocet Venus,
Quam penes amantum ſumma ſummarum redit,
Quot amans exemplis ludificetur, quot modis
Pereat, quotque exoretur exorabulis.
Quot illic blanditiæ, quot illic iracundiæ
Sunt! quot ſui pericla amanda! di, voſtram fidem! hui!
Quid perjerandum eſt etiam, præter munera!
Primum-dum miros annua: is primus bolu 'ſt.
Ob eam tris noctes utor. interea loci
Aut æra, aut vinum, aut oleum, aut triticum
Tentat, benignuſne an bonæ frugi ſies.
Quaſi in piſcinam rete qui jaculum parat;
Quando abiit rete peſſum, tum adducit *ſinum*:
Sin jecit rete; piſces ne effugiant, cavet:
Dum huc dum illuc reti eos impedit
Piſces, uſque adeo donicum eduxit foras.
Itidem eſt amator. ſi id, quod oratur, dedit,
Atque eſt benignus potius quam frugi bonæ,
Adduntur noctes: interim ille hamum vorat.
Si ſemel amoris poculum accepit mere,
Eaque intra pectus ſe penetravit potio,
Extemplo & ipſus periit, & res, & fides.
Si iratum eſt ſcortum forte amatori ſuo,
Bis periit amator, ab re atque animo ſimul.
Sin alter alteri potior eſt, itidem perit:
Si raras noctes ducit, ab animo perit:
Si increbravit; ipſus gaudet, res perit.

Ita

Ita *diſciplina* in ædibus eſt lenoniis,
Priuſquam unum dederis, centum quæ poſcat, parat.
Aut aurum periit, *aut* conſciſſa pallula eſt,
Aut emta ancilla, aut aliquod vaſum argenteum,
Aut vaſum ahenum aliquod, aut lectus dapſilis,
Aut armariola Græca, aut aliquid ſemper *eſt*
Quod pereat, debeatque amans ſcorto ſuo.
Atque hæc celamus nos damna, una induſtria
Cum rem fidemque noſque noſmet perdimus,
Ne quid parentes, neu cognati ſentiant,
Quos cum celamus, ſi faximus conſcios,
Qui noſtræ ætati tempeſtivo temperint,
Unde anteparta demus poſtpartoribus,
Faxim lenonum & ſcortorum *ut* plus eſt, *minus*
Et minus damnoſorum hominum, quam nunc ſunt, ſiet.
Nam nunc lenonum & ſcortorum plus eſt fere,
Quam olim muſcarum eſt, cum caletur maxume.
Nam nuſquam alibi ſi ſunt, circum argentarias
Scorti lenones quaſi ſedent quotidie.
Ea nimia eſt ratio; quippe qui certo ſcio,
Aeri plus ſcortorum eſſe jam quam ponderum,
Quos quidem quam ad rem dicam in argentariis
Referre habere, niſi pro tabulis, neſcio,
Ubi æra perſcribantur uſuraria:
Accipiat illico expenſa, neque cenſeat.
Poſtremo in magno populo, in multis hominibus,
Re placida atque otioſa, victis hoſtibus,
Amare oportet omnes, qui quod dent, habent.
Nam mihi hæc meretrix, quæ hic habet, Phroneſium,
Suum nomen omne ex pectore exmovit meo,
Phroneſium. nam Phroneſis eſt ſapientia.
Nam me fuiſſe huic fateor ſummum atque intimum,
Quod amantis multo peſſumum eſt pecuniæ.
Eadem, poſtquam alium repperit, qui plus daret,
Damnoſiorem, me exinde amovit loco,
Quem inimicum ac odioſum ſibi eſſe memorabat mala,
Babylonienſem militem: Is nunc dicitur
Venturus peregre. eo nunc commenta eſt dolum,
Peperiſſe ſimulat ſeſe, ut me extrudat foras;
Atque ut cum ſolo pergræcetur milite;
Eum eſſe ſimulat militem puero patrem.
Quid iſti ſuppoſitum puerum opus peſſumæ?
Mihi verba retur dare ſeſe? an me cenſuit
Celare ſe poteſſe, gravida ſi foret?
Nam ego Lemno advenio Athenas nudiuſtertius,
Legatus hinc quo cum publico imperio fui.
Sed hæc quis mulier eſt? Aſtaphium eſt ancillula.
Cum ea quoque etiam mihi fuit commercium.

ACTUS I. SCENA II.

Aſtaphium, *Dinarchus*.

AD fores auſcultate, atque aſſervate ædeis,
Ne quis adventor gravior abeat quam adveniat:
Neu qui manus attulerit ſteriles intro ad nos,
Gravidas foras exportet. novi ego hominum mores;
Ita nunc adoleſcentes morati ſunt. quin ei
Ut ſimitu adveniunt ad ſcorta congerones,
Conſulta ſunt conſilia, quando intro advenerunt;
Unus eorum aliquis oſculum amicæ uſque oggerit.
Dum illi agunt *quod agunt*, ſunt ceteri cleptæ *
Sin videant quempiam ſe aſſervare, obludunt, qui cuſtodem
Oblectent per joculum & ludum: de noſtro ſæpe edunt, quod
Fartores faciunt. fit pol hoc, & pars ſpectatorum ſcitis
Pol, hæc vos me haud mentiri.
Ibi eſt ibus pugnæ & virtuti, de prædonibus prædam capere.
At nos rurſum lepide referimus gratiam furibus noſtris:
Nam ipſi vident, cum eorum aggerimus bona: quin etiam ultro ipſi aggerunt ad nos.
Din. Me illis quidem hæc verberat verbis. nam ego huic dona accongeſſi.
Aſt. Commemini. jam pol ego eum ipſum, ſi domi erit, mecum adducam.
Din. Heus manedum, Aſtaphium, priuſquam abis.
Aſt. Qui revocat? *Din.* Scies:
Reſpice huc. *Aſt.* Quis eſt? *Din.* Vobis qui multa bona eſſe volt. *Aſt.* Dato, ſi eſſe vis.
Din. Faxo, erunt. reſpice huc modo. *Aſt.* Io! enicas me miſeram, quiſquis es.
Din. Peſſuma, mane.
Aſt. I, optume. odioſus es.
Dinarchuſne illic eſt? atque is eſt. it ad nos. *Din.* Et tu fer contra manum, & pariter
Gradere. *Aſt.* Tibi ſervio, atque audiens ſum imperii. *Din.* Tute quid agis?
Aſt. Valeo, & validum teneo. peregre cum advenis, cœna detur.
Din. Benigne dicis. *Aſt.* At enim, amabo, ſine me ire, quo juſſit. *Din.* Eas.
Sed quid ais? *Aſt.* Quid vis? *Din.* Iſtic, quo iter inceptas, qui eſt? quem arceſſis? *Aſt.* Archivam
Obſtetricem. *Din.* Mala femina es. *Aſt.* Solens ſum: ea eſt diſciplina.
Din. Manifeſtam mendacii, mala, te teneo. *Aſt.* Quid jam, amabo?
Din. Quia te adducturam huc dixeras eum ipſum, non eampſe.
Nunc mulier facta eſt ex viro: mala es! *Aſt.* Præſtigiator!
Din. Sed tandem loquere. quis is homo eſt, Aſtaphium? novos amator?
Aſt. Nimis otioſum arbitror hominem eſſe *te*. *Din.* Quianam arbitrare?
Aſt. Quia tuo veſtimento & cibo alienis rebus curas.
Din. Vos me reddidiſtis otioſum. *Aſt.* Quid jam, amabo? *Din.* Ego expedibo:
Rem perdidi apud vos. cum re meum negotium abſtuliſtis.
Si rem ſervaſſem, fuit, ubi negotioſus eſſem.
Aſt. An tute bene rem publicam aut amoris alia lege
Habere poſſe ſe poſtulas, quin tu otioſus fias?
Din. Illa, haud ego, habuit publicum; pervorſe interpretaris.
Nam advorſum legem a me, ob meam ſcripturam, pecudem accepit
Aeraque. *Aſt.* Idem, quod tu facis, faciunt rei male gerentes:
Ubi non eſt, ſcripturam unde dent, incuſant publicanos.
Din. Male vortit res pecuaria mihi apud vos: nunc viciſſim
Volo habere aratiunculam pro copia hic apud vos.
Aſt. Non arvos hic, ſed paſcuus eſt ager. ſi arationes
Habituris, qui arari ſolent, ad pueros ire melius *eſt*.
Hunc nos habemus publicum: illi alii ſunt publicani.

Din.

Din. Utroſque percognovi utrobidem: *Aſt.* Iſtoc pol tu otioſus,
Cum & illic & hic pervorſus es. ſed utris cum rem eſſe mavis?
Din. Procaciores eſtis vos, ſed illi perjurioſi.
Illis perit, quidquid datur, neque ipſis apparet quidquam.
Vos ſaltem, ſi quid quæritis, & bibitis & comeſtis.
Poſtremo illi ſunt improbi, vos nequam & glorioſæ
Malæque. *Aſt.* *Quæ* in nos illoſque, ea omnia tibi dicis, Dinarche,
Et noſtram & illorum vicem. *Din.* Qui iſtuc? *Aſt.* Rationem dicam:
Quia qui alterum incuſat probri, eum ipſum ſe intueri oportet.
Tu a nobis, ſapiens, nihil habes: nos nequam abs te habemus.
Din. O Aſtaphium, haud iſtoc modo ſolita es me ante appellare,
Sed blande: cum illuc, quod apud vos nunc eſt, apud me haberem.
Aſt. Dum vivit, hominem noveris: ubi mortuus eſt, quieſcas.
Te, dum vivebas, noveram. *Din.* An me mortuum arbitrare?
Aſt. Qui potis eſt, amabo, planius? qui antehac amator ſummus
Habitu 'ſt, iſtunc ad amicam meras querimonias referre.
Din. Voſtra hercle factum injuria, quæ properaviſtis olim
Rapere. otioſe oportuit: diu ut eſſem incolumis vobis.
Aſt. Amator ſimili 'ſt oppidi hoſtilis. *Din.* Quo argumento eſt? *Aſt.* Quamprimum expugnari poti 'ſt amator, optumum eſt amicæ.
Din. Ego fateor. ſed longe aliter eſt amicus atque amator.
Certe hercle quam veterrumus homini optumus eſt amicus.
Non hercle occiderunt mihi etiam fundi & ædeis.
Aſt. Cur, obſecro, ergo ante oſtium pro ignoto, alienoque aſtas?
I intro. haud alienus tu quidem es. nam ecaſtor neminem hodie
Mage amat corde atque animo ſuo, ſiquidem habes fundum atque ædeis.
Din. In melle ſunt linguæ ſitæ voſtræ atque orationes
Lacteque: corda felle ſunt lita, atque acerbo aceto.
E linguis dicta dulcia datis, corda amare facitis,
Amantes ſi qui non danunt. *Aſt.* Non didici fabulare.
Din. Non iſtæc mea benignitas docuit te fabulari,
Sed iſti, qui cum Geniis ſuis belligerant, parcipromi.
Mala es, atque eadem, quæ ſoles, inlecebra. *Aſt.* Ut exſpectatus
Peregre adveniſti! *Din.* Nam obſecro? *Aſt.* Cupiebat te hera videre.
Din. Quid tandem? *Aſt.* Te unum ex omnibus amat. *Din.* Euge, funde & ædes,
Per tempus ſubveniſtis mihi! ſed quid ais, Aſtaphium? *Aſt.* Quid vis?
Din. Eſtne intus nunc Phroneſium? *Aſt.* Tibi quidem intus.
Din. Valetne? *Aſt.* Immo edepol melius credo fore, ubi te videbit.
Din. Hoc nobis vitium maxumum eſt: cum amamus, tum perimus.
Si illud, quod volumus, dicitur, palam cum mentiuntur,
Verum eſſe inſciti credimus. næ, ut in æſtu, mutuamur ira.
Aſt. Eja! haud ita res eſt. *Din.* Ain' tu, me amare? *Aſt.* Immo unice unum.
Din. Peperiſſe eam audivi. *Aſt.* Ah! obſecro, tace, Dinarche. *Din.* Quid jam?
Aſt. Horreſco miſera, mentio quoties fit partionis:
Ita pæne tibi fuit Phroneſium. i intro jam, amabo.
Viſe illam: atque opperire ibi. jam exibit: nam lavavit.
Din. Quid ais tu? quæ numquam fuit prægnas, qui parere potuit?
Nam equidem uterum illi, quod ſciam, numquam extumere ſenſi.
Aſt. Celabat, metuebatque te illa, ne ſibi perſuaderes,
Ut abortioni operam daret, puerumque ut enecaret.
Din. Tum pol iſti puero quis eſt pater? *Aſt.* Babylonienſis miles,
Cujus nunc iſta adventum expetit. Immo adeo, ut nuntiatum 'ſt,
Jam hic affuturum ajunt eum. nondum adveniſſe miror.
Din. Ibo igitur intro? *Aſt.* Quippini? tam audacter, quam domum ad te.
Nam tu edepol noſter es etiam jam nunc, Dinarche. *Din.* Quam mox
Te recipis tu? *Aſt.* Jam hic ero: prope eſt, profecta quo ſum.
Din. Redi vero actutum. ego interim te apud vos opperibor.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

Aſtaphium.

HA, ha, ha! hercle quievi, quia introivit odium. tandem ſola ſum.
Nunc quidem meo arbitratu loquar libere quæ volam & quæ lubebit.
Huic homini amanti mea hera apud nos dixit neniam de bonis.
Nam fundi & ædeis obligatæ ſunt ob amoris prandium. verum
Apud hunc mea hera conſilia ſumma loquitur libere: magiſque
Adeo ei conſiliarius hic amicus eſt, quam auxiliarius.
Dum fuit, dedit. nunc nihil habet. quod habebat, nos habemus:
Iſte nunc id habet, quod nos habuimus. humanum facinus factum eſt.
Actutum fortunæ ſolent mutarier. varia vita eſt.
Nos divitem eum meminimus, atque iſte pauperes nos.
Vorterunt ſeſe memoriæ. ſtultus ſit, qui id admiretur.
Si eget, neceſſe eſt nos patiatur ali. ita æquom factu eſt.
Piaculum eſt, miſereri nos hominum rei male gerentum.
Bonis eſſe oportet dentibus lenam probam: arridere,

Quiſquis veniat, blandeque alloqui: male corde conſultare,
Bene loqui lingua. meretricem eſſe ſimilem ſentis condecet,
Quemquem hominem attigerit, profecto aut malum aut damnum dari.
Numquam amatoris meretricem oportet cauſſam nocere,
Quin, ubi nihil det, pro infrequente eum mittas militia domum.
Nec umquam quiſquam probus erit amator, niſi qui rei inimicu 'ſt ſuæ.
Nugæ ſunt, niſi quod modo cum dederit, dare jam lubeat denuo.
Is amator hic apud nos, qui, quod dedit, id oblitu 'ſt datum.
Dum habeat, tum amet: ubi nihil habeat, alium quæſtum cœpiat.
Aequo animo, ipſe ſi nihil habeat, aliis qui habent, det locum.
Probus eſt amator, qui relictis rebus rem perdit ſuam.
At nos male agere prædicant viri ſolere ſecum,
Noſque eſſe avaras. quæſo, num qui male nos agimus tandem?
Nam ecaſtor nunquam ſatis dedit ſuæ quiſquam amicæ amator:
Neque pol ſatis accepimus, neque ulla ſatis popoſcit.
Nam quando ſterilis eſt amator a datis, *improbus eſt*.
Si negat ſe habere, quod det, ſoli *pernoctandum eſt*.
Nec ſatis accipimus, ſatis cum quod det, non habet.
Semper datores novos oportet quærere,
Qui de theſauris integris demunt, danunt.
Velut hic agreſtis eſt adoleſcens, qui hic habet,
Nimis pol mortalis lepidus, nimiſque probus dator.
Sed is, clam patre, etiam hanc noctem illac
Per hortum tranſilivit ad nos. eum volo convenire.
Sed eſt huic unus ſervos violentiſſumus,
Qui, ubi quamque noſtrarum videt prope ædeis, hac ſi aggredias,
Item ut de frumento anſeres, clamore abſterret, abigit.
Is item eſt agreſtis. ſed fores, quidquid eſt futurum, feriam.
Ecquis huic tutelam januæ gerit? ecquis intus exit?

ACTUS II. SCENA II.

Stratilax, Aſtaphium.

QUis illic eſt, qui tam proterve noſtras ædeis arietat? *Aſt.* Ego ſum, reſpice ad me. *St.* Quid, ego? nonne ego video? væ tibi!
Quid tibi ad haſce acceſſio eſt ædeis prope, aut pultatio eſt?
Aſt. Salve. *St.* Satis mihi eſt tuæ ſalutis: nihil moror: non ſalveo.
Aegrotare malim, quam eſſe tua ſalute ſanior.
Id volo ſcire, quid debetur hic tibi noſtræ domi. *Aſt.* Comprime.
St. Spero meam quidem hercle: tu, quæ ſolita es, comprimas.
Imprudens per ridiculum ut ruſtico ſuadet ſtuprum!
[illegible] am dixi. *St.* Ut eſſe cœpiſti, ſi dem, ſi eſt una altera.

Aſt. Nimis hic quidem TRUCULENTUS. *St.* Pergin' male loqui, mulier, mihi?
Aſt. Quid tibi ego autem dico? *St.* Quia enim me TRUCULENTUM nominas.
Nunc adeo, niſi abis actutum, ac dicis, quid quæras, cito,
Jam hercle ego hic te, mulier, quaſi ſus catulos, pedibus proteram.
Aſt. Rus merum hoc quidem eſt. *St.* Pudendumne? tu vero clurinum pecus,
Adveniſti huc ſiſtentatum cum exornatis oſſibus.
Quia tibi inſuaſo infeciſti, propudioſa, pallulam.
An eo bella es tu, quia accepiſti? ad me advenias. *Aſt.* Nunc places.
St. Quam me illi velim! *Aſt.* Mentiris. *St.* Dicis, quod te rogo?
Mancupium qui accipias, geſta tecum penos annuos.
Aſt. Dignis dant. *St.* Laviniæ hic ſunt, quas habes victorias?
Aſt. Ne attigas me. *St.* Tangam? ita me amabit ſarculum,
Ut ego me ruri hamaxari mavelim patalem bovem,
Cumque *eo* ita noctem in ſtramentis pernoctare perpetem,
Quam tuas centum cœnatas noctes mihi dono dari.
Rus tu mihi opprobras? ut nacta es hominem, quem pudeat probri!
Sed quid apud noſtras negotii, mulier, eſt ædeis tibi?
Quid tu huc occurſas, in urbem quotieſcumque advenimus?
Aſt. Mulieres volo convenire voſtras. *St.* Quas tu mulieres
Mihi narras? ubi muſca nulla femina eſt in ædibus.
Aſt. Nullane iſtic mulier habitat? *St.* Rus, inquam, abierunt. abi.
Aſt. Quid clamas, inſane? *St.* Abire hinc ni properas grandi gradu,
Jam ego iſtos fictos, compoſitos, criſpos cincinnos tuos
Unguentatos uſque ex cerebro expellam. *Aſt.* Quanam gratia?
St. Quia adeo fores noſtras unguentis uncta es auſa accedere,
Quiaque iſtas buccas tam belle purpuriſſatas habes.
Aſt. Erubui mecaſtor miſera propter clamorem tuum.
St. Itane? erubuiſti? quaſi vero corpori reliqueris
Tuo poteſtatem coloris ulli capiendi, mala.
Buccas rubricæ; cera omne corpus intinxit tibi.
Peſſumæ eſtis. *Aſt.* Quid eſt, quod vobis peſſumæ hæc * * *
St. Scio ego plus, quam me arbitrare ſcire. *Aſt.* Quid id eſt, obſecro,
Quod ſcias? *St.* Herilis noſter filius apud vos Strabax
Ut pereat, ut eum inliciatis in malam fraudem & præmium.
Aſt. Sanus ſi videare, dicam. dicis contumeliam.
Nemo hominum hic perire ſolet apud nos. res perdunt ſuas.
Ubi perdidere res, abire hinc ſi volunt, nudis licet.
Ego non hunc novi adoleſcentem voſtrum. *St.* Veron'? *Aſt.* Serio.
St. Quid maceria illa ait, in horto quæ eſt, quæ in noctes ſingulas
Latere fit minor, qua iſte ad vos damni permenſu'ſt viam?

Aſt.

Aſt. Non mirum; vetus eſt maceria; lateres ſi veteres ruunt.
St. Ain'tu, mala, lateres veteres ruere? numquam edepol mihi
Quiſquam homo mortalis poſthac duarum rerum creduit,
Ni iſta ego voſtra hero majori facta denarravero.
Aſt. Eſtne ille violentus? *St.* Suam non enim ille meretriculis
Muniendis rem coegit, verum parſimoniæ
Duritiæque: quæ nunc ad vos jam exportatur, peſſumæ.
Hem tu, ſexungula! male vivitis. egone hæc muſſitem?
Jam enim eccere ibo in forum, atque hæc facta narrabo ſeni.
Neque iſtuc in ſe geſtit, ergo coget exanimem mali.
Aſt. Si ecaſtor hic homo ſinapi victitet, non cenſeam
Tam eſſe triſtem poſſe. at pol hero benevolens ut is eſt ſuo!
Verum ego illum, quamquam violentus eſt, ſpero mutari poteſt
Blandimentis, ornamentis ceteris meretriciis.
Vidi equidem ex jumentis domita fieri, atque alias belluas.
Nunc ad heram revidebo. ſed, eccum, odium progreditur meum.
Triſtis exit. haud convenire etiam hic velim Phroneſium.

ACTUS II. SCENA III.

Dinarchus, Aſtaphium.

PIſces ego credo, qui uſque dum vivunt, lavant,
Minus diu lavere, quam hæc lavat Phroneſium.
Si proinde amentur mulieres, diu quam lavant,
Omnes amantes balneatores fient.
Aſt. Non quis parumper durare, opperirier?
Din. Quin hercle laſſus jam ſum durando miſer.
Aſt. Mihi quoque præ laſſitudine opus eſt *ut* lavem.
Din. Sed obſecro hercle, Aſtaphium, i intro, ac nuntia
Me adeſſe. tu i propere, & ſuade jam ut ſatis laverit.
Aſt. Licet. *Din.* Audin' etiam? *Aſt.* Quid vis? *Din.* Di me perduint,
Qui te revocavi: non tibi dicebam. i modo.
Aſt. Quid jam me revocabas, improbe nihilique homo?
Quæ tibi mille paſſuum peperit moræ *mora*.
Din. Sed quid hæc hic autem tamdiu ante ædeis ſtetit?
Neſcio quem præſtolata eſt: credo, militem.
Illud eſt. vide ut jam, quaſi volturii triduo
Prius prædivinant, quo die eſuri ſient,
Illum inhiant omnes: illi eſt animus omnibus.
Me nemo magis reſpiciet, ubi iſte huc venerit,
Quam ſi hinc ducentos annos fuerim mortuus.
Ut rei ſervire ſuave eſt! væ miſero mihi!
Poſt factum plector, quia ante-partum perdidi.
Verum nunc ſi qua mihi obtigerit hæreditas
Magna atque luculenta, nunc, poſtquam ſcio,
Dulce atque amarum quid ſit ex pecunia,
Ita ego illam edepol ſervem, itaque parce victitem,
Ut nulla faxim cis dies paucos ſiet.
Ego iſtos, qui nunc me culpant, confutaverim.
Sed eſt vocis ſat. ſentio aperiri fores,
Quæ obſorbent quidquid venit intra peſſulos.

ACTUS II. SCENA IV.

Phroneſium, Dinarchus.

NUm tibi nam, amabo, janua eſt mordax mea,
Quo introire metuas, mea voluptas? *Din.* Ver vide.
Ut tota floret! ut olet! ut nitide nitet!
Ph. Qui tam inficetus Lemno adveniens, qui tuæ
Non des amicæ, Dinarche, ſuavium?
Din. Vah! vapulo hercle ego nunc, atque adeo male.
Ph. Quo te avortiſti? *Din.* Salva ſis, Phroneſium!
Ph. Salve. hicne hodie cœnas, ſalvos cum advenis?
Din. Promiſi. *Ph.* Ubi cœnabis tu? *Din.* Ubi tu juſſeris.
Hic. *Ph.* Me lubente facies. *Din.* Edepol me magis.
Nempe tu eris hodie mecum, mea Phroneſium.
Ph. Velim, ſi fieri poſſit. *Din.* Cedo ſoleas mihi:
Properate: auferte menſam. *Ph.* Amabo, ſanun' es?
Din. Non edepol bibere poſſum jam, ita animo male eſt.
Ph. Mane. aliquid fiet, ne abi. *Din.* Ah! aſperſiſti aquam.
Jam rediit animus. deme ſoleas: cedo: bibam.
Ph. Idem es ecaſtor qui ſoles. ſed dic mihi,
Benene ambulaviſti? *Din.* Huc quidem hercle ad te bene,
Quoniam tui videndi eſt copia. *Ph.* Complectere.
Din. Libens! ah! hoc eſt mel melle dulci dulcius!
Hoc tuis fortunis, Juppiter, præſtant meæ.
Ph. Dan' ſuavium? *Din.* Immo vel decem. *Ph.* Haud iſtoc pauper es.
Plus pollicere tu, quam ego a te poſtulo.
Din. Utinam a principio rei item parſiſſem meæ,
Ut nunc reparcis ſuaviis! *Ph.* Si quid tibi
Compendii facere poſſim, factum edepol velim.
Din. Jam laviſti? *Ph.* Jam pol mihi quidem atque oculis meis.
Num tibi ſordere videor? *Din.* Non pol mihi quidem.
Verum tempeſtas memini *cum* quondam fuit,
Cum inter nos ſorderemus unus alteri.
Sed quid ego facinus audivi adveniens tuum?
Quod tu hic me abſente novi negotii geſſeris?
Cumque bene proveniſti ſalva, gaudeo.
Ph. Tibi mea conſilia ſumma ſemper credidi.
Equidem nec peperi puerum, nec prægnas fui,
Verum aſſimulavi me eſſe prægnatem, haud eram.
Din. Quapropter, o mea vita? *Ph.* Propter militem
Babylonienſem, qui quaſi uxorem ſibi
Me habebat anno, dum hic fuit. *Din.* Ego ſenſeram.
Sed quid iſtuc? quoi rei id te aſſimulare retulit?
Ph. Ut eſſet aliquis laqueus & ridimiculum,
Revorſionem ut ad me faceret denuo.
Nunc huc remiſit nuper ad me epiſtolam,
Seſe experturum, quanti ſeſe penderem.
Si, quod peperiſſem, id educarem ac tollerem,
Bona ſua me habiturum omnia. *Din.* Auſculto lubens.
Quid denique agitis? *Ph.* Mater ancillas jubet,
Quoniam jam decimus menſis adventat prope,
Aliam alioſum ire, præmandare & quærere
Puerum aut puellam, qui ſupponantur mihi.
Quid multa verba faciam? tonſtricem Suram

Noviſti noſtram, quæ *modo* erga ædes habet.
Din. Novi. *Ph.* Hæc una opera circumit per familias,
Puerum veſtigit clanculum, ad me detulit.
Datum ſibi eſſe dixit. *Din.* O merces malæ!
Eum nunc non illa peperit, quæ peperit, prior,
Sed tu poſterior. *Ph.* Ordine omnem rem tenes.
Nunc, ut præmiſit nuntium miles mihi,
Non multo poſt hic aderit. *Din.* Nunc tu te interim
Quaſi pro puerpera hic procuras? *Ph.* Quippini?
Ubi ſine labore res geri pulchre poteſt,
Ad ſuum quemque æquom eſt quæſtum eſſe callidum.
Din. Quid me futurum eſt, quando miles venerit?
Relictuſne abs te vivam? *Ph.* Ubi illud quod volo,
Habebo ab illo, facile inveniam, quomodo
Divortium & diſcordiam inter nos parem.
Poſtidea ego tota tecum, mea voluptas, uſque ero
Aſſiduo. *Din.* Immo hercle vero accubuo mavelim.
Ph. Quin dis ſacruficare hodie pro puero volo
Quinto die, quod fieri oportet. *Din.* Cenſeo.
Ph. Non audes aliquod dare mihi munuſculum?
Din. Lucrum hercle videor facere mihi, voluptas mea,
Ubi quippiam me poſcis. *Ph.* At ego, ubi abſtuli.
Din. Jam faxo hic aderit. ſervolum huc mittam meum.
Ph. Sic facito. *Din.* Quidquid autem erit, boni conſulas.
Ph. Ecaſtor munus te curaturum ſcio,
Ut cujus me non pœniteat, mittas mihi.
Din. Num quippiam me vis aliud? *Ph.* Ut, quando otium
Tibi ſit, ad me reviſas. *Din.* Valeas. *Ph.* Vale.
Din. Pro di immortales! non amantis mulieris,
Sed ſociæ unanimantis, fidentis fuit
Officium facere, quod modo hæc fecit mihi.
Suppoſitionem pueri quæ mihi credidit,
Germanæ quod ſorori non credit ſoror.
Oſtendit ſeſe jam mihi medullitus,
Se mihi infidelem numquam, ſe viva, fore.
Egone illam ut non amem? egone illi ut non bene velim?
Me potius non amabo, quam huic deſit amor.
Ego iſti non munus mittam? jam modo ex hoc loco
Jubebo ad iſtam quinque perferri minas:
Præterea obſonari dumtaxat ad minam.
Multo illi potius bene erit, bene quæ volt mihi,
Quam mihimet, omnia qui mihi facio mala.

ACTUS II. SCENA V.

Phroneſium.

PUero iſti date mammam. ut miſeræ matres ſollicitæque
Ex animo ſunt, cruciunturque! edepol commentum male!
Cumque eam rem in corde agito, nimio minus perhibemur
Malæ, quam ſumus ingenio. ego prima domi modo docta dictito.
Quanta eſt cura in animo, quantum corde capio dolorem,
Dolus ne occidat morte pueri! mater dicta quod ſum, eo magis
Studeo vitæ, quæ auſa ſum tantum clam dolum aggrediri.
Lucri cauſſa avara probrum ſum exſecuta: alienos dolores
Mihi ſuppoſivi. nullam rem oportet doloſe aggrediri, niſi
Aſtute accurateque exſequare. voſmet jam videtis,
Ut ornata incedo: puerperio ego nunc me eſſe ægram aſſimulo.
Male quod mulier facere incepit, niſi id efficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi ſenio eſt, ea illi miſeræ miſeria eſt:
Si bene facere incepit, ejus eam cito odium percipit.
Nimis quam paucæ ſunt defeſſæ, male quæ facere occeperunt:
Nimis quam paucæ efficiunt, ſi quid occeperint benefacere.
Mulieri nimio malefacere melius eſt onus, quam bene.
Ego, quod mala ſum, matris opera mala ſum, & meapte malitia,
Quæ me gravidam eſſe aſſimulavi militi Babylonio:
Eam nunc malitiam accuratam miles inveniat volo.
Iſte hic haud multo poſt credo aderit: nunc prius præcaveo ſciens:
Eumque *gero* ornatum, ut gravida, quaſi puerperio cubem.
Date mihi huc ſtactam atque ignem in aram, ut venerem Lucinam meam.
Hic apponite, atque abite ab oculis. eho Pithecium,
Face ut accumbam: accede. adjutare ſic decet puerperam.
Soleas mihi duce; pallium injice in me huc, Archilis. ubi es,
Aſtaphium? fer huc verbenam mihi, tus & bellaria.
Date aquam manibus. nunc ecaſtor ut veniret miles velim.

ACTUS II. SCENA VI.

Stratophanes, Phroneſium, Aſtaphium.

NE exſpectetis, ſpectatores, meas pugnas dum prædicem:
Manibus duelli prædicare ſoleo; haud in ſermonibus.
Scio ego multos memoraviſſe milites mendacium.
Et Homeronidæ Poetillæ mille memorari poteſt,
Qui & convicti & condemnati falſis de pugnis ſient.
Non laudandus eſt, quoi plus credit qui audit, quam qui videt.
Non placet, cum illi plus laudant qui audiunt, quam qui vident.
Pluris eſt oculatus teſtis unus, quam auriti decem:
Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, plane ſciunt.
Non placet, quem ſcurræ laudant, manipulares muſſitant:
Neque illi, quorum lingua gladiorum aciem præſtringit domi.
Strenui nimio plus proſunt populo, quam arguti & cati.
Facile ſibi facunditatem virtus argutam invenit:
Sine virtute argutum civem mihi habeam pro præfica,
Quæ alios collaudat, eapſe ſe vero non poteſt.
Nunc ad amicam, decumo menſe poſt, Athenas Atticas
Viſo, quam gravidam reliqui meo compreſſu, quid ea agat.

Ph. Vide quis loquitur. *Aſt.* Jam propinque miles, mea Phroneſium,
Tibi adeſt Stratophanes. nunc tibi opu 'ſt, ægram ut te aſſimules. *Ph.* Tace.
Quid adhuc egeo tui, malum, ammonitricis? an me maleficio vincere eſt?
St. Peperit mulier, ut ego opinor. *Aſt.* Vin' adeam hominem? *Ph.* Volo.
St. Euge Aſtaphium eccam, it mihi advorſum. *Aſt.* Salve ecaſtor, Stratophanes.
Venire ſalvom. *St.* Scio. ſed peperitne, obſecro, Phroneſium?
Aſt. Peperit puerum nimium lepidum. *St.* Ecquid mihi ſimili 'ſt? *Aſt.* Rogas?
Quin ubi natu 'ſt, machæram & clypeum poſcebat ſibi.
St. Meus eſt, ſcio jam de argumentis. nimium quidem ſimili 'ſt. papæ!
Jam magnu 'ſt? jamne electat legionem, quam ſpoliare velit?
Aſt. Here nudiuſquintus natus quidem ille eſt. *St.* quid tum poſtea?
Inter tot dies quidem hercle jam actum aliquid oportuit.
Quid illi ex utero exitio eſt, priuſquam poterat ire in prœlium?
Aſt. Conſequere, atque illam ſaluta, & gratulare illi. *St.* Sequor.
Ph. Ubi illa obſecro eſt, quæ me hic reliquit atque abſtitit?
Aſt. Aſſum: adduco tibi exoptatum Stratophanem. *Ph.* Ubi is eſt obſecro?
St. Mars peregre adveniens ſalutat Nerienem uxorem ſuam.
Cum tu recte proveniſti, cumque es aucta liberis,
Gratulor, cum mihi tibique magnum dediſti decus.
Ph. Salve, qui me interfeciſti pæne & vita & lumine,
Quique vim magni doloris per voluptatem tuam
Condidiſti in corpus, quo nunc etiam morbo miſera ſum.
St. Eja, haud ab re, mea voluptas, tibi obvenit iſtic labos:
Filium peperiſti, qui ædeis ſpoliis opplebit tuas.
Ph. Multo ecaſtor magis oppletis opu 'ſt tritici granariis;
Ne, ille priuſquam ſpolia capiat, hic nos extinxit fames.
St. Habe bonum animum. *Ph.* Savium ſis pete hinc a me. nequeo caput
Tollere, ita dolui, itaque ego nunc doleo: neque etiam queo
Pedibus mea ſponte ambulare. *St.* Si plane ex medio mari
Savium petere tuum jubeas, petere haud pigeat me, mel meum.
Id ita eſſe experta es, nuncque experiere, mea Phroneſium,
Me te amare. adduxi ancillas tibi eccas ex Suria duas:
Iis te dono. adduce huc tu iſtas. ſed iſtæ reginæ domi
Suæ fuere ambæ: verum patriam ego excidi manu.
Iis te dono. *Ph.* Pœnitetne te? quot ancillæ ſunt jam?
Quine etiam ſuperadducas, quæ mihi comedint cibum? *St.* Hoc quidem
Hercle ſi ingratum eſt donum, cedo tu mihi iſtam, puere, perulam.
Hem! mea voluptas, attuli eccam pallulam ex parva Græcia tibi.
Tene tibi. *Ph.* Hoccine mihi ob labores tantos tantillum dari!
St. Perii hercle miſer! jam *mihi* auro contra conſtat filius.
Etiamnum me vilipendit. ad id purpuram ex Sara tibi
Attuli, & induvias Ponto amœnas. tene tibi, voluptas mea.
Accipe hoc. abduce haſce hinc e conſpectu Suras.
Ecquid amas me? *Ph.* Nihil ecaſtor: neque meres. *St.* Nihilne huic ſat eſt?
Ne mihi verbum quidem unum dixit! viginti minis
Vænire illæc poſſe credo dona, quæ ei dono dedi.
Vehementer nunc mihi eſt irata: ſentio atque intellego.
Verum adibo. quid ais nunc tu? numne vis me, voluptas mea,
Quo vocatus ſum, ire ad cœnam? mox ad te huc cubitum ivero.
Quid taces? planiſſume edepol perii! ſed quid illuc boni eſt?
Quis homo eſt, qui inducit pompam tantam? certum 'ſt, quo ferant,
Obſervare. huic credo fertur. verum jam ſcibo magis.

ACTUS II. SCENA VII.

Geta, Phroneſium, Stratophanes.

ITe, ite hac ſimul, muli æris, damnigeruli, foras gerones,
Bonorum hamaxagogæ. ſatine qui amat, nequit quin nihili
Sit, atque improbis ſeſe artibus exſpoliat. nam hoc qui ſciam, ne quis
Id quærat ex me. domi eſt, qui facit improba facta, amator;
Qui bona ſua pro ſtercore habet, foras jubet ferri: metuit
Publicos. mundiſſumum ſit. puras ſibi eſſe volt ædes.
Domi quidquid habet, verritur ἔξω. Quandoquidem ipſus perditum ſe it,
Secreto hercle equidem illum adjutabo: neque mea quidem
Opera umquam nihilominus propere, quam poteſt, peribit.
Nam jam de hoc obſonio, de mina una deminui
Modo quinque nummos: mihi detraxi partem Herculaneam.
Nam hoc aſſimile eſt, quaſi de fluvio qui aquam derivat ſibi:
Niſi derivetur, tamen omnis ea aqua abeat in mare.
Nam hoc in mare abit, miſereque perit ſine omni bona gratia. hæc
Cum video fieri; ſuffuror, ſuppilo, de præda prædam
Capio. Meretricem ego item eſſe reor, mare ut eſt: quod des devorat, nec umquam
Abundat. *at* hoc ſaltem ſervat mare; quod illi ſubeſt, apparet: *huic* des
Quantumvis; nuſquam apparet, neque datori, neque acceptrici.
Velut meretrix meum herum miſerum ſua blanditia intulit in

Pau-

Pauperiem, privavit bonis, luce, honore, atque amicis.
Atat eccam, adeſt propinque. credo audiiſſe hæc me loqui.
Pallida eſt, ut peperit puerum. alloquar, quaſi neſciam.
Jubeo vos ſalvere. *Ph.* Noſter Geta, quid agis? ut vales?
Get. Valeo, & venio ad minus valentem; &, melius qui valeat, fero.
Herus meus, ocellus tuus, ad te ferre me hæc juſſit tibi
Dona, quæ illos ferre vides, & has quinque argenti minas.
Ph. Pol haud perit, quod illum tantum amo. *Get.* Juſſit opera orare, ut hæc grata haberes tibi.
Ph. Grata æquaque ecaſtor habeo. jube auferri intro. i, Cyame.
Ecquid auditis hæc, quæ imperata ſunt? *Get.* Vaſa nolo auferant:
Deſiccari lubet. *Ph.* Impudens, mecaſtor, quanti eſt negotii! *Get.* Tun' bona fide,
Tune ais impudentem me eſſe, ipſa quæ ſis ſtabulum flagitii?
Ph. Dic, amabo te, ubi eſt Dinarchus? *Get.* Domi. *Ph.* Dic ob hæc dona, quæ
Ad me miſerit, me illum amare plurimum omnium hominum.
Ergo meumque honorem illum habere omnium maxumum:
Atque, ut huc veniat, obſecrare. *Get.* Ilicet. ſed quis nam illic homo eſt,
Qui ipſus ſe comeſt, triſtis, oculis malis? animo hercle homo ſuo eſt miser,
Quiſquis eſt. *Ph.* Dignus eſt mecaſtor. *Get.* Ecquid eſt? *Ph.* Non noviſti, obſecro?
Qui illic apud me erat, hujus pater pueri illic eſt. uſque ad jentaculum
Juſſit ali. manſi, auſcultavi, obſervavi. *Get.* Quem pernam,
Novi hominem nihili. illic quæſo eſt? *Ph.* Illic eſt. *Get.* Me intuetur gemens.
Traxit ex intimo ventre ſuſpirium. hoc vide, dentibus
Frendit: icit femur. num obſecronam ariolus, qui ipſus ſe verberat?
St. Nunc ego meos animos violentos, meamque iram ex pectore
Jam promam. loquere: unde es? quojus es? cur auſus inclementer
Mihi dicere? *Get.* Lubido eſt. *St.* Iſtuccine mihi reſpondes?
Get. Hoc. non ego te floccifacio. *St.* Quid tu? cur auſa es alium te
Dicere amare hominem? *Ph.* Lubitum eſt. *St.* Ain' tandem? iſtuc primum experiar.
Tun' tantilli doni cauſſa, olerum, atque eſcarum, & polcarum,
Mœchum malacum, cincinnatum, umbraticolam, tympanotribam
Amas, hominem non nauci? *Get.* Quæ hæc res! meone hero tu, improbe,
Maledicere audes, fons vitii & perjurii? *St.* Verbum unum
Adde iſtoc; jam hercle ego te hic hac offatim conficiam. *Get.* Tange
Modo! jam ego te hic agnum faciam, & medium diſtruncabo. ſi tu
Ad legionem bellator clues, at ego in culina Ares.
Ph. Si æquom facias, adventores meos non incuſes: quorum mihi
Dona accepta & grata habeo; tuaque ingrata, quæ abs te accepi.
St. Tunc pol ego & donis privatus ſum, & perii. *Get.* Plane iſtuc eſt.
Quid nunc ergo hic odioſe es, confeſſus omnibus reus?
St. Perii hercle hodie, niſi hunc a te abigo. *Get.* Accede huc modo!
Adi huc modo! *St.* Etiam, ſcelus viri, minitare? quem ego
Offatim jam, jam, jam concipilabo. quid tibi huc ventio eſt?
Quid tibi hanc aditio eſt? quid tibi hanc notio eſt, inquam,
Amicam meam? emoriere ocyus, ſi manu niceris.
Get. Quid, manu nicerim! *St.* Fac, quod juſſi. mane! jam ego te hic
Offatim conficiam. *Get.* Occidi! optumum eſt: captio eſt! iſtam
Machæram longiorem habes, quam hæc eſt. ſed verum
Sine dum petere, ſiquidem belligerandum eſt tecum.
Ibo domum, ego tecum, bellator, arbitrum æquom ceperim.
Sed ego ceſſo me hinc amoliri, ventre dum ſalvo licet?

ACTUS II. SCENA VIII.

Phroneſium, Stratophanes.

Datin' ſoleas? atque me intro actutum ducite:
Nam mihi de vento miſeræ condoluit caput.
St. Quid mihi futurum eſt, cui duæ ancillæ dolent,
Quibus te donavi? jamne abiiſti? hem, ſic datur!
Quo pacto excludis? quæſo potin' planius,
Quam excluſus nunc ſum? pulchre ludificor. ſine!
Quantillo mihi opere nunc perſuaderi poteſt,
Ut ego hiſce ſuffringam talos totis ædibus.
Num quippiam avarum ut ad mores mulierum?
Poſtquam filiolum peperit, animos ſuſtulit:
Nunc, quaſi mihi dicat, nec te jubeo, nec veto
Introire in ædis. at ego nolo, non eo.
Ego faxo dicat me in diebus pauculis
Crudum virum eſſe. ſequere me hac. verbum ſat eſt.

ACTUS TERTIUS

SCENA I.

Strabax, Aſtaphium.

Rus mane dudum hinc ire me juſſit pater,
Ut bubus glandem prandio depromerem.
Poſt, illoc veni, quam advenit (ſi dis placet)
Ad villam argentum meo qui debebat patri,
Qui ovis Tarentinas erat mercatus de patre.

Quæ-

Quærit patrem. dico eſſe in urbe. interrogo,
Quid eum velit. homo crumenam ſibi de collo detrahit.
Minas viginti mihi dat. accipio libens.
Condo in crumenam. ille abiit: ego perperas minas
Oves in crumena hac in urbem detuli.
Fuit edepol Mars meo periratus patri:
Nam oves illius haud longe abſunt a lupis.
Nunc ego iſtos mundulos urbanos amaſios
Hoc ictu exponam, atque omnes ejiciam foras.
Eradicare eſt certum cumprimis patrem,
Poſt id locorum matrem. nunc hodie efferam
Ad hanc argentum, quam mage amo quam matrem meam.
Tat! ecquis eſt? nulla eſt? ecquis aperit hoc oſtium?
Aſt. Quid iſtuc alienum eſt, amabo, mi Strabax!
Qui non extemplo intres? anne oportuit
Ita, te quidem qui es familiaris? *St.* Ibitur;
Ne me morari cenſeas. *Aſt.* Lepide facis.

ACTUS III. SCENA II.

Stratilax, Aſtaphium.

MIrum videtur, ruri herilem filium
Strabacem non rediiſſe, niſi ſi clanculum
Collapſus eſt hic in corruptelam ſuam.
Aſt. Jam pol illic me inclamabit, ſi aſpexerit.
St. Nimio minus ſævos jam ſum, Aſtaphium, quam fui:
Jam non ſum TRUCULENTUS: noli metuere.
Quid vis? *Aſt.* Quid? tuam exſpecto TRUCULENTIAM.
St. Dic, impera mihi, quid vis, & quo vis modo.
Novos omnes mores habeo, veteres perdidi.
Vel amare poſſum, vel jam ſcortum ducere.
Aſt. Lepide mecaſtor nuntias. ſed dic mihi,
Habent? *St.* Paraſitum te fortaſſe dicere.
Aſt. Intellexiſti lepide, quid ego dicerem.
St. Heus tu! jam poſtquam in urbem crebrò commoveo,
Dicax ſum factus. jam ſum cavillator probus.
Aſt. Quid id eſt, amabo? iſtæcce ridicularia
Cavillationes vis fortaſſe dicere?
St. Ita, ut pauxillum differat a cavillulis.
Aſt. Sequere intro me, amabo, mea voluptas. *St.* Tene hoc tibi:
Rhabonem habeto, mecum ut hanc noctem ſies.
Aſt. Perii! rhabonem? quam eſſe dicam hanc belluam?
Quin tu arrhabonem dicis? *St.* A R facio lucri:
Ut Præneſtinis conia eſt ciconia.
Aſt. Sequere, obſecro. *St.* Strabacem hic opperiar modo,
Si ruri veniat. *Aſt.* Is quidem apud nos eſt hic Strabax:
Modo rure venit. *St.* Priuſne, quam ad matrem ſuam?
Heu edepol hominem nihili! *Aſt.* Anne autem, ut ſoles?
St. Immo nihil dico. *Aſt.* I intro, amabo: cedo manum.
St. Tene. in tabernam ducor devorſoriam,
Ubi male accipiar mea mihi pecunia.

ACTUS QUARTUS

SCENA I.

Dinarchus.

NEque gnatu 'ſt, neque progignetur, neque poteſt reperirier,
Cui ego nunc dictum aut factum melius quam Veneri velim.
Dii magni! ut ego lætus ſum, & lætitia differor! ita
Ad me magna nuntiavit Cyamus hodie gaudia:
Mea dona deamata acceptaque habita eſſe apud Phroneſium.
Cum hoc jam volupe 'ſt, tum hoc nimio magnæ melliniæ mihi:
Militis odioſa ingrataque habita. totus gaudeo.
Mea pila eſt: ſi repudiatur miles, mulier mecum perit.
Salvos ſum, quia pereo: ſi non peream, plane inteream.
Nunc ſpeculabor quid ibi agatur: quis eat intro, qui foras
Veniat: procul hinc obſervabo, meis quid fortunis fuat:
Quia nihil habeo, unum animos movit mihi, omnia agam precario.

ACTUS IV. SCENA II.

Aſtaphium, Dinarchus.

LEpide efficiam meum, hera, officium: vide intus modo ut tu tuum
Item efficias. ama, id quod decet, rem tuam: iſtum exinani.
Nunc dum iſti lubet, dum habet, tempus ei rei ſecundes:
Prome venuſtatem amanti tuam, ut gaudia compares.
Ego interim hic reſtitrix his præſidebo, iſte dum ſic faciat
Domum ad te exagogam: nec quemquam interim iſtoc ad vos,
Qui ſit odio, intromittam: tu perge, ut lubet. ludin' iſtos?
Din. Qui eſt iſte? eja! Aſtaphium, indica: qui perit? *Aſt.* Amabo, hiccine tu
Eras? *Din.* Moleſtuſne ſum? *Aſt.* Nunc magis quam fuiſti. nam niſi quid
Nobis uſu eſt, nobis moleſtus. ſed, obſecro, da mi operam, ut
Narrem quæ volo. *Din.* Nam quid eſt? num mea refert? *Aſt.* non mu. ſed
Intus, bolos quos dat! *Din.* Quid? amator novos quiſpiam?
Aſt. Integrum & plenum adorta eſt theſaurum. *Din.* Quis eſt? *Aſt.* Eloquar.
Sed tu taceto. noviſti tun' hunc Strabacem? *Din.* Quid ni?
Aſt. Solus ſummam habet hic apud nos. nunc is eſt fundus nobis.
Animo bono male rem gerit. *Din.* Perii hercle ego idem.
Aſt. Stultus es, qui facta infecta facere verbis poſtules.

Thetis

Thetis quoque etiam lamentando leſſum fecit filio.
Din. Non ego nunc intro ad vos mittar? *Aſt.* Qui dum quam miles magis?
Din. Quia enim plus dedi. *Aſt.* Plus enim es intromiſſus, cum dabas.
Sine viciſſim, qui dant operam, ob id, quod dant, operis utier.
Litteras didiciſti: quando ſcis, ſine alios diſcere.
Din. Diſcant, dum mihi argumentari liceat, ni oblitus ſiem,
Quod dedi. *Aſt.* Interea magiſter dum tu commentabere,
Volt interim illa itidem commentari. *Din.* Quid? *Aſt.* Rem accipere idemtidem.
Din. Dedi equidem hodie ei quinque argenti deferri minas,
Præterea unam in obſonatum. *Aſt.* Idem iſtoc delatum ſcio.
De eo nunc bene ſumus tua virtute. *Din.* Illine ut inimici mei
Bona iſtic edant? mortuum hercle me, quam ut id patiar, mavelim.
Aſt. Mavelim mihi inimicos invidere, quam me inimicis meis.
Nam invidere alii bene eſſe, tibi male eſſe, miſeria eſt.
Qui invident, egent: illi quibus invidetur, rem habent.
Stultus es. *Din.* Quid eſt? *Aſt.* Opperire. *Din.* Quid jam? *Aſt.* Quia pol mavelim.
Din. Non licet de obſonii *mna* me participem fieri?
Aſt. Si volebas participari, auferres dimidium domum.
Nam itidem hic ut Acherunti ratio accepti ſcribitur.
Intro accipimus: quando acceptum eſt, non poteſt ferri foras.
Bene vale. *Din.* Reſiſte. *Aſt.* Amitte, ſine. *Din.* Amitto intro. *Aſt.* Ad te quidem.
Din. Immo iſtoc ad vos. *Aſt.* *Immo* iri non poteſt. *Din.* nimium poteſt.
Experiri ſine. *Aſt.* Immo opperire. vis eſt experirier.
Dicam adeſſe, niſi occupata eſt. *Din.* Reſiſte, hem! *Aſt.* Fit fruſtra. *Din.* Redin',
An non? *Aſt.* Redeam. ſed vocat me, quæ in me plus poteſt. *Din.* Quam poteſt,
Uno verbo eloquar: Mittin' me intro? *Aſt.* Mendax es, abi.
Unum ajebas, ſed tria dixti verba, atque mendacia.
Din. Abiit: intro hinc ivit. ego ut hæc mihi patiar fieri?
Jam hercle ego tibi, illecebra, ludos faciam clamore in via:
Quæ advorſum legem accepiſti a plurimis pecuniam.
Jam hercle apud omnes magiſtratus faxo erit nomen tuum.
Poſt id, ego te manum injiciam quadrupli, venefica,
Suppoſitrix puerum. ego edepol jam tua probra aperibo omnia.
Nihili me! perdidi omne quod fuit. fio impudens.
Nec mihi adeſt tantillum penſi jam, quos capiam calceos.
Sed quid ego hic clamo? quid ſi me jubeat intromittier?
Conceptis, me non facturum, verbis jurem, ſi velit.
Nugæ ſunt! ſi ſtimulos pugnis cædis, manibus plus dolet.
De nihilo illi eſt iratti, quæ te non flocci facit.

Sed quid hoc eſt? pro di immortales! Calliclem video ſenem,
Meus qui athnis fuit, ancillas duas conſtrictas ducere,
Alteram tonſtricem hujus, alteram ancillam ſuam.
Pertimui, poſtquam una cura cor meum movit modo.
Timeo, ne malefacta antiqua mea nunc inveniam omnia.

ACTUS IV. SCENA III.

Callicles, Ancillæ, Dinarchus.

EGone tibi maledicam, aut tibi adeo male velim? ut animus meu 'ſt,
Propemodum expertæ eſtis, quam ego ſim mitis tranquillusque homo.
Rogitavi ego vos verberantes & pendentes ſimul:
Commemini, quo quidque pacto ſitis confeſſæ: ſcio.
Hic nunc volo ſcire eodem pacto, ſine malo fateamini.
Quamquam vos colubrino ingenio ambæ eſtis; edico prius,
Ne duplices habeatis linguas; ne ego bilingues vos necem:
Niſi ſi ad tintinnaculos vos voltis educi viros.
Anc. Vis ſubegit verum fateri; ita lora lædunt brachia.
Cal. At, ſi verum mihi eritis faſſæ, vinclis exſolvemini.
Din. Etiam nunc, quid ſit negotii, falſus incertuſque ſum:
Niſi quia timeo tamen. *Anc.* Ego nec, quid peccavi, ſcio.
Cal. Omnium primum divorſæ ſtate. hem ſic! iſtuc volo.
Neve inter vos ſignificetis, ego ero paries. loquere tu.
Anc. Quid loquar? *Cal.* Quid puero factum eſt, mea quem peperit filia,
Meo nepoti? capita rerum *mihi* expedite. *Anc.* Iſtæ dedi.
Cal. Jam tace. accepiſtin' puerum tu ab hac? *Anc.* Accepi. *Cal.* Tace:
Nihil moror præterea. ſatis eſt faſſa. *Anc.* Inficias non eo.
Cal. Jam livorem tute ſcapulis iſtoc concinnas tuis.
Conveniunt adhuc utriuſque verba. *Din.* Væ miſero mihi!
Mea nunc facinora aperiuntur, clam quæ ſperavi fore.
Cal. Loquere tu. qui dare te huic puerum juſſit? *Anc.* Hera major mea.
Cal. Quid tu? cur eum accepiſti? *Anc.* Hera mea rogavit me minor,
Puer ut afferretur, eaque ut celarentur omnia.
Cal. Loquere tu. quid eo feciſti puero? *Anc.* Ad meam heram detuli.
Cal. Quid eo puero tua hera fecit? *Anc.* Heræ meæ extemplo dedit.
Cal. Cui, malum, heræ? *Anc.* Duæ ſunt iſtæ. *Cal.* Cave tu, niſi quod te rogo, niſi
Ea quæ exquiro. *Anc* Mater filiæ dono dedit, inquam.
Cal. Plus quam dudum, inquam, loquere. *Anc.* Plus tu rogitas. *Cal.* Reſponde ocyus.
Quid illa, cui donatus eſt? *Anc.* Suppoſivit. *Cal.* Cui? *Anc.* Sibi.

Pro

Pro filiolo. *Cal.* Pro filiolo? Dii obſecro voſtram fidem!
Ut facilius alia, quam illa unde eſt, puerum alienum parit!
Hæc labore alieno puerum peperit ſine doloribus.
Puer quidem beatus! matres duas habet, & avias duas:
Jam metuo, patres quot fuerint. vide ſis facinus muliebre!
Anc. Magis pol hæc malitia pertinet ad viros, quam ad mulieres.
Vir illam, non mulier prægnatem fecit. *Cal.* Et idem ego iſtuc ſcio.
" Tu bona ei cuſtos fuiſti. *Anc.* PLUS poteſt, qui plus valet.
Vir erat, plus valebat, vicit: quod petebat, abſtulit.
Cal. Et tibi quidem hercle idem attulit magnum malum.
Anc. De iſtoc ipſa, etſi tu taceas, reapſe experta intellego.
Cal. Numquam te facere hodie quivi, ut, is quis eſſet, diceres.
Anc. Tacui. at nunc non taceo; quando adeſt; neceſſe eſt indicem.
Din. Lapideus ſum, commovere me miſer non audeo.
Res palam omnis eſt: meo illic nunc fiunt capiti comitia.
Meum illuc facinus, mea ſtultitia eſt. timeo, quam mox nominer.
Cal. Loquere, filiam meam quis integram ſtupraverit?
Anc. Video ego te, propter mala facta qui es patronus parieti.
Din. Neque vivus neque mortuus ſum: neque, quid nunc faciam, ſcio.
Neque ut hinc abeam, neque ut hunc adeam, ſcio: timore torpeo.
Cal. Dicin' an non? *Anc.* Dinarchus, cui illam prius deſpoponderas.
Cal. Ubi is homo eſt, quem dicis? *Din.* Adſum, Callicles! per tua obſecro
Genua, ut tu iſtuc inſipienter factum ſapienter feras,
Mihique ignoſcas, quod animi impos vini vitio fecerim.
Cal. Non places. in mutum culpam confers, quod nequit loqui.
Nam vinum, ſi fabulari poſſet, ſe defenderet.
NON VINUM *hominibus* moderari, ſed vino *homines* ſolent,
Qui quidem probi ſunt: verum, qui improbus eſt; ſive ſubbibit,
Sive adeo caret temeto, tamen ab ingenio improbu'ſt.
Din. Scio equidem, quæ nolo, multa mihi audienda obnoxia.
Ego tibi me obnoxium eſſe fateor: culpæ compotem.
Anc. Callicles, vide, quæſo, homini ne facias injuriam.
Reus ſolutus cauſam dicit. teſtes vinctos attines.
Cal. Solvite iſtas. agite, abite, tu domum, & tu autem domum:
Eloquere hæc heræ tuæ: puerum reddat, ſi quis eum petat.
Eamus, tu, in jus. *Din.* Quid vis in jus me ire? tu es Prætor mihi.
Verum te obſecro, ut tuam gnatam des mihi uxorem, Callicles.
Cal. Eumdem pol te judicaſſe quidem iſtam rem intellego:
Nam haud manſiſti dum ego darem illam: tute ſumpſiſti tibi:
Nunc habeas, ut nactus, verum hoc ego te multabo bolo:
Sex talenta magna a dote demam pro iſta inſcitia.
Din. Bene agis mecum. *Cal.* Filium iſtinc tuum te meliu'ſt repetere.
Cæterum uxorem, quam primum potes, abduce ex ædibus.
Ego adeo jam illi remittam nuncium affini meo:
Dicam, ut aliam conditionem filio inveniat ſuo.
Din. At ego ab hac puerum repoſcam, ne mox inficias eat.
Nihil eſt. nam ipſa hæc ultro, ut factum eſt, fecit omnem rem palam.
Sed nimium pol opportune ecce ab ſeſe egreditur foras.
Næ iſta ſtimulum longum habet, quæ uſque illinc cor pungit meum!

SCENA IV.

Phroneſium, Dinarchus, Aſtaphium.

BLITEA & lutea eſt meretrix, niſi quæ ſapit in vino ad rem ſuam.
Si alia membra vino madeant, cor ſit ſaltem ſobrium.
Nam mihi dividia eſt, tonſtricem meam ſic mulcatam male.
Ea dixit, eum Dinarchi puerum inventum filium.
Din. Ubi id audivit, quamquam penes eſt me ea omnis res & liberi.
Ph. Video eccum, qui manſtutorem me adoptavit bonis.
Din. Mulier, adſum: profectu'ſt. *Ph.* Quid agitur, voluptas mea?
Din. Non voluptas, aufer nugas. nihil ego nunc de iſtac re ago.
Ph. Scio mecaſtor quid velis, & quid poſtules, & quid petas.
Me videre vis, & me te amare poſtulas: puerum petis.
Din. Di immortales, ut planiloqua eſt! paucis ut rem ipſam attigit.
Ph. Scio equidem ſponſam tibi eſſe, & filium ex ſponſa tua:
Et tibi uxorem ducendam jam eſſe: alibi jam animum tuum.
Ut me quaſi pro derelicta ſis habiturus. ſed tamen
" COGITATO, MUS puſillus quam ſit ſapiens beſtia,
" Ætatem qui uni cubili numquam committit ſuam.
Quia, ſi unum oſtium obſideatur, aliud perfugium gerit.
Din. Otium ubi erit, de iſtis rebus tum amplius tecum loquar.
Nunc puerum redde. *Ph.* Imo amabo, ut hos dies aliquos ſinas
Eum eſſe apud me. *Din.* Minime. *Ph.* Jam amabo. *Din.* Quid opu'ſt? *Ph.* E re mea eſt.
Triduum hoc ſaltem, dum aliquo Miles circumducitur.
In eam rem, ſi quid habebo, tibi quoque etiam proderit.
Si auferes puerum, a Milite omnis tum mihi ſpes animam efflaverit.

Din. Factum cupio. nam re facere, ſi velim, non eſt locus.
Nunc puero utere, & procura: quia, unde procures, habes.
Ph. Multum amabo te ob iſtam rem mecaſtor. ubi domi metues malum,
Fugito huc ad me: ſaltem amicus mihi eſto manubiarius.
Din. Bene vale, Phroneſium! *Ph.* Jam me tuum oculum non vocas?
Din. Id quoque interim furatim nomen commemorabitur.
Ph. Numquid vis? *Din.* Fac valeas. operæ ubi mihi erit, ad te venero.
Ph. Ille quidem hinc abiit, abſceſſit: dicere hic quidvis licet.
"Verum eſt verbum, quod memoratur: UBI AMICI, " ibidem opus.
Propter hunc ſpes etiam ſe hodie tantum ...... ri militem:
Quem ego ecaſtor mage amo quam me, dum id, quod cupio, inde auſero.
Quæ cum multum abſtulimus, haud multum apparet, quod datum eſt,
Ita ſunt gloriæ meretricum. *Aſt.* Aha, tace! *Ph.* Quid eſt, obſecro?
Aſt. Adeſt puer. *Ph.* Sine eum ipſum adire huc! ſine, ſi is eſt modo.
Sine eum ipſum adire, ut cupit, ad me hac recta. ſi venerit,
Næ iſtum ecaſtor hodie aſtutis confexim fallaciis.

ACTUS QUINTUS.

Stratophanes, Aſtaphium, Phroneſium, Strabax.

EO mihi amare! fero ſupplicium damnis ad amicam meam.
Utut illud acceptum ſit, prius quod perdidi, hoc addam inſuper.
Sed quid? video heram atque ancillam ante ædeis. adeunda eſt hæc mihi.
Quid hic vos agitis? *Ph.* Ne me appella. *Strat.* Nimium ſævis! *Ph.* Sic *ſine*!
Potin' es, ut mihi moleſtus ne ſies? *Strat.* Quid, Aſtaphilitium, eſt?
Aſt. Merito ecaſtor tibi ſuccenſet. *Ph.* Egon'? atque iſti etiam parum
Male volo. *Strat.* Ego, mea voluptas, ſi quid peccavi prius,
Supplicium ad te hanc minam fero auri. ſi mihi rides, eſpice.
Ph. Manus vetat, priuſquam penes ſeſe habeat, quidquam credere.
Puero opu'ſt cibum: opus eſt matri autem, quæ puerum lavit;
Opus nutrici autem, utrem ut habeat veteris vini largiter,
Ut dies noctesque potet: opu'ſt igne, opus eſt carbonibus:
Faſciis opus eſt, pulvinis, cunis, incunabulis;
Oleum opus eſt, farina puero opus eſt: opu'ſt totum diem.
Numquam hoc uno die efficiatur opus, quin opus ſemper ſiet.
Non enim poſſunt militares pueri ſetanio educier.

Strat. Reſpice ergo! accipe hoc, qui iſtuc efficias opus.
Ph. Cedo!
Quamquam parum eſt. *Strat.* Addam minam adhuc iſtic poſtea. *Ph.* Parum eſt.
Strat. Tuo arbitratu, quod jubebis, id dabitur. da nunc ſavium.
Ph. Mitte me, inquam, odioſus. *Strat.* Nihil fit: non amor. teritur dies.
Plus decem pondo amoris pauxilliſper perdidi.
Ph. Accipe hoc, atque auferto intro. *Strab.* Ubi mea amica eſt gentium?
Neque ruri, neque hic operis quidquam facto: corrumpor ſitu;
Ita miſer cubando in lecto hic exſpectando obdurui.
Sed eccam video. heus amica mi! quid agis? *Strat.* Quis illic homo?
Ph. Quem ego mecaſtor magis amo, quam te. *Strat.* Quam me? quomodo?
Ph. Hoc modo, ut moleſtus ne ſies. *Strat.* Jam abis, poſtquam aurum habes?
Ph. Condidi intro, quod dediſti. *Strab.* Ades amica! te alloquor.
Ph. At ego ad te ibam. *Strab.* Ad me, delicia? *Ph.* Hercle vero ſerio.
Strab. Quamquam ego tibi videor ſtultus, gaudere aliqui me volo.
Nam quamquam es bella, malo tuo es, niſi tuo ego aliqui gaudeo.
Ph. Vine te amplectar, & ſavium dem? *Strab.* Quidvis face, gaudeam.
Strat. Meoſne ante oculos ego illam patiar alios amplexarier?
Mortuum hercle me duco ſatius, abſtine hoc, mulier, manum!
Niſi ſi te mea manubia machæra & hunc vis emori.
Ph. Nihil φλυαρεῖν ſatius eſt, miles. ſi te amari poſtulas,
Auro, haud ferro deterrere potes, ne amet, Stratophanes.
Strat. Qui (malum!) bella aut faceta es, quæ ames hominem iſtimodi?
Ph. Venitne in mentem tibi, quod verbum in cavea dixit hiſtrio:
" OMNES HOMINES ad ſuum quæſtum callent, & " faſtidiunt.
Strat. Hunccine hominem te amplexari, tam horridum atque ſqualidum?
Ph. Quamquam hic horridu'ſt, quamquam hic ſqualidu'ſt; ſcitus bellum init.
Strat. Dedin' ego aurum? *Ph.* Mihi? dediſti filio cibaria.
Strab. Nunc, ſi hanc tecum eſſe ſperas, alia opu'ſt auri mina.
Strat. Malam rem his & magnam! *Strab.* Magno opere ſerva tibi viaticum.
Quid iſta debet, niſi tria? *Strat.* Quæ tria nam? *Strab.* Unguenta, noctem, ſavium.
Ph. Par pari reſpondet. verum nunc ſaltem ſi amas, mihi
Da tu de tuis deliciis, ſummis quid pauxillulum.
Strat. Quid? id ais, amabo! eſt quod dem. dicdum! ſi ſuperet, feres.
Ph. Campas dicis: abi, abi! conſultavi iſtuc. *Strab.* mihi homo
Cave faxis volnus, tibi jam cui ſunt dentes ferrei.
Vulgo ad ſe omnes intromittit: abſtine iſtac tu manum.

Strab. Jam hercle, jam magno tu vapula vir ſtrenuus.
Strat. Dedi ego huic aurum. *Strab.* At ego argentum.
Strat. At ego pallam & purpuram.
Strab. At ego oves, & lanam: & alia multa, quæ poſcet, dabo.
Melius te minis certare mecum quam minaciis.
Ph. Lepidus ecaſtor mortalis! Strabax mi, perge obſecro.
"STULTUS atque inſanus damnis certant: nos ſalvæ "ſumus.
Strat. Age prior, tiro, da aliquid. *Strab.* Imo tu prior perde, & peri.
Strat. Hem tibi talentum argenti! Philippicum eſt, tene tibi.
Ph. Tanto melior! noſter eſto; ſed de veſtro vivito.
Strat. Ubi eſt, quod tu das? ſolve zonas. *Ph.* Provocatur.
Strat. quid times?
Strab. Tu peregrinus *es*: hic habito: timeo meos. non ego ambulo.
Pecua ad hanc ego in crumina obligata defero.
Strat. Quid dedi? ut diſtrinxi hominem! *Strab.* Imo ego vero, qui dedi.
I nunc intro, amabo, & tu ergo hac mecum. *Strat.* Tu eris mecum quidem.
Strab. Quid tu, quid ais? cum hoccine? *Strat.* Ego poſterior dedi.
Ph. Tu dediſti, *hic* jam daturus eſt: iſtuc habeo, hoc expeto.
Verum utrique mos geratur amborum ex ſententia.
Strat. Fiat! ut rem gnatam video, hoc accipiundum eſt, quod datur.
Strab. Meum quidem te lectum certe occupare non ſinam.
Ph. Lepide mecaſtor aucupavi, atque ex mea ſententia:
Meamque ut rem bene geſtam, veſtram rurſus bene geram.
Verum amabo, ſi quid animatu's facere, fac jam ut ſciam.
Veneris cauſa applaudite: ejus hæc in tutela eſt Fabula,
Spectatores: bene valete, PLAUDITE, atque exſurgite.

Finis Truculenti.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI.

Fragmenta ex Comædiis amiſſis.

ACARI STUDIUM.

Nonius Marcellus in Pauperavit.

QUam ego tanta pauperavi per dolum pecunia.

ABROICUS.

Non. & Feſtus in Clunes, ſed abſque nomine.

QUaſi Lupus ab armis valeo: clunes infractos gero.

ADDICTUS.

Interpres Virgilii.

OPus facere nimio quam dormire mavolo: veternum metuo.

ARTAMON.

Feſtus in Superſtites.

NUnc mihi licet quidvis loqui: nemo adeſt ſuperſtes.

Feſtus in Nautea.

UNguentum, quod naribus mulionum nauteam feciſſet.

ASTRABA.

LATINE CLITELLARIA.

Varro de L. L. lib. V.

SEquere, ſequere, Polybadiſce. meam ſpem te cupio conſequi.
Polyb. Sequor hercule quidem. nam lubenter, mea ſperata conſequor.

Varro de L. L. lib. VI.

AXitioſæ annonam caram e vili concinnant viris.

Nonius in Exterebrare.

TErebratum quid pertundis?

Feſtus in Subſcudes.

TErebratus multum ſit, & ſubſcudes addite.

Nonius in Protinam.

DAre pedibus protinam ſeſe ab his regionibus.

Agellius lib. II. cap. VII. & Non. cap. II.

APluda furfur frumenti.

Feſtus in Reciprocare.

NOn quaſi, ut hæc ſunt heic limaces lividæ
Diobolares, Scenicolæ, miraculæ,
Cum extritis talis, cum crotilis cruſculis,
Capillo ſciſſo, atque exciſſatis auribus.

. . . . . Quaſi Tolleno, vel
Pilum Græcum reciproces plana via:
Quæ niſi ſic biteris nimium in vegrandi gradu.

Non. in Curſus.

POl ad cubituram, mater, mage ſum exercita.
Reliquum, ad curſuram ſum tardiuſcula.

Fulgentius de continentia Virgiliana.

QUid? tuam Amicam times? ne te manulea cajet?

Non. in Altile.

PRohibet divitiis maxumis, dote altili, atque opima.

Non. in Ravis.

EXpurgabo hercle omnia ad raucam Ravim.

Non. in Angiportus.

QUæ quaſi Carnuficis Angiporta purgitans.

Non. in Proſtibula.

INtro ad bonam meretricem: adſtat ea in via
Sola: proſtibula ſane eſt.

Non. in Opus.

MAlum aufer: bonum mihi opus eſt.

Non. iterum ex Ciſtellaria.

MEminere officium ſuum.

Agellius lib. VII. cap. VII. ex Ciſtellaria.

POtin' es tu, homo, facinus facere ſtrenuum?
Aliorum eſt, affatim qui faciant. ſane ego
Me volo fortem perhiberier virum.

Priſcianus lib. III.

TUn', tune igitur, mea Matercula?
Germana mea ſororcula.
Si quidem imperes pro copia, pro recula.

Priſcian. lib. III.

DAtores belliſſumi, negotioli ſenecis ſoletis eſſe.

Priſcian. lib. III.

ADhinnire equulam poſſim ego hanc, ſi detur ſola ſoli.

Non. in Muſtulentum.

NAm ita muſtulentus æſtus nares attigit.

BACCHARIA.

Macrob lib. II. Saturnal cap. XII.

QUis eſt mortalis tanta fortuna affectus umquam,
Quam ego nunc ſum? cujus hæc ventri portatur pompa.
Vel nunc, qui mihi in mari acipenſer latuit antehac,
Cujus ego latus in latebras reddam meis dentibus, & manibus.

BIS-COMPRESSA BOEOTIA.

Agellius lib. III. cap. III.

UT illum Dii perdant, primus qui horas repperit,
Quique adeo primus hic ſtatuit ſolarium,
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem.
Nam me puero uterus hic erat ſolarium
Multo omnium iſtorum optumum, & veriſſumum.
Ubi iſte monebat eſſe: niſi cum nihil erat.
Nunc etiam quod eſt, non eſt niſi Soli lubet.
Itaque adeo jam oppletum eſt oppidum ſolariis.
Major pars populi aridi reptant fame.

CACISTUS.

Fulgentius Placiades in Oria.

MAlo hunc alligari ad oriam,
Ut ſemper piſcetur, etſi ſit tempeſtas maxuma.

CALCEOLUS.

Macrob. lib. II. Saturn. cap. XIV.

MOlluſcam nucem ſuper ejus dixit impendere tegulas.

CARBONARIA.

Priſcian. lib. X.

SEcundum ipſam aram aurum abſcondidi.

Feſtus Pompejus in Spectile.

ESto pernam, ſumen ſueris, ſpectile, callum, glandia.

Nonius in Patibulum.

PAtibulus ferar per urbem, deinde affigar cruci.

CHRYSALUS

Cæcus ſive Prædones. Chariſ. Lib. II.

NIhil quidquam factum, niſi fabre, nec quidquam poſitum ſine luco, auro, ebore, argento, purpura, picturis, ſpoliis, tum ſtatuis.

Chariſ. ibid.

NEque eam a me invito umquam abduces.

Chariſ. ibid.

SPectavi laudes magnifice, atque opulenter.

Chariſ. ibid.

PLure altero tanto, quanto ejus fundus eſt, velim.

Chariſ. ibid.

ITa ſunt Prædones: prorſus parcunt nemini.

Chariſ. ibid.

PEregre eſt.

Chariſ. ibid.

VElim te arbitrari factum. R. ſedulum eſt.
Submoventur hoſtes, removentur lapides.

Chariſ. ibid.

SI non ſtrenue fatetur, ubi ſit aurum, membra ejus exſecemus ferra.

Chariſ. ibid.

NIhil feci ſecus, quam me decet.

Chariſ. ibid.

QUis tu es? qui ducis me. mu! perii hercle. Afer eſt.

COLAX.

Nonius in Batiola.

BAtiolam auream octo pondo habebat. accipere noluit.

COMMORIENTES.

Priſcian. lib. VI.

. . . . SAliam in puteum præcipes.

CONDALIUM.

Varro lib. VI. L. L.

TAm crepuſculo fere, ut amens, lampadas accendit.

Feſtus Pompejus in Pro.

PRo!

CORNICULARIA.

Diomedes lib. I.

FAcite olant ædes Arabice.

Varr. L. L. lib. VI.

QUi regi latrocinatus decem annos Demetrio.

Nonius in Latrocinari.

LAtrocinatus decem annos mercedem.

Nonius in Luculentum.

PUlcrum & luculentum hodie evenit prælium.

Nonius in Pileus.

TE obſecro, Lyde; Pileum meum, mi ſodalis, mea ſalubritas.

Varro lib. IV. L. L.

QUid ceſſamus ludos facere. Circus noſter ecce adeſt.

Nonius in Oculitus.

QUi amant ancillam meam Hedylium oculitus.

Nonius in Laverna.

LItavam Lavernam, ni furis ſceleraſcit manus.

DISCO

DYSCOLUS.

Feſtus Pom. in Nupta verba.

VIrgo ſum: nondum didici verba nupta dicere.

FŒNERATRIX.

Feſtus Pomp. in Vapula Pap.

HEus tu! in Barbaria quod dixiſſe dicitur
Liberta ſuæ Patronæ, id ego dico tibi:
Liberta ſalve; Vapula, Papyria.

Diomed. lib. I.

QUæ ego populabo probe.

FRETUM.

Agell. lib. III. cap. III.

.... HOc illud eſt
Quod arietini reſponſum magnis ludis dicitur:
Peribo, ſi non fecero: ſi ſaxo, vapulavero.

FRIVOLARIA.

Chariſ. lib. II.

COmmodo dictitemus.

Priſcian. lib. VI.

IS mihi erat bilis, aqua, intercus, tuſſis, febris querquera.

Feſtus in Sultis, & in Subſidium.

Varro L. L. lib. IV.

.... SEquimini hac
Sultis, legiones omnes Lavernæ. ubi Rorarii
Eſtis? en ſunt. ubi ſunt accenſi? ecce!
Agito; ſubſidite omnes, quaſi ſolent Triarii.

Feſtus in Navus.

NAve agere oportet, quod agas, non ductarie.

Nonius in Præfica.

SUperaboque omnes argutando præficas.

Feſtus in Sororiare.

... TUnc papillæ primitus
Fraterculabant: illud volui dicere;
Sororiabant. quid opus eſt verbis?

Feſtus in Strebula.

STrebula agnina tene.

Priſcian. lib. V.

O Amice, ex multis mihi une, Cephalio!

FUGITIVEI.

Varro L. L. lib. VI.

AGe, age, ſpecta. vide vibices quantas!
Pol jam inſpexi. quid eſt?

GASTRΩN.

Varro lib. VI. L. L.

CAro ſtrebula, vitellina eſt: cœnabis.

HORTULUS.

Feſtus in Sub corona ven.

PRæco ibi adſit cum corona: quique liceat, veneat.

LENONES-GEMINI.

Priſcian. lib. VI. Feſtus quoque in Puelli.

DOlet hic puellus, ſeſe venum ducier.

MEDICUS.

Non. in Conſpicillum.

IN Conſpicillo adſervabam: pallium obſervabam.

Non. in Caſeus.

PAraſito cum virgis caſeum radi poteſt.

Non. in Lopades.

ADdite lopades, echinos, oſtreas.

Priſcian. lib. X.

DOmi reliqui exoletam Virginem.

NERVOLARIA.

Varro L. L. lib. V.

SCobinam ego lima actutum adraſi.

Varro ex Actio profert ibidem.

SCrantiæ, ſcrupedæ, ſtrictivellæ, tantulæ.

Feſtus in Mœnia.

PRohibent, quom mœnia aliunde ego fungor mea.

Feſtus in Prodegeris.

POlluĉte prodigum eſſe amatorem addecet.

Feſtus in Subigere.

VInum ſubleſtiſſimum.

Feſtus in Ocyſſime.

OCyſſume nos liberi poſſimus fieri.

Feſtus in Oſculana.

OSculum. ſat eſt oſculi mihi. qui amabo, mi Pater?
Quod inter cognatos, propinquoſque inſtitutum
Ab antiquis eſt, maximeque feminas.

Non. in Inſanum.

INſanum valde uterque deamat.

Feſtus in Naſiterna.

ECquis huc affert naſiternam cum aqua ſine ſuffragio populi.

PARASITUS PIGER SIVE LIPARGUS.

Varr. L. L. lib. VI.

INde hic bene appotus primulo crepuſculo
Domum ire cœpit tramite recta via.

Feſtus in Naucum.

AMbo magna laude lauti, poſtremo ambo ſumus non nauci.

Priſcian. lib. X.

NIhil moror mihi fucum in alveo, apibus qui peredit cibum.

PA-

PATINA, SIVE PATINARIA.

Feſtus in Remeligines.

QUid illæ nunc tamdiu intus remorantur remeligines?

PHAGΩN.

Varr. lib. VI.

HOnos Syncerasto perit.

PHASMA.

Feſtus in Nec, ſed extat Moſtell, 1. 3. v. 83.

NEc-recte ſi illi dixeris.

Feſtus in Supereſcit, ſed extat Moſtell. 3. 2. v. 40.

EHo! tandem percipio ſuper rebus noſtris loqui te.

PLOTINUS.

Non. in Petilum.

NAm coloratam frontem habet, petilis labris.

SATURIO.

Feſtus in Nequitum.

REtrahi nequitur, quoquo progreſſa eſt ſemel.

Feſtus in Rienes.

MAle tibi eveniſſe video, qui glaber erat, tamquam rien.

Feſtus in Succenturiare.

SUccenturia; centum require qui te delectent domi.

SCHEMATICUS.

Non. in Limare.

..... QUom illac numquam limavi caput.

SCYTHA-LITURGUS.

Varro Lib. VI. L. L.

MUlieres, uxor. quoja, vir? ego novi, ſcio. Axioſa es.

Feſtus in Valgos, at vero hodie reperiuntur in Milite 3. 1. v. 126.

TUm ne uxor mihi inſignitos pueros pariat poſtea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum, aut brocchum Filium.

SYRUS.

Feſtus in Succrotilla.

CUm extortis talis, cum todellis, cruſculis.

TRIGEMINI.

Agell. lib. VII. cap. IX.

NI fugiſſem, medium, credo, præmorſiſſet.

VIDULARIA.

Nonius in Expalpare.

NUnc ſervos argentum a Patre expalpabitur.

Non. in Pedis.

UBi quamque pedem videbat, ſuffurabatur omnis.

Nonius in Contendere.

SIgnum recte comparebat: hujus contendi annulum.

Non. in Exultari.

QUid multa verba? plurimum luctavimus.

Priſcian. lib. VI. & Non. in Redibo.

ANimum advortite ambo, ſi voltis, vidulum hic apponite.
Ego ſervabo, quaſi ſequeſtro detis: neutri reddibo, donicum
Res judicata erit hæc. haud fugio ſequeſtrum.

Priſcian. lib. VI.

INopiam, luctum, mærorem, paupertatem, algum, famem.

Priſcian. lib. VII.

EJuſdem Bacchæ fecerunt noſtram navim Pentheum.

Priſcian. lib. VII.

IMmo id, quod hæc noſtra eſt patria, & quod hic meus eſt
Pater, illic autem Soterinis eſt pater.

Priſcian. lib. X.

NUnc ut apud ſequeſtrum Vidulum poſivimus.

Priſcian. lib. X.

DIc mihi, ſi audes; quis ea eſt, quam vis ducere uxorem.

Priſcian. lib. IV.

NEſcio qui ſervos e mirteta proſiluit.

Priſcian. lib. V.

PAupera hæc res eſt.

Priſcian. lib. V.

OPpoſita eſt Claxendix: at ego dicam, ſigni quid ſit.

Fulgentius Placiades in Culleus.

JUbe hunc inſui culleo,
Atque in altum deportari, ſi vis annonam bonam.

Non. in Icit.

IBi, ut piſcabar, fuſcina ici Vidulum.

Junius Philargyrus ad Eclog. II. Virg.

NAm audivi feminam ego leonem ſemel parire.

Non. in Mendicarier.

MAlim moriri meos, quam mendicarier.

Non. ibid.

BOni miniſtrantur, illum nunc irrident mali.

EX AMISSIS FABULIS INCERTO NOMINE.

Varr. lib. VI. L. L.

EPeum fumificum, qui legioni noſtræ habet coctum cibum.

Varro lib. VI. L. L.

OGgannuit odioſus omni totæ familiæ.

Feſtus in Curriculo.

LIcet vos abire curriculo.

Feſtus in Corius.

JAm tibi tuis meritis craſſus corius redditus eſt.

Feſtus in Crumina.

DI bene vortant! tene cruminam. in ea erunt triginta minæ.

Feſtus in Citior.

NUllam ego rem citiorem apud homines eſſe, quam famam, reor.

Feſtus

Feſtus in Canitudo.

STultus eſt advorſus ætatem, & capitis canitudinem.

Feſtus in Cæcultant.

NUm nam mihi oculi cæcultant. eſtne hic noſter Hermio?

Feſtus in Ejuratio.

EJuravit militiam.

Feſtus in Fiber.

SIc me ſubis cottidie, quaſi fiber ſalicem.

Feſtus in Herbam.

HErbam do.

Feſtus in Iniit.

INiit te umquam febris?

Feſtus in Muneralis lex.

NEque muneralem legem, neque lenoniam,
Rogata fuerit, nec ne, floccid' æſtumo.

Feſtus in Nervum.

PErfidioſe captus, edepol nervo cervices probas.

Feſtus in Narita.

MUriatica autem video in vaſis ſtagneis:
Bonam naritam, & camarum, & tagenia:
Echinos fartos, conchas piſcinarias.

Feſtus in Navalis ſcriba.

NOn ego te novi, navalis ſcriba, Columbar impudens?

Feſtus in Perſibus.

NIhil deconciliares illi, niſi quid Perſibus ſapis.

Feſtus in Subverbuſtam.

SAcrum, an profanum habeas, parvi-penditur.

Feſtus in Subverbuſtam.

ULceroſam, compeditam, ſubverbuſtam, ſordidam.

Nonius in Glis.

GLirium examina.

Non. in Legere.

HInc ex occulto ſermonem ejus ſublegam.

Non. in Frendere.

NEc, Machæra, audes dentes frendere.

Fulgentius in Flocci.

FLocci pendo, quid rerum geras.

Interpres Terent. ad Phorm.

ARgentum hinc facite.

Interpres Terent. ad Adelph.

CLandeſtina ut celetur conſuetudo.

Philargyrus ad IV. Georg.

PRoperant prandium.

Philargyrus, ibid.

QUam folles taurini habent, cum liqueſcunt petræ, ferrum ubi fit.

Incerto Auctore.

NOn hic ut poſſit, edit: ſed poſſe cupit, ut edat.

Donatus in Hecyra Teren.

FOrtaſſe ſe amare ſuſpicavere.

Donatus ad Andr. Act. I. Sc. I.

INſtare factum.

Diomedes lib I.

EGone illi venear?

Chariſius lib. II.

INimicus eſto, donicum ego revenero.

Chariſius ibid.

PEdibus.

Servius ad I. Æneid.

COrpus tuum virgis ulmeis inſcribam.

Servius ad I. Æneid.

NUmquam ad civitatem venio, niſi cum infertur peplum.

Servius ad III. Æneid.

SCelerare manus.

Servius ad VI. Æneid.

IPſa ſibi avis mortem creat.

Servius ad VI. Æneid.

PRo larvato te circumferam.

Servius ad XII. Æneid.

PAupera hæc eſt mulier.

Diomedes lib. I.

SI quæ forte concio eſt; ubi eum hietare nondum in mentem venit.

Interpres Horatii lib. II. Sat. V. v. X.

CIlix, Lyciſce, Soſia, Stiche, Parmeno,
Exite; & ferte fuſteis privos in manu.

Porphyr. ad Horat. de Anu dormituriente.

ANus hæc in pellis periculum protenditur.

Phocas Gramm.

CEtte pro cedite.

Macrob. lib. V. cap. XIX.

MEcum habet patagus, morbus, æs.

Agellius lib. XVIII. cap. XII.

QUid eſt hoc? rugat pallium. amictus non ſum commode.

Agellius ibid.

. . . Exi tu, Dave.
Age, ſparge. mundum eſſe hoc veſtibulnm volo.
Venus ventura eſt noſtra. Non hoc pulveret.

Feſtus in Regieſcit.

REgieſcit.

Feſtus in Pullaria.

PUllaria.

Feſtus in Veſperna.

VEſperna.

EX COMŒDIIS

Quæ extant, ſed quæ nuſquam comparent.

AMPHITRUONE.

Nonius in Aula.

OPtimo jure infringatur aula cineris in caput.

Nonius in Matella.

NE tu poſtules matellam unam tibi aquæ infundi in caput.

Non. in Occupatus.

HErus Amphitruo occupatus.

Non. in Cerriti & Advenire.

QUæ re adveniente morbo nunc medicum tibi.
Enim tu certe aut larvatus aut cerritus es.
Edepol hominem te miſerum! medicum quærita.

Non. in Vulgare.

QUoique me abſente corpus volgavit ſuum.

Non. in Decernere.

QUi nequeas noſtrorum uter ſit Amphitruo, decernere.

Non. in Autumare.

NIſi hoc ita factum eſt, proinde uti factum eſſe autumo.
Non cauſam dico. verum qui inſimules probri?

Non. in Furtum.

MAnifeſtum hunc obtorto collo teneo furem.

Non. in Scrobes. Item Priſcian. lib. VII, lib. V. Serv. lib. II. Georg.

Ibi ſcrobes effodito duplos ſexagenos in dies.

ASINARIA.

Non. in Famoſus.

QUi etiam me miſerum famoſum flagitiis facit ſuis.

Non. in Gerræ.

HEic aderit, credo, congerro meus.

Non. in Perniciis.

PElle crebris perniciis.

AULULARIA.

Non. in Diu.

NEc noctu, nec diu quietus umquam eam: nunc dormiam.

Non. in Ebriacus.

HOmo ebriolatus ſomno ſanari ſolet.

Non. in Halec.

QUi mihi olera cruda ponunt, halec danunt.

Non. in Scrobes.

EGo ecfodiebam in die denos ſcrobes.

Non. in Pervico.

HIc quidem pervicus cuſtodem addidit.

Non. in Strophium.

PRo illis crocotis, ſtrophiis, ſumptu uxoris.

Agell. lib. VII. cap. IX.

UT admemordi hominem.

Porphyrio ad Horat. lib. II. Od. XXXVIII.

MYrta, & Myrtum.

CAPTEIVEI.

Non. in Pileum.

PIleum, quem habuit, deripuit, eumque ad cælum tollit.

CURCULIO.

Fulgentius in Auctio.

AUctionem facio paraſiticam.

CASINA.

Non. in Defloccare.

PErii! illic habebit flocco jam homo lumbos meos.

Non. in Suſſerre.

INtro ad uxorem, ſuſſeramque meum tergum ob injuriam.

EPIDICUS.

Chariſius lib II.

IN latebras condas pectori penitiſſume.

BACCHIDES.

Servius ad Æneid. VI.

ILla mea cognominis fuit.

Donatus ad Terent.

....NAm & ex mari timida ecce ego
Pavitare....

Non. in Modicum, & Chariſ. lib. II.

QUibus ingenium animi utibile, eſt modicum, & ſine vernilitate.

Feſtus in Naſiterna.

ECquis evocat cum naſiterna, & cum aqua, illum impuriſſimum?

Non. in Exercitum, & Chariſ. lib. II.

QUæ ſodalem atque me exercitos habet.

Non. in Excantare, & Chariſ. ad Eclog. VIII.

NAm tu quidem cuivis excantare cor facile potes.

Non. in Sævitudo.

VIncla, virgæ, mole ſævitudo mala ſit pejor.

Non. in Suavitudo.

COr meum, ſpes mea, mel meum, ſuavitudo, cibus, gaudium.

Non. in Limaces.

LImaces viri.

Non in Cupido, & Serv. ad IV. Æneid.

CUpido te conficit? anne amor?

Non. in Opino.

PRæneſtinum opino eſſe: ita erat glorioſus.

Non. in Limare.

NEc a quoquam alio acciperes mercedem annuam.
Niſi ab ſeſe: nec cum quiquam limares caput.

Chariſ. lib. II.

SIn lenocinium forte conlubitum eſt tibi,
Videas mercedis quid tibi eſt æquom dari,
Ne iſta ætate me ſectere gratiis.

Chariſ. ibid.

ULyſſem audivi fuiſſe ærumnoſiſſimum.
Qui annis viginti errans a patria abſuit.
Verum hic adoleſcens multo Ulyſſem anteit,
Qui illico errat intra muros civicos.

MOSTELLARIA.

Servius ad Æneid. I.

SIne juxta aram ſedeam, & dabo meliora conſilia.

MILES GLOR.

Fulgentius.

ITa nos, noſtramque familiam habes exercitam.

Non. in Modicum.

MOdice ſapis.

PSEUDOLUS.

Servius ad I. Æneid.

NIſi carcerem aliquando effregeritis, voſtram domum.

PÆNOLUS.

Charis. lib. II.

IMportuna avis venit veſperi.

RUDENS.

Non. in Murmurillum.

QUid murmurillas tecum? & te diſcrucias?

Diomed. lib. I.

AUlas abſtulas.

STICHUS.

Chariſ. lib. II.

NOnne hoc Publicitus.

TRINUMMUS.

Non. in Fulmentum.

FUlmentas jubeam ſuppingi ſoccis.

TRUCULENTUS.

Priſcian. lib. II.

BOna perdidi, mala repperi: factus ſum extimus a vobis.

Non. in Cœpere.

DUm abeam quodam, & ubi nihil cœpiam.

P. TE-

PUBLII TERENTII AFRI COMŒDIÆ.

A N D R I A

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS M. FULVIO ET M. GLABRIONE ÆDILIBUS CURULIBUS. EGERUNT L. AMBIVIUS TURPIO, L. ATTILIUS PRÆNESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDII, TIBIIS PARIBUS, DEXTRIS ET SINISTRIS. ET EST TOTA GRÆCA. EDITA M. MARCELLO, C. SULPICIO COSS.

P E R S O N Æ.

PROLOGUS.

Simo, *ſenex.*
Sosia, *ſervus.*
Davus, *ſervus.*
Mysis, *ancilla.*
Pamphilus, *adoleſcens.*
Charinus, *adoleſcens.*
Byrrhia, *ſervus.*
Lesbia, *obſtetrix.*
Glycerium, *alias* Pasibula, *Chremetis filia.*
Chremes, *ſenex.*
Crito, *hoſpes.*
Dromo, *ſervus.*

PERSONÆ MUTÆ.

Servi, *Simonis opſonia portantes.*
Archillis, *ancilla.*

ARGUMENTUM.

C. SULPICIO APOLLINARI AUCTORE.

*SORO**REM falſo creditam meretriculæ,*
Genere Andriæ, Glycerium vitiat Pamphilus.
Gravidaque facta, dat fidem, uxorem ſibi
Fore hanc: nam aliam pater ei deſponderat,
Gnatam Chremetis; atque ut amorem comperit,
Simulat futuras nuptias, cupiens, ſuus
Quid haberet animi filius, cognoſcere.
Davi ſuaſu non repugnat Pamphilus:
Sed ex Glycerio natum ut vidit puerulum
Chremes, recuſat nuptias, generum abdicat.
Mox filiam Glycerium inſperato agnitam,
Dat Pamphilo hanc, aliam Charino conjugem.

P R O L O G U S.

POeta cum primum animum ad ſcribendum appulit,
Id ſibi negoti credidit ſolum dari,
Populo ut placerent, quas feciſſet fabulas.
Verum aliter evenire multo intelligit.
Nam in prologis ſcribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, ſed qui malevoli
Veteris poetæ maledictis reſpondeat.
Nunc, quam rem vitio dent, quæſo, animum advortite.
Menander fecit Andriam & Perinthiam:
Qui utramvis recte norit, ambas noverit:
Non ita ſunt diſſimili argumento, ſed tamen
Diſſimili oratione ſunt factæ ac ſtylo.
Quæ convenere, in Andriam ex Perinthia
Fatetur tranſtuliſſe, atque uſum pro ſuis.
Id iſti vituperant factum: atque in eo diſputant,
Contaminari non decere fabulas.
Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant:
Qui cum hunc accuſant, Nævium, Plautum, Ennium
Accuſant, quos hic noſter auctores habet:
Quorum æmulari exoptat negligentiam
Potius, quam iſtorum obſcuram diligentiam.
Dehinc ut quieſcant, porro moneo, & deſinant
Maledicere, malefacta ne noſcant ſua.
Favete, adeſte æquo animo, & rem cognoſcite,
Ut pernoſcatis, ecquid ſpei ſit reliquum,
Poſthac, quas faciet de integro comœdias,
Spectandæ, an exigendæ ſint vobis prius.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Simo, Soſia.

VOs iſtæc intro auferte: abite. Soſia,
Adeſdum, paucis te volo. *Soſ.* Dictum puta:
Nempe ut curentur recte hæc. *Sim.* Immo aliud. *Soſ.* Quid eſt,
Quod tibi mea ars efficere hoc poſſit amplius?
Sim. Nihil iſtac opus eſt arte ad hanc rem, quam paro:
Sed his, quas ſemper in te intellexi ſitas,
Fide & taciturnitate. *Soſ.* Exſpecto, quid velis.
Sim. Ego poſtquam te emi a parvolo, ut ſemper tibi
Apud me juſta & clemens fuerit ſervitus,
Scis: feci, e ſervo ut eſſes libertus mihi,
Propterea quod ſerviebas liberaliter,
Quod habui ſummum pretium perſolvi tibi.
Soſ. In memoria habeo. *Sim.* Haud muto factum. *Soſ.* Gaudeo,
Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat, Simo: &,

Id gratum fuiſſe advorſum te, habeo gratiam.
Sed mi hoc moleſtum eſt: nam iſtæc commemoratio
Quaſi exprobratio eſt immemoris benefici.
Quin tu uno verbo dic, quid eſt, quod me velis.
Sim. Ita faciam. hoc primum in hac re prædico tibi:
Quas credis eſſe has, non ſunt veræ nuptiæ.
Soſ. Cur ſimulas igitur? *Sim.* Rem omnem a principio audies.
Eo pacto & gnati vitam, & conſilium meum
Cognoſces, & quid facere in hac re te velim.
Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis, Soſia,
Liberius vivendi fuit poteſtas: nam antea
Qui ſcire poſſes, aut ingenium noſcere,
Dum ætas, metus, magiſter prohibebant? *Soſ.* Ita eſt.
Sim. Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli,
Ut animum ad aliquod ſtudium adjungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philoſophos;
Horum ille nihil egregie præter cætera
Studebat, & tamen omnia hæc mediocriter.
Gaudebam. *Soſ.* Non injuria: nam id arbitror
Adprime in vita eſſe utile, ut NE QUID NIMIS.
Sim. Sic vita erat: facile omnes perferre, ac pati:
Cum quibus erat cumque una, his ſeſe dedere,
Eorum obſequi ſtudiis, advorſus nemini,
Numquam præponens ſe aliis. ita facillime
Sine invidia invenias laudem, & amicos pares.
Soſ. Sapienter vitam inſtituit: namque hoc tempore
OBSEQUIUM AMICOS, veritas odium parit.
Sim. Interea mulier quædam abhinc triennium
Ex Andro commigravit huc viciniæ,
Inopia, & cognatorum negligentia
Coacta, egregia forma, atque ætate integra.
Soſ. Hei vereor, ne quid Andria apportet mali.
Sim. Primum hæc pudice vitam, parce, ac duriter
Agebat, lana ac tela victum quæritans:
Sed poſtquam amans acceſſit, pretium pollicens,
Unus & item alter; ITA UT INGENIUM EST omnium
Hominum a labore proclive ad lubidinem,
Accepit conditionem, dein quæſtum occipit.
Qui tum illam amabant, forte, ita ut fit, filium
Perduxere illuc ſecum, ut una eſſet, meum.
Egomet continuo mecum: certe captus eſt:
Habet. obſervabam mane illorum ſervolos
Venientes, aut abeuntes: rogitabam, heus puer,
Dic ſodes, quis heri Chryſidem habuit? nam Andriæ
Illi id erat nomen. *Soſ.* Teneo. *Sim.* Phædrum, aut Cliniam
Dicebant, aut Niceratum. (nam hi tres tum ſimul
Amabant) eho, quid Pamphilus? Quid? ſymbolam
Dedit, cœnavit. gaudebam. item alio die
Quærebam: comperiebam nihil ad Pamphilum
Quidquam attinere. enimvero ſpectatum ſatis
Putabam, & magnum exemplum continentiæ:
Nam, qui cum ingeniis conflictatur ejuſmodi,
Neque commovetur animus in ea re tamen,
Scias poſſe habere jam ipſum ſuæ vitæ modum.
Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
Bona dicere, & laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.
Quid verbis opus eſt? hac fama impulſus Chremes,
Ultro ad me venit, unicam gnatam ſuam
Cum dote ſumma filio uxorem ut daret.
Placuit: deſpondi: hic nuptiis dictus eſt dies.
Soſ. Quid obſtat, cur non veræ fiant? *Sim.* Audies.
Fere in diebus paucis, quibus hæc acta ſunt,
Chryſis vicina hæc moritur. *Soſ.* O factum bene!
Beati: metui a Chryſide. *Sim.* Ibi tum filius
Cum illis, qui amabant Chryſidem, una aderat frequens:
Curabat una funus: triſtis interim
Nonnunquam conlacrumabat. placuit tum id mihi.
Sic cogitabam: hem, hic parvæ conſuetudinis
Cauſa mortem hujus tam fert familiariter:
Quid, ſi ipſe amaſſet? quid mihi hic faciet patri?
Hæc ego putabam eſſe omnia humani ingeni
Manſuetique animi officia. quid multis moror?
Egomet quoque ejus cauſa in funus prodeo,
Nil ſuſpicans etiam mali. *Soſ.* Hem quid eſt? *Sim.* Scies.
Effertur: imus. interea inter mulieres,
Quæ ibi aderant, forte unam adſpicio adoleſcentulam,
Forma .... *Soſ.* Bona fortaſſe. *Sim.* Et voltu, Soſia,
Adeo modeſto, adeo venuſto, ut nihil ſupra.
Quia tum mihi lamentari præter cæteras
Viſa eſt, & quia erat forma præter cæteras
Honeſta & liberali; accedo ad pediſequas;
Quæ ſit, rogo. ſororem eſſe ajunt Chryſidis.
Percuſſit illico animum. at at, hoc illud eſt,
Hinc illæ lacrumæ, hæc illa eſt miſericordia.
Soſ. Quam timeo, quorſum evadas. *Sim.* Funus interim
Procedit: ſequimur: ad ſepulcrum uenimus.
In ignem poſita eſt: fletur. interea hæc ſoror,
Quam dixi, ad flammam acceſſit imprudentius,
Satis cum periclo. ibi tum exanimatus Pamphilus,
Bene diſſimulatum amorem & celatum indicat:
Accurrit: mediam mulierem complectitur:
Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?
Tum illa, ut conſuetum facile amorem cerneres,
Rejecit ſe in eum flens quam familiariter.
Soſ. Quid ais? *Sim.* Redeo inde iratus, atque ægre ferens.
Nec ſatis ad objurgandum cauſſæ. diceret,
Quid feci? quid commerui, aut peccavi, pater?
Quæ ſeſe voluit in ignem injicere, prohibui,
Servavi. honeſta oratio eſt. *Soſ.* Recte putas:
Nam ſi illum objurges, vitæ qui auxilium tulit;
Quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum?
Sim. Venit Chremes poſtridie ad me, clamitans,
Indignum facinus, comperiſſe, Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam. ego illud ſedulo
Negare factum. ille inſtat factum. denique
Ita tum diſcedo ab illo, ut qui ſe filiam
Neget daturum. *Soſ.* Non tu ibi gnatum? *Sim.* Ne hæc quidem
Sati' vehemens cauſa ad objurgandum. *Soſ.* Qui, cedo?
Sim. Tute ipſe his rebus finem præſcripſti, pater:
Prope adeſt, cnm alieno more vivendum eſt mihi:
Sine nunc meo me vivere interea modo.
Soſ. Quis igitur relictus eſt objurgandi locus?
Sim. Si propter amorem uxorem nolit ducere,
Ea primum ab illo animadvertenda injuria eſt.
Et nunc id operam do, ut per falſas nuptias
Vera objurgandi cauſa ſit, ſi deneget;
Simul, ſceleratus Davus ſi quid conſili
Habet, ut conſumat nunc, cum nihil obſint doli.
Quem ego credo manibus pedibuſque obnixe omnia
Facturum, magis id adeo, mihi ut incommodet,
Quam ut obſequatur gnato. *Soſ.* Quapropter? *Sim.* Rogas?
Mala mens, malus animus. quem quidem ego ſi ſenſero.
Sed, quid opu 'ſt verbis? ſin eveniat, quod volo,
In Pamphilo ut nihil ſit moræ, reſtat Chremes,
Qui mihi exorandus eſt; & ſpero confore.

Nunc

Nunc tuum eſt officium, has bene ut adſimules nuptias,
Perterrefacias Davom, obſerves filium,
Quid agat, quid cum illo conſilii captet. *Soſ.* Sat eſt:
Curabo: eamus jam nunc intro. *Sim.* I præ, ſequar.
Non dubium eſt, quin uxorem nolit filius:
Ita Davom modo timere ſenſi, ubi nuptias
Futuras eſſe audivit. ſed ipſe exit foras.

ACTUS I, SCENA II.

Davus, Simo.

MIrabar, hoc ſi ſic abiret: & heri ſemper lenitas,
Verebar, quorſum evaderet.
Qui, poſtquam audierat non datum iri filio uxorem ſuo,
Numquam cuiquam noſtrum verbum fecit, neque id ægre tulit.
Sim. At nunc faciet; neque, ut opinor, ſine tuo magno malo.
Dav. Id voluit, nos ſic nec opinantes duci falſo gaudio,
Sperantes jam amoto metu, interea oſcitantes opprimi,
Ut ne eſſet ſpatium cogitandi ad diſturbandas nuptias:
Aſtute! *Sim.* Carnuiex quæ loquitur! *Dav.* Herus eſt, neque præviderам.
Sim. Dave. *Dav.* Hem, quid eſt? *Sim.* Ehodum ad me. *Dav.* Quid hic volt? *Sim.* Quid ais? *Dav.* Qua de re? *Sim.* Rogas?
Meum gnatum rumor eſt amare. *Dav.* Id populus curat ſcilicet.
Sim. Hoccine agis, an non? *Dav.* Ego vero iſtuc. *Sim.* Sed, nunc ea me exquirere,
Iniqui patris eſt. nam, quod antehac fecit, nihil ad me attinet.
Dum tempus ad eam rem tulit, ſivi animum ut expleret ſuum;
Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores poſtulat.
Dehinc poſtulo, ſive æquom eſt, te oro, Dave, ut redeat jam in viam.
Dav. Hoc quid ſit? *Sim.* Omnes qui amant, graviter ſibi dari uxorem ferunt.
Dav. Ita ajunt. *Sim.* Tum ſi quis magiſtrum cepit ad eam rem improbum,
Ipſum animum ægrotum ad deteriorem partem plerumque applicat.
Dav. Non hercle intellego. *Sim.* Non? hem! *Dav.* Non: Davos ſum, non Oedipus.
Sim. Nempe ergo aperte vis, quæ reſtant, me loqui? *Dav.* Sane quidem.
Sim. Si ſenſero hodie, quidquam in his te nuptiis
Fallaciæ conari, quo fiant minus,
Aut velle in ea te oſtendi, quam ſis callidus;
Verberibus cæſum te in priſtinum, Dave, dedam uſque ad necem;
Ea lege atque omine, ut, ſi te inde exemerim, ego pro te molam.
Quid, hoc intellextin'? an nondum etiam ne hoc quidem? *Dav.* Immo callide:
Ita aperte ipſam rem modo locutus, nihil circuitione uſus es.
Sim. Ubivis facilius paſſus ſim, quam in hac re, me deludier.
Dav. Bona verba quæſo. *Sim.* Irrides? nihil me fallis. ſed dico tibi,
Ne temere facias; neque tu hoc dicas tibi non prædictum. cave.

ACTUS I. SCENA III.

Davus.

ENimvero, Dave, nihil loci eſt ſegnitiæ, neque ſocordiæ,
Quantum intellexi modo ſenis ſententiam de nuptiis:
Quæ ſi non aſtu providentur, me, aut herum peſſumdabunt.
Nec, quid agam, certum eſt; Pamphilum ne adjutem, an auſcultem ſeni.
Si illum relinquo, ejus vitæ timeo; ſin opitulor, hujus minas:
Cui verba dare difficile eſt; primum jam de amore, hoc comperit:
Me infenſus ſervat, ne quam faciam in nuptiis fallaciam.
Si ſenſerit, perii; aut, ſi libitum fuerit, cauſſam ceperit,
Quo jure, quaque injuria præcipitem me in piſtrinum dabit.
Ad hæc mala hoc mi accedit etiam: hæc Andria,
Sive iſta uxor, ſive amica eſt, gravida e Pamphilo eſt:
Audireque eorum eſt operæ pretium audaciam:
Nam INCEPTIO eſt Amentium, haud Amantium:
Quidquid peperiſſet, decreverunt tollere:
Et fingunt quamdam inter ſe nunc fallaciam,
Civem Atticam eſſe hanc: fuit olim quidam ſenex
Mercator: navem is fregit apud Andrum Inſulam:
Is obiit mortem: ibi tum hanc ejectam Chryſidis
Patrem recepiſſe orbam, parvam. fabulæ.
Mihi quidem hercle non fit veriſimile.
Atque ipſis commentum placet.
Sed Myſis ab ea egreditur. at ego hinc me ad Forum, ut
Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.

ACTUS I. SCENA IV.

Myſis.

AUdivi, Archillis, jamdudum: Lesbiam adduci jubes.
Sane pol illa temulenta eſt mulier, & temeraria,
Nec ſati' digna, cui committas primo partu mulierem.
Tamen eam adducam. importunitatem ſpectate aniculæ:
Quia compotrix ejus eſt. Di, date facultatem, obſecro,
Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum.
Sed, quidnam Pamphilum examinatum video? vereor, quid ſiet.
Opperiar, ut ſciam, numquidnam hæc turba triſtitiæ adferat.

ACTUS I. SCENA V.

Pamphilus, Myſis.

HOccine eſt humanum factum aut inceptum? hoccine eſt officium patris?
Myſ. Quid illud eſt?
Pamph. Proh Deum atque hominum fidem! quid eſt, ſi hæc non contumelia eſt?
Uxorem decrerat dare ſeſe mi hodie. nonne oportuit

Præſciſſe me ante? nonne prius communicatum oportuit?
Myſ. Miſeram me, quod verbum audio!
Pamph. Quid Chremes? qui denegarat, ſe commiſſurum mihi
Gnatam ſuam uxorem; id mutavit, quoniam me immutatum videt.
Itane obſtinate operam dat, ut me a Glycerio miſerum abſtrahat?
Quod ſi fit, pereo funditus.
Adeon' hominem invenuſtum eſſe, aut infelicem quemquam, ut ego ſum?
Proh Deum atque hominum fidem!
Nullon' ego Chremetis pacto affinitatem effugere potero?
Quot modis contemtus, ſpretus? facta, tranſacta omnia. hem,
Repudiatus repetor. quamobrem? niſi ſi id eſt, quod ſuſpicor:
Aliquid monſtri alunt: ea quoniam nemini obtrudi poteſt,
Itur ad me. *Myſ.* Oratio hæc me miſeram exanimavit metu.
Pamph. Nam quid ego dicam de patre? ah!
Tantamne rem tam neglegenter agere? præteriens modo
Mihi apud forum, Uxor tibi ducenda eſt, Pamphile, hodie, inquit: para:
Abi domum. id mihi viſus eſt dicere, abi cito, & ſuſpende te.
Obſtupui. cenſen' ullum me verbum potuiſſe proloqui?
Aut ullam cauſam, ineptam ſaltem, falſam, iniquam? obmutui.
Quod ſi ego prius id reſciſſem; quid facerem, ſi quis nunc me roget;
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. ſed nunc primum quid exſequar?
Tot me impediunt curæ, quæ meum animum divorſe trahunt:
Amor, miſericordia hujus, nuptiarum ſollicitatio;
Tum patris pudor, qui me tam leni paſſus eſt animo uſque adhuc,
Quæ meo cumque animo libitum eſt, facere: eine ego ut advorſer? hei mihi!
Incertum eſt quid agam. *Myſ.* Miſera timeo, incertum hoc quorſum accidat.
Sed nunc peropu' eſt, aut hunc cum ipſa, aut me aliquid de illa advorſum hunc loqui.
Dum in dubio eſt animus, paulo momento huc vel illuc impellitur.
Pamph. Quis hic loquitur? Myſis, ſalve. *Myſ.* O ſalve Pamphile. *Pamph.* Quid agit? *Myſ.* Rogas?
Laborat e dolore: atque ex hoc miſera ſollicita eſt die,
Quia olim in hunc ſunt conſtitutæ nuptiæ. tum autem hoc timet,
Ne deſeras ſe. *Pamph.* Hem, egone iſtuc conari queam?
Ego propter me illam decipi miſeram ſinam?
Quæ mihi ſuum animum atque omnem vitam credidit,
Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim,
Bene & pudice eju' doctum atque eductum ſinam
Coactum egeſtate ingenium immutarier?
Non faciam. *Myſ.* Haud verear, ſi in te ſolo ſit ſitum:
Sed vim ut queas ferre. *Pamph.* Adeon' me ignavom putas?
Adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum,
Ut neque me conſuetudo, neque amor, neque pudor
Commoveat, neque commoneat, ut ſervem fidem?
Myſ. Unum hoc ſcio, meritam eſſe, ut memor eſſes ſui.
Pamph. Memor eſſem? o Myſis, Myſis, etiam nunc mihi
Scripta illa dicta ſunt in animo Chryſidis
De Glycerio. jam ferme moriens me vocat:
Acceſſi: vos ſemotæ: nos ſoli: incipit:
Mi Pamphile, hujus formam atque ætatem vides:
Nec clam te eſt, quam illi nunc utræque inutiles
Et ad pudicitiam & ad rem tutandam ſient.
Quod ego te per hanc dextram oro, & ingenium tuum,
Per tuam fidem, perque hujus ſolitudinem
Te obteſtor, ne abs te hanc ſegreges, neu deſeras:
Si te in germani fratris dilexi loco,
Sive hæc te ſolum ſemper fecit maxumi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.
Te iſti virum do, amicum, tutorem, patrem:
Bona noſtra hæc tibi committo, & tuæ mando fidei.
Hanc mi in manum dat: mors continuo ipſam occupat.
Accepi: acceptam ſervabo. *Myſ.* Ita ſpero quidem.
Pamph. Sed cur tu ab illa? *Myſ.* Obſtetricem acceſſo.
Pamph. Propera:
Atque audin? verbum unum cave de nuptiis,
Ne ad morbum hoc etiam. *Myſ.* Teneo.

ACTUS SECUNDUS

SCENA I.

Charinus, Byrrhia, Pamphilus.

Quid ais, Byrrhia? Daturne illa Pamphilo hodie nuptum? *Byr.* Sic eſt.
Char. Qui ſcis? *Byr.* Apud forum modo e Davo audivi. *Char.* Væ miſero mihi!
Ut animus in ſpe atque in timore uſque antehac attentus fuit;
Ita, poſtquam ademta ſpes eſt, laſſus, cura confectus ſtupet.
Byr. Quæſo edepol, Charine, quoniam non poteſt id fieri, quod vis,
Id velis quod poſſit. *Char.* Nihil volo aliud, niſi Philumenam.
Byr. Ah, quanto ſatius eſt, te id dare operam,
Qui iſtum amorem ex animo amoveas tuo, quam id loqui,
Quo magis libido fruſtra incendatur tua.
Char. Facile omnes, cum valemus, recta conſilia ægrotis damus.
Tu ſi hic ſis, aliter ſentias. *Byr.* Age, age, ut lubet. *Char.* Sed Pamphilum
Video. omnia experiri certum eſt prius, quam pereo. *Byr.* Quid hic agit?
Char. Ipſum hunc orabo; huic ſupplicabo; amorem huic narrabo meum:
Credo, impetrabo, ut aliquot ſaltem nuptiis prodat dies.
Interea fiet aliquid, ſpero. *Byr.* Id aliquid nihil eſt.
Char. Byrrhia,
Quid tibi videtur? adeon' ad eum? *Byr.* Quidni? ſi nihil impetres,
Ut te arbitretur ſibi paratum mœchum, ſi illam duxerit.
Char. Abin' hinc, in malam rem cum ſuſpicione iſtac ſcelus!

Pamph. Charinum video. ſalve. *Char.* O ſalve, Pamphile:
Ad te advenio, ſpem, ſalutem, auxilium, conſilium expetens.
Pamph. Neque pol conſilii locum habeo, neque auxilii copiam.
Sed iſtuc quidnam eſt? *Char.* Hodie uxorem ducis? *Pamph.* Ajunt. *Char.* Pamphile,
Si id facis, hodie poſtremum me vides. *Pamph.* Quid ita? *Char.* Hei mihi!
Vereor dicere: huic dic, quæſo, Byrrhia. *Byr.* Ego dicam. *Pamph.* Quid eſt?
Byr. Sponſam hic tuam amat. *Pamph.* Næ iſte haud mecum ſentit. ehodum dic mihi,
Numquidnam amplius tibi cum illa fuit, Charine? *Char.* Ah Pamphile,
Nihil. *Pamph.* Quam vellem! *Char.* Nunc te per amicitiam & per amorem obſecro,
Principio ut ne ducas. *Pamph.* Dabo equidem operam. *Char.* Sed ſi id non potes,
Aut tibi nuptiæ hæ ſunt cordi; *Pamph.* Cordi? *Char.* Saltem aliquot dies
Profer, dum proficiſcor aliquo, ne videam. *Pamph.* Audi nunc jam:
Ego, Charine, neutiquam officium liberi eſſe hominis puto,
Cum is nil promereat, poſtulare id gratiæ apponi ſibi.
Nuptias effugere ego iſtas malo, quam tu adipiſcier.
Char. Reddidiſti animum. *Pamph.* Nunc ſi quid potes aut tu, aut hic Byrrhia,
Facite, fingite, invenite, efficite, qui detur tibi:
Ego id agam, mihi qui ne detur. *Char.* Sat habeo. *Pamph.* Davom optume
Video. hujus conſilio fretu' ſum. *Char.* At tu hercle haud quidquam mihi,
Niſi ea, quæ nihil opu' ſunt ſciri. fugin' hinc? *Byr.* Ego vero ac lubens.

ACTUS II. SCENA II.

Davus, Charinus, Pamphilus.

DI boni, boni quid porto? ſed ubi inveniam Pamphilum,
Ut metum, in quo nunc eſt, adimam, atque expleam animum gaudio?
Char. Lætus eſt, neſcio quid. *Pamph.* Nihil eſt. nondum hæc reſcivit mala.
Dav. Quem ego nunc credo, ſi jam audierit ſibi paratas nuptias,
Char. Audin' tu illum? *Dav.* Toto me oppido exanimatum quærere.
Sed ubi quæram? aut quo nunc primum intendam? *Char.* Ceſſas alloqui?
Dav. Abeo. *Pamph.* Dave, ades, reſiſte. *Dav.* Quis homo eſt, qui me? o Pamphile,
Te ipſum quæro. euge o Charine! ambo opportune: vos volo.
Pamph. Dave, perii. *Dav.* Quin tu hoc audi. *Pamph.* Interii. *Dav.* Quid timeas, ſcio.
Char. Mea quidem hercle certe in dubio vita eſt. *Dav.* Et quid tu, ſcio.
Pamph. Nuptiæ mihi. *Dav.* Et id ſcio. *Pamph.* Hodie. *Dav.* Obtundis, tametſi intelligo.
Id paves, ne ducas tu illam: tu autem, ut ducas. *Char.* Rem tenes.

Pamph. Iſtuc ipſum. *Dav.* Atque iſtuc ipſum, nil pericli eſt: me vide.
Pamph. Obſecro te, quamprimum hoc me libera miſerum metu. *Dav.* Hem,
Libero: uxorem tibi jam non dat Chremes. *Pamph.* Qui ſcis? *Dav.* Scio.
Tuus pater modo me prehendit: ait, tibi uxorem dare
Hodie, item alia multa, quæ nunc non eſt narrandi locus.
Continuo ad te properans percurro ad Forum, ut dicam tibi hæc.
Ubi te non invenio, ibi adſcendo in quemdam excelſum locum.
Circumſpicio: nuſquam. forte ibi hujus video Byrrhiam:
Rogo; negat vidiſſe. mihi moleſtum. quid agam, cogito.
Redeunti interea ex ipſa re mi incidit ſuſpicio: hem,
Paullulum obſoni, ipſus triſtis, de improviſo nuptiæ:
Non cohærent. *Pamph.* Quorſum nam iſtuc? *Dav.* Ego me continuo ad Chremem.
Cum illo advenio, ſolitudo ante oſtium. jam id gaudeo.
Pamph. Recte dicis, perge. *Dav.* Maneo: interea introire neminem
Video, exire neminem, matronam nullam, in ædibus
Nil ornati, nil tumulti. acceſſi, introſpexi. *Pamph.* Scio.
Magnum ſignum. *Dav.* Num videntur convenire hæc nuptiis?
Pamph. Non opinor, Dave. *Dav.* Opinor, narras? non recte accipis.
Certa res eſt. etiam puerum inde abiens conveni Chremis,
Olera, & piſciculos minutos ferre obolo in cœnam ſeni.
Char. Liberatus ſum, Dave, hodie tua opera. *Dav.* At nullus quidem.
Char. Quid ita? nempe huic prorſus illam non dat. *Dav.* Ridiculum caput!
Quaſi neceſſe ſit, ſi huic non dat, te illam uxorem ducere.
Niſi vides, niſi ſenis amicos oras, ambis. *Char.* Bene mones.
Ibo: etſi hercle ſæpe jam me ſpes hæc fruſtrata eſt. vale.

ACTUS II. SCENA III.

Pamphilus, Davus.

QUid igitur ſibi volt pater? cur ſimulat? *Dav.* Ego dicam tibi.
Si id ſuccenſeat nunc, quia non dat tibi uxorem Chremes,
Ipſu' ſibi eſſe injurius videatur: neque id injuria:
Prius quam tuum, ut ſeſe habeat, animum ad nuptias perſpexerit.
Sed ſi tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet:
Tum illæ turbæ fient. *Pamph.* Quid? vis, patiar? *Dav.* Pater eſt, Pamphile:
Difficile eſt. tum hæc ſola eſt mulier. dictum ac factum, invenerit
Aliquam cauſſam, quamobrem ejiciat oppido. *Pamph.* Ejiciat? *Dav.* Cito.
Pamph. Cedo igitur, quid faciam, Dave? *Dav.* Dic, te ducturum. *Pamph.* Hem. *Dav.* Quid eſt?
Pamph. Ego dicam? *Dav.* Cur non? *Pamph.* Numquam faciam. *Dav.* Ne nega.
Pamph. Suadere noli. *Dav.* Ex ea re quid fiat, vide.

Pamph.

Pamph. Ut ab illa excludar, huc concludar. *Dav.* Non ita eſt.
Nempe hoc ſic eſſe opinor dicturum patrem:
Ducas volo hodie uxorem: tu, ducam, inquies.
Cedo, quid jurgabit tecum? hic reddes omnia,
Quæ nunc ſunt certa ei conſilia, incerta ut fient,
Sine omni periclo, nam hocce haud dubium eſt, quin Chremes
Tibi non det gnatam: nec tu ea cauſa minueris
Hæc quæ facis, ne is ſuam mutet ſententiam.
Patri dic velle: ut, cum velit tibi jure iraſci, non queat.
Nam quod tu ſperes, propulſabo facile: uxorem his moribus
Dabit nemo, inopem inveniet potius, quam te corrumpi ſinat.
Sed ſi te æquo animo ferre accipiet, neglegentem feceris.
Aliam otioſus quæret, interea aliquid acciderit boni.
Pamph. Itan' credis? *Dav.* Haud dubium id quidem eſt. *Pamph.* Vide quo inducas. *Dav.* Quin taces!
Pamph. Dicam, puerum autem ne reſciſcat mihi ex illa, cautio eſt:
Nam pollicitus ſum ſuſcepturum. *Dav.* O facinus audax! *Pamph.* Hanc fidem
Sibi, me obſecravit, qui ſe ſciret non deſerturum, ut darem.
Dav. Curabitur. ſed, pater adeſt. cave te eſſe triſtem ſentiat.

ACTUS II. SCENA IV.

Simo, Davus, Pamphilus.

REviſo, quid agant, aut quid captent conſili.
Dav. Hic nunc non dubitat quin te ducturum neges.
Venit meditatus alicunde ex ſolo loco:
Orationem ſperat inveniſſe ſe,
Qui differat te: proin tu fac, apud te ut ſies.
Pamph. Modo ut poſſim, Dave. *Dav.* Crede, inquam, hoc mihi, Pamphile,
Numquam hodie tecum commutaturum patrem
Unum eſſe verbum, ſi te dices ducere.

ACTUS II. SCENA V.

Byrrhia, Simo, Davus, Pamphilus.

HEru' me, relictis rebus, juſſit Pamphilum
Hodie obſervare, ut, quid ageret de nuptiis,
Scirem: id propterea nunc hunc venientem ſequor.
Ipſum adeo præſto video cum Davo. hoc agam.
Sim. Utrumque adeſſe video. *Dav.* Hem, ſerva. *Sim.* Pamphile.
Dav. Quaſi de improviſo reſpice ad eum. *Pamph.* Ehem pater.
Dav. Probe. *Sim.* Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.
Byr. Nunc noſtræ parti timeo, quid hic reſpondeat.
Pamph. Neque iſtic neque alibi tibi erit uſquam in me mora. *Byr.* Hem!
Dav. Obmutuit. *Byr.* Quid dixit? *Sim.* Facis ut te decet,
Cum iſtuc, quod poſtulo, impetro cum gratia.
Dav. Sum verus? *Byr.* Herus, quantum audio, uxore excidit.
Sim. I jam nunc intro, ne in mora, cum opu' ſit, ſies.
Pamph. Eo. *Byr.* Nullane in re eſſe homini cuiquam fidem?
Verum illud verbum eſt, volgo qnod dici ſolet,
OMNES SIBI MALLE melius eſſe, quam alteri.
Ego illam vidi virginem: forma bona
Memini videre; quo æquior ſum Pamphilo,
Si ſe illam in ſomnis, quam illum, amplecti maluit.
Renunciabo, ut pro hoc malo mihi det malum.

ACTUS II. SCENA VI.

Davus, Simo.

HIc nunc me credit aliquam ſibi fallaciam
Portare, & ea me hic reſtitiſſe gratia.
Sim. Quid Davos narrat? *Dav.* Æque quidquam nunc quidem.
Sim. Nihilne? *Dav.* Nihil prorſus. *Sim.* Atqui exſpectabam quidem.
Dav. Præter ſpem evenit: ſentio: hoc male habet virum.
Sim. Potin' es mihi verum dicere? *Dav.* Nihil facilius.
Sim. Num illi moleſtæ quidpiam hæ ſunt nuptiæ,
Hujuſce propter conſuetudinem hoſpitæ?
Dav. Nihil hercle: aut ſi adeo, bidui eſt, aut tridui
Hæc ſollicitudo: noſtin'? deinde deſinet:
Etenim eam ſecum rem recta reputavit via.
Sim. Laudo. *Dav.* Dum licitum eſt illi, dumque ætas tulit,
Amavit: tum id clam. cavit ne umquam infamiæ
Ea res ſibi eſſet, ut virum fortem decet.
Nunc uxore opus eſt; animum ad uxorem appulit.
Sim. Subtriſtis viſu' eſt eſſe aliquantulum mihi.
Dav. Nihil propter hanc rem: ſed eſt, quod ſuccenſet tibi.
Sim. Quidnam eſt? *Dav.* Puerile eſt. *Sim.* Quid eſt? *Dav.* Nihil. *Sim.* Quin dic, quid eſt?
Dav. Ait nimium parce facere ſumtum. *Sim.* Mene? *Dav.* Te.
Vix, inquit, drachmis eſt opſonatus decem:
Num filio videtur uxorem dare?
Quem, inquit, vocabo ad cœnam meorum æqualium
Potiſſimum nunc? &, quod dicendum hic fiet,
Tu quoque perparce nimium. non laudo. *Sim.* Tace.
Dav. Commovi. *Sim.* Ego, iſtæc recte ut fiant, videro.
Quidnam hoc rei eſt? quidnam hic volt veterator ſibi?
Nam ſi hic mali eſt quidquam, hem illic eſt huic rei caput.

ACTUS TERTIUS

SCENA I.

Myſis, Simo, Davus, Lesbia, Glycerium.

ITa pol quidem res eſt, ut dixti, Lesbia:
Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.
Sim. Ab Andria eſt ancilla hæc. quid narras? *Dav.* Ita eſt.
Myſ. Sed hic Pamphilus, *Sim.* Quid dicit? *Myſ.* Firmavit fidem. *Sim.* Hem.
Dav. Utinam aut hic ſurdus, aut hæc muta facta ſit.
Myſ. Nam quod peperiſſet, juſſit tolli. *Sim.* O Juppiter,
Quid ego audio? actum eſt, ſiquidem hæc vera prædicat.

Lesb.

Lesb. Bonum ingenium narras adoleſcentis. *Myſ.* Optumum.
Sed ſequere me intro, ne in mora illi ſis. *Lesb.* Sequor.
Dav. Quod remedium nunc huic malo inveniam? *Sim.* Quid hoc?
Adeon' eſt demens? ex peregrina? jam ſcio: ah!
Vix tandem ſenſi ſtolidus. *Dav.* Quid hic ſenſiſſe ait?
Sim. Hæc primum adfertur jam mihi ab hoc fallacia.
Hanc ſimulant parere, quo Chremetem abſterreant.
Glyc. Juno Lucina, fer opem: ſerva me, obſecro.
Sim. Hui, tam cito? ridiculum. poſtquam ante oſtium
Me audivit ſtare, approperat. non ſat commode
Diviſa ſunt temporibus tibi, Dave, hæc. *Dav.* Mihin'?
Sim. Num immemores diſcipuli? *Dav.* Ego, quid narres, neſcio.
Sim. Hiccine, ſi me imparatum in veris nuptiis
Adortus eſſet, quos mihi ludos redderet?
Nunc hujus periclo fit. ego in portu navigo.

ACTUS III. SCENA II.

Lesbia, Simo, Davus:

Lesb. Adhuc Archillis, quæ adſolent, quæque oportet
Signa ad ſalutem eſſe, omnia huic eſſe video.
Nunc primum fac, iſtæc ut lavet: poſt deinde,
Quod juſſi ei dare bibere, & quantum imperavi,
Date: mox ego huc revertar.
Deos quæſo, ut ſit ſuperſtes: quandoquidem ipſe eſt ingenio bono,
Cumque huic veritus eſt optumæ adoleſcenti facere injuriam.
Sim. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te eſſe ortum? *Dav.* Quidnam id eſt?
Sim. Non imperabat coram, quid opus facto eſſet puerperæ:
Sed poſtquam egreſſa eſt, illis, quæ ſunt intus, clamat de via.
O Dave, itan' contemnor abs te? aut itane tandem idoneus
Tibi videor eſſe, quem tam aperte fallere incipias dolis?
Saltem accurate, ut metui videar certe, ſi reſcivérim.
Dav. Certe hercle nunc hic ſe ipſus fallit, haud ego. *Sim.* Edixin' tibi?
Interminatus ſum, ne faceres? num veritus? quid retulit?
Credon' tibi hoc nunc, peperiſſe hanc e Pamphilo?
Dav. Teneo, quid erret: quid ego agam, habeo. *Sim.* Quid taces?
Dav. Quid credas? quaſi non tibi renunciata ſint hæc ſic fore.
Sim. Mihin' quiſquam? *Dav.* Eho, an tute intellexti hoc adſimulari? *Sim.* Irrideor.
Dav. Renunciatum eſt: nam qui iſtæc tibi incidit ſuſpicio?
Sim. Qui? quia te noram. *Dav.* Quaſi tu dicas, factum id conſilio meo.
Sim. Certe enim ſcio. *Dav.* Non ſatis me pernoſti etiam, qualis ſim, Simo.
Sim. Egone te? *Dav.* Sed, ſi quid narrare occœpi, continuo dari
Tibi verba cenſes. *Sim.* Falſo. *Dav.* Itaque hercle nihil jam mutire audeo.
Sim. Hoc ego ſcio unum, neminem peperiſſe hic. *Dav.* intellextin'?
Sed nihilo ſecius mox deferent puerum huc ante oſtium.
Id ego jam nunc tibi renuncio, here, futurum, ut ſis ſciens:
Ne tu hoc mihi poſterius dicas Davi factum conſilio, aut dolis.
Prorſus a me opinionem hanc tuam eſſe ego amotam volo.
Sim. Unde id ſcis? *Dav.* Audivi, & credo: multa concurrunt ſimul,
Qui conjecturam hanc nunc facio. jam primum hæc ſe e Pamphilo
Gravidam dixit eſſe. inventum eſt falſum. nunc poſtquam videt
Nuptias domi apparari, miſſa eſt ancilla illico
Obſtetricem accerſitum ad eam, & puerum ut adferret ſimul.
Hoc niſi fit, puerum ut tu videas, nil moventur nuptiæ.
Sim. Quid ais? cum intellexeras,
Id conſilii capere, cur non dixti extemplo Pamphilo?
Dav. Quis igitur eum ab illa abſtraxit, niſi ego? nam omnes nos quidem
Scimus, quam miſere hanc amarit. nunc ſibi uxorem expetit.
Poſtremo id mihi da negoti. tu tamen idem has nuptias
Perge facere ita, ut facis: & id ſpero adjuturos deos.
Sim. Immo abi intro. ibi me opperire, &, quod parato opus eſt, para.
Non impulit me, hæc nunc omnino ut crederem.
Atque haud ſcio, an, quæ dixit, ſint vera omnia:
Sed parvipendo. illud mihi multo maxumum eſt,
Quod mihi pollicitu' eſt ipſus gnatus. nunc Chremem
Conveniam: orabo gnato uxorem: ſi impetro,
Quid alias malim, quam hodie has fieri nuptias?
Nam, gnatus quod pollicitu' eſt, haud dubium eſt mihi,
Si nolit, quin eum merito poſſim cogere.
Atque adeo in ipſo tempore eccum ipſum obviam.

ACTUS III. SCENA III.

Simo, Chremes.

Jubeo Chremetem. *Chr.* Oh, te ipſum quærebam. *Sim.* Et ego te. *Chr.* Optato advenis.
Aliquot me adiere, ex te auditum qui ajebant, hodie filiam
Meam nubere tuo gnato: id viſo, tu ne, an illi inſaniant.
Sim. Auſculta paucis, quid ego te velim: & tu, quod quæris, ſcies.
Chr. Auſculto: loquere, quid velis.
Sim. Per ego te deos oro, & noſtram amicitiam, Chreme,
Quæ incepta a parvis cum ætate accrevit ſimul,
Perque unicam gnatam tuam, & gnatum meum,
Cujus tibi poteſtas ſumma ſervandi datur;
Ut me adjuves in hac re, atque ita, uti nuptiæ
Fuerant futuræ, fiant. *Chr.* Ah, ne me obſecra:
Quaſi hoc te orando a me impetrare oporteat.
Alium eſſe cenſes nunc me, atque olim, cum dabam?

Si in

Si in rem eſt utrique, ut fiant, accerſi jube.
Sed ſi ex ea re plus mali eſt, quam commodi
Utrique; id oro te, in commune ut conſulas,
Quaſi illa tua ſit, Pamphilique ego ſim pater.
Sim. Immo ita volo, itaque poſtulo ut fiat, Chreme:
Neque poſtulem abs te, ni ipſa res moneat. *Chr.* Quid eſt?
Sim. Iræ ſunt inter Glycerium & gnatum. *Chr.* Audio.
Sim. Ita magnæ, ut ſperem poſſe avelli. *Chr.* Fabulæ.
Sim. Profecto ſic eſt. *Chr.* Sic hercle, ut dicam tibi:
AMANTIUM IRÆ, amoris integratio eſt.
Sim. Hem, id te oro, ut ante eamus, dum tempus datur,
Dumque ejus lubido occluſa eſt contumeliis;
Priuſquam harum ſcelera & lacrumæ confictæ dolis
Reducant animum ægrotum ad miſericordiam.
Uxorem demus. ſpero conſuetudine, &
Conjugio liberali devinctum, Chreme,
Dehinc facile ex illis ſeſe emerſurum malis.
Chr. Tibi ita hoc videtur: at ego non poſſe arbitror,
Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.
Sim. Qui ſcis ergo iſtuc, niſi periclum feceris?
Chr. At iſtuc periclum in filia fieri, grave eſt.
Sim. Nempe incommoditas denique huc omnis redit;
Si eveniat, quod Di prohibeant, diſceſſio. at
Si corrigatur, quot commoditates, vide:
Principio amico filium reſtitueris;
Tibi generum firmum, & filiæ invenies virum.
Chr. Quid iſtic? ſi ita iſtuc animum induxti eſſe utile,
Nolo tibi ullum commodum in me claudier.
Sim. Merito te ſemper maxumi feci, Chreme.
Chr. Sed quid ais? *Sim.* Quid? *Chr.* Qui ſcis eos nunc diſcordare inter ſe?
Sim. Ipſu' mihi Davos, qui intimu' eſt eorum conſiliis, dixit:
Et is mihi ſuadet, nuptias, quantum queam, ut maturem.
Num, cenſes, faceret, filium niſi ſciret eadem hæc velle?
Tute adeo jam ejus audies verba. heus evocate huc Davom.
Atque eccum, video ipſum foras exire.

ACTUS III. SCENA IV.

Davus, Simo, Chremes.

AD te ibam. *Sim.* Quidnam eſt?
Dav. Cur non accerſitur? jam adveſperaſcit.
Sim. Audin' tu illum?
Ego dudum non nil veritus ſum, Dave, abs te, ne faceres idem,
Quod volgus ſervorum ſolet, dolis ut me deluderes,
Propterea quod amat filius. *Dav.* Egon' iſtuc facerem? *Sim.* Credidi:
Idque adeo metuens vos celavi, quod nunc dicam. *Dav.* Quid? *Sim.* Scies:
Nam propemodum habeo tibi jam fidem. *Dav.* Tandem agnoſti, qui ſiem.
Sim. Non fuerant nuptiæ futuræ. *Dav.* Quid? non? *Sim.* Sed ea gratia
Simulavi, vos ut pertentarem. *Dav.* Quid ais? *Sim.* Sic res eſt. *Dav.* Vide.
Numquam iſtuc quivi ego intellegere. vah conſilium callidum!
Sim. Hoc audi. ut hinc te juſſi introire, opportune hic fit mihi obviam.
Dav. Hem, numnam periimus? *Sim.* Narro huic, quæ dudum narraſti mihi.
Dav. Quidnam audio? *Sim.* Gnatam ut det oro, vixque id exoro. *Dav.* Occidi.
Sim. Hem, quid dixti? *Dav.* Optume inquam factum.
Sim. nunc per hunc nulla eſt mora.
Chr. Domum modo ibo: ut apparentur, dicam: atque huc renuncio.
Sim. Nunc te oro, Dave; quoniam ſolus mihi effeciſti has nuptias:
Dav. Ego vero ſolus. *Sim.* Corrigere mihi gnatum porro enitere.
Dav. Faciam hercle ſedulo. *Sim.* Potes nunc, dum animus irritatus eſt.
Dav. Quieſcas. *Sim.* Age igitur: ubi nunc eſt ipſus? *Dav.* Mirum, ni domi eſt.
Sim. Ibo ad eum, atque eadem hæc, quæ tibi dixi, dicam itidem illi. *Dav.* Nullus ſum.
Quid cauſæ eſt, quin hinc in piſtrinum recta proficiſcar via?
Nihil eſt preci loci relictum: jam perturbavi omnia:
Herum feſelli: in nuptias conjeci herilem filium:
Feci hodie, ut fierent, inſperante hoc, atque invito Pamphilo.
Hem aſtutias! quod ſi quieſſem, nihil eveniſſet mali.
Sed eccum: ipſum video: occidi:
Utinam mihi eſſet aliquid hic, quo nunc me præcipitem darem.

ACTUS III. SCENA V.

Pamphilus, Davus.

UBi illic ſcelus eſt, qui me perdidit? *Dav.* Perii.
Pamph. Atque hoc confiteor
Jure obtigiſſe; quandoquidem tam iners, tam nulli conſili
Sum. ſervon' fortunas meas me commiſiſſe futili?
Ergo pretium ob ſtultitiam fero: ſed inultum id numquam a me auferet.
Dav. Poſthac incolumem ſat ſcio fore me, nunc ſi evito hoc malum.
Pamph. Nam quid ego nunc dicam patri? negabon' velle me, modo
Qui ſum pollicitus ducere? qua fiducia id facere audeam?
Nec, quid me nunc faciam, ſcio. *Dav.* Nec de me equidem; atque id ago ſedulo.
Dicam aliquid jam inventurum, ut huic malo aliquam producam moram. *Pamph.* Oh.
Dav. Viſus ſum. *Pamph.* Ehodum, bone vir, quid ais? viden' me conſiliis tuis
Miſerum impeditum eſſe? *Dav.* At jam expediam.
Pamph. expedies? *Dav.* Certe, Pamphile.
Pamph. Nempe ut modo. *Dav.* Immo melius ſpero.
Pamph. Oh, tibi ego ut credam, furcifer?
Tu rem impeditam & perditam reſtituas? hem, quo fretu' ſum,
Qui me hodie ex tranquilliſſima re conjeciſti in nuptias.
An non dixi hoc eſſe futurum? *Dav.* Dixti. *Pamph.* Quid meritus? *Dav.* Crucem.
Sed ſine paululum ad me redeam: jam aliquid diſpiciam. *Pamph.* Hei mihi,
Cum non habeo ſpatium, ut de te ſumam ſupplicium, ut volo:
Namque hoc tempus, præcavere mihi me, haud te ulciſci, ſinit.

ACTUS

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

Charinus, Pamphilus, Davus.

HOccine credibile eſt, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut ſiet,
Ut malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius ſua comparent ut commoda? ah,
Idne eſt verum? immo id genus eſt hominum peſſumum,
In denegando modo queis pudor eſt paululum:
Poſt ubi jam tempus eſt promiſſa perfici,
Tum coacti neceſſario ſe aperiunt, & timent:
Et tamen res cogit eos denegare. ibi
Tum impudentiſſima eorum oratio eſt:
Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi? heus,
Proximus ſum egomet mihi. attamen, ubi fides,
Si roges, nihil pudet. hic, ubi opus eſt,
Non verentur: illic, ubi nihil opus eſt, ibi verentur.
Sed quid agam? adeamne ad eum, & cum eo injuriam hanc expoſtulem?
Mala ingeram multa? atque aliquis dicat, Nihil promoveris.
Multum. moleſtus certe ei fuero, atque animo morem geſſero.
Pamph. Charine, & me & te imprudens, niſi quid Dii reſpiciunt, perdidi.
Char. Itane, imprudens? tandem inventa eſt cauſa: ſolviſti fidem.
Pamph. Qui tandem? *Char.* Etiam nunc me ducere iſtis dictis poſtulas?
Pamph. Quid iſtuc eſt? *Char.* Poſtquam me amare dixi, complacita eſt tibi.
Heu me miſerum, quom tuum animum ex animo ſpectavi meo!
Pamph. Falſu' es. *Char.* Non tibi ſatis eſſe hoc viſum ſolidum eſt gaudium,
Niſi me lactaſſes amantem, & falſa ſpe produceres?
Habeas. *Pamph.* Habeam? ah, neſcis quantis in malis verſer miſer,
Quantaſque hic ſuis conſiliis mihi confecit ſollicitudines
Meus carnufex. *Char.* Quid iſtuc tam mirum, de te ſi exemplum capit?
Pamph. Haud iſtuc dicas, ſi cognoris vel me, vel amorem meum.
Char. Scio, cum patre altercaſti dudum, & is nunc propterea tibi
Succenſet, nec te quivit hodie cogere, illam ut duceres.
Pamph. Immo etiam, quo tu minus ſcis ærumnas meas,
Hæ nuptiæ non apparabantur mihi;
Nec poſtulabat nunc quiſquam uxorem dare.
Char. Scio: tu coactus tua voluntate es. *Pamph.* Mane;
Nondum ſcis. *Char.* Scio equidem illam ducturum eſſe te.
Pamph. Cur me enecas? hoc audi. numquam deſtitit
Inſtare, ut dicerem, eſſe ducturum, patri:
Suadere, orare, uſque adeo, donec perpulit.
Char. Quis homo iſtuc? *Pamph.* Davos. *Char.* Davos? Davos omnia.
Char. Quamobrem? *Pamph.* Neſcio: niſi mihi Deos ſatis
Scio fuiſſe iratos, qui auſcultaverim.
Char. Factum eſt hoc, Dave? *Dav.* Factum eſt. *Char.* Hem, quid ais, ſcelus?
At tibi Di dignum factis exitium duint.
Eho, dic mihi, ſi omnes hunc conjectum in nuptias
Inimici vellent, quod, ni hoc, conſilium darent?
Dav. Deceptus ſum, at non defatigatus. *Char.* Scio.
Dav. Hac non ſucceſſit, alia aggrediemur via:
Niſi id putas, quia primo proceſſit parum,
Non poſſe jam ad ſalutem converti hoc malum.
Pamph. Immo etiam: nam ſati' credo, ſi advigilaveris,
Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
Dav. Ego, Pamphile, hoc tibi pro ſervitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctesque & dies
Capitis periculum adire, dum proſim tibi.
Tuum'ſt, ſi quid præter ſpem evenit, mi ignoſcere.
Parum ſuccedit, quod ago; at facio ſedulo.
Vel melius tute reperi, me miſſum face.
Pamph. Cupio. reſtitue in quem me accepiſti locum.
Dav. Faciam. *Pamph.* At jam hoc opus eſt. *Dav.* Hem, ſt, mane: crepuit a Glycerio oſtium.
Pamph. Nihil ad te. *Dav.* Quæro. *Pamph.* Hem, nuncceine demum? *Dav.* At jam hoc tibi inventum dabo.

ACTUS IV. SCENA II.

Myſis, Pamphilus, Charinus, Davus.

JAm, ubi ubi erit, inventum tibi curabo, & mecum adductum
Tuum Pamphilum: tu modo, anime mi, noli te macerare.
Pamph. Myſis. *Myſ.* Quid eſt? hem, Pamphile, optume mihi te offers. *Pamph.* Quid eſt?
Myſ. Orare juſſit, ſi ſe ames, hera, jam ut ad ſeſe venias:
Videre ait te cupere. *Pamph.* Vah, perii. hoc malum integraſcit.
Siccine me, atque illam opera tua nunc miſeros ſollicitarier?
Nam idcirco accerſor, nuptias quod mi apparari ſenſit.
Char. Quibu' quidem quam facile poterat quieſci, ſi hic quieſſet.
Dav. Age, ſi hic non inſanit ſatis ſua ſponte, inſtiga. *Myſ.* Atque edepol,
Ea res eſt; proptereaque nunc miſera in mœrore eſt. *Pamph.* Myſis,
Per omnes tibi adjuro Deos, numquam eam me deſerturum:
Non, ſi capiundos mihi ſciam eſſe inimicos omnes homines.
Hanc mihi expetivi, contigit: conveniunt mores: valeant
Qui inter nos diſſidium volunt: hanc, niſi Mors, mi adimet nemo.
Myſ. Reſipiſco. *Pamph.* Non Apollinis magi' verum, atque hoc, reſponſum eſt.
Si poterit fieri, ut ne pater per me ſtetiſſe credat,
Quo minus hæ fierent nuptiæ, volo. ſed ſi id non poterit;
Id faciam, in proclivi quod eſt, per me ſtetiſſe ut credat.
Quis videor? *Char.* Miſer æque atque ego. *Dav.* Conſilium quæro. *Char.* Fortis.

Scio quid conere. *Dav.* Hoc ego tibi profecto effectum reddam.
Pamph. Jam hoc opus eſt. *Dav.* Quin jam habeo. *Char.* Quid eſt? *Dav.* Huic, non tibi, habeo; ne erres.
Char. Sat habeo. *Pamph.* Quid facies, cedo? *Dav.* Dies hic mi ut ſati' ſit, vereor,
Ad agendum: ne vacuum eſſe me nunc ad narrandum credas.
Proinde hinc vos amolimini; nam mi impedimento eſtis.
Pamph. Ego hanc viſam. *Dav.* Quid tu? quo hinc te agis? *Char.* Verum vis dicam? *Dav.* Immo etiam:
Narrationis incipit mihi initium. *Char.* Quid me fiet?
Dav. Eho tu impudens, non ſatis habes, quod tibi dieculam addo,
Quantum huic promoveo nuptias? *Char.* Dave, attamen. *Dav.* Quid ergo?
Char. Ut ducam. *Dav.* Ridiculum. *Char.* Huc face ad me ut venias, ſi quid poteris.
Dav. Quid veniam? nihil habeo. *Char.* Attamen ſi quid. *Dav.* Age, veniam. *Char.* Si quid,
Domi ero. *Dav.* Tu, Myſis, dum exeo, parumper me opperire hic.
Myſ. Quapropter? *Dav.* Ita facto eſt opus. *Myſ.* Matura. *Dav.* Jam, inquam, hic adero.

ACTUS IV. SCENA III.

Myſis.

NIlne eſſe proprium cuiquam? Dii, voſtram fidem!
Summum bonum eſſe heræ putabam hunc Pamphilum,
Amicum, amatorem, virum, in quovis loco
Paratum: verum ex eo nunc miſera quem capit
Dolorem, facile hic plus mali eſt, quam illic boni.
Sed Davos exit. mi homo, quid iſtuc, obſecro, eſt?
Quo portas puerum?

ACTUS IV. SCENA IV.

Davus, Myſis.

MYſis, nunc opus eſt tua
Mihi ad hanc rem expromta memoria atque aſtutia.
Myſ. Quidnam incepturus? *Dav.* Accipe a me hunc ocius,
Atque ante noſtram januam appone. *Myſ.* Obſecro,
Humine? *Dav.* Ex ara hinc ſume verbenas tibi,
Atque eas ſubſterne. *Myſ.* Quamobrem id tute non facis?
Dav. Quia, ſi forte opus ad herum jusjurandum mihi
Non appoſuiſſe, ut liquido poſſim. *Myſ.* Intelligo.
Nova nunc religio in te iſtæc inceſſit, cedo.
Dav. Move ocius te, ut, quid agam, porro intelligas.
Proh Juppiter! *Myſ.* Quid? *Dav.* Sponſæ pater intervenit.
Repudio quod conſilium primum intenderam.
Myſ. Neſcio, quid narres. *Dav.* Ego quoque hinc ab dextera
Venire me aſſimulabo. tu, ut ſubſervias
Orationi, utcumque opu' ſit, verbis, vide.
Myſ. Ego, quid agas, nihil intellego: ſed ſi quid eſt,
Quod mea opera opus ſit vobis, aut tu plus vides,
Manebo, ne quid voſtrum remorer commodum.

ACTUS IV. SCENA V.

Chremes, Myſis, Davus.

REvertor, poſtquam, quæ opus fuere ad nuptias
Gnatæ, paravi, ut jubeam accerſi. ſed quid hoc?
Puer hercle eſt. mulier, tun' appoſuiſti hunc? *Myſ.* Ubi
Illic eſt? *Chr.* Non mihi reſpondes? *Myſ.* Hem, nuſquam eſt. væ miſeræ mihi,
Reliquit me homo, atque abiit. *Dav.* Di voſtram fidem!
Quid turbæ eſt apud forum? quid illic hominum litigant?
Tum annona cara eſt. quid dicam aliud, neſcio.
Myſ. Cur tu, obſecro, hic me ſolam? *Dav.* Hem, quæ hæc eſt fabula?
Eho, Myſis, puer hic unde eſt? quiſve huc attulit?
Myſ. Satin' ſanus es, qui me id rogites? *Dav.* Quem igitur rogem,
Qui hic neminem alium videam? *Chr.* Miror, unde ſit.
Dav. Dicturan' quod rogo? *Myſ.* Au. *Dav.* Concede ad dexteram.
Myſ. Deliras. non tute ipſe? *Dav.* Verbum ſi mihi
Unum, præterquam quod te rogo, faxis, cave.
Myſ. Male dicis. *Dav.* Unde eſt? dic clare. *Myſ.* A vobis. *Dav.* Ha ha hæ.
Mirum vero, impudenter mulier ſi facit.
Chr. Ab Andria eſt Ancilla hæc, quantum intellego.
Dav. Adeon' videmur vobis eſſe idonei,
In quibus ſic illudatis? *Chr.* Veni in tempore.
Dav. Propera adeo puerum tollere hinc ab janua.
Mane: cave quoquam ex iſtoc exceſſis loco.
Myſ. Dii te eradicent: ita me miſeram territas.
Dav. Tibi ego dico, an non? *Myſ.* Quid vis? *Dav.* At etiam rogas?
Cedo, cujum puerum hic appoſuiſti, dic mihi.
Myſ. Tu neſcis? *Dav.* Mitte id, quod ſcio; dic, quod rogo.
Myſ. Voſtri. *Dav.* Cujus voſtri? *Myſ.* Pamphili. *Dav.* Hem, quid Pamphili?
Myſ. Eho, an non eſt? *Chr.* Recte ego ſemper fugi has nuptias.
Dav. O facinus animadvertendum! *Myſ.* Quid clamitas?
Dav. Quemne ego heri vidi ad vos afferri veſperi?
Myſ. O hominem audacem! *Dav.* Verum. vidi Cantharam
Suffarcinatam. *Myſ.* Diis pol habeo gratias,
Cum in pariundo aliquot affuerunt liberæ.
Dav. Næ illa illum haud novit, cujus cauſa hæc incipit.
Chremes, ſi poſitum puerum ante ædes viderit,
Suam gnatam non dabit: tanto hercle magis dabit.
Chr. Non hercle faciet. *Dav.* Nunc adeo, ut tu ſis ſciens,
Ni puerum tollis, jamjam ego hunc mediam in viam
Provolvam, teque ibidem pervolvam in luto.
Myſ. Tu pol homo non es ſobrius. *Dav.* Fallacia
Alia aliam trudit. jam ſuſurrari audio,
Civem Atticam eſſe hanc. *Chr.* Hem. *Dav.* Coactus legibus
Eam uxorem ducet. *Myſ.* Au, obſecro, an non civis eſt?

Chr.

Chr. Jocularium in malum inſciens pæne incidi.
Dav. Quis hic loquitur? o Chreme, per tempus advenis:
Auſculta. *Chr.* Audivi jam omnia. *Dav.* Anne tu omnia?
Chr. Audivi, inquam, a principio. *Dav.* Audiſtin' obſecro? hem
Scelera: hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi.
Hic ille eſt: non te credas Davom ludere.
Myſ. Me miſeram: nihil pol falſi dixi, mi ſenex.
Chr. Novi rem omnem. eſt Simo intus? *Dav.* Eſt.
Myſ Ne me attingas, ſceleſte. ſi pol Glycerio non omnia hæc.
Dav. Eho, inepta, neſcis, quid ſit actum. *Myſ.* Quid ſciam?
Dav. Hic ſocer eſt. alio pacto haud poterat fieri,
Ut ſciret hæc, quæ volumus. *Miſ.* Hem, prædiceres.
Dav. Paulum intereſſe cenſes, ex animo omnia,
Ut fert natura, facias, an de induſtria?

ACTUS IV. SCENA VI.

Crito, Myſis, Davus.

IN hac habitaſſe platea dictum eſt Chryſidem,
Quæ ſeſe inhoneſte optavit parare hic divitias
Potius, quam in patria honeſte pauper vivere.
Ejus morte ea ad me lege redierunt bona.
Sed, quos perconter, video. ſalvete. *Myſ.* Obſecro,
Quem video? eſtne hic Crito, ſobrinus Chryſidis?
Is eſt. *Cr.* Myſis, ſalve. *Myſ.* Salvos ſis, Crito.
Cr. Itan' Chryſis? hem. *Myſ.* Nos quidem pol miſeras perdidit.
Cr. Quid vos? quo pacto hic? ſati' ne recte? *Myſ.* noſne? ſic
Ut quimus, aiunt; quando, ut volumus, non licet.
Cr. Quid Glycerium? jam hic ſuos parentes repperit?
Myſ. Utinam. *Cr.* An nondum etiam? haud auſpicato huc me appuli:
Nam pol, ſi id ſciſſem, numquam huc tetuliſſem pedem:
Semper enim ejus dicta eſt hæc atque habita eſt ſoror:
Quæ illius fuerunt, poſſidet. nunc me hoſpitem
Lites ſequi, quam hic mihi ſit facile, atque utile,
Aliorum exempla commonent. ſimul arbitror,
Jam eſſe aliquem amicum, & defenſorem ei: nam fere
Grandiuſcula jam profecta eſt illinc. clamitent,
Me ſycophantam hæreditatem perſequi,
Mendicum. tum, ipſam deſpoliare non libet.
Myſ. O optume hoſpes, pol, Crito, antiquom obtines.
Cr. Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam. *Myſ.* Maxume.
Dav. Sequar hos: nolo me in tempore hoc videat ſenex.

ACTUS QUINTUS

SCENA I.

Chremes, Simo.

SAti' jam, ſati', Simo, ſpectata erga te amicitia eſt mea:
Sati' pericli cœpi adire: orandi jam finem face.
Dum ſtudeo obſequi tibi, pene illuſi vitam filiæ.
Sim. Immo enim quam maxume abs te oro atque poſtulo, Chreme,
Ut beneficium, verbis initum dudum, nunc re comprobes.
Chr. Vide quam iniquos ſis præ ſtudio. dum efficias id quod cupis,
Neque *modum benignitatis, neque quid me ores, cogitas:
Nam ſi cogites, remittas jam me onerare injuriis.
Sim. Quibus? *Chr.* Ah rogitas? perpuliſti me, ut homini adoleſcentulo,
In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria,
Filiam darem in ſeditionem, atque incertas nuptias;
Ejus labore atque ejus dolore gnato ut medicarer tuo.
Impetraſti: incepi, dum res tetulit: nunc non fert: feras.
Illam hinc civem eſſe ajunt: puer eſt natus: nos miſſos face.
Sim. Per ego te Deos oro, ut ne illis animum inducas credere,
Quibus id maxume utile eſt illum eſſe quam deterrimum.
Nuptiarum gratia hæc ſunt ficta atque incepta omnia.
Ubi ea cauſa, quamobrem hæc faciunt, erit ademta his, deſinent.
Chr. Erras. cum Davo egomet vidi jurgantem ancillam. *Sim.* Scio. *Chr.* At
Vero voltu; cum, ibi me adeſſe, neuter dum præſenſerat.
Sim. Credo; & id facturas, Davus dudum prædixit mihi:
Et neſcio quid tibi ſum oblitus hodie ac volui dicere.

ACTUS V. SCENA II.

Davus, Chremes, Simo, Dromo.

ANimo jam nunc otioſo eſſe impero. *Chr.* Hem Davom tibi.
Sim. Unde egreditur? *Dav.* Meo præſidio, atque hoſpitis. *Sim.* Quid illud mali eſt?
Dav. Ego commodiorem hominem, adventum, tempus non vidi. *Sim.* Scelus!
Quemnam hic laudat? *Dav.* Omnis res eſt jam in vado. *Sim.* Ceſſo alloqui?
Dav. Herus eſt: quid agam? *Sim.* O ſalve, bone vir. *Dav.* Hem Simo, o noſter Chremes,
Omnia apparata jam ſunt intus. *Chr.* Curaſti probe.
Dav. Ubi voles, accerſe. *Sim.* Bene ſane. id enimvero hinc nunc abeſt.
Etiam tu hoc reſpondes, quid iſtic tibi negotii eſt? *Dav.* Nihin'? *Sim.* Ita.
Dav. Mihine? *Sim.* Tibi ergo. *Dav.* Modo introii. *Sim.* Quaſi ego, quam dudum rogem.
Dav. Cum tuo gnato una. *Sim.* Anne eſt intus Pamphilus? crucior miſer.
Eho, non tu dixti eſſe inter eos inimicitias, carnufex?
Dav. Sunt. *Sim.* Cur igitur hic eſt? *Chr.* Quid illum cenſes? cum illa litigat.
Dav. Immo vero indignum, Chreme, jam facinus faxo ex me audias.
Neſcio qui ſenex modo venit: ellum, confidens, catus:
Cum faciem videas, videtur eſſe quantivis preti:
Triſtis ſeveritas ineſt in voltu, atque in verbis fides.
Sim. Quidnam adportas? *Dav.* Nil equidem, niſi quod illum audivi dicere.
Sim. Quid ait tandem? *Dav.* Glycerium ſe ſcire civem eſſe Atticam.

Sim. Hem Dromo, Dromo. *Dr.* Quid eſt? *Sim.* Dromo. *Dav.* Audi. *Sim.* Verbum ſi addideris. Dromo.
Dav. Audi obſecro. *Dr.* Quid vis? *Sim.* Sublimem hunc intro rape, quantum potes.
Dr. Quem? *Sim.* Davom. *Dav.* Quamobrem? *Sim.* Quia lubet. rape, inquam. *Dav.* Quid feci? *Sim.* Rape.
Dav. Si quidquam mentitum invenies, occidito. *Sim.* Nihil audio.
Ego jam te commotum reddam. *Dav.* Tamen etſi hoc verum eſt? *Sim.* Tamen.
Cura adſervandum vinctum: atque audin'? quadrupedem conſtringito.
Age, nunc jam ego pol hodie, ſi vivo, tibi
Oſtendam, herum quid ſit pericli fallere, &
Illi, patrem. *Chr.* Ah, ne ſævi tantopere. *Sim.* Chreme,
Pietatem gnati! nonne te miſeret mei?
Tantum laborem capere ob talem filium?
Age, Pamphile: exi, Pamphile: ecquid te pudet?

ACTUS V. SCENA III.

Pamphilus, Simo, Chremes.

QUis me volt? perii, pater eſt. *Sim.* Quid ais, omnium? *Chr.* Ah!
Rem potius ipſam dic, ac mitte male loqui.
Sim. Quaſi quidquam in hunc jam gravius dici poſſiet.
Ain' tandem? civis Glycerium eſt? *Pamph.* Ita prædicant.
Sim. Ita prædicant? ingentem confidentiam!
Num cogitat, quid dicat? non facti piget?
Num ejus color pudoris ſignum uſquam indicat?
Adeon' impotenti eſſe animo, ut præter civium
Morem, atque legem, & ſui voluntatem patris,
Tamen hanc habere cupiat cum ſummo probro?
Pamph. Me miſerum! *Sim.* Hem, modone id demum ſenſti, Pamphile?
Olim iſtuc, olim, cum ita animum induxti tuum,
Quod cuperes, aliquo pacto efficiundum tibi,
Eodem die iſtuc verbum vere in te accidit.
Sed quid ago? cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam ſenectam hujus ſollicito amentia? an
Pro hujus ego ut peccatis ſupplicium ſufferam?
Immo habeat, valeat, vivat cum illa. *Pamph.* Mi Pater.
Sim. Quid, mi pater? quaſi tu hujus indigeas patris.
Domus, uxor, liberi inventi, invito patre:
Adducti, qui illam civem hinc dicant. viceris.
Pamph. Pater, licetne pauca? *Sim.* Quid dices mihi?
Chr. Tamen, Simo, audi. *Sim.* Ego audiam? quid audiam, Chremes? *Chr.* At tandem dicat, ſine. *Sim.* Age dicat, ſino.
Pamph. Ego me amare hanc fateor. ſi id peccare eſt, fateor id quoque.
Tibi pater me dedo. quidvis oneris impone: impera.
Vis me uxorem ducere? hanc amittere? ut potero, feram.
Hoc modo te obſecro, ut ne credas a me adlegatum hunc ſenem.
Sine me expurgem, atque illum huc coram adducam. *Sim.* Adducas? *Pamph.* Sine, pater.
Chr. Æquom poſtulat: da veniam. *Pamph.* Sine te hoc exorem. *Sim.* Sino.
Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chreme.
Chr. Pro peccato magno paulum ſupplicii ſatis eſt patri.

ACTUS V. SCENA IV.

Crito, Chremes, Simo, Pamphilus.

MItte orare. una harum quævis cauſa me, ut faciam, monet:
Vel tu, vel quod verum eſt, vel quod ipſi cupio Glycerio.
Chr. Andrium ego Critonem video? certe is eſt. *Cr.* Salvos ſis, Chreme.
Chr. Quid tu Athenas inſolens? *Chr.* Evenit. ſed hiccine eſt Simo?
Chr. Hic eſt. *Sim.* Men' quæris? eho, tu Glycerium hinc civem eſſe ais?
Cr. Tu negas? *Sim.* Itane huc paratus advenis? *Cr.* Quare? *Sim.* Rogas?
Tune impune hæc facias? tune hic homines adoleſcentulos,
Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis?
Sollicitando, & pollicitando eorum animos lactas?
Cr. Sanun' es?
Sim. Ac meritricios amores nuptiis conglutinas?
Pamph. Perii: metuo, ut ſubſtet hoſpes. *Chr.* Si, Simo, hunc noris ſatis,
Non ita arbitrere. bonus eſt hic vir. *Sim.* Hic vir ſit bonus?
Itane adtemperate venit hodie in ipſis nuptiis,
Ut veniret antehac numquam? eſt vero huic credendum, Chreme?
Pamph. Ni metuam patrem, habeo pro illa re, illum quod moneam probe.
Sim. Sycophanta. *Cr.* Hem. *Chr.* Sic, Crito, eſt hic: mitte. *Cr.* Videat, qui ſiet.
Si mihi pergit, quæ volt, dicere; ea, quæ non volt, audiet.
Ego iſtæc moveo, aut curo? non tu tuum malum æquo animo feres?
Nam, ego quæ dico, vera, an falſa audieris, jam ſciri poteſt.
Atticus quidam olim navi fracta ad Andrum ejectus eſt,
Et iſtæc una parva virgo. tum ille egens forte applicat
Primum ad Chryſidis patrem ſe. *Sim.* Fabulam inceptat. *Chr.* Sine.
Cr. Itane vero obturbat? *Chr.* Perge. *Cr.* Tum is mihi cognatus fuit,
Qui eum recepit. ibi ego audivi ex illo, ſeſe eſſe Atticum.
Is ibi mortuus eſt. *Chr.* Ejus nomen? *Cr.* Nomen tam cito tibi? Phania. *Chr.* Hem,
Perii. *Cr.* Verum hercle opinor fuiſſe Phaniam. hoc certo ſcio,
Rhamnuſium ſe ajebat eſſe. *Chr.* O Jupiter! *Cr.* Eadem hæc, Chreme,
Multi alii in Andro tum audivere. *Chr.* Utinam id ſit quod ſpero. eho, dic mihi,
Quid eam tum? ſuamne eſſe ajebat? *Cr.* Non. *Chr.* Cujam igitur? *Cr.* Fratris filiam.
Chr. Certe mea eſt. *Cr.* Quid ais? *Sim.* Quid tu? quid ais? *Pamph.* Arrige aures, Pamphile.

Sim. Qui credis? *Chr.* Phania ille, frater meus fuit. *Sim.* Noram, & ſcio.
Chr. Is hinc bellum fugiens, meque in Aſiam perſequens, proficiſcitur.
Tum illam hic relinquere eſt veritus. poſtilla nunc primum audio,
Quid illo ſit factum. *Pamph.* Vix ſum apud me: ita animus commotus eſt metu,
Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.
Sim. Næ illam multimodis tuam inveniri gaudeo. *Pamph.* Credo, pater.
Chr. At mihi unus ſcrupulus etiam reſtat, qui me male habe. *Pamph.* Dignus es
Cum tua religione odio. nodum in ſcirpo quæris. *Cr.* Quid illud eſt?
Chr. Nomen non convenit. *Cr.* Fuit hercle aliud huic parvæ. *Chr.* Quod, Crito?
Numquid meminiſti? *Cr.* Id quæro. *Pamph.* Egone hujus memoriam patiar meæ
Voluptati obſtare, cum ego poſſim in hac re medicari mihi?
Non patiar. heus Chreme: quod quæris, Paſibula eſt. *Cr.* Ipſa eſt. *Chr.* Ea eſt.
Pamph. Ex ipſa millies audivi. *Sim.* Omnes nos gaudere hoc, Chreme,
Te credo credere. *Chr.* Ita me Dii ament, credo. *Pamph.* Quid reſtat, pater?
Sim. Jamdudum res reduxit me ipſa in gratiam. *Pamph.* O lepidum patrem:
De uxore ita, ut poſſedi, nihil mutat Chremes. *Chr.* Cauſſa optuma eſt,
Niſi quid pater aliud ait. *Pamph.* Nempe. *Sim.* Scilicet. *Chr.* Dos, Pamphile, eſt
Decem talenta. *Pamph.* Accipio. *Chr.* Propero ad filiam. Eho mecum, Crito:
Nam illam me haud noſſe, credo. *Sim.* Cur non illam huc transferri jubes?
Pamph. Recte admones. Davo ego iſtuc dedam jam negoti. *Sim.* Non poteſt.
Pamph. Qui? *Sim.* Quia habet aliud magis ex ſeſe, & majus. *Pamph.* Quidnam? *Sim.* Vinctus eſt.
Pamph. Pater, non recte vinctus eſt. *Sim.* Haud ita juſſi. *Pamph.* Jube ſolvi, obſecro.
Sim. Age, fiat. *Pamph.* At matura. *Sim.* Eo intro. *Pamph.* O fauſtum & felicem diem.

ACTUS V. SCENA V.

Charinus, Pamphilus.

PRoviſo, quid agat Pamphilus: atque eccum. *Pamph.* Aliquis forſan me putet
Non putare hoc verum: at mihi nunc ſic eſſe hoc verum lubet.
Ego vitam deorum propterea ſempiternam eſſe arbitror,
Quod voluptates eorum propriæ ſunt. nam mihi immortalitas
Parta eſt, ſi huic nulla ægritudo gaudio interceſſerit.
Sed quem ego potiſſumum exoptem nunc mihi, cui hæc narrem, dari?
Char. Quid illud gaudi eſt? *Pamph.* Davom video. nemo eſt, quem mallem, omnium:
Nam hunc ſcio mea ſolide ſolum gaviſurum gaudia.

ACTUS V. SCENA VI.

Davus, Pamphilus, Charinus.

PAmphilus ubinam hic eſt? *Pamph.* Dave. *Dav.* Quis homo 'ſt? *Pamph.* Ego ſum. *Dav.* O Pamphile.
Pamph. Neſcis quid mihi obtigerit. *Dav.* Certe: ſed, quid mihi obtigerit, ſcio.
Pamph. Et quidem ego. *Dav.* More hominum evenit, ego ut quod ſim nactus mali,
Prius reſciſceres tu, quam ego, tibi quod evenit boni.
Pamph. Mea Glycerium ſuos parentes reperit. *Dav.* O factum bene!
Char. Hem. *Pamph.* Pater amicus ſummus nobis. *Dav.* Quis? *Pamph.* Chremes. *Dav.* Narras probe.
Pamph. Nec mora ulla eſt, quin jam uxorem ducam. *Char.* Num ille ſomniat
Ea, quæ vigilans voluit? *Pamph.* Tum de puero, Dave? *Dav.* Ah, deſine:
Solus eſt, quem diligunt Di. *Char.* Salvos ſum, ſi hæc vera ſunt.
Colloquar. *Pamph.* Quis homo eſt? Charine, in tempore ipſo mi advenis.
Char. Bene factum. *Pamph.* Hem, audiſti? *Char.* Omnia. age, me in tuis ſecundis reſpice.
Tuus eſt nunc Chremes. facturum, quæ voles, ſcio eſſe omnia.
Pamph. Memini: atque adeo longum eſt, nos illum expectare, dum exeat.
Sequere hac me intus ad Glycerium nunc. tu Dave, abi domum,
Propere accerſe, hinc qui auferant eam. quid ſtas? quid ceſſas? *Dav.* Eo.
Ne expectetis, dum exeant huc: intus deſpondebitur:
Intus tranſigetur, ſi quid eſt, quod reſtet. Plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

EUNU-

EUNUCHUS.

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS, L. POSTUMIO ALBINO, L. CORNELIO MERULA ÆDILIBUS CURULIBUS. EGERE L. AMBIVIUS TURPIO, L. ATTILIUS PRÆNESTINUS. MODULAVIT FLACCUS CLAUDII, TIBIIS DUABUS DEXTRIS. GRÆCA MENANDRU. ACTA II. M. VALERIO, C. FANNIO COSS.

PERSONÆ.

PROLOGUS.

PHÆDRIA, *adoleſcens.*
PARMENO, *ſervus.*
THAIS, *meretrix.*
GNATHO, *paraſitus.*
CHÆREA, *adoleſcens.*
THRASO, *miles.*
PYTHIAS, *ancilla.*
CHREMES, *adoleſcens ruſticus.*
ANTIPHO, *adoleſcens.*
DORIAS, *ancilla.*
DORUS, *eunuchus.*
SANGA, *ſervus.*
SOPHRONA, *nutrix.*
LACHES, *ſenex.*

PERSONÆ MUTÆ.

SIMALIO)
DONAX) *militis ſervi.*
SYRISCUS)
PAMPHILA, *adoleſcentula.*

ARGUMENTUM.

C. SULPICIO APOLLINARI AUCTORE.

Sororem falſo dictitatam Thaidis,
Id ipſum ignorans, miles advexit Thraſo,
Ipſique donat. erat hæc civis Attica.
Eidem Eunuchum, quem emerat, tradi jubet
Thaidis amator Phædria, ac rus ipſe abit,
Thraſoni oratus biduum concederet.
Ephebus frater Phædriæ, puellulam
Cum deperiret dono miſſam Thaidi,
Ornatu Eunuchi induitur: ſuadet Parmeno:
Introit: vitiat virginem. ſed Atticus
Civis repertus frater ejus, conlocat
Vitiatam ephebo: Phædriam exorat Thraſo.

PROLOGUS.

SI quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis
Quamplurimis, & minime multos lædere;
In his poeta hic nomen profitetur ſuum.
Tum ſi quis eſt, qui dictum in ſe inclementius
Exiſtimavit eſſe, ſic exiſtimet,
Reſponſum, non dictum eſſe, quia læſit prior,
Qui bene vertendo, & eaſdem ſcribendo male, ex
Græcis bonis Latinas fecit non bonas.
Idem Menandri Phaſma nunc nuper dedit,
Atque in Theſauro ſcripſit, cauſam dicere
Prius unde petitur, aurum quare ſit ſuum,
Quam illic, qui petit, unde is ſit theſaurus ſibi,
Aut unde in patrium monumentum pervenerit.
Dehinc ne fruſtretur ipſe ſe, aut ſic cogitet;
Defunctus jam ſum, nihil eſt quod dicat mihi.
Is ne erret, moneo, & deſinat laceſſere:
Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur:
Quæ proferentur poſt, ſi perget lædere
Ita, ut facere inſtituit, nunc quam acturi ſumus
Menandri Eunuchum, poſtquam ædiles emerunt,
Perfecit, ſibi ut inſpiciundi eſſet copia,
Magiſtratus cum ibi adeſſet, occepta eſt agi.
Exclamat, furem, non poetam fabulam
Dediſſe, & nil dediſſe verborum tamen:
Colacem eſſe Nævi, & Plauti veterem fabulam:
Paraſiti perſonam inde ablatam, & militis.
Si id eſt peccatum, peccatum imprudentia eſt
Poetæ, non quo furtum facere ſtuduerit.
Id ita eſſe, vos jam judicare poteritis.
Colax Menandri eſt: in ea eſt paraſitus Colax,
Et Miles glorioſus: eas ſe non negat
Perſonas tranſtuliſſe in Eunuchum ſuam
Ex Greca: ſed eas fabulas factas prius
Latinas ſciſſe ſeſe, id vero pernegat.
Quod ſi perſonis iiſdem uti aliis non licet:
Qui magi' licet currentes ſervos ſcribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,
Paraſitum edacem, glorioſum militem,
Puerum ſupponi, falli per ſervom ſenem,
Amare, odiſſe, ſuſpicari? denique
NULLUM EST JAM DICTUM, quod non ſit dictum prius.
Quare æquom eſt vos cognoſcere, atque ignoſcere,
Quæ veteres factitarunt, ſi faciunt novi.
Date operam, & cum ſilentio animadvortite,
Ut pernoſcatis, quid ſibi Eunuchus velit.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Phædria, Parmeno.

QUid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem,
Cum acceſſor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Excluſit, revocat. redeam? non, ſi me obſecret.

Par. Siquidem hercle poſſis, nil prius, neque fortius:
Verum ſi incipies, neque pertendes gnaviter,
Atque, ubi pati non poteris, cum nemo expetet,
Infecta pace, ultro ad eam venies, indicans
Te amare, & ferre non poſſe; actum eſt, ilicet,
Periſti: eludet, ubi te victum ſenſerit.

Ph. Proin' tu, dum eſt tempus, etiam atque etiam cogita.

Par. Here, quæ res in ſe neque conſilium neque modum
Habet ullum, eam conſilio regere non potes.
In amore hæc omnia inſunt vitia; injuria,

Suſpi-

Suſpiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rurſum. incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas:
Egone illam? quæ illum? quæ me? quæ non? ſine modo:
Mori me malim: ſentiet qui vir ſiem.
Hæc verba mehercule una falſa lacrumula,
Quam, oculos terendo miſere, vix vi expreſſerit,
Reſtinguet, & te ultro accuſabit, & ei dabis
Ultro ſupplicium. *Phæd.* O indignum facinus! nunc ego &
Illam ſceleſtam eſſe, & me miſerum ſentio:
Et tædet: & amore ardeo: & prudens, ſciens,
Vivos, videnſque pereo: nec, quid agam, ſcio.
Par. Quid agas? niſi ut te redimas captum quam queas
Minimo. ſi nequeas paululo, at quanti queas:
Et te ne afflictes. *Phæd.* Itane ſuades? *Par.* Si ſapis:
Neque, præterquam quas ipſe amor moleſtias
Habet, addas; & illas quas habet, recte feras.
Sed ecce ipſa egreditur noſtri fundi calamitas:
Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.

ACTUS I. SCENA II.

Thais, Phædria, Parmeno.

MIſeram me! vereor ne illud gravius Phædria
Tulerit, neve aliorſum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromiſſus non eſt. *Phæd.* Totus, Parmeno,
Tremo horreoque, poſtquam aſpexi hanc. *Par.* Bono animo es:
Accede ad ignem hunc, jam caleſces plus ſatis.
Th. Quis hic loquitur? hem, tun' eras, mi Phædria?
Quid hic ſtabas? cur non recta introibas. *Par.* Ceterum
De excluſione verbum nullum. *Th.* Quid taces?
Phæd. Sane quia vero hæ mihi patent ſemper fores,
Aut quia ſum apud te primus. *Th.* Miſſa iſtæc face.
Phæd. Quid miſſa? o Thais, Thais, utinam eſſet mihi
Pars æqua amoris tecum; ac pariter fieret,
Ut aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet;
Aut ego iſtuc abs te factum nihili penderem.
Th. Ne crucia te, obſecro, anime mi, Phædria.
Non pol, quo quemquam plus amem, aut plus diligam,
Eo feci: ſed ita erat res: faciundum fuit.
Par. Credo, ut fit, miſera præ amore excluſiſti hunc foras.
Th. Siccine agis, Parmeno? age. ſed, huc qua gratia
Te accerſi juſſi, auſculta. *Phæd.* Fiat. *Th.* Dic mihi
Hoc primum, potin' eſt hic tacere? *Par.* Egone? optume.
Verum heus tu, lege hac tibi meam adſtringo fidem:
Quæ vera audivi, taceo, & contineo optume:
Sin falſum, aut vanum, aut fictum eſt, continuo palam eſt.
Plenus rimarum ſum, hac atque illac perfluo.
Proin tu, taceri ſi vis, vera dicito.
Th. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.
Par. Poteſt taceri hoc. *Th.* Ibi tum matri parvolam
Puellam dono quidam mercator dedit,
Ex Attica hinc abreptam. *Phæd.* Civemne? *Th.* Arbitror:
Certum non ſcimus: matris nomen & patris
Dicebat ipſa: patriam & ſigna cætera
Neque ſcibat, neque per ætatem etiam potuerat.
Mercator hoc addebat, e prædonibus,
Unde emerat, ſe audiſſe, abreptam e Sunio.
Mater ubi accepit, cœpit ſtudioſe omnia
Docere, educere, ita uti ſi eſſet filia.
Sororem plerique eſſe credebant meam.
Ego cum illo, quocum tum uno rem habebam, hoſpite
Abii huc, qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omnia.
Par. Utrumque hoc falſum eſt: effluet. *Th.* Qui iſtuc? *Par.* Quia
Neque tu uno eras contenta, neque ſolus dedit:
Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit.
Th. Ita eſt. ſed ſine me pervenire, quo volo.
Interea miles, qui me amare occœperat,
In Cariam eſt profectus. te interea loci
Cognovi. tute ſcis, poſtilla quam intumum
Habeam te, & mea conſilia ut tibi credam omnia.
Phæd. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. *Par.* Oh, dubiumne id eſt?
Th. Hoc agite, amabo. mater mea illic mortua eſt
Nuper. ejus frater aliquantum ad rem eſt avidior.
Is ubi hanc forma videt honeſta virginem,
Et fidibus ſcire, pretium ſperans, illico
Producit, vendit. forte fortuna adfuit
Hic meus amicus: emit eam dono mihi,
Imprudens harum rerum ignaruſque omnium.
Is venit: poſtquam ſenſit me tecum quoque
Rem habere, fingit cauſſas, ne det, ſedulo:
Ait, ſi fidem habeat, ſe iri præpoſitum tibi
Apud me, ac non id metuat, ne, ubi eam acceperim,
Seſe relinquam, velle ſe illam mihi dare;
Verum id vereri. ſed, ego quantum ſuſpicor,
Ad virginem animum adjecit. *Phæd.* Etiamne amplius?
Th. Nil: nam quæſivi. nunc ego eam, mi Phædria,
Multæ ſunt cauſæ, quamobrem cupiam abducere.
Primum, quod ſoror eſt dicta: præterea ut ſuis
Reſtituam ac reddam. ſola ſum; habeo hic neminem,
Neque amicum neque cognatum. quamobrem, Phædria,
Cupio aliquos parere amicos beneficio meo.
Id, amabo, adjuta me, quo id fiat facilius.
Sine illum priores partes hoſce aliquot dies
Apud me habere. nihil reſpondes? *Phæd.* Peſſuma!
Egon' quidquam cum iſtis factis tibi reſpondeam?
Par. Eu noſter! laudo. tandem perdoluit: vir es.
Phæd. Haud ego neſcibam, quorſum tu ires. parvola
Hinc eſt abrepta: eduxit mater pro ſua:
Soror eſt dicta: cupio abducere, ut reddam ſuis.
Nempe omnia hæc nunc verba huc redeunt denique:
Excludor ego, ille recipitur. qua gratia?
Niſi illum plus amas, quam me, & iſtam nunc times,
Quæ advecta eſt, ne illum talem præripiat tibi?
Th. Ego id timeo? *Phæd.* Quid te ergo aliud ſollicitat, cedo?
Num ſolus ille dona dat? nuncubi meam
Benignitatem ſenſiſti in te claudier?
Nonne, ubi mihi dixti cupere te ex Æthiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quæſivi? porro eunuchum dixti velle te,
Quia ſolæ utuntur his reginæ. repperi.
Heri minas viginti pro ambobus dedi:

Tamen

Tamen contemtus abs te, hæc habui in memoria:
Ob hæc facta abs te ſpernor. *Th.* Quid iſtic, Phædria?
Quamquam illam cupio abducere, atque hac re arbitror
Id fieri poſſe maxume; verum tamen,
Potius quam te inimicum habeam, faciam uti juſſeris.
Phæd. Utinam iſtuc verbum ex animo ac vere diceres,
Potius quam te inimicum habeam. ſi iſtuc crederem
Sincere dici, quidvis poſſem perpeti.
Par. Labaſcit, victus uno verbo, quam cito!
Th. Ego non ex animo miſera dico? quam joco
Rem voluiſti a me tandem, quin perfeceris?
Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum
Saltem ut concedas ſolum. *Phæd.* Siquidem biduum.
Verum ne fiant iſti viginti dies.
Th. Profecto non plus biduum, aut. *Phæd.* Aut? nihil moror.
Th. Non fiet. hoc modo ſine te exorem. *Phæd.* Scilicet
Faciundum eſt, quod vis. *Th.* Merito te amo. bene facis.
Phæd. Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum:
Ita facere certum eſt: mos gerundu' eſt Thaidi.
Tu, Parmeno, huc fac illi adducantur. *Par.* Maxume.
Phæd. In hoc biduum, Thais, vale. *Th.* Mi Phædria,
Et tu. numquid vis aliud? *Phæd.* Egone quid velim?
Cum milite iſto præſens, abſens ut ſies:
Dies noctesque me ames: me deſideres:
Me ſomnies: me exſpectes: de me cogites:
Me ſperes: me te oblectes: mecum tota ſis:
Meus fac ſis poſtremo animus, quando ego ſum tuus.
Th. Me miſeram! forſitan hic mihi parum habeat fidem,
Atque ex aliarum ingeniis nunc me judicet.
Ego pol, quæ mihi ſum conſcia, hoc certo ſcio,
Neque me finxiſſe falſi quidquam, neque meo
Cordi eſſe quemquam cariorem hoc Phædria:
Et quidquid hujus feci, cauſa virginis
Feci: nam me ejus fratrem ſpero propemodum
Jam repperiſſe, adoleſcentem adeo nobilem: &
Is hodie venturum ad me conſtituit domum.
Concedam hinc intro, atque expectabo, dum venit.

ACTUS SECUNDUS

SCENA I.

Phædria, Parmeno.

HAc ita, ut juſſi, deducantur iſti. *Par.* Faciam. *Phæd.* At diligenter.
Par. Fiet. *Phæd.* At mature. *Par.* Fiet. *Phæd.* Satin' hoc mandatum eſt tibi?
Par. Ah, rogitare? quaſi difficile ſiet. utinam
Tam aliquid facile invenire poſſis, Phædria,
Hoc quam peribit. *Phæd.* Ego quoque una pereo, quod mi eſt carius.
Ne iſtuc tam iniquo patiare animo. *Par.* Minime: quia
Effectum dabo. Sed numquid aliud imperas?
Phæd. Munus noſtrum ornato verbis, quod poteris: &
Iſtum æmulum, quod poteris, ab ea pellito.
Par. Au, memini, tametſi nullus moneas. *Phæd.* Ego rus ibo, atque ibi manebo.
Par. Cenſeo. *Phæd.* Sed heus tu. *Par.* Quid vis? *Phæd.* Cenſen' poſſe me obfirmare &
Perpeti, ne redeam interea? *Par.* Tene? non hercle arbitror:
Nam aut jam revertere, aut mox noctu te adigent horſum inſomnia.
Phæd. Opus faciam, ut defatiger uſque, ingratiis ut dormiam.
Par. Vigilabis laſſus: hoc plus facies. *Phæd.* Ah, nil dicis, Parmeno.
Ejiciunda hercle hæc mollities animi. nimis me indulgeo.
Tandem ego non illa caream, ſi ſit opus, vel totum triduum? *Par.* Hui!
Univorſum triduum! vide quid agas. *Phæd.* Stat ſententia.
Par. Dii boni! quid hoc morbi eſt? adeon' homines immutarier
Ex amore, ut non cognoſcas eundem eſſe? hoc nemo fuit
Minus ineptus, magis ſeverus quiſquam, nec magi' continens.
Sed quis hic eſt, qui huc pergit? at at, hic quidem eſt paraſitus Gnatho
Militis. ducit ſecum una virginem dono huic: papæ!
Facie honeſta. mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo
Cum meo decrepito hoc eunucho. hæc ſuperat ipſam Thaidem.

ACTUS II. SCENA II.

Gnato, Parmeno.

DIi immortales! homini homo quid præſtat! ſtulto intelligens
Quid intereſt! hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi:
Conveni hodie adveniens quemdam mei loci hinc atque ordinis,
Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona.
Video ſentum, ſqualidum, ægrum, pannis anniſque obſitum.
Quid iſtuc, inquam, ornati eſt? Quoniam miſer, quod habui, perdidi,
Hem, quo redactus ſum! omnes noti me atque amici deſerunt.
Hic ego illum contemſi præ me: Quid, homo, inquam, ignaviſſume,
Itane paraſti te, ut ſpes nulla reliqua in te ſiet tibi?
Simul conſilium cum re amiſti? viden' me ex eodem ortum loco?
Qui color, nitor, veſtitus, quæ habitudo eſt corporis?
Omnia habeo, neque quidquam habeo: nil cum eſt, nil defit tamen.
At ego infelix neque ridiculus eſſe, neque plagas pati
Poſſum. Quid? tu is rebus credis fieri? tota erras via.
Olim iſti fuit generi quondam quæſtus apud ſeclum prius.
Hoc novom eſt aucupium: ego adeo hanc primus inveni viam.

Eſt

Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt,
Nec ſunt. hos conſector. hiſce ego non paro me ut rideant,
Sed eis ultro arrideo, & eorum ingenia admiror ſimul:
Quidquid dicunt, laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoque:
Negat quis? nego: ait? aio: poſtremo, imperavi egomet mihi,
Omnia aſſentari. is quæſtus nunc eſt multo uberrimus.
Par. Scitum hercle hominem! hic homines prorſum ex ſtultis inſanos facit.
Gn. Dum hæc loquimur, interea loci ad macellum ubi advenimus,
Concurrunt læti mi obviam cupedinarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores, aucupes,
Quibus & re ſalva & perdita profueram & proſum ſæpe:
Salutant: ad cœnam vocant: adventum gratulantur.
Ille ubi miſer, famelicus, videt me eſſe tanto honore,
Et tam facile victum quærere; ibi homo cœpit me obſecrare,
Ut ſibi liceret diſcere id de me. ſectari juſſi:
Si potis eſt, tamquam philoſophorum habent diſciplinæ ex ipſis
Vocabula, paraſiti itidem ut Gnathonici vocentur.
Par. Viden', otium & cibus quid facit alienus? *Gn.* Sed ego ceſſo
Ad Thaidem hanc deducere, & rogare ad cœnam ut veniat.
Sed Parmenonem ante oſtium Thaidis triſtem video,
Rivalis ſervom. ſalva res eſt: nimirum homines frigent.
Nebulonem hunc certum eſt ludere. *Par.* Hice hoc munere arbitrantur
Suam Thaidem eſſe. *Gn.* Plurima ſalute Parmenonem
Summum ſuum impertit Gnatho. quid agitur? *Par.* Statur. *Gn.* Video:
Numquidnam hic, quod nolis, vides? *Par.* Te. *Gn.* Credo. at numquid aliud?
Par. Qui dum? *Gn.* Quia triſti' es. *Par.* Nihil equidem. *Gn.* Ne ſis. ſed quid videtur
Hoc tibi mancupium? *Par.* Non malum hercle. *Gn.* Uro hominem. *Par.* Ut falſus animi eſt!
Gn. Quam hoc munus gratiam Thaidi arbitrare eſſe? *Par.* Hoc nunc dicis,
Ejectos hinc nos. OMNIUM RERUM, heus, viciſſitudo eſt.
Gn. Sex ego te totos, Parmeno, hos menſes quietum reddam;
Ne ſurſum, deorſum curſites; neve uſque ad lucem vigiles.
Ecquid beo te? *Par.* Men'? papæ! *Gn.* Sic ſoleo amicos. *Par.* Laudo.
Gn. Detineo te: fortaſſe tu profectus alio fueras.
Par. Nuſquam. *Gn.* Tum tu igitur paululum da mihi operæ: fac admittar
Ad illam. *Par.* Age, modo nunc tibi patent fores hæ, quia iſtam ducis.
Gn. Num quem evocari hinc vis foras? *Par.* Sine biduum hoc prætereat;
Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus,
Næ tu iſtas, faxo, calcibus ſæpe inſultabis fruſtra.
Gn. Etiam nunc hic ſtas, Parmeno? eho, numnam hic relictus cuſtos,
Ne quis forte internuncius clam a milite ad iſtam curſitet?
Par. Facete dictum! mira vero, militi quæ placeant.
Sed video herilem filium minorem huc advenire.
Miror, qui ex Piræeo abierit: nam ibi cuſtos publice eſt nunc.
Non temere eſt: & properans venit: neſcio quid circumſpectat.

ACTUS II. SCENA III.

Chærea, Parmeno.

Occidi.
Neque virgo eſt uſquam, neque ego, qui illam e conſpectu amiſi meo.
Ubi quæram? ubi inveſtigem? quem perconter? quam inſiſtam viam?
Incertus ſum: una hæc ſpes eſt: ubi ubi eſt, diu celari non poteſt.
O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres:
Tædet quotidianarum harum formarum. *Par.* Ecce autem alterum;
Neſcio quid de amore loquitur. o infortunatum ſenem!
Hic vero eſt, qui ſi occeperit, ludum jocumque dices
Fuiſſe illum alterum, præut hujus rabies quæ dabit.
Chær. Ut illum di deæque ſenium perdant, qui me hodie remoratus eſt;
Meque adeo, qui reſtiterim: tum autem qui illum flocci fecerim.
Sed eccum Parmenonem. ſalve. *Par.* Quid tu es triſtis? quidve alacris?
Unde is? *Chær.* Egone? neſcio hercle, neque unde eam, neque quorſum eam:
Ita prorſus ſum oblitus mei.
Par. Qui, quæſo? *Chær.* Amo. *Par.* Ehem! *Chær.* Nunc, Parmeno, te oſtendes, qui vir ſies.
Scis te mihi ſæpe pollicitum eſſe: Chærea, aliquid inveni
Modo, quod ames: in ea te utilitatem ego faciam ut cognoſcas meam:
Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.
Par. Age, inepte. *Chær.* Hoc hercle factum eſt. fac ſis nunc promiſſa appareant,
Sive adeo digna res eſt, ubi tu nervos intendas tuos.
Haud ſimilis virgo eſt virginum noſtrarum: quas matres ſtudent
Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut graciles ſient.
Si qua eſt habitior paulo, pugilem eſſe ajunt: deducunt cibum:
Tametſi bona eſt natura, reddunt curatura junceas:
Itaque ergo amantur. *Par.* Quid tua iſtæc? *Chær.* Nova figura oris. *Par.* Papæ!
Chær. Color verus, corpus ſolidum, & ſucci plenum. *Par.* Anni? *Chær.* Sedecim.
Par. Flos ipſe. *Chær.* Hanc tu mihi vi, clam, vel precario
Fac tradas: mea nil refert, dum potiar modo.
Par. Quid, virgo cuja eſt? *Chær.* Neſcio hercle. *Par.* Unde eſt? *Chær.* Tantumdem. *Par.* Ubi habitat?
Chær. Ne id quidem. *Par.* Ubi vidiſti? *Chær.* In via. *Par.* Qua ratione amiſiſti?
Chær. Id equidem adveniens mecum ſtomachabar modo:

Neque ego quemquam hominem eſſe arbitror, cui magis bonæ
Felicitates omnes adverſæ ſient.
Par. Quid hoc ſceleris eſt. *Chær.* Perii. *Par.* Quid factum eſt? *Chær.* Rogas?
Patris cognatum atque æqualem Archidemidem
Noſtin'? *Par.* Quidni? *Chær.* Is, dum ſequor hanc, fit mihi obviam.
Par. Incommode hercle. *Chær.* Immo enimvero infeliciter:
Nam incommoda alia ſunt dicenda, Parmeno.
Illum, liquet mihi dejerare, his menſibus
Sex, ſeptem prorſum non vidiſſe proxumis,
Niſi nunc, cum minime vellem, minimeque opus fuit.
Eho, nonne hoc monſtri ſimile eſt? quid ais? *Par.* Maxume.
Chær. Continuo accurrit ad me, quam longe quidem,
Incurvos, tremulus, labiis demiſſis, gemens:
Heus, heus, tibi dico, Chærea, inquit. reſtiti.
Scin' quid ego te volebam? Dic. Cras eſt mihi
Judicium. Quid tum? Ut diligenter nuncies
Patri, advocatus mane mihi eſſe ut meminerit.
Dum hæc loquitur, abiit hora. rogo, numquid velit.
Recte, inquit. Abeo. cum huc reſpicio ad virginem,
Illa ſeſe interea commodum huc advorterat
In noſtram hanc plateam. *Par.* Mirum, ni hanc dicit, modo
Huic quæ data eſt dono. *Chær.* Huc cum advenio, nulla erat.
Par. Comites ſecuti ſcilicet ſunt virginem?
Chær. Verum, paraſitus cum ancilla. *Par.* Ipſa eſt: ilicet,
Deſine, jam conclamatum eſt. *Chær.* Alias res agis.
Par. Iſtuc equidem ago. *Chær.* Noſtin' quæ ſit? dic mihi: aut
Vidiſtin'? *Par.* Vidi, novi: ſcio, quo abducta ſit.
Chær. Eho, Parmeno mi, noſtin'? *Par.* Novi. *Chær.* Et ſcis, ubi ſiet?
Par. Huc deducta eſt ad meretricem Thaidem: ei dono data eſt.
Chær. Quis is eſt tam potens cum tanto munere hoc? *Par.* Miles Thraſo
Phædriæ rivalis. *Chær.* Duras partes fratris prædicas.
Par. Immo enim, ſi ſcias, quod donum huic dono contra comparet,
Tum magis id dicas. *Chær.* Quodnam, quæſo hercle? *Par.* Eunuchum. *Chær.* Illumne, obſecro,
Inhoneſtum hominem, quem mercatus eſt heri, ſenem, mulierem?
Par. Iſtunc ipſum? *Chær.* Homo quatietur certe cum dono foras.
Sed iſtam Thaidem non ſcivi nobis vicinam. *Par.* Haud diu eſt.
Chær. Perii. numquamne etiam me illam vidiſſe? ehodum, dic mihi,
Eſtne, ut fertur, forma? *Par.* Sane. *Chær.* At nihil ad noſtram hanc. *Par.* Alia res eſt.
Chær. Obſecro te hercle, Parmeno, fac, ut potiar. *Par.* Faciam ſedulo, ac
Dabo operam, adjuvabo. numquid me aliud? *Chær.* Quo nunc is? *Par.* Domum.
Ut mancipia hæc, ita ut juſſit frater, deducam ad Thaidem.
Chær. O fortunatum iſtum eunuchum, qui quidem in hanc detur domum!
Par. Quid ita? *Chær.* Rogitas? ſumma forma ſemper conſervam domi
Videbit, conloquetur, aderit una in unis ædibus,
Cibum nonnumquam capiet cum ea, interdum propter dormiet.
Par. Quid, ſi nunc tute fortunatus fias? *Chær.* Qua re, Parmeno?
Reſponde. *Par.* Capias tu illiu' veſtem. *Chær.* Veſtem? quid tum poſtea?
Par. Pro illo te deducam. *Chær.* Audio. *Par.* Te illum eſſe dicam. *Chær.* Intellego.
Par. Tu illis fruare commodis, quibus tu illum dicebas modo:
Cibum una capias, adſis, tangas, ludas, propter dormias:
Quandoquidem illarum neque quiſquam te novit, neque ſcit, qui ſies.
Præterea forma, ætas ipſa eſt, facile ut te pro Eunucho probes.
Chær. Dixiſti pulchre: numquam vidi melius conſilium dari.
Age, eamus intro nunc jam: orna me, abduc, duc, quantum poteſt.
Par. Quid agis? jocabar equidem. *Chær.* Garris. *Par.* Perii, quid ego egi miſer!
Quo trudis? perculeris jam tu me! tibi equidem dico, mane.
Chær. Eamus. *Par.* Pergin'? *Chær.* Certum eſt. *Par.* Vide, ne nimium calidum hoc ſit modo.
Chær. Non eſt profecto. ſine. *Par.* At enim iſtæc in me cudetur faba. ah,
Flagitium facimus. *Chær.* An id flagitium eſt, ſi in domum meretriciam
Deducar, & illis crucibus, quæ nos, noſtramque adoleſcentiam
Habent deſpicatam, & quæ nos ſemper omnibus cruciant modis,
Nunc referam gratiam, atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur?
An potius hæc pati? æquom eſt fieri, ut a me ludatur dolis.
Quod qui reſcierint, culpent: illud merito factum omnes putent.
Par. Quid iſtuc? ſi certum eſt facere, facias. verum ne poſt conferas
Culpam in me. *Chær.* Non faciam. *Par.* jubeſne? *Chær.* jubeo, immo cogo, atque impero.
Numquam defugiam auctoritatem. *Par.* Sequere. *Chær.* Dii vortant bene.

ACTUS TERTIUS

SCENA I.

Thraſo, Gnatho, Parmeno.

MAgnas vero agere gratias Thais mihi? *Gn.* Ingentes. *Thr.* Ain' tu, læta eſt? *Gn.* Non tam ipſo quidem
Dono, quam abs te datum eſſe: id vero ſerio
Triumphat. *Par.* Huc proviſo, ut, ubi tempus ſiet,
Deducam. ſed eccum militem. *Thr.* Eſt iſtuc datum
Profecto, ut grata mihi ſint quæ facio omnia.
Gn. Advorti hercle animum. *Thr.* Vel rex ſemper maxumas

Mihi

Mihi agebat, quidquid feceram: aliis non item.
Gn. Labore alieno magno partam gloriam
Verbis ſæpe in ſe tranſmovet, qui habet ſalem;
Qui in te eſt. *Thr.* Habes. *Gn.* Rex te ergo in oculis, *Thr.* Scilicet.
Gn. Geſtare. *Thr.* Verum, credere omnem exercitum,
Conſilia. *Gn.* Mirum. *Thr.* Tum ſicubi eum ſatietas
Hominum, aut negoti ſi quando odium ceperat,
Requieſcere ubi volebat, quaſi: noſtin'? *Gn.* Scio.
Quaſi ubi illam exſpueret miſeriam ex animo. *Thr.* Tenes.
Tum me convivam ſolum abducebat ſibi. *Gn.* Hui!
Regem elegantem narras. *Thr.* Immo ſic homo
Eſt perpaucorum hominum. *Gn.* Immo nullorum, arbitror,
Si tecum vivit. *Thr.* Invidere omnes mihi,
Mordere clanculum: ego non flocci pendere:
Illi invidere miſere. verum unus tamen
Impenſe, elephantis quem Indicis præfecerat.
Is ubi moleſtus magis eſt, quæſo, inquam, Strato,
Eone es ferox, quia habes imperium in belluas?
Gn. Pulchre mehercle dictum, & ſapienter. papæ!
Jugularas hominem. quid ille? *Thr.* Mutus illico.
Gn. Quidni eſſet? *Par.* Di voſtram fidem! hominem perditum,
Miſerumque; & illum ſacrilegum! *Thr.* Quid? illud, Gnatho,
Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio,
Numquam tibi dixi? *Gn.* Numquam: ſed narra, obſecro.
Plus millies jam audivi. *Thr.* Una in convivio
Erat hic, quem dico, Rhodius adoleſcentulus:
Forte habui ſcortum: cœpit ad id alludere,
Et me irridere. quid agis, inquam, homo impudens?
LEPUS TUTE ES, & pulpamentum quæris. *Gn.* Ha, ha, hæ.
Thr. Quid eſt? *Gn.* Facete, lepide, laute, nihil ſupra.
Tuumne, obſecro te, hoc dictum erat? vetu' credidi.
Thr. Audieras? *Gn.* Sæpe; & fertur in primis. *Thr.* Meum eſt.
Gn. Dolet dictum imprudenti adoleſcenti, & libero.
Par. At te Di perdant. *Gn.* Quid ille, quæſo? *Thr.* Perditus.
Riſu omnes, qui aderant, emoriri. denique,
Metuebant omnes jam me. *Gn.* Non injuria.
Thr. Sed heus tu, purgon' ego me de iſtac Thaidi,
Quod eam me amare ſuſpicata eſt? *Gn.* Nihil minus:
Immo magis auge ſuſpicionem. *Thr.* Cur? *Gn.* Rogas?
Scin'? ſi quando illa mentionem Phædriæ
Facit, aut ſi laudat, te ut male urat: *Thr.* Sentio.
Gn. Id ut ne fiat, hæc res ſola eſt remedio.
Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuo. ſi quando illa dicet, Phædriam
Intromittamus comiſſatum; Pamphilam
Cantatum provocemus. ſi laudabit hæc
Illius formam; tu hujus contra. denique
Par pro pari referto, quod eam mordeat.
Thr. Siquidem me amaret, tum iſtuc prodeſſet, Gnato.
Gn. Quando illud, quod tu das, expectat, atque amat,
Jamdudum te amat: jamdudum illi facile fit
Quod doleat. metuet ſemper, quem ipſa nunc capit
Fructum, ne quando iratus tu alio conferas.
Thr. Bene dixti. at mihi iſtuc non in mentem venerat.
Gn. Ridiculum: non enim cogitaras. cæterum,
Idem hoc tute melius quanto inveniſſes, Thraſo!

ACTUS III. SCENA II.

Thais, Thraſo, Parmeno, Gnatho, Pythias.

AUdire vocem viſa ſum modo militis:
Atque eccum. ſalve, mi Thraſo. *Thr.* O Thais mea,
Meum ſuavium, quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina iſtac? *Par.* Quam venuſte! quod dedit
Principium adveniens! *Th.* Plurimum merito tuo.
Gn. Eamus ergo ad cœnam: quid ſtas? *Par.* Hem alterum.
Ex homine hunc natum dicas. *Th.* Ubi vis, non moror.
Par. Adibo, atque adſimulabo, quaſi nunc exeam.
Ituran', Thais, quopiam es? *Th.* Ehem, Parmeno,
Bene pol feciſti: hodie itura. *Par.* Quo? *Th.* Quid? hunc non vides?
Par. Video, & me tædet. ubi vis, dona adſunt tibi
A Phædria. *Thr.* Quid ſtamus? cur non imus hinc?
Par. Quæſo hercle ut liceat, pace quod fiat tua,
Dare huic quæ volumus, convenire & colloqui.
Thr. Perpulchra credo dona, haud noſtris ſimilia.
Par. Res indicabit. heus jubete iſtos foras
Exire, quos juſſi. ocyus procede tu huc.
Ex Æthiopia eſt uſque hæc. *Thr.* Hic ſunt tres minæ.
Gn. Vix. *Par.* Ubi tu es, Dore? accede huc. hem Eunuchum tibi:
Quam liberali facie, quam ætate integra!
Th. Ita me di ament, honeſtus. *Par.* Quid tu ais, Gnatho?
Numquid habes, quod contemnas? quid tu autem, Thraſo?
Tacent: ſatis laudant. fac periclum in literis,
Fac in palæſtra, in muſicis: quæ liberum
Scire æquom eſt adoleſcentem, ſolertem dabo.
Thr. Ego illum eunuchum, ſi opu' ſiet, vel ſobrius.
Par. Atque hæc qui miſit, non ſibi ſoli poſtulat
Te vivere, & ſua cauſſa excludi ceteros:
Neque pugnas narrat, neque cicatrices ſuas
Oſtentat, neque tibi obſtat: quod quidam facit.
Verum, ubi moleſtum non erit, ubi tu voles,
Ubi tempus tibi erit, ſat habet, ſi tum recipitur.
Thr. Apparet ſervom hunc eſſe domini pauperis,
Miſerique. *Gn.* Nam hercle nemo poſſet, ſat ſcio,
Qui haberet, qui pararet alium, hunc perpeti.
Par. Tace tu, quem ego eſſe infra infimos omnes puto
Homines. nam qui huic animum aſſentari induxeris,
E flamma petere te cibum poſſe arbitror.
Thr. Jamne imus? *Th.* Hos prius introducam, &, quæ volo,
Simul imperabo. poſtea, continuo exeo.
Thr. Ego hinc abeo: tu iſtam opperire. *Par.* Haud convenit,
Una cum amica ire imperatorem in via.
Thr. Quid tibi ego multa dicam? domini ſimilis es.
Gn. Ha, ha, hæ. *Thr.* Quid rides? *Gn.* Iſtuc, quod dixti modo:
Et illud de Rhodio dictum in mentem venit.
Sed Thais exit. *Thr.* Abi, præcurre, ut ſint domi
Parata. *Gn.* Fiat. *Th.* Diligenter, Pythias,
Fac cures, ſi Chremes huc forte advenerit,
Ut ores, primum ut maneat: ſi id non commodum eſt,

Ut redeat: ſi id non poterit, ad me adducito.
Pyt. Ita faciam. *Thar.* Quid? quid aliud volui dicere?
Hem, curate iſtam diligenter virginem.
Domi adſitis, facite. *Thr.* Eamus. *Th.* Vos me ſequimini.

ACTUS III. SCENA III.

Chremes, Pythias.

PRofecto, quanto magi' magiſque cogito,
Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum:
Ita me video ab ea aſtute labefactarier.
Jam tum, cum primum juſſit me ad ſe accerſier,
(Roget quis, quid tibi cum illa? ne noram quidem)
Ubi veni, cauſam, ut ibi manerem, repperit:
Ait rem divinam feciſſe, & rem ſeriam
Velle agere mecum. jam tum erat ſuſpicio,
Dolo malo hæc fieri omnia. ipſa accumbere
Mecum, mihi ſeſe dare, ſermonem quærere.
Ubi friget, huc evaſit, quam pridem pater
Mihi & mater mortui eſſent. dico, jam diu.
Rus Sunii ecquod habeam, & quam longe a mari.
Credo ei placere hoc: ſperat ſe a me avellere.
Poſtremo, ecqua inde parva periiſſet ſoror;
Ecquis cum ea una; quid habuiſſet, cum perit;
Ecquis eam poſſet noſcere. hæc cur quæritet?
Niſi ſi illa forte quæ olim periit parvola
Soror, hanc ſe intendit eſſe, ut eſt audacia.
Verum ea, ſi vivit, annos nata eſt ſedecim,
Non major: Thais, ego quam ſum, majuſcula eſt.
Miſit porro orare, ut venirem, ſerio.
Aut dicat quid volt, aut moleſta ne ſiet.
Non hercle veniam tertio. heus, heus; ecquis hic?
Ego ſum Chremes. *Pyt.* O capitulum lepidiſſimum!
Chr. Dico ego mi inſidias fieri? *Pyt.* Thais maxumo
Te orabat opere, ut cras redires. *Chr.* Rus eo.
Pyt. Fac, amabo. *Chr.* Non poſſum, inquam. *Pyt.* At apud nos hic mane,
Dum redeat ipſa. *Chr.* Nihil minus. *Pyt.* Cur, mi Chremes?
Chr. Malam in rem hinc ibis. *Pyt.* Si iſtuc ita certum eſt tibi,
Amabo, ut illuc tranſeas, ubi illa eſt. *Chr.* Eo.
Pyt. Abi, Dorias, cito hunc deduce ad militem.

ACTUS III. SCENA IV.

Antipho.

HEri aliquot adoleſcentuli coiimus in Piræeum,
In hunc diem ut de ſymbolis eſſemus. Chæream ei rei
Præfecimus: dati annuli: locus, tempus conſtitutum eſt.
Præterit tempus: quo in loco dictum eſt, parati nihil eſt.
Homo ipſe nuſquam eſt: neque ſcio, quid dicam, aut quid conjectem.
Nunc mihi hoc negoti cæteri dedere, ut illum quæram.
Ibo ad eum; viſam, ſi domi eſt. quiſnam hinc a Thaide exit?
Is eſt, an non eſt? ipſu' eſt. quid hoc hominis eſt? qui hic ornatus eſt?
Quid illud mali eſt? nequeo ſatis mirari, neque conjicere.
Niſi quidquid eſt, procul hinc libet priu', quid ſit, ſciſcitari.

ACTUS III. SCENA V.

Chærea, Antipho.

NUm quis hic eſt? nemo eſt. numquis hinc me ſequitur? nemo homo eſt.
Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium? proh Jupiter!
Nunc eſt profecto, interfici cum perpeti me poſſum,
Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliqua.
Sed neminemne curioſum intervenire nunc mihi,
Qui me ſequatur, quoquo eam, rogitando obtundat, enecet,
Quid geſtiam, aut quid lætus ſim, quo pergam, unde emergam, ubi ſiem
Veſtitum hunc nactus, quid mihi quæram, ſanus ſim anne inſaniam?
Ant. Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo.
Chærea, quid eſt quod ſic geſtis? quid ſibi hic veſtitus quærit?
Quid eſt, quod lætus ſis? quid tibi vis? ſati' ne ſanus? quid me
Aſpectas? quid taces? *Chær.* O feſtus dies hominis! amice,
Salve: nemo eſt omnium, quem ego magis nunc cuperem quam te.
Ant. Narra iſtuc, quæſo, quid ſiet. *Chær.* Immo ego te obſecro hercle, ut audias.
Noſtin' hanc, quam frater amat? *Ant.* Novi. nempe, opinor, Thaidem.
Chær. Iſtam ipſam. *Ant.* Sic commemineram. *Chær.* Quædam hodie eſt ei dono data
Virgo. quid ego ejus tibi nunc faciem prædicem, aut laudem, Antipho.
Cum ipſum me noris, quam elegans formarum ſpectator ſiem?
In hac commotus ſum. *Ant.* Ain' tu? *Chær.* Primam dices, ſcio, ſi videris.
Quid multa verba? amare cœpi. forte fortuna domi
Erat quidam eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi:
Neque is deductus etiam tum ad eam. ſummonuit me Parmeno
Ibi ſervos, quod ego arripui. *Ant.* Quid id eſt? *Chær.* Tace ſis, citius audies.
Ut veſtem cum illo mutem, & pro illo jubeam me illuc ducier.
Ant. Pro eunuchon'? *Chær.* Sic eſt. *Ant.* Quid ex ea re tandem ut caperes commodi?
Chær. Rogas? viderem, audirem, eſſem una, qua cum cupiebam, Antipho.
Num parva cauſſa, aut parva ratio eſt? traditus ſum mulieri.
Illa illico ubi me accepit, læta vero ad ſe abducit domum,
Commendat virginem. *Ant.* Cui? tibine? *Chær.* Mihi. *Ant.* Satis tuto tamen.
Chær. Edicit, ne vir quiſquam ad eam adeat; & mihi, ne abſcedam, imperat,
In interiore parte ut maneam ſolus cum ſola. adnuo,

Terram

Terram intuens modeſte. *Ant.* Miſer. *Chær.* Ego, inquit, ad cœnam hinc eo:
Abducit ſecum ancillas: paucæ, quæ circum illam eſſent, manent
Novitiæ puellæ. continuo hæc adornant, ut lavet.
Adhortor, properent. dum apparatur, virgo in conclavi ſedet,
Suſpectans tabulam quamdam pictam, ubi inerat pictura hæc, Jovem
Quo pacto Danaæ miſiſſe ajunt quondam in gremium imbrem aureum.
Egomet quoque id ſpectare cœpi. & quia conſimilem luſerat
Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
Deum ſeſe in hominem convertiſſe, atque per alienas tegulas
Veniſſe clanculum per impluvium, fucum factum mulieri.
At quem Deum? qui templa cæli ſumma ſonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem? ego vero illud feci, ac lubens.
Hæc dum mecum reputo, accerſitur lavatum interea virgo.
It, lavit, redit: deinde eam in lectum illæ conlocant.
Sto expectans, ſi quid mihi imperent. venit una; heus tu, inquit, Dore,
Cape hoc flabellum, ventulum huic ſic facito, dum lavamur.
Ubi nos laverimus, ſi voles, lavato. accipio triſtis.
Ant. Tum equidem iſtuc os tuum impudens videre nimium vellem,
Qui eſſet ſtatus, flabellulum tenere te aſinum tantum.
Chær. Vix elocuta eſt hoc, foras ſimul omnes proruunt ſe:
Abeunt lavatum, perſtrepunt, ita ut fit, domini ubi abſunt.
Interea ſomnus virginem opprimit. ego limis ſpecto
Sic per flabellum clanculum: ſimul alia circumſpecto,
Satin' explorata ſint. video eſſe: peſſulum oſtio obdo.
Ant. Quid tum? *Chær.* Quid? quid tum, fatue? *Ant.* Fateor. *Chær.* An ego occaſionem
Mihi oſtentam tantam, tam brevem, tam optatam, tam inſperatam,
Amitterem? tum pol ego is eſſem vere, qui aſſimulabar.
Ant. Sane, hercle, ut dicis. ſed interim de ſymbolis quid actum eſt?
Chær. Paratum eſt. *Ant.* Frugi es. ubi? domin'? *Chær.* Immo apud libertum Diſcum.
Ant. Perlonge eſt: ſed tanto ocius properemus. muta veſtem.
Chær. Ubi mutem? perii: nam domo exſulo nunc. metuo fratrem,
Ne intus ſit: porro autem, pater ne rure redierit jam.
Ant. Eamus ad me: ibi proximum eſt ubi mutes. *Chær.* Recte dicis.
Eamus: & de iſtac ſimul, quo pacto porro poſſim
Potiri, conſilium volo capere una tecum. *Ant.* Fiat.

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

Dorias.

ITa me Dii ament, quantum ego illum vidi, non nihil timeo miſera,
Ne quam ille hodie inſanus turbam faciat, aut vim Thaidi.
Nam poſtquam iſte advenit Chremes, adoleſcens frater virginis:
Militem rogat, ut eum admitti jubeat. ille continuo iraſci.
Neque negare audere. Thais porro inſtare, ut hominem invitet.
Id faciebat retinendi illius cauſa: quia, illa quæ cupiebat
De ſorore ejus indicare, ad eam rem tempus non erat.
Invitat triſtis: manſit. ibi illa cum illo ſermonem occipit.
Miles vero ſibi putare adductum ante oculos æmulum:
Voluit facere contra huic ægre: heus, inquit, puer, Pamphilam
Arceſſe, ut delectet hic nos. illa exclamat, minime gentium.
In convivium illam? miles tendere. inde ad jurgium.
Interea aurum ſibi clam mulier demit, dat mihi ut auferam.
Hoc eſt ſigni, ubi primum poterit, ſe illinc ſubducet, ſcio.

ACTUS IV. SCENA II.

Phædria.

DUm rus eo, cœpi egomet mecum inter vias,
Ita ut fit, ubi quid in animo eſt moleſtiæ,
Aliam rem ex alia cogitare, & ea omnia in
Pejorem partem. quid opu'eſt verbis? dum hæc puto
Præterii imprudens villam. longe jam abieram,
Cum ſenſi. redeo rurſum male vero me habens.
Ubi ad ipſum veni diverticulum, conſtiti:
Occœpi mecum cogitare; hem, biduum hic
Manendum eſt ſoli ſine illa? quid tum poſtea?
Nihil eſt. quid? nihil? ſi non tangendi copia eſt,
Eho, ne videndi quidem erit? ſi illud non licet,
Saltem hoc licebit. certe, extrema linea
Amare, haud nihil eſt. villam prætereo ſciens.
Sed quid hoc, quod timida ſubito egreditur Pythias?

ACTUS IV. SCENA III.

Pythias, Phædria, Dorias.

UBi illum ego ſceleroſum miſera atque impium inveniam? aut ubi
Quæram? hoccine tam audax facinus facere eſſe auſum? perii. *Phæd.* Hoc quid ſit, vereor.
Pyt. Quin etiam inſuper ſcelu', poſtquam ludificatu' eſt virginem,
Veſtem omnem miſeræ diſcidit, tum ipſam capillo conſcidit.
Phæd. Hem. *Pyt.* Qui nunc ſi detur mihi,
Ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico?

Phæd.

Phæd. Neſcio quid profecto, abſente nobis, turbatum eſt domi.
Adibo. quid iſtuc? quid feſtinas? aut quem quæris, Pythias?
Pyt. Ehem Phædria, egon' quem quæram? i hinc, quo dignu' es, cum donis tuis
Tam inlepidis. *Phæd.* Quid iſtuc eſt rei?
Pyt. Rogas me? eunuchum quem dediſti nobis, quas turbas dedit?
Virginem, quam heræ dono dederat miles, vitiavit. *Phæd.* Quid ais?
Pyt. Perii. *Phæd.* Temulenta es. *Pyt.* Utinam ſic ſint, qui mihi male volunt.
Dor. Au, obſecro, mea Pythias, quid iſtucnam monſtri fuit?
Phæd. Inſanis: qui iſtuc facere eunuchus potuit? *Pyt.* Illum neſcio
Qui fuerit: hoc, quod fecit, res ipſa indicat.
Virgo ipſa lacrumat, neque, cum rogites quid ſit, audet dicere.
Ille autem bonus vir nuſquam apparet. etiam hoc miſera ſuſpicor,
Aliquid domo abeuntem abſtuliſſe. *Phæd.* Nequeo mirari ſatis,
Quo ille abire ignavos poſſet longius, niſi ſi domum
Forte ad nos rediit. *Pyt.* Viſe amabo, num ſit. *Phæd.* Jam faxo, ſcies.
Dor. Perii, obſecro. tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem.
Pyt. At pol ego amatores mulierum eſſe audieram eos maxumos,
Sed nihil poteſſe: verum miſeræ non in mentem venerat:
Nam illum aliquo concluſſem, neque illi commiſiſſem virginem.

ACTUS IV. SCENA IV.

Phædria, Eunuchus, Pythias, Dorias.

EXi foras ſceleſte: at etiam reſtitas,
Fugitive? prodi, male conciliate. *Eun.* Obſecro. *Phæd.* Oh,
Illud vide, os ut ſibi diſtorſit carnufex!
Quid huc reditio eſt? quid veſtis mutatio?
Quid narras? paulum ſi ceſſaſſem, Pythia,
Domi non offendiſſem: ita jam adornarat fugam.
Pyt. Habeſne hominem, amabo? *Phæd.* Quidni? *Pyt.* O factum bene!
Dor. Iſtuc pol vero bene. *Pyt.* Ubi eſt? *Phæd.* Rogitas? non vides?
Pyt. Videam, obſecro, quem? *Phæd.* Hunc ſcilicet. *Pyt.* Quis hic homo eſt?
Phæd. Qui ad vos deductus hodie eſt. *Pyt.* Hunc oculis ſuis
Noſtratum numquam quiſquam vidit, Phædria.
Phæd. Non vidit? *Pyt.* An tu hunc credidiſti eſſe, obſecro,
Ad nos deductum? *Phæd.* Namque alium habui neminem. *Pyt.* Au!
Ne comparandus hic quidem ad illum eſt. ille erat
Honeſta facie, & liberali. *Phæd.* Ita viſus eſt
Dudum, quia varia veſte exornatus fuit:
Nunc tibi videtur fœdus, quia illam non habet.
Pyt. Tace, obſecro: quaſi vero paulum interſiet.
Ad nos deductus hodie eſt adoleſcentulus,
Quem tu videre vero velles, Phædria.
Hic eſt vetus, vietus, veternoſus, ſenex,
Colore muſtelino. *Phæd.* Hem, quæ hæc eſt fabula?
Eo redigis me, ut, quid egerim, egomet neſciam.
Eho tu, emin' ego te? *Eun.* Emiſti. *Pyt.* Jube, mihi denuo
Reſpondeat. *Phæd.* Roga. *Pyt.* Veniſtin' hodie ad nos? negat.
At ille alter venit annos natus ſedecim:
Quem ſecum adduxit Parmeno. *Phæd.* Agedum, hoc mihi expedi:
Primum iſtam, quam habes, unde habes veſtem? taces?
Monſtrum hominis, non dicturus? *Eun.* Venit Chærea.
Phæd. Fraterne? *Eun.* Ita eſt. *Phæd.* Quando? *Eun.* Hodie. *Phæd.* Quam dudum? *Eun.* Modo.
Phæd. Quicum? *Eun.* Cum Parmenone. *Phæd.* Noraſne eum prius?
Eun. Non: nec, quis eſſet, umquam audieram dicier.
Phæd. Unde igitur, meum fratrem eſſe, ſciebas? *Eun.* Parmeno
Dicebat eum eſſe: is dedit mihi hanc. *Phæd.* Occidi.
Eun. Meam ipſe induit: poſt una ambo abierunt foras.
Pyt. Jam ſati' credis ſobriam eſſe me, & nil mentitam tibi?
Jam ſati' certum eſt virginem vitiatam eſſe? *Phæd.* Age nunc, bellua.
Credis huic quod dicat? *Pyt.* Quid iſti credam? res ipſa indicat.
Phæd. Concede iſtuc paululum. audin? etiam paululum. ſat eſt.
Dic dum hoc rurſum: Chærea tuam veſtem detraxit tibi?
Eun. Factum. *Phæd.* Et ea eſt indutus? *Eun.* Factum. *Phæd.* Et pro te huc deductu' eſt? *Eun.* Ita.
Phæd. Juppiter magne! o ſceleſtum, atque audacem hominem! *Pyt.* Væ mihi!
Etiam nunc non credis indignis nos irriſas modis?
Phæd. Mirum, ni tu credas quod iſte dicat. quid agam, neſcio.
Heus tu, negato rurſum. poſſumne ego hodie ex te exculpere
Verum? vidiſtine fratrem Chæream? *Eun.* Non. *Phæd.* Non poteſt
Sine malo fateri, video. ſequere me hac. modo ait, modo negat.
Ora me. *Eun.* Obſecro te vero, Phædria. *Phæd.* I intro. *Eun.* Hoi, hei.
Phæd. Alio pacto honeſte quo modo hinc nunc abeam, neſcio:
Actum eſt ſiquidem. tu me hic etiam, nebulo, ludificabere?
Pyt. Parmenonis tam ſcio eſſe hanc technam, quam me vivere.
Dor. Sic eſt. *Pyt.* Inveniam pol hodie parem ubi referam gratiam.
Sed nunc quid faciendum ſuades, Dorias? *Dor.* De iſtac rogas
Virgine? *Pyt.* Ita: utrum taceamne, an prædicem? *Dor.* Tu pol, ſi ſapis,
Quod ſcis neſcis, neque de eunucho, neque de vitio virginis.
Hac re & te omni turba evolves, & illi gratum feceris.

Id

Id modo dic, abiſſe Dorum. *Pyt.* Ita faciam. *Dor.* Sed videon' Chremem?
Thais jam aderit. *Pyt.* Quid ita? *Dor.* Quia, cum inde abeo, jam tum inceperat
Turba inter eos. *Pyt.* Tu aufer aurum hoc: ego ſcibo ex hoc, quid fiet.

ACTUS IV. SCENA V.

Chremes, *Pythias*.

AT at, data hercle verba mihi ſunt: vicit vinum quod bibi.
At dum accubabam, quam videbar mihi eſſe pulchre ſobrius!
Poſtquam ſurrexi, neque pes, neque mens ſati' ſuum officium facit.
Pyt. Chremes. *Chr.* Quis eſt? ehem, Pythias. vah, quanto nunc formoſior
Videre, quam dudum? *Pyt.* Certe quidem tu pol multo hilarior.
Chr. Verbum hercle hoc verum eſt: SINE CERERE & Libero friget Venus.
Sed Thais multo ante venit? *Pyt.* An abiit jam a milite?
Chr. Jamdudum, ætatem. lites factæ ſunt inter eos maxumæ.
Pyt. Nil dixit, tu ut ſequerere ſeſe? *Chr.* Nihil, niſi abiens mihi innuit.
Pyt. Eho, nonne id ſat erat? *Chr.* At neſciebam id dicere illam, niſi quia
Correxit miles, quod intellexi minu': nam me extruſit foras.
Sed eccam ipſam video: miror, ubi huic ego antevorterim.

ACTUS IV. SCENA VI.

Thais, *Chremes*, *Pythias*.

CRedo equidem illum jam adfuturum eſſe, ut illam a me eripiat: ſine veniat:
Atqui ſi illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur.
Uſque adeo ego illiu' ferre poſſum ineptias & magnifica verba,
Verba dum ſint. verum enim ſi ad rem conferentur, vapulabit.
Chr. Thais, ego jamdudum hic adſum. *Th.* O mi Chreme, teipſum exſpecto:
Scin' tu turbam hanc propter te eſſe factam? & adeo ad te attinere hanc
Omnen rem? *Chr.* Ad me? qui? quaſi iſtuc. *Th.* Quia, dum tibi ſororem ſtudeo
Reddere, ac reſtituere, hæc atque hujuſmodi ſum multa paſſa.
Chr. Ubi ea eſt? *Th.* Domi apud me. *Chr.* Ehem. *Th.* Quid eſt?
Educta ita, uti teque illaque dignum eſt. *Chr.* Quid ais? *Th.* Id quod res eſt.
Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa abs te quidquam pretii.
Chr. Et habetur, & referetur, Thais, a me, ita uti merita es, gratia.
Th. At enim cave, ne prius, quam hanc a me accipias, amittas, Chreme.
Nam hæc ea eſt, quam miles a me vi nunc ereptum venit.
Abi tu, ciſtellam, Pythias, domo effer cum monumentis.
Chr. Viden' tu illum, Thais? *Pyt.* Ubi ſita eſt? *Th.* In riſco. odioſa, ceſſas?
Chr. Militem ſecum ad te quantas copias adducere?
At at. *Th.* Num formidoloſus, obſecro, es, mi homo? *Chr.* Apageſis.
Egon' formidoloſus? nemo eſt hominum, qui vivat, minus.
Th. Atque ita opu' eſt. *Chr.* Ah, metuo, qualem tu me eſſe hominem exiſtumes.
Th. Immo hoc cogitato: quicum res tibi eſt, peregrinus eſt,
Minu' potens quam tu, minu' notus, minus amicorum hic habens.
Chr. Scio iſtuc: ſed tu quod cavere poſſis, ſtultum admittere eſt.
Malo ego nos proſpicere, quam hunc ulciſci accepta injuria.
Tu abi, atque oſtium obſera intus, ego dum hinc tranſcurro ad forum:
Volo ego adeſſe hic advocatos nobis in turba hac. *Th.* Mane.
Chr. Melius eſt. *Th.* Mane. *Chr.* Omitte, jam adero. *Th.* Nil opus eſt iſtis, Chreme:
Hoc dic modo, ſororem illam tuam eſſe, & te parvam virginem
Amiſiſſe, nunc cognoſſe: ſigna oſtende. *Pyt.* Adſunt. *Th.* Cape.
Si vim faciet, in jus ducito hominem: intellextin'? *Chr.* Probe.
Th. Fac animo hæc præſenti dicas. *Chr.* Faciam. *Th.* Attolle pallium.
Perii; huic ipſi opus patrono eſt, quem defenſorem paro.

ACTUS IV. SCENA VII.

Thraſo, *Gnatho*, *Sanga*, *Chremes*, *Thais*.

HAnccine ego ut contumeliam tam inſignem in me accipiam, Gnatho?
Mori me ſatius eſt. Simalio, Donax, Syriſce, ſequimini.
Primum ædes expugnabo. *Gn.* Recte. *Thr.* Virginem eripiam. *Gn.* Probe.
Thr. Male mulctabo ipſam. *Gn.* Pulchre. *Thr.* In medium huc agmen cum vecti, Donax;
Tu Simalio, in ſiniſtrum cornu; tu Syriſce, in dexterum.
Cedo alios: ubi centurio eſt Sanga, & manipulus furum? *San.* Eccum, adeſt.
Thr. Quid, ignave? peniculon' pugnare, qui iſtum huc portes, cogitas?
Sang. Egone? imperatoris virtutem noveram, & vim militum:
Sine ſanguine hoc fieri non poſſe: qui abſtergerem volnera.
Thr. Ubi alii? *San.* Qui, malum, alii? ſolus Sannio ſervat domi.
Thr. Tu hoſce inſtrue hic: ego ero poſt principia: inde omnibu' ſignum dabo.
Gn. Illuc eſt ſapere: ut hoſce inſtruxit, ipſus ſibi cavit loco.

Thr.

Thr. Idem hoc jam Pyrrhus factitavit. *Chr.* Viden' tu, Thais, quam hic rem agit?
Nimirum conſilium illud rectum eſt de occludendis ædibus.
Th. Sane, quod tibi nunc vir videatur eſſe, hic nebulo magnus eſt:
Ne metuas. *Thr.* Quid videtur? *Gn.* Fundam tibi nunc nimis vellem dari,
Ut tu illos procul hinc ex occulto cæderes: facerent fugam.
Thr. Sed eccam Thaidem ipſam video. *Gn.* Quam mox irruimus? *Thr.* Mane.
OMNIA PRIUS EXPERIRI VERBIS, QUAM ARMIS, SAPIENTEM DECET.
Qui ſcis, an, quæ jubeam, ſine vi faciat? *Gn.* Dii voſtram fidem!
Quanti eſt ſapere! numquam accedo, quin abs te abeam doctior.
Thr. Thais, primum hoc mihi reſponde: cum tibi do iſtam virginem,
Dixtin' hos mihi dies ſoli dare te? *Th.* Quid tum poſtea? *Thr.* Rogitas,
Quæ mihi ante oculos coram amatorem adduxiſti tuum?
Th. Quid cum illoc agas? *Thr.* Et cum eo clam ſubduxiſti te mihi?
Th. Libuit. *Thr.* Pamphilam ergo huc redde, niſi ſi mavis eripi.
Chr. Tibi illam reddat? aut tu eam tangas, omnium? *Gn.* Ah, quid agis? tace.
Thr. Quid tu tibi vis? ego non tangam meam? *Chr.* Tuam autem, furcifer?
Gn. Cave ſis, neſcis cui maledicas nunc viro. *Chr.* Non tu hinc abis?
Scin' tu, ut tibi res ſe habeat? ſi quidquam hodie hic turbæ cœperis,
Faciam, ut hujus loci, dieique meique ſemper memineris.
Gn. Miſeret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.
Chr. Diminuam ego caput tuum hodie, niſi abis. *Gn.* Ain' vero, canis?
Siccine agis? *Thr.* Quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi eſt?
Chr. Scibis. principio eam eſſe dico liberam. *Thr.* Hem! *Chr.* Civem Atticam. *Thr.* Hui!
Chr. Meam ſororem. *Thr.* Os durum! *Chr.* Miles, nunc adeo edico tibi,
Ne vim facias ullam in illam. Thais, ego eo ad Sophronam
Nutricem, ut eam adducam, & ſigna oſtendam hæc. *Thr.* Tun' me prohibeas,
Meam ne tangam? *Chr.* Prohibebo, inquam. *Gn.* Audin' tu? hic furti ſe alligat.
Satis hoc tibi eſt. *Thr.* Idem tu hoc ais, Thais? *Th.* Quære, qui reſpondeat.
Thr. Quid nunc agimus? *Gn.* Quin redeamus: jam hæc tibi aderit ſupplicans
Ultro. *Thr.* Credin'? *Gn.* Immo certe. novi ingenium mulierum:
Nolunt, ubi velis: ubi nolis, cupiunt ultro. *Thr.* Bene putas.
Gn. Sanga, ita uti fortes decet
Milites, domi focique fac viciſſim ut memineris.
San. Jamdudum animus eſt in patinis. *Gn.* Frugi es. *San.* Vos me hac ſequimini.

ACTUS QUINTUS

SCENA I.

Thais, Pythias.

PErgin', ſceleſta, mecum perplexe loqui?
Scio: neſcio: abiit: audivi: ego non affui.
Non tu iſtuc mihi dictura aperte es, quidquid eſt?
Virgo conſciſſa veſte lacrumans obticet,
Eunuchus abiit. quamobrem? quid factum eſt? taces?
Pyt. Quid tibi ego dicam miſera? illum Eunuchum negant
Fuiſſe. *Th.* Quis fuit igitur? *Pyt.* Iſte Chærea.
Th. Qui Chærea? *Pyt.* Iſte ephebus frater Phædriæ.
Th. Quid ais venefica? *Pyt.* Atqui certo comperi.
Th. Quid is obſecro ad nos? quamobrem adductu' eſt? *Pyt.* Neſcio,
Niſi amaſſe credo Pamphilam. *Th.* Hem miſera occidi.
Infelix, ſiquidem tu iſtæc vera prædicas.
Num id lacrumat virgo? *Pyt.* Id opinor. *Th.* Quid ais, ſacrilega?
Iſtuccine interminata ſum hinc abiens tibi?
Pyt. Quid facerem? ita ut juſti, ſoli credita eſt.
Th. Sceleſta, ovem lupo commiſti. diſputet,
Sic mihi data eſſe verba. quid illuc hominis eſt?
Pyt. Hera mea, tace; tace, obſecro, ſalvæ ſumus: hominem
Habemus ipſum. *Th.* Ubi is eſt? *Pyt.* Hem ad ſiniſtram, non vides?
En. *Th.* Video. *Pyt.* Comprehendi jube quantum poteſt.
Th. Quid illo facias ſtulta? *Pyt.* Quid faciam rogas?
Vide amabo, ſi non, cum aſpicias, os impudens
Videtur: non eſt? tum, quæ ejus confidentia eſt?

ACTUS V. SCENA II.

Chærea, Thais, Pythias.

APud Antiphonem uterque, mater, & pater,
Quaſi dedita opera, domi erant, ut nullo modo
Introire poſſem, quin viderent me: interim
Dum ante oſtium ſto, notus mihi quidam obviam
Venit. ubi vidi, ego me in pedes, quantum queo,
In angiportum quoddam deſertum, inde item
In aliud, inde in aliud. ita miſerrimus
Fui fugitando, ne quis me cognoſceret.
Sed eſtne hæc Thais, quam video? ipſa eſt. hæreo.
Quid faciam? quid mea autem? quid faciet mihi?
Th. Adeamus. bone vir Dore, ſalve: dic mihi,
Aufugiſtin'? *Chær.* Hera, factum. *Th.* Satin' id tibi placet?
Chær. Non. *Th.* Credin' te impune habiturum? *Chær.* Unam hanc noxiam
Amitte: ſi aliam admiſero umquam, occidito.
Th. Num meam ſævitiam veritus es? *Chær.* Non. *Th.* Quid igitur?
Chær. Hanc metui, ne me criminaretur tibi.
Th. Quid feceras? *Chær.* Paululum quiddam. *Pyt.* Eho, paululum, impudens?

An paulum hoc eſſe tibi videtur, virginem
Vitiare civem? *Chær.* Conſervam eſſe credidi.
Pyt. Conſervam? vix me contineo, quin involem in
Capillum. monſtrum; etiam ultro deriſum advenit.
Th. Abin' hinc inſana? *Pyt.* Quid ita vero? debeam,
Credo, iſti quidquam furcifero, ſi id fecerim;
Præſertim cum ſe ſervom fateatur tuum.
Th. Miſſa hæc faciamus. non te dignum, Chærea,
Feciſti: nam ſi ego digna hac contumelia
Sum maxume, at tu indignus qui faceres tamen.
Neque, edepol, quid nunc conſilii capiam, ſcio,
De virgine iſtac: ita conturbaſti mihi
Rationes omnes, ut eam non poſſim ſuis,
Ita ut æquom fuerat, atque ut ſtudui, tradere, ut
Solidum parerem hoc mihi beneficium, Chærea.
Chær. At nunc dehinc ſpero æternam inter nos gratiam
Fore, Thais. ſæpe ex hujuſmodi re quapiam, &
MALO PRINCIPIO magna familiaritas
Conflata eſt. Quid, ſi hoc quiſpiam voluit Deus?
Th. Equidem pol in eam partem accipioque & volo.
Chær. Immo ita quæſo. unum hoc ſcito, contumeliæ
Non me feciſſe cauſa, ſed amoris. *Th.* Scio:
Et pol propterea nunc magis ignoſco tibi.
Non adeo inhumano ingenio ſum, Chærea,
Neque ita imperita, ut, quid amor valeat, neſciam.
Chær. Te quoque jam, Thais, ita me Di bene ament, amo.
Pyt. Tum pol ab iſtoc tibi, hera, cavendum intellego.
Chær. Non auſim. *Pyt.* Nihil tibi quidquam credo. *Th.* Deſinas.
Chær. Nunc ego te in hac re mihi oro, ut adjutrix ſies,
Ego me tuæ commendo & committo fidei:
Te mihi patronam capio, Thais: te obſecro:
Emoriar, ſi non hanc uxorem duxero.
Th. Tamen ſi pater. *Chær.* Ah, quid? volet, certo ſcio,
Civis modo hæc ſit. *Th.* Paululum opperirier
Si vis, jam frater ipſe hic aderit virginis:
Nutricem arceſſitum iit, quæ illam aluit parvolam:
In cognoſcendo tute ipſe hic aderis, Chærea.
Chær. Ego vero maneo. *Th.* Viſne interea, dum venit,
Domi opperiamur potius, quam hic ante oſtium?
Chær. Immo percupio. *Pyt.* Quam tu rem actura, obſecro, es?
Th. Nam quid ita? *Pyt.* Rogitas? hunc tu in ædes cogitas
Recipere poſthac? *Th.* Cur non? *Pyt.* Crede hoc meæ fidei,
Dabit hic aliquam pugnam denuo. *Th.* Au, tace, obſecro.
Pyt. Parum perſpexiſſe ejus videre audaciam.
Chær. Non faciam, Pythia. *Pyt.* Non pol, credo, Chærea,
Niſi ſi commiſſum non erit. *Chær.* Quin, Pythias,
Tu me ſervato. *Pyt.* Neque pol ſervandum tibi
Quidquam dare auſim, neque te ſervare. apage te.
Th. Optume. adeſt ipſe frater. *Chær.* Perii hercle. obſecro,
Abeamus intro, Thais: nolo me in via
Cum hac veſte videat. *Th.* Quamobrem tandem? an quia pudet?
Chær. Id ipſum. *Pyt.* Id ipſum? virgo vero. *Th.* I præ, ſequor.
Tu illic mane, ut Chremem introducas, Pythias.

ACTUS V. SCENA III.

Pythias, Chremes, Sophrona.

Quid? quid venire in mentem nunc poſſit mihi?
Quidnam, qui referam ſacrilego illi gratiam,
Qui hunc ſuppoſuit nobis? *Chr.* Move vero ocius
Te, nutrix. *Soph.* Moveo. *Chr.* Video, ſed nil promoves.
Pyt. Jamne oſtendiſti ſigna nutrici? *Chr.* Omnia.
Pyt. Bene edepol narras: nam illi faveo virgini.
Ite intro: jamdudum hera vos expectat domi.
Virum bonum eccum Parmenonem incedere
Video. viden' ut otioſus ſit, ſi Dis placet.
Spero me habere, qui hunc meo excruciem modo.
Ibo intro, de cognitione ut certum ſciam:
Poſt exibo, atque hunc perterrebo ſacrilegum.

ACTUS V. SCENA IV.

Parmeno, Pythias.

Reviſo, quidnam Chærea hic rerum gerat.
Quod ſi aſtu rem tractavit, Di voſtram fidem,
Quantam & quam veram laudem capiet Parmeno!
Nam ut mittam, quod ei amorem difficillimum, &
Cariſſimum ab meretrice avara; virginem
Quam amabat, eam confeci ſine moleſtia,
Sine ſumtu, ſine diſpendio: tum hoc alterum,
Id vero eſt, quod ego mihi puto palmarium
Me repperiſſe, quo modo adoleſcentulus
Meretricum ingenia & mores poſſet noſcere;
Mature ut cum cognorit, perpetuo oderit.
Quæ dum foris ſunt, nihil videtur mundius,
Nec magi' compoſitum quidquam, nec magis elegans:
Quæ, cum amatore ſuo cum cœnant, liguriunt.
Harum videre inluviem, ſordes, inopiam,
Quam inhoneſtæ ſolæ ſint domi, atque avidæ cibi,
Quo pacto ex jure heſterno panem atrum vorent:
Noſſe omnia hæc, ſalus eſt adoleſcentulis.
Pyt. Ego pol te pro iſtis dictis & factis, ſcelus,
Ulciſcar, ut ne impune in nos inluſeris.

ACTUS V. SCENA V.

Pythias, Parmeno.

Proh Deum fidem! facinus fœdum! o infelicem adoleſcentulum!
O ſceleſtum Parmenonem, qui iſtum huc adduxit! *Par.* Quid eſt?
Pyt. Miſeret me. itaque, ut ne viderem, miſera huc effugi foras.
Quæ futura exempla dicunt in eum indigna! *Par.* O Jupiter!
Quæ illæc turba eſt? numnam ego perii? adibo. quid iſtuc, Pythias?
Quid ais? in quem exempla fient? *Pyt.* Rogitas, audaciſſime?
Perdidiſti iſtum, quem adduxti pro eunucho, adoleſcentulum,
Dum ſtudes dare verba nobis. *Par.* Quid ita? aut quid factum eſt? cedo.
Pyt. Dicam. virginem iſtam, Thaidi hodie quæ dono data eſt,

Scin' eam hanc civem eſſe? & ejus fratrem adprime nobilem?

Par. Neſcio. *Pyt.* Atqui ſic inventa eſt. eam ipſe vitiavit miſer.

Ille ubi id reſcivit factum frater violentiſſimus...

Par. Quidnam fecit? *Pyt.* Conligavit primum eum miſeris modis.

Par. Conligavit? *Pyt.* Atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide.

Par. Quid ais? *Pyt.* Nunc minitatur porro ſeſe id, quod mœchis ſolet:

Quod ego numquam vidi fieri, neque velim. *Par.* Qua audacia

Tantum facinus audet? *Pyt.* Quid ita tantum? *Par.* An non hoc maxumum eſt?

Quis homo pro mœcho umquam vidit in domo meretricia

Prehendi quemquam? *Pyt.* Neſcio. *Par.* At ne hoc neſciatis, Pythias,

Dico, edico vobis, noſtrum eſſe illum herilem filium. *Pyt.* Hem,

Obſecro, an is eſt? *Par.* Ne quam in illum Thais vim fieri ſinat.

Atque adeo autem cur non egomet intro eo? *Pyt.* Vide, Parmeno,

Quid agas, ne neque illi proſis, & tu pereas. nam hoc putant,

Quidquid factum eſt, ex te eſſe ortum. *Par.* Quid igitur faciam miſer?

Quidve incipiam? ecce autem, video rure redeuntem ſenem.

Dicam huic, an non? dicam hercle; etſi mihi magnum malum

Scio paratum. ſed neceſſe eſt, huic ut ſubveniat. *Pyt.* Sapis:

Ego abeo intro: tu iſti narrato omnem ordine rem, ut factum ſiet.

ACTUS V. SCENA VI.

Laches, *Parmeno*.

EX meo propinquo rure hoc capio commodi:

Neque agri, neque urbis odium me umquam percipit.

Ubi ſatias cœpit fieri, commuto locum.

Sed eſtne ille noſter Parmeno? & certe ipſus eſt.

Quem præſtolare, Parmeno, hic ante oſtium?

Par. Quis homo eſt? hem, ſalvom te adveniſſe, here, gaudeo.

Lac. Quem præſtolare? *Par.* Perii. lingua hæret metu. *Lac.* Hem,

Quid eſt? quid trepidas? ſati' ne ſalvæ? dic mihi.

Par. Here, primum te arbitrari id, quod res eſt, velim:

Quidquid hujus factum eſt, culpa non factum eſt mea.

Lac. Quid? *Par.* Recte ſane interrogaſti: oportuit

Rem prænarraſſe me. emit quemdam Phædria

Eunuchum, quem dono huic daret. *Lac.* Cui? *Par.* Thaidi.

Lac. Emit? perii hercle, quanti? *Par.* Viginti minis.

Lac. Actum eſt. *Par.* Tum quamdam fidicinam amat hic Chærea.

Lac. Hem, quid? amat? an ſcit jam ille quid meretrix ſiet?

An in aſtu venit? aliud ex alio malum.

Par. Here, ne me ſpectes: me impulſore hæc non facit.

Lac. Omitte de te dicere. ego te, furcifer,

Si vivo. ſed iſtuc, quidquid eſt, primum expedi.

Par. Is pro illo eunucho ad Thaidem hanc deductus eſt.

Lac. Pro eunuchon'? *Par.* Sic eſt. hunc pro mœcho poſtea

Comprehendere intus, & conſtrinxere. *Lac.* Occidi.

Par. Audaciam meretricum ſpecta. *Lac.* Numquid eſt

Aliud mali damnive, quod non dixeris,

Reliquom? *Par.* Tantum eſt. *Lac.* Ceſſo huc intro irrumpere.

Par. Non dubium eſt, quin mihi magnum ex hac re ſit malum,

Niſi, quia neceſſe fuit hoc facere. id gaudeo,

Propter me hiſce aliquid eſſe eventurum mali:

Nam jamdiu aliquam cauſam quærebat ſenex,

Quamobrem inſigne aliquid faceret iis: nunc repperit.

ACTUS V. SCENA VII.

Pythias, *Parmeno*.

NUmquam edepol quidquam jamdiu, quod magi' vellem evenire,

Mi evenit, quam quod modo ſenex intro ad nos venit errans.

Mihi ſolæ ridiculo fuit, quæ, quid timeret, ſcibam.

Par. Quid hoc autem eſt? *Pyt.* Nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem.

Sed ubi, obſecro, eſt? *Par.* Me quærit hæc. *Pyt.* Atque eccum video. adibo.

Par. Quid eſt, inepta? quid tibi vis? quid rides? pergin'? *Pyt.* Perii:

Defeſſa jam ſum miſera te ridendo. *Par.* Quid ita? *Pyt.* Rogitas?

Numquam pol hominem ſtultiorem vidi, nec videbo. ah,

Non ſati' poteſt narrari, quos ludos præbueris intus.

At etiam primo callidum ac diſertum credidi hominem.

Quid? illicone credere ea, quæ dixi, oportuit te?

An pœnitebat flagitii, te auctore quod feciſſet

Adoleſcens, ni miſerum inſuper etiam patri indicares?

Nam quid illi credis animi tum fuiſſe, ubi veſtem vidit

Illam eſſe eum indutum pater? quid? jam ſcis te periſſe?

Par. Ehem, quid dixti, peſſuma? an mentita es? etiam rides?

Itan' lepidum tibi viſum eſt, ſcelus, nos irridere?

Pyt. Nimium.

Par. Siquidem iſtuc impune habueris. *Pyt.* Verum. *Par.* Reddam hercle. *Pyt.* Credo:

Sed in diem iſtuc, Parmeno, eſt fortaſſe, quod minitare:

Tu jam pendebis, qui ſtultum adoleſcentulum nobilitas

Flagitiis, & eundem indicas: uterque in te exempla edent.

Par. Nullus ſum. *Pyt.* Hic pro illo munere tibi honos eſt habitus. abeo.

Par. Egomet MEO INDICIO miſer, quaſi ſorex, hodie perii.

ACTUS

ACTUS V. SCENA VIII.

Gnatho, Thraſo.

QUid nunc? qua ſpe, aut quo conſilio huc imus? quid cœptas, Thraſo?
Thr. Egone? ut Thaidi me dedam, & faciam quod jubeat. *Gn.* Quid eſt?
Thr. Qui minu', quam Hercules ſervivit Omphale? *Gn.* Exemplum placet.
Utinam tibi commitigari videam ſandalio caput.
Sed fores crepuerunt ab ea. *Thr.* Perii! quid hoc autem eſt mali?
Hunc ego numquam videram etiam. quidnam properans hinc proſilit?

ACTUS V. SCENA IX.

Chærea, Parmeno, Gnatho, Thraſo.

O Populares, ecquis me vivit hodie fortunatior? Nemo hercle quiſquam: nam in me plane Di poteſtatem ſuam
Omnem oſtendere; cui tam ſubito tot contigerint commoda.
Par. Quid hic lætus eſt? *Chær.* O Parmeno mi, o mearum voluptatum omnium
Inventor, inceptor, perfector, ſcin' me in quibus ſim gaudiis?
Scis Pamphilam meam inventam civem? *Par.* Audivi. *Chær.* Scis ſponſam mihi?
Par. Bene, ita me Dii ament, factum. *Gn.* Audin' tu, hic quid ait? *Chær.* Tum autem Phædriæ
Meo fratri gaudeo amorem eſſe omnem in tranquillo: una eſt domus:
Thais patri ſe commendavit: in clientelam & fidem
Nobis dedit ſe. *Par.* Fratris igitur Thais tota eſt. *Chær.* Scilicet,
Par. Jam hoc aliud eſt, quod gaudeamus: miles pellitur foras.
Chær. Tum tu, frater, ubi ubi eſt, fac quamprimum hæc audiat. *Par.* Viſam domi.
Thr. Numquid, Gnatho, tu dubitas, quin ego nunc perpetuo perierim?
Gn. Sine dubio, opinor. *Chær.* Quid commemorem primum, aut laudem maxume?
Illum qui mihi dedit conſilium ut facerem; an me, qui id auſu' ſim
Incipere? aut fortunam collaudem, quæ gubernatrix fuit,
Quæ tot res, tantas, tam opportune in unum concluſit diem? an
Mei patris feſtivitatem & facilitatem? o Jupiter,
Serva, obſecro, hæc nobis bona.

ACTUS V. SCENA X.

Phædria, Chærea, Gnatho, Thraſo.

DI voſtram fidem! incredibilia Parmeno modo quæ narravit! ſed ubi eſt frater? *Chær.* Præſto adeſt.
Phæd. Gaudeo. *Chær.* Satis credo. nihil eſt Thaide hac frater, tua
Dignius quod ametur: ita noſtræ omni eſt fautrix familiæ. *Phæd.* Hui!
Mihi illam laudas? *Thr.* Perii; quanto minu' ſpei eſt, tanto magis amo.
Obſecro, Gnatho, in te ſpes eſt. *Gn.* Quid vis faciam? *Thr.* perfice hoc
Precibus, pretio, ut hæream in parte aliqua tandem apud Thaidem.
Gn. Difficile eſt. *Thr.* Si quid conlibuit, novi te. hoc ſi effeceris,
Quodvis donum, præmium a me optato, id optatum feres.
Gn. Itane? *Thr.* Sic erit. *Gn.* Si efficio hoc, poſtulo ut tua mihi domus,
Te præſente, abſente, pateat, invocato ut ſit locus
Semper. *Thr.* Do fidem, futurum. *Gn.* Accingar. *Phæd.* Quem hic ego audio?
O Thraſo. *Thr.* ſalvete. *Phæd.* Tu fortaſſe, quæ facta hic ſient,
Neſcis. *Thr.* Scio. *Phæd.* Cur te ergo in his ego conſpicor regionibus?
Thr. Vobis fretus. *Phæd.* Scis quam fretus? miles, edico tibi,
Si te in platea offendero hac poſt umquam, quod dicas mihi,
Alium quærebam, iter hac habui: periiſti. *Gn.* Eja, haud ſic decet.
Phæd. Dictum eſt. *Gn.* Non cognoſco voſtrum tam ſuperbum. *Phæd.* Sic erit.
Gn. Prius audite paucis: quod cum dixero, ſi placuerit,
Facitote. *Phæd.* Audiamus. *Gn.* Tu concede paulum iſtuc, Thraſo.
Principio ego vos ambos credere hoc mihi vehementer velim,
Me, hujus quidquid faciam, id facere maxume cauſſa mea:
Verum idem ſi vobis prodeſt, vos non facere inſcitia eſt.
Phæd. Quid id eſt? *Gn.* Militem ego rivalem recipiendum cenſeo. *Phæd.* Hem
Recipiendum! *Gn.* Cogita modo. tu hercle cum illa, Phædria,
Et libenter vivis: etenim bene libenter victitas,
Et quod des paulum, & neceſſe eſt multum accipere Thaidem.
Ut tuo amori ſuppeditare poſſit ſine ſumtu tuo; ad
Omnia hæc magis opportunus, nec magis ex uſu tuo
Nemo eſt. principio & habet quod det, & dat nemo largius:
Fatuus eſt, inſulſus, tardus, ſtertit noctesque & dies.
Neque tu iſtum metuas ne amet mulier: pellas facile ubi velis.
Phæd. Quid agimus? *Gn.* Præterea hoc etiam, quod ego vel primum puto,
Accipit homo nemo melius prorſum, neque prolixius.
Phæd. Mirum, ni illoc homine quoquo pacto opus eſt. *Chær.* idem arbitror.
Gn. Recte facitis. unum etiam hoc vos oro, ut me in voſtrum gregem
Recipiatis. ſatis diu hoc jam SAXUM VOLVO. *Phæd.* Recipimus.
Chær. Ac libenter. *Gn.* At ego pro iſtoc, Phædria, & tu Chærea,
Hunc comedendum & deridendum vobis propino. *Chær.* Placet.
Phæd. Dignus eſt. *Gn.* Thraſo, ubi vis, accede. *Thr.* Obſecro te, quid agimus?

Gn. Quid? iſti te ignorabant. poſtquam eis mores o-ſtendi tuos,
Et collaudavi ſecundum facta & virtutes tuas,
Impetravi. *Thr.* Bene feciſti. gratiam habeo maxumam.
Numquam etiam fui uſquam, quin me omnes amarent plurimum.
Gn. Dixin' ego vobis, in hoc eſſe Atticam elegantiam?
Phæd. Nil præter promiſſum eſt. *Gn.* Ite hac. vos valete, & plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

HEAUTONTIMORUMENOS.

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS L. CORNELIO LENTULO ET L. VALERIO FLACCO ÆDILIBUS CURULIBUS. EGERUNT L. AMBIVIUS TURPIO, ET L. ATTILIUS PRÆNESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDII. GRÆCA EST MENANDRU. ACTA PRIMUM TIBIIS IMPARIBUS, DEINDE DUABUS DEXTRIS. ACTA ETIAM III. M. JUVENTIO ET TI. SEMPRONIO CONSULIBUS.

PERSONÆ.

PROLOGUS.

CHREMES, *ſenex.*
MENEDEMUS, *ſenex.*
CLITIPHO, *adoleſcens.*
CLINIA, *adoleſcens.*
SYRUS, *ſervus.*
DROMO, *ſervus.*
SOSTRATA, *matrona.*
PHRYGIA, *ancilla.*
BACCHIS, *meretrix.*
ANTIPHILA, *Chremetis filia.*
NUTRIX.

ARGUMENTUM.

C. SULPICIO APOLLINARI AUCTORE.

In militiam proficiſci gnatum Cliniam,
Amantem Antiphilam, compulit durus pater:
Animique ſeſe angebat, facti pœnitens.
Mox ut reverſu' eſt, clam patrem divortitur
Ad Clitiphonem. is amabat ſcortum Bacchidem.
Cum arceſſeret cupitam Antiphilam Clinia,
Ut ejus Bacchis venit amica, ac ſervolæ
Habitum gerens Antiphila. factum id, quo patrem
Suum celaret Clitipho. hic technis Syri
Decem minas meretriculæ aufert a ſene:
Antiphila Clitiphonis reperitur ſoror.
Hanc Clinia, aliam Clitipho uxorem accipit.

PROLOGUS.

Ne cui ſit voſtrum mirum, cur partes ſeni
Poeta dederit, quæ ſunt adoleſcentium:
Id primum dicam: deinde, quod veni, eloquar.
Ex integra Græca integram comœdiam
Hodie ſum acturus Heautontimorumenon;
Duplex quæ ex argumento facta eſt ſimplici.
Novam eſſe oſtendi, & quæ eſſet. nunc, qui ſcripſerit,
Et cuja Græca ſit, ni partem maxumam
Exiſtimarem ſcire voſtrum, id dicerem.
Nunc, quamobrem has partes didicerim, paucis dabo.
Oratorem eſſe voluit me, non prologum:
Veſtrum judicium fecit: me actorem dedit.
Sed hic actor tantum poterit a facundia,
Quantum ille potuit cogitare commode,
Qui orationem hanc ſcripſit, quam dicturu' ſunt.
Nam quod rumores diſtulerunt malevoli,
Multas contaminaſſe Græcas, dum facit
Paucas Latinas: id factum eſſe hic non negat,
Neque ſe id pigere, & deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum: quo exemplo ſibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
Tum quod malevolus vetus poeta dictitat,
Repente ad ſtudium hunc ſe applicaſſe muſicum,
Amicum ingenio fretum, haud natura ſua:
Arbitrium voſtrum, voſtra exiſtimatio
Valebit. quare omnes vos oratos volo,
Ne plus iniquum poſſit quam æquum oratio.
Facite æqui ſitis, date creſcendi copiam,
Novarum qui ſpectandi faciunt copiam
Sine vitiis: ne ille pro ſe dictum exiſtumet,
Qui nuper fecit ſervo currenti in via
Deceſſe populum. cur inſano ſerviat?
De illius peccatis plura dicet, cum dabit
Alias novas, niſi finem maledictis facit.
Adeſte æquo animo: date poteſtatem mihi,
Statariam agere ut liceat per ſilentium:
Ne ſemper ſervos currens, iratus ſenex,
Edax paraſitus, ſycophanta autem impudens,
Avarus leno, aſſidue agendi ſint ſeni
Clamore ſummo, cum labore maxumo.
Mea cauſa, cauſam hanc juſtam eſſe, animum inducite,
Ut aliqua pars laboris minuatur mihi.
Nam nunc novas qui ſcribunt, nihil parcunt ſeni.
Si quæ laborioſa eſt, ad me curritur:
Si lenis eſt, ad alium defertur gregem.
In hac eſt pura oratio. experimini,
In utramque partem ingenium quid poſſit meum.
Si numquam avare pretium ſtatui arti meæ,
Et eum eſſe quæſtum in animum induxi maxumum,
Quam

Quam maxume ſervire voſtris commodis;
Exemplum ſtatuite in me, ut adoleſcentuli
Vobis placere ſtudeant potius, quam ſibi.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Chremes, *Menedemus*.

QUamquam hæc inter nos nupera notitia admodum eſt,
Inde adeo quod agrum in proximo hic mercatus es,
Nec rei fere ſane amplius quidquam fuit;
Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
Quod ego in propinqua parte amicitiæ puto,
Facit, ut te audacter moneam & familiariter,
Quod mihi videre præter ætatem tuam
Facere, & præter quam res te adhortatur tua.
Nam, proh deum atque hominum fidem! quid vis tibi?
Quid quæris? annos ſexaginta natus es,
Aut plus eo, ut conjicio: agrum in his regionibus
Meliorem neque pretii majoris nemo habet;
Servos complures. proinde quaſi nemo ſiet,
Attente tute illorum officia fungere.
Numquam tam mane egredior, neque tam veſperi
Domum revortor, quin te in fundo conſpicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre: denique
Nullum remittis tempus, neque te reſpicis.
Hæc non voluptati eſſe, ſatis certo ſcio.
At enim, Me, quantum hic operis fiat, pœnitet.
Quod in opere faciundo operæ conſumis tuæ,
Si ſumas in illis exercendis, plus agas.
Men. Chreme, tantumne ab re tua eſt otii tibi,
Aliena ut cures, eaque nihil quæ ad te attinent?
Chr. Homo ſum: humani nihil a me alienum puto.
Vel me monere hoc, vel percontari puta;
Rectum eſt? ego ut faciam: non eſt? te ut deterream.
Men. Mihi ſic eſt uſus: tibi ut opus eſt facto, face.
Chr. An cuiquam eſt uſus homini, ſe ut cruciet? *Men.* Mihi.
Chr. Si quid laboris eſt, nollem: ſed quid iſtuc mali eſt?
Quæſo, quid de te tantum meruiſti? *Men.* Eheu!
Chr. Ne lacruma, atque iſtuc, quidquid eſt, fac me ut ſciam.
Ne retice: ne verere: crede, inquam, mihi:
Aut conſolando, aut conſilio, aut re juvero.
Men. Scire hoc vis? *Chr.* Hac cauſa equidem, qua dixi tibi.
Men. Dicetur. *Chr.* At iſtos raſtros interea tamen
Appone, ne labora. *Men.* Minime. *Chr.* Quam rem agis?
Men. Sine me, vacivom tempus ne quod dem mihi
Laboris. *Chr.* Non ſinam, inquam. *Men.* Ah, non æquom facis.
Chr. Hui, tam graves hos, quæſo? *Men.* Sic meritum eſt meum.
Chr. Nunc loquere. *Men.* Filium unicum adoleſcentulum
Habeo. ah, quid dixi? habere me? immo habui, Chreme.
Nunc habeam, necne, incertum eſt. *Chr.* Quid ita iſtuc? *Men.* Scies.
Eſt e Corintho hic advena anus paupercula.
Ejus filiam ille amare cœpit perdite,
Prope jam ut pro uxore haberet. hæc clam me omnia.
Ubi rem reſcivi, cœpi non humanitus,
Neque ut animum decuit ægrotum adoleſcentuli,
Tractare, ſed vi & via pervolgata patrum.
Quotidie accuſabam: hem: tibine hæc diutius
Licere ſperas facere, me vivo patre,
Amicam ut habeas prope jam in uxoris loco?
Erras, ſi id credis, & me ignoras, Clinia.
Ego te meum eſſe dici tantiſper volo,
Dum, quod te dignum eſt, facies: ſed ſi id non facis,
Ego, quod me in te ſit facere dignum, invenero.
Nulla adeo ex re iſtuc fit, niſi ex nimio otio.
Ego iſtuc ætatis non amori operam dabam,
Sed in Aſiam hinc abii propter pauperiem, atque ibi
Simul rem & gloriam armis belli repperi.
Poſtremo adeo res rediit: adoleſcentulus
Sæpe eadem & graviter audiendo victus eſt:
Putavit me & ætate & benevolentia
Plus ſcire, & providere, quam ſeipſum ſibi.
In Aſiam ad regem militatum abiit, Chreme.
Chr. Quid ais? *Men.* Clam me eſt profectus: menſes tres abeſt.
Chr. Ambo accuſandi: etſi illud inceptum tamen
Animi eſt pudentis ſignum, & non inſtrenui.
Men. Ubi comperi ex iis, qui fuere ei conſcii,
Domum revortor mœſtus, atque animo fere
Perturbato atque incerto præ ægritudine.
Adſido: accurrunt ſervi: ſoccos detrahunt:
Video alios feſtinare, lectos ſternere,
Cœnam apparare: pro ſe quiſque ſedulo
Faciebat, quo illam mihi lenirent miſeriam.
Ubi video hæc, cœpi cogitare; hem, tot mei
Solius ſolliciti ſunt cauſa, ut me unum expleant?
Ancillæ tot me veſtiant? ſumtus domi
Tantos ego ſolus faciam? ſed gnatum unicum,
Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,
Quod illa ætas magis ad hæc utenda idonea eſt,
Eum ego hinc ejeci miſerum injuſtitia mea.
Malo quidem me dignum quovis deputem,
Si id faciam. nam uſque dum ille vitam colet
Inopem, carens patria ob meas injurias,
Interea uſque illi de me ſupplicium dabo,
Laborans, quærens, parcens, illi ſerviens.
Ita facio prorſus. nihil relinquo in ædibus,
Nec vas, nec veſtimentum: conraſi omnia.
Ancillas, ſervos, niſi eos, qui opere ruſtico
Faciundo facile ſumtum exercerent ſuum,
Omnes produxi ac vendidi. inſcripſi illico
Ædes: mercedem quaſi talenta ad quindecim
Coegi: agrum hunc mercatus ſum: hic me exerceo.
Decrevi, tantiſper me minus injuriæ,
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miſer;
Nec fas eſſe ulla me voluptate hic frui,
Niſi ubi ille huc ſalvos redierit meus particeps.
Chr. Ingenio te eſſe in liberos leni puto, &
Illum obſequentem, ſi quis recte aut commode
Tractaret. verum neque tu illum ſati' noveras,
Nec te ille. hoc ibi fit, ubi non vere vivitur.
Tu illum numquam oſtendiſti quanti penderes,
Nec tibi ille eſt credere auſus quæ eſt æquom patri.
Quod ſi eſſet factum, hæc numquam eveniſſent tibi.
Men. Ita res eſt, fateor: peccatum a me maxumum eſt.

Chr.

Chr. Menedeme, at porro recte ſpero: & illum tibi
Salvom affuturum eſſe hic confido propediem.
Men. Utinam ita Di faxint. *Chr.* Facient. nunc, ſi commodum eſt,
Dionyſia hic ſunt, hodie apud me ſis volo.
Men. Non poſſum. *Chr.* Cur non? quæſo, tandem aliquantulum
Tibi parce! idem abſens facere te hoc volt filius.
Men. Non convenit, qui illum ad laborem impellerim,
Nunc meipſum fugere. *Chr.* Siccine eſt ſententia?
Men. Sic. *Chr.* Bene vale. *Men.* Et tu. *Chr.* lacrumas excuſſit mihi,
Miſeretque me ejus: ſed, ut diei tempus eſt,
Monere oportet me hunc vicinum Phaniam,
Ad cœnam ut veniat. ibo, viſam ſi domi eſt.
Nihil opus fuit monitore: jamdudum domi
Præſto apud me eſſe ajunt: egomet convivas moror.
Ibo adeo hinc intro. ſed quid crepuerunt fores
Hinc a me? quiſnam egreditur? huc conceſſero.

ACTUS I. SCENA II.

Clitipho, Chremes.

NIhil aduc eſt, quod vereare, Clinia: haudquaquam etiam ceſſant:
Et illam ſimul cum nuncio tibi hic ego affuturam
Hodie ſcio. proin tu ſollicitudinem iſtam falſam, quæ te
Excruciat, mittas. *Chr.* Quicum loquitur filius? *Cl.* Pater adeſt,
Quem volui. adibo. Pater, opportune advenis.
Chr. Quid id eſt? *Cl.* Hunc Menedemum noſtin' noſtrum vicinum? *Chr.* Probe.
Cl. Huic filium ſcis eſſe? *Chr.* Audivi eſſe, in Aſia. *Cl.* Non eſt, pater:
Apud nos eſt. *Chr.* Quid ais? *Cl.* Advenientem, e navi egredientem illico
Abduxi ad cœnam: nam mihi magna cum eo jam inde uſque a pueritia
Fuit ſemper familiaritas. *Chr.* Voluptatem magnam nuncias.
Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiſcum hodie eſſet, amplius;
Ut hanc lætitiam nec opinanti primus objicerem ei domi!
Atque etiam nunc tempus eſt. *Cl.* Cave faxis: non opus eſt, pater.
Chr. Quapropter? *Cl.* Quia enim incertum eſt etiam, quid ſe faciat. modo venit:
Timet omnia; patris iram, atque animum amicæ, ſe erga ut ſit, ſuæ.
Eam miſere amat: propter eam hæc turba atque abitio evenit. *Chr.* Scio.
Cl. Nunc ſervolum ad eam in urbem miſit, & ego noſtrum una Syrum.
Chr. Quid narrat? *Cl.* Quid ille? ſe miſerum eſſe. *Chr.* Miſerum? quem minu' credere eſt?
Quid reliqui eſt, quin habeat, quæ quidem in homine dicuntur bona,
Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias?
Atque hæc perinde ſunt, ut illius animus eſt, qui ea poſſidet:
Qui uti ſcit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.
Cl. Immo ille ſenex fuit importunus ſemper: & nunc nihil magis
Vereor, quam ne quid in illum iratus plus ſatis faxit, pater.
Ch. Illene? ſed reprimam me: nam, in metu eſſe hunc, illi eſt utile.
Cl. Quid tute tecum? *Chr.* Dicam. ut ut erat, manſum tamen oportuit.
Fortaſſe aliquanto iniquior erat præter ejus lubidinem:
Pateretur. nam quem ferret, ſi parentem non ferret ſuum?
Hunccine erat æquom ex illius more, an illum ex hujus vivere? &
Quod illum inſimulat durum, id non eſt. nam parentum injuriæ
Uniuſmodi ſunt ferme; paulo qui eſt homo tolerabilis.
Scortari crebro, nolunt crebro convivarier,
Præbent exigue ſumtum: atque hæc ſunt tamen ad virtutem omnia.
Verum animus ubi ſemel ſe cupiditate devinxit mala,
Neceſſe eſt, Clitipho, conſilia conſequi comſimilia. hoc
Scitum eſt, PERICLUM EX ALIIS facere, tibi quod ex uſu ſiet.
Cl. Ita credo. *Chr.* Ego ibo hinc intro, ut videam, nobis quid cœnæ ſiet.
Tu, ut tempus eſt diei, vide ſis, ne quo hinc abeas longius.

ACTUS I. SCENA II.

Clitipho.

QUam iniqui ſunt patres in omneis adoleſcenteis judices:
Qui æquom eſſe cenſent, nos jam a pueris illico naſci ſenes,
Neque illarum affines eſſe rerum, quas fert adoleſcentia.
Ex ſua libidine moderantur, nunc quæ eſt, non quæ olim fuit.
Mihi ſi umquam filius erit, næ ille facili me utetur patre;
Nam & cognoſcendi, & ignoſcendi dabitur peccati locus:
Non ut meus, qui mihi per alium oſtendit ſuam ſententiam.
Perii: is mihi ubi adbibit plus paulo, ſua quæ narrat facinora?
Nunc ait, periculum ex aliis facito, tibi quod ex uſu ſiet.
Aſtutus! næ ille haud ſcit, quam mihi nunc SURDO NARRET FABULAM.
Magis nunc me amicæ dicta ſtimulant, da mihi, atque affer mihi.
Cui quid reſpondeam, nil habeo: neque me quiſquam eſt miſerior.
Nam hic Clinia, etſi is quoque ſuarum rerum ſatagit, attamen
Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciæ.
Mea eſt potens, procax, magnifica, ſumptuoſa, nobilis.
Tum, quod dem ei, recte eſt: nam nihil eſſe mihi, religio eſt dicere.

Hoc

Hoc ego mali non pridem inveni: neque etiam dum ſcit pater.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

Clinia, Clitipho.

SI mihi ſecundæ res de amore meo eſſent, jam dudum, ſcio
Veniſſent: ſed vereor, ne mulier, me abſente, hic corrupta ſit.
Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exangeant;
Occaſio, locus, ætas, mater, cujus ſub imperio eſt, mala;
Cui nihil præter pretium jam dulce eſt. *Clit.* Clinia. *Clin.* Hei miſero mihi!
Clit. Etiam caves, ne videat forte hinc te a patre aliquis exiens?
Clin. Faciam. ſed neſcio quid profecto mihi animu' præſagit mali.
Clit. Pergin' iſtuc prius dijudicare, quam ſcis, quid veri ſiet?
Clin. Si nihil mali eſſet, jam hic adeſſent. *Clit.* Jam aderunt. *Clin.* Quando iſtuc erit?
Clit. Non cogitas hinc longule eſſe? & noſti mores mulierum:
Dum moliuntur, dum conantur, annus eſt. *Clin.* O Clitipho,
Timeo. *Clit.* Reſpira: eccum Dromonem cum Syro; una adſunt tibi.

ACTUS II. SCENA II.

Syrus, Dromo, Clitipho, Clinia.

AIn' tu? *Dr.* Sic eſt. *Syr.* Verum interea dum ſermones cædimus,
Illæ ſunt relictæ. *Clit.* Mulier tibi adeſt, audin' Clinia?
Clin. Ego vero audio nunc demum, & video, & valeo, Clitipho.
Dr. Mininime mirum: adeo impeditæ ſunt: ancillarum gregem
Ducunt ſecum. *Clin.* Perii. unde illi ſunt ancillæ? *Clit.* Men' rogas?
Syr. Non oportuit relictas: portant quid rerum. *Clin.* Hei mihi!
Syr. Aurum, veſtem: & veſperaſcit, & non noverunt viam.
Factum a nobis ſtulte eſt. abi dum tu, Dromo, illis obviam.
Propera. quid ſtas? *Clin.* Væ miſero mihi, quanta de ſpe decidi!
Clit. Quid iſtuc? quæ res te ſollicitat autem? *Clin.* Rogitas quid ſiet?
Viden' tu ancillas, aurum, veſtem? quam ego cum una ancillula
Hic reliqui. unde eſſe cenſes? *Clit.* Vah, nunc demum intellego.
Syr. Dii boni, quid turbæ eſt? ædes noſtræ vix capient, ſcio.
Quid comedent? quid ebibent? quid ſene erit noſtro miſerius?
Sed video, eccos, quos volebam. *Clin.* O Jupiter, ubinam eſt fides?
Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci
Conlocupletaſti, Antiphila, te, & me in his deſeruiſti malis,
Propter quam in ſumma infamia ſum, & meo patri minus obſequens:
Cujus nunc pudet me, & miſeret, qui harum mores cantabat mihi,
Monuiſſe fruſtra: neque potuiſſe eum umquam me ab hac expellere.
Quod tamen nunc faciam; cum gratum mihi eſſe potuit, nolui.
Nemo eſt miſerior me. *Syr.* Hic de noſtris verbis errat videlicet,
Quæ hic ſumus locuti. Clinia, aliter tuum amorem, atque eſt, accipis.
Nam & vita eſt eadem, & animus te erga idem ac fuit,
Quantum ex ipſa re conjecturam cepimus.
Clin. Quid eſt, obſecro? nam mihi nunc nihil rerum omnium eſt,
Quod malim, quam me hoc falſo ſuſpicarier.
Syr. Hoc primum, ut ne quid hujus rerum ignores: anus,
Quæ eſt dicta mater eſſe ei antehac, non fuit:
Ea obiit mortem: hæc ipſa in itinere alteræ
Dum narrat, forte audivi. *Clin.* Quænam eſt altera?
Syr. Mane, hoc, quod cœpi, primum enarrem, Clitipho:
Poſt iſtuc veniam. *Clin.* Propera. *Syr.* Iam primum omnium,
Ubi ventum ad ædes eſt, Dromo pultat fores:
Anus quædam prodit: hæc ubi aperuit oſtium,
Continuo hic ſe conjecit intro: ego conſequor;
Anus foribus obdit peſſulum, ad lanam redit.
Hic ſciri potuit, aut nuſquam alibi, Clinia,
Quo ſtudio vitam ſuam te abſente exegerit:
Ubi de improviſo eſt interventum mulieri.
Nam ea res dedit tum exiſtumandi copiam
Quotidianæ vitæ conſuetudinem;
Quæ, cujuſque ingenium ut ſit, declarat maxume.
Texentem telam ſtudioſe ipſam offendimus,
Mediocriter veſtitam veſte lugubri,
Ejus anuis cauſa, opinor, quæ erat mortua,
Sine auro tum ornatam, ita uti quæ ornatur ſibi,
Nulla mala re eſſe expolitam muliebri:
Capillus paſſus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter. pax! *Clin.* Syre mi, obſecro,
Ne me in lætitiam fruſtra conjicias. *Syr.* Anus
Subtemen nebat: præterea una ancillula
Erat: ea texebat una pannis obſita,
Neglecta, immunda illuvie. *Clit.* Si hæc ſunt, Clinia,
Vera, ita ut credo, quis te eſt fortunatior?
Scin' tu hanc, quam dicit ſordidatam & ſordidam?
Magnum hoc quoque ſignum eſt, dominam eſſe extra noxiam,
Cum ejus tam negleguntur internuncii:
Nam diſciplina eſt eiſdem, munerarier
Ancillas primum, ad dominas qui affectant viam.
Clin. Perge, obſecro te, & cave ne falſam gratiam
Studeas inire. quid ait, ubi me nominas?
Syr. Ubi dicimus rediiſſe te, & rogare uti
Veniret ad te, mulier telam deſinit
Continuo, & lacrumis opplet os totum ſibi, ut
Facile ſcires deſiderio id fieri tuo.

Clin.

Clin. Præ gaudio (ita me dii ament) ubi ſim neſcio:
Ita timui. *Clit.* At ego nihil eſſe ſciebam, Clinia.
Agedum viciſſim, Syre, dic quæ illa eſt altera.
Syr. Adducimus tuam Bacchidem. *Clit.* Hem, quid Bacchidem?
Eho, ſceleſte, quo illam ducis? *Syr.* Quo illam ego? ad nos ſcilicet.
Clit. Ad patremne? *Syr.* Ad eum ipſum. *Clit.* O hominis impudentem audaciam!
Syr. Heus tu, non fit ſine periculo facinus magnum & memorabile.
Clit. Hoc vide. in mea vita tu tibi laudem is quæſitum, ſcelus:
Ubi ſi paululum modo quid te fugerit, ego perierim.
Quid illo facias? *Syr.* At enim. *Clit.* Quid enim? *Syr.* Si ſinas, dicam. *Clin.* Sine.
Clit. Sino. *Syr.* Ita res eſt hæc nunc, quaſi cum.... *Clit.* Quas, malum, ambages mihi
Narrare occipit? *Clin.* Syre, verum hic dicit: mitte: ad rem redi.
Syr. Enimvero reticere nequeo. multimodis injurius,
Clitipho, es, neque ferri potis es. *Clin.* Audiendum hercle eſt; tace.
Syr. Vis amare: vis potiri: vis, quod des illi, effici:
Tuum eſſe in potiundo periclum non vis. haud ſtulte ſapis:
Siquidem id ſapere eſt, velle te id, quod non poteſt contingere.
Aut hæc cum illis ſunt habenda, aut illa cum his mittenda ſunt.
Harum duarum conditionum nunc utram malis, vide:
Etſi hoc conſilium, quod cœpi, rectum eſſe & tutum ſcio:
Nam tua apud patrem amica tecum ſine metu ut ſit, copia eſt:
Tum illi argentum quod pollicitu' es, eadem hac inveniam via:
Quod ut efficerem, orando ſurdas jam aureis reddideras mihi.
Quid aliud tibi vis? *Clit.* Siquidem hoc fit. *Syr.* Siquidem? experiundo ſcies.
Clit. Age age, cedo iſtuc tuum conſilium, quid id eſt? *Syr.* Aſſimulabimus,
Tuam amicam hujus eſſe. *Clit.* Pulchre. cedo, quid hic faciet ſua?
An ea quoque hujus dicetur, ſi hæc una dedecori eſt parum?
Syr. Immo ad tuam matrem abducetur. *Clit.* Quid eo? *Syr.* Longum eſt Clitipho,
Tibi ſi narrem, quam ob rem id faciam: vera cauſſa eſt. *Clit.* Fabulæ:
Nihil ſati' firmi video, quam ob rem accipere hunc mihi expediat metum.
Syr. Mane, habeo aliud, ſi iſtuc metuis, quod ambo confiteamini
Sine periclo eſſe. *Clin.* Hujuſmodi, obſecro, aliquid reperi. *Syr.* Maxume:
Ibo obviam hinc: dicam, ut revortantur domum. *Clit.* Hem,
Quid dixti? *Syr.* Ademtum tibi jam faxo omnem metum,
In aurem utramvis otioſe ut dormias.
Clit. Quid ago nunc? *Clin.* Tune? quod boni. *Clit.* Syre, dic modo
Verum. *Syr.* Age modo hodie: ſero ac nequidquam voles.
Clin. Datur: fruare, dum licet: nam neſcias,
Eju' ſit poteſtas poſthac, an numquam tibi.
Clit. Syre, inquam. *Syr.* Perge porro, tamen iſtuc ago.
Clit. Verum hercle iſtuc eſt. Syre, Syre, inquam, heus heus, Syre.
Syr. Concaluit. quid vis? *Clit.* Redi, redi. *Syr.* Adſum, dic, quid eſt?
Jam hoc quoque negabis tibi placere. *Clit.* Immo, Syre,
Et me, & meum amorem, & famam permitto tibi.
Tu es judex: ne quid accuſandus ſis, vide.
Syr. Ridiculum eſt, te iſtuc me admonere, Clitipho:
Quaſi iſtic minor mea res agatur, quam tua.
Hic ſi quid nobis forte advorſi evenerit,
Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.
Quapropter hæc res neutiquam neglectui eſt mihi.
Sed iſtunc exora, ut ſuam eſſe adſimulet. *Clin.* Scilicet
Facturum me eſſe; in eum jam res rediit locum,
Ut ſit neceſſe. *Clit.* Merito te amo, Clinia.
Clin. Verum illa ne quid titubet. *Syr.* Perdocta eſt probe.
Clit. At hoc demiror, qui tam facile potueris
Perſuadere illi, quæ ſolet quos ſpernere!
Syr. In tempore ad eam veni; quod rerum omnium eſt
Primum. nam quemdam miſere offendi ibi militem
Ejus noctem orantem. hæc arte tractabat virum,
Cupidum ut illius animum inopia incenderet,
Eademque ut eſſet apud te quam gratiſſima.
Sed heus tu, vide ſis, ne quid imprudens ruas.
Patrem noviſti ad has res quam ſit perſpicax:
Ego te autem novi, quam eſſe ſoleas impotens:
Inverſa verba, everſas cervices tuas,
Gemitus, ſcreatus, tuſſis, riſus, abſtine.
Clit. Laudabis. *Syr.* Vide ſis. *Clit.* Tutemet mirabere.
Syr. Sed quam cito ſunt conſecutæ mulieres?
Clit. Ubi ſunt? cur retines? *Syr.* Jam nunc hæc non eſt tua.
Clit. Scio, apud patrem; at nunc interim. *Syr.* Nihilo magis.
Clit. Sine. *Syr.* Non ſinam, inquam. *Clit.* Quæſo, pauliſper. *Syr.* Veto.
Clit. Saltem ſalutare. *Syr.* Abeas, ſi ſapias. *Clit.* Eo.
Quid iſtic? *Syr.* Manebit. *Clit.* O hominem felicem! *Syr.* Ambula.

ACTUS II. SCENA III.

Bacchus, Antiphila, Clinia, Syrus.

EDepol te, mea Antiphila, laudo & fortunatam judico,
Id cum ſtuduiſti, iſti formæ ut mores conſimiles forent:
Minimeque, ita me Dii ament, miror, ſi te ſibi quiſque expetit.
Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.
Et cum egomet nunc mecum in animo vitam tuam conſidero,
Omniumque adeo voſtrarum, volgus quæ ab ſe ſegregant;
Et vos eſſe iſtiuſmodi, & nos non eſſe, haud mirabile eſt.
Nam expedit bonas eſſe vobis: nos, quibuſcum eſt res, non ſinunt.

Quippe

Quippe forma impulſi noſtra nos amatores colunt :
Hæc ubi imminuta eſt, illi ſuum animum alio conferunt.
Niſi proſpectum interea aliquid nobis eſt, deſertæ vivimus.
Vobis cum uno ſemel ubi ætatem agere decretum eſt viro,
Cujus mos maxume eſt conſimilis voſtrum; hi ſe ad vos applicant:
Hoc beneficio utrique ab utriſque vero devincimini;
Ut nunquam ulla amori voſtro incidere poſſit calamitas.
Ant. Neſcio alias: me quidem ſemper ſcio feciſſe ſedulo,
Ut ex illius commodo meum compararem commodum. *Clin.* Ah.
Ergo, mea Antiphila, tu nunc ſola reducem me in patriam facis.
Nam, dum abs te abſum, omnes mihi labores fuere, quos cepi, leves,
Præterquam tui carendum quod erat. *Syr.* Credo. *Clin.* Syre, vix ſuffero.
Hoccine me miſerum non licere meo modo ingenium frui?
Syr. Immo, ut patrem tuum vidi eſſe habitum, diu etiam duras dabit.
Bac. Quiſnam hic adoleſcens eſt, qui intuitur nos? *Ant.* Ah, retine me, obſecro.
Bac. Amabo, quid tibi eſt? *Ant.* Diſperii. *Bac.* Perii miſera! quid ſtupes,
Antiphila? *Ant.* Videon' Cliniam, an non? *Bac.* Quem vides? *Clin.* Salve, anime mi.
Ant. O mi exſpectate Clinia, ſalve. *Clin.* Ut vales?
Ant. Salvom veniſſe gaudeo. *Clin.* Teneone te,
Antiphila, maxume animo exoptatam meo?
Syr. Ite intro: nam vos jamdudum exſpectat ſenex.

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

Chremes, Menedemus.

Luciſcit hoc jam. ceſſo pultare oſtium
Vicini, primum ex me ut ſciat, ſibi filium
Rediiſſe? etſi adoleſcentem hoc nolle intellego.
Verum, cum videam miſerum hunc tam excruciarier
Ejus abitu, celem tam inſperatum gaudium,
Cum illi pericii nihil ex indicio ſiet?
Haud faciam: nam, quod potero, adjutabo ſenem.
Item ut filium meum amico atque æquali ſuo
Video inſervire, & ſocium eſſe in negotiis,
Nos quoque ſenes eſt æquom ſenibus obſequi.
Men. Aut ego profecto ingenio egregio ad miſerias
Natus ſum, aut illud falſum eſt, quod volgo audio
Dici, DIEM ADIMERE ægritudinem hominibus:
Nam mihi quidem quotidie augeſcit magis
De filio ægritudo; & quanto diutius
Abeſt, magis cupio tanto, & magis deſidero.
Chr. Sed ipſum foras egreſſum video: ibo, adloquar.
Menedeme, ſalve: nuncium apporto tibi,
Cujus maxume te fieri participem cupis.
Men. Numquidnam de gnato meo audiſti, Chreme?
Chr. Valet, atque vivit. *Men.* Ubinam eſt, quæſo? *Chr.* Apud me domi.
Men. Meus gnatus? *Chr.* Sic eſt. *Men.* Venit? *Chr.* Certe. *Men.* Clinia
Meus venit? *Chr.* Dixi. *Men.* Eamus, duc me ad eum, obſecro.
Chr. Non volt te ſcire ſe rediiſſe etiam, & tuum
Conſpectum fugitat ob peccatum. tum hoc timet,
Ne tua duritia antiqua illa etiam adaucta ſit.
Men. Non tu ei dixiſti, ut eſſem? *Chr.* Non. *Men.* Quamobrem, Chreme?
Chr. Quia peſſume iſtuc in te atque in illum conſulis,
Si te tam leni & victo eſſe animo oſtenderis.
Men. Non poſſum: ſatis jam, ſatis pater durus fui. *Chr.* Ah,
Vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis,
Aut largitate nimia, aut parcimonia.
In eamdem fraudem ex hac re, atque ex illa, incides.
Primum olim potius, quam paterere filium
Commeare ad mulierculam, quæ paululo
Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,
Proterruiſti hinc. ea coacta ingratiis
Poſtilla cœpit victum volgo quærere.
Nunc, cum ſine magno intertrimento non poteſt
Haberi, quidvis dare cupis. nam, ut tu ſcias,
Quam ea nunc inſtructa pulchre ad perniciem ſiet;
Primum, jam ancillas ſecum adduxit plus decem,
Oneratas veſte atque auro. ſatrapes ſi ſiet
Amator, numquam ſufferre ejus ſumtus queat:
Nedum tu poſſis. *Men.* Eſtne ea intus? *Chr.* Si ſit, rogas?
Senſi: nam unam ei cœnam atque ejus comitibus
Dedi. quod ſi iterum mihi ſit danda, actum ſiet.
Nam, ut alia omittam, pitiſſando modo mihi
Quid vini abſumſit? ſic hoc, dicens; aſperum,
Pater, hoc eſt: aliud lenius ſodes vide.
Relevi dolia omnia, omnes ſerias:
Omnes habui ſollicitos. atque hæc una nox.
Quid te futurum cenſes, quem aſſidue exedent?
Sic me Dii amabunt, ut me tuarum miſeritum eſt,
Menedeme, fortunarum! *Men.* Faciat quod lubet:
Sumat, conſumat, perdat: decretum eſt pati;
Dum illum modo habeam mecum. *Chr.* Si certum eſt tibi
Sic facere, illud permagni referre arbitror,
Ut neſcientem ſentiat te id ſibi dare.
Men. Quid faciam? *Chr.* Quidvis potius, quam quod cogitas:
Per alium quemvis ut des, falli te ſinas
Technis per ſervolum. etſi ſubſenſi id quoque,
Illos ibi eſſe, id agere inter ſe clanculum.
Syru' cum illo voſtro conſuſurrat: conferunt
Conſilia adoleſcentes; & tibi perdere
Talentum hoc pacto ſatius eſt, quam illo minam.
Non nunc pecunia agitur, ſed illud, quomodo
Minimo periclo id demus adoleſcentulo.
Nam ſi ſemel tuum animum ille intellexerit,
Prius proditurum te tuam vitam, & prius
Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium; hui,
Quantam feneſtram ad nequitiam patefeceris!
Tibi autem porro ut non ſit ſuave vivere.
Nam DETERIORES SUMUS omnes licentia.
Quodcumque inciderit in mentem, volet: neque id
Putabit, pravomne an rectum ſit, quod petet.
Tu, rem perire, & ipſum, non poteris pati.
Dare denegaris; ibit ad illud illico,

Quo maxume apud te ſe valere ſentiet:
Abiturum ſe abs te eſſe illico minabitur.
Men. Videre verum, atque ita uti res eſt, dicere.
Chr. Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis,
Dum id quæro, tibi qui filium reſtituerem.
Men. Cedo dextram: porro te oro idem ut facias, Chreme.
Chr. Paratus ſum. *Men.* Scin' quid nunc facere te volo?
Chr. Dic. *Men.* Quod ſenſiſti illos me incipere fallere,
Id ut maturent facere. cupio illi dare,
Quod volt: cupio ipſum jam videre. *Chr.* Operam dabo.
Syrus eſt prehendendus atque adhortandus mihi.
A me neſcio quis exit. concede hinc domum,
Ne nos inter nos congruere ſentiant.
Paulum hoc negoti mihi obſtat: Simus & Crito
Vicini noſtri hic ambigunt de finibus:
Me cepere arbitrum. ibo, ac dicam, ut dixeram
Operam daturum me, hodie non poſſe his dare.
Continuo hic adero. *Men.* Ita quæſo. Dii voſtram fidem!
ITAN'COMPARATAM ESSE hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant & dijudicent
Quam ſua? an eo fit, quia in re noſtra aut gaudio
Sumus præpediti nimio, aut ægritudine?
Hic mihi nunc quanto plus ſapit, quam egomet mihi!
Chr. Diſſolvi me, otioſus operam ut tibi darem.

ACTUS III. SCENA II.

Syrus, Chremes.

HAc illac circumcurſa: inveniundum eſt tamen
Argentum, intendenda in ſenem eſt fallacia.
Chr. Num me feſellit, hoſce id ſtruere? videlicet
Ille Cliniæ ſervos tardiuſculus eſt:
Idcirco huic noſtro tradita eſt provincia.
Syr. Quis hic loquitur? perii. numnam hæc audivit? *Chr.* Syre. *Syr.* Hem.
Chr. Quid tu iſtic? *Syr.* Recte equidem: ſed te miror, Chreme,
Tam mane, qui heri tantum biberis. *Chr.* Nihil nimis.
Syr. Nihil, narras? viſa vero eſt, quod dici ſolet,
AQUILÆ SENECTUS. *Chr.* Heja. *Syr.* Mulier commoda &
Faceta hæc eſt meretrix. *Chr.* Sane idem viſa eſt mihi.
Syr. Et quidem hercle forma luculenta. *Chr.* Sic ſatis.
Syr. Ita non ut olim, ſed uti nunc, ſane bona:
Minimeque miror, Clinia hac ſi deperit.
Sed habet patrem quemdam avidum, miſerum, atque aridum,
Vicinum hunc: noſtin'? at quaſi is non divitiis
Abundet, gnatus ejus profugit inopia.
Scis eſſe factum, ut dico? *Chr.* Quid ego neſciam?
Hominem piſtrino dignum! *Syr.* Quem? *Chr.* Iſtunc ſervolum.
Dico adoleſcentis. *Syr.* Syre, tibi timui male.
Chr. Qui paſſus eſt id fieri. *Syr.* Quid faceret? *Chr.* Rogas?
Aliquid reperirit, fingeret fallacias,
Unde eſſet adoleſcenti, amicæ quod daret,
Atque hunc difficilem invitum ſervaret ſenem.
Syr. Garris. *Chr.* Hæc facta ab illo oportebant, Syre.
Syr. Eho, quæſo, laudas qui heros fallunt? *Chr.* In loco,
Ego vero laudo. *Syr.* Recte ſane. *Chr.* Quippe quia
Magnarum ſæpe id remedium ægritudinum eſt.
Jam huic manſiſſet unicus gnatus domi.
Syr. Jocone an ſerio illæc dicat, neſcio;
Niſi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.
Chr. Et nunc quid expectat, Syre? an dum hinc denuo
Abeat, cum tolerare hujus ſumptus non queat?
Nonne ad ſenem aliquam fabricam fingit? *Syr.* Stolidus eſt.
Chr. At te adjutare oportet adoleſcentuli
Cauſſa. *Syr.* Equidem facile facere poſſum, ſi jubes:
Etenim, quo pacto id fieri ſoleat, calleo.
Chr. Tanto hercle melior. *Syr.* Non eſt mentiri meum.
Chr. Fac ergo. *Syr.* At heus tu, facito dum eadem hæc memineris,
Si quid hujus ſimile forte aliquando evenerit,
Ut ſunt humana, tuus ut faciat filius.
Chr. Non uſus veniet, ſpero. *Syr.* Spero hercle ego quoque:
Neque eo nunc dico, quo quidquam illum ſenſerim:
Sed ſi quid, ne quid ... quæ ſit ejus ætas, vides:
Et næ ego te, ſi uſus veniat, magnifice, Chreme,
Tractare poſſim. *Chr.* De iſtoc, cum uſus venerit,
Videbimus quid opus ſit. nunc iſtuc age.
Syr. Numquam commodius umquam herum audivi loqui,
Nec, cum maleſacere crederem mi impunius
Licere. quiſnam a nobis egreditur foras?

ACTUS III. SCENA III.

Chremes, Clitipho, Syrus.

QUid iſtuc, quæſo? qui iſtic mos eſt Clitipho? itane fieri oportet?
Clit. Quid ego feci? *Chr.* Vidin' ego te modo manum in ſinum huic meretrici
Inſerere? *Syr.* Acta hæc res eſt, perii. *Clit.* Mene? *Chr.* Hiſce oculis: ne nega.
Facis adeo indigne injuriam illi, qui non abſtineas manum:
Nam iſta quidem contumelia eſt,
Hominem amicum recipere ad te, atque ejus amicam ſubagitare.
Vel heri in vino quam immodeſtus fuiſti. *Syr.* Factum. *Chr.* Quam moleſtus!
Ut equidem, ita me Dii ament, metui quid futurum denique eſſet!
Novi ego amantium animum: advortunt graviter, quæ non cenſeas.
Clit. At mihi fides apud hunc eſt, nihil me iſtius facturum, pater.
Chr. Eſto. at certe concedas aliquo ab ore eorum aliquantiſper.
Multa fert libido; ea facere prohibet tua præſentia.
Ego de me facio conjecturam. nemo eſt meorum hodie,
Apud quem expromere omnia mea occulta, Clitipho, audeam.
Apud alium prohibet dignitas: apud alium ipſius facti pudet,
Ne ineptus, ne protervos videar: quod illum facere credito.
Sed noſtrum eſt intellegere, utcumque, atque ubicumque opus ſit, obſequi. *Syr.*

Syr. Quid iſtic narrat? *Clit.* Perii. *Syr.* Clitipho, hæc ego præcipio tibi,
Hominis frugi & temperantis functus officium. *Clit.* tace ſodes.
Syr. Recte ſane. *Chr.* Syre, pudet me. *Syr.* Credo: neque id injuria.
Quin mihi moleſtum eſt. *Clit.* Pergin' hercle. *Syr.* Verum dico, quod videtur.
Clit. Nonne accedam ad illos? *Chr.* Eho quæſo, una accedundi via eſt?
Syr. Actum eſt: hic prius ſe indicarit, quam ego argentum effecero.
Chreme, vin' tu homini ſtulto mihi auſcultare? *Chr.* Quid faciam? *Syr.* Jube hunc
Abire hinc aliquo. *Clit.* Quo ego hinc abeam? *Syr.* Quo? quo lubet: da illis locum:
Abi deambulatum. *Clit.* Deambulatum, quo? *Syr.* Vah, quaſi deſit locus.
Abi ſane iſtac, iſtorſum, quo vis. *Chr.* Recte dicit: cenſeo.
Clit. Di te eradicent, Syre, qui me hinc extrudas. *Syr.* At tu tibi iſtas
Poſthac comprimito manus.
Cenſen' vero? quid illum porro credis facturum, Chreme,
Niſi eum, quantum tibi opis Dii dant, ſervas, caſtigas, mones?
Chr. Ego iſtuc curabo. *Syr.* Atqui nunc, here, hic tibi aſſervandus eſt.
Chr. Fiet. *Syr.* Si ſapias; nam mihi jam minus minuſque obtemperat.
Chr. Quid tu? ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egiſti, Syre, aut
Reperiſti quod placeat, an nondum etiam? *Syr.* De fallacia
Dicis? ſt. inveni quamdam nuper. *Chr.* Frugi es: cedo, quid id eſt?
Syr. Dicam: verum ut aliud ex alio incidit. *Chr.* Quidnam, Syre?
Syr. Peſſuma hæc eſt meretrix. *Chr.* Ita videtur. *Syr.* Imo ſi ſcias ---
Hoc vide, quod inceptet facinus. fuit quædam anus Corinthia
Hic: huic drachmarum argenti hæc mille dederat mutuum.
Chr. Quid tum? *Syr.* Ea mortua eſt: reliquit filiam adoleſcentulam:
Ea relicta huic arrhaboni eſt pro illo argento. *Chr.* Intellego.
Syr. Hanc ſecum huc adduxit, eaque eſt nunc ad uxorem tuam.
Chr. Quid tum? *Syr.* Cliniam orat, ſibi uti id nunc det: illam illi tamen
Poſt daturam. mille nummum poſcit. *Chr.* Et poſcit quidem? *Syr.* Hui,
Dubiumne id eſt? *Chr.* Ego ſic putavi. quid nunc facere cogitas?
Syr. Egone? ad Menedemum ibo: dicam hanc eſſe captam e Caria,
Ditem & nobilem: ſi redimat, magnum in ea eſſe lucrum.
Chr. Erras. *Syr.* Quid ita? *Chr.* Pro Menedemo ego nunc tibi reſpondeo:
Non emo. quid agis? *Syr.* Optata loquere. *Chr.* Atqui non eſt opus.
Syr. Non opus eſt? *Chr.* Non hercle vero. *Syr.* Qui iſtuc? miror. *Chr.* Jam ſcies.
Mane, mane: quid eſt, quod tam a nobis graviter crepuerunt fores?

ACTUS III. SCENA IV.

Soſtrata, Chremes, Nutrix, Syrus.

NIſi me animus fallit, hic profecto eſt annulus, quem ego ſuſpicor,
Is, quicum expoſita eſt gnata. *Chr.* Quid volt ſibi, Syre, hæc oratio?
Soſtr. Quid eſt? iſne tibi videtur? *Nutr.* Dixi equidem, ubi mihi oſtendiſti, illico,
Eum eſſe. *Soſtr.* At ut ſatis contemplata modo ſis, mea nutrix. *Nutr.* Satis.
Soſtr. Abi nunc jam intro: atque illa ſi jam laverit, mihi nuntia.
Hic ego virum interea opperibor. *Syr.* Te volt: videas, quid velit.
Neſcio quid triſtis eſt. non temere eſt. metuo, quid ſit. *Chr.* Quid ſiet?
Næ iſta hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit.
Soſtr. Ehem mi vir. *Chr.* Ehem mea uxor. *Soſtr.* Te ipſum quæro. *Chr.* Loquere, quid velis.
Soſtr. Primum te hoc oro, ne quid credas me advorſum edictum tuum
Facere auſam. *Chr.* Vin' tibi me iſtuc, etſi incredibile eſt, credere?
Credo. *Syr.* Neſcio quid peccati portat hæc purgatio.
Soſtr. Meminiſtin' me eſſe gravidam, & mihi te maxumo opere dicere:
Si puellam parerem, nolle tolli? *Chr.* Scio quid feceris:
Suſtuliſti. *Soſtr.* Sic eſt factum. *Chr.* Domin'? *Syr.* Ergo herus damno auctus eſt.
Soſtr. Minime: ſed erat hic Corinthia anus haud impura. ei dedi
Exponendam. *Chr.* O Jupiter, tantam eſſe in animo inſcitiam?
Soſtr. Perii, quid ego feci? *Chr.* At rogitas? *Soſtr.* Si peccavi, mi Chreme,
Inſciens feci. *Chr.* Id quidem ego, etſi tu neges, certe ſcio,
Te inſcientem atque imprudentem dicere ac facere omnia:
Tot peccata in hac re oſtendis: nam jam primum, ſi meum
Imperium exequi voluiſſes, interemptam oportuit,
Non ſimulare mortem verbis, re ipſa ſpem vitæ dare.
At id omitto: miſericordia, animus maternus: ſino.
Quam bene vero abs te proſpectum eſt! quid voluiſti? cogita.
Nempe anui illi prodita abs te filia eſt planiſſume,
Per te vel uti quæſtum faceret, vel uti veniret palam.
Credo, id cogitaſti, quidvis ſatis eſt, dum vivat modo.
Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum, atque æquom ſciunt,
Melius, pejus, proſit, obſit, nil vident, niſi quod lubet?
Soſt. Mi Chreme, peccavi, fateor: vincor: nunc hoc te obſecro,

Quanto tuus eſt animus natu gravior, ignoſcentior,
Ut meæ ſtultitiæ in juſtitia tua ſit aliquid præſidi.
Chr. Scilicet equidem iſtuc factum ignoſcam: verum, Soſtrata,
Male docet te mea facilitas multa. ſed iſtuc quidquid eſt,
Qua hoc occeptum eſt cauſa, loquere. *Soſtr.* Ut ſtultæ & miſeræ omnes ſumus
Religioſæ; cum exponendam do illi, de digito annulum
Detraho; & eum dico ut una cum puella exponeret;
Si moreretur, ne expers partis eſſet de noſtris bonis.
Chr. Iſtuc recte: conſervaſti te, atque illam. *Soſtr.* Is hic eſt annulus.
Chr. Unde habes? *Soſtr.* Quam Bacchis ſecum adduxit adoleſcentulam, *Syr.* Hem.
Chr. Quid ea narrat? *Soſtr.* Ea lavatum dum it, ſervandum mihi dedit.
Animum non advorti primum: at poſtquam aſpexi, illico
Cognovi: ad te exſilui. *Chr.* Quid nunc ſuſpicare, aut invenis
De illa? *Soſtr.* Neſcio, niſi ex ipſa quæras, unde hunc habuerit,
Si potis eſt reperiri. *Syr.* Interii: plus ſpei video, quam volo.
Noſtra eſt, ſi ita eſt. *Chr.* Vivitne illa, cui tu dederas? *Soſtr.* Neſcio.
Chr. Quid renunciavit olim feciſſe? *Soſtr.* Id, quod juſſeram.
Chr. Nomen mulieris cedo quod ſit, ut quæratur. *Soſtr.* Philtere.
Syr. Ipſa eſt. mirum, ni illa ſalva eſt, & ego perii. *Chr.* Soſtrata,
Sequere me intro hac. *Soſtr.* Ut præter ſpem evenit! quam timui male,
Ne nunc animo ita eſſes duro, ut olim in tollendo, Chreme.
Chr. Non licet hominem eſſe ſæpe ita ut volt, ſi res non ſinit.
Nunc ita tempus eſt mi, ut cupiam filiam: olim nil minus.

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

Syrus.

NIſi me animus fallit, haud multum a me aberit infortunium:
Ita hac re in anguſtum oppido nunc meæ coguntur copiæ:
Niſi aliquid video, ne eſſe amicam hanc gnati reſciſcat ſenex.
Nam quod de argento ſperem, aut poſſe poſtulem me fallere,
Nihil eſt: triumpho, ſi licet me latere tecto abſcedere.
Crucior, bolum tantum mihi eſſe ereptum tam ſubito e faucibus.
Quid agam? aut quid comminiſcar? ratio de integro ineunda eſt mihi.
Nil tam difficile est, quin quærendo inveſtigari poſſiet.
Quid, ſi hoc ſic nunc incipiam? nihil eſt. quid ſi ſic? tantumdem egero.
At ſic opinor: non poteſt: immo optume. euge, habeo optumam.
Retraham hercle, opinor, ad me idem illud fugitivom argentum tamen.

ACTUS IV. SCENA II.

Clinia, Syrus.

NUlla mihi res poſthac poteſt jam intervenire tanta,
Quæ mihi ægritudinem afferat: tanta hæc lætitia oborta eſt.
Dedo patri me nunc jam, ut frugalior ſim quam volt.
Syr. Nil me fefellit: cognita eſt, quantum audio hujus verba.
Iſtuc tibi ex ſententia tua obtigiſſe lætor.
Clin. O mi Syre, audiſtin' obſecro? *Syr.* Quidni? qui uſque una adfuerim.
Clin. Cui æque audiſti commode quidquam eveniſſe? *Syr.* Nulli.
Clin. Atque ita me Dii ament, ut ego nunc non tam meapte cauſa
Lætor, quam illius; quam ego ſcio eſſe honore quovis dignam.
Syr. Ita credo: ſed nunc, Clinia, age, da te mihi viciſſim:
Nam amici quoque res eſt videnda, in tuto ut conlocetur,
Ne quid de amica nunc ſenex. *Clin.* O Jupiter! *Syr.* Quieſce.
Clin. Antiphila mea nubet mihi. *Syr.* Siccine me interloquere?
Clin. Quid faciam, mi Syre? gaudeo: fer me. *Syr.* Fero hercle vero.
Clin. Deorum vitam adepti ſumus. *Syr.* Fruſtra operam, opinor, ſumo.
Clin. Loquere, audio. *Syr.* At jam hoc non ages. *Clin.* Agam. *Syr.* Videndum eſt, inquam,
Amici quoque res, Clinia, tui in tuto ut conlocetur:
Nam ſi nunc a nobis abis, & Bacchidem hic relinquis,
Senex reſciſcet illico eſſe amicam hanc Clitiphonis:
Si abduxeris, celabitur itidem, ut celata adhuc eſt.
Clin. At enim iſtoc nihil eſt magis, Syre, meis nuptiis advorſum:
Nam quo ore appellabo patrem? tenes, quid dicam? *Syr.* Quid ni?
Clin. Quid dicam? quam cauſſam afferam? *Syr.* Quid? nolo mentiare:
Aperte, ita ut res ſeſe habet, narrato. *Clin.* Quid ais? *Syr.* Jubeo,
Illam te amare, & velle uxorem: hanc eſſe Clitiphonis.
Clin. Bonam atque juſtam rem oppido imperas, & factu facilem.
Et ſcilicet jam me hoc voles patrem exorare, ut celet
Senem voſtrum. *Syr.* Immo ut recta via rem narret ordine omnem. *Clin.* Hem,
Satin' ſanus es aut ſobrius? tu quidem illum plane prodis:
Nam qui ille poterit eſſe in tuto, dic mihi?
Syr. Huic equidem conſilio palmam do: hic me magnifice effero,
Qui vim tantam in me & poteſtatem habeam tantæ aſtutiæ,

Vera

Vera dicendo ut eos ambos fallam: ut cum narrat ſenex
Voſter noſtro, eſſe iſtam amicam gnati, non credat tamen.
Clin. At enim ſpem iſtoc pacto rurſus nuptiarum omnem eripis:
Nam dum amicam hanc meam eſſe credet, non committet filiam.
Tu fortaſſe, quid me fiat, parvi curas, dum illi conſulas.
Syr. Quid, malum, me ætatem cenſes velle id adſimularier?
Unus eſt dies, dum argentum eripio: pax! nihil amplius.
Clin. Tantum ſat habes? quid tum, quæſo, ſi hoc pater reſciverit?
Syr. Quid ſi redeo ad illos, qui ajunt, QUID SI NUNC cælum ruat?
Clin. Metuo quid agam. *Syr.* Metuis? quaſi non ea poteſtas ſit tua,
Quo velis in tempore ut te exſolvas, rem facias palam.
Clin. Age, age, traducatur Bacchis. *Syr.* Optume. ipſa exit foras.

ACTUS IV. SCENA III.

Bacchis, Clinia, Syrus, Dromo, Phrygia.

SAti' pol proterve me Syri promiſſa huc induxerunt,
Decem minas quas mihi dare pollicitus eſt. quod ſi is nunc me
Deceperit; ſæpe obſecrans me, ut veniam, fruſtra veniet.
Aut, cum venturam dixero, & conſtituero; cum is certe
Renunciarit; Clitipho cum ſpe pendebit animi;
Decipiam, ac non veniam: Syrus mihi tergo pœnas pendet.
Clin. Sati' ſcite promittit tibi. *Syr.* Atqui tu hanc jocari credis?
Faciet, niſi caveo. *Bac.* Dormiunt: pol ego iſtos commovebo.
Mea Phrygia, audiſtin', modo iſte homo quam villam demonſtravit
Charini? *Phr.* Audivi. *Bac.* Proxumam eſſe huic fundo ad dextram? *Phr.* Memini.
Bac. Curriculo percurre: apud eum miles Dionyſia agitat.
Syr. Quid incœptat? *Bac.* Dic me hic oppido eſſe invitam, atque aſſervari:
Verum aliquo pacto verba me his daturam eſſe, & venturam.
Syr. Perii hercle: Bacchis, mane, mane: quo mittis iſtanc, quæſo?
Jube, maneat. *Bac.* Abi. *Syr.* Quin eſt paratum argentum. *Bac.* Quin ego hic maneo.
Syr. Atqui iam dabitur. *Bac.* Ut lubet: num ego inſto? *Syr.* At ſcin' quid, ſodes?
Bac. Quid? *Syr.* Tranſeundum nunc tibi ad Menedemum eſt, & tua pompa
Eo traducenda eſt. *Bac.* Quam rem agi', ſcelus? *Syr.* Egon'? argentum cudo,
Quod tibi dem. *Bac.* Dignam me putas, quam inludas? *Syr.* Non eſt temere.
Bac. Etiamne tecum hic res mihi eſt? *Syr.* Minime: tuum tibi reddo.
Bac. Eatur. *Syr.* Sequere hac. heus, Dromo. *Dr.* Quis me volt? *Syr.* Syrus. *Dr.* Quid eſt rei?
Syr. Ancillas omnes Bacchidis traduce huc ad vos propere.
Dr. Quamobrem? *Syr.* Ne quæras. efferant, quæ ſecum huc attulerunt.
Sperabit ſumtum ſibi ſenex levatum eſſe harunc' abitu.
Næ ille haud ſcit, hoc paulum lucri quantum ei damni apportet.
Tu NESCIS ID QUOD SCIS, Dromo, ſi ſapies. *Dr.* Mutum dices.

ACTUS IV. SCENA IV.

Chreme., Syrus.

ITa me Dii amabunt, ut nunc Menedemi vicem
Miſeret me, tantum deveniſſe ad eum mali.
Illanccine mulierem alere cum illa familia?
Etſi ſcio, hoſce aliquot dies non ſentiet:
Ita magno deſiderio fuit ei filius.
Verum ubi videbit tantos ſibi ſumtus domi
Quotidianos fieri, nec fieri modum;
Optabit rurſum ut abeat ab ſe filius.
Syrum optume, eccum. *Syr.* Ceſſo hunc adoriri? *Chr.* Syre. *Syr.* Hem.
Chr. Quid eſt? *Syr.* Te mihi ipſum jamdudum optabam dari.
Chr. Videre egiſſe iam neſcio quid cum ſene.
Syr. De illo quod dudum? dictum ac factum reddidi.
Chr. Bonan' fide? *Syr.* Bona, hercle. *Chr.* Non poſſum pati,
Quin tibi caput demulceam. accede huc, Syre:
Faciam boni tibi aliquid pro iſta re, ac lubens.
Syr. At ſi ſcias, quam ſcite in mentem venerit.
Chr. Vah, gloriare eveniſſe ex ſententia?
Syr. Non hercle vero: verum dico. *Chr.* Dic, quid eſt?
Syr. Tui Clitiphonis eſſe amicam hanc Bacchidem,
Menedemo dixit Clinia, & ea gratia
Secum adduxiſſe, ne tu id perſentiſceres.
Chr. Probe. *Syr.* Dic ſodes. *Chr.* Nimium, inquam. *Syr.* Immo ſi ſcias.
Sed porro auſculta quod ſupereſt fallaciæ.
Seſe ipſe dicet tuam vidiſſe filiam:
Eius ſibi complacitam formam, poſtquam aſpexerit:
Hanc cupere uxorem. *Chr.* Modone quæ inventa eſt? *Syr.* Eam:
Et quidem jubebit poſci. *Chr.* Quamobrem iſtuc, Syre?
Nam prorſus nihil intellego. *Syr.* Hui, tardus es.
Chr. Fortaſſe. *Syr.* Argentum dabitur ei ad nuptias,
Aurum atque veſtem qui, teneſne? *Chr.* Comparet?
Syr. Id ipſum. *Chr.* At ego illi nec do nec deſpondeo.
Syr. Non? quam ob rem? *Chr.* Quam ob rem, me rogas? homini.... *Syr.* Ut lubet.
Non ego in perpetuum dicebam illam illi ut dares,
Verum ut ſimulares. *Chr.* Non mea eſt ſimulatio:
Ita tu iſtæc tua miſceto, ne me admiſceas.
Egon', cui daturus non ſim, ut ei deſpondeam?
Syr. Credebam. *Chr.* Minime. *Syr.* Scite poterat fieri:
Et ego hoc, quia dudum tu tantopere juſſeras,
Eo cœpi. *Chr.* Credo. *Syr.* Ceterum equidem iſtuc, Chreme,
Æqui bonique facio. *Chr.* Atqui cum maxume
Volo te dare operam ut fiat, verum alia via.
Syr. Fiat: quæratur aliud. ſed illud quod tibi
Dixi de argento, quod iſta debet Bacchidi,
Id nunc reddendum eſt illi. neque tu ſcilicet
Eo nunc confugies: Quid mea? num mihi datum eſt?
Num juſſi? num illa oppignerare filiam

Meam

Meam me invito potuit? verum illud, Chreme,
Dicunt: JUS SUMMUM SÆPE ſumma eſt malitia.
Chr. Haud faciam. *Syr.* Immo aliis ſi licet, tibi non licet.
Omnes te in lauta & bene aucta parte putant.
Chr. Quin egomet jam ad eam deferam. *Syr.* Immo filium
Jube potius. *Chr.* Quamobrem? *Syr.* Quia enim in eum ſuſpicio eſt
Tranſlata amoris. *Chr.* Quid tum? *Syr.* Quia videbitur
Magis veriſimile id eſſe, cum hic illi dabit:
Et ſimul conficiam facilius ego, quod volo.
Ipſe adeo adeſt; abi, effer argentum. *Chr.* Effero.

ACTUS IV. SCENA V.

Clitipho, Syrus.

NULLA EST TAM FACILIS res, quin difficilis ſiet,
Quam invitus facias. vel me hæc deambulatio,
Quam non laborioſa, ad languorem dedit:
Nec quidquam magis nunc metuo, quam ne denuo
Miſer aliquo extrudar hinc, ne accedam ad Bacchidem.
Ut te quidem omnes Dii Deæque, quantum eſt, Syre,
Cum tuo iſto invento, cumque incœpto perduint!
Hujuſmodi res ſemper comminiſcere,
Ubi me excarnufices. *Syr.* Is tu hinc quo dignus es?
Quam pene tua me perdidit protervitas?
Clit. Vellem hercle factum: ita meritu'. *Syr.* Meritu'? quo modo?
Næ me iſtuc prius ex te audiviſſe gaudeo,
Quam argentum haberes, quod daturus jam fui.
Clit. Quid igitur dicam tibi vis? abiiſti, mihi
Amicam adduxti, quam non liceat tangere.
Syr. Jam non ſum iratus: ſed ſcin' ubi nunc ſit tibi
Tua Bacchis? *Clit.* Apud nos. *Syr.* Non. *Clit.* Ubi ergo? *Syr.* Apud Cliniam.
Clit. Perii. *Syr.* Bono animo es: jam argentum ad ad eam deferes,
Quod ei es pollicitus. *Clit.* Garris. unde? *Syr.* A tuo patre.
Clit. Ludis fortaſſe me. *Syr.* Ipſa re experibere.
Clit. Næ ego fortunatus homo ſum; deamo te, Syre.
Syr. Qua cauſa id fiat, obſecundato in loco.
Sed pater egreditur. cave quidquam admiratu' ſis.
Quod imperabit, facito: loquitor paucula.

ACTUS IV. SCENA VI.

Chremes, Clitipho, Syrus.

UBi Clitipho nunc eſt? *Syr.* Eccum me, inque. *Clit.* Eccum hic tibi.
Chr. Quid rei eſſet, dixti huic? *Syr.* Dixi pleraque omnia.
Chr. Cape hoc argentum, ac defer. *Syr.* I, quid ſtas lapis?
Quin accipis? *Clit.* Cedo ſane. *Syr* Sequere hac me ocius:
Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere:
Nam nihil eſt illic, quod moremur diutius.
Chr. Minas quidem jam decem habet a me filia,
Quas pro alimentis eſſe nunc duco datas.
Haſce ornamentis conſequentur alteræ.
Porro hæc talenta dotis appoſcunt duo.
QUAM MULTA INJUSTA ac prava fiunt moribus!
Mihi nunc, relictis rebus, inveniendus eſt
Aliquis, labore inventa mea cui dem bona.

ACTUS IV. SCENA VII.

Menedemus, Chremes.

MUlto omnium me nunc fortunatiſſimum
Factum puto eſſe, gnate, cum te intellego
Reſipiſſe. *Chr.* Ut errat! *Men.* Teipſum quærebam, Chreme:
Serva, quod in te eſt, filium, & me, & familiam.
Chr. Cedo, quid vis faciam? *Men.* Inveniſti hodie filiam.
Chr. Quid tum? *Men.* Hanc uxorem ſibi dari volt Clinia.
Chr. Quæſo, quid hominis es? *Men.* Quid? *Chr.* Jamne oblitus es,
Inter nos quid ſit dictum de fallacia,
Ut ea via abs te argentum auferretur? *Men.* Scio.
Chr. Ea res nunc agitur ipſa. *Men.* Quid dixti, Chreme?
Erravi. *Chr.* Et quidem hæc quæ apud te eſt, Clitiphonis eſt
Amica? *Men.* Ita ajunt. *Chr.* Et tu credis? *Men.* Omnia.
Chr. Et illum ajunt velle uxorem, ut, cum deſponderim,
Des qui aurum, ac veſtem, atque alia, quæ opus ſunt, comparet.
Men. Id eſt profecto: id amicæ dabitur. *Chr.* Scilicet
Daturum! *Men.* Vah fruſtra ſum igitur gaviſus miſer.
Quidvis tamen jam malo, quam hunc amittere.
Quid nunc renunciem abs te reſponſum, Chreme,
Ne ſentiat me ſenſiſſe, atque ægre ferat?
Chr. Egre? nimium illi, Menedeme, indulges. *Men.* Sine:
Inceptum eſt: perfice hoc mihi perpetuum, Chreme.
Chr. Dic conveniſſe, egiſſe te de nuptiis.
Men. Dicam: quid deinde? *Chr.* Me facturum eſſe omnia.
Generum placere: poſtremo etiam, ſi voles,
Deſponſam quoque eſſe dicito. *Men.* Hem, iſtuc volueram.
Chr. Tanto ocyus te ut poſcat, & tu id, quod cupis,
Quam ocyſſime ut des. *Men.* Cupio. *Chr.* Næ tu propediem,
Ut iſtam rem video, iſtius obſaturabere.
Sed hæc ut ut ſunt, cautim, & paulatim dabis,
Si ſapies. *Men.* Faciam. *Chr.* Abi intro: vide, quid poſtulet.
Ego domi ero, ſi quid me voles. *Men.* Sane volo:
Nam te ſcientem faciam, quidquid egero.

ACTUS QUINTUS

SCENA I.

Menedemus, Chremes.

EGo me non tam aſtutum, neque ita perſpicacem eſſe, id ſcio:
Sed hic adjutor meus, & monitor, & præmonſtrator Chremes
Hoc mihi præſtat. in me quidvis harum rerum convenit,
Quæ ſunt dicta in ſtultum, caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus:

In

In illum nihil poteſt: nam exſuperat ejus ſtultitia hæc omnia.
Chr. Ohe, jam deſine Deos, uxor, gratulando obtundere,
Tuam eſſe inventam gnatam; niſi illos ex tuo ingenio judicas,
Ut nil credas intellegere, niſi idem dictum ſit centies.
Sed interim quid illic jamdudum gnatus ceſſat cum Syro?
Men. Quos ais homines, Chreme, ceſſare? *Chr.* Hem, Menedeme, advenis?
Dic mihi, Cliniæ, quæ dixi, nunciaſtin'? *Men.* Omnia.
Chr. Quid ait? *Men.* Gaudere adeo occœpit, quaſi qui cupiunt nuptias.
Chr. Ha, ha, hæ. *Men.* Quid riſiſti? *Chr.* Servi venere in mentem Syri
Calliditates. *Men.* Itane? *Chr.* Voltus quoque hominum fingit ſcelus.
Men. Gnatus quod ſe aſſimulat lætum, id dicis? *Chr.* Id. *Men.* Itidem iſtuc mihi
Venit in mentem. *Chr.* Veterator. *Men.* Magi', ſi magi' noris, putes
Ita rem eſſe. *Chr.* Ain' tu? *Men.* Quin tu auſculta. *Chr.* Mane: prius hoc ſcire expeto,
Quid perdideris. nam ubi deſponſam nunciaſti filio,
Continuo injeciſſe verba tibi Dromonem ſcilicet,
Sponſæ veſtem, aurum atque ancillas opus eſſe, argentum ut dares.
Men. Non. *Chr.* Quid non? *Men.* Non, inquam. *Chr.* Neque ipſe gnatus? *Men.* Nil prorſus, Chreme.
Magis unum etiam inſtare, ut hodie conficerentur nuptiæ.
Chr. Mira narras. quid Syrus meus? ne is quidem quidquam? *Men.* Nihil.
Chr. Quamobrem? *Men.* Neſcio equidem: ſed te miror, qui alia tam plane ſcias.
Sed ille tuus quoque Syrus idem mire finxit filium,
Ut ne paulum quidem ſuboleat eſſe amicam hanc Cliniæ.
Chr. Quid ais? *Men.* Mitto jam oſculari, atque amplexari: id nil puto.
Chr. Quid eſt, quod amplius ſimuletur? *Men.* Vah. *Chr.* Quid eſt? *Men.* Audi modo:
Eſt mihi in ultimis conclave ædibus quoddam retro:
Huc eſt intro latus lectus, veſtimentis ſtratus eſt.
Chr. Quid, poſtquam hoc eſt factum? *Men.* Dictum ac factum, huc abiit Clitipho.
Chr. Solus? *Men.* Solus. *Chr.* Timeo. *Men.* Bacchis conſecuta eſt illico.
Chr. Sola? *Men.* Sola. *Chr.* Perii. *Men.* Ubi abjere intro, operuere oſtium. *Chr.* Hem.
Clinia hæc fieri videbat? *Men.* Quidni? una mecum ſimul.
Chr. Filii eſt amica Bacchis, Menedeme: occidi.
Men. Quamobrem? *Chr.* Decem dierum vix mi eſt familia.
Men. Quid? iſtuc times, quod operam amico ille dat ſuo?
Chr. Immo quod amicæ. *Men.* Si dat. *Chr.* An dubium id tibi eſt?
Quemquamne animo tam comi eſſe, aut leni putas,
Qui ſe vidente amicam patiatur ſuam? *Men.* Ah,
Quidni? quo verba facilius dentur mihi.
Chr. Derides? merito mihi nunc ego ſuccenſeo.
Quot res dedere, ubi poſſem perſentiſcere,
Ni eſſem lapis? quæ vidi? væ miſero mihi!
At næ illud haud inultum, ſi vivo, ferent:
Nam jam —— *Men.* Non tu te cohibes? non te reſpicis?
Non tibi ego exempli ſatis ſum? *Chr.* Præ iracundia,
Menedeme, non ſum apud me. *Men.* Tene iſtuc loqui?
NONNE ID FLAGITIUM EST, te aliis conſilium dare,
Foris ſapere, tibi non poſſe te auxiliarier?
Chr. Quid faciam? *Men.* Id, quod me feciſſe ajebas parum:
Fac eſſe te patrem ſentiat: fac ut audeat
Tibi credere omnia, abs te petere & poſcere,
Ne quam aliam quærat copiam, ac te deſerat.
Chr. Immo abeat potius multo quovis gentium,
Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem:
Nam ſi illi pergo ſuppeditare ſumtibus,
Menedeme, mihi illæc vere ad raſtros res redit.
Men. Quot incommoda tibi in hac re capies, niſi caves?
Difficilem oſtendes te eſſe, & ignoſces tamen
Poſt, & id ingratum. *Chr.* Ah, neſcis quam doleam.
Men. Ut lubet.
Quid hoc, quod volo, ut illa nubat noſtro? niſi quid eſt,
Quod mavis. *Chr.* Immo & gener & affines placent.
Men. Quid dotis dicam te dixiſſe filio?
Quid, obticuiſti? *Chr.* Dotis? *Men.* Ita dico. *Chr.* Ah.
Men. Chreme,
Ne quid vereare, ſi minu': nil nos dos movet.
Chr. Duo talenta pro re noſtra ego eſſe decrevi ſatis:
Sed ita dictu opus eſt, ſi me vis ſalvom eſſe, & rem, & filium,
Me mea omnia bona doti dixiſſe illi. *Men.* Quam rem agis?
Chr. Id mirari te ſimulato, & illum hoc rogitato ſimul,
Quamobrem id faciam. *Men.* Quin ego vero, quamobrem id facias, neſcio.
Chr. Egone? ut illius animum, qui nunc luxuria & laſcivia
Diffluit, retundam, & redigam, ut quo ſe vortat neſciat.
Men. Quid agis? *Chr.* Mitte, ſine me in hac re gerere mihi morem. *Men.* Sino.
Itane vis? *Chr.* Ita. *Men.* Fiat. *Chr.* Ac jam, uxorem ut accerſat, paret.
Hic ita, ut liberos eſt æquom, dictis confutabitur.
Sed Syrum.... *Men.* Quid eum? *Chr.* Egone? ſi vivo, adeo exornatum dabo,
Adeo depexum, ut, dum vivat, meminerit ſemper mei:
Qui ſibi me pro deridiculo ac delectamento putat.
Non, ita me Dii ament, auderet facere hæc viduæ mulieri,
Quæ in me fecit.

ACTUS V. SCENA II.

Clitipho, Menedemus, Chremes, Syrus.

ITane tandem quæſo eſt, Menedeme, ut pater
Tam in brevi ſpatio omnem de me ejecerit animum patris?
Quodnam ob facinus? quid ego tantum ſceleris admiſi miſer? Volgo

Volgo faciunt. *Men.* Scio tibi eſſe hoc gravius multo ac durius,
Cui fit: verum ego haud minus ægre patior id, qui neſcio;
Nec rationem capio, niſi quod tibi bene ex animo volo.
Clit. Hic patrem eſſe ajebas? *Men.* Eccum. *Chr.* Quid me incuſas, Clitipho?
Quidquid ego hujus feci, tibi proſpexi, & ſtultitiæ tuæ.
Ubi te vidi animo eſſe omiſſo, &, ſuavia in præſentia
Quæ eſſent, prima habere, neque conſulere in longitudinem;
Cepi rationem, ut neque tu egeres, neque ut hæc poſſes perdere.
Ubi, cui decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare,
Abii ad proxumos tibi qui erant, eis commiſi, & credidi.
Ibi tuæ ſtultitiæ ſemper erit præſidium, Clitipho,
Victus, veſtitus, quo in tectum te receptes. *Clit.* Hei mihi!
Chr. Satius eſt, quam te ipſo hærede hæc poſſidere Bacchidem.
Syr. Diſperii: ſceleſtus quantas turbas concivi inſciens!
Clit. Emori cupio. *Chr.* Prius, quæſo, diſce quid ſit vivere:
Ubi ſcies, ſi diſplicebit vita, tum iſtoc utitor.
Syr. Here, licetne? *Chr.* Loquere. *Syr.* At tuto? *Chr.* Loquere. *Syr.* Quæ iſta eſt pravitas,
Quæve amentia eſt, quod peccavi ego, id obeſſe huic? *Chr.* Ilicet,
Ne te admiſce: nemo accuſat, Syre, te: nec tu aram tibi,
Neque precatorem pararis. *Syr.* Quid agis? *Chr.* Nil ſuccenſeo,
Nec tibi, nec huic; nec vos eſt æquom, quod facio, mihi.
Syr. Abiit. vah, rogaſſe vellem. *Clit.* Quid, Syre? *Syr.* Unde mihi peterem cibum:
Ita nos alienavit. tibi jam eſſe ad ſororem intellego.
Clit. Adeon' rem rediiſſe, ut periclum etiam fame mihi ſit, Syre?
Syr. MODO LICEAT VIVERE, eſt ſpes. *Clit.* Quæ? *Syr.* Nos eſurituros ſatis.
Clit. Irrides in re tanta, neque me quidquam conſilio adjuvas?
Syr. Immo & ibi nunc ſum, & uſque dudum id egi, dum loquitur pater:
Et, quantum ego intellegere poſſum. *Clit.* Quid? *Syr.* Non aberit longius,
Clit. Quid ergo? *Syr.* Sic eſt: non eſſe horum te arbitror. *Clit.* Quid iſtuc, Syre?
Satin' ſanus es? *Syr.* Ego dicam, quod mihi in mentem: tu dijudica.
Dum iſtis fuiſti ſolus, dum nulla alia delectatio,
Quæ propior eſſet, te indulgebant, tibi dabant: nunc filia
Poſtquam eſt inventa vera, inventa eſt cauſa, qua te expellerent,
Clit. Eſt veriſimile. *Syr.* An tu ob peccatum hoc eſſe illum iratum putas?
Clit. Non arbitror. *Syr.* Nunc aliud ſpecta: MATRES OMNES FILIIS
In peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria
Solent eſſe: id non fit. *Clit.* Verum. quid ergo nunc faciam, Syre?
Syr. Suſpicionem iſtanc ex illis quære: rem profer palam.
Si non eſt verum, ad miſericordiam ambos adduces cito, aut
Scibis cujus ſis. *Clit.* Recte ſuades: faciam. *Syr.* Sat recte hoc mihi in
Mentem venit: namque adoleſcens, quam in minima ſpe ſitus erit,
Tam facillime patris pacem in leges conficiet ſuas.
Etiam haud ſcio an uxorem ducat, ac Syro nil gratiæ.
Quid hoc autem? ſenex exit foras: ego fugio. adhuc quod factum eſt,
Miror non juſſiſſe illico me arripi. ad Menedemum hinc pergam.
Eum mihi precatorem paro: ſeni noſtro fidei nihil habeo.

ACTUS V. SCENA III.

Soſtrata, *Chremes*.

PRofecto, niſi caves tu homo, aliquid gnato conficies mali:
Idque adeo miror, quomodo
Tam ineptum quidquam tibi venire in mentem, mi vir, potuerit.
Chr. Oh, pergin' mulier eſſe? ullamne ego rem umquam in vita mea
Volui, quin tu in ea re mihi advorſatrix fueris, Soſtrata?
At ſi rogitem jam, quid eſt quod peccem, aut quamobrem id faciam, neſcias:
In qua re nunc tam confidenter reſtas, ſtulta. *Soſtr.* Ego neſcio?
Chr. Immo ſcis potius, quam quidem redeat ad integrum eadem oratio.
Soſtr. Oh, iniquos es, qui me tacere de re tanta poſtules.
Chr. Non poſtulo. jam loquere. nihilo minus ego hoc faciam tamen.
Soſtr. Facies? *Chr.* Verum. *Soſtr.* Non vides quantum mali ex ea re excites?
Subditum ſe ſuſpicatur. *Chr.* Subditum! ain tu? *Soſtr.* Certe ſic erit,
Mi vir. *Chr.* Confitere. *Soſtr.* Au, obſecro te, iſtuc inimicis ſiet.
Egon' confitear meum non eſſe filium, qui ſit meus?
Chr. Quid metuis? ne non, cum velis, convincas eſſe illum tuum?
Soſtr. Quod filia eſt inventa? *Chr.* Non; ſed, quod magi' credendum ſiet,
Id, quod eſt conſimilis moribus,
Facile convinces ex te natum: nam tui ſimilis eſt probe:
Nam illi nihil vitii eſt relictum, quin ſit & idem tibi:
Tum præterea talem, niſi tu, nulla pareret filium.
Sed ipſe egreditur, quam ſeverus! rem cum videas, cenſeas.

ACTUS V. SCENA IV.

Clitipho, *Soſtrata*, *Chremes*.

SI umquam ullum fuit tempus, mater, cum ego voluptati tibi

Fue-

Fuerim, dictus filius tuus tua voluntate, obſecro,
Ejus ut memineris, atque inopis nunc te miſereſcat mei;
Quod peto & volo, parentes meos ut commonſtres mihi.
Soſtr. Obſecro, mi gnate, ne iſtuc in animum inducas tuum,
Alienum eſſe te. *Clit.* Sum. *Soſtr.* Miſeram me! hoccine quæſiſti, obſecro?
Ita mihi atque huic ſis ſuperſtes, ut ex me atque hoc natus es:
Et cave poſthac, ſi me amas, umquam iſtuc verbum ex te audiam. *Chr.* At
Ego, ſi me metuis, mores cave in te eſſe iſtos ſentiam.
Clit. Quos? *Chr.* Si ſcire vis, ego dicam: gerro, iners, fraus, helluo,
Ganeo, damnoſus. crede; & noſtrum te eſſe credito.
Clit. Non ſunt hæc parentis dicta. *Chr.* Non, ſi ex capite ſis meo
Natus, item ut ajunt Minervam eſſe ex Jove, ea cauſſa magis
Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.
Soſtr. Di iſtæc prohibeant. *Chr.* Deos neſcio: ego, quod potero, ſedulo.
Quæris id, quod habes, parentes: quod abeſt, non quæris; patri
Quomodo obſequare, & ſerves quod labore invenerit.
Non mihi per fallacias adducere ante oculos? pudet
Dicere hac præſente verbum turpe: at te id nullo modo
Facere puduit. *Clit.* Eheu, quam nunc totus diſpliceo mihi!
Quam pudet! neque, quod principium incipiam ad placandum, ſcio.

ACTUS V. SCENA V.

Menedemus, Chremes, Clitipho, Soſtrata.

ENimvero Chremes nimis graviter cruciat adoleſcentulum,
Nimiſque inhumane. exeo ergo, ut pacem conciliem. optume.
Ipſos video. *Chr.* Ehem, Menedeme, cur non accerſi jubes
Filiam, & quod dotis dixi, firmas? *Soſtr.* Mi vir, te obſecro
Ne facias. *Clit.* Pater, obſecro ut mi ignoſcas. *Men.* Da veniam, Chreme.
Sine te exorent. *Chr.* Egon' mea bona ut dem Bacchidi dono ſciens?
Non faciam. *Men.* At nos non ſinemus. *Clit.* Si me vivom vis, pater,
Ignoſce. *Soſtr.* Age, Chremes mi. *Men.* Age, quæſo, ne tam obfirma te, Chreme.
Chr. Quid iſtuc? video non licere, ut cœperam, hoc pertendere.
Men. Facis ut te decet. *Chr.* Ea lege hoc adeo faciam, ſi facit id,
Quod ego hunc æquom cenſeo. *Clit.* Pater, omnia faciam: impera.
Chr. Uxorem ut ducas. *Clit.* Pater. *Chr.* Nihil audio. *Men.* Ad me recipio:
Faciet. *Chr.* Nil etiam audio ipſum. *Clit.* Perii. *Soſtr.* An dubitas, Clitipho?
Chr. Immo utrum volt? *Men.* Faciet omnia. *Soſtr.* Hæc, dum incipias, gravia ſunt,
Dumque ignores: ubi cognoris, facilia. *Clit.* Faciam, pater.
Soſt. Nate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames,
Filiam Phanocratæ noſtri. *Clit.* Rufamne illam virginem,
Cæſiam, ſparſo ore, adunco naſo? non poſſum, pater.
Chr. Eja, ut elegans eſt, credas animum ibi eſſe. *Soſtr.* Aliam dabo.
Clit. Quid iſtic? quandoquidem ducenda eſt, egomet habeo propemodum,
Quam volo. *Soſtr.* Nunc laudo te, gnate. *Clit.* Archonidi hujus filiam.
Soſtr. Perplacet. *Clit.* Pater, hoc nunc reſtat. *Chr.* Quid? *Clit.* Syro ignoſcas volo,
Quæ mea cauſſa fecit. *Chr.* Fiat. Vos valete, & plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

A D E L P H I.

ACTA LUDIS FUNEBRIBUS L. ÆMILII PAULI. QUOS FECERE Q. FABIUS MAXIMUS, P. CORNELIUS AFRICANUS. EGERE L. ATTILIUS PRÆNESTINUS, MINUCIUS PROTIMUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDII, TIBIIS SARRANIS. FACTA E GRÆCA MENANDRU. L. ANICIO, M. CORNELIO COSS.

PERSONÆ.

PROLOGUS.

MICIO *ſenex*.
DEMEA *ſenex*.
SANNIO *leno*.
ÆSCHINUS *adoleſcens*.
SYRUS *ſervus*.
CTESIPHO *adoleſcens*.
SOSTRATA, *matrona*.
CANTHARA *nutrix*.
PAMPHILA *puerpera*.
GETA *ſervus*.
HEGIO *ſenex*.
DROMO *ſervus*.

PERSONÆ MUTÆ.

TIBICINA *Cteſiphonis amica*.
PARMENO *ſervus*.

ARGUMENTUM.

C. SULPICIO APOLLINARI AUCTORE.

DUos cum haberet Demea adoleſcentulos,
Dat Micioni fratri adoptandum Æſchinum,
Sed Cteſiphonem retinet. hunc cithariſtriæ
Lepore captum, ſub duro ac triſti patre,
Frater celabat Æſchinus; famam quoque
Amoris in ſe transferebat: denique
Fidicinam lenoni eripuit.: vitiaverat
Idem Æſchinus civem Atticam pauperculam;
Fidemque dederat, hanc ſibi uxorem fore.
Demea jurgare, & graviter ferre. mox tamen,
Ut veritas patefacta eſt, ducit Æſchinus
Vitiatam, potitur Cteſipho cithariſtriam,
Exorato ſuo patre duro Demea.

PROLOGUS.

POſtquam poeta ſenſit ſcripturam ſuam
Ab iniquis obſervari, & adverſarios
Rapere in pejorem partem, quam acturi ſumus;
Indicio de ſe ipſe erit: vos eritis judices,
Laudine an vitio duci factum id oporteat.
Synapothneſcontes Diphili comœdia eſt:
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.
In Græca adoleſcens eſt, qui lenoni eripit
Meretricem, in prima fabula. eum Plautus locum
Reliquit integrum: eum hic locum ſumſit ſibi
In Adelphos: verbum de verbo expreſſum extulit.
Eam nos acturi ſumus novam: pernoſcite,
Furtumne factum exiſtumetis, an locum
Reprehenſum, qui præteritus neglegentia eſt.
Nam quod iſti dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adjutare, aſſidueque una ſcribere:
Quod illi maledictum vehemens eſſe exiſtumant,
Eam laudem hic ducit maxumam, cum illis placet,
Qui vobis univerſis, & populo placent;
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quiſque tempore uſu' eſt ſine ſuperbia.
Dehinc ne expectetis argumentum fabulæ:
Senes qui primi venient, hi partem aperient:
In agendo partem oſtendent. Facite, æquanimitas
Poetæ ad ſcribendum augeat induſtriam.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I.

Micio.

STorax. non rediit hac nocte a cœna Æſchinus,
Neque ſervolorum quiſquam, qui advorſum ierant!
Profecto hoc vere dicunt: ſi abſis uſpiam,
Aut ibi ſi ceſſes, evenire ea ſatius eſt,
Quæ in te uxor dicit, & quæ in animo cogitat
Irata, quam illa, quæ parentes propitii.
Uxor, ſi ceſſes, aut te amare cogitat,
Aut tete amari, aut potare, aut animo obſequi,
Et tibi bene eſſe ſoli, cum ſibi ſit male.
Ego, quia non rediit filius, quæ cogito?
Quibu' nunc ſollicitor rebus? ne aut ille alſerit,
Aut uſpiam ceciderit, aut præfregerit
Aliquid. vah, quemquamne hominem in animum inſtituere, aut
Parare, quod ſit carius, quam ipſe eſt ſibi!
Atque ex me hic natus non eſt, ſed ex fratre. is adeo
Diſſimili ſtudio eſt. jam inde ab adoleſcentia,
Ego hanc clementem vitam urbanam atque otium
Secutus ſum: &, quod fortunatum iſti putant,
Uxorem numquam habui. ille contra, hæc omnia:
Ruri agere vitam, ſemper parce ac duriter
Se habere: uxorem duxit: nati filii
Duo. inde ego hunc majorem adoptavi mihi:
Eduxi a parvolo, habui, amavi pro meo:
In eo me oblecto: ſolum id eſt carum mihi.
Ille ut item contra me habeat, facio ſedulo:
Do, prætermitto, non neceſſe habeo omnia
Pro meo jure agere: poſtremo, alii clanculum
Patres quæ faciunt, quæ fert adoleſcentia,
Ea ne me celet, conſueſeci filium:
Nam qui mentiri, aut fallere inſuerit patrem, aut
Audebit, tanto magis audebit ceteros.
PUDORE ET LIBERALITATE liberos
Retinere, ſatius eſſe credo, quam metu.
Hæc fratri mecum non conveniunt, neque placent.
Venit ad me ſæpe clamitans, Quid agis, Micio?
Cur perdis adoleſcentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus ſumtum ſuggeris?
Veſtitu nimio indulges: nimium ineptus es.
Nimium ipſe eſt durus, præter æquomque & bonum:
ET ERRAT LONGE, mea quidem ſententia,
Qui imperium credat gravius eſſe aut ſtabilius,
Vi quod ſit, quam illud, quod amicitia adjungitur.
Mea ſic eſt ratio, & ſic animum induco meum:
Malo coactus qui ſuum officium facit,
Dum id reſcitum iri credit, tantiſper cavet:
Si ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit.
Quem beneficio adjungas, ille ex animo facit:
Studet par referre, præſens abſenſque idem erit.
Hoc patrium eſt, potius conſuefacere filium
Sua ſponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater, ac dominus intereſt. hoc qui nequit,
Fateatur neſcire imperare liberis.
Sed eſtne hic ipſus, de quo agebam? & certe is eſt.
Neſcio quid triſtem video. credo jam, ut ſolet,
Jurgabit. Salvom te advenire, Demea,
Gaudemus.

ACTUS I. SCENA II.

Demea, Micio.

EHem, opportune: teipſum quærito.
Mic. Quid triſtis es? *Dem.* Rogas me, ubi nobis Æſchinus
Siet, quid triſtis ego ſim? *Mic.* Dixin' hoc fore?
Quid fecit? *Dem.* Quid ille fecerit? quem neque pudet
Quidquam, nec metuit quemquam, neque legem putat

Tenere

Tenere ſe ullam. nam illa, quæ antehac facta ſunt,
Omitto: modo quid deſignavit? *Mic.* Quidnam id eſt?
Dem. Fores effregit, atque in ædes irruit
Alienas: ipſum dominum atque omnem familiam
Multavit uſque ad mortem: eripuit mulierem,
Quam amabat. clamant omnes indigniſſume
Factum eſſe. hoc advenienti quot mihi, Micio,
Dixere? in ore eſt omni populo. denique,
Si conferendum exemplum eſt, non fratrem videt
Rei dare operam, ruri eſſe parcum ac ſobrium?
Nullum hujus ſimile factum? hæc cum illi, Micio,
Dico, tibi dico. tu illum corrumpi ſinis.
Mic. HOMINE IMPERITO numquam quidquam injuſtius,
Qui, niſi qnod ipſe facit, nihil rectum putat.
Dem. Quorſum iſtuc? *Mic.* Quia tu, Demea, hæc male judicas.
Non eſt flagitium, mihi crede, adoleſcentulum
Scortari, neque potare, non eſt, neque fores
Effringere. hæc ſi neque ego, neque tu fecimus,
Non ſivit egeſtas facere nos. tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum feciſti inopia.
Injurium eſt: nam ſi eſſet unde id fieret,
Faceremus: & tu illum tuum, ſi eſſes homo,
Sineres nunc facere, dum per ætatem licet,
Potius quam, ubi te exſpectatum ejeciſſet foras,
Alieniore ætate poſt faceret tamen.
Dem. Proh Jupiter! tu homo adigis me ad inſaniam.
Non eſt flagitium facere hæc adoleſcentulum? *Mic.* Ah,
Auſculta, ne me obtundas de hac re ſæpius.
Tuum filium dediſti adoptandum mihi:
Is meus eſt factus: ſi quid peccat, Demea,
Mihi peccat: ego illi maxumam partem feram.
Opſonat? potat? olet unguenta? de meo.
Amat? dabitur a me argentum, dum erit commodum;
Ubi non erit, fortaſſe excludetur foras.
Fores effregit? reſtituentur. diſcidit
Veſtem? reſarcietur. eſt, Dis gratia,
Et unde hæc fiant, & adhuc non moleſta ſunt.
Poſtremo aut deſine, aut cedo quemvis arbitrum:
Te plura in hac re peccare oſtendam. *Dem.* Hei mihi!
Pater eſſe diſce ab illis, qui vere ſciunt.
Mic. Natura tu illi pater es, conſiliis ego.
Dem. Tun' conſulis quidquam? *Mic.* Ah! ſi pergis, abiero.
Dem. Siccine agis? *Mic.* An ergo toties de eadem re audiam?
Dem. Curæ eſt mihi. *Mic.* Et mihi curæ eſt: verum, Demea,
Curemus æquam uterque partem: tu alterum,
Ego item alterum. nam ambos curare, propemodum
Repoſcere illum eſt, quem dediſti. *Dem.* Ah Micio!
Mic. Mihi ſic videtur. *Dem.* Quid iſtic? tibi ſi iſtuc placet,
Profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet.
Jam ſi verbum unum poſthac. *Mic.* Rurſum, Demea,
Iraſcere? *Dem.* An non credis? repeton' quem dedi?
Ægre eſt. alienus non ſum. ſi obſto: hem, deſino.
Unum vis curem: curo: & eſt Dis gratia,
Quom ita, ut volo, eſt. iſte tuus ipſe ſentiet
Poſterius: nolo in illum gravius dicere.
Mic. Nec nihil, neque omnia hæc ſunt, quæ dicit. tamen
Non nihil moleſta hæc ſunt mihi: ſed oſtendere,
Me ægre pati, illi nolui. nam ita eſt homo:
Cum placo, advorſor ſedulo, & deterreo;
Tamen vix humane patitur: verum ſi augeam,
Aut etiam adiutor ſim ejus iracundiæ,
Inſaniam profecto cum illo. etſi Æſchinus
Nonnullam in hac re nobis facit injuriam.
Quam hic non amavit meretricem, aut cui non dedit
Aliquid? poſtremo nuper (credo jam omnium
Tædebat) dixit velle uxorem ducere.
Sperabam jam deferviſſe adoleſcentiam:
Gaudebam. ecce autem de integro: niſi, quidquid eſt,
Volo ſcire, atque hominem convenire, ſi apud forum eſt.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

Sannio, Æſchinus.

OBſecro, populares, ferte miſero atque innocenti auxilium:
Subvenite inopi. *Æſch.* Otioſe: nunc jam illico hic conſiſte:
Quid reſpectas? nihil pericli eſt: numquam, dum ego adero, hic te
Tanget. *San.* Ego iſtam inviti' omnibus.
Æſch. Quamquam eſt ſceleſtus, non committet hodie umquam iterum ut vapulet.
San. Audi, Æſchine, ne ignarum fuiſſe te dicas meorum morum;
Ego leno ſum. *Æſch.* Scio. *San.* At ita, ut uſquam fuit fide quiſquam optuma.
Tu quod te poſterius purges, nolle hanc injuriam mihi
Factam eſſe: hujus non faciam. crede hoc, ego meum jus perſequar;
Neque tu verbis ſolves umquam, quod re mi malefeceris.
Novi ego veſtra hæc: Nollem factum: Jusjurandum dabitur, eſſe te
Indignum injuria hac; indignis cum egomet ſim acceptus modis.
Æſch. Abi præſtrenue, ac fores aperi. *San.* Ceterum hoc nihil facis.
Æſch. I intro nunc jam. *San.* At enim non ſinam. *Æſch.* Accede illuc, Parmeno:
Nimium abiſti iſtoc: hic propter hunc aſſiſte. hem, ſic volo.
Cave nunc jam oculos a meis oculis quoquam dimoveas tuos.
Ne mora ſit, ſi innuerim, quin pugnus continuo in mala hæreat.
San. Iſtuc volo ergo ipſum experiri. *Æſch.* Hem, ſerva. omitte mulierem.
San. O facinu' indignum. *Æſch.* Geminabit, niſi caves. *San.* Hei miſero mihi!
Æſch. Non innueram: verum in iſtam partem potius peccato tamen.
I nunc jam. *San.* Quid hoc rei eſt? regnumne, Æſchine, hic tu poſſides?
Æſch. Si poſſiderem, ornatus eſſes ex tuis virtutibus.
San. Quid tibi rei mecum eſt? *Æſch.* Nihil. *San.* Quid? noſtin' qui ſim? *Æſch.* Non deſidero.
San. Tetigin' tui quidquam? *Æſch.* Si attigiſſes, ferres infortunium.

San. Qui tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi?
Reſponde. *Æſch.* Ante ædes non feciſſe erit melius hic convicium:
Nam ſi moleſtus pergis eſſe, jam intro abripiere, atque ibi
Uſque ad necem operiere loris. *San.* Loris liber? *Æſch.* Sic erit.
San. O hominem impurum! hiccine libertatem ajunt eſſe æquam omnibus?
Æſch. Si ſatis jam debacchatus es, leno, audi ſi vis nunc jam.
San. Egon' debacchatus ſum autem, an tu in me? *Æſch.* Mitte iſta, atque ad rem redi.
San. Quam rem? quo redeam? *Æſch.* Jamne me vis dicere id, quod ad te attinet?
San. Cupio, æqui modo aliquid. *Æſch.* Vah, leno iniqua me non volt loqui!
San. Leno ſum, fateor, pernicies communis adoleſcentium,
Perjurus, peſtis: tamen tibi a me nulla eſt orta injuria.
Æſch. Nam hercle etiam hoc reſtat. *San.* Illuc quæſo redi, quo cœpiſti, Æſchine.
Æſch. Minis viginti tu illam emiſti, quæ res tibi vortat male:
Argenti tantum dabitur. *San.* Quid, ſi ego tibi illam nolo vendere?
Coges me? *Æſch.* Minime. *San.* Namque id metui. *Æſch.* Neque vendundam cenſeo,
Quæ libera eſt: nam ego liberali illam aſſero cauſa manu.
Nunc vide utrum vis, argentum accipere, an cauſam meditari tuam.
Delibera hoc, dum ego redeo, leno. *San.* Proh ſupreme Jupiter!
Minime miror, qui inſanire occipiunt ex injuria.
Domo me eripuit, verberavit: me invito abduxit meam.
Ob malefacta hæc tantidem emtam poſtulat ſibi tradier.
Homini miſero plus quingentos colaphos infregit mihi.
Verum enim, quando bene promeruit, fiat: ſuum jus poſtulat.
Age, jam cupio, modo ſi argentum reddat. ſed ego hæc hariolor:
Ubi me dixero dare tanti, teſtes faciet illico,
Vendidiſſe me: de argento ſomnium: Mox, cras redi.
Id quoque poſſum ferre, ſi modo reddat: quamquam injurium eſt.
Verum cogito id, quod res eſt: quando eum quæſtum occeperis,
Accipiunda & muſſitanda injuria adoleſcentium eſt.
Sed nemo dabit: fruſtra egomet mecum has rationes puto.

ACTUS II. SCENA II.

Syrus, Sannio.

TAce, egomet conveniam jam ipſum: cupide accipiat jam faxo, atque etiam
Bene dicat ſecum eſſe actum. Quid iſtuc, Sannio, eſt, quod te audio
Neſcio quid cum hero concertaſſe? *San.* Numquam vidi iniquius
Certationem comparatam, quam hæc hodie inter nos fuit.
Ego vapulando, ille verberando, uſque ambo defeſſi ſumus.
Syr. Tua culpa. *San.* Quid agerem? *Syr.* Adoleſcenti morem geſtum oportuit.
San. Qui potui melius, qui hodie uſque os præbui? *Syr.* Age, ſcis quid loquar?
PECUNIAM IN LOCO neglegere, maxumum interdum eſt lucrum. hui!
Metuiſti, ſi nunc de tuo jure conceſſiſſes paululum,
Atque adoleſcenti eſſes morigeratus, hominum homo ſtultiſſime;
Ne non tibi iſtuc fœneraret? *San.* EGO SPEM PRETIO non emo.
Syr. Numquam rem facies. abi, neſcis ineſcare homines, Sannio.
San. Credo iſtuc melius eſſe: verum ego numquam adeo aſtutus fui,
Quin, quidquid poſſem, mallem auferre potius in præſentia.
Syr. Age, novi tuum animum: quaſi jam uſquam tibi ſint viginti minæ,
Dum huic obſequare. præterea autem, te ajunt proficiſci Cyprum. *San.* Hem.
Syr. Coemiſſe hinc, quæ illuc veheres, multa; navem conductam: hoc ſcio,
Animus tibi pendet: ubi illinc, ſpero, redieris, tamen hoc ages.
San. Nuſquam pedem. perii hercle: hac illi ſpe hoc inceperunt. *Syr.* Timet:
Injeci ſcrupulum homini. *San.* O ſcelera! illud vide,
Ut in ipſo articulo oppreſſit. emtæ mulieres
Complures, & item hinc alia, quæ porto Cyprum.
Niſi eo ad mercatum venio, damnum maxumum eſt.
Nunc ſi hoc omitto, actum agam: ubi illinc rediero,
Nihil eſt, refrixerit res: Nunc demum venis?
Cur paſſus? ubi eras? ut ſit ſatius perdere,
Quam aut hic manere tam diu, aut tum perſequi.
Syr. Jamne enumeraſti id quod ad te rediturum putes?
San. Hoccine illo dignum eſt? hoccine incipere Æſchinum?
Per oppreſſionem ut hanc mi eripere poſtulet?
Syr. Labaſcit. unum hoc habeo. vide ſi ſatis placet:
Potius quam venias in periclum, Sannio,
Serveſne an perdas totum, dividuum face.
Minas decem conradet alicunde. *San.* Hei mihi!
Etiam de ſorte nunc venio in dubium miſer.
Pudet nihil: omnes dentes labefecit mihi:
Præterea colaphis tuber eſt totum caput.
Etiam inſuper defrudet? nuſquam abeo. *Syr.* Ut lubet.
Numquid vis, quin abeam? *San.* Immo hercle hoc quæſo, Syre;
Ut ut hæc ſunt facta, potius, quam lites ſequar,
Meum mihi reddat, ſaltem quanti emta eſt. Syre,
Scio te non uſum antehac amicitia mea:
Memorem me dices eſſe, & gratum. *Syr.* Sedulo
Faciam. ſed Cteſiphonem video. lætus eſt
De amica. *San.* Quid, quod te oro? *Syr.* Pauliſper mane.

ACTUS II. SCENA III.

Cteſipho, Syrus.

ABs quivis homine, cum eſt opus, beneficium accipere gaudeas:

Verum

Verum enimvero id demum juvat, ſi, quem æquom eſt facere, is benefacit.
O frater, frater, quid ego nunc te laudem? ſatis certo ſcio,
Numquam ita magnifice quidquam dicam, id virtus quin ſuperet tua:
Itaque unam hanc rem me habere præter alios præcipuam arbitror,
Fratrem homini nemini eſſe primarum artium magi' principem.
Syr. O Cteſipho. *Cteſ.* O Syre, Æſchinus ubi eſt? *Syr.* Ellum, te exſpectat domi. *Cteſ.* Hem.
Syr. Quid eſt? *Cteſ.* Quid ſit? illius opera, Syre, nunc vivo. feſtivom caput!
Omnia ſibi qui poſt putarit eſſe præ meo commodo,
Maledicta, famam; meum amorem, & peccatum in ſe tranſtulit.
Syr. Nihil pote ſupra. *Cteſ.* Quidnam fores crepuit? *Syr.* Mane, mane, ipſe exit foras.

ACTUS II. SCENA IV.

Æſchinus, Sannio, Cteſipho, Syrus.

UBi ille eſt ſacrilegus? *San.* Me quærit. numquidnam effert? occidi:
Nil video. *Æſch.* Ehem, opportune: teipſum quærito. quid fit, Cteſipho?
In tuto eſt omnis res. omitte vero triſtitiam tuam.
Cteſ. Ego illam hercle vero omitto, qui quidem te habeam fratrem, o mi Æſchine!
O mi germane! ah, vereor coram in os te laudare amplius,
Ne id aſſentandi magis, quam quo habeam gratum, facere exiſtumes.
Æſch. Age inepte, quaſi nunc non norimus nos inter nos, Cteſipho.
Hoc mihi dolet, nos pene ſero ſciſſe, & pene in eum locum
Rediſſe, ut ſi omnes cuperent, nihil tibi poſſent auxiliarier.
Cteſ. Pudebat. *Æſch.* Ah, ſtultitia eſt iſtæc, non pudor: tam ob parvolam
Rem pene e patria! turpe dictu. Deos quæſo, ut iſtæc prohibeant.
Cteſ. Peccavi. *Æſch.* Quid ait tandem nobis Sannio. *Syr.* Jam mitis eſt.
Æſch. Ego ad forum ibo, ut hunc abſolvam. tu intro ad illam, Cteſipho.
San. Syre, inſta. *Syr.* Eamus; namque hic properat in Cyprum. *San.* Ne tam quidem;
Quamvis etiam maneo otioſus hic. *Syr.* Reddetur, ne time.
San. At ut omne reddat. *Syr.* Omne reddet, tace modo, ac ſequere hac. *San.* Sequor.
Cteſ. Heus, heus Syre. *Syr.* Hem, quid eſt? *Cteſ.* Obſecro hercle, hominem iſtum impuriſſimum
Quamprimum abſolvitote, ne, ſi magis irritatus fiet,
Aliqua ad patrem hoc permanet, atque ego tum perpetuo perierim.
Syr. Non fiet: bono animo es. tu cum illa te intus oblecta interim,
Et lectulos jube ſterni nobis, & parari cetera.
Ego jam tranſacta re convortam me domum cum opſonio.
Cteſ. Ita quæſo: quando hoc bene ſucceſſit, hilarem hunc ſumamus diem.

ACTUS TERTIUS

SCENA I.

Soſtrata, Canthara.

OBſecro, mea nutrix, quid nunc fiet? *Can.* Quid fiet rogas?
Recte edepol, ſpero. *Soſtr.* Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.
Can. Jam nunc times, quaſi numquam adfueris, numquam tute pepereris.
Soſtr. Miſeram me, neminem habeo, ſolæ ſumus: Geta autem hic non adeſt:
Nec quem ad obſtetricem mittam, nec qui accerſat Æſchinum.
Can. Pol is quidem jam hic aderit: nam numquam unum intermittit diem,
Quin ſemper veniat. *Soſtr.* Solus mearum miſeriarum eſt remedium.
Can. E re nata melius fieri haud potuit, quam factum eſt, hera;
Oblatum quando vitium eſt, quod ad illum attinet potiſſimum,
Talem, tali genere atque animo, natum ex tanta familia.
Soſtr. Ita pol eſt, ut dicis. ſalvos nobis, Deos quæſo, ut ſiet.

ACTUS III. SCENA II.

Geta, Soſtrata, Canthara.

NUnc illud eſt, quod, ſi omnes omnia ſua conſilia conferant,
Atque huic malo ſalutem quærant, auxilii nihil afferant;
Quod mihique, heræque, filiæque herili eſt. væ miſero mihi!
Tot res repente circumvallant, unde emergi non poteſt,
Vis, egeſtas, injuſtitia, ſolitudo, infamia.
Hoccine ſeclum? o ſcelera! o genera ſacrilega! o hominem impium!
Soſtr. Me miſeram, quidnam eſt, quod ſic video timidum & properantem Getam?
Get. Quem neque fides, neque jusjurandum, neque illum miſericordia
Repreſſit, neque reflexit, neque quod partus inſtabat prope,
Cui miſeræ indigne per vim vitium obtulerat. *Soſtr.* Non intellego
Satis quæ loquatur. *Can.* Propius, obſecro, accedamus, Soſtrata. *Get.* Ah,
Me miſerum, vix ſum compos animi, ita ardeo iracundia.
Nihil eſt, quod malim, quam totam familiam dari mihi obviam,
Ut iram hanc in eos evomam omnem, dum ægritudo hæc eſt recens:
Satis mihi id habeam ſupplicii, dum illos ulciſcar modo.
Seni animam primum exſtinguerem ipſi, qui illud produxit ſcelus:

Tum autem Syrum impulſorem, vah, quibus illum lacerarem modis!
Sublimem medium primum arriperem, & capite in terram ſtatuerem,
Ut cerebro diſpergat viam.
Adoleſcenti ipſi eriperem oculos, poſthæc præcipitem darem.
Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & proſternerem.
Sed ceſſo hoc malo heram impertiri propere? *Soſtr.* Revocemus. Geta. *Get.* Hem,
Quiſquis es, ſine me. *Soſtr.* Ego ſum Soſtrata. *Get.* Ubi ea eſt? teipſam quærito:
Te exſpecto. oppido opportune te obtuliſti mi obviam,
Hera. *Soſtr.* Quid eſt? quid trepidas? *Get.* Hei mihi! *Soſtr.* Quid feſtinas, mi Geta?
Animam recipe. *Get.* Prorſus, *Soſtr.* Quid iſtuc prorſus ergo eſt? *Get.* Periimus.
Actum eſt. *Soſtr.* Eloquere ergo, obſecro te, quid ſit. *Get.* Jam, *Soſtr.* Quid jam, Geta?
Get. Æſchinus, *Soſtr.* Quid is ergo? *Get.* Alienus eſt ab noſtra familia. *Soſtr.* Hem,
Perii, quare? *Get.* Amare occepit aliam. *Soſtr.* Væ miſeræ mihi.
Get. Neque id occulte fert. a lenone ipſus eripuit palam.
Soſtr. Satin' hoc certum eſt? *Get.* Certum. hiſce oculis egomet vidi, Soſtrata. *Soſtr.* Ah,
Me miſeram! quid credas jam? aut cui credas? noſtrumne Æſchinum,
Noſtram vitam omnium, in quo noſtræ ſpes opeſque omnes ſitæ
Erant, qui ſine hac jurabat ſe unum numquam victurum diem,
Qui ſe in ſui gremio poſiturum puerum dicebat patris,
Ita obſecraturum, ut liceret hanc ſibi uxorem ducere!
Get. Hera, lacrumas mitte, ac potius, quod ad hanc rem opus eſt, porro proſpice,
Patiamurne, an narremus cuipiam? *Can.* Au, au mi homo, ſanuſne es? an
Hoc proferendum tibi videtur eſſe uſquam? *Get.* Mihi quidem non placet.
Jam primum, illum alieno animo a nobis eſſe, res ipſa indicat.
Nunc ſi hoc palam proferimus, ille inficias ibit, ſat ſcio;
Tua fama, & gnatæ vita in dubium veniet. tum ſi maxume
Fateatur, cum amet aliam, non eſt utile hanc illi dari.
Quapropter quoquo pacto tacito eſt opus, *Soſtr.* Ah, minime gentium:
Non faciam. *Get.* Quid ages? *Soſtr.* Proferam. *Get.* Hem, mea Soſtrata, vide quam rem agas.
Soſtr. Pejore res loco non potis eſt eſſe, quam in hoc, quo nunc ſita eſt.
Primum indotata eſt: tum præterea, quæ ſecunda ei dos erat,
Periit: pro virgine dari nuptum non poteſt. hoc relliquom eſt,
Si inficias ibit, teſtis mecum eſt annulus, quem amiſerat.
Poſtremo, quando ego conſcia mihi ſum, a me culpam eſſe hanc procul,
Nec pretium, neque rem ullam interceſſiſſe illa aut me indignam; Geta,
Experiar. *Get.* Quid iſtic? accedo, ut melius dicas. *Soſtr.* Tu, quantum potes,
Abi, atque Hegioni cognato hujus rem enarrato omnem ordine:
Nam is noſtro Simulo fuit ſummus, & nos coluit maxume.
Get. Nam hercle alius nemo reſpicit nos. *Soſtr.* Propera tu, mea Canthara:
Curre, obſtetricem arceſſe, ut, cum opus ſit, ne in mora nobis ſiet.

ACTUS III. SCENA III.

Demea.

DIſperii. Cteſiphonem audivi filium
Una fuiſſe in raptione cum Æſchino.
Id miſero reſtat mihi mali, ſi illum poteſt,
Qui alicui rei eſt, etiam ad nequitiem eum abducere.
Ubi ego illum quæram? credo abductum in ganeum
Aliquo, perſuaſit ille impurus, ſat ſcio.
Sed eccum Syrum ire video. hinc ſcibo jam, ubi ſiet.
Atque hercle hic de grege illo eſt: ſi me ſenſerit
Eum quæritare, numquam dicet carnufex.
Non oſtendam id me velle.

ACTUS III. SCENA IV.

Syrus, Demea.

OMnem rem modo ſeni,
Quo pacto haberet, enarramus ordine.
Nil quidquam vidi lætius. *Dem.* Proh Jupiter,
Hominis ſtultitiam! *Syr.* Collaudavit filium:
Mihi, qui id dediſſem conſilium, egit gratias.
Dem. Diſrumpor. *Syr.* Argentum adnumeravit illico:
Dedit præterea in ſumtum dimidium minæ:
Id diſtributum ſane eſt ex ſententia. *Dem.* Hem,
Huic mandes, ſi quid recte curatum velis.
Syr. Ehem Demea, haud aſpexeram te: quid agitur?
Dem. Quid agatur? voſtram nequeo mirari ſatis
Rationem. *Syr.* Eſt hercle inepta, ne dicam dolo,
Atque abſurda. piſces ceteros purga, Dromo:
Congrum iſtum maxumum in aqua ſinito ludere
Tantiſper: ubi ego rediero, exoſſabitur;
Prius nolo. *Dem.* Heccine flagitia? *Syr.* Mihi quidem non placent:
Et clamo ſæpe. Salſamenta hæc, Stephanio,
Fac macerentur pulchre. *Dem.* Di voſtram fidem;
Utrum ſtudione id ſibi habet, an laudi putat
Fore, ſi perdiderit gnatum? væ miſero mihi!
Videre videor jam diem illum, cum hinc egens
Profugiet aliquo militatum. *Syr.* O Demea,
ISTUC EST SAPERE, non quod ante pedes modo eſt,
Videre, ſed etiam illa, quæ futura ſunt,
Proſpicere. *Dem.* Quid? iſtæc jam penes vos pſaltria eſt?
Syr. Ellam intus. *Dem.* Eho, an domi eſt habiturus? *Syr.* Credo, ut eſt
Dementia. *Dem.* Hæccine fieri? *Syr.* Inepta lenitas
Patris, & facilitas prava. *Dem.* Fratris me quidem
Pudet, pigetque. *Syr.* Nimium inter vos, Demea, ac
Non quia ades præſens dico hoc, pernimium intereſt.
Tu, quantus quantus, nihil niſi ſapientia es:
Ille ſomnium. ſineres vero illum tu tuum

Face-

Facere hæc? *Dem.* Sinerem illum? at non ſex totis menſibus
Prius olfeciſſem, quam ille quidquam cœperit?
Syr. Vigilantiam tuam tu mihi narras? *Dem.* Sic ſiet
Modo, ut nunc eſt, quæſo. *Syr.* Ut quiſque ſuum volt eſſe, ita eſt.
Dem. Quid eum? vidiſtin hodie? *Syr.* Tuumne filium?
(Abigam hunc rus) jam dudum aliquid ruri agere arbitror.
Dem. Satin' ſcis ibi eſſe? *Syr.* Oh, qui egomet produxi. *Dem.* Optume eſt.
Metui, ne hæreret hic. *Syr.* Atque iratum admodum.
Dem. Quid autem? *Syr.* Adortus jurgio fratrem apud forum
De Pſaltria iſtac. *Dem.* Ain' vero? *Syr.* Vah, nil reticuit:
Nam, ut numerabatur forte argentum, intervenit
Homo de improviſo; cœpit clamare: Æſchine,
Heccine flagitia facere te? hæc te admittere
Indigna genere noſtro? *Dem.* Oh, oh lacrumo gaudio.
Syr. Non tu hoc argentum perdis, ſed vitam tuam.
Dem. Salvos ſit: ſpero, eſt ſimilis majorum ſuum. *Syr.* Hui.
Dem. Syre, præceptorum plenus iſtorum ille. *Syr.* Phy,
Domi habuit, inde diſceret. *Dem.* Fit ſedulo:
Nil prætermitto: conſuefacio: denique
Inſpicere, tamquam in ſpeculum, in vitas omnium
Jubeo, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi.
Hoc facito. *Syr.* Recte ſane. *Dem.* Hoc fugito. *Syr.* Callide.
Dem. Hoc laudi eſt. *Syr.* Iſtæc hæc res eſt. *Dem.* Hoc vitio datur.
Syr. Probiſſume. *Dem.* Porro autem. *Syr.* Non hercle otium eſt
Nunc mihi auſcultandi. piſces ex ſententia
Nactus ſum: hi mihi ne corrumpantur, cautio eſt.
Nam id nobis tam flagitium eſt, quam illa, Demea,
Non facere vobis, quæ modo dixti: &, quod queo,
Conſervis ad eumdem iſtunc præcipio modum.
Hoc ſalſum eſt, hoc aduſtum eſt, hoc lautum eſt parum:
Illud recte, iterum ſic memento: ſedulo
Moneo, quæ poſſum pro mea ſapientia.
Poſtremo, tamquam in ſpeculum, in patinas, Demea,
Inſpicere jubeo, & moneo quid facto uſu' ſit.
Inepta hæc eſſe, nos quæ facimus, ſentio.
Verum quid facias? ut homo eſt, ita morem geras.
Numquid vis? *Dem.* Mentem vobis meliorem dari.
Syr. Tu rus hinc ibis? *Dem.* Recta. *Syr.* Nam quid tu hic agas,
Ubi, ſi quid bene præcipias, nemo obtemperet?
Dem. Ego vero hinc abeo, quando is, quamobrem huc veneram,
Rus abiit. illum curo unum: ille ad me attinet.
Quando ita volt frater, de iſtoc ipſe viderit.
Sed quis illic eſt, quem video procul? eſtne Hegio
Tribulis noſter? ſi ſatis cerno, is hercle eſt. vah,
Homo amicus nobis jam inde a puero. dii boni!
Næ illiusmodi jam magna nobis civium
Penuria eſt. homo antiqua virtute ac fide:
Haud cito mali quid ortum ex hoc ſit publice.
Quam gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias
Reſtare video! vah, vivere etiam nunc lubet.
Opperiar hominem hic, ut ſalutem & conloquar.

ACTUS III. SCENA V.

Hegio, Geta, Demea, Pamphila.

PRoh Di immortales, facinus indignum, Geta!
Quid narras? *Get.* Sic eſt factum. *Heg.* Ex illan' familia
Tam illiberale facinus eſſe ortum? O Æſchine,
Pol haud paternum iſtuc dediſti. *Dem.* Videlicet
De pſaltria hac audivit: id illi nunc dolet
Alieno; pater is nihili pendit. hei mihi!
Utinam hic prope adeſſet alicubi, atque audiret hæc.
Heg. Niſi facient quæ illos æquom eſt, haud ſic auferent.
Get. In te ſpes omnis, Hegio, nobis ſita eſt:
Te ſolum habemus: tu es patronus, tu pater:
Ille tibi moriens nos commendavit ſenex.
Si deſeris tu, periimus. *Heg.* Cave dixeris:
Nec faciam, neque me ſatis pie poſſe arbitror.
Dem. Adibo. ſalvere Hegionem plurimum
Jubeo. *Heg.* Oh, te quærebam ipſum; ſalve, Demea.
Dem. Quid autem? *Heg.* Major filius tuus Æſchinus,
Quem fratri adoptandum dediſti, neque boni,
Neque liberalis functus officium eſt viri.
Dem. Quid iſtuc eſt? *Heg.* Noſtrum amicum noras Simulum,
Atque æqualem? *Dem.* Quid ni? *Heg.* Filiam ejus virginem
Vitiavit. *Dem.* Hem! *Heg.* Mane, nondum audiſti, Demea,
Quod eſt graviſſumum. *Dem.* An quidquam eſt etiam amplius?
Heg. Vero amplius: nam hoc quidem ferundum aliquo modo eſt.
Perſuaſit nox, amor, vinum, adoleſcentia:
Humanum eſt: ubi ſcit factum, ad matrem virginis
Venit ipſus ultro, lacrumans, orans, obſecrans,
Fidem dans, jurans ſe illam ducturum domum.
Ignotum eſt, tacitum eſt, creditum eſt. virgo ex eo
Compreſſu gravida facta eſt. menſi' hic decimus eſt:
Ille bonus vir nobis pſaltriam, ſi dii placet,
Paravit, quicum vivat, illam deſerat.
Dem. Pro certon' tu iſtæc dicis? *Heg.* Mater virginis
In medio eſt, ipſa virgo, res ipſa: hic Geta
Præterea, ut captus eſt ſervorum, non malus,
Neque iners, alit illas; ſolus omnem familiam
Suſtentat: hunc adduce, vinci: quære rem.
Get. Immo hercle extorque, niſi ita factum eſt, Demea.
Poſtremo, non negabit, coram ipſum cedo.
Dem. Pudet: nec, quid agam, neque quid huic reſpondeam,
Scio. *Pamph.* Miſeram me! differor doloribus.
Juno Lucina, fer opem, ſerva me obſecro. *Heg.* Hem!
Numnam illa, quæſo, parturit? *Get.* Certe, Hegio. *Heg.* Hem!
Illæc fidem nunc voſtram implorat, Demea.
Quod vos vis cogit, id voluntate impetret.
Hæc primum ut fiant, Deos quæſo, ut vobis decet:
Sin aliter animus voſter eſt, ego, Demea,
Summa vi defendam hanc, atque illum mortuum.
Cognatus mihi erat: una a pueris parvolis
Sumus educti: una ſemper militiæ & domi
Fuimus: paupertatem una pertulimus gravem.
Quapropter nitar, faciam, experiar, denique
Animam

Animam relinquam potius quam illas deſeram.
Quid mihi reſpondes? *Dem.* Fratrem conveniam, Hegio:
Is quod mihi de hac re dederit conſilium, id ſequar.
Heg. Sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites,
Quam vos facillime agitis, quam eſtis maxume
Potentes, dites, fortunati, nobiles,
Tam maxume vos æquo animo æqua noſcere
Oportet, ſi vos voltis perhiberi probos.
Dem. Redito. fient, quæ fieri æquom eſt, omnia.
Heg. Decet te facere. Geta, duc me intro ad Soſtratam.
Dem. Non me indicente hæc fiunt. utinam hoc ſit modo
Defunctum. verum nimia illæc licentia
Profecto evadet in aliquod magnum malum.
Ibo, requiram fratrem, ut in eum hæc evomam.

ACTUS III. SCENA VI.

Hegio.

Bono animo fac ſis, Soſtrata, & iſtam, quod potes,
Fac conſolere. ego Micionem, ſi apud forum eſt,
Conveniam, atque, ut res geſta eſt, narrabo ordine.
Si eſt, facturus ut ſit officium ſuum,
Faciat: ſin aliter de hac re eſt ejus ſententia;
Reſpondeat mi, ut, quid agam, quamprimum ſciam.

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

Cteſipho, Syrus.

An' patrem hinc abiſſe rus? *Syr.* Jamdudum. *Cteſ.* Dic ſodes. *Syr.* Apud villam eſt.
Nunc cummaxume operis aliquid facere credo. *Cteſ.* Utinam quidem,
Quod cum ſalute ejus fiat, ita ſe defatigarit velim,
Ut triduo hoc perpetuo prorſum e lecto nequeat ſurgere.
Syr. Ita fiat, & iſtoc ſi quid potis eſt rectius. *Cteſ.* Ita. nam hunc diem
Miſere nimis cupio, ut cœpi, perpetuum in lætitia degere.
Et illud rus nulla alia cauſa tam male odi, niſi quia prope eſt:
Quod ſi abeſſet longius,
Prius nox oppreſſiſſet illic, quam huc revorti poſſet iterum.
Nunc, ubi me illic non videbit, jam huc recurret, ſat ſcio:
Rogitabit me, ubi fuerim; quem ego hodie toto non vidi die:
Quid dicam? *Syr.* Nihilne in mentem? *Cteſ.* Numquam quidquam. *Syr.* Tanto nequior.
Cliens, amicus, hoſpes, nemo eſt vobis? *Cteſ.* Sunt: quid poſtea?
Syr. Hiſce opera ut data ſit. *Cteſ.* Quæ non data ſit? non poteſt fieri. *Syr.* Poteſt.
Cteſ. Interdiu: ſed ſi hic pernocto, cauſæ quid dicam, Syre?
Syr. Vah, quam vellem etiam noctu amicis operam mos eſſet dari.
Quin tu otioſus es: ego illius ſenſum pulchre calleo.
Cum fervit maxume, tam placidum quam ovem reddo. *Cteſ.* Quomodo?
Syr. Laudarier te audit libenter. facio te apud illum deum:
Virtutes narro. *Cteſ.* Meas? *Syr.* Tuas. homini illico lacrumæ cadunt,
Quaſi puero, gaudio. hem tibi autem. *Cteſ.* Quidnam eſt? *Syr.* LUPUS IN fabula.
Cteſ. Pater adeſt? *Syr.* Ipſu' eſt. *Cteſ.* Syre, quid agimus? *Syr.* Fuge modo intro: ego videro.
Cteſ. Si quid rogabit, nuſquam tu me: audiſtin'? *Syr.* Potin' ut deſinas?

ACTUS IV. SCENA II.

Demea, Cteſipho, Syrus.

Næ ego homo ſum infelix! primum fratrem nuſquam invenio gentium:
Præterea autem, dum illum quæro, a villa mercenarium
Vidi: is filium negat eſſe ruri: nec quid agam, ſcio.
Cteſ. Syre. *Syr.* Quid ais? *Cteſ.* Men' quærit? *Syr.* Verum. *Cteſ.* Perii. *Syr.* Quin tu animo bono es.
Dem. Quid hoc, malum, infelicitatis? nequeo ſatis decernere:
Niſi me credo huic eſſe natum rei, ferundis miſeriis.
Primus ſentio mala noſtra: primus reſciſco omnia:
Primus porro obnuncio. ægre ſolus, ſi quid fit, fero.
Syr. Rideo hunc: primum ait ſe ſcire: is ſolus neſcit omnia.
Dem. Nunc redeo: ſi forte frater redierit, viſo. *Cteſ.* Syre,
Obſecro, vide ne ille huc prorſus ſe irruat. *Syr.* etiam taces?
Ego cavebo. *Cteſ.* Numquam hercle hodie ego iſtuc committam tibi.
Nam me jam in cellam aliquam cum illa concludam. id tutiſſimum eſt.
Syr. Age, tamen hunc ego amovebo. *Dem.* Sed eccum ſceleratum Syrum.
Syr. Non hercle hic quidem durare quiſquam, ſi ſic fit, poteſt.
Scire equidem volo, quot mihi ſint domini. quæ hæc eſt miſeria?
Dem. Quid ille gannit? quid volt? quid ais, bone vir? hem, eſt frater domi?
Syr. Quid, malum, Bone vir, mihi narras? equidem perii. *Dem.* Quid tibi eſt?
Syr. Rogitas? Cteſipho me pugnis miſerum & iſtam pſaltriam
Uſque occidit. *Dem.* Hem, quid narras? *Syr.* Hem, vide ut diſcidit labrum.
Dem. Quamobrem? *Syr.* Me impulſore hanc emtam eſſe ait. *Dem.* Non tu eum rus hinc modo
Produxe ajebas? *Syr.* Factum. verum venit poſt inſaniens:
Nihil pepercit, non puduiſſe verberare hominem ſenem,
Quem ego modo puerum tantillum in manibus geſtavi meis?

Dem.

Dem. Laudo, Cteſipho: patriſſas. abi, virum te judico.

Syr. Laudas? næ ille continebit poſthac, ſi ſapiet, manus.

Dem. Fortiter. *Syr.* Perquam; quia miſeram mulierem & me ſervolum,

Qui referire non audebam, vicit: hui, perfortiter!

Dem. Non potuit melius. idem, quod ego, ſenſit, te eſſe huic rei caput.

Sed eſtne frater intus? *Syr.* Non eſt. *Dem.* Ubi illum quæram, cogito.

Syr. Scio ubi ſit, verum hodie numquam monſtrabo. *Dem.* Hem, quid ais? *Syr.* Ita.

Dem. Diminuetur tibi quidem jam cerebrum. *Syr.* At nomen neſcio

Illius hominis, ſed locum novi ubi ſit. *Dem.* Dic ergo locum.

Syr. Noſtin' porticum apud macellum hanc deorſum? *Dem.* Quidni noverim?

Syr. Præterito hac recta platea ſurſum. ubi eo veneris,

Clivos deorſum vorſus eſt, hac præcipitato: poſtea

Eſt ad hanc manum ſacellum: ibi angiportum propter eſt.

Dem. Quonam? *Syr.* Illic, ubi etiam caprificus magna eſt. *Dem.* Novi. *Syr.* Hac pergito.

Dem. Id quidem angiportum non eſt pervium. *Syr.* Verum hercle. vah,

Cenſen' hominem me eſſe? erravi. in porticum rurſum redi.

Sane hac multo propius ibis, & minor eſt erratio.

Scin' Cratini hujus ditis ædes? *Dem.* Scio. *Syr.* Ubi eas præterieris,

Ad ſiniſtram hac recta platea: ubi ad Dianæ veneris,

Ito ad dextram. prius quam ad portam venias, apud ipſum lacum

Eſt piſtrilla, & exadvorſum fabrica: ibi eſt. *Dem.* Quid ibi facit?

Syr. Lectulos in ſole ilignis pedibus faciundos dedit.

Dem. Ubi potetis vos: bene ſane. ſed ceſſo ad eum pergere?

Syr. I ſane: ego te exercebo hodie, ut dignus es, ſilicernium.

Æſchinus odioſe ceſſat: prandium corrumpitur:

Cteſipho autem in amore eſt totus. ego jam proſpiciam mihi.

Nam jam adibo, atque unum quidquid, quod quidem erit belliſſimum,

Carpam, & cyathos ſorbillans paulatim hunc producam diem,

ACTUS IV. SCENA III.

Micio, Hegio.

EGo in hac re nihil reperio, quamobrem lauder tantopere, Hegio,

Meum officium facio: quod peccatum a nobis ortum eſt, corrigo.

Niſi ſi me in illo credidiſti eſſe hominum numero, qui ita putant

Sibi fieri injuriam, ultro ſi, quam fecere ipſi, expoſtulant;

Et ultro accuſant. id quia non eſt a me factum, agi' gratias?

Heg. Ah, minime: numquam te aliter, atque es, in animum induxi meum.

Sed quæſo, ut una mecum ad matrem virginis eas, Micio;

Atque iſtæc eadem, quæ mihi dixti, tute dicas mulieri;

Suſpicionem hanc propter fratrem ejus eſſe & illam pſaltriam.

Mic. Si ita æquom cenſes, aut ſi ita opus eſt facto, eamus. *Heg.* Bene facis:

Nam & illi animum jam rellevabis, quæ dolore ac miſeria

Tabeſcit; & tuo officio fueris functus. ſed ſi aliter putas,

Egomet narrabo quæ mihi dixti. *Mic.* Immo ego ibo. *Heg.* Bene facis.

OMNES, QUIBU' RES ſunt minu' ſecundæ, magi' ſunt neſcio quo modo

Suſpicioſi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:

Propter ſuam impotentiam, ſe ſemper credunt neglegi.

Quapropter teipſum purgare ipſi coram placibilius eſt.

Mic. Et recte, & verum dicis. *Heg.* Sequere me ergo hac intro. *Mic.* Maxume.

ACTUS IV. SCENA IV.

Æſchinus.

DIſcrucior animi. hoccine de improviſo mali mihi objici

Tantum, ut neque quid me faciam, nec quid agam, certum ſiet?

Membra metu debilia ſunt: animus timore obſtupuit.

Pectore conſiſtere nihil conſilii quit. vah,

Quomodo me ex hac expediam turba?

Tanta nunc ſuſpicio de me incidit. neque ea immerito.

Soſtrata credit mihi me pſaltriam hanc emiſſe: id anus

Mihi indicium fecit.

Nam ut hinc forte ea ad obſtetricem erat miſſa, ubi vidi eam, illico

Accedo, rogito, Pamphila quid agat, jam partus adſiet;

Eone obſtetricem accerſat. illa exclamat, abi, abi jam, Æſchine;

Satis diu dediſti verba, ſat adhuc tua nos fruſtrata eſt fides.

Hem, quid iſtuc obſecro, inquam, eſt? Valeas, habeas illam quæ placet.

Senſi illico id illas ſuſpicari: ſed me reprehendi tamen,

Ne quid de fratre garrulæ illi dicerem, ac fieret palam.

Nunc quid faciam? dicam fratris eſſe hanc? quod minime eſt opus

Uſquam efferri. age, mitto: fieri potis eſt, ut ne qua exeat.

Ipſum id metuo ut credant: tot concurrunt veriſimilia:

Egomet rapui: ipſe egomet ſolvi argentum: ad me abducta eſt domum.

Hæc adeo mea culpa fateor fieri. non me hanc rem patri,

Ut ut erat geſta, indicaſſe? exoraſſem, ut eam ducerem.
Ceſſatum uſque adhuc eſt : nunc porro, Æſchine, expergiſcere.
Nunc hoc primum eſt : ad illas ibo, ut purgem me. accedam ad fores.
Perii, horreſco ſemper, ubi pultare haſce occipio fores miſer.
Heus, heus : Æſchinus ego ſum : aperite aliquis actutum oſtium.
Prodit neſcio quis. concedam huc.

ACTUS IV. SCENA V.

Micio, *Æſchinus*.

ITa, ut dixi, Soſtrata,
Facite : ego Æſchinum conveniam, ut, quo modo acta hæc ſunt, ſciat.
Sed quis oſtium hoc pultavit? *Æſch.* Pater hercle eſt : perii. *Mic.* Æſchine.
Æſch. Quid huic hic negoti eſt? *Mic.* Tune has pepuliſti fores? tacet.
Cur non ludo hunc aliquantiſper? melius eſt :
Quandoquidem hoc numquam mihi ipſe voluit credere.
Nil mihi reſpondes? *Æſch.* Non equidem iſtas, quod ſciam.
Mic. Ita? nam mirabar quid hic negoti eſſet tibi.
Erubuit : ſalva res eſt. *Æſch.* Dic ſodes, pater,
Tibi vero quid iſtic eſt rei? *Mic.* Nihil mihi quidem.
Amicus quidam me a foro abduxit modo
Huc advocatum ſibi. *Æſch.* Quid? *Mic.* Ego dicam tibi.
Habitant hic quædam mulieres pauperculæ :
Ut opinor, has non noſſe te, & certo ſcio :
Neque enim diu huc commigrarunt. *Æſch.* Quid tum poſtea?
Mic. Virgo eſt cum matre. *Æſch.* Perge. *Mic.* Hæc virgo orba eſt patre :
Hic meus amicus illi genere eſt proxumus :
Huic leges cogunt nubere hanc. *Æſch.* Perii. *Mic.* Quid eſt?
Æſch. Nil : recte : perge. *Mic.* Is venit, ut ſecum avehat :
Nam habitat Mileti. *Æſch.* Hem, virginem ut ſecum avehat?
Mic. Sic eſt. *Æſch.* Miletum uſque, obſecro? *Mic.* Ita. *Æſch.* Animo male eſt.
Quid ipſæ? quid ajunt? *Mic.* Quid illas cenſes? nihil enim.
Commenta mater eſt, eſſe ex alio viro
Neſcio quo puerum natum, neque eum nominat :
Priorem eſſe illum, non oportere huic dari.
Æſch. Eho, nonne hæc juſta tibi videntur poſtea?
Mic. Non. *Æſch.* Obſecro, non? an illam hinc abducet, pater?
Mic. Quid illam ni abducat? *Æſch.* Factum a vobis duriter,
Immiſericorditerque, atque etiam, ſi eſt, pater,
Dicendum magis aperte, inliberaliter.
Mic. Quamobrem? *Æſch.* Rogas me? quid illi tandem creditis
Fore animi miſero, qui illi conſuevit prior,
Qui infelix, haud ſcio, an illam miſere nunc amat,
Cum hanc ſibi videbit præſens præſenti eripi,
Abduci ab oculis? facinus indignum, pater!
Mic. Qua ratione iſtuc? quis deſpondit? quis dedit?
Cui, quando nupſit? auctor his rebus quis eſt?
Cur duxit alienam? *Æſch.* An ſedere oportuit
Domi virginem tam grandem, dum cognatus huc
Illinc veniret, exſpectantem? hæc, mi pater,
Te dicere æquom fuit, & id defendere.
Mic. Ridiculum! advorſumne illum cauſam dicerem,
Cui veneram advocatus? ſed quid iſta, Æſchine,
Noſtra? aut quid nobis cum illis? abeamus. quid eſt?
Quid lacrumas? *Æſch.* Pater, obſecro, auſculta. *Mic.* Æſchine, audivi omnia,
Et ſcio : nam te amo : quo magis, quæ agis, curæ ſunt mihi.
Æſch. Ita velim me promerentem ames, dum vivas, mi pater,
Ut me hoc delictum admiſiſſe in me, id mihi vehementer dolet;
Et me tui pudet. *Mic.* Credo hercle : nam ingenium novi tuum
Liberale : ſed vereor ne indiligens nimium ſies.
In qua civitate tandem te arbitrare vivere?
Virginem vitiaſti, quam te jus non fuerat tangere.
Jam id peccatum primum magnum, magnum, at humanum tamen.
Fecere alii ſæpe, item boni. at poſtquam id evenit, cedo,
Numquid circumſpexti? aut numquid tute proſpexti tibi,
Quid fieret, qua fieret? ſi teipſum mihi puduit dicere;
Qua reſciſcerem? hæc dum dubitas, menſes abierunt decem.
Prodidiſti te, & illam miſeram, & gnatum, quod quidem in te fuit.
Quid? credebas dormienti hæc tibi confecturos Deos?
Et illam ſine tua opera in cubiculum iri deductum domum?
Nolim ceterarum rerum te ſocordem eodem modo.
Bono animo es, duces uxorem hanc. *Æſch.* Hem! *Mic.* Bono animo es, inquam. *Æſch.* Pater,
Obſecro, num ludis tu nunc me? *Mic.* Ego te? quamobrem? *Æſch.* Neſcio :
Quia tam miſere hoc eſſe cupio verum, ideo vereor magis.
Mic. Abi domum, ac Deos comprecare, ut uxorem acceſſas : abi.
Æſch. Quid? jamne uxorem? *Mic.* Jam. *Æſch.* Jam? *Mic.* Jam, quantum poteſt. *Æſch.* Di me, pater,
Omnes oderint, ni magi' te quam oculos nunc ego amo meos.
Mic. Quid? quam illam? *Æſch.* Æque. *Mic.* Perbenigne. *Æſch.* Quid? ille ubi eſt Mileſius?
Mic. Abiit, periit, navem aſcendit. ſed cur ceſſas? *Æſch.* Abi, pater :
Tu potius Deos comprecare : nam tibi eos certo ſcio,
Quo vir melior multo es quam ego, obtemperaturos magis.
Mic. Ego eo intro, ut, quæ opu' ſunt, parentur. tu fac, ut dixi, ſi ſapis.
Æſch. Quid hoc negoti? hoc eſt patrem eſſe? aut hoc eſt filium eſſe?
Si frater aut ſodalis eſſet, qui magi' morem gereret?

Hic non amandus? hiccine non geſtandus in ſinu eſt? hem!
Itaque adeo magnam mi injecit ſua commoditate curam,
Ne forte imprudens faciam, quod nolit, ſciens cavebo.
Sed ceſſo ire intro, ne moræ meis nuptiis egomet ſiem.

ACTUS IV. SCENA VI.

Demea.

DEfeſſus ſum ambulando. ut, Syre, te cum tua
Monſtratione magnus perdat Jupiter.
Perreptavi uſque omne oppidum, ad portam, ad lacum,
Quo non? nec fabrica illic ulla erat, nec fratrem homo
Vidiſſe ſe ajebat quiſquam. nunc vero domi
Certum obſidere eſt uſque donec redierit.

ACTUS IV. SCENA VII.

Micio, Demea.

IBo, illis dicam nullam eſſe in nobis moram.
Dem. Sed eccum ipſum. te jamdudum quæro, Micio.
Mic. Quidnam? *Dem.* Fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adoleſcentis. *Mic.* Ecce autem. *Dem.* Nova,
Capitalia. *Mic.* Ohe, jam. *Dem.* Ah, neſcis qui vir ſit. *Mic.* Scio.
Dem. O ſtulte, tu de pſaltria me ſomnias
Agere. hoc peccatum in virginem eſt civem. *Mic.* Scio.
Dem. Eho, ſcis, & patere? *Mic.* Quidni patiar? *Dem.* Dic mihi,
Non clamas? non inſanis? *Mic.* Non. malim quidem.
Dem. Puer natu' eſt. *Mic.* Di bene vortant. *Dem.* Virgo nihil habet.
Mic. ~~Audivi.~~ ~~*Dem.*~~ Et ducenda indotata eſt? *Mic.* Scilicet.
Dem. Quid nunc futurum eſt? *Mic.* Id enim quod res ipſa fert:
Illinc huc transferetur virgo. *Dem.* O Jupiter!
Iſtoccine pacto oportet? *Mic.* Quid faciam amplius?
Dem. Quid facias? ſi non ipſa re tibi iſtuc dolet,
Simulare certe eſt hominis. *Mic.* Quin jam virginem
Deſpondi: res compoſita eſt: fiunt nuptiæ:
Demſi metum omnem. hæc magis ſunt hominis. *Dem.* Ceterum,
Placet tibi factum, Micio? *Mic.* Non, ſi queam
Mutare: NUNC, CUM NON queo, æquo animo fero.
ITA VITA EST HOMINUM, quaſi, cum ludas teſſeris;
Si illud, quod maxume opus eſt jactu, non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.
Dem. Correctur! nempe tua arte viginti minæ
Pro pſaltria periere: quæ, quantum poteſt,
Aliquo abjicienda eſt; ſi non pretio, gratiis.
Mic. Neque eſt, neque illam ſane ſtudeo vendere.
Dem. Quid igitur facies? *Mic.* Domi erit. *Dem.* Proh divom fidem!
Meretrix & materfamilias una in domo!
Mic. Cur non? *Dem.* Sanum te credis eſſe? *Mic.* Equidem arbitror.
Dem. Ita me Dii ament, ut video ego tuam ineptiam,
Facturum credo, ut habeas quicum cantites.
Mic. Cur non? *Dem.* Et nova nupta eadem hæc diſcet? *Mic.* Scilicet.
Dem. Tu inter eas reſtim ductans ſaltabis. *Mic.* Probe.
Dem. Probe? *Mic.* Et tu nobiſcum una, ſi opus ſit.
Dem. Hei mihi!
Non te hæc pudent? *Mic.* Jam vero omitte, Demea,
Tuam iſtanc iracundiam, atque ita, uti decet,
Hilarum ac lubentem fac te gnati in nuptiis.
Ego hos conveniam, poſt redeo. *Dem.* O Jupiter!
Hanccine vitam! hoſcine mores! hanc dementiam!
Uxor ſine dote veniet: intus pſaltria eſt:
Domus ſumtuoſa: adoleſcens luxu perditus:
Senex delirans: ipſa ſi cupiat Salus,
Servare prorſus non poteſt hanc familiam.

ACTUS IV. SCENA VIII.

Syrus, Demea.

ÆDepol, Syriſce, te curaſti molliter,
Lauteque munus adminiſtraſti tuum.
Ab. ſed poſtquam intus ſum omnium rerum ſatur,
Prodeambulare huc libitum eſt. *Dem.* Illud ſis vide
Exemplum diſciplinæ! *Syr.* Ecce autem hic adeſt
Senex noſter. Quid fit? quid tu es triſtis? *Dem.* Oh, ſcelus!
Syr. Ohe, jam tu verba fundis hic ſapientia?
Dem. Tun'? ſi meus eſſes. *Syr.* Dis quidem eſſes, Demea,
Ac tuam rem conſtabiliſſes. *Dem.* Exemplum omnibus
Curarem ut eſſes. *Syr.* Quamobrem? quid feci? *Dem.* Rogas?
In ipſa turba, atque in peccato maxumo,
Quod vix ſedatum ſatis eſt, potaſti, ſcelus,
Quaſi re bene geſta. *Syr.* Sane nollem huc exitum.

ACTUS IV. SCENA IX.

Dromo, Syrus, Demea.

HEus Syre, rogat te Cteſipho, ut redeas. *Syr.* Abi.
Dem. Quid Cteſiphonem hic narrat? *Syr.* Nihil. *Dem.* Eho, carnufex,
Eſt Cteſipho intus? *Syr.* Non eſt. *Dem.* Cur hic nominat?
Syr. Eſt alius quidam, paraſitaſter parvolus;
Noſtin'? *Dem.* Jam ſcibo. *Syr.* Quid agis? quo abis? *Dem.* Mitte me.
Syr. Noli, inquam. *Dem.* Non manum abſtines, maſtigia?
An tibi jam mavis cerebrum diſpergam hic? *Syr.* Abit.
Edepol commiſſatorem haud ſane commodum,
Præſertim Cteſiphoni. quid ego nunc agam?
Niſi, dum hæ ſileſcunt turbæ, interea in angulum
Aliquo abeam, atque edormiſcam hoc villi. ſic agam.

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

Micio, Demea.

Parata a nobis ſunt, ita ut dixi, Soſtrata,
Ubi vis. quiſnam a me pepulit tam graviter fores?
Dem. Hei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem, aut querar?
O cælum, o terra, o maria Neptuni! *Mic.* Hem tibi,
Reſcivit omnem rem: id nunc clamat; ilicet,
Paratæ lites: ſuccurrendum eſt. *Dem.* Eccum, adeſt
Communis corruptela noſtrum liberum.
Mic. Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi.
Dem. Repreſſi, redii, mitto maledicta omnia:
Rem ipſam putemus. dictum hoc inter nos fuit,
Ex te adeo eſt ortum, ne tu curares meum,
Neve ego tuum. reſponde. *Mic.* Factum eſt, non nego.
Dem. Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
Cur emis amicam, Micio? numquid minus
Mihi idem jus æquom eſt eſſe, quod mecum eſt tibi?
Quando ego tuum non curo, ne cura meum.
Mic. Non æquom dicis; non: nam vetus verbum hoc quidem eſt,
Communia esse amicorum inter ſe omnia.
Dem. Facete! nunc demum iſtæc nata oratio eſt.
Mic. Auſculta paucis, niſi moleſtum eſt, Demea.
Principio, ſi id te mordet, ſumtum filii
Quem faciunt; quæſo, hoc facito tecum cogites:
Tu illos duo olim pro re tollebas tua,
Quod ſati' putabas tua bona ambobus fore:
Et me tum uxorem credidiſti ſcilicet
Ducturum. eamdem illam rationem antiquam obtine:
Conſerva, quære, parce, fac quamplurimum
Illis relinquas. gloriam tu iſtam obtine:
Mea, quæ præter ſpem evenere, utantur ſine:
De ſumma nihil decedet: quod hinc acceſſerit,
Id de lucro putato eſſe omne. hæc ſi voles
In animo vere cogitare, Demea,
Et mihi, & tibi, & illis demſeris moleſtiam.
Dem. Mitto rem: conſuetudinem ipſorum. *Mic.* Mane:
Scio: iſtoc ibam. multa in homine, Demea,
Signa inſunt, ex quibu' conjectura facile fit,
Duo cum idem faciunt, ſæpe ut poſſis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet:
Non quo diſſimilis res ſit, ſed quo is qui facit:
Quæ ego in illis eſſe video: ut confidam fore
Ita, ut volumus. video ſapere, intellegere, in loco
Vereri, inter ſe amare. ſcire eſt liberum
Ingenium, atque animum: quovis illos tu die
Reducas. at enim metuas, ne ab re ſint tamen
Omiſſiores paulo. o noſter Demea,
Ad omnia alia ætate ſapimus rectius:
Solum unum hoc vitium adfert ſenectus hominibus;
Attentiores ſumus ad rem omnes, quam ſat eſt:
Quod illos ſat ætas acuet. *Dem.* Ne nimium modo
Bonæ tuæ iſtæ nos rationes, Micio,
Et tuus iſte animus æquos ſubvortat. *Mic.* Tace,
Non fiet. mitte jam iſtæc: da te hodie mihi:
Exporge frontem. *Dem.* Scilicet, ita tempus fert,
Faciundum eſt: ceterum rus cras cum filio
Cum primo lucu ibo hinc. *Mic.* De nocte, cenſeo:
Hodie modo hilarum te fac. *Dem.* Et iſtam pſaltriam
Una illuc mecum hinc abſtraham. *Mic.* Pugnaveris.
Eo pacto prorſum illi alligaris filium:
Modo facito, ut illam ſerves. *Dem.* Ego iſtuc videro.
Atque ibi favillæ plena, fumi ac pollinis
Coquendo ſit, faxo, & molendo: præter hæc,
Meridie ipſo faciam ut ſtipulam colligat.
Tam excoctam reddam atque atram, quam carbo eſt. *Mic.* Placet.
Nunc mihi videre ſapere. atque equidem filium
Tum etiam ſi nolit, cogam, ut cum illa una cubet.
Dem. Derides? fortunatus, qui iſto animo ſies.
Ego ſentio. *Mic.* Ah, pergiſne? *Dem.* Jam jam deſino.
Mic. I ergo intro, & cui rei eſt, ei rei hunc ſumamus diem.

ACTUS V. SCENA II.

Demea.

Numquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, uſus ſemper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat: ut illa, quæ te ſcire credas, neſcias;
Et, quæ tibi putaris prima, in experiundo ut repudies.
Quod nunc mi evenit. nam ego vitam duram, quam vixi uſque adhuc,
Prope jam excurſo ſpatio mitto: id quamobrem? re ipſa repperi,
Facilitate nihil eſſe homini melius, neque clementia. id
Eſſe verum, ex me, atque ex fratre, cuivis facile eſt noſcere.
Ille ſuam ſemper egit vitam in otio, in conviviis:
Clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus:
Sibi vixit: ſibi ſumtum fecit: omnes bene dicunt, amant.
Ego ille agreſtis, ſævos, triſtis, parcus, truculentus, tenax,
Duxi uxorem. quam ibi miſeriam vidi? nati filii,
Alia cura: heja autem, illis dum ſtudeo ut quam plurimum
Facerem, contrivi in quærundo vitam, atque ætatem meam:
Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab iis fero,
Odium. ille alter ſine labore patria potitur commoda:
Illum amant, me fugitant: illi credunt conſilia omnia:
Illum diligunt: apud illum ſunt ambo. ego deſertu' ſum.
Illum, ut vivat, optant; meam autem mortem exſpectant ſcilicet.
Ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit ſuos
Paulo ſumtu. miſeriam omnem ego capio; hic potitur gaudia.
Age, age, nunc jam experiamur porro contra, & quid ego poſſiem

Blan-

Blande dicere, aut benigne facere, quando huc provocat.
Ego quoque a meis me amari & magnipendi poſtulo.
Si id fit dando atque obſequendo, non poſteriores feram.
Deerit: id mea minime refert, qui ſum natu maxumus.

ACTUS V. SCENA III.

Syrus, *Demea*.

HEus Demea, rogat frater, ne abeas longius.
Dem. Quis homo? o Syre noſter, ſalve: quid fit? quid agitur?
Syr. Recte. *Dem.* Optume eſt. jam nunc hæc tria primum addidi
Præter naturam, O noſter, quid fit? quid agitur?
Servom haud inliberalem præbes te, & tibi
Lubens bene faxim. *Syr.* Gratiam habeo. *Dem.* Atqui, Syre,
Hoc verum eſt, & ipſa re experiere propediem.

ACTUS V. SCENA IV.

Geta, *Demea*.

HEra, ego huc ad hos proviſo, quam mox virginem
Accerſant. ſed eccum Demeam. ſalvos ſies.
Dem. Oh, qui vocare? *Get.* Geta. *Dem.* Geta, hominem maxumi
Pretii te eſſe hodie judicavi animo meo.
Nam is mihi eſt profecto ſervos ſpectatus ſatis,
Cui dominus curæ eſt, ita uti tibi ſenſi, Geta:
Et tibi ob eam rem, ſi quid uſus venerit,
Lubens bene faxim. meditor eſſe affabilis,
Et bene procedit. *Get.* Bonus es, cum hæc exiſtumas.
Dem. Paulatim plebem primulum facio meam.

ACTUS V. SCENA V.

Æſchinus, *Demea*, *Syrus*, *Geta*.

OCcidunt me equidem. dum nimi' ſanctas nuptias
Student facere, in apparando conſumunt diem.
Dem. Quid agitur, Æſchine? *Æſch.* Hem, pater mi, tu hic eras?
Dem. Tuus hercle vero & animo & natura pater,
Qui te amat plus quam hoſce oculos. ſed cur non domum
Uxorem accerſis? *Æſch.* Cupio: verum hoc mihi mora eſt,
Tibicina, & hymenæum qui cantent. *Dem.* Eho.
Vin' tu huic ſeni auſcultare? *Æſch.* Quid? *Dem.* Miſſa hæc face,
Hymenæum, turbas, lampadas, tibicinas:
Atque hanc in horto maceriam jube dirui,
Quantum poteſt; hac transfer, unam fac domum:
Tranſduce & matrem & familiam omnem ad nos. *Æſch.* Placet,
Pater lepidiſſime. *Dem.* Euge, jam lepidus vocor.
Fratri ædes fient perviæ: turbam domum
Adducet, ſumtum admittet: multa: quid mea?
Ego lepidus ineo gratiam. jube nunc jam
Dinumeret illi Babylo viginti minas.
Syre, ceſſas ire, ac facere? *Syr.* Quid ergo? *Dem.* Dirue.
Tu, illas, abi, & traduce. *Get.* Dii tibi, Demea,
Bene faciant, cum te video noſtræ familiæ
Tam ex animo factum velle. *Dem.* Dignos arbitror.
Quid tu ais? *Æſch.* Sic opinor. *Dem.* Multo rectiu'eſt,
Quam illam puerperam nunc duci huc per viam
Ægrotam. *Æſch.* Nihil enim vidi melius, mi pater.
Dem. Sic ſoleo. ſed eccum, Micio egreditur foras.

ACTUS V. SCENA VI.

Micio, *Demea*, *Æſchinus*.

JUbet frater? ubi is eſt? tune jubes hoc, Demea?
Dem. Ego vero jubeo, & hac re & aliis omnibus
Quam maxume unam facere nos hanc familiam;
Colere, adjuvare, adjungere. *Æſch.* Ita quæſo, pater.
Mic. Haud aliter cenſeo. *Dem.* Immo hercle ita nobis decet.
Primum hujus uxoris eſt mater. *Mic.* Quid poſtea?
Dem. Proba & modeſta. *Mic.* Ita ajunt. *Dem.* Natu grandior.
Mic. Scio. *Dem.* Parere jam diu hæc per annos non poteſt:
Nec, qui eam reſpiciat, quiſquam eſt: ſola eſt. *Mic.* Quam hic rem agit?
Dem. Hanc te æquom eſt ducere, & te operam, ut fiat, dare.
Mic. Me ducere autem? *Dem.* Te. *Mic.* Me? *Dem.* Te, inquam. *Mic.* Ineptis. *Dem.* Si tu ſis homo,
Hic faciat. *Æſch.* Mi pater. *Mic.* Quid? tu autem huic, aſine, auſcultas? *Dem.* Nihil agis.
Fieri aliter non poteſt. *Mic.* Deliras. *Æſch.* Sine te exorem, mi pater.
Mic. Inſanis? aufer. *Dem.* Age, da veniam filio. *Mic.* Sati' ſanus es?
Ego novos maritus anno demum quinto & ſexageſimo
Fiam, atque anum decrepitam ducam? idne eſtis auctores mihi?
Æſch. Fac: promiſi ego illis. *Mic.* Promiſti autem? de te largitor, puer.
Dem. Age, quid, ſi quid te majus oret? *Mic.* Quaſi non hoc ſit maxumum.
Dem. Da veniam. *Æſch.* Ne gravere. *Dem.* Fac, promitte. *Mic.* Non omittitis?
Æſch. Non, niſi te exorem. *Mic.* Vis eſt hæc quidem. *Dem.* Age, prolixe, Micio.
Mic. Etſi hoc mihi pravom, ineptum, abſurdum, atque alienum a vita mea
Videtur; ſi vos tantopere iſtuc voltis, fiat. *Æſch.* Bene facis:
Merito te amo. *Dem.* Verum quid ego dicam? hoc confit quod volo.
Quid nunc quod reſtat? Hegio his eſt cognatus proxumus,
Affinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi decet.
Mic. Quid facere? *Dem.* Agelli eſt hic ſub urbe paululum, quod locitas foras:
Huic demus, qui fruatur. *Mic.* Paululum id autem? *Dem.* Si multum eſt, tamen
Faciundum eſt: pro patre huic eſt, bonus eſt, noſter eſt; recte datur.
Poſtremo, non meum illud verbum facio, quod tu, Micio,
Bene & ſapienter dixti dudum: vitium commune omnium eſt,
Quod NIMIUM AD REM in ſenecta attenti ſumus. hanc maculam nos decet
Effugere. dictum eſt vere, & ipſa re fieri oportet.
Mic. Quid iſtic? dabitur quidem, quando hic volt.
Æſch. Mi pater. *Dem.*

Dem. Nunc tu mihi es germanus pariter corpore & animo. *Mic.* Gaudeo.
Dem. Suo sibi gladio hunc jugulo.

ACTUS V. SCENA VII.

Syrus, Demea, Micio, Æſchinus.

FActum eſt, quod juſti, Demea.
Dem. Frugi homo es: ego edepol hodie, mea quidem ſententia,
Judico, Syrum fieri, eſſe æquom, liberum. *Mic.* Iſtunc liberum?
Quodnam ob factum? *Dem.* Multa. *Syr.* O noſter Demea, edepol vir bonu' es:
Ego iſtos vobis uſque a pueris curavi ambos ſedulo;
Docui, monui, bene præcepi ſemper, quæ potui, omnia.
Dem. Res apparet. & quidem porro hæc; opſonare, cum fide
Scortum adducere, apparare de die convivium:
Non mediocris hominis hæc ſunt officia. *Syr.* O lepidum caput!
Dem. Poſtremo, hodie in pſaltria iſtac emunda hic adjutor fuit,
Hic curavit: prodeſſe æquom eſt: alii meliores erunt.
Denique hic volt fieri. *Mic.* Vin' tu hoc fieri? *Æſch.* Cupio. *Mic.* Siquidem
Tu vis; Syre, eho, accede huc ad me, liber eſto. *Syr.* Bene facis.
Omnibu' gratiam habeo, & ſeorſum tibi præterea, Demea.
Dem. Gaudeo. *Æſch.* Et ego. *Syr.* Credo. utinam hoc perpetuum fiat gaudium,
Phrygiam ut uxorem meam una mecum videam liberam.
Dem. Optumam quidem mulierem. *Syr.* Et quidem tuo nepoti, hujus filio
Hodie primam mammam dedit hæc. *Dem.* Hercle vero ſerio,
Siquidem primam dedit, haud dubium quin emitti æquom ſiet.
Mic. Ob eam rem? *Dem.* Ob eam. poſtremo, a me argentum, quanti eſt, ſumito.
Syr. Dii tibi, Demea, omnes ſemper omnia optata offerant.
Mic. Syre, proceſſiſti hodie pulchre. *Dem.* Siquidem porro, Micio,
Tu tuum officium facies, atque huic aliquid paululum præ manu
Dederis, unde utatur: reddet tibi cito. *Mic.* Iſtoc vilius.
Æſch. Frugi homo eſt. *Syr.* Reddam hercle: da modo. *Æſch.* Age, pater. *Mic.* Poſt conſulam.
Dem. Faciet. *Syr.* O vir optime. *Æſch.* O pater mi feſtiviſſime.
Mic. Quid iſtuc? quæ res tam repente mores mutavit tuos?
Quod prolubium? quæ iſtæc ſubita eſt largitas? *Dem.* Dicam tibi.
Ut id oſtenderem, quod te iſti facilem & feſtivom putant,
Id non fieri ex vera vita, neque adeo ex æquo & bono,
Sed ex aſſentando, indulgendo, & largiendo, Micio.
Nunc adeo ſi ob eam rem vobis mea vita inviſa eſt, Æſchine,
Quia non juſta, injuſta, prorſus omnia omnino obſequor;
Miſſa facio, effundite, emite, facite quod vobis lubet.
Sed ſi id voltis potius, quæ vos propter adoleſcentiam
Minu' videtis, magis impenſe cupitis, conſulitis parum,
Hæc reprehendere & corrigere me, & obſecundare in loco;
Ecce me, qui id faciam vobis. *Æſch.* Tibi, pater, permittimus:
Plus ſcis, quid facto opus eſt. ſed de fratre quid fiet? *Dem.* Sino,
Habeat: in iſtac finem faciat. *Æſch.* Iſtuc recte. Plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

P H O R M I O

ACTA LUDIS ROMANIS, L. POSTUMIO ALBINO, L. CORNELIO MERULA ÆDIL. CUR. EGERE L. AMBIVIUS TURPIO, L. ATTILIUS PRÆNESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDII, TIBIIS IMPARIBUS. TOTA GRÆCA APOLLODÔRU EPIDICAZOMENOS. FACTA IV, C. FANNIO, M. VALERIO COSS.

PERSONÆ.

PROLOGUS.

PHORMIO *paraſitus.*
DEMIPHO *ſenex.*
ANTIPHO *adoleſcens.*
GETA *ſervus.*
DORIO *leno.*
CHREMES *ſenex.*
PHÆDRIA *adoleſcens.*
DAVUS *ſervus.*
SOPHRONA *nutrix.*
NAUSISTRATA *matrona.*
HEGIO, CRATINUS, CRITO, *advocati.*

PERSONÆ MUTÆ.

DORCIUM *ancilla.*
PHANIUM *adoleſcentula.*

ARGU-

ARGUMENTUM.
C. SULPICIO APOLLINARI AUCTORE.

CHremetis frater aberat peregre Demipho
Relicto Athenis Antiphone filio.
Chremes clam habebat Lemni uxorem & filiam,
Athenis aliam conjugem, & amantem unice
Gnatum fidicinam. mater e Lemno advenit
Athenas: moritur. virgo ſola [aberat Chremes]
Funus procurat. ibi eam viſam Antipho
Cum amaret, opera paraſiti uxorem accipit.
Pater & Chremes reverſi fremere: dein minas
Triginta dant paraſito, ut illam conjugem
Haberet ipſe: argento hoc emitur fidicina.
Uxorem retinet Antipho a patruo agnitam.

PROLOGUS.

POſtquam Poeta vetus poetam non poteſt
Retrahere a ſtudio, & transdere hominem in otium;
Maledictis deterrere, ne ſcribat, parat:
Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas,
Tenui eſſe oratione, & ſcriptura levi,
Quia nuſquam inſanum ſcripſit adoleſcentulum
Cervam videre fugere, & ſectari canes,
Et eam plorare, orare ut ſubveniat ſibi.
Quod ſi intelligeret, cum ſtetit olim nova,
Actoris opera magis ſtetiſſe, quam ſua:
Minu' multo audacter, quam nunc lædit, læderet;
Nunc ſi quis eſt, qui hoc dicat, aut ſic cogitet,
Vetu' ſi poeta non laceſſiſſet prior,
Nullum invenire prologum potuiſſet novos,
Quem diceret, niſi haberet, cui malediceret:
Is ſibi reſponſum hoc habeat; in medio omnibus
Palmam eſſe poſitam, qui artem tractant muſicam.
Ille ad famem hunc ab ſtudio ſtuduit reicere:
Hic reſpondere voluit, non laceſſere.
Benedictis ſi certaſſet, audiſſet bene:
Quod ab illo allatum eſt, ſibi id eſſe relatum putet.
De illo jam finem faciam dicundi mihi,
Peccandi cum ipſe de ſe finem non facit.
Nunc quid velim, animum attendite. apporto novam
Epidicazomenon quam vocant comœdiam
Græci, Latini Phormionem nominant;
Quia primas partes qui aget, is erit Phormio
Paraſitus, per quem res geretur maxume.
Voluntas voſtra ſi ad poetam acceſſerit,
Date operam, adeſte æquo animo per ſilentium;
Ne ſimili utamur fortuna, atque uſi ſumus,
Cum per tumultum noſter grex motus loco eſt:
Quem actoris virtus nobis reſtituit locum,
Bonitaſque voſtra adjutans, atque æquanimitas.

ACTUS PRIMUS.
SCENA I.

Davus.

AMicus ſummus meus, & popularis Geta
Heri ad me venit: erat ei de ratiuncula
Jampridem apud me reliquom pauxillulum
Nummorum: id ut conficerem. confeci: affero.
Nam herilem filium ejus duxiſſe audio
Uxorem: ei, credo, munus hoc conraditur.
Quam inique comparatum eſt, ii, qui minus habent,
Ut ſemper aliquid addant divitioribus.
Quod ille unciatim vix de demenſo ſuo,
Suum defrudans genium, comparſit miſer,
Id illa univerſum abripiet, haud exiſtumans
Quanto labore partum. porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:
Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies;
Ubi initiabunt; omne hoc mater auferet:
Puer cauſa erit mittundi. ſed videon' Getam?

ACTUS I. SCENA II.

Geta, Davus.

SI quis me quæret rufus —— *Dav.* Præſto eſt, deſine. *Get.* Oh,
At ego obviam conabar tibi, Dave. *Dav.* Accipe, hem:
Lectum eſt, conveniet numerus, quantum debui.
Get. Amo te, & non neglexiſſe, habeo gratiam.
Dav. Præſertim ut nunc ſunt mores; adeo res redit:
Si quis quid reddit, magna habenda eſt gratia.
Sed quid tu es triſtis? *Get.* Egone? neſcis quo in metu, &
Quanto in periclo ſimus. *Dav.* Quid iſtuc eſt? *Get.* Scies,
Modo ut tacere poſſis. *Dav.* Abi ſis inſciens;
Cujus tu fidem in pecunia perſpexeris,
Verere ei verba credere? ubi quid mihi lucri eſt
Te fallere? *Get.* Ergo auſculta. *Dav.* Hanc operam tibi dico.
Get. Senis noſtri, Dave, fratrem majorem Chremem
Noſtin'? *Dav.* Quidni? *Get.* Quid? ejus gnatum Phædriam?
Dav. Tamquam te. *Get.* Evenit, ſenibus ambobus ſimul,
Iter illi in Lemnum ut eſſet, noſtro in Ciliciam
Ad hoſpitem antiquom: is ſenem per epiſtolas
Pellexit, modo non montes auri pollicens,
Dav. Cui tanta erat res, & ſupererat? *Get.* Deſinas:
Sic eſt ingenium. *Dav.* Oh, regem me eſſe oportuit!
Get. Abeuntes ambo hic tum ſenes me filiis
Relinquunt quaſi magiſtrum. *Dav.* O Geta, provinciam
Cepiſti duram. *Get.* Mihi uſus venit, hoc ſcio.
Memini relinqui me Deo irato meo.
Cœpi advorſari primo: quid verbis opu'ſt?
Seni fidelis dum ſum, ſcapulas perdidi.
Dav. Venere in mentem mihi iſtæc: namque inſcitia eſt,
Advorſum ſtimulum calces. *Get.* Cœpi his omnia
Facere, obſequi quæ vellent. *Dav.* Sciſti UTI FORO.
Get. Noſter mali nil quidquam primo. hic Phædria
Continuo quamdam nactus eſt puellulam
Cithariſtriam: hanc amare cœpit perdite.
Ea ſerviebat lenoni impuriſſimo:
Neque, quod daretur, quidquam: id curarant patres.
Reſtabat aliud nihil, niſi oculos paſcere,
Sectari, in ludum ducere, & reducere;
Nos otioſi operam dabamus Phædriæ.
In quo hæc diſcebat ludo, exadvorſum illico
Tonſtrina erat quædam. hic ſolebamus fere
Plerumque eam opperiri, dum inde iret domum.
Interea dum ſedemus illi, intervenit
Adoleſcens quidam lacrumans: nos mirarier:

Roga-

Rogamus, quid ſit. numquam æque, inquit, ac modo
Paupertas mihi onus viſum eſt & miſerum, & grave.
Modo quamdam vidi virginem hic viciniæ
Miſeram, ſuam matrem lamentari mortuam.
Ea ſita erat exadvorſum: neque illi benevolens,
Neque notus, neque cognatus, extra unam aniculam,
Quiſquam aderat, qui adjutaret funus. miſeritum eſt.
Virgo ipſa facie egregia. quid verbis opu'ſt?
Commorat omnes nos. ibi continuo Antipho,
Voltiſne eamus viſere? alius, Cenſeo,
Eamus, Duc nos ſodes. imus, venimus,
Videmus. virgo pulchra: & quo magi' diceres,
Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem.
Capillus paſſus, nudus pes, ipſa horrida:
Lacrumæ, veſtitus turpis, ut, ni vis boni
In ipſa ineſſet forma, hæc formam extinguerent.
Ille, qui illam amabat fidicinam, Tantummodo,
Satis ſcita, inquit. noſter vero. *Dav.* Jam ſcio:
Amare cœpit. *Get.* Scin' quam? quo evadat, vide.
Poſtridie ad anum recta pergit: obſecrat,
Ut ſibi ejus faciat copiam. illa enim ſe negat:
Neque eum æquom ait facere: illam civem eſſe Atticam,
Bonam, bonis prognatam: ſi uxorem velit,
Lege id licere facere: ſin aliter, negat.
Noſter, quid ageret, neſcire, & illam ducere
Cupiebat, & metuebat abſentem patrem.
Dav. Non, ſi rediſſet, ei pater veniam daret?
Get. Ille indotatam virginem atque ignobilem
Daret illi? numquam faceret. *Dav.* Quid fit denique?
Get. Quid fiat? eſt paraſitus quidam Phormio,
Homo confidens: qui, illum Dii omnes perduint.
Dav. Quid is fecit? *Get.* Hoc conſilium, quod dicam, dedit,
Lex eſt, ut orbæ, qui ſint genere proxumi,
Iis nubant: & illos ducere eadem hæc lex jubet.
Ego te cognatum dicam, & tibi ſcribam dicam:
Paternum amicum me adſimulabo virginis:
Ad judices veniemus, qui fuerit pater,
Quæ mater, qui cognata tibi ſit, omnia hæc
Confingam: quod erit mihi bonum atque commodum,
Cum tu horum nihil refelles, vincam ſcilicet.
Pater aderit: mihi paratæ lites: quid mea?
Illa quidem noſtra erit. *Dav.* Jocularem audaciam!
Get. Perſuaſum eſt homini: factum eſt: ventum eſt: vincimur:
Duxit. *Dav.* Quid narras? *Get.* Hoc, quod audis. *Dav.* O Geta,
Quid te futurum eſt? *Get.* Neſcio hercle. unum hoc ſcio:
QUOD FORS FERET, feremus æquo animo. *Dav.* Placet:
Hem, iſtuc viri eſt officium. *Get.* In me omnis ſpes mihi eſt.
Dav. Laudo. *Get.* Ad precatorem adeam, credo, qui mihi
Sic oret: nunc amitte quæſo hunc: ceterum
Poſthac ſi quidquam, nihil precor. tantummodo
Non addit, ubi ego hinc abiero, vel occidito.
Dav. Quid pædagogus ille, qui cithariſtriam?
Quid rei gerit? *Get.* Sic, tenuiter. *Dav.* Non multum habet
Quod det fortaſſe. *Get.* Immo nihil, niſi ſpem meram.
Dav. Pater ejus rediit, an non? *Get.* Nondum. *Dav.* Quid? ſenem
Quoad expectatis voſtrum? *Get.* Non certum ſcio:
Sed epiſtolam ab eo allatam eſſe audivi modo, &
Ad portitores eſſe delatam: hanc petam.
Dav. Numquid, Geta, aliud me vis? *Get.* Ut bene ſit tibi.
Puer, heus. nemon' huc prodit? cape, da hoc Dorcio.

ACTUS I. SCENA III.

Antipho, Phædria.

ADeon' rem rediſſe, ut, qui mihi conſultum optume velit eſſe,
Phædria, patrem ut extimeſcam, ubi in mentem ejus adventi venit?
Quod ni fuiſſem incogitans, ita eum expectarem, ut par fuit.
Phæ. Quid iſtuc eſt? *Ant.* Rogitas, qui tam audacis facinoris mi conſcius ſis?
Quod utinam ne Phormioni id ſuadere in mentem incidiſſet,
Neu me cupidum eo impuliſſet, quod mihi principium eſt mali.
Non potitus eſſem: fuiſſet tum illos mihi ægre aliquot dies:
At non quotidiana cura hæc angeret animum. *Phæ.* audio.
Ant. Dum exſpecto quam mox veniat, qui hanc mihi adimat conſuetudinem.
Phæ. Aliis, quia deſit quod amant, ægre eſt: tibi, quia ſupereſt, dolet.
Amore abundas, Antipho.
Nam tua quidem hercle certe vita hæc expetenda optandaque eſt.
Ita me Di bene ament; ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui,
Jam depeciſci morte cupio. tu conjicito cetera,
Quid ego ex hac inopia nunc capiam, & quid tu ex iſtac copia:
Ut ne addam, quod ſine ſumtu, ingenuam, liberalem nactus es:
Quod habes, ita ut voluiſti, uxorem ſine mala fama: palam
Beatus, ni unum deſit, animus qui modeſte iſtæc ferat.
Quod ſi tibi res ſit cum eo lenone, quocum mihi eſt, tum ſentias.
Ita plerique ingenio ſumus omnes: NOSTRI NOSMET PŒNITET.
Ant. At tu mihi contra nunc videre fortunatus, Phædria,
Cui de integro eſt poteſtas etiam conſulendi, quid velis;
Retinere, amare, amittere: ego in eum incidi infelix locum,
Ut neque mihi ejus ſit amittendi, nec retinendi copia.
Sed quid hoc eſt? videon' ego Getam currentem huc advenire?
Is eſt ipſus. hei, timeo miſer, quam hic nunc mihi nunciet rem.

ACTUS I. SCENA IV.

Geta, Antipho, Phædria.

NUllus es, Geta, niſi jam aliquod tibi conſilium celere reppereris,

Ita

Ita ſubito nunc imparatum tanta te impendent mala:
Quæ neque uti devitem ſcio, neque quomodo me inde extraham:
Nam non poteſt celari noſtra diutius jam audacia:
Quæ ſi non aſtu providentur, me aut herum peſſumdabunt.
Ant. Quidnam ille commotus venit?
Get. Tum, temporis punctum mihi ad hanc rem eſt: herus adeſt. *Ant.* Quid iſtuc mali eſt?
Get. Quod cum audierit, quod ejus remedium inveniam iracundiæ?
Loquarne? incendam. taceam? inſtigem. purgem me? LATEREM lavem.
Eheu me miſerum! cum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi:
Ejus me miſeret: ei nunc timeo: is nunc me retinet. nam abſque eo eſſet,
Recte ego mihi vidiſſem, & ſenis eſſem ultus iracundiam:
Aliquid convaſaſſem, atque hinc me conjicerem protinam in pedes.
Ant. Quam hic fugam aut furtum parat?
Get. Sed ubi Antiphonem reperiam? aut qua quærere inſiſtam via?
Phæd. Te nominat. *Ant.* Neſcio quod magnum hoc nuncio expecto malum.
Phæd. Ah, ſanu' ne es? *Get.* Domum ire pergam: ibi plurimum eſt. *Phæd.* Revocemus
Hominem. *Ant.* Sta illico. *Get.* Hem!
Satis pro imperio, quiſquis es. *Ant.* Geta. *Get.* Ipſe eſt, quem volui obviam.
Ant. Cedo, quid portas, obſecro? atque id, ſi potes, verbo expedi.
Get. Faciam. *Ant.* Eloquere. *Get.* Modo apud portum. *Ant.* meumne? *Get.* intellexti. *Ant.* Occidi. *Get.* Hem!
Ant. Quid agam? *Phæd.* Quid ais! *Get.* Huju' patrem vidiſſe me, patruum tuum.
Ant. Nam quod ego huic nunc ſubito exitio remedium inveniam miſer?
Quod ſi eo meæ fortunæ redeunt, Phanium, abs te ut diſtrahar,
Nulla eſt mihi vita expetenda. *Get.* Ergo iſtæc cum ita ſint, Antipho,
Tanto magis te advigilare æquom eſt. FORTES FORTUNA adjuvat.
Ant. Non ſum apud me. *Get.* Atqui opus eſt nunc cum maxume ut ſis, Antipho:
Nam ſi ſenſerit te timidum pater eſſe, arbitrabitur
Commeruiſſe culpam. *Phæd.* Hoc verum eſt. *Ant.* Non poſſum immutarier.
Get. Quid faceres, ſi aliud quid gravius tibi nunc faciundum foret?
Ant. Cum hoc non poſſum, illud minu' poſſem. *Get.* Hoc nihil eſt, Phædria: ilicet:
Quid conterimus operam fruſtra? quin abeo. *Phæd.* Et quidem ego. *Ant.* Obſecro,
Quid ſi adſimulo? ſatin' eſt? *Get.* Garris. *Ant.* Voltum contemplamini, hem,
Satine ſic eſt? *Get.* Non. *Ant.* Quid ſi ſic? *Get.* Propemodum. *Ant.* Quid ſi ſic? *Get.* Sat eſt.
Hem iſtuc ſerva, & verbum verbo, par pari ut reſpondeas,
Ne te iratus ſuis ſævidicis dictis protelet. *Ant.* Scio.
Get. Vi coactum te eſſe invitum, lege, judicio: tenes?
Sed quis hic eſt ſenex, quem video in ultima platea? *Ant.* Ipſus eſt.
Non poſſum adeſſe. *Get.* Ah, quid agis? quo abis Antipho?
Mane, inquam. *Ant.* Egomet me novi, & peccatum meum:
Vobis commendo Phanium, & vitam meam.
Phæd. Geta, quid nunc fiet? *Get.* Tu jam lites audies:
Ego plectar pendens, niſi quid me fefellerit.
Sed quod modo hic nos Antiphonem monuimus,
Id noſmetipſos facere oportet, Phædria.
Phæd. Aufer mihi Oportet: quin tu, quid faciam, impera.
Get. Meminiſtin' olim ut fuerit voſtra oratio
In re incipiunda ad defendendam noxiam?
Juſtam illam cauſam, facilem, vincibilem, optumam.
Phæd. Memini. *Get.* Hem, nunc ipſa ea eſt opus, aut, ſi quid poteſt,
Meliore, & callidiore. *Phæd.* Fiet ſedulo.
Get. Nunc prior adito tu: ego in inſidiis hic ero
Succenturiatus, ſi quid deficies. *Phæd.* Age.

ACTUS I. SCENA V.

Demipho, Geta, Phædria.

ITane tandem uxorem duxit Antipho injuſſu meo?
Nec meum imperium, ac mitto imperium, non ſimultatem meam
Revereri ſaltem? non pudere? o facinus audax! o Geta
Monitor! *Get.* Vix tandem. *Dem.* Quid mihi dicent? aut quam cauſam reperient?
Demiror. *Get.* Atqui reperi jam: aliud cura. *Dem.* An hoc dicet mihi?
Invitus feci: lex coegit. audio: fateor. *Get.* Placet.
Dem. Verum ſcientem, tacitum cauſam tradere adverſariis,
Etiamne id lex coegit? *Phæd.* Illud durum. *Get.* Ego expediam: ſine.
Dem. Incertum eſt, quid agam, quia præter ſpem, atque incredibile hoc mihi obtigit.
Ita ſum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum inſtituere.
QUAMOBREM OMNES, cum ſecundæ res ſunt maxume, tum maxume
Meditari ſecum oportet, quo pacto advorſam ærumnam ferant.
Pericla, damna, exſilia peregre rediens ſemper cogitet,
Aut fili peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ:
Communia eſſe hæc; fieri poſſe: ut ne quid animo ſit novom:
Quidquid præter ſpem eveniat, omne id deputare eſſe in lucro.
Get. O Phædria, incredibile eſt, quanto herum anteeo Sapientia.
Meditata mihi ſunt omnia mea incommoda: herus ſi redierit,
Molendum uſque in piſtrino: vapulandum: habendæ compedes:
Opus ruri faciendum. horum nil quidquam accidet animo novom:
Quidquid præter ſpem eveniet, omne id deputabo eſſe in lucro.
Sed quid ceſſas hominem adire, & blande in principio alloqui?
Dem. Phædriam mei fratris video filium mihi ire obviam.

Phæd. Mi patrue, ſalve. *Dem.* Salve. ſed ubi eſt Antipho?
Phæd. Salvom advenire —— *Dem.* Credo: hoc reſponde mihi.
Phæd. Valet: hic eſt. ſed ſatin' omnia ex ſententia?
Dem. Vellem quidem. *Phæd.* Quid iſtuc eſt? *Dem.* Rogitas, Phædria?
Bonas me abſente hic confeciſtis nuptias.
Phæd. Eho, an id ſuccenſes nunc illi? *Get.* Artificem probum!
Dem. Egon' illi non ſuccenſeam? ipſum geſtio
Dari mi in conſpectum, nunc ſua culpa ut ſciat
Lenem patrem illum factum me eſſe acerrimum.
Phæd. Atqui nil fecit, patrue, quod ſuccenſeas.
Dem. Ecce autem ſimilia omnia: omnes congruunt:
Unum cognoris, omnes noris. *Phæd.* Haud ita eſt.
Dem. Hic in noxa eſt; ille ad defendendam cauſam adeſt.
Cum ille eſt, hic præſto eſt: tradunt operas mutuas.
Get. Probe horum facta imprudens depinxit ſenex.
Dem. Nam ni hæc ita eſſent, cum illo haud ſtares, Phædria.
Phæd. Si eſt, patrue, culpam ut Antipho in ſe admiſerit,
Ex qua re minus rei foret aut famæ temperans;
Non cauſam dico, quin, quod meritus ſit, ferat.
Sed ſi quis forte malitia fretus ſua
Inſidias noſtræ fecit adoleſcentiæ,
Ac vicit; noſtran' culpa ea eſt, an JUDICUM?
Qui ſæpe propter invidiam adimunt diviti,
Aut propter miſericordiam addunt pauperi.
Get. Ni noſſem cauſam, crederem vera hunc loqui.
Dem. An quiſquam judex eſt, qui poſſit noſcere
Tua juſta, ubi tute verbum non reſpondeas,
Ita ut ille fecit? *Phæd.* Functus adoleſcentuli eſt
Officium liberalis: poſtquam ad judices
Ventum eſt, non potuit cogitata proloqui:
Ita eum tum timidum ibi obſtupefecit pudor.
Get. Laudo hunc: ſed ceſſo adire quamprimum ſenem?
Here, ſalve: ſalvom te adveniſſe gaudeo. *Dem.* Oh,
Bone cuſtos. ſalve, columen vero familiæ,
Cui commendavi filium hinc abiens meum.
Get. Jamdudum te omnes nos accuſare audio
Immerito, & me horunc' omnium immeritiſſimo.
Nam quid me in hac re facere voluiſti tibi?
Servom hominem cauſam orare leges non ſinunt:
Neque teſtimonii dictio eſt. *Dem.* Mitto omnia.
Addo iſtuc: imprudens timuit adoleſcens: ſino:
Tu ſervos. verum ſi cognata eſt maxume,
Non fuit neceſſe habere; ſed, id quod lex jubet,
Dotem daretis; quæreret alium virum.
Qua ratione inopem potius ducebat domum?
Get. Non ratio, verum argentum deerat. *Dem.* Sumeret
Alicunde. *Get.* Alicunde? nihil eſt dicto facilius.
Dem. Poſtremo, ſi nullo alio pacto, fœnore.
Get. Hui, dixti pulchre, ſiquidem quiſquam crederet
Te vivo. *Dem.* Non, non ſic futurum eſt; non poteſt.
Egone illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?
Nil ſuave meritum eſt. hominem commonſtrarier
Mihi iſtum volo, aut, ubi habitet, demonſtrarier.
Get. Nempe Phormionem. *Dem.* Iſtum patronum mulieris.
Get. Jam faxo hic aderit. *Dem.* Antipho ubi nunc eſt? *Phæd.* Foris.

Dem. Abi, Phædria; eum require, atque adduce huc. *Phæd.* Eo
Recta via quidem illuc. *Get.* Nempe ad Pamphilam. *Dem.* At
Ego Deos penates hinc ſalutatum domum
Devortar. inde ibo ad forum, atque aliquot mihi
Amicos advocabo, ad hanc rem qui adſient,
Ut ne imparatus ſim, ſi adveniat Phormio.

ACTUS SECUNDUS

SCENA I.

Phormio, Geta.

Tane patris ais conſpectum veritum hinc abiiſſe? *Get.* Admodum.
Phor. Phanium relictam ſolam? *Get.* Sic. *Phor.* Et iratum ſenem?
Get. Oppido. *Phor.* Ad te ſumma ſolum, Phormio, rerum redit:
TUTE HOC INTRISTI, tibi omne eſt exedendum: accingere.
Get. Obſecro te. *Phor.* Si rogabit. *Get.* In te ſpes eſt. *Phor.* Eccere,
Quid ſi reddet? *Get.* Tu impuliſti. *Phor.* Sic opinor. *Get.* Subveni.
Phor. Cedo ſenem: jam inſtructa ſunt mihi in corde conſilia omnia.
Get. Quid ages? *Phor.* Quid vis? niſi uti maneat Phanium, atque ex crimine hoc
Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram derivem ſenis?
Get. O vir fortis, atque amicus. verum hoc ſæpe, Phormio,
Vereor, ne ISTÆC FORTITUDO in nervom erumpat denique. *Phor.* Ah,
Non ita eſt: FACTUM EST periclum; jam PEDUM viſa eſt via.
Quot me cenſes homines jam deverberaſſe uſque ad necem
Hoſpites? tum cives? quo magi' novi, tanto ſæpius.
Cedo dum, en umquam injuriarum audiſti mihi ſcriptam dicam?
Get. Qui iſtuc? *Phor.* Quia NON RETE ACCIPITRI tenditur, neque miluo,
Qui male faciunt nobis: illis, qui nil faciunt, tenditur:
Quia enim in illis fructus eſt, in illis opera luditur.
Aliis aliunde eſt periclum, unde aliquid abradi poteſt:
Mihi ſciunt nihil eſſe. dices, Ducent damnatum domum.
Alere nolunt hominem edacem: & ſapiunt mea ſententia,
Pro maleficio ſi beneficium ſummum nolunt reddere.
Get. Non poteſt ſati' pro merito ab illo tibi referri gratia.
Phor. Immo enim nemo ſati' pro merito gratiam regi refert.
Tene aſymbolum venire, unctum, atque lautum e balneis,
Otioſum ab animo; cum ille & cura, & ſumtu abſumitur,
Dum tibi fit, quod placeat; ille ringitur, tu rideas?

Prior bibas, prior decumbas; COENA DUBIA apponitur?
Get. Quid iſtuc verbi eſt? *Phor.* Ubi tu dubites, quid ſumas potiſſimum.
Hæc, cum rationem ineas, quam ſint ſuavia, & quam cara ſint;
Ea qui præbet, non tu hunc habeas plane præſentem Deum?
Get. Senex adeſt, vide quid agas. prima coitio eſt acerrima:
Si eam ſuſtinueris, poſtilla jam, ut lubet, ludas licet.

ACTUS II. SCENA II.

Demipho, Geta, Phormio.

EN umquam cuiquam contumelioſius
Audiſtis factam injuriam, quam hæc eſt mihi?
Adeſte quæſo. *Get.* Iratus eſt. *Phor.* Quin tu hoc age. ſt!
Jam ego hunc agitabo. proh Deum immortalium!
Negat Phanium eſſe hanc ſibi cognatam Demipho?
Hanc Demipho negat eſſe cognatam? *Get.* Negat.
Phor. Neque ejus patrem ſe ſcire, qui fuerit? *Get.* Negat.
Dem. Ipſum eſſe opinor, de quo agebam. ſequimini.
Phor. Nec Stilphonem ipſum ſcire, qui fuerit? *Get.* Negat.
Phor. Quia egens relicta eſt miſera, ignoratur parens,
Neglegitur ipſa. vide, AVARITIA quid facit.
Get. Si herum inſimulabis malitiæ, male audies.
Dem. O audaciam! etiamne ultro accuſatum advenit?
Phor. Nam jam adoleſcenti nihil eſt quod ſuccenſeam,
Si illum minus norat: quippe homo jam grandior,
Pauper, cui opera vita erat, ruri fere
Se continebat: ibi agrum de noſtro patre
Colendum habebat. ſæpe interea mihi ſenex
Narrabat, ſe hunc neglegere cognatum ſuum.
At quem virum? quem ego viderim in vita optumum.
Get. Videas te, atque illum, ut narras. *Phor.* Abi in malam crucem:
Nam ni ita eum exiſtumaſſem, numquam tam graves
Ob hanc inimicitias caperem in voſtram familiam,
Quam is aſpernatur nunc tam inliberaliter.
Get. Pergin' hero abſenti male loqui, impuriſſime?
Phor. Dignum autem hoc illo eſt. *Get.* Ain' tandem, carcer? *Dem.* Geta.
Get. Bonorum extortor, legum contortor. *Dem.* Geta.
Phor. Reſponde. *Get.* Quis homo eſt? hem. *Dem.* Tace. *Get.* Abſenti tibi
Te indignas, ſeque dignas contumelias
Numquam ceſſavit dicere hodie. *Dem.* Ohe, deſine.
Adoleſcens, primum abs te hoc bona venia peto,
Si tibi placere potis eſt, mihi ut reſpondeas:
Quem amicum tuum ais fuiſſe iſtum? explana mihi:
Et qui cognatum me ſibi eſſe diceret.
Phor. Proinde expiſcare, quaſi non noſſes. *Dem.* Noſſem? *Phor.* Ita.
Dem. Ego me nego: tu, qui ais, redige in memoriam.
Phor. Eho, tu ſobrinum tuum non noras? *Dem.* Enecas:
Dic nomen. *Phor.* Nomen? maxume. *Dem.* Quid nunc taces?
Phor. Perii hercle, nomen perdidi. *Dem.* Hem, quid ais? *Phor.* Geta,
Si meminiſti id quod olim dictum eſt, ſubjice. hem,
Non dico: quaſi non noris, tentatum advenis.
Dem. Egon' autem tento? *Get.* Stilpho. *Phor.* Atque adeo, quid mea?
Stilpho eſt. *Dem.* Quem dixti? *Phor.* Stilphonem, inquam, noveras?
Dem. Neque ego illum noram, neque mihi cognatus fuit
Quiſquam iſto nomine. *Phor.* Itane? non te horum pudet?
At ſi talentum rem reliquiſſet decem.....
Dem. Di tibi male faciant. *Phor.* Primus eſſes memoriter
Progeniem voſtram uſque ab avo atque atavo proferens.
Dem. Ita ut dicis, ego tum cum adveniſſem, qui mihi
Cognata ea eſſet, dicerem: itidem tu face.
Cedo, qui eſt cognata? *Get.* Eu noſter, recte. heus tu, cave.
Phor. Dilucide expedivi, quibus me oportuit
Judicibus. tum, id ſi falſum fuerat, filius
Cur non refellit? *Dem.* Filium narras mihi?
Cujus de ſtultitia dici, ut dignum eſt, non poteſt.
Phor. At tu, qui ſapiens es, magiſtratus adi,
Judicium de eadem cauſa iterum ut reddant tibi:
Quandoquidem ſolus regnas, & ſoli licet
Hic de eadem cauſa bis judicium adipiſcier.
Dem. Etſi mihi facta injuria eſt, verumtamen
Potius quam lites ſecter, aut quam te audiam,
Itidem ut cognata ſi ſit, id quod lex jubet
Dotem dare, abduce hanc, minas quinque accipe.
Phor. Ha, ha, hæ, homo ſuavis! *Dem.* Quid eſt? num iniquom poſtulo?
An ne hoc quidem ego adipiſcar, quod jus publicum eſt?
Phor. Itane tandem, quæſo, item ut meretricem, ubi abuſu' ſis,
Mercedem dare lex jubet ei, atque amittere? an,
Ut ne quid turpe civis in ſe admitteret
Propter egeſtatem, proxumo juſſa eſt dari,
Ut cum uno ætatem degeret? quod tu vetas.
Dem. Ita, proxumo quidem: at nos unde? aut quamobrem? *Phor.* Ohe.
ACTUM, ajunt, NE AGAS, *Dem.* Non agam? immo haud deſinam,
Donec perfecero hoc. *Phor.* Ineptis. *Dem.* Sine modo.
Phor. Poſtremo tecum nihil rei nobis, Demipho, eſt:
Tuus eſt damnatus gnatus, non tu: nam tua
Præterierat jam ad ducendum ætas. *Dem.* Omnia hæc
Illum putato, quæ ego nunc dico, dicere:
Aut quidem cum uxore hac ipſum prohibebo domo.
Get. Iratus eſt. *Phor.* Tute idem melius feceris.
Dem. Itane es paratus facere me advorſum omnia,
Infelix? *Phor.* Metuit hic nos, tametſi ſedulo
Diſſimulat. *Get.* Bene habent tibi principia. *Phor.* Quin, quod eſt
Ferundum fers? tuis dignum factis feceris,
Ut amici inter nos ſimus. *Dem.* Egon' tuam expetam
Amicitiam? aut te viſum, aut auditum velim?
Phor. Si concordabis cum illa, habebis, quæ tuam

Senectutem oblectet: reſpice ætatem tuam.
Dem. Te oblectet: tibi habe. *Phor.* Minue vero iram. *Dem.* Hoc age:
Satis jam verborum eſt. niſi tu properas mulierem
Abducere, ego illam ejiciam: dixi, Phormio.
Phor. Si tu illam attigeris ſecus, quam dignum eſt liberam,
Dicam tibi impingam grandem: dixi, Demipho.
Si quid opus fuerit, heus, domo me. *Get.* Intellego.

ACTUS II, SCENA III.

Demipho, Geta, Hegio, Cratinus, Crito.

QUanta me cura, & ſollicitudine afficit
Gnatus, qui me & ſe hiſce impedivit nuptiis?
Neque mi in conſpectum prodit, ut ſaltem ſciam,
Quid de hac re dicat, quidve ſit ſententiæ.
Abi tu, viſe redieritne jam, an nondum, domum.
Get. Eo. *Dem.* Videtis quo in loco res hæc ſiet.
Quid ago? dic, Hegio. *Heg.* Ego? Cratinum cenſeo,
Si tibi videtur. *Dem.* Dic, Cratine. *Crat.* Mene vis?
Dem. Te. *Crat.* Ego, quæ in rem tuam ſint, ea velim facias. mihi
Sic hoc videtur: quod te abſente hic filius
Egit, reſtitui in integrum, æquom eſt & bonum:
Et id impetrabis. dixi. *Dem.* Dic nunc, Hegio.
Heg. Ego ſedulo hunc dixiſſe credo. verum ita eſt,
QUOT HOMINES, tot ſententiæ: ſuus cuique mos.
Mihi non videtur, quod ſit factum legibus,
Reſcindi poſſe: & turpe inceptum eſt. *Dem.* Dic, Crito.
Crit. Ego amplius deliberandum cenſeo:
Res magna eſt. *Heg.* Numquid nos vis? *Dem.* Feciſtis probe:
Incertior ſum multo, quam dudum. *Get.* Negant
Rediſſe. *Dem.* Frater eſt exſpectandus mihi:
Is quod mihi dederit de hac re conſilium, id ſequar.
Percontatum ibo ad portum, quoad ſe recipiat.
Get. At ego Antiphonem quæram, ut, quæ acta hic ſint, ſciat.
Sed eccum ipſum video in tempore huc ſe recipere.

ACTUS TERTIUS

SCENA I.

Antipho, Geta.

ENimvero, Antipho, multimodis cum iſtoc animo es vituperandus:
Itane te hinc abiiſſe, & vitam tuam tutandam aliis dediſſe?
Alios tuam rem credidiſti, magis quam tete, animadverſuros?
Nam, ut ut erant alia, illi certe, quæ nunc tibi domi eſt, conſuleres;
Ne quid propter tuam fidem decepta pateretur mali:
Cujus nunc miſeræ ſpes opeſque ſunt in te uno omnes ſitæ.
Get. Et quidem, here, nos jamdudum hic te abſentem incuſamus, qui abieris.
Ant. Teipſum quærebam. *Get.* Sed ea cauſa nihilo magis defecimus.
Ant. Loquere, obſecro; quonam in loco ſunt res & fortunæ meæ?
Numquid patri ſubolet? *Get.* Nil etiam. *Ant.* Ecquid ſpei porro eſt? *Get.* Neſcio. *Ant.* Ah.
Get. Niſi Phædria haud ceſſavit pro te eniti. *Ant.* Nihil fecit novi.
Get. Tum Phormio itidem hac re, ut in aliis, ſtrenuum hominem præbuit.
Ant. Quid is fecit? *Get.* Confutavit verbis admodum iratum ſenem.
Ant. Eu Phormio. *Get.* Ego, quod potui porro. *Ant.* Mi Geta, omnes vos amo.
Get. Sic habent principia ſeſe, ut dico: adhuc tranquilla res eſt:
Manſuruſque patruum pater eſt, dum huc adveniat. *Ant.* Quid eum? *Get.* Ut ajebat,
De ejus conſilio ſeſe velle facere, quod ad hanc rem attinet.
Ant. Quantus metus eſt mihi, venire huc ſalvom nunc patruum, Geta:
Nam per ejus unam, ut audio, aut vivam aut moriar ſententiam.
Get. Phædria tibi adeſt. *Ant.* Ubinam? *Get.* Eccum ab ſua palæſtra exit foras.

ACTUS III. SCENA II.

Phædria, Dorio, Antipho, Geta.

DOrio, audi obſecro. *Dor.* Non audio. *Phæd.* Parumper. *Dor.* Quin omitte me.
Phæd. Audi quod dicam. *Dor.* At enim tædet jam audire eadem millies.
Phæd. At nunc dicam, quod lubenter audias. *Dor.* Loquere, audio.
Phæd. Nequeo te exorare, ut maneas triduum hoc? quo nunc abis?
Dor. Mirabar, ſi tu mihi quidquam afferres novi.
Ant. Hei, metuo lenonem, ne quid ſuo ſuat capiti. *Get.* Idem ego metuo.
Phæd. Non mihi credis? *Dor.* Hariolare. *Phæd.* Sin fidem do. *Dor.* Fabulæ.
Phæd. Fœneratum iſtuc beneficium pulchre dices. *Dor.* Logi.
Phæd. Crede mihi, gaudebis facto: verum hercle hoc eſt. *Dor.* Somnia.
Phæd. Experire, non eſt longum. *Dor.* CANTILENAM EAMDEM canis.
Phæd. Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu —— *Dor.* Garri modo.
Phæd. Adeon' ingenio eſſe duro te atque inexorabili,
Ut neque miſericordia neque precibus molliri queas?
Dor. Adeon' te eſſe incogitantem atque impudentem, Phædria,
Ut phaleratis dictis ducas me, & meam ductes gratiis?
Ant. Miſeritum eſt. *Phæd.* Hei, veris vincor. *Get.* Quam uterque eſt ſimilis ſui?
Phæd. Neque, Antipho alia cum occupatus eſſet ſollicitudine,
Tum hoc eſſe mihi objectum malum? *Ant.* Ah, quid iſtuc autem eſt, Phædria?
Phæd. O fortunatiſſime Antipho. *Ant.* Egone? *Phæd.* Cui quod amas, domi eſt;
Nec cum hujuſmodi unquam uſus venit ut conflictares malo,

Ant.

Ant. Mihin' domi'ſt? immo id quod ajunt, AURIBUS teneo lupum:
Nam neque, quomodo a me amittam, neque uti retineam, ſcio.
Dor. Ipſum iſtuc mihi in hoc eſt. *Ant.* Heja, ne parum leno ſies.
Numquid hic confecit? *Phæd.* Hiccine? quod homo inhumaniſſimus:
Pamphilam meam vendidit. *Get.* Quid? vendidit? *Ant.* Ain' vendidit?
Phæd. Vendidit. *Dor.* Quam indignum facinus, ancillam ære emtam ſuo!
Phæd. Nequeo exorare, ut me maneat, & cum illo ut mutet fidem,
Triduum hoc, dum id, quod eſt promiſſum, ab amicis argentum aufero.
Si non tum dedero, unam præterea horam ne oppertus ſies.
Dor. Obtunde. *Ant.* Haud longum eſt id quod orat, Dorio: exoret, ſine:
Idem hic tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit.
Dor. Verba iſtæc ſunt. *Ant.* Pamphilamne hac urbe privari ſines?
Tum præterea horunc' amorem diſtrahi poterin' pati?
Dor. Neque ego, neque tu. *Get.* Di tibi omnes id, quod es dignus, duint.
Dor. Ego te complures, advorſum ingenium meum, menſes tuli
Pollicitantem, & nil ferentem, flentem. nunc contra, omnia hæc;
Repperi, qui det, neque lacrumet. da locum melioribus.
Ant. Certe hercle, ego ſi ſatis commemini, tibi quidem eſt olim dies,
Quam ad dares huic, præſtituta. *Phæd.* Factum. *Dor.* Num ego iſtuc nego?
Ant. Jam ea præteriit? *Dor.* Non, verum hæc ei anteceſſit. *Ant.* Non pudet
Vanitatis? *Dor.* Minime, dum ob rem. *Get.* Sterquilinium. *Phæd.* Dorio,
Itane tandem facere oportet? *Dor.* Sic ſum. ſi placeo, utere.
Ant. Siccine hunc decipis? *Dor.* Immo enimvero, Antipho, hic me decipit:
Nam hic me hujuſmodi eſſe ſciebat: ego hunc eſſe aliter credidi.
Iſte me fefellit: ego iſti nihilo ſum aliter, ac fui.
Sed ut ut hæc ſunt, tamen hoc faciam: cras mane argentum mihi
Miles dare ſe dixit: ſi mihi prior tu attuleris, Phædria,
Mea lege utar, ut potior ſit, qui prior ad dandum eſt. vale.

ACTUS III. SCENA III.

Phædria, Antipho, Geta.

QUid faciam? unde ego nunc tam ſubito huic argentum inveniam miſer,
Cui minu' nihilo eſt? quod, hic ſi pote fuiſſet exorarier
Triduum hoc, promiſſum fuerat. *Ant.* Itane hunc patiemur, Geta,
Fieri miſerum; qui me dudum, ut dixti, adjuverit comiter?
Quin, cum opus eſt, beneficium rurſum ei experimur reddere?
Get. Scio equidem hoc eſſe æquom. *Ant.* Age ergo, ſolus ſervare hunc potes.
Get. Quid faciam? *Ant.* Invenias argentum. *Get.* Cupio: ſed, id unde, edoce.
Ant. Pater adeſt hic. *Get.* Scio: ſed quid tum? *Ant.* Ah, DICTUM SAPIENTI ſat eſt.
Get. Itane? *Ant.* Ita. *Get.* Sane hercle pulchre ſuades: etiam tu hinc abis?
Non triumpho, ex nuptiis tuis ſi nil nanciſcor mali,
Ni etiam nunc me hujus cauſa quærere in malo jubeas crucem?
Ant. Verum hic dicit. *Phæd.* Quid? ego vobis, Geta, alienus ſum? *Get.* Haud puto:
Sed parumne eſt, quod omnibus nunc nobis ſuccenſet ſenex,
Ni inſtigemus etiam, ut nullus locu' relinquatur preci?
Phæd. Alius ab oculis meis illam in ignotum abducet locum? hem;
Tum igitur, dum licet, dumque adſum, loquimini mecum, Antipho:
Contemplamini me. *Ant.* Quamobrem? aut quidnam facturus? cedo.
Phæd. Quoquo hinc aſportabitur terrarum, certum eſt perſequi,
Aut perire. *Get.* Dii bene vortant, quod agas: pedetentim tamen.
Ant. Vide, ſi quid opis potes adferre huic. *Get.* Si quid? quid? *Ant.* Quære, obſecro,
Ne quid plus minuſve faxit, quod nos poſt pigeat, Geta.
Get. Quæro: ſalvos eſt, ut opinor. verum enim metuo malum.
Ant. Noli metuere: una tecum bona, mala tolerabimus.
Get. Quantum opus eſt tibi argenti? loquere. *Phæd.* Solæ triginta minæ.
Get. Triginta? hui, percara eſt, Phædria. *Phæd.* Iſtæc vero vilis eſt.
Get. Age, age, inventas reddam. *Phæd.* O lepidum! *Get.* Aufer te hinc. *Phæd.* Jam opus eſt. *Get.* Jam feres.
Sed opus eſt mihi Phormionem ad hanc rem adjutorem dari.
Ant. Præſto eſt: audaciſſime quidvis oneris impone, & feret:
SOLUS EST HOMO amico amicus. *Get.* Eamus ergo ad eum ocius.
Phæd. Abi vero: dic, præſto ut ſit domi.
Ant. Numquid eſt, quod opera mea vobis opu' ſit? *Get.* Nil: verum abi domum, &
Illam miſeram, quam ego nunc intus ſcio eſſe exanimatam metu,
Conſolare. ceſſas? *Ant.* Nihil eſt, æque quod faciam lubens.
Phæd. Qua via iſtuc facies? *Get.* Dicam in itinere: modo te hinc amove.

ACTUS

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

Demipho, Chremes.

QUid? qua profectus cauſa hinc es Lemnum, Chremes,
Adduxtin' tecum filiam? *Chr.* Non. Quid ita non?
Chr. Poſtquam vidit me ejus mater eſſe hic diutius,
Simul autem non manebat ætas virginis
Meam neglegentiam; ipſam cum omni familia
Ad me profectam eſſe ajebant. *Dem.* Quid illic tam diu,
Quæſo, igitur commorabare, ubi id audiveras?
Chr. Pol me detinuit morbus. *Dem.* Unde? aut qui? *Chr.* Rogas?
SENECTUS IPSA eſt morbus. ſed veniſſe eas
Salvas audivi ex nauta, qui illas vexerat.
Dem. Quid gnato obtigerit me abſente, audiſtin' Chreme?
Chr. Quod quidem me factum conſilii incertum facit:
Nam hanc conditionem ſi cui tulero extrario,
Quo pacto, aut unde mihi ſit, dicendum ordine eſt.
Te mihi fidelem eſſe, æque atque egomet ſum mihi,
Sciebam. ille ſi me alienus affinem volet,
Tacebit, dum intercedet familiaritas.
Sin ſpreverit me; plus, quam opus eſt ſcito, ſciet:
Vereorque, ne uxor aliqua hoc reſciſcat mea.
Quod ſi fit, ut me excutiam, atque egrediar domo,
Id reſtat. nam ego meorum ſolus ſum meus.
Dem. Scio ita eſſe, & iſtæc mihi res ſollicitudini eſt:
Neque defetiſcar uſque adeo experirier,
Donec tibi id, quod pollicitus ſum, effecero.

ACTUS IV. SCENA II.

Geta.

EGo hominem callidiorem vidi neminem,
Quam Phormionem. venio ad hominem, ut dicerem
Argentum opus eſſe, & id quo pacto fieret:
Vixdum dimidium dixeram, intellexerat:
Gaudebat: me laudabat: quærebat ſenem:
Dis gratias agebat, tempus ſibi dari,
Ubi Phædriæ ſe oſtenderet nihilo minus
Amicum eſſe, quam Antiphoni. hominem ad forum
Juſſi opperiri: eo me eſſe adducturum ſenem.
Sed eccum ipſum. quis eſt ulterior? at at Phædriæ
Pater venit. ſed quid pertimui autem bellua?
An quia, quos fallam, pro uno duo ſunt mihi dati?
COMMODIUS ESSE opinor duplici ſpe utier.
Petam hinc, unde a primo inſtitui. ſi is dat, ſat eſt.
Si ab eo nil fiet, tum hunc adoriar hoſpitem.

ACTUS IV. SCENA III.

Antipho, Geta, Chremes, Demipho.

EXſpecto, quam mox recipiat ſeſe Geta;
Sed patruum video cum patre adſtantem. hei mihi,
Quam timeo, adventus hujus quo impellat patrem!
Get. Adibo hoſce. o noſter Chremes! *Chr.* Salve, Geta.
Get. Venire ſalvom volupe eſt. *Chr.* Credo. *Get.* Quid agitur?
Chr. Multa advenienti, ut fit, nova hic compluria.
Get. Ita, de Antiphone audiſtin' quæ facta? *Chr.* Omnia.
Get. Tun' dixeras huic? facinus indignum, Chreme,
Sic circumiri. *Dem.* Id cum hoc agebam commodum.
Get. Nam hercle ego quoque id agitans mecum ſedulo,
Inveni, opinor, remedium huic rei. *Dem.* Quid, Geta?
Quod remedium? *Get.* Ut abii abs te, fit forte obviam
Mihi Phormio. *Chr.* Qui Phormio? *Get.* Is, qui iſtam. *Chr.* Scio.
Get. Viſum eſt mihi, ut ejus tentarem ſententiam.
Prendo hominem ſolum: Cur non, inquam, Phormio
Vides, inter vos ſic hæc potius cum bona
Ut componantur gratia, quam cum mala?
Herus liberalis eſt, & fugitans litium:
Nam ceteri quidem hercle amici omnes modo
Uno ore auctores fuere, ut præcipitem hanc daret.
Ant. Quid hic cœptat? aut quo evadet hodie? *Get.* An legibus
Daturum pœnas dices, ſi illam ejecerit?
Jam id exploratum eſt. eia, ſudabis ſatis,
Si cum illo incœptas homine: ea eloquentia eſt.
Verum pone eſſe victum eum: at tandem tamen
Non capitis ejus res agitur, ſed pecuniæ.
Poſtquam hominem his verbis ſentio mollirier,
Soli ſumus nunc hic, inquam: eho, quid vis dari
Tibi in manum, ut herus his deſiſtat litibus,
Hæc hinc faceſſat, tu moleſtus ne ſies?
Ant. Satin' illi Di ſunt propitii? *Get.* Nam ſat ſcio,
Si tu aliquam partem æqui bonique dixeris,
Ut eſt ille bonus vir, tria non commutabitis
Verba hodie inter vos. *Dem.* Quis te iſtæc juſſit loqui?
Chr. Immo non potuit melius pervenirier
Eo, quo nos volumus. *Ant.* Occidi. *Dem.* Perge eloqui.
Get. A primo homo inſanibat. *Dem.* Cedo, quid poſtulat?
Get. Quid? nimium: quantum libuit. *Dem.* Dic. *Get.* Si quis daret
Talentum magnum. *Dem.* Immo malum hercle: ut nil pudet!
Get. Quod dixi adeo ei: quæſo, quid ſi filiam
Suam unicam locaret? parvi retulit
Non ſuſcepiſſe: inventa eſt, quæ dotem petat.
Ut ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias;
Hæc denique ejus fuit poſtrema oratio:
Ego, inquit, jam a principio amici filiam,
Ita ut æquom fuerat, volui uxorem ducere:
Nam mihi veniebat in mentem ejus incommodum,
In ſervitutem pauperem ad ditem dari:
Sed mihi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler,
Aliquantulum quæ afferret, qui diſſolverem
Quæ debeo: & etiam nunc, ſi volt Demipho
Dare, quantum ab hac accipio, quæ ſponſa eſt mihi,
Nullam mihi malim, quam iſtanc, uxorem dari.
Ant. Utrum ſtultitia facere ego hunc an malitia
Dicam, ſcientem, an imprudentem, incertu' ſum.

Dem.

Dem. Quid, ſi animam debet? *Get.* Ager oppoſitu' eſt pignori ob
Decem minas, inquit. *Dem.* Age, age, jam ducat: dabo.
Get. Ædiculæ item ſunt ob decem alias. *Dem.* Hoi, hui,
Nimium eſt. *Chr.* Ne clama: petito haſce a me decem.
Get. Uxori emunda ancillula eſt: tum pluſcula
Supellectile opu' eſt, opus eſt ſumtu ad nuptias.
His rebus pone ſane, inquit, decem minas.
Dem. Sexcentas proinde ſcribito jam mihi dicas:
Nil do. impuratus me ille ut etiam irrideat?
Chr. Quæſo, ego dabo, quieſce. tu modo filius
Fac ut illam ducat, nos quam volumus. *Ant.* Hei mihi!
Geta, occidiſti me tuis fallaciis.
Chr. Mea cauſa ejicitur: me hoc eſt æquom amittere.
Get. Quantum poteſt, me certiorem, inquit, face.
Si illam dant, hanc ut mittam, ne incertus ſiem:
Nam illi mihi dotem jam conſtituerunt dare.
Chr. Jam accipiat: illis repudium renunciet:
Hanc ducat. *Dem.* Quæ quidem illi res vortat male.
Chr. Opportune adeo nunc mecum argentum attuli,
Fructum, quem Lemni uxoris reddunt prædia:
Id ſumam: uxori, tibi opus eſſe, dixero.

ACTUS IV. SCENA IV.

Antipho, Geta.

Geta. *Get.* Hem. *Ant.* Quid egiſti? *Get.* Emunxi argento ſenes.
Ant. Satin' eſt id? *Get.* Neſcio hercle: tantum juſſu' ſum.
Ant. Eho, verbero, aliud mihi reſpondes, ac rogo?
Get. Quid ergo narras? *Ant.* Quid ego narrem? opera tua ad
Reſtim mihi quidem res rediit planiſſume.
Ut te quidem omnes Di, Deæque, ſuperi, inferi
Malis exemplis perdant. hem, ſi quid velis,
Huic mandes, quod quidem recte curatum velis.
Quid minus utibile fuit, quam hoc ulcus tangere,
Aut nominare uxorem? injecta eſt ſpes patri,
Poſſe illam extrudi. cedo nunc porro, Phormio
Dotem ſi accipiet, uxor ducenda eſt domum:
Quid fiet? *Get.* Non enim ducet. *Ant.* Novi: ceterum
Cum argentum repetent, noſtra cauſa ſcilicet
In nervom potius ibit. *Get.* NIHIL EST, Antipho,
Quin male narrando poſſit depravarier.
Tu id, quod boni eſt, excerpis: dicis, quod mali eſt.
Audi nunc contra jam. ſi argentum acceperit,
Ducenda eſt uxor, ut ais: concedo tibi:
Spatium quidem tandem apparandis nuptiis,
Vocandi, ſacrificandi dabitur paululum:
Interea amici, quod polliciti ſunt, dabunt:
Inde iſte reddet. *Ant.* Quamobrem? aut quid dicet? *Get.* Rogas?
Quot res poſt illa monſtra evenerunt mihi?
Introiit in ædes ater alienus canis:
Anguis per impluvium decidit de tegulis:
Gallina cecinit: interdixit hariolus:
Aruſpex vetuit ante brumam aliquid novi
Negoti incipere: quæ cauſa eſt juſtiſſima.
Hæc fient. *Ant.* Ut modo fiant. *Get.* Fient: me vide.
Pater exit. abi, dic, eſſe argentum, Phædriæ.

ACTUS IV. SCENA V.

Demipho, Geta, Chremes.

Quietus eſto, inquam: ego curabo, ne quid verborum duit.
Hoc temere numquam amittam ego a me, quin mihi teſtes adhibeam,
Cum dem: &, quam ob rem dem, commemorabo. *Get.* Ut cautus eſt, ubi nil opu' ſt.
Chr. Atque ita opus eſt facto: at matura, dum libido eadem hæc manet:
Nam ſi altera illa magis inſtabit, forſitan nos reiciat.
Get. Rem ipſam putaſti. *Dem.* Duc me ad eum ergo. *Get.* Non moror. *Chr.* Ubi hoc egeris,
Tranſito ad uxorem meam, ut conveniat hanc prius, quam hinc abit:
Dicat eam dare nos Phormioni nuptum, ne ſuccenſeat;
Et magis eſſe illum idoneum, qui ipſi ſit familiarior;
Nos noſtro officio nihil egreſſos eſſe; quantum is voluerit,
Datum eſſe dotis. *Dem.* Quid tua, malum, id refert? *Chr.* Magni, Demipho.
Dem. Non ſat, tuum officium feciſſe, ſi non id fama approbat?
Chr. Volo ipſius quoque voluntate hoc fieri, ne ſe ejectam prædicet.
Dem. Idem ego iſtuc facere poſſum. *Chr.* Mulier mulieri magi' congruet.
Dem. Rogabo. *Chr.* Ubi illas nunc ego reperire poſſim, cogito.

ACTUS IV. SCENA VI.

Sophrona, Chremes.

Quid agam? quem mihi amicum miſera inveniam? aut cui
Conſilia hæc referam? aut unde mihi auxilium petam?
Nam vereor, hera ne ob meum ſuaſum indigna injuria afficiatur:
Ita patrem adoleſcentis facta hæc tolerare audio violenter.
Chr. Nam quæ hæc anus eſt exanimata, a fratre quæ egreſſa eſt meo?
Soph. Quod ut facerem, egeſtas me impulit; cum ſcirem infirmas nuptias
Haſce eſſe; ut id conſulerem, interea vita ut in tuto foret.
Chr. Certe edepol, niſi me animus fallit, aut parum proſpiciunt oculi,
Meæ nutricem gnatæ video. *Soph.* Neque ille inveſtigatur. *Chr.* Quid ago?
Soph. Qui eſt pater ejus? *Chr.* Adeon', an maneo, dum ea, quæ loquitur, magis cognoſco?
Soph. Quod ſi eum nunc reperire poſſim, nihil eſt, quod verear. *Chr.* Ea ipſa eſt.
Conloquar. *Soph.* Quis hic loquitur? *Chr.* Sophrona. *Soph.* Et meum nomen nominat?

Chr. Concede hinc a foribus paululum iſtorſum ſodes, Sophrona.
Ne me iſtoc poſthac nomine appellaſſis. *Soph.* Quid? non, obſecro, es,
Quem ſemper te eſſe dictitaſti? *Chr.* ſt. *Soph.* Quid has metuis fores?
Chr. Concluſam hic habeo uxorem ſævam. verum iſtoc de nomine
Eo perperam olim dixi, ne vos forte imprudentes foris
Effutiretis, atque id porro aliqua uxor mea reſciſceret.
Soph. Iſtoc pol nos te hic invenire miſeræ numquam potuimus.
Chr. Eho, dic mihi, quid rei tibi eſt cum familia hac unde exis? aut
Ubi illæ ſunt? *Soph.* Miſeram me! *Chr.* Hem, quid eſt? vivuntne? *Soph.* Vivit gnata.
Matrem ipſam ex ægritudine miſeram mors conſecuta eſt.
Chr. Male factum. *Soph.* Ego autem, quæ eſſem anus deſerta, egens, ignota,
Ut potui, nuptum virginem locavi huic adoleſcenti,
Harum qui eſt dominus ædium. *Chr.* Antiphonine? *Soph.* Hem, iſti ipſi. *Chr.* Quid?
Duaſne is uxores habet? *Soph.* Au, obſecro, unam ille quidem hanc ſolam.
Chr. Quid illam alteram, quæ dicitur cognata? *Soph.* Hæc ergo eſt. *Chr.* Quid ais?
Soph. Compoſito eſt factum, quo modo hanc amans habere poſſet
Sine dote. *Chr.* Dii voſtram fidem! quam ſæpe forte temere
Eveniunt, quæ non audeas optare! offendi adveniens,
Quicum volebam, atque ut volebam, conlocatam filiam.
Quod nos ambo opere maxumo dabamus operam, ut fieret,
Sine noſtra cura maxuma, ſua cura hæc ſola fecit.
Soph. Nunc quid opus facto ſit, vide. pater adoleſcentis venit;
Eumque animo iniquo hoc oppido ferre ajunt. *Chr.* Nihil pericli eſt.
Sed per Deos atque homines, meam eſſe hanc, cave reſciſcat quiſquam.
Soph. Nemo ex me ſcibit. *Chr.* Sequere me: intus cetera audies.

ACTUS QUINTUS

SCENA I.

Demipho, Geta.

Noſtrapte culpa facimus, ut malis expediat eſſe,
Dum nimium dici nos bonos ſtudemus & benignos.
Ita fugias, NE PRÆTER CASAM, quod ajunt. nonne id ſat erat,
Accipere ab illo injuriam? etiam argentum eſt ultro objectum,
Ut ſit qui vivat, dum aliquid flagitii conficiat.
Get. Planiſſime. *Dem.* HIS NUNC PRÆMIUM eſt, qui recta prava faciunt.
Get. Veriſſime. *Dem.* Ut ſtultiſſime quidem illi rem geſſerimus.
Get. Modo ut hoc conſilio poſſiet diſcedi, ut iſtam ducat.
Dem. Etiamne id dubium eſt? *Get.* Haud ſcio hercle, ut homo eſt, an mutet animum.
Dem. Hem, mutet autem? *Get.* Neſcio: verum, ſi forte, dico.
Dem. Ita faciam, ut frater cenſuit; ut uxorem ejus huc adducam,
Cum iſta ut loquatur. tu Geta, abi: prænuncia hanc venturam.
Get. Argentum inventum eſt Phædriæ: de jurgio ſiletur:
Proviſum eſt, ne in præſentia hæc hinc abeat: quid nunc porro?
Quid fiet? IN EODEM LUTO hæſitas: vorſuram ſolves,
Geta: præſens quod fuerat malum, in diem abiit. plagæ creſcunt,
Niſi proſpicis. nunc hinc domum ibo, ac Phanium edocebo,
Ne quid vereatur Phormionem, aut ejus orationem.

ACTUS V. SCENA II.

Demipho, Nauſiſtrata, Chremes.

Agedum, ut ſoles, Nauſiſtrata, fac illa ut placetur nobis;
Ut ſua voluntate id, quod eſt faciundum, faciat. *Nauſ.* Faciam.
Dem. Pariter nunc opera me adjuves, ac re dudum opitulata es.
Nauſ. Factum volo: ac pol minu' queo viri culpa, quam me dignum eſt.
Dem. Quid autem? *Nauſ.* Quia pol mei patris bene parta indiligenter
Tutatur: nam ex his prædiis talenta argenti bina
Statim capiebat. vir viro quid præſtat! *Dem.* Bina quæſo?
Nauſ. Ac rebus vilioribu' multo, tamen duo talenta. *Dem.* Hui!
Nauſ. Quid hæc videntur? *Dem.* Scilicet. *Nauſ.* Virum me natam vellem:
Ego oſtenderem. *Dem.* Certo ſcio. *Nauſ.* Quo pacto.... *Dem.* Parce ſodes,
Ut poſſis cum illa; ne te adoleſcens mulier defetiget.
Nauſ. Faciam, ut jubes: ſed meum virum abs te exire video. *Chr.* Hem, Demipho,
Jam illi datum eſt argentum? *Dem.* Curavi illico. *Chr.* Nollem datum.
Hei, video uxorem: pene plus, quam ſat erat. *Dem.* Cur nolles, Chreme?
Chr. Jam recte. *Dem.* Quid tu? ecquid locutus cum iſta es, quamobrem hanc ducimus?
Chr. Tranſegi. *Dem.* Quid ait tandem? *Chr.* Abduci non poteſt. *Dem.* Qui non poteſt?
Chr. Quia uterque utrique eſt cordi. *Dem.* Quid iſtuc noſtra? *Chr.* Magni. præter hæc,
Cognatam comperi eſſe nobis. *Dem.* Quid? deliras? *Chr.* Sic erit:
Non temere dico: redi mecum in memoriam. *Dem.* Sati' ne ſanus es?

Nauſ. Au, obſecro, cave, ne in cognatam pecces. *Dem.* Non eſt. *Chr.* Ne nega:
Patris nomen aliud dictum eſt: hoc tu erraſti. *Dem.* Non norat patrem?
Chr. Norat. *Dem.* Cur aliud dixit? *Chr.* Numquamne hodie concedes mihi?
Neque intellegis? *Dem.* Si tu nil narras? *Chr.* Perdis. *Nauſ.* Miror quid hoc fiet.
Dem. Equidem hercle neſcio. *Chr.* Vin' ſcire? at ita me ſervet Juppiter,
Ut propior illi, quam ego ſum, ac tu, homo nemo eſt. *Dem.* Dii voſtram fidem!
Eamus ad ipſam una omnes nos: aut ſcire, aut neſcire hoc volo. *Chr.* Ah.
Dem. Quid eſt? *Chr.* Itane parum mihi fidem eſſe apud te? *Dem.* Vin' me hoc credere?
Vin' ſatis quæſitum mihi iſtuc eſſe? age, fiat. quid? illa filia
Amici noſtri quid futurum eſt? *Chr.* Recte. *Dem.* Hanc igitur mittimus?
Chr. Quidni? *Dem.* Illa maneat? *Chr.* Sic. *Dem.* Ire igitur tibi licet, Nauſiſtrata.
Nauſ. Sic pol commodius eſſe in omnes arbitror, quam ut cæperas,
Manere hanc: nam perliberalis viſa eſt, cum vidi, mihi.
Dem. Quid iſtuc negoti eſt? *Chr.* Jamne operuit oſtium? *Dem.* Jam. *Chr.* O Jupiter,
Di nos reſpiciunt: gnatam inveni nuptam cum tuo filio. *Dem.* Hem,
Quo pacto id potuit? *Chr.* Non ſatis tutus eſt ad narrandum hic locus.
Dem. At tu intro abi. *Chr.* Heus, ne filii quidem noſtri hoc reſciſcant, volo.

ACTUS V. SCENA III.

Antipho.

LÆtu' ſum, ut ut meæ res ſeſe habent, fratri obtigiſſe quod volt.
Quam ſcitum eſt, ejuſmodi parare in animo cupiditates,
Quas, cum res advorſæ ſient, paulo mederi poſſis.
Hic ſimul argentum repperit, cura ſeſe expedivit:
Ego nullo poſſum remedio me evolvere ex his turbis,
Quin, ſi hoc celetur, in metu; ſin patefit, in probro ſim.
Neque me domum nunc reciperem, ni mihi eſſet ſpes oſtenta
Hujuſce habendæ. ſed ubinam Getam invenire poſſum, ut
Rogem, quod tempus conveniundi patris me capere jubeat?

ACTUS V. SCENA IV.

Phormio, Antipho.

ARgentum accepi, tradidi lenoni: abduxi mulierem:
Curavi, propria ea Phædria ut poteretur: nam emiſſa eſt manu.
Nunc una mihi res etiam reſtat, quæ eſt conficiunda, otium
A ſenibus ad potandum ut habeam: nam aliquot hos ſumam dies.
Ant. Sed Phormio eſt. quid ais? *Phor.* Quid? *Ant.* Quidnam nunc facturus Phædria?
Quo pacto ſatietatem amoris ait ſe velle abſumere?
Phor. Viciſſim partes tuas acturus eſt. *Ant.* Quas? *Phor.* Ut fugitet patrem:
Te ſuas rogavit rurſum ut ageres; cauſam ut pro ſe diceres:
Nam potaturus eſt apud me: ego me ire ſenibus Sunium
Dicam ad mercatum, ancillulam emtum, dudum quam dixit Geta;
Ne, cum hic non videant me, conficere credant argentum ſuum.
Sed oſtium concrepuit abs te. *Ant.* Vide, qui egrediatur. *Phor.* Geta eſt.

ACTUS V. SCENA V.

Geta, Antipho, Phormio.

O Fortuna, o Fors Fortuna, quantis commoditatibus,
Quam ſubito meo hero Antiphoni ope veſtra hunc oneraſtis diem?
Phor. Quidnam hic ſibi volt? *Get.* Noſque amicos ejus exoneraſtis metu?
Sed ego nunc ceſſo, qui non humerum hunc onero pallio;
Atque hominem propero invenire, ut hæc, quæ contigerint, ſciat?
Ant. Num tu intelligis, hic quid narret? *Phor.* Num tu? *Ant.* Nil. *Phor.* Tantumdem ego.
Get. Ad lenonem hinc ire pergam: ibi nunc ſunt. *Ant.* Heus, Geta. *Get.* Hem tibi.
Num mirum, aut novom eſt, revocari, curſum cum inſtitueris? *Ant.* Geta.
Get. Pergis hercle: numquam tu odio tuo me vinces. *Ant.* Non manes?
Get. Vapula. *Ant.* Id quidem tibi jam fiet, niſi reſiſtis, verbero.
Get. Familiariorem oportet eſſe hunc: minitatur malum.
Sed iſne eſt, quem quæro, an non? ipſe eſt. *Phor.* Congredere actutum. *Ant.* Quid eſt?
Get. O omnium, quantum eſt, qui vivont, homo hominum ornatiſſime:
Nam ſine controverſia ab Diis ſolus diligere, Antipho.
Ant. Ita velim: ſed qui iſtuc credam ita eſſe, mihi dici velim.
Get. Satin' eſt, ſi te delibutum gaudio reddo? *Ant.* Enecas.
Phor. Quin tu hinc pollicitationes aufer, & quod fers, cedo. *Get.* Oh,
Tu quoque hic aderas, Phormio? *Phor.* Aderam: ſed ceſſas? *Get.* Accipe, hem.
Ut modo argentum tibi dedimus apud forum, recta domum
Sumus profecti: interea mittit herus me ad uxorem tuam.
Ant. Quamobrem? *Get.* Omitto proloqui: nam nihil ad hanc rem eſt, Antipho.
Ubi in gynæceum ire occipio, puer ad me accurrit Mida:

Pone apprehendit pallio, reſupinat: reſpicio: rogo,
Quamobrem retineat me: ait eſſe vetitum intro ad heram accedere:
Sophrona modo fratrem huc, inquit, ſenis introduxit Chremem,
Eumque nunc eſſe intus cum illis. hoc ubi ego audivi, ad fores
Suſpenſo gradu placide ire perrexi: acceſſi: aſtiti:
Animam compreſſi: aurem admovi: ita animum cœpi attendere,
Hoc modo ſermonem captans. *Ant.* Eu, Geta. *Get.* hic pulcherrimum
Facinus audivi: itaque pene hercle exclamavi gaudio.
Phor. Quod? *Get.* Quodnam arbitrare? *Ant.* Neſcio. *Get.* Atqui mirificiſſimum:
Patruus tuus eſt pater inventus Phanio uxori tuæ. *Ant.* Hem,
Quid ais? *Get.* Cum ejus olim conſuevit matre in Lemno clanculum.
Phor. Somnium! utin' hæc ignoraret ſuum patrem? *Get.* Aliquid credito,
Phormio, eſſe cauſæ. ſed me cenſen' potuiſſe omnia
Intellegere extra oſtium, intus quæ inter ſeſe ipſi egerint?
Phor. Atque hercle ego quoque illam audivi fabulam. *Get.* Immo etiam dabo,
Quo magi' credas. patruus interea inde huc egreditur foras:
Haud multo poſt cum patre idem recipit ſe intro denuo:
Ait uterque tibi poteſtatem ejus habendæ ſe dare:
Denique ego miſſus ſum, te ut requirerem, atque adducerem.
Ant. Hem, quin ergo rape me: ceſſas? *Get.* Fecero. *Ant.* O mi Phormio,
Vale. *Phor.* Vale, Antipho. Bene, ita me Dii ament, factum: gaudeo,
Tantam fortunam de improviſo eſſe his datam:
Summa eludendi occaſio eſt mihi nunc ſenes,
Et Phædriæ curam adimere argentariam,
Ne cuiquam ſuorum æqualium ſupplex ſiet.
Nam idem hoc argentum, ita ut datum eſt ingratiis,
Ei datum erit: hoc qui cogam, re ipſa repperi.
Nunc geſtus mihi voltuſque eſt capiundus novos.
Sed hinc concedam in angiportum hunc proxumum:
Inde hiſce oſtendam me, ubi erunt egreſſi foras.
Quo me adſimularam ire ad mercatum, non eo.

ACTUS V. SCENA VI.

Demipho, Phormio, Chremes.

Diis magnas merito gratias habeo, atque ago,
Quando evenere hæc nobis, frater, proſpere.
Quantum poteſt, nunc conveniendus Phormio eſt,
Priuſquam dilapidet noſtras triginta minas,
Ut auferamus. *Phor.* Demiphonem, ſi domi eſt,
Viſam: ut quod —— *Dem.* At nos ad te ibamus, Phormio.
Phor. De eadem hac fortaſſe cauſa. *Dem.* Ita hercle. *Phor.* Credidi.
Quid ad me ibatis? ridiculum: an veremini,
Ne non id facerem, quod recipiſſem ſemel?
Heus, quanta quanta hæc mea paupertas eſt, tamen
Adhuc curavi unum hoc quidem, ut mi eſſet fides.
Chr. Eſtne ea ita, ut dixi, liberalis? *Dem.* Oppido.
Phor. Itaque ad vos venio nunciatum, Demipho,
Paratum me eſſe: ubi voltis, uxorem date.
Nam omnes poſthabui mihi res, ita uti par fuit,
Poſtquam tantopere id vos velle animum advorteram.
Dem. At hic dehortatus eſt me, ne illam tibi darem:
Nam qui erit rumor populi, inquit, ſi id feceris?
Olim cum honeſte potuit, tum non eſt data:
Nunc viduam extrudi, turpe eſt: ferme eadem omnia,
Quæ tute dudum coram me incuſaveras.
Phor. Satis ſuperbe inludiſis me. *Dem.* Qui? *Phor.* Rogas?
Quia ne alteram quidem illam potero ducere.
Nam quo redibo ore ad eam, quam contemſerim?
Chr. Tum autem Antiphonem video ab ſeſe amittere
Invitum eam, inque. *Dem.* Tum autem video filium
Invitum ſane mulierem ab ſe amittere.
Sed tranſi ſodes ad forum, atque illud mihi
Argentum rurſum jube reſcribi, Phormio.
Phor. Quodne ego deſcripſi porro illis, quibu' debui?
Dem. Quid igitur fiet? *Phor.* Si vis mihi uxorem dare,
Quam deſpondiſti, ducam: ſin eſt, ut velis
Manere illam apud te, dos hic maneat, Demipho;
Nam non eſt æquom me propter vos decipi;
Cum ego veſtri honoris cauſa repudium alteræ
Remiſerim, quæ dotis tantumdem dabat.
Dem. I in malam rem hinc cum iſtac magnificentia,
Fugitive: etiam nunc credis te ignorarier,
Aut tua facta adeo? *Phor.* Irritor. *Dem.* Tune hanc duceres,
Si tibi daretur? *Phor.* Fac periclum. *Dem.* Ut filius
Cum illa habitet apud te, hoc voſtrum conſilium fuit.
Phor. Quæſo, quid narras? *Dem.* Quin tu mihi argentum cedo.
Phor. Immo vero uxorem tu cedo. *Dem.* In jus ambula.
Phor. In jus? enimvero, ſi porro eſſe odioſi pergitis;
Dem. Quid facies? *Phor.* Egone? vos me indotatis modo
Patrocinari fortaſſe arbitramini:
Etiam dotatis ſoleo. *Chr.* Quid id noſtra? *Phor.* Nihil.
Hic quamdam noram, cujus vir uxorem, *Chr.* Hem. *Dem.* Quid eſt?
Phor. Lemni habuit aliam: *Chr.* Nullus ſum. *Phor.* Ex qua filiam
Suſcepit: & eam clam educit. *Chr.* Sepultu' ſum.
Phor. Hæc adeo ego illi jam denarrabo. *Chr.* Obſecro,
Ne facias. *Phor.* Oh, tun' is eras? *Dem.* Ut ludos facit!
Chr. Miſſum te facimus. *Phor.* Fabulæ. *Chr.* Quid vis tibi?
Argentum quod habes, condonamus te. *Phor.* Audio:
Quid vos, malum, ergo me ſic ludificamini
Inepti voſtra puerili ſententia?
Nolo, volo: volo, nolo rurſum: cape, cedo:
Quod dictum, indictum eſt: quod modo erat ratum, irritum eſt.
Chr. Quo pacto, aut unde hæc hic reſcivit? *Dem.* Neſcio;
Niſi, me dixiſſe nemini, certo ſcio.
Chr. Monſtri, ita me Dii ament, ſimile. *Phor.* Injeci ſcrupulum. *Dem.* Hem,

Hiccine ut a nobis hoc tantum argenti auferat,
Tam aperte irridens? emori hercle ſatius eſt.
Animo virili præſentique ut ſis, para.
Vides peccatum tuum eſſe elatum foras,
Neque jam id celare poſſe te uxorem tuam:
Nunc quod ipſa ex aliis auditura ſit, Chreme,
Id noſmet indicare placabilius eſt.
Tum hunc impuratum poterimus noſtro modo
Ulciſci. *Phor.* At at, niſi mihi proſpicio, hæreo:
Hi gladiatorio animo ad me affectant viam.
Chr. At vereor, ut placari poſſit. *Dem.* Bono animo es:
Ego redigam vos in gratiam; hoc fretus, Chreme,
Cum e medio exceſſit, unde hæc ſuſcepta eſt tibi.
Phor. Itane agitis mecum? ſatis aſtute aggredimini.
Non hercle ex re iſtiu' me inſtigaſti, Demipho.
Ain' tu? ubi quæ libitum fuerit peregre feceris,
Neque hujus ſis veritus feminæ primariæ,
Quin novo modo ei faceres contumeliam;
Venias nunc precibus lautum peccatum tuum?
Hiſce ego illam dictis ita tibi incenſam dabo,
Ut ne reſtinguas, lacrumis ſi exſtillaveris.
Dem. Malum, quod iſti Di, Deæque omnes duint.
Tantane affectum quemquam eſſe hominem audacia?
Non hoc publicitus ſcelus hinc deportarier
In ſolas terras? *Chr.* In id redactus ſum loci,
Ut quid agam cum illo, neſciam prorſum. *Dem.* Ego ſcio.
In jus eamus. *Phor.* In jus? huc, ſi quid lubet.
Dem. Aſſequere, retine, dum huc ego ſervos evoco.
Chr. Enim ſolus nequeo: accurre. *Phor.* Una injuria eſt
Tecum. *Chr.* Lege agito ergo. *Phor.* Altera eſt tecum, Chreme.
Dem. Rape hunc. *Phor.* Sic agitis? enimvero voce eſt opus.
Nauſiſtrata, exi. *Chr.* Os opprime. *Dem.* Impurum vide,
Quantum valet. *Phor.* Nauſiſtrata, inquam. *Chr.* Non taces?
Phor. Taceam? *Dem.* Niſi ſequitur, pugnos in ventrem ingere,
Vel oculum exclude. *Phor.* Eſt ubi vos ulciſcar probe.

ACTUS V. SCENA VII.

Nauſiſtrata, Chremes, Phormio, Demipho.

QUi nominat me? *Dem.* Hem. *Nauſ.* Quid iſtuc turbæ eſt, obſecro,
Mi vir? *Phor.* Hem, quid nunc obſtupuiſti? *Nauſ.* Quis hic homo eſt?
Non mihi reſpondes? *Phor.* Hiccine ut tibi reſpondeat?
Qui hercle, ubi ſit, neſcit. *Chr.* Cave iſti quidquam creduas.
Phor. Abi: tange: ſi non totus friget, me eneca.
Chr. Nihil eſt. *Nauſ.* Quid ergo? quid iſtic narrat? *Phor.* Jam ſcies:
Auſculta. *Chr.* Pergin' credere? *Nauſ.* Quid ego, obſecro,
Huic credam, qui nihil dixit? *Phor.* Delirat miſer
Timore. *Nauſ.* Non pol temere eſt, quod tu tam times.
Chr. Egon' timeo? *Phor.* Recte ſane: quando nihil times,
Et hoc nihil eſt, quod dico ego, tu narra. *Dem.* Scelus,
Tibi narret? *Phor.* Eho tu: factum eſt abs te ſedulo
Pro fratre. *Nauſ.* Mi vir, non mihi narras. *Chr.* At. *Nauſ.* Quid at?
Chr. Non opus eſt dicto. *Phor.* Tibi quidem: at ſcito huic opu' ſt.
In Lemno. *Chr.* Hem, quid ais? *Dem.* Non taces? *Phor.* Clam te. *Dem.* Hei mihi!
Phor. Uxorem duxit. *Nauſ.* Mi homo, Dii melius duint.
Phor. Sic factum eſt. *Nauſ.* Perii miſera. *Phor.* Et inde filiam
Suſcepit jam unam, dum tu dormis. *Chr.* Quid agimus?
Nauſ. Proh Di immortales, facinus indignum & malum!
Phor. Hoc actum eſt. *Nauſ.* An quidquam hodie eſt factum indignius?
Qui mi, ubi ad uxores ventum eſt, tum fiunt ſenes.
Demipho, te appello: nam me cum hoc ipſo diſtædet loqui.
Hæccine erant itiones crebræ, & manſiones diutinæ
Lemni? hæccine erat ea, quæ noſtros fructus minuebat, vilitas?
Dem. Ego, Nauſiſtrata, eſſe in hac re culpam meritum non nego,
Sed ea quin ſit ignoſcenda. *Phor.* VERBA FIUNT mortuo.
Dem. Nam neque neglegentia tua, neque odio id fecit tuo.
Vinolentus fere abhinc annos quindecim mulierculam
Eam compreſſit, unde hæc nata eſt, neque poſtilla umquam attigit.
Ea mortem obiit: e medio abiit: qui fuit in re hac ſcrupulus.
Quamobrem te oro, ut alia facta tua ſunt, æquo animo hoc feras.
Nauſ. Quid ego æquo animo? cupio miſera in hac re jam defungier.
Sed quid ſperem? ætate porro minu' peccaturum putem?
Iam tum erat ſenex, ſenectus ſi verecundos facit.
An mea forma atque ætas nunc magis expetenda eſt, Demipho?
Quid mihi hic affers, quamobrem exſpectem, aut ſperem porro non fore?
Phor. Exſequias Chremeti, quibus eſt commodum ire, hem tempus eſt.
Sic dabo: age nunc, Phormionem, qui volet, laceſſito:
Faxo tali eum mactatum, atque hic eſt, infortunio.
Redeat ſane in gratiam: jam ſupplicii ſatis eſt mihi:
Habet hæc, ei quod, dum vivat, uſque ad aurem obganniat.
Nauſ. At meo merito, credo. quid ego nunc ea commemorem, Demipho,
Singillatim, qualis ego in hunc fuerim? *Dem.* Novi æque omnia
Tecum. *Nauſ.* Merito hoc meo videtur factum? *Dem.* Minime gentium:
Verum, quando jam accuſando fieri infectum non poteſt,
Ignoſce: orat, confitetur, purgat: quid vis amplius?
Phor. Enimvero, priuſquam hæc dat veniam, mihi proſpiciam & Phædriæ.

Heus, Nauſiſtrata; priuſquam huic reſpondes temere, audi. *Nauſ.* Quid eſt?
Phor. Ego minas triginta ab iſto per fallaciam abſtuli:
Eas dedi tuo gnato: is pro ſua amica lenoni dedit.
Chr. Hem, quid ais? *Nauſ.* Adeon' indignum tibi videtur, filius
Homo adoleſcens unam ſi habet amicam, tu uxores duas?
Nil pudere? quo ore illum objurgabis? reſponde mihi.
Dem. Faciet, ut voles. *Nauſ.* Immo, ut meam jam ſcias ſententiam,
Neque ego ignoſco, neque promitto quidquam, neque reſpondeo,
Priuſquam gnatum videro. ejus judicio permitto omnia:
Quod is jubebit, faciam. *Phor.* Mulier ſapiens es, Nauſiſtrata.
Nauſ. Satin' tibi eſt? *Phor.* Immo vero pulchre diſcedo, & probe,
Et præter ſpem. *Nauſ.* Tu tuum nomen dic quod eſt. *Phor.* Min'? Phormio,
Veſtræ familiæ hercle amicus, & tuo ſummus Phædriæ.
Nauſ. Phormio, at ego ecaſtor poſthac tibi, quod potero, & quæ voles,
Faciamque & dicam. *Phor.* Benigne dicis. *Nauſ.* Pol meritum eſt tuum.
Phor. Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nauſiſtrata,
Et quod tuo viro oculi doleant? *Nauſ.* Cupio. *Phor.* Me ad cœnam voca.
Nauſ. Pol vero voco. *Dem.* Eamus intro hinc. *Nauſ.* Fiat. ſed ubi eſt Phædria
Judex noſter? *Phor.* Jam hic faxo aderit. Vos valete, & plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

HECYRA.

ACTA LUDIS ROMANIS, SEX. JULIO CÆS. CN. CORNELIO DOLABELLA, ÆDIL. CUR. NON EST PERACTA TOTA. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDII, TIBIIS PARIB. CN. OCTAVIO, T. MANLIO COSS. RELATA EST ITERUM LUDIS FUNEBRIBUS. RELATA EST TERTIO, Q. FULVIO, L. MARCIO ÆDILIBUS CURULIBUS.

PERSONÆ.

PROLOGUS.

PHILOTIS *meretrix.*
SYRA *anus.*
PARMENO *ſervus.*
LACHES *ſenex.*
SOSTRATA *mulier.*
PHIDIPPUS *ſenex.*
PAMPHILUS *adoleſcens.*
MYRRHINA *mulier.*
SOSIA *ſervus.*
BACCHIS *meretrix.*

PERSONÆ MUTÆ.

PHILUMENA.
SCIRTUS *puer.*
NUTRIX.
ANCILLÆ *Bacchidis.*

ARGUMENTUM.

C. SULPICIO APOLLINARI AUCTORE.

Uxorem duxit Pamphilus Philumenam,
Cui quondam ignorans virgini vitium obtulit:
Ejuſque, per vim quem detraxit, annulum
Dederat amicæ Bacchidi meretriculæ:
Dein profectus in Imbrum eſt: nuptam haud attigit.
Hanc mater utero gravidam, ne id ſciat ſocrus,
Ut ægram ad ſeſe transfert. revenit Pamphilus:
Deprehendit partum: celat: uxorem tamen
Recipere non volt. Pater incuſat Bacchidis
Amorem. dum ſe purgat Bacchis, annulum
Mater vitiatæ forte agnoſcit Myrrhina.
Uxorem recipit Pamphilus cum filio.

PROLOGUS.

HEcyra eſt huic nomen fabulæ. hæc cum data
Eſt nova, novom intervenit vitium & calamitas,
Ut neque ſpectari, neque cognoſci potuerit:
Ita populus ſtudio ſtupidus in funambulo
Animum occuparat. nunc hæc plane eſt pro nova:
Et is, qui ſcripſit hanc, ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum poſſit vendere.
Alias cognoſtis ejus: quæſo, hanc noſcite.

ALTER PROLOGUS.

ORator ad vos venio ornatu prologi:
Sinite exorator ſim, eodem ut jure uti ſenem
Liceat, quo jure ſum uſus adoleſcentior,
Novas qui exactas feci ut inveteraſcerent,
Ne cum poeta ſcriptura evaneſceret.
In his, quas primum Cæcili didici novas,
Partim ſum earum exactus, partim vix ſteti.
Quia ſcibam dubiam fortunam eſſe ſcenicam,
Spe incerta, certum mihi laborem ſuſtuli.
Eaſdem agere cœpi, ut ab eodem alias diſcerem
Novas ſtudioſe, ne illum ab ſtudio abducerem.
Perfeci, ut ſpectarentur: ubi ſunt cognitæ,

Placitæ

Placitæ ſunt. ita poetam reſtitui in locum,
Prope jam remotum, injuria adverſarium,
Ab ſtudio, atque ab labore, atque arte muſica.
Quod ſi ſcripturam ſpreviſſem in præſentia, &
In deterrendo voluiſſem operam ſumere,
Ut in otio eſſet, potius quam in negotio;
Deterruiſſem facile, ne alias ſcriberet.
Nunc quid petam, mea cauſa, æquo animo attendite.
Hecyram ad vos refero, quam mihi per ſilentium
Numquam agere licitum eſt, ita eam oppreſſit calamitas.
Eam calamitatem voſtra intellegentia
Sedabit, ſi erit adjutrix noſtræ induſtriæ.
Cum primum eam agere cœpi, pugilum gloria,
Funambuli eodem acceſſit exſpectatio;
Comitum conventus, ſtrepitus, clamor mulierum
Fecere, ut ante tempus exirem foras.
Vetere in nova cœpi uti conſuetudine,
In experiundo ut eſſem. refero denuo;
Primo actu placeo. cum interea rumor venit,
Datum iri gladiatores: populus convolat:
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco.
Ego interea meum non potui tutari locum.
Nunc turba nulla eſt: otium, & ſilentium eſt.
Agendi tempus mihi datum eſt: vobis datur
Poteſtas condecorandi ludos ſcenicos.
Nolite ſinere per vos artem muſicam
Recidere ad paucos. facite, ut voſtra auctoritas
Meæ auctoritati fautrix adjutrixque ſit.
Si numquam avare pretium ſtatui arti meæ,
Et eum eſſe quæſtum in animum induxi maxumum,
Quam maxume ſervire voſtris commodis;
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium ſuum, & ſe in voſtram commiſit fidem,
Ne eum circumventum inique iniqui irrideant.
Mea cauſa cauſam accipite, & ſilentium date,
Ut lubeat ſcribere aliis, mihique ut diſcere
Novas expediat, poſthac pretio emtas meo.

ACTUS PRIMUS

SCENA I.

Philotis, *Syra*.

Per pol quam paucos reperias meretricibus
Fideles evenire amatores, Syra.
Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi,
Quam ſancte, ut quivis facile poſſet credere,
Numquam illa viva ducturum uxorem domum:
En, duxit. *Syr.* Ergo propterea te ſedulo
Et moneo, & hortor, ne cujuſquam miſereat,
Quin ſpolies, mutiles, laceres, quemque nacta ſis.
Phil. Utin' eximium neminem habeam? *Syr.* Neminem:
Nam nemo illorum quiſquam, ſcito, ad te venit,
Quin ita paret ſeſe, abs te ut blanditiis ſuis
Quam minimo pretio ſuam voluptatem expleat.
Hiſcine tu, amabo, non contra inſidiabere?
Phil. Tamen pol eamdem injurium eſt eſſe omnibus.
Syr. Injurium autem eſt ulciſci adverſarios?
Aut qua via te captent illi, eadem ipſos capi?
Eheu me miſeram! cur non aut iſtæc mihi
Ætas & forma eſt, aut tibi hæc ſententia?

ACTUS I. SCENA II.

Parmeno, *Philotis*, *Syra*.

Senex ſi quæret me, modo iſſe dicito
Ad portum percontatum adventum Pamphili.
Audin', quid dicam, Scirte? ſi quæret me, uti
Tum dicas: ſi non quæret, nullus dixeris;
Alias ut uti poſſim cauſa hac integra.
Sed videon' ego Philotium? unde hæc advenit?
Philotis, ſalve multum. *Phil.* O ſalve, Parmeno.
Syr. Salve mecaſtor, Parmeno. *Par.* Et tu edepol, Syra.
Dic mihi, Philoti, ubi te oblectaſti tam diu?
Phil. Minime equidem me oblectavi, quæ cum milite
Corinthum hinc ſum profecta inhumaniſſimo.
Biennium ibi perpetuum miſera illum tuli.
Par. Edepol te deſiderium Athenarum arbitror,
Philotium, cepiſſe ſæpe, & te tuum
Conſilium contemſiſſe. *Phil.* Non dici poteſt,
Quam cupida eram huc redeundi, abeundi a milite,
Voſque hic videndi, antiqua ut conſuetudine
Agitarem inter vos libere convivium.
Nam illi haud licebat niſi præfinito loqui
Quæ illi placerent. *Par.* Haud opinor commode
Finem ſtatuiſſe orationi militem.
Phil. Sed quid hoc negoti eſt? modo quæ narravit mihi
Hic intus Bacchis? quod ego numquam credidi
Fore, ut ille hac viva poſſet animum inducere
Uxorem habere. *Par.* Habere autem? *Phil.* Eho tu, an non habet?
Par. Habet: ſed firmæ hæ vereor ut ſint nuptiæ.
Phil. Ita Di Deæque faxint, ſi in rem eſt Bacchidis.
Sed qui iſtuc credam ita eſſe? dic mihi, Parmeno.
Par. Non eſt opus prolato: hoc percontarier
Deſiſte. *Phil.* Nempe ea cauſa, ut ne id fiat palam.
Ita me Dii amabunt, haud propterea te rogo, ut
Hoc proferam, ſed ut tacita mecum gaudeam.
Par. Numquam tam dices commode, ut tergum meum
Tuam in fidem committam. *Phil.* Ah, noli, Parmeno:
Quaſi non tu multo malis narrare hoc mihi,
Quam ego, quæ percontor, ſcire. *Par.* Vera hæc prædicat:
Et illud mi vitium eſt maxumum. ſi mihi fidem
Das te tacituram, dicam. *Phil.* Ad ingenium redis.
Fidem do, loquere. *Par.* Auſculta. *Phil.* Iſtic ſum. *Par.* Hanc Bacchidem
Amabat, ut cum maxume, tum Pamphilus,
Cum pater, uxorem ut ducat, orare occipit:
Et hæc, communia omnium quæ ſunt patrum,
Seſe ſenem eſſe dicere, illum autem eſſe unicum:
Præſidium velle ſe ſenectuti ſuæ.
Ille ſe primo negare: ſed poſtquam acrius
Pater inſtat, fecit animi ut incertus foret,
Pudorin' anne amori obſequeretur magis.
Tundendo atque odio denique effecit ſenex:
Deſpondit ei gnatam hujus vicini proxumi.
Uſque illud viſum eſt Pamphilo neutiquam grave,
Donec jam in ipſis nuptiis, poſtquam videt
Paratas, nec moram ullam, quin ducat, dari;
Ibi demum ita ægre tulit, ut ipſam Bacchidem
Si adeſſet, credo, ibi ejus commiſereſceret.
Ubicumque datum erat ſpatium ſolitudinis,
Ut conloqui mecum una poſſet: Parmeno,
Perii; quid ego egi? in quod me conjeci malum?
Non potero hoc ferre, Parmeno: perii miſer.

Phil.

Phil. At te Di Deæque perduint cum iſto odio, Laches.
Par. Ut ad pauca redeam, uxorem deducit domum:
Nocte illa prima virginem non attigit:
Quæ conſecuta eſt nox, eam nihilo magis.
Phil. Quid ais? cum virgine una adoleſcens cubuerit
Plus potus, ſeſe illa abſtinere ut potuerit?
Non veriſimile dicis: nec verum arbitror.
Par. Credo ita videri tibi: nam nemo ad te venit,
Niſi cupiens tui: ille invitus illam duxerat.
Phil. Quid deinde fit? *Par.* Diebus ſane pauculis
Poſt, Pamphilus me ſolum ſeducit foras,
Narratque, ut virgo ab ſe integra etiam tum ſiet:
Seque ante, quam eam uxorem duxiſſet domum,
Speraſſe eas tolerare poſſe nuptias.
Sed quam decrerim me non poſſe diutius
Habere, eam ludibrio haberi, Parmeno,
Quin integram itidem reddam, ut accepi a ſuis,
Neque honeſtum mihi, neque utile ipſi virgini eſt.
Phil. Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili.
Par. Hoc ego proferre, incommodum mihi eſſe arbitror.
Reddi patri autem, cui tu nihil dicas viti,
Superbum eſt: ſed illam ſpero, ubi hoc cognoverit,
Non poſſe ſe mecum eſſe, abituram denique.
Phil. Quid interea? ibatne ad Bacchidem? *Par.* Quotidie.
Sed, ut fit, poſtquam hunc alienum ab ſeſe videt,
Maligna multo & magis procax facta illico eſt.
Phil. Non edepol mirum. *Par.* Atque ea res multo maxume
Disjunxit illum ab illa, poſtquam & ipſe ſe,
Et illam, & hanc, quæ domi erat, cognovit ſatis,
Ad exemplum ambarum mores earum exiſtumans.
Hæc, ita uti liberali eſſe ingenio decet,
Pudens, modeſta; incommoda atque injurias
Viri omnes ferre, & tegere contumelias.
Hic animus, partim uxoris miſericordia
Devinctus, partim victus hujus injuriis,
Paulatim elapſu'ſt Bacchidi, atque huc tranſtulit
Amorem, poſtquam par ingenium nactus eſt.
Interea in Imbro moritur cognatus ſenex
Horunc', ea ad hos rediebat lege hereditas.
Eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater.
Relinquit cum matre hic uxorem: nam ſenex
Rus abdidit ſe: huc raro in urbem commeat.
Phil. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiæ?
Par. Nunc audies. primum dies compluſculos
Bene conveniebat ſane inter eas: interim
Miris modis odiſſe cœpit Soſtratam:
Neque lites ullæ inter eas, poſtulatio
Numquam. *Phil.* Quid igitur? *Par.* Si quando ad eam acceſſerat
Confabulatum, fugere e conſpectu illico,
Videre nolle. denique, ubi non quit pati,
Simulat ſe a matre accerſi ad rem divinam, abit.
Ubi illic dies eſt complures, accerſi jubet.
Dixere cauſam tunc neſcio quam: iterum jubet:
Nemo remiſit. poſtquam accerſunt ſæpius,
Ægram eſſe ſimulant mulierem. noſtra illico
It viſere ad eam: admiſit nemo. hoc ubi ſenex
Reſcivit, heri ea cauſa rure huc advenit,
Patrem continuo convenit Philumenæ.
Quid egerint inter ſe, nondum etiam ſcio:
Niſi ſane curæ eſt, quorſum eventurum hoc ſiet.
Habes omnem rem: pergam quo cœpi hoc iter.
Phil. Et quidem ego. nam conſtitui cum quodam hoſpite,
Me eſſe illum conventuram. *Par.* Di vortant bene
Quod agas. *Phil.* Vale. *Par.* Et tu bene vale, Philotium.

ACTUS SECUNDUS

SCENA I.

Laches, Soſtrata.

PRoh deum atque hominum fidem, quod hoc genus eſt? quæ hæc eſt conjuratio?
Utin' omnes mulieres eadem æque ſtudeant nolintque omnia?
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio ullam reperias:
Itaque adeo uno animo omnes ſocrus oderunt nurus.
Viris eſſe advorſas, æque ſtudium eſt: ſimilis pertinacia eſt.
In eodemque omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam.
Ei ludo, ſi ullus eſt, magiſtram hanc eſſe ſatis certo ſcio.
Soſtr. Me miſeram, quæ nunc, quamobrem accuſer, neſcio.
Lac. Hem, tu neſcis? *Soſtr.* Non, ita me dii ament, mi Laches.
Itaque una inter nos agere ætatem liceat. *Lac.* Dii mala prohibeant!
Soſtr. Meque abs te immerito eſſe accuſatam, poſtmodum reſciſces. *Lac.* Scio.
Te immerito? an quidquam pro iſtis factis dignum te dici poteſt,
Quæ me, & te, & familiam omnem dedecoras, filio luctum paras?
Tum autem, ex amicis inimici ut ſint nobis affines, facis;
Qui illum decrerunt dignum, ſuos cui liberos committerent.
Tu ſola exorere, quæ perturbes hæc tua impudentia.
Soſtr. Egone? *Lac.* Tu, inquam, mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas.
An quia ruri crebro eſſe ſoleo, neſcire arbitramini,
Quo quiſque pacto hic vitam voſtrarum exigat?
Multo melius, hic quæ fiunt, quam illic, ubi ſum aſſidue, ſcio:
Ideo quia, ut vos mihi domi eritis, proinde ego ero fama foris.
Jampridem equidem audivi cepiſſe odium tui Philumenam:
Minimeque adeo mirum: &, ni id feciſſet, magis mirum foret;
Sed non credidi adeo, ut etiam totam hanc odiſſet domum.
Quod ſi ſciſſem, illa hic maneret potius, tu hinc iſſes foras.
At vide, quam immerito ægritudo hæc oritur mi abs te, Soſtrata.
Rus habitatum abii, concedens vobis, & rei ſerviens;
Sumtus voſtros otiumque ut noſtra res poſſet pati,

Meo

Meo labori haud parcens, præter æquom atque ætatem meam.
Non te pro his curaſſe rebus, ne quid ægre eſſet mihi?
Soſtr. Non mea opera neque pol culpa evenit. *Lac.* Immo maxume.
Sola hic fuiſti: in te omnis hæret culpa ſola, Soſtrata.
Quæ hic erant, curares; cum ego vos ſolvi curis ceteris.
Cum puella anum ſuſcepiſſe inimicitias non pudet?
Illius dices culpa factum. *Soſtr.* Haud equidem dico, mi Laches.
Lac. Gaudeo, ita me Dii ament, gnati cauſa. nam de te quidem,
Satis ſcio, peccando detrimenti nil fieri poteſt.
Soſtr. Qui ſcis, an ea cauſa, mi vir, me odiſſe adſimulaverit,
Ut cum matre una plus eſſet? *Lac.* Quid ais? non ſigni hoc ſat eſt,
Quod heri nemo voluit viſentem ad eam te intro admittere?
Soſtr. Enim laſſam oppido tum eſſe ajebant; eo ad eam non admiſſa ſum.
Lac. Tuos eſſe illi mores morbum magis, quam ullam aliam rem, arbitror:
Et merito adeo: nam voſtrarum nulla eſt, quin gnatum velit
Ducere uxorem; & quæ vobis placita eſt conditio, datur.
Ubi duxere impulſu voſtro, voſtro impulſu eaſdem exigunt.

ACTUS II. SCENA II.

Phidippus, Laches, Soſtrata.

ETſi ſcio ego, Philumena, meum jus eſſe, ut te cogam,
Quæ ego imperem, facere: ego tamen patrio animo victus faciam
Ut tibi concedam, neque tuæ libidini advorſabor.
Lac. Atque eccum Phidippum optume video. hinc jam ſcibo, quid ſiet.
Phidippe, etſi ego meis me omnibus ſcio eſſe adprime obſequentem;
Sed non adeo, ut mea facilitas corrumpat illorum animos.
Quod tu ſi idem faceres, magis in rem & noſtram & voſtram id eſſet.
Nunc video in illarum poteſtate eſſe te. *Phid.* Heja vero.
Lac. Adii te heri de filia: ut veni, itidem incertum amiſti.
Haud ita decet, ſi perpetuam vis eſſe affinitatem hanc,
Celare te iras. ſi quid eſt peccatum a nobis, profer:
Aut ea refellendo, aut purgando, vobis corrigemus,
Te judice ipſo. ſin ea eſt cauſa retinendi apud vos,
Quia ægra eſt; te mi injuriam facere arbitror, Phidippe,
Si metuis, ſatis ut meæ domi curetur diligenter.
At, ita me Dii ament, haud tibi hoc concedo, etſi illi pater es,
Ut tu illam ſalvam magis velis, quam ego: id adeo gnati cauſa,
Quem ego intellexi illam haud minus, quam ſeipſum, magnificare.
Neque adeo clam me eſt, quam eſſe eum graviter laturum credam,
Hoc ſi reſcierit. eo domum ſtudeo hæc prius, quam ille, ut redeat.
Phid. Laches, & diligentiam voſtram, & benignitatem
Novi: &, quæ dicis, omnia eſſe ut dicis, animum induco.
Et te hoc mihi cupio credere: illam ad vos redire ſtudeo,
Si facere poſſim ullo modo. *Lac.* Quæ res te facere id prohibet?
Eho, numquidnam accuſat virum? *Phid.* Minime: nam poſtquam attendi
Magis, & vi cœpi cogere ut rediret, ſancte adjurat
Non poſſe apud vos Pamphilo ſe abſente perdurare.
Aliud fortaſſe alii vitii eſt: leni ego animo ſum natus:
Non poſſum advorſari meis. *Lac.* Hem, Soſtrata! *Soſtr.* Heu me miſeram!
Lac. Certumne eſt iſtud? *Phid.* Nunc quidem, ut videtur. ſed numquid vis?
Nam eſt, quod me tranſire ad forum jam oportet. *Lac.* Eo tecum una.

ACTUS II. SCENA III.

Soſtrata.

EDepol næ nos ſumus inique æque omnes inviſæ viris,
Propter paucas; quæ omnes faciunt dignæ ut videamur malo.
Nam, ita me Dii ament, quod me accuſat nunc vir, ſum extra noxiam.
Sed non facile eſt expurgatu: ita animum induxerunt, ſocrus
Omnes eſſe iniquas. haud pol me quidem: nam numquam ſecus
Habui illam, ac ſi ex me eſſet nata: nec, qui hoc mi eveniat, ſcio.
Niſi pol filium multimodis jam exſpecto, ut redeat domum.

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

Pamphilus, Parmeno, Myrrhina.

Nemini ego plura acerba credo eſſe ex amore homini umquam oblata,
Quam mi. heu me infelicem! hanccine ego vitam parſi perdere!
Haccine cauſa ego eram tantopere cupidus redeundi domum?
Cui quanto fuerat præſtabilius, ubivis gentium agere ætatem,
Quam huc redire? atque hæc ita eſſe miſerum me reſciſcere?
Nam nos omnes, quibus eſt alicunde aliquis objectus labos,
Omne quod eſt interea tempus, priuſquam id reſcitum eſt, lucro eſt.

Par.

Par. At ſic, citius qui te expedias his ærumnis, reperias.
Si non rediſſes, hæ iræ factæ eſſent multo ampliores:
Sed nunc adventum tuum ambas, Pamphile, ſcio reverituras.
Rem cognoſces: iram expedies: rurſum in gratiam reſtitues.
Levia ſunt, quæ tu pergravia eſſe in animum induxti tuum.
Pamph. Quid conſolare me? an quiſquam uſquam gentium eſt æque miſer?
Priuſquam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum:
Jam in hac re ut taceam, cuivis facile ſcitu eſt quam fuerim miſer:
Tamen numquam auſus ſum recuſare eam, quam mi obtrudit pater.
Vix me illinc abſtraxi, atque impeditum in ea expedivi animum meum,
Vixque huc contuleram; hem nova res orta eſt, porro ab hac quæ me abſtrahat.
Tum matrem ex ea re me aut uxorem in culpa inventurum arbitror:
Quod cum ita eſſe invenero, quid reſtat, niſi porro ut fiam miſer?
Nam matris ferre injurias me, Parmeno, pietas jubet:
Tum uxori obnoxius ſum: ita olim ſuo me ingenio pertulit,
Tot meas injurias quæ numquam in ullo patefecit loco.
Sed magnum neſcio quid neceſſe eſt eveniſſe, Parmeno,
Unde ira inter eas interceſſit, quæ tam permanſit diu.
Par. At quidem hercle parvom: ſi vis vero veram rationem exſequi,
Non maxumas, quæ maxumæ ſunt interdum iræ, injurias
Faciunt: nam ſæpe eſt, quibus in rebus alius ne iratus quidem eſt,
Cum de eadem cauſa eſt iracundus factus inimiciſſimus.
PUERI INTER SESE quam pro levibus noxiis iras gerunt?
Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
Itidem illæ mulieres ſunt ferme, ut pueri, levi ſententia:
Fortaſſe unum aliquod verbum hanc inter eas iram conciverit.
Pamph. Abi, Parmeno, intro, ac me veniſſe nuncia. *Par.* Hem, quid hoc eſt? *Pamph.* Tace.
Par. Trepidari ſentio, curſari rurſum prorſum. agedum, ad fores
Accede propius. hem, ſenſiſtin'? *Pamph.* Noli fabularier.
Proh Jupiter! clamorem audivi. *Par.* Tute loqueris, me vetas?
Myr. Tace, obſecro, mea gnata. *Pamph.* Matris vox viſa eſt Philumenæ.
Nullus ſum. *Par.* Qui dum? *Pamph.* Perii. *Par.* Quamobrem? *Pamph.* Neſcio quod magnum malum
Profecto, Parmeno, me celant. *Par.* Uxorem Philumenam
Pavitare neſcio quid, dixerunt: id ſi forte eſt, neſcio.
Pamph. Interii: cur mihi id non dixti? *Par.* Quia non poteram una omnia.
Pamph. Quid morbi eſt? *Par.* Neſcio. *Pamph.* Quid? nemon' medicum adduxit? *Par.* Neſcio.
Pamph. Ceſſo hinc ire intro, ut hoc quamprimum, quidquid eſt, certum ſciam?
Quonam modo, Philumena mea, nunc te offendam affectam?
Nam ſi periclum ullum in te ineſt, periiſſe me una haud dubium eſt.
Par. Non uſus facto eſt mihi nunc hunc intro ſequi:
Nam inviſos omnes nos eſſe illis ſentio.
Heri nemo voluit Soſtratam intro admittere.
Si forte morbus amplior factus ſiet,
Quod ſane nolim, maxume heri cauſa mei;
Servom illico introiſſe dicent Soſtratæ:
Aliquid tuliſſe comminiſcentur mali,
Capiti atque ætati illorum, morbus qui auctu' ſit
Hera in crimen veniet, ego vero in magnum malum.

ACTUS III. SCENA II.

Soſtrata, Parmeno, Pamphilus.

NEſcio quid jamdudum audio hic tumultuari miſera:
Male metuo, ne Philumenæ magi' morbus adgraveſcat:
Quod te, Æſculapi, & te, Salus, ne quid ſit hujus, oro.
Nunc ad eam viſam. *Par.* Heus, Soſtrata. *Soſtr.* Hem. *Par.* Iterum iſtinc excludere.
Soſtr. Ehem Parmeno; tune hic eras? perii, quid faciam miſera?
Non viſam uxorem Pamphili, cum in proxumo hic ſit ægra?
Par. Non viſas; ne mittas quidem viſendi cauſa quemquam.
Nam QUI AMAT CUI odio ipſus eſt, bis facere ſtulte duco:
Laborem inanem ipſus capit; & illi moleſtiam affert.
Tum filius tuus introiit videre, ut venit, quid agat.
Soſtr. Quid ais? an venit Pamphilus? *Par.* Venit. *Soſtr.* Diis gratiam habeo.
Hem, iſtoc verbo animus mihi rediit, & cura ex corde exceſſit.
Par. Jam ea te cauſa maxume nunc huc introire nolo.
Nam ſi remittent quippiam Philumenæ dolores,
Omnem rem narrabit, ſcio, continuo ſola ſoli,
Quæ inter vos intervenit, unde ortum eſt initium iræ.
Atque eccum video ipſum egredi. quam triſtis eſt! *Soſtr.* O mi gnate.
Pamph. Mea mater, ſalve. *Soſtr.* Gaudeo veniſſe ſalvom. ſalvan'
Philumena eſt? *Pamph.* Meliuſcula eſt. *Soſtr.* O utinam iſtuc ita Dii ſaxint.
Quid tu igitur lacrumas? aut quid es tam triſtis? *Pamph.* Recte, mater.
Soſtr. Quid fuit tumulti? dic mihi: an dolor repente invaſit?
Pamph. Ita factum eſt. *Soſtr.* Quid morbi eſt? *Pamph.* Febris. *Soſtr.* Quotidiana? *Pamph.* Ita ajunt.
I ſodes intro, conſequar jam te, mea mater. *Soſtr.* Fiat.

Pamph.

Pamph. Tu pueris curre, Parmeno, obviam, atque iis onera adjuta.

Par. Quid? non ſciunt ipſi viam, domum qua redeant? *Pamph.* Ceſſas?

ACTUS III. SCENA III.

Pamphilus.

NEqueo mearum rerum initium ullum invenire idoneum,
Unde exordiar narrare, quæ nec opinanti accidunt,
Partim quæ perſpexi his oculis, partim quæ accepi auribus:
Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.
Nam modo intro me ut corripui timidus, alio ſuſpicans
Morbo me viſurum affectam, ac ſenſi eſſe, uxorem: hei mihi!
Poſtquam me aſpexere ancillæ adveniſſe, illico omnes ſimul
Lætæ exclamant, Venit, id quod derepente aſpexerant.
Sed continuo voltum earum ſenſi immutari omnium,
Quia tam incommode illis fors obtulerat adventum meum.
Una illarum interea propere præcurrit, nuncians
Me veniſſe. ego ejus videndi cupidus recta conſequor.
Poſtquam intro adveni, extemplo ejus morbum cognovi miſer.
Nam neque, ut celari poſſet, tempus ſpatium ullum dabat:
Neque voce alia, ac res monebat, ipſa poterat conqueri.
Poſtquam aſpexi; o facinus indignum, inquam: & corripui illico
Me inde, lacrumans, incredibili re atque atroci percitus.
Mater conſequitur: jam ut limen exirem, ad genua accidit,
Lacrumans miſera: miſeritum eſt. profecto hoc ſic eſt, ut puto,
OMNIBUS NOBIS ut res dant ſeſe, ita magni atque humiles ſumus.
Hanc habere orationem mecum principio inſtitit:
O mi Pamphile, abs te quamobrem hæc abierit, cauſam vides:
Nam vitium eſt oblatum virgini olim ab neſcio quo improbo:
Nunc huc confugit, te atque alios partum ut celaret ſuum.
Sed cum orata ejus reminiſcor, nequeo quin lacrumem miſer.
Quæque fors fortuna eſt, inquit, nobis quæ te hodie obtulit,
Per eam te obſecramus ambæ, ſi jus, ſi fas eſt, uti
Advorſa ejus per te tecta tacitaque apud omnes ſient.
Si umquam erga te animo eſſe amico ſenſiſti eam, mi Pamphile,
Sine labore hanc gratiam, te, ut ſibi des pro illa nunc, rogat.
Ceterum de reducenda id facias, quod in rem ſit tuam.
Parturire eam, neque gravidam eſſe ex te, ſolus conſcius.
Nam ajunt tecum poſt duobus concubuiſſe menſibus:
Tum, poſtquam ad te venit, menſis agitur hic jam ſeptimus:
Quod te ſcire, ipſa indicat res. nunc ſi potis eſt, Pamphile,
Maxume volo doque operam, ut clam eveniat partus patrem,
Atque adeo omnes. ſed ſi fieri id non poteſt, quin ſentiant,
Dicam abortum eſſe. ſcio nemini aliter ſuſpectum fore,
Quin, quod veriſimile eſt, ex te recte eum natum putent.
Continuo exponetur. hic tibi nihil eſt quidquam incommodi: &
Illi miſeræ indigne factam injuriam contexeris.
Pollicitus ſum, & ſervare in eo certum eſt, quod dixi, fidem.
Nam de reducenda, id vero neutiquam honeſtum eſſe arbitror:
Nec faciam: etſi amor me graviter, conſuetudoque ejus tenet.
Lacrumo, quæ poſthac futura eſt vita, cum in mentem venit,
Solitudoque. O FORTUNA, ut numquam perpetuo es bona!
Sed jam prior amor me ad hanc rem exercitatum reddidit,
Quem ego tum conſilio miſſum feci. idem nunc huic operam dabo.
Adeſt Parmeno cum pueris: hunc minime eſt opus
In hac re adeſſe: nam olim ſoli credidi,
Ea me abſtinuiſſe in principio, cum data eſt.
Vereor, ſi clamorem ejus hic crebro exaudiat,
Ne parturire intellegat. aliquo mihi eſt
Hinc ablegandus, dum parit Philumena.

ACTUS III. SCENA IV.

Parmeno, Soſia, Pamphilus.

AIn' tu, tibi hoc incommodum eveniſſe iter? *Soſ.* Non hercle verbis, Parmeno, dici poteſt
Tantum, quam re ipſa navigare incommodum eſt.

Par. Itane eſt? *Soſ.* O fortunate, neſcis quid mali
Prætericris, qui numquam es ingreſſus mare.
Nam alias ut mittam miſerias, unam hanc vide:
Dies triginta, aut plus eo, in navi fui,
Cum interea ſemper mortem exſpectabam miſer:
Ita uſque advorſa tempeſtate uſi ſumus.

Par. Odioſum. *Soſ.* Haud clam me eſt: denique hercle aufugerim
Potius, quam redeam, ſi eo mi redeundum ſciam.

Par. Olim quidem te cauſæ impellebant leves,
Quod nunc minitare facere, ut faceres, Soſia.
Sed Pamphilum ipſum video ſtare ante oſtium.
Ite intro. ego hunc adibo, ſi quid me velit.
Here, etiam nunc tu hic ſtas? *Pamph.* Equidem te exſpecto. *Par.* Quid eſt?

Pamph. In arcem tranſcurſo opus eſt. *Par.* Cui homini? *Pamph.* Tibi.

Par. In arcem? quid eo? *Pamph.* Callidemidem hoſpitem
Myconium, qui mecum una advectu' ſt, conveni.

Par. Perii. voviſſe hunc dicam, ſi ſalvos domum
Rediſſet umquam, ut me ambulando rumperet.

Pamph. Quid ceſſas? *Par.* Quid vis dicam? an conveniam modo?

Pamph. Immo, quod conſtitui, me hodie conventurum eum,
Non poſſe, ne fruſtra illic exſpectet: vola.
Par. At non novi hominis faciem. *Pamph.* At faciam ut noveris:
Magnus, rubicundus, criſpus, craſſus, cæſius,
Cadaveroſa facie. *Par.* Di illum perduint.
Quid, ſi non veniet? maneamne uſque ad veſperum?
Pamph. Maneto: curre. *Par.* Non queo: ita defeſſu' ſum.
Pamph. Ille abiit. quid agam infelix? prorſus neſcio,
Quo pacto hoc celem, quod me oravit Myrrhina,
Suæ gnatæ partum: nam me miſeret mulieris.
Quod potero faciam tamen, ut pietatem colam:
Nam me parenti potius, quam amori, obſequi
Oportet. at at, eccum Phidippum, & patrem
Video: horſum pergunt. quid dicam hiſce, incertu' ſum.

ACTUS III. SCENA V.

Laches, Phidippus, Pamphilus.

Dixtin' dudum, illam dixiſſe ſe exſpectare filium?
Phid. Factum. *Lac.* Veniſſe ajunt: redeat. *Pamph.* Quam cauſam dicam patri,
Quamobrem non reducam, neſcio. *Lac.* Quem ego hic audivi loqui?
Pamph. Certum obfirmare eſt viam me, quam decrevi perſequi.
Lac. Ipſus eſt, de quo hoc agebam tecum. *Pamph.* Salve, mi pater.
Lac. Gnate mi, ſalve. *Phid.* Bene factum te adveniſſe, Pamphile,
Et adeo quod maxumum eſt, ſalvom atque validum. *Pamph.* Creditur.
Lac. Advenis modo? *Pamph.* Admodum. *Lac.* Cedo, quid reliquit Phania
Conſobrinus noſter? *Pamph.* Sane hercle homo voluptati obſequens
Fuit, dum vixit: & qui ſic ſunt, haud multum hæredem juvant:
Sibi vero hanc laudem relinquunt: Vixit, dum vixit, bene.
Lac. Tum tu igitur nihil attuliſti huc plus una ſententia?
Pamph. Quidquid eſt id quod reliquit, profuit. *Lac.* Immo obfuit:
Nam illum vivom & ſalvom vellem. *Phid.* Impune optare iſtuc licet:
Ille reviviſcet jam numquam: & tamen, utrum malis, ſcio.
Lac. Heri Philumenam ad ſe accerſi hic juſſit. dic juſſiſſe te.
Phid. Noli fodere. juſſi. *Lac.* Sed eam jam remittet. *Phid.* Scilicet.
Pamph. Omnem rem ſcio, ut ſit geſta. adveniens audivi omnia. *Lac.* At
Iſtos invidos Di perdant, qui hæc libenter nunciant.
Pamph. Ego me ſcio caviſſe, ne ulla merito contumelia
Fieri a vobis poſſet. idque ſi nunc memorare hic velim,
Quam fideli animo & benigno in illam, & clementi fui,
Vere poſſum; ni te ex ipſa hæc magi' velim reſciſcere:
Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides,
Cum illa, quæ nunc in me iniqua eſt, æqua de me dixerit.
Neque mea culpa hoc diſcidium eveniſſe, id teſtor Deos.
Sed quando ſeſe eſſe indignam deputat matri meæ,
Cui concedat, cujus mores toleret ſua modeſtia:
Neque alio pacto componi poteſt inter eas gratia:
Segreganda aut mater a me eſt, Phidippe, aut Philumena.
Nunc me pietas matris potius commodum ſuadet ſequi.
Lac. Pamphile, haud invito ad aures ſermo mihi acceſſit tuus,
Cum te poſtputaſſe omnes res præ parente intellego.
Verum vide, ne impulſus ira prave, inſiſtas, Pamphile.
Pamph. Quibus iris impulſus nunc in illam iniquu' ſim?
Quæ numquam quidquam erga me commerita eſt, pater,
Quod nollem: & ſæpe, quod vellem, meritam ſcio.
Amoque, & laudo, & vehementer deſidero:
Nam fuiſſe erga me miro ingenio, expertu' ſum.
Illique exopto, ut relliquam vitam exigat
Cum eo viro, me qui ſit fortunatior;
Quandoquidem illam a me diſtrahit neceſſitas.
Phid. Tibi id in manu eſt, ne fiat. *Lac.* Si ſanus ſies,
Iube illam redire. *Pamph.* Non eſt conſilium, pater:
Matris ſervibo commodis. *Lac.* Quo abis? mane;
Mane, inquam: quo abis? *Phid.* Quæ hæc eſt pertinacia?
Lac. Dixin', Phidippe, hanc rem ægre laturum eſſe eum?
Quamobrem te orabam, filiam ut remitteres.
Phid. Non credidi edepol adeo inhumanum fore:
Ita nunc is ſibi me ſupplicaturum putat?
Si eſt, ut velit reducere uxorem, licet:
Sin alio eſt animo, renumeret dotem huc, eat.
Lac. Ecce autem, tu quoque proterve iracundus es.
Phid. Percontumax rediſti huc nobis, Pamphile.
Lac. Decedet jam ira hæc: etſi merito iratus eſt.
Phid. Quia paulum vobis acceſſit pecuniæ,
Sublati animi ſunt. *Lac.* Etiam mecum litigas?
Phid. Deliberet, renuncietque hodie mihi,
Velitne, an non; ut alii, ſi huic non ſit, ſiet.
Lac. Phidippe, ades, audi paucis. abiit: quid mea?
Poſtremo inter ſe tranſigant ipſi, ut lubet:
Quando nec gnatus, neque hic mihi quidquam obtemperant:
Quæ dico, parvi pendunt. porto hoc jurgium ad
Uxorem, cujus hæc fiunt conſilio omnia.
Atque in eam hoc omne, quod mihi ægre eſt, evomam.

ACTUS QUARTUS

SCENA I.

Myrrhina, Phidippus.

Perii, quid agam? quo me vortam? quid viro meo reſpondebo
Miſera? nam audiviſſe vocem pueri viſu' eſt vagientis:
Ita corripuit derepente tacitus ſeſe ad filiam:
Quod ſi reſcierit peperiſſe, id qua cauſa clam me habuiſſe
Dicam, non edepol ſcio.

Sed

Sed oſtium concrepuit: credo ipſum ad me exire: nulla ſum.
Phid. Uxor ubi me ad filiam ire ſenſit, ſe duxit foras.
Atque eccam video. quid ais, Myrrhina? heus, tibi dico. *Myr.* Mihine, mi vir?
Phid. Vir ego tuus ſum? tu virum me, aut hominem deputas adeo eſſe?
Nam ſi utrumvis horum, mulier, umquam tibi viſus forem,
Non ſic ludibrio tuis factis habitus eſſem. *Myr.* Quibus? *Phid.* At rogitas?
Peperit filia? hem, taces? ex quo? *Myr.* Iſtuc patrem rogare eſt æquom?
Perii: ex quo cenſes, niſi ex illo, cui data eſt nuptum, obſecro?
Phid. Credo: neque adeo arbitrari patris eſt aliter: ſed demiror,
Quid ſit, quamobrem tantopere hunc omnes nos celare volueris
Partum; præſertim cum & recte, & tempore ſuo peperit.
Adeon' pervicaci eſſe animo, ut puerum præoptares perire,
Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam poſthac ſcires,
Potius, quam advorſum animi tui lubidinem eſſet cum illo nupta?
Ego etiam illorum eſſe hanc culpam credidi, quæ te eſt penes.
Myr. Miſera ſum. *Phid.* Utinam ſciam ita eſſe iſtuc. ſed nunc mihi in mentem venit,
De hac re quod locuta es olim, cum illum generum cepimus:
Nam negabas nuptam poſſe filiam tuam te pati
Cum eo, qui meretricem amaret, qui pernoctaret foris.
Myr. Quamvis cauſam hunc ſuſpicari, quam ipſam veram, mavolo.
Phid. Multo prius ſcivi, quam tu, illum habere amicam, Myrrhina.
Verum id vitium numquam decrevi eſſe ego adoleſcentiæ:
Nam id omnibus innatum eſt. at pol jam aderit, ſe quoque etiam cum oderit.
Sed ut olim te oſtendiſti eamdem eſſe, nihil ceſſaviſti uſque adhuc,
Ut filiam ab eo abduceres, neu, quod ego egiſſem, eſſet ratum.
Id, nunc res indicium hæc facit, quo pacto factum volueris.
Myr. Adeon' me eſſe pervicacem cenſes, cui mater ſiem,
Ut eo eſſem animo, ſi ex uſu eſſet noſtro hoc matrimonium?
Phid. Tun' proſpicere, aut judicare, noſtram in rem quod ſit, potes?
Audiſti ex aliquo fortaſſe, qui vidiſſe eum diceret
Exeuntem aut introeuntem ad amicam. quid tum poſtea,
Si modeſte ac raro hoc fecit? nonne ea diſſimulare nos
Magis humanum eſt, quam dare operam id ſcire, qui nos oderit?
Nam is poſſet ab ea ſeſe derepente avellere,
Quicum tot conſueſſet annos; non eum hominem ducerem,
Nec virum ſati' firmum gnatæ. *Myr.* Mitte adoleſcentem, obſecro,
Et quæ me peccaſſe ais. abi, ſolum ſolus conveni:
Roga, velitne uxorem an non. ſi eſt, ut dicat velle ſe,
Redde: ſin eſt autem, ut nolit, recte ego conſului meæ.
Phid. Siquidem ille ipſe non volt, & tu ſenſti in eo eſſe, Myrrhina,
Peccatum; aderam, cujus conſilio ea par fuerat proſpici.
Quamobrem incendor ira, eſſe auſam facere hæc te injuſſu meo.
Interdico, ne extuliſſe extra ædes puerum uſquam velis.
Sed ego ſtultior, meis dictis parere hanc qui poſtulem.
Ibo intro, atque edicam ſervis, ne quoquam efferri ſinant.
Myr. Nullam pol credo mulierem me miſeriorem vivere.
Nam ut hic laturus hoc ſit, ſi ipſam rem, ut ſiet, reſciverit,
Non edepol clam me eſt; cum hoc, quod leviu' eſt, tam animo iracundo tulit:
Nec, qua via ſententia ejus poſſit mutari, ſcio.
Hoc mi unum ex plurimis miſeriis relliquom fuerat malum,
Si, puerum ut tollam, cogit, cujus nos qui ſit neſcimus pater.
Nam cum compreſſa eſt gnata, forma in tenebris noſci non quita eſt:
Neque detractum ei tum quidquam eſt, qui poſt poſſit noſci, qui ſiet:
Ipſe eripuit vi, in digito quem habuit, virgini abiens annulum.
Simul vereor Pamphilum, ne orata noſtra nequeat diutius
Celare, cum ſciet alienum puerum tolli pro ſuo.

ACTUS IV. SCENA II.

Soſtrata, Pamphilus.

NOn clam me eſt, gnate mi, tibi me eſſe ſuſpectam, uxorem tuam
Propter meos mores hinc abiſſe: etſi ea diſſimulas ſedulo.
Verum ita me Dii ament, itaque obtingant ex te, quæ exopto mihi, ut
Numquam ſciens commerui, merito ut caperet odium illam mei:
Teque antequam me amare rebar, ei rei firmaſti fidem.
Nam mihi intus tuus pater narravit modo, quo pacto me habueris
Præpoſitam amori tuo. nunc tibi me certum eſt contra gratiam
Referre, ut apud me præmium eſſe poſitum pietati ſcias.
Mi Pamphile, hoc & vobis, & meæ commodum famæ arbitror:
Ego rus abituram hinc cum tuo me eſſe certo decrevi patre,
Ne mea præſentia obſtet, neu cauſa ulla reſtet relliqua,
Quin tua Philumena ad te redeat. *Pamph.* Quæſo, quid iſtuc conſili eſt?
Illius ſtultitia victa, ex urbe tu rus habitatum migres?

Haud facies: neque ſinam, ut qui nobis, mater, maledictum velit,
Mea pertinacia eſſe dicat factum, haud tua modeſtia.
Tum, tuas amicas te & cognatas deſerere, & feſtos dies,
Mea cauſa, nolo. *Soſtr.* Nihil pol jam iſtæc mihi res voluptatis ferunt.
Dum ætatis tempus tulit, perfuncta ſatis ſum: ſatias jam tenet
Studiorum iſtorum: hæc mihi nunc cura eſt maxuma, ut ne cui mea
Longinquitas ætatis obſtet, mortemve expectet meam.
Hic video me eſſe inviſam immerito: tempus eſt concedere.
Sic optume, ut ego opinor, omnes cauſas præcidam omnibus:
Et me hac ſuſpicione exſolvam, & illis morem geſſero.
Sine me, obſecro, hoc effugere, volgus quod male audit mulierum.
Pamph. Quam fortunatus ceteris ſum rebus, abſque una hac foret,
Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem. *Soſtr.* Obſecro, mi Pamphile,
Non tute incommodam rem, ut quæque eſt, in animum induces pati,
Si cetera ita ſunt, ut tu vis, itaque ut eſſe ego illam exiſtumo?
Mi gnate, da veniam hanc mihi, reduc illam. *Pamph.* Væ miſero mihi!
Soſtr. Et mihi quidem: nam hæc res non minus me male habet, quam te, gnate mi.

ACTUS IV. SCENA III.

Laches, Soſtrata, Pamphilus.

QUem cum iſtoc ſermonem habueris, procul hinc ſtans accepi, uxor.
ISTUC EST SAPERE, qui, ubicumque opus ſit, animum poſſis flectere;
Quod ſit faciundum poſt fortaſſe, idem hoc nunc ſi feceris.
Soſtr. Fors fuat pol. *Lac.* Abi rus ergo hinc: ibi ego te, & tu me feres.
Soſtr. Spero ecaſtor. *Lac.* I ergo intro, & compone, quæ tecum ſimul
Ferantur: dixi. *Soſtr.* Ita, ut jubes, faciam. *Pamph.* Pater.
Lac. Quid vis, Pamphile? *Pamph.* Hinc abire matrem? minime. *Lac.* Quid ita iſtuc vis?
Pamph. Quia de uxore incertus ſum etiam, quid ſim facturus. *Lac.* Quid eſt?
Quid vis facere, niſi reducere? *Pamph.* Equidem cupio, & vix contineor:
Sed non minuam meum conſilium. ex uſu quod eſt, id perſequar.
Credo ea gratia concordes, ſi non reducam, fore.
Lac. Neſcias. verum tua refert nihil, utrum illæ fecerint,
Quando hæc abierit. odioſa hæc eſt ætas adoleſcentulis:
E medio æquom excedere eſt. poſtremo nos jam fabulæ
Sumus, Pamphile, ſenex, atque anus.
Sed video Phidippum egredi per tempus. accedamus.

ACTUS IV. SCENA IV.

Phidippus, Laches, Pamphilus.

TIbi quoque edepol ſum iratus, Philumena,
Graviter quidem. nam hercle abs te factum eſt turpiter:
Etſi tibi cauſa eſt de hac re: mater te impulit:
Huic vero nulla eſt. *Lac.* Opportune te mihi,
Phidippe, in ipſo tempore oſtendis. *Phid.* Quid eſt?
Pamph. Quid reſpondebo his? aut quo pacto hoc aperiam?
Lac. Dic filiæ, rus conceſſuram hinc Soſtratam:
Ne revereatur, minus jam quo redeat domum. *Pamph.* Ah,
Nulla de his rebus culpam commeruit tua:
A Myrrhina hæc ſunt mea uxore exorta omnia.
Mutatio fit: ea nos perturbat, Lache.
Pamph. Dum ne reducam, turbent porro, quam velint.
Phid. Ego, Pamphile, eſſe inter nos, ſi fieri poteſt,
Affinitatem hanc ſane perpetuam volo:
Sin eſt, ut aliter tua ſiet ſententia,
Accipias puerum. *Pamph.* Senſit peperiſſe: occidi.
Lac. Puerum? quem puerum? *Phid.* Natus eſt nobis nepos:
Nam abducta a vobis prægnans fuerat filia;
Neque fuiſſe prægnantem umquam ante hunc ſcivi diem.
Lac. Bene, ita me Dii ament, nuncias: & gaudeo
Natum illum, & tibi illam ſalvam. ſed quid mulieris
Uxorem habes? aut quibus moratam moribus?
Noſne hoc celatos tamdiu? nequeo ſatis,
Quam hoc mihi videtur factum prave, proloqui.
Phid. Non tibi illud factum minus placet, quam mihi, Laches.
Pamph. Etiamſi dudum fuerat ambiguum hoc mihi,
Nunc non eſt, cum eam conſequitur alienus puer.
Lac. Nulla tibi, Pamphile, hic jam conſultatio eſt.
Pamph. Perii. *Lac.* Hunc videre ſæpe optabamus diem,
Cum ex te eſſet aliquis, qui te appellaret patrem.
Evenit: habeo gratiam Dis. *Pamph.* Nullu' ſum.
Lac. Reduc uxorem, ac noli advorſari mihi.
Pamph. Pater, ſi ex me illa liberos vellet ſibi,
Aut ſe eſſe mecum nuptam, ſatis certo ſcio,
Non clam me haberet, quæ celaſſe intellego.
Nunc, cum ejus alienum eſſe a me animum ſentiam,
Nec conventurum inter nos poſthac arbitror,
Quamobrem reducam? *Lac.* Mater quod ſuaſit ſua,
Adoleſcens mulier fecit: mirandumne id eſt?
Cenſen' te poſſe reperire ullam mulierem,
Quæ careat culpa? an, quia non delinquunt viri?
Phid. Voſmet videte jam, Lache, & tu Pamphile,
Remiſſan' opu' ſit vobis, reductan' domum:
Uxor quid faciat, in manu non eſt mea.
Neutra in re vobis difficultas a me erit.
Sed quid faciemus puero. *Lac.* Ridicule rogas.
Quidquid futurum eſt, huic reddas, ſuum ſcilicet,
Ut alamus noſtrum. *Pamph.* Quem ipſe neglexit pater,
Ego alam? *Lac.* Quid dixti? eho, an non alemus, Pamphile?
Prodemus, quæſo, potius? quæ hæc amentia eſt?
Enimvero prorſus jam tacere non queo.
Nam cogis ea, quæ nolo, ut præſente hoc loquar.
Ignarum cenſes tuarum lacrumarum eſſe me?
Aut, quid ſit id, quod ſollicitere ad hunc modum?
Primum, hanc ubi dixti cauſam, te propter tuam
Matrem non poſſe habere hanc uxorem domi;

Pollicita

Pollicita eſt ea, ſe conceſſuram ex ædibus.
Nunc, poſtquam ademtam hanc quoque tibi cauſam vides;
Puer quia clam te eſt natus, nactus alteram es.
Erras, tui animi ſi me eſſe ignarum putas.
Aliquando tandem huc animum ut abducas tuum,
Quam longum ſpatium amandi amicam tibi dedi?
Sumtus, quos feciſti in eam, quam animo æquo tuli?
Egi atque oravi tecum, uxorem ut duceres:
Tempus dixi eſſe: impulſu duxiſti meo.
Quæ tum, obſecutus mihi, feciſti ut decuerat:
Nunc animum rurſum ad meretricem induxti tuum:
Cui tu obſecutus, facis huic adeo injuriam.
Nam in eamdem vitam te revolutum denuo
Video eſſe. *Pamph.* Mene? *Lac.* Teipſum: & facis injuriam,
Confingis falſas cauſas ad diſcordiam,
Ut cum illa vivas, teſtem hanc cum abs te amoveris.
Senſitque adeo uxor: nam ei cauſa alia quæ fuit,
Quamobrem abs te abiret? *Phid.* Plane hic divinat: nam id eſt.
Pamph. Dabo jusjurandum nihil eſſe iſtorum tibi. *Lac.* Ah,
Reduc uxorem: aut quamobrem non opus ſit, cedo.
Pamph. Non eſt nunc tempus. *Lac.* Puerum accipias: nam is quidem
In culpa non eſt. poſt de matre videro.
Pamph. Omnibus modis miſer ſum: nec, quid agam, ſcio:
Tot me nunc rebus miſerum concludit pater.
Abibo hinc, præſens quando promoveo parum.
Nam puerum injuſſu, credo, non tollet meo,
Præſertim in ea re cum ſit mihi adjutrix ſocrus.
Lac. Fugis? hem, nec quidquam certi reſpondes mihi?
Num tibi videtur eſſe apud ſeſe? ſine:
Puerum, Phidippe, mihi cedo: ego alam. *Phid.* Maxume.
Non mirum fecit uxor mea, ſi hoc ægre tulit:
Amaræ mulieres ſunt, non facile hæc ferunt.
Propterea hæc ira eſt: nam ipſa narravit mihi:
Id ego hoc præſente tibi nolueram dicere:
Neque illi credebam primo. nunc vero palam eſt.
Nam omnino abhorrere animum huic video nuptiis.
Lac. Quid ergo agam, Phidippe? quid das conſili?
Phid. Quid agas? meretricem hanc primum adeundam cenſeo:
Oremus: accuſemus gravius: denique
Minitemur, ſi cum illo habuerit rem poſtea.
Lac. Faciam, ut mones. eho puer, curre ad Bacchidem hanc
Vicinam noſtram: huc evoca verbis meis.
Et te oro porro, in hac re adjutor ſis mihi. *Phid.* Ah,
Jamdudum dixi, idemque nunc dico, Lache,
Manere affinitatem hanc inter nos volo,
Si ullo modo eſt ut poſſit; quod ſpero fore.
Sed viſne adeſſe una, dum iſtam convenis?
Lac. Immo vero abi: aliquam puero nutricem para.

ACTUS IV. SCENA V.

Bacchis, Laches.

NOn hoc de nihilo eſt, quod Laches me nunc conventam eſſe expetit:
Nec pol me multum fallit, quin, quod ſuſpicor, ſit quod velit.
Lac. Videndum eſt, ne minus propter iram hanc impetrem, quam poſſiem,
Aut ne quid faciam plus, quod poſt me minus feciſſe ſatius ſit.
Aggrediar. Bacchis, ſalve.
Bac. Salve, Laches. *Lac.* Credo edepol te nonnihil mirari, Bacchis,
Quid ſit, quapropter te huc foras puerum evocare juſſi.
Bac. Ego pol quoque etiam timida ſum, cum venit in mentem, quæ ſim,
Ne nomen mihi quæſtus obſtet. nam mores facile tutor.
Lac. Si vera dicis, nihil tibi eſt a me pericli, mulier:
Nam jam ætate ea ſum, ut non ſiet peccato mihi ignoſci æquom:
Quo magis omnes res cautius, ne temere faciam, accuro.
Nam ſi facis, facturave es, bonas quod par eſt facere;
Inſcitum offerre injuriam tibi, immerenti iniquom eſt.
Bac. Eſt magna ecaſtor gratia de iſtac re quam tibi habeam.
Nam qui poſt factam injuriam ſe expurget, parum mihi proſit.
Sed quid iſtuc eſt? *Lac.* Meum receptas filium ad te Pamphilum. *Bac.* Ah.
Lac. Sine dicam. uxorem hanc priuſquam duxit, voſtrum amorem pertuli.
Mane: nondum etiam dixi id, quod volui. hic nunc uxorem habet.
Quære alium firmiorem tibi, dum tempus conſulendi eſt.
Nam neque ille hoc animo erit ætatem, neque pol tu eadem iſtac ætate.
Bac. Quis id ait? *Lac.* Socrus. *Bac.* Mene? *Lac.* Teipſam. & filiam abduxit ſuam:
Puerumque ob eam rem clam voluit, natus qui eſt, extinguere.
Bac. Aliud ſi ſcirem, qui firmare meam apud vos poſſem fidem,
Sanctius quam jusjurandum, id pollicerer tibi, Laches,
Me ſegregatum habuiſſe, uxorem ut duxit, a me Pamphilum.
Lac. Lepida es. ſed ſcin', quid volo potius ſodes facias? *Bac.* quid, cedo?
Lac. Eas ad mulieres huc intro, atque iſtuc jusjurandum idem
Polliceare illis: exple animum iis, teque hoc crimine expedi.
Bac. Faciam: quod pol, ſi eſſet alia ex hoc quæſtu, haud faceret, ſcio;
Ut de tali cauſa nuptæ mulieri ſe oſtenderet.
Sed nolo eſſe falſa fama gnatum ſuſpectum tuum,
Nec leviorem vobis, quibus eſt minime æquom, viderier
Immerito: nam meritus de me eſt, quod queam, illi ut commodem.
Lac. Facilem benevolumque lingua tua jam tibi me reddidit:
Nam non ſunt ſolæ arbitratæ hæ: ego quoque etiam credidi.
Nunc cum ego te eſſe præter noſtram opinionem comperi;
Fac eadem ut ſis porro: noſtra utere amicitia, ut voles.
Aliter ſi facis —— reprimam me, ne ægre quidquam ex me audias.
Verum hoc te moneo unum; qualis ſim amicus, aut quid poſſiem,
Potius quam inimicus, periclum facias.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA VI.

Phidippus, Laches, Bacchis.

NIhil apud me tibi
Deſieri patiar, quin, quod opus ſit, benigne præbeatur.
Sed cum tu ſatura atque ebria eris, puer ut ſatur ſit, facito.
Lac. Noſter ſocer, video, venit: puero nutricem adducit.
Phidippe, Bacchis dejerat perſanćte. *Phid.* Hæccine ea eſt? *Lac.* Hæc eſt.
Phid. Nec pol iſtæ metuunt Deos; neque has reſpicere Deos opinor.
Bac. Ancillas dedo: quo lubet cruciatu per me exquire.
Hæc res hic agitur: me facere, Pamphilo ut redeat uxor,
Oportet: quod ſi perficio, non pœnitet me famæ,
Solam feciſſe id, quod aliæ meretrices facere fugitant.
Lac. Phidippe, noſtras mulieres ſuſpećtas fuiſſe falſo
Nobis re in ipſa invenimus, porro hanc nunc experiamur.
Nam ſi compererit crimini tua ſe falſo uxor credidiſſe,
Miſſam iram faciet: ſin autem eſt ob eam rem iratus gnatus,
Quod peperit uxor clam, id leve eſt. cito ab eo hæc ira abſcedet.
Profećto in hac re nihil mali eſt, quod ſit diſcidio dignum.
Phid. Velim quidem hercle. *Lac.* Exquire: adeſt: quod ſatis ſit, faciet ipſa.
Phid. Quid mihi iſthæc narras? an quia non tute mihi audiſti dudum,
De hac re animus meus ut ſit, Laches? illis modo explete animum.
Lac. Quæſo edepol, Bacchis, quod mihi es pollicita tute, ut ſerves.
Bac. Ob eam rem vis ergo introeam? *Lac.* I, atque exple animum iis, ut credant.
Bac. Eo: etſi ſcio pol iis fore meum conſpećtum inviſum hodie:
Nam nupta meretrici hoſtis eſt, a viro ubi ſegregata eſt.
Lac. At hæ amicæ erunt, ubi, quamobrem adveneris, reſciſcent.
Phid. At eaſdem amicas fore tibi promitto, rem ubi cognorint:
Nam illas errore, & te ſimul ſuſpicione exſolves.
Bac. Perii, pudet Philumenæ me. ſequimini intro ambæ.
Lac. Quid eſt, quod mihi malim, quam quod huic intellego evenire,
Ut gratiam ineat ſine ſuo diſpendio, & mihi proſit?
Nam ſi eſt, ut hæc nunc Pamphilum vere ab ſe ſegregarit;
Scit ſibi nobilitatem ex eo, & rem natam, & gloriam eſſe:
Referet gratiam ei, unaque opera nos ſibi amicos junget.

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

Parmeno, Bacchis.

EDepol næ meam herus eſſe operam deputat parvi preti,
Qui ob rem nullam miſit; fruſtra ubi totum deſedi diem,
Myconium hoſpitem dum expećto in arce Callidemidem.
Itaque ineptus hodie dum illic ſedeo, ut quiſque venerat,
Accedebam: Adoleſcens, dic dum, quæſo, es tu Myconius?
Non ſum. At Callidemides? Non. Hoſpitem ecquem Pamphilum
Hic habes? omnes negabant: neque eum quemquam eſſe arbitror.
Denique hercle jam pudebat: abii. ſed, quid Bacchidem
Ab noſtro affine exeuntem video? quid huic hic eſt rei?
Bac. Parmeno, opportune te offers: propere curre ad Pamphilum.
Par. Quid eo? *Bac.* Dic me orare, ut veniat. *Par.* Ad te? *Bac.* Immo ad Philumenam.
Par. Quid rei eſt? *Bac.* Tua quod nil refert, percontari deſinas.
Par. Nihil aliud dicam? *Bac.* Etiam, cognoſſe annulum illum Myrrhinam
Gnatæ ſuæ fuiſſe, quem ipſus olim mihi dederat,
Par. Scio.
Tantumne eſt? *Bac.* Tantum. aderit continuo, hoc ubi ex te audiverit.
Sed ceſſas? *Par.* Minime equidem: nam hodie mihi poteſtas haud data eſt:
Ita curſando, atque ambulando totum hunc contrivi diem.

ACTUS V. SCENA II.

Bacchis.

QUantam obtuli adventu meo lætitiam Pamphilo hodie?
Quot commodas res attuli? quot autem ademi curas?
Gnatum ei reſtituo, qui pene harum ipſiuſque opera periit:
Uxorem, quam numquam eſt ratus poſthac ſe habiturum, reddo:
Qua re ſuſpectus ſuo patri, & Phidippo fuit, exſolvi.
Hic adeo his rebus annulus fuit initium inveniundis.
Nam memini, abhinc menſes decem fere ad me nocte prima
Confugere anhelantem domum, ſine comite, vini plenum,
Cum hoc annulo. extimui illico. Mi Pamphile, inquam, amabo,
Quid es exanimatus, obſecro? aut unde annulum iſtum nactus?
Dic mihi. ille, alias res agere ſe ſimulare. poſtquam video,

Neſcio

Neſcio quid ſuſpicarier, magis cœpi inſtare, ut dicat.
Homo ſe fatetur vi in via neſcio quam compreſſiſſe:
Dicitque ſeſe illi annulum, dum luctat, detraxiſſe:
Eum hæc cognovit Myrrhina in digito modo me habentem:
Rogat, unde ſit. narro omnia hæc: inde eſt cognitio facta,
Philumenam eſſe compreſſam ab eo, & filium inde hunc natum.
Hæc tot propter me gaudia illi contigiſſe lætor:
Etſi hoc meretrices aliæ nolunt: neque enim eſt in rem noſtram,
Ut quiſquam amator nuptiis lætetur. verum ecaſtor
Numquam animum quæſti gratia ad malas adducam partes.
Ego, dum illo licitum eſt, uſa ſum benigno & lepido & comi.
Incommode mihi nuptiis evenit, factum fateor.
At pol me feciſſe arbitror, ne id merito mihi eveniret.
MULTA EX QUO fuerint commoda, ejus incommoda æquom eſt ferre.

ACTUS V. SCENA III.

Pamphilus, Parmeno, Bacchis.

VIde, mi Parmeno, etiam ſodes, ut mi hæc certa & clara attuleris:
Ne me in breve hoc conjicias tempus, gaudio hoc falſo frui.
Par. Viſum eſt. *Pamph.* Certene? *Par.* Certe. *Pamph.* Deus ſum, ſi hoc ita eſt. *Par.* Verum reperies.
Pamph. Manedum, ſodes. timeo ne aliud credam, atque aliud nuncies.
Par. Maneo. *Pamph.* Sic te dixiſſe opinor, inveniſſe Myrrhinam
Bacchidem annulum ſuum habere. *Par.* Factum. *Pamph.* Eum, quem olim ei dedi:
Eaque hoc te mihi nunciare juſſit: itane eſt factum? *Par.* Ita, inquam.
Pamph. Quis me eſt fortunatior, venuſtatiſque adeo plenior?
Egon' te pro hoc nuncio quid donem? quid? quid? neſcio.
Par. At ego ſcio. *Pamph.* Quid? *Par.* Nihil enim.
Nam neque in nuncio, neque in meipſo, tibi quid ſit boni, ſcio.
Pamph. Egon', qui ab orco mortuum me reducem in lucem feceris,
Sinam ſine munere a me abire? ah, nimium me ingratum putas.
Sed Bacchidem eccam video ſtare ante oſtium:
Me exſpectat, credo. adibo. *Bac.* Salve, Pamphile.
Pamph. O Bacchis, o mea Bacchis, ſervatrix mea!
Bac. Bene factum, & volup' eſt. *Pamph.* Factis ut credam, facis:
Antiquamque adeo tuam venuſtatem obtines,
Ut voluptati obitus, ſermo, adventus tuus, quocumque adveneris,
Semper ſiet. *Bac.* At tu, ecaſtor, morem antiquom atque ingenium obtines,
Ut unus omnium homo te vivat numquam quiſquam blandior.
Pamph. Ha, ha, hæ! tun' mihi iſtuc? *Bac.* Recte amaſti, Pamphile, uxorem tuam:
Nam numquam ante hunc diem meis oculis eam, quod noſſem, videram.
Perliberalis viſa eſt. *Pamph.* Dic verum. *Bac.* Ita me dii ament, Pamphile.
Pamph. Dic mihi, harum rerum numquid dixti jam patri? *Bac.* Nil. *Pamph.* Neque opus eſt
Adeo muſſito: placet hoc non fieri itidem, ut in comœdiis,
Omnia omnes ubi reſciſcunt: hic, quos par fuerat reſciſcere,
Sciunt; quos non autem ſcire æquom eſt, neque reſciſcent, neque ſcient.
Bac. Immo etiam, qui hoc occultari facilius credas, dabo:
Myrrhina ita Phidippo dixit, jurijurando meo
Se fidem habuiſſe, & propterea te ſibi purgatum. *Pamph.* Optume eſt:
Speroque hanc rem eſſe eventuram nobis ex ſententia.
Par. Here, licetne ſcire ex te, hodie quid ſit quod feci boni?
Aut quid iſtuc eſt, quod vos agitis? *Pamph.* Non licet. *Par.* Tamen ſuſpicor.
Egon' hunc ab orco mortuum? quo pacto? *Pamph.* Neſcis, Parmeno,
Quantum hodie profueris mihi, & ex quanta ærumna extraxeris.
Par. Immo vero ſcio, neque hoc imprudens feci. *Pamph.* Ego iſtuc ſati' ſcio. *Par.* An
Temere quidquam Parmenonem prætereat, quod facto uſu' ſit?
Pamph. Sequere me intro, Parmeno. *Par.* Sequor: equidem plus hodie boni
Feci imprudens, quam ſciens ante hunc diem umquam. Plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

T. LU-

T. LUCRETII CARI
DE
RERUM NATURA
LIBER PRIMUS.

AEneadum genetrix, hominum divumque voluptas,
Alma Venus, cæli ſubter labentia ſigna
Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferenteis
Concelebras; per Te quoniam genus omne animantum
Concipitur, viſitque exortum lumina ſolis:
Te, Dea, te fugiunt venti, te nubila cæli,
Adventumque tuum: tibi ſuaveis dædala tellus
Summittit flores, tibi rident æquora ponti,
Placatumque nitet diffuſo lumine cælum.
Nam ſimul ac ſpecies patefacta eſt verna diei,
Et reſerata viget genitabilis aura Favoni;
Aeriæ primum volucres te, Diva, tuumque
Significant initum perculſæ corda tua vi.
Inde feræ pecudes perſultant pabula læta,
Et rapidos tranant amneis; ita capta lepore,
Illecebriſque tuis omnis natura animantum
Te ſequitur cupide, quo quamque inducere pergis.
Denique per maria, ac monteis, fluvioſque rapaceis,
Frondiferaſque domos avium, campoſque virenteis,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis, ut cupide generatim ſecla propagent.
Quæ quoniam rerum Naturam ſola gubernas;
Nec ſine Te quidquam dias in luminis oras
Exoritur, neque fit lætum, neque amabile quidquam;
Te ſociam ſtudeo ſcribundis verſibus eſſe,
Quos ego de Rerum Natura pangere conor
Memmiadæ noſtro: quem tu, Dea, tempore in omni
Omnibus ornatum voluiſti excellere rebus.
Quo magis æternum da dictis, Diva, leporem.
Effice, ut interea fera mœnera militiai
Per maria, ac terras omneis ſopita quieſcant.
Nam Tu ſola potes tranquilla pace juvare
Mortaleis, quoniam belli fera mœnera Mavors
Armipotens regit, in gremium qui ſæpe tuum ſe
Rejicit, æterno devinctus volnere amoris;
Atque ita ſuſpiciens tereti cervice repoſta
Paſcit amore avidos inhians in te, Dea, viſus:
Eque tuo pendet reſupini ſpiritus ore.
Hunc tu, Diva, tuo recubantem corpore ſancto
Circumfuſa ſuper, ſuaveis ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis Incluta pacem.
Nam neque nos agere hoc patriai tempore iniquo
Poſſumus æquo animo: neque Memmi clara propago
Talibus in rebus communi deeſſe ſaluti.
Quod ſupereſt, vacuas aureis mihi, Memmiada, & te
Semotum a curis adhibe veram ad rationem,
Ne mea dona tibi ſtudio diſpoſta fideli,
Intellecta prius quam ſint, contemta relinquas.
Nam tibi de ſumma Cæli ratione, Deumque
Diſſerere incipiam, & rerum primordia pandam:
Unde omneis Natura creet res, auctet, alatque:
Quove eadem rurſum Natura perempta reſolvat:
Quæ nos Materiem, & Genitalia Corpora rebus
Reddunda in ratione vocare, & Semina rerum
Appellare ſuemus, & hæc eadem uſurpare
Corpora Prima, quod ex illis ſunt omnia primis.
Omnis enim per ſe Divum natura neceſſe eſt
Immortali ævo ſumma cum pace fruatur,
Semota ab noſtris rebus, ſejunctaque longe;
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.
Humana ante oculos fœde cum vita jaceret
In terris oppreſſa gravi ſub relligione;
Quæ caput a cœli regionibus oſtendebat
Horribili ſuper aſpectu mortalibus inſtans;
Primum Grajus homo mortaleis tollere contra
Eſt oculos auſus, primuſque obſiſtere contra:
Quem nec fama deum, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compreſſit cælum, ſed eo magis acrem
Virtutem irritant animi, confringere ut arcta
Naturæ primus portarum clauſtra cupiret.
Ergo vivida vis animi pervicit, & extra
Proceſſit longe flammantia mœnia mundi:
Atque Omne immenſum peragravit mente animoque:
Unde refert nobis victor quid poſſit oriri,
Quid nequeat; finita poteſtas denique quoique
Quanam ſit ratione, atque alte terminus hærens.
Quare relligio pedibus ſubjecta viciſſim
Obteritur, nos exæquat victoria cælo.
Illud in his rebus vereor, ne forte rearis
Impia te rationis inire elementa, viamque
Endogredi ſceleris: quod contra ſæpius olim
Relligio peperit ſceleroſa atque impia facta:
Aulide quo pacto Triviai virginis aram
Iphianaſſai turparunt ſanguine fœde
Ductores Danaum, delecti, prima virorum.
Cui ſimul infula virgineos circumdata comtus
Ex utraque pari malarum parte profuſa eſt,
Et mœſtum ſimul ante aras adſtare parentem
Senſit, & hunc propter ferrum celare miniſtros;
Aſpectuque ſuo lacrimas effundere civeis:
Muta metu terram genibus ſummiſſa petebat:
Nec miſeræ prodeſſe in tali tempore quibat,
Quod patrio princeps donarat nomine regem.
Nam ſublata virum manibus tremebundaque ad aras
Deducta eſt, non ut, ſolemni more ſacrorum
Perfecto, poſſet claro comitari hymenæo:

Sed caſta inceſte nubendi tempore in ipſo,
Hoſtia concideret mactatu mæſta parentis,
Exitus ut claſſi felix fauſtuſque daretur.
Tantum relligio potuit ſuadere malorum.
Tutemet a nobis jam quovis tempore vatum
Terriloquis victus dictis deſciſcere quæres;
Quippe etenim quam multa tibi jam fingere poſſum
Somnia, quæ vitæ rationes vertere poſſint,
Fortunaſque tuas omneis turbare timore?
Et merito: nam ſi certam finem eſſe viderent
Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
Relligionibus, atque minis obſiſtere vatum:
Nunc ratio nulla eſt reſtandi, nulla facultas;
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.
Ignoratur enim quæ ſit natura animai,
Nata ſit, an contra naſcentibus inſinuetur,
Et ſimul intereat nobiſcum morte diremta,
An tenebras Orci viſat, vaſtaſque lacunas;
An pecudes alias divinitus inſinuet ſe,
Ennius ut noſter cecinit, qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
Per genteis Italas hominum quæ clara clueret.
Etſi præterea tamen eſſe Acheruſia templa
Ennius æternis exponit verſibus, edens:
Quo neque permanent animæ, neque corpora noſtra;
Sed quædam ſimulacra modis pallentia miris:
Unde ſibi exortam ſemperflorentis Homeri
Commemorat ſpeciem, lacrumas & fundere ſalſas
Cœpiſſe, & rerum naturam expandere dictis.
Quapropter bene, cum, ſuperis de rebus habenda
Nobis eſt ratio; ſolis lunæque meatus
Qua fiant ratione; & qua vi quæque genantur
In terris: tum, cum primis, ratione ſagaci
Unde anima, atque animi conſtet natura, videndum;
Et quæ res nobis vigilantibus obvia menteis
Terrificet, morbo affectis, ſomnoque ſepultis:
Cernere uti videamur eos, audireque coram,
Morte obita quorum tellus amplectitur oſſa.
Nec me animi fallit, Grajorum obſcura reperta
Difficile illuſtrare latinis verſibus eſſe,
(Multa novis verbis præſertim cum ſit agendum)
Propter egeſtatem linguæ, & rerum novitatem:
Sed tua me virtus tamen, & ſperata voluptas
Suavis amicitiæ, quemvis perferre laborem
Suadet, & inducit nocteis vigilare ſerenas,
Quærentem dictis quibus, & quo carmine demum
Clara tuæ poſſim præpandere lumina menti,
Res quibus occultas penitus conviſere poſſis.
Hunc igitur terrorem animi, tenebraſque neceſſe eſt
Non radii ſolis, neque lucida tela diei
Diſcutiant, ſed naturæ ſpecies, ratioque:
Principium hinc cujus nobis exordia ſumet,
Nullam rem e nihilo gigni divinitus umquam.
Quippe ita formido mortaleis continet omneis,
Quod multa in terris fieri, cæloque tuentur,
Quorum operum cauſſas nulla ratione videre
Poſſunt, ac fieri divino numine rentur.
Quas ob res, ubi viderimus, nil poſſe creari
De nihilo: tum, quod ſequimur, jam rectius inde
Perſpiciemus; & unde queat res quæque creari,
Et quo quæque modo fiant opera ſine divum.
Nam ſi de nihilo fierent, ex omnibus rebus
Omne genus naſci poſſet; nil ſemine egeret:
E mare primum homines, e terra poſſet oriri
Squamigerum genus, & volucres; erumpere cælo
Armenta, atque aliæ pecudes: genus omne ferarum
Incerto partu culta, ac deſerta teneret.
Nec fructus iidem arboribus conſtare ſolerent,
Sed mutarentur: ferre omnes omnia poſſent.
Quippe, ubi non eſſent genitalia corpora quoique,
Qui poſſet mater rebus conſiſtere certa?
At nunc ſeminibus quia certis quidque creatur,
Inde enaſcitur, atque oras in luminis exit,
Materies ubi ineſt cujuſque & corpora prima.
Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,
Quod certis in rebus ineſt ſecreta facultas.
Præterea, cur vere roſam, frumenta calore,
Viteis autumno fundi ſudante videmus:
Si non, certa ſuo quia tempore ſemina rerum
Cum confluxerunt, pateſit quodcumque creatur,
Dum tempeſtates adſunt, & vivida tellus
Tuto res teneras effert in luminis oras?
Quod ſi de nihilo fierent, ſubito exorerentur
Incerto ſpatio, atque alienis partibus anni:
Quippe ubi nulla forent primordia, quæ genitali
Concilio poſſent arceri tempore iniquo.
Nec porro augendis rebus ſpatio foret uſus
Seminis ad coitum, e nihilo ſi creſcere poſſent.
Nam fierent juvenes ſubito ex infantibus parvis:
E terraque exorta repente arbuſta ſalirent.
Quorum nil fieri manifeſtum eſt, omnia quando
Paullatim creſcunt (ut par eſt) ſemine certo:
Creſcendoque genus ſervant; ut noſcere poſſis
Quæque ſua de materia grandeſcere, alique.
Huc accedit, uti ſine certis imbribus anni
Lætificos nequeat fœtus ſummittere tellus:
Nec porro ſecreta cibo natura animantum
Propagare genus poſſit, vitamque tueri:
Ut potius multis communia corpora rebus
Multa putes eſſe, ut verbis elementa videmus,
Quam ſine principiis ullam rem exſiſtere poſſe.
Denique cur homines tantos natura parare
Non potuit, pedibus qui pontum per vada poſſent
Tranſire, & magnos manibus divellere monteis,
Multaque vivendo vitalia vincere ſecla:
Si non materies quia rebus reddita certa eſt
Gignundis, e qua conſtat quid poſſit oriri?
Nil igitur fieri de nilo poſſe fatendum eſt:
Semine quando opus eſt rebus, quo quæque creatæ
Aeris in teneras poſſint proferrier auras.
Poſtremo, quoniam incultis præſtare videmus
Culta loca, & manibus meliores reddere fœtus:
Eſſe videlicet in terris primordia rerum,
Quæ nos fœcundas vertentes vomere glæbas,
Terraique ſolum ſubigentes, cimus ad ortus.
Quod ſi nulla forent, noſtro ſine quæque labore
Sponte ſua multo fieri meliora videres.
Huc accedit, uti quidque in ſua corpora rurſum
Diſſolvat natura, neque ad nihilum interimat res.
Nam, ſiquid mortale e cunctis partibus eſſet,
Ex oculis res quæque repente erepta periret;
Nulla vi foret uſus enim, quæ partibus ejus
Diſcidium parere, & nexus exſolvere poſſet.
At nunc, æterno quia conſtant ſemine quæque,
Donec vis obiit, quæ res diverberet ictu,
Aut intus penetret per inania, diſſoluatque,
Nullius exitium patitur natura videri.
Præterea, quæcumque vetuſtate amovet ætas,
Si penitus perimit conſumens materiem omnem,
Unde animale genus generatim in lumina vitæ
Redducit Venus? aut redductum dædala tellus
Unde alit, atque auget, generatim pabula præbens?

Unde mare ingenui fontes, externaque longe
Flumina ſuppeditant? unde æther ſidera paſcit?
Omnia enim debet, mortali corpore quæ ſunt,
Infinita ætas conſumſe anteacta dieſque.
Quod ſi in eo ſpatio, atque anteacta ætate fuere,
E quibus hæc rerum conſiſtit ſumma refecta:
Immortali ſunt natura prædita certe.
Haud igitur poſſunt ad nilum quæque reverti.

Denique res omneis eadem vis, cauſſaque volgo
Conficeret, niſi materies æterna teneret
Inter ſe nexas minus aut magis endopedite.
Tactus enim leti ſatis eſſet cauſa profecto:
Quippe, ubi nulla forent æterno corpore, eorum
Contextum vis deberet diſſolvere quæque.
At nunc, inter ſe quia nexus principiorum
Diſſimiles conſtant, æternaque materies eſt,
Incolumi remanent res corpore, dum ſatis acris
Vis obeat pro textura cujuſque reperta.
Haud igitur redit ad nihilum res ulla, ſed omnes
Diſcidio redeunt in corpora materiai.

Poſtremo pereunt imbres, ubi eos pater æther
In gremium matris terrai præcipitavit.
At nitidæ ſurgunt fruges, ramique vireſcunt
Arboribus; creſcunt ipſæ, fœtuque gravantur.
Hinc alitur porro noſtrum genus, atque ferarum:
Hinc lætas urbeis pueris florere videmus,
Frundiferaſque novis avibus canere undique ſilvas.
Hinc feſſæ pecudes pingues per pabula læta
Corpora deponunt, & candens lacteus humor
Uberibus manat diſtentis; hinc nova proles
Artubus infirmis teneras laſciva per herbas
Ludit, lacte mero menteis percuſſa novellas.
Haud igitur penitus pereunt, quæcumque videntur:
Quando alid ex alio reficit Natura, nec ullam
Rem gigni patitur, niſi morte adjutam aliena.

Nunc age, res quoniam docui non poſſe creari
De nihilo, neque item genitas ad nil revocari;
Ne qua forte tamen cœptes diffidere dictis,
Quod nequeunt oculis rerum primordia cerni;
Accipe præterea, quæ corpora tute neceſſe eſt
Confiteare eſſe in rebus, nec poſſe videri.

Principio, venti vis verberat incita pontum,
Ingenteiſque ruit naveis, & nubila differt;
Interdum rapido percurrens turbine campos
Arboribus magnis ſternit, monteiſque ſupremos
Silvifragis vexat flabris: ita perfurit acri
Cum fremitu, ſævitque minaci murmure pontus.
Sunt igitur venti nimirum corpora cæca,
Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cæli
Verrunt, ac ſubito vexantia turbine raptant.
Nec ratione fluunt alia, ſtragemque propagant,
Ac cum mollis aquæ fertur natura repente
Flumine abundanti, quod largis imbribus auget
Montibus ex altis magnus decurſus aquai,
Fragmina conjiciens ſilvarum, arbuſtaque tota;
Nec validi poſſunt pontes venientis aquai
Vim ſubitam tolerare: ita magno turbidus imbri
Molibus incurrens validis cum viribus amnis,
Dat ſonitu magno ſtragem; volvitque ſub undis
Grandia ſaxa, ruit qua quidquid fluctibus obſtat.
Sic igitur debent venti quoque flamina ferri:
Quæ, veluti validum flumen, cum procubuere
Quamlibet in partem, trudunt res ante, ruuntque
Impetibus crebris; interdum vertice torto
Corripiunt, rapidoque rotantia turbine portant.
Quare etiam atque etiam ſunt venti corpora cæca;
Quandoquidem factis ac moribus, æmula magnis
Amnibus inveniuntur, aperto corpore qui ſunt.

Tum porro varios rerum ſentimus odores,
Nec tamen ad nareis venienteis cernimus umquam:
Nec calidos æſtus tuimur, nec frigora quimus
Uſurpare oculis, nec voces cernere ſuemus;
Quæ tamen omnia corporea conſtare neceſſe eſt
Natura: quoniam ſenſus impellere poſſunt.
Tangere enim & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.
Denique fluctifrago ſuſpenſæ in litore veſtes
Uveſcunt, eædem diſpanſæ in ſole ſereſcunt;
At neque quo pacto perſederit humor aquai
Viſum eſt, nec rurſum quo pacto fugerit æſtu;
In parvas igitur parteis diſpergitur humor,
Quas oculi nulla poſſunt ratione videre.

Quin etiam multis ſolis redeuntibus annis
Annulus in digito ſubtertenuatur habendo:
Stillicidi caſus lapidem cavat: uncus aratri
Ferreus occulte decreſcit vomer in arvis:
Strataque jam volgi pedibus detrita viarum
Saxea conſpicimus: tum portas propter ahena
Signa manus dextras oſtendunt attenuari
Sæpe ſalutantum tactu, præterque meantum.
Hæc igitur minui, cum ſint detrita, videmus;
Sed quæ corpora decedant in tempore quoque,
Invida præcluſit ſpeciem natura videndi.

Poſtremo, quæcumque dies, naturaque rebus
Paullatim tribuit, moderatim creſcere cogens,
Nulla poteſt oculorum acies contenta tueri;
Nec porro quæcumque ævo, macieque ſeneſcunt,
Nec mare quæ impendent veſco ſale ſaxa pereſa,
Quid quoque amittant in tempore, cernere poſſis.
Corporibus cæcis igitur natura gerit res.

Nec tamen undique corporea ſtipata tenentur
Omnia Natura, namque eſt in rebus inane.
Quod tibi cognoſſe in multis erit utile rebus:
Nec ſinet errantem dubitare, & quærere ſemper
De ſumma rerum, & noſtris diffidere dictis.
Quapropter locus eſt intactus inane, vacanſque.

Quod ſi non eſſet, nulla ratione moveri
Res poſſent; namque, officium quod corporis exſtat,
Officere, atque obſtare, id in omni tempore adeſſet
Omnibus: haud igitur quidquam procedere poſſet,
Principium quoniam cedendi nulla daret res.
At nunc per maria, ac terras, ſublimaque cæli,
Multa modis multis varia ratione moveri
Cernimus ante oculos; quæ, ſi non eſſet inane,
Non tam ſollicito motu privata carerent,
Quam genita omnino nulla ratione fuiſſent:
Undique materies quoniam ſtipata quieſſet.

Præterea quamvis ſolidæ res eſſe putentur,
Hinc tamen eſſe licet raro cum corpore cernas:
In ſaxis, ac ſpeluncis permanat aquarum
Liquidus humor, & uberibus flent omnia guttis:
Diſſupat in corpus ſeſe cibus omne animantum:
Creſcunt arbuſta, & fœtus in tempore fundunt,
Quod cibus in totas uſque ab radicibus imis
Per truncos, ac per ramos diffunditur omneis:
Inter ſæpta meant voces, & clauſa domorum
Tranſvolitant: rigidum permanat frigus ad oſſa.
Quod, niſi inania ſint, qua poſſent corpora quæque
Tranſire, haud ulla fieri ratione videres.

Denique cur alias aliis præſtare videmus
Pondere res rebus, nihilo majore figura?
Nam, ſi tantumdem eſt in lanæ glomere, quantum
Corporis in plumbo eſt, tantumdem pendere par eſt;
Cor-

Corporis officium eſt quoniam premere omnia deorſum:
Contra autem natura manet ſine pondere inanis.
Ergo quod magnum eſt æque, leviuſque videtur,
Nimirum plus eſſe ſibi declarat inanis.
At contra gravius plus in ſe corporis eſſe
Dedicat, & multo vacui minus intus habere.
Eſt igitur nimirum id, quod ratione ſagaci
Quærimus, admiſtum rebus, quod inane vocamus.
 Illud in his rebus, ne te deducere vero
Poſſit, quod quidam fingunt, præcurrere cogor.
Cedere ſquamigeris latices nitentibus aiunt,
Et liquidas aperire vias; quia poſt loca piſces
Linquant, quo poſſint cedentes confluere undæ:
Sic alias quoque res inter ſe poſſe moveri,
Et mutare locum; quamvis ſint omnia plena.
Scilicet id falſa totum ratione receptum eſt.
Nam quo ſquamigeri poterunt procedere tandem,
Ni ſpatium dederint latices? concedere porro
Quo poterunt undæ, cum piſces ire nequibunt?
Aut igitur motu privandum eſt corpora quæque;
Aut eſſe admiſtum dicendum eſt rebus inane;
Unde initum primum capiat res quæque movendi.
 Poſtremo duo de concurſu corpora lata
Si cita diſſiliant, nempe aer omne neceſſe eſt,
Inter corpora quod fuvat, poſſidat inane.
Is porro, quamvis circum celerantibus auris
Confluat, haud poterit tamen uno tempore totum
Compleri ſpatium: nam primum quemque neceſſe eſt
Occupet ille locum, deinde omnia poſſideantur.
 Quod ſi forte aliquis, cum corpora diſſiluere,
Tum putat id fieri, quia ſe condenſeat aer,
Errat; nam vacuum tunc ſit, quod non fuit ante;
Et repletur item, vacuum quod conſtitit ante:
Nec tali ratione poteſt denſerier aer,
Nec, ſi jam poſſet, ſine inani poſſet, opinor,
Se ipſe in ſe trahere, & parteis conducere in unum.
Quapropter, quamvis cauſſando multa moreris,
Eſſe in rebus inane tamen fateare neceſſe eſt.
 Multaque præterea tibi poſſum commemorando
Argumenta, fidem dictis conradere noſtris;
Verum animo ſatis hæc veſtigia parva ſagaci
Sunt, per quæ poſſis cognoſcere cetera tute:
Namque canes ut montivagæ perſæpe ferai
Naribus inveniunt intectas frunde quietes,
Cum ſemel inſtiterunt veſtigia certa viai:
Sic alid ex alio per te tute ipſe videre
Talibus in rebus poteris, cæcaſque latebras
Inſinuare omneis, & verum protrahere inde:
Quod ſi pigraris, paullumve abſceſſeris ab re,
Hoc tibi de plano poſſum promittere, Memmi,
Uſque adeo largos hauſtus de fontibus magnis
Lingua meo ſuavis diti de pectore fundet,
Ut verear, ne tarda prius per membra ſenectus
Serpat, & in nobis vitai clauſtra reſolvat,
Quam tibi de quavis una re verſibus omnis
Argumentorum ſit copia miſſa per aureis.
Sed nunc jam repetam cœptum pertexere dictis.
 Omnis, ut eſt, igitur, per ſe, Natura, duabus
Conſiſtit rebus; nam corpora ſunt, & inane,
Hæc in quo ſita ſunt, & qua diverſa moventur:
Corpus enim per ſe communis deliquat eſſe
Senſus; quo niſi prima fides fundata valebit,
Haud erit, occultis de rebus quo referentes
Confirmare animi quidquam ratione queamus.
Tum porro locus, ac ſpatium, quod inane vocamus,
Si nullum foret, haud uſquam ſita corpora poſſent
Eſſe, neque omnino quaquam diverſa meare;
Id quod jam ſupera tibi paullo oſtendimus ante.
 Præterea nihil eſt, quod poſſis dicere ab omni
Corpore ſejunctum, ſecretumque eſſe ab inani:
Quod quaſi tertia ſit rerum natura reperta.
Nam quodcumque erit, eſſe aliquid debebit id ipſum
Augmine vel grandi, vel parvo denique, dum ſit;
Cui ſi tactus erit quamvis levis, exiguuſque,
Corporum augebit numerum, ſummamque ſequetur;
Sin intactile erit, nulla de parte quod ullam
Rem prohibere queat per ſe tranſire meantem;
Scilicet hoc id erit vacuum, quod inane vocamus.
 Præterea per ſe quodcumque erit, aut faciet quid,
Aut aliis fungi debebit agentibus ipſum;
Aut erit ut poſſint in eo res eſſe, gerique:
At facere & fungi ſine corpore nulla poteſt res:
Nec præbere locum porro, niſi inane, vacanſque.
Ergo præter inane, & corpora, tertia per ſe
Nulla poteſt rerum in numero natura relinqui;
Nec, quæ ſub ſenſus cadat ullo tempore noſtros,
Nec, ratione animi quam quiſquam poſſit apiſci.
Nam quæcumque cluent, aut his conjuncta duabus
Rebus ea invenies; aut horum eventa videbis.
Conjunctum eſt id, quod numquam ſine perniciali
Diſcidio potis eſt ſejungi, ſeque gregari:
Pondus uti ſaxis, calor ignibus, liquor aquai,
Tactus corporibus cunctis, intactus inani.
Servitium contra, libertas, divitiæque,
Paupertas, bellum, concordia, cetera, quorum
Adventu manet incolumis natura, abituque,
Hæc ſoliti ſumus, ut par eſt, eventa vocare.
 Tempus item per ſe non eſt, ſed rebus ab ipſis
Conſequitur ſenſus, tranſactum quid ſit in ævo,
Tum quæ res inſtet; quid porro deinde ſequatur:
Nec per ſe quemquam tempus ſentire fatendum eſt
Semotum ab rerum motu, placidaque quiete.
 Denique Tyndaridem raptam, belloque ſubactas
Trojugenas genteis cum dicunt eſſe, videndum eſt,
Ne forte hæc per ſe, cogant nos, eſſe fateri:
Quando ea ſecla hominum, quorum hæc eventa fuere,
Irrevocabilis abſtulerit jam præterita ætas.
Namque alid rebus, alid regionibus ipſis
Eventum dici poterit, quodcumque erit actum.
 Denique materies ſi rerum nulla fuiſſet,
Nec locus, ac ſpatium, res in quo quæque geruntur;
Numquam Tyndaridis formæ conflatus amore
Ignis Alexandri Phrygio ſub pectore gliſcens
Clara accendiſſet ſævi certamina belli:
Nec clam durateus Trojai Pergama partu
Inflammaſſet equus nocturno Grajugenarum:
Perſpicere ut poſſis res geſtas funditus omneis,
Non ita, uti corpus per ſe conſtare, nec eſſe:
Nec ratione cluere eadem, qua conſtat inane:
Sed magis ut merito poſſis eventa vocare
Corporis, atque loci, res in quo quæque gerantur.
 Corpora ſunt porro partim primordia rerum,
Partim concilio quæ conſtant principiorum.
Sed quæ ſunt rerum primordia, nulla poteſt vis
Stringere; nam ſolido vincunt ea corpore demum:
Etſi difficile eſſe videtur credere quidquam
In rebus ſolido reperiri corpore poſſe;
Tranſit enim fulmen cæli per ſæpta domorum,
Clamor ut, ac voces: ferrum candeſcit in igne:
Diſſiliuntque fero ferventia ſaxa vapore:
Conlabefactatus rigor auri ſolvitur æſtu:
Tum glacies æris flamma devicta liqueſcit:

Permanat calor argentum, penetraleque frigus,
Quando utrumque, manu retinentes pocula rite,
Senſimus inſuſo lympharum rore ſuperne:
Uſque adeo in rebus ſolidi nihil eſſe videtur.
Sed quia vera tamen ratio, naturaque rerum
Cogit, ades, paucis dum verſibus expediamus,
Eſſe ea, quæ ſolido atque æterno corpore conſtent,
Semina quæ rerum, primordiaque eſſe docemus:
Unde omnis rerum nunc conſtet ſumma creata.
Principio quoniam duplex natura duarum
Diſſimilis rerum longe conſtare reperta eſt,
Corporis atque loci, res in quo quæque geruntur,
Eſſe utramque ſibi per ſe, puramque neceſſe eſt.
Nam quacumque vacat ſpatium, quod inane vocamus,
Corpus ea non eſt: qua porro cumque tenet ſe
Corpus, ea vacuum nequaquam conſtat inane.
Sunt igitur ſolida, ac ſine inani corpora prima.
Præterea quoniam genitis in rebus inane eſt,
Materiem circum ſolidam conſtare neceſſe eſt:
Nec res ulla poteſt vera ratione probari
Corpore inane ſuo celare, atque intus habere;
Si non, quod cohibet, ſolidum conſtare relinquas.
Id porro nihil eſſe poteſt, niſi materiai
Concilium, quod inane queat rerum cohibere.
Materies igitur ſolido quæ corpore conſtat,
Eſſe æterna poteſt, cum cetera diſſoluantur.
Tum porro ſi nil eſſet, quod inane vacaret,
Omne foret ſolidum; niſi contra corpora cæca
Eſſent, quæ loca complerent, quæcumque tenerent:
Omne quod eſt ſpatium, vacuum conſtaret inane.
Alternis igitur nimirum corpus inani
Diſtinctum eſt, quoniam nec plenum naviter exſtat;
Nec porro vacuum: ſunt ergo corpora cæca,
Quæ ſpatium pleno poſſint diſtinguere inane.
Hæc neque diſſolvi plagis extrinſecus icta
Poſſunt: nec porro penitus penetrata retexi;
Nec ratione queunt alia tentata labare:
Id quod jam ſupera tibi paullo oſtendimus ante.
Nam neque conlidi ſine inani poſſe videtur
Quidquam, nec frangi, nec findi in bina ſecando:
Nec capere humorem, neque item manabile frigus,
Nec penetralem ignem, quibus omnia conficiuntur:
Et quam quæque magis cohibet res intus inane,
Tam magis his rebus penitus tentata labaſcit.
Ergo, ſi ſolida, ac ſine inani corpora prima
Sunt, ita uti docui, ſint hæc æterna neceſſe eſt.
Præterea, niſi materies æterna fuiſſet,
Antehac ad nihilum penitus res quæque rediſſent,
De nihiloque renata forent quæcumque videmus.
At quoniam ſupera docui nil poſſe creari
De nihilo, neque quod genitum eſt ad nil revocari:
Eſſe immortali primordia corpore debent,
Diſſolvi quo quæque ſupremo tempore poſſint;
Materies ut ſuppeditet rebus reparandis.
Sunt igitur ſolida primordia ſimplicitate,
Nec ratione queunt alia ſervata per ævum
Ex infinito jam tempore res reparare.
Denique, ſi nullam finem natura paraſſet
Frangendis rebus, jam corpora materiai
Uſque redacta forent, ævo frangente priore,
Ut nihil ex illis a certo tempore poſſet
Conceptum, ſummum ætatis pervadere florem:
Nam quidvis citius diſſolvi poſſe videmus,
Quam rurſus refici. quapropter longa diei
Infinitæ ætas anteacti temporis omnis
Quod fregiſſet adhuc, diſturbans, diſſoluenſque,
Id numquam reliquo reparari tempore poſſet:
At nunc nimirum frangendi reddita finis
Certa manet: quoniam refici rem quamque videmus,
Et finita ſimul generatim tempora rebus
Stare, quibus poſſint ævi contingere florem.
Huc accedit, uti ſolidiſſima materiai
Corpora cum conſtant, poſſint tamen omnia reddi
Mollia, quæ fiant aer, aqua, terra, vapores,
Quo pacto fiant, & qua vi cumque genantur,
Admiſtum quoniam ſimul eſt in rebus inane.
At contra, ſi mollia ſint primordia rerum,
Unde queant validi ſilices, ferrumque creari,
Non poterit ratio reddi. nam funditus omnis
Principio fundamenti natura carebit.
Sunt igitur ſolida pollentia ſimplicitate,
Quorum condenſo magis omnia conciliatu
Arctari poſſunt, validaſque oſtendere vireis.
Denique jam quoniam generatim reddita finis
Creſcendi rebus conſtat, vitamque tuendi,
Et quid quæque queant per fœdera naturai,
Quid porro nequeant, ſancitum quandoquidem exſtat;
Nec commutatur quidquam, quin omnia conſtant
Uſque adeo, variæ volucres ut in ordine cunctæ
Oſtendant maculas generaleis corpori ineſſe:
Immutabile materiæ quoque corpus habere
Debent nimirum. nam ſi primordia rerum
Commutari aliqua poſſent ratione revicta,
Incertum quoque jam conſtet, quid poſſit oriri,
Quid nequeat; finita poteſtas denique quoique
Quanam ſit ratione, atque alte terminus hærens;
Nec toties poſſent generatim ſæcla referre
Naturam, motus, victum, moreſque parentum.
Tum porro, quoniam extremum cujuſque cacumen
Corporis eſt aliquod, noſtri quod cernere ſenſus
Jam nequeunt; id nimirum ſine partibus exſtat,
Et minima conſtat natura; nec fuit umquam
Per ſe ſecretum, neque poſthac eſſe valebit:
Alterius quoniam eſt ipſum pars, primaque, & ima:
Inde aliæ, atque aliæ ſimiles ex ordine partes
Agmine condenſo naturam corporis explent.
Quæ quoniam per ſe nequeunt conſtare, neceſſe eſt
Hærere, ut nequeant ulla ratione revelli.
Sunt igitur ſolida primordia ſimplicitate:
Quæ minimis ſtipata cohærent partibus arcte,
Non ex ullorum conventu conciliata,
Sed magis æterna pollentia ſimplicitate:
Unde neque avelli quidquam, neque diminui jam
Concedit natura reſervans ſemina rebus.
Præterea niſi erit minimum, parviſſima quæque
Corpora conſtabunt ex partibus infinitis;
Quippe ubi dimidiæ partis pars ſemper habebit
Dimidiam partem, nec res perfiniet ulla:
Ergo rerum inter ſummam, minimamque quid eſcit?
Non erit ut diſtent: nam quamvis funditus omnis
Summa ſit infinita, tamen parviſſima quæ ſunt,
Ex infinitis conſtabunt partibus æque.
Quoi quoniam ratio reclamat vera, negatque
Credere poſſe animum, victus fateare neceſſe eſt,
Eſſe ea quæ nullis jam prædita partibus exſtent,
Et minima conſtent natura: quæ quoniam ſunt,
Illa quoque eſſe tibi ſolida, atque æterna fatendum.
Denique ni minimas in parteis cuncta reſolvi
Cogere conſueſſet rerum natura creatrix,
Jam nihil ex illis eadem reparare valeret:
Propterea quia, quæ multis ſunt partibus aucta,
Non poſſunt ea quæ debet genitalis habere
Ma-

Materies, varios connexus, pondera, plagas,
Concurſus, motus, per quæ res quæque geruntur.
Porro, ſi nulla eſt frangendis reddita finis
Corporibus, tamen ex æterno tempore quædam
Nunc etiam ſuperare neceſſe eſt corpora rebus,
Quæ nondum clueant ullo tentata periclo:
At quoniam fragili natura prædita conſtant,
Diſcrepat æternum tempus potuiſſe manere
Innumerabilibus plagis vexata per ævum.
Quapropter qui materiem rerum eſſe putarunt
Ignem, atque ex igni ſummam conſiſtere ſolo,
Magnopere a vera lapſi ratione videntur.
Heraclitus init quorum dux prœlia primus,
Clarus ob obſcuram linguam magis inter inaneis,
Quamde graveis inter Grajos, qui vera requirunt.
Omnia enim ſtolidi magis admirantur, amantque
Inverſis quæ ſub verbis latitantia cernunt:
Veraque conſtituunt, quæ belle tangere poſſunt
Aureis, & lepido quæ ſunt fucata ſonore.
Nam cur tam variæ res poſſent eſſe, requiro,
Ex vero ſi ſunt igni, puroque creatæ.
Nil prodeſſet enim calidum denſerier ignem,
Nec rarefieri, ſi partes ignis eamdem
Naturam, quam totus habet ſuper ignis, haberent.
Acrior ardor enim conductis partibus eſſet:
Languidior porro disjectis, diſque ſupatis.
Amplius hoc fieri nihil eſt, quod poſſe rearis
Talibus in cauſis, nedum variantia rerum
Tanta queat denſis rariſque ex ignibus eſſe.
Atque hi ſi faciant, admiſtum rebus inane,
Denſeri poterunt ignes, rarique relinqui:
Sed, quia multa ſibi cernunt contraria, muſſant,
Et fugitant in rebus inane relinquere purum, &
Ardua dum metuunt, amittunt vera viai:
Nec rurſum cernunt exemto rebus inani,
Omnia denſeri, fierique ex omnibus unum
Corpus, nil ab ſe quod poſſit mittere raptim,
Æſtifer ignis uti lumen jacit, atque vaporem:
Ut videas non e ſtipatis partibus eſſe.
Quod ſi forte ulla credunt ratione poteſſe
Igneis in cœtu ſtingui, mutareque corpus;
Scilicet ex ulla facere id ſi parte reparcent,
Occidet ad nihilum nimirum funditus ardor
Omnis, & ex nihilo fient quæcumque creantur.
Nam quodcumque ſuis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors eſt illius quod fuit ante:
Proinde aliquid ſuperare neceſſe eſt incolume olli,
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes,
De nihiloque renata vireſcat copia rerum.
Nunc igitur, quoniam certiſſima corpora quædam
Sunt, quæ conſervant naturam ſemper eamdem,
Quorum abitu, aut aditu, mutatoque ordine, mutant
Naturam res, & convertunt corpora ſeſe;
Scire licet non eſſe hæc ignea corpora rerum.
Nil referret enim quædam decedere, abire,
Atque alia attribui, mutarique ordine quædam;
Si tamen ardoris naturam cuncta tenerent.
Ignis enim foret omnimodis quodcumque crearent.
Verum, ut opinor, ita eſt: ſunt quædam corpora, quorum
Concurſus, motus, ordo, poſitura, figuræ,
Efficiunt igneis, mutatoque ordine mutant
Naturam; neque ſunt igni ſimulata, neque ulla
Præterea reij, quæ corpora mittere poſſit
Senſibus, & noſtros adjectu tangere tactus.
Dicere porro ignem res omneis eſſe, neque ullam
Rem veram in numero rerum conſtare, niſi ignem,
Quod facit hic idem, perdelirum eſſe videtur.
Nam contra ſenſus ab ſenſibus ipſe repugnat:
Et labefactat eos, unde omnia credita pendent:
Unde hic cognitus eſt ipſi, quem nominat ignem.
Credit enim ſenſus ignem cognoſcere vere,
Cetera non credit, nihilo quæ clara minus ſunt:
Quod mihi cum vanum, tum delirum eſſe videtur.
Quo referemus enim? quid nobis certius ipſis
Senſibus eſſe poteſt, quo vera ac falſa notemus?
Præterea, quare quiſquam magis omnia tollat,
Et velit ardoris naturam linquere ſolam,
Quam neget eſſe ignis, ſummam tamen eſſe relinquat?
Æqua videtur enim dementia dicere utrumque.
Quapropter qui materiem rerum eſſe putarunt
Ignem, atque ex igni ſummam conſiſtere poſſe;
Et qui principium gignundis aera rebus
Conſtituere: aut humorem quicumque putarunt
Fingere res ipſum per ſe: terramve creare
Omnia, & in rerum naturas vertier omneis:
Magnopere a vero longeque erraſſe videntur.
Adde etiam qui conduplicant primordia rerum,
Aera jungentes igni, terramque liquori:
Et qui quatuor ex rebus poſſe omnia rentur,
Ex igni, terra, atque anima procreſcere, & imbri:
Quorum Acragantinus cumprimis Empedocles eſt:
Inſula quem triquetris terrarum geſſit in oris:
Quam fluitans circum magnis amfractibus æquor
Ionium glaucis aſpergit virus ab undis:
Anguſtoque fretu rapidum mare dividit undis
Italiæ terrai oras a finibus ejus:
Hic eſt vaſta Charybdis; & hic Ætnæa minantur
Murmura flammarum rurſum ſe colligere iras,
Faucibus eruptos iterum ut vis evomat igneis:
Ad cælumque ferat flammai fulgura rurſum:
Quæ cum magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio, viſendaque fertur,
Rebus opima bonis, multa munita virum vi:
Nil tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe,
Nec ſanctum magis, & mirum, carumque videtur.
Carmina quin etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, & exponunt præclara reperta;
Ut vix humana videatur ſtirpe creatus.
Hic tamen, & ſupera quos diximus, inferiores
Partibus egregie multis, multoque minores,
Quamquam multa bene, ac divinitus invenientes
Ex adyto tamquam cordis reſponſa dedere
Sanctius, & multo certa ratione magis, quam
Pythia, quæ tripode ex Phœbi, lauroque profatur;
Principiis tamen in rerum fecere ruinas,
Et graviter magni magno cecidere ibi caſu:
Primum, quod motus, exemto rebus inani,
Conſtituunt, & res molleis, raraſque relinquunt,
Aera, ſolem, ignem, terras, animalia, fruges:
Nec tamen admiſcent in eorum corpus inane.
Deinde quod omnino finem non eſſe ſecandis
Corporibus faciunt, neque pauſam ſtare fragori;
Nec prorſum in rebus minimum conſiſtere quidquam:
Cum videamus id extremum cujuſque cacumen
Eſſe, quod ad ſenſus noſtros minimum eſſe videtur:
Conjicere ut poſſis ex hoc, quod cernere non quis,
Extremum quod habent, minimum conſiſtere rebus.
Huc accedit item, quod jam primordia rerum
Mollia conſtituunt, quæ nos nativa videmus
Eſſe, & mortali cum corpore funditus; atqui
Debeat ad nihilum jam rerum ſumma reverti,
De nihiloque renata vireſcere copia rerum:

Quorum

Quorum utrumque quid a vero, jam, diſtet, habebas.
Deinde inimica modis multis ſunt, atque venena
Ipſa ſibi inter ſe; quare aut congreſſa peribunt,
Aut ita diffugient, ut tempeſtate coorta,
Fulmina diffugere, atque imbreis ventoſque videmus.
Denique quattuor ex rebus ſi cuncta creantur,
Atque in eas rurſum res omnia diſſolvuntur,
Qui magis illa queunt rerum primordia dici,
Quam contra res illorum, retroque putari?
Alternis gignuntur enim, mutantque colorem,
Et totam inter ſe naturam tempore ab omni.
Sin ita forte putas, ignis, terræque coire
Corpus, & aerias auras, roremque liquorum,
Nil in concilio naturam ut mutet eorum:
Nulla tibi ex illis poterit res eſſe creata;
Non animans, non exanimo quid corpore, ut arbos:
Quippe ſuam quidque in cœtu variantis acervi
Naturam oſtendet, miſtuſque videbitur aer
Cum terra ſimul, atque ardor cum rore manere.
At primordia gignundis in rebus oportet
Naturam clandeſtinam, cæcamque adhibere,
Emineat nequid, quod contra pugnet, & obſtet,
Quo minus eſſe queat proprie quodcumque creatur.
Quin etiam repetunt a cælo, atque ignibus ejus,
Et primum faciunt ignem ſe vertere in auras
Aeris: hinc imbrem gigni, terramque creari
Ex imbri, retroque a terra cuncta reverti,
Humorem primum, poſt aera, deinde calorem:
Nec ceſſare hæc inter ſe mutare, meare
De cælo ad terram, de terra ad ſidera mundi:
Quod facere haud ullo debent primordia pacto.
Immutabile enim quiddam ſuperare neceſſe eſt;
Ne res ad nihilum redigantur funditus omnes.
Nam quodcumque ſuis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors eſt illius quod fuit ante.
Quapropter, quoniam quæ paullo diximus ante,
In commutatum veniunt, conſtare neceſſe eſt
Ex aliis ea, quæ nequeant convertier umquam:
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes:
Quin potius tali natura prædita quædam
Corpora conſtituas, ignem ſi forte crearint,
Poſſe eadem demtis paucis, paucisque tributis,
Ordine mutato, & motu, facere aeris auras:
Sic alias aliis rebus mutarier omneis.
At manifeſta palam res indicat, inquis, in auras
Aeris e terra res omneis creſcere, alique;
Et niſi tempeſtas indulget tempore fauſto,
Imbribus, & tabe nimborum arbuſta vacillant;
Solque ſua pro parte fovet, tribuitque calorem:
Creſcere non poſſunt fruges, arbuſta, animantes.
Scilicet: & niſi nos cibus aridus, & tener humor
Adjuvat, amiſſo jam corpore, vita quoque omnis
Omnibus e nervis atque oſſibus exſolvatur:
Adjutamur enim dubio procul, atque alimur nos
Certis ab rebus, certis aliæ atque aliæ res.
Nimirum quia multa modis communia multis
Multarum rerum in rebus primordia miſta
Sunt, ideo variis variæ res rebus aluntur.
Atque eadem magni refert primordia ſæpe
Cum quibus, & quali poſitura contineantur:
Et quos inter ſe dent motus, accipiantque.
Namque eadem cælum, mare, terras, flumina, ſolem
Conſtituunt; eadem fruges, arbuſta, animanteis:
Verum aliis, alioque modo commiſta moventur.
Quin etiam paſſim noſtris in verſibus ipſis
Multa elementa vides multis communia verbis:
Cum tamen inter ſe verſus, ac verba neceſſe eſt
Confiteare & re, & ſonitu diſtare ſonanti:
Tantum elementa queunt permutato ordine ſolo:
At rerum quæ ſunt primordia, plura adhibere
Poſſunt, unde queant variæ res quæque creari.
Nunc & Anaxagoræ ſcrutemur homœomeriam,
Quam Græci memorant, nec noſtra dicere lingua
Concedit nobis patrii ſermonis egeſtas:
Sed tamen ipſam rem facile eſt exponere verbis,
Principium rerum quam dicit homœomeriam:
Oſſa videlicet e pauxillis atque minutis
Oſſibus: ſic & de pauxillis atque minutis
Viſceribus viſcus gigni: ſanguenque creari,
Sanguinis inter ſe multis coeuntibus guttis:
Ex aurique putat micis conſiſtere poſſe
Aurum: & de terris terram concreſcere parvis:
Ignibus ex ignem: humorem ex humoribus eſſe:
Cetera conſimili fingit ratione, putatque.
Nec tamen eſſe ulla parte idem in rebus inane
Concedit, neque corporibus finem eſſe ſecandis:
Quare in utraque mihi pariter ratione videtur
Errare, atque illi, ſupera quos diximus ante.
Adde quod imbecilla nimis primordia fingit,
Si primordia ſunt, ſimili quæ prædita conſtant
Natura, atque ipſæ res ſunt; æqueque laborant,
Et pereunt, neque ab exitio res ulla refrenat:
Nam quid in oppreſſu valido durabit eorum,
Ut mortem effugiat leti ſub dentibus ipſis?
Ignis? an humor? an aura? quid horum? ſanguen? an oſſa?
Nil, ut opinor, ubi ex æquo res funditus omnis
Tam mortalis erit, quam quæ manifeſta videmus
Ex oculis noſtris aliqua vi victa perire.
At neque recidere ad nihilum res poſſe, neque autem
Creſcere de nihilo, teſtor res ante probatas.
Præterea quoniam cibus auget corpus, alitque:
Scire licet, nobis venas, & ſanguen, & oſſa,
Et nervos alienigenis ex partibus eſſe:
Sive cibos omneis commiſto corpore dicent
Eſſe, & habere in ſe nervorum corpora parva,
Oſſaque, & omnino venas, parteiſque cruoris;
Fiet, uti cibus omnis & aridus, & liquor ipſe,
Ex alienigenis rebus conſtare putetur,
Oſſibus, & nervis, veniſque, & ſanguine miſto.
Præterea quæcumque e terra corpora creſcunt;
Si ſunt in terris, terras conſtare neceſſe eſt
Ex alienigenis, quæ terris exoriuntur.
Transfer item, totidem verbis utare licebit:
In lignis ſi flamma latet, fumuſque, ciniſque:
Ex alienigenis conſiſtant ligna neceſſe eſt.
Linquitur hic tenuis latitandi copia quædam:
Id quod Anaxagoras ſibi ſumit, ut omnibus omneis
Res putet immiſtas rebus latitare: ſed illud
Apparere unum, cujus ſint pluria miſta,
Et magis in promtu, primaque in fronte locata:
Quod tamen a vera longe ratione repulſum eſt.
Conveniebat enim fruges quoque ſæpe minutas,
Robore cum ſaxi franguntur, mittere ſignum
Sanguinis, aut alium noſtro quæ corpore aluntur:
Cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem.
Conſimili ratione herbas quoque ſæpe decebat,
Et laticis dulceis guttas, ſimilique ſapore
Mittere, lanigeræ quali ſunt ubera lactis:
Scilicet & glæbis terrarum ſæpe friatis
Herbarum genera, & fruges, frondeiſque videri
Diſpertita, atque in terris latitare minute:
Poſtremo, in lignis cinerem fumumque videri.

Cum

Cum præfracta forent, igneiſque latere minutos.
Quorum nil fieri quoniam manifeſta docet res,
Scire licet non eſſe in rebus res ita miſtas:
Verum ſemina multimodis immiſta latere
Multarum rerum in rebus communia debent.
  At ſæpe in magnis fit montibus, inquis, ut altis
Arboribus vicina cacumina ſumma terantur
Inter ſe, validis facere id cogentibus Auſtris,
Donec fulſerunt flammæ fulgore coorto:
Scilicet: & non eſt lignis tamen inſitus ignis,
Verum ſemina ſunt ardoris multa, terendo
Quæ cum confluxere, creant incendia ſilvis.
Quod ſi tanta foret ſilvis abſcondita flamma,
Non poſſent ullum tempus celarier ignes:
Conficerent volgo ſilvas, arbuſta cremarent.
Jamne vides igitur, paullo quod diximus ante,
Permagni referre eadem primordia ſæpe
Cum quibus, & quali poſitura contineantur,
Et quos inter ſe dent motus, accipiantque,
Atque eadem paullo inter ſe mutata creare
Igneis e lignis, quo pacto verba quoque ipſa
Inter ſe paullo mutatis ſunt elementis,
Cum ligna, atque igneis diſtincta voce notemus?
  Denique jam quæcumque in rebus cernis apertis,
Si fieri non poſſe putas, quin materiai
Corpora conſimili natura prædita fingas,
Hac ratione tibi pereunt primordia rerum:
Fiet uti riſu tremulo concuſſa cachinnent,
Et lacrimis ſalſis humectent ora, genaſque.
  Nunc age, quod ſupereſt, cognoſce, & clarius audi.
Nec me animi fallit quam ſint obſcura, ſed acri
Percuſſit thyrſo laudis ſpes magna meum cor,
Et ſimul incuſſit ſuavem mi in pectus amorem
Muſarum: quo nunc inſtinctus, mente vigenti
Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo: juvat integros accedere fonteis,
Atque haurire, juvatque novos decerpere flores:
Inſignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Muſæ:
Primum quod magnis doceo de rebus, & arctis
Relligionum animos nodis exſoluere pergo:
Deinde quod obſcura de re tam lucida pango
Carmina, Muſæo contingens cuncta lepore;
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur:
Sed veluti pueris abſynthia tætra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus: interea perpotet amarum
Abſynthi laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valeſcat:
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur
Triſtior eſſe, quibus non eſt tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac: volui tibi ſuaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere noſtram,
Et quaſi Muſæo dulci contingere melle,
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Verſibus in noſtris poſſem, dum perſpicis omnem
Naturam rerum, qua conſtet comta figura.
  Sed quoniam docui ſolidiſſima materiai
Corpora perpetuo volitare invicta per ævum:
Nunc age ſummai ecquænam ſit finis eorum,
Nec ne ſit, evolvamus: item, quod inane repertum eſt,
Seu locus, ac ſpatium, res in quo quæque genantur,
Pervideamus utrum finitum funditus Omne
Conſtet, an immenſum pateat vel aduſque profundum.

Omne quod eſt igitur, nulla regione viarum
Finitum eſt: namque extremum debebat habere.
Extremum porro nullius poſſe videtur
Eſſe, niſi ultra ſit quod finiat, ut videatur,
Quo non longius hæc ſenſus natura ſequatur.
Nunc extra ſummam quoniam nihil eſſe fatendum eſt,
Non habet extremum: caret ergo fine, modoque:
Nec refert quibus adſiſtas regionibus ejus,
Uſque adeo quem quiſque locum poſſidit, in omneis
Tantumdem parteis infinitum omne relinquit.
  Præterea, ſi jam finitum conſtituatur
Omne quod eſt ſpatium, ſi quis procurrat ad oras
Ultimus extremas, jaciatque volatile telum;
Id validis utrum contortum viribus ire
Quo fuerit miſſum mavis, longeque volare,
An prohibere aliquid cenſes, obſtareque poſſe?
Alterutrum fatearis enim ſumaſque neceſſe eſt.
Quorum utrumque tibi effugium præcludit, & omne
Cogit, ut exemta concedas fine patere.
Nam ſive eſt aliquid, quod prohibeat, officiatque
Quo minus, quo miſſum eſt, veniat, finique locet ſe,
Sive foras fertur, non eſt ea finis profecto.
Hoc pacto ſequar: atque oras ubicumque locaris
Extremas, quæram, quid telo denique fiat.
Fiet, uti nuſquam poſſit conſiſtere finis:
Effugiumque fugæ prolatet copia ſemper.
  Præterea ſpatium ſummai totius omne
Undique ſi incluſum certis conſiſteret oris,
Finitumque foret; jam copia materiai
Undique ponderibus ſolidis confluxet ad imum;
Nec res ulla geni ſub cæli tegmine poſſet:
Nec foret omnino cælum, neque lumina Solis:
Quippe ubi materies omnis cumulata jaceret
Ex infinito jam tempore ſubſidendo.
At nunc nimirum requies data principiorum
Corporibus nulla eſt: quia nil eſt funditus imum,
Quo quaſi confluere, & ſedes ubi ponere poſſint;
Semper & aſſiduo motu res quæque genuntur
Partibus in cunctis, æternaque ſuppeditantur
Ex infinito cita corpora materiai.
  Poſtremo ante oculos rem res finire videtur,
Aer diſſæpit colleis, atque aera montes;
Terra mare, & contra mare terras terminat omneis.
Omne quidem vero nihil eſt quod finiat extra:
Eſt igitur natura loci, ſpatiumque profundi,
Quod neque clara ſuo percurrere flumina curſu
Perpetuo poſſint ævi labentia tractu:
Nec prorſus facere, ut reſtet minus ire, meando:
Uſque adeo paſſim patet ingens copia rebus,
Finibus exemtis in cunctas undique parteis.
  Ipſa modum porro ſibi rerum ſumma parare
Ne poſſit, Natura tenet: quia corpus inani,
Et quod inane autem eſt, finiri corpore cogit:
Ut ſic alternis infinita omnia reddat.
Aut etiam, alterutrum niſi terminet alterum eorum,
Simplice natura & pateat tantum immoderatum:
Nec mare, nec tellus, nec cæli lucida templa,
Nec mortale genus, nec divum corpora ſancta
Exiguum poſſent horai ſiſtere tempus.
Nam diſpulſa ſuo de cœtu materiai
Copia ferretur magnum per inane ſoluta,
Sive adeo potius numquam concreta creaſſet
Ullam rem, quoniam cogi disjecta nequiſſet.
  Nam certe neque conſilio primordia rerum
Ordine ſe quæque, atque ſagaci mente locarunt;
Nec quos quæque darent motus, pepigere profecto:
Sed

Sed quia multimodis, multis, mutata, per Omne
Ex infinito vexantur percita plagis,
Omne genus motus, & cœtus experiundo,
Tandem deveniunt in taleis diſpoſituras,
Qualibus hæc rebus conſiſtit ſumma creata:
Et multos etiam magnos ſervata per annos,
Ut ſemel in motus conjecta eſt convenienteis,
Efficit, ut largis avidum mare fluminis undis
Integrent amnes, & ſolis terra vapore
Fota novet fœtus, ſummiſſaque gens animantum
Floreat, & vivant labentes ætheris ignes.
Quod nullo facerent pacto, niſi materiai
Ex infinito ſuboriri copia poſſet:
Unde amiſſa ſolent reparari in tempore quoque.
Nam veluti privata cibo natura animantum
Diffluit amittens corpus, ſic omnia debent
Diſſolvi, ſimul ac defecit ſuppeditare
Materies recta regione averſa viai.
Nec plagæ poſſent extrinſecus undique ſummam
Conſervare omnem, quæcumque eſt conciliata.
Cudere enim crebro poſſunt, partemque morari,
Dum veniant aliæ, ac ſuppleri ſumma queatur;
Interdum reſilire tamen coguntur, & una
Principiis rerum ſpatium, tempuſque fugai
Largiri, ut poſſint a cœtu libera ferri.
Quare etiam atque etiam ſuboriri multa neceſſe eſt.
Et tamen ut plagæ quoque poſſint ſuppetere ipſæ,
Infinita opus eſt vis undique materiai.
Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi,
In medium ſummæ (quod dicunt) omnia niti,
Atque ideo mundi naturam ſtare ſine ullis
Ictibus externis, neque quoquam poſſe reſolvi
Summa atque ima, quod in medium ſint omnia nixa,
(Ipſum ſi quidquam poſſe in ſe ſiſtere credis:
Et quæ pondera ſunt ſub terris omnia ſurſum
Nitier, in terraque retro requieſcere poſta:
Ut per aquas quæ nunc rerum ſimulacra videmus:)
Et ſimili ratione animalia ſubtus vagari
Contendunt, neque poſſe e terris in loca cæli
Recidere inferiora magis, quam corpora noſtra
Sponte ſua poſſint in cæli templa volare:
Illi cum videant ſolem, nos ſidera noctis
Cernere, & alternis nobiſcum tempora cæli
Dividere, & nocteis parileis agitare, dieſque.
Sed vanus ſtolidis hæc omnia finxerit error,
Amplexi quod habent perverſe prima viai.
Nam medium nihil eſſe poteſt, ubi inane, locuſque
Infinita: neque omnino, ſi jam medium ſit,
Poſſit ibi quidquam hac potius conſiſtere cauſa,
Quam quavis alia longe regione manere.
Omnis enim locus, ac ſpatium, quod inane vocamus,
Per medium, per non medium concedat oportet
Æquis ponderibus, motus quacumque feruntur.
Nec quiſquam locus eſt, quo corpora cum venere,
Ponderis amiſſa vi poſſint ſtare in inani:
Nec quod inane autem eſt, illis ſubſiſtere debet,
Quin, ſua quod natura petit, concedere pergat.
Haud igitur poſſunt tali ratione teneri
Res in concilio, medii cuppedine victæ.
Præterea quoque jam non omnia corpora fingunt
In medium niti, ſed terrarum, atque liquorum,
Humorem ponti, magniſque e montibus undas,
Et quaſi terreno quæ corpore contineantur:
At contra tenueis exponunt aeris auras,
Et calidos ſimul a medio differrier igneis,
Atque ideo totum circumtremere æthera ſignis,
Et ſolis flammam per cæli cærula paſci,
Quod calor a medio fugiens ibi colligat igneis.
(Quippe etiam veſci e terra mortalia ſæcla:
Nec prorſum arboribus ſummos frundeſcere ramos
Poſſe, niſi a terris paullatim cuique cibatum
Terra det) at ſupra circumtegere omnia cælum,
Ne volucrum ritu flammarum mœnia mundi
Diffugiant ſubito magnum per inane ſoluta,
Et ne cetera conſimili ratione ſequantur:
Neve ruant cæli tonitralia templa ſuperne,
Terraque ſe pedibus raptim ſubducat, & omnes
Inter permiſtas terræ, cælique ruinas
Corpora ſolventes, abeant per inane profundum,
Temporis ut puncto nihil exſtet relliquiarum,
Deſertum præter ſpatium, & primordia cæca.
Nam quacumque prius de parti corpora ceſſe
Conſtitues, hæc rebus erit pars janua leti:
Hac ſe turba foras dabit omnis materiai.
Hæc ſi pernoſces, parva perfunctus opella,
(Namque alid ex alio clareſcet) non tibi cæca
Nox iter eripiet, quin ultima naturai
Pervideas; ita res accendent lumina rebus.

DE RERUM NATURA

LIB. II.

Suave, mari magno turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius ſpectare laborem;
Non quia vexari quemquam eſt jucunda voluptas,
Sed, quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave eſt.
Suave etiam belli certamina magna tueri
Per campos inſtructa, tua ſine parte pericli;
Sed nil dulcius eſt, bene quam munita tenere
Edita doctrina ſapientum templa ſerena;
Deſpicere unde queas alios, paſſimque videre
Errare, atque viam palanteis quærere vitæ;
Certare ingenio; contendere nobilitate;
Nocteis atque dies niti præſtante labore
Ad ſummas emergere opes, rerumque potiri.
O miſeras hominum menteis! o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantiſque periclis
Degitur hoc ævi, quodcumque eſt! nonne videre
Nil aliud ſibi naturam latrare, niſi ut, cum
Corpore ſejunctus dolor abſit, mente fruatur
Jucundo ſenſu, cura ſemota, metuque?
Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
Eſſe opus omnino, quæ demant quemque dolorem,
Delicias quoque uti multas ſubſternere poſſint,
Gratius interdum neque natura ipſa requirit.
Si non aurea ſunt juvenum ſimulacra per ædeis
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur;
Nec domus argento fulget, auroque renidet;
Nec citharis reboant laqueata aurataque templa:
Attamen inter ſe proſtrati in gramine molli
Propter aquæ rivum, ſub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus jucunde corpora curant:
Præſertim cum tempeſtas arridet, & anni
Tempora conſpergunt viridanteis floribus herbas.
Nec calidæ citius decedunt corpore febres,
Textilibus ſi in picturis, oſtroque rubenti
Jactaris, quam ſi plebeja in veſte cubandum eſt.
Quapropter quoniam nil noſtro in corpore gazæ
Proficiunt, neque nobilitas, neque gloria regni:
Quod ſupereſt, animo quoque nil prodeſſe putandum.

Si non forte tuas legiones per loca campi
Fervere cum videas belli ſimulacra cienteis;
Fervere cum videas claſſem, lateque vagari;
His tibi tum rebus timefactæ relligiones
Effugiunt animo pavidæ, mortiſque timores:
Tum vacuum pectus linquunt, curaque ſolutum.
Quod ſi ridicula hæc, ludibriaque eſſe videmus,
Re veraque metus hominum, curæque ſequaces,
Nec metuunt ſonitus armorum, nec fera tela:
Audacterque inter reges, rerumque potenteis
Verſantur, neque fulgorem reverentur ab auro,
Nec clarum veſtis ſplendorem purpureai:
Quid dubitas, quin omne ſit hoc rationis egeſtas,
Omnis cum in tenebris præſertim vita laboret?
Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: ſic nos in luce timemus
Interdum nihilo quæ ſunt metuenda magis, quam
Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebraſque neceſſe eſt
Non radii ſolis, neque lucida tela diei
Diſcutiant, ſed naturæ ſpecies, ratioque.
Nunc age, quo motu genitalia materiai
Corpora res varias gignant, genitaſque reſolvant;
Et qua vi facere id cogantur; quæve ſit ollis
Reddita mobilitas magnum per inane meandi,
Expediam: tu te dictis præbere memento.
Nam certe non inter ſe ſtipata cohæret
Materies, quoniam minui rem quamque videmus;
Et quaſi longinquo fluere omnia cernimus ævo,
Ex oculiſque vetuſtatem ſubducere noſtris:
Cum tamen incolumis videatur ſumma manere.
Propterea quia, quæ decedunt corpora cuique,
Unde abeunt, minuunt: quo venere, augmine donant:
Illa ſeneſcere, at hæc contra floreſcere cogunt.
Nec remorantur ibi: ſic rerum ſumma novatur
Semper, & inter ſe mortales mutua vivunt.
Augeſcunt aliæ gentes, aliæ minuuntur:
Inque brevi ſpatio mutantur ſæcla animantum;
Et, quaſi curſores, vitai lampada tradunt.
Si ceſſare putas rerum primordia poſſe,
Ceſſandoque novos rerum progignere motus:
Avius a vera longe ratione vagaris.
Nam, quoniam per inane vagantur, cuncta neceſſe eſt
Aut gravitate ſui ferri primordia rerum,
Aut ictu forte alterius: nam cita ſuperne
Obvia cum flixere, fit, ut diverſa repente
Diſſiliant: neque enim mirum, duriſſima quæ ſint,
Ponderibus ſolidis: neque quidquam a tergis obſtet.
Et quo jactari magis omnia materiai
Corpora pervideas, reminiſcere totius imum
Nil eſſe in ſumma: neque habere ubi corpora prima
Conſiſtant: quoniam ſpatium ſine fine, modoque eſt.
Immenſumque patere in cunctas undique parteis,
Pluribus oſtendi, & certa ratione probatum eſt.
Quod quoniam conſtat, nimirum nulla quies eſt
Reddita corporibus primis per inane profundum:
Sed magis aſſiduo, varioque exercita motu,
Partim intervallis magnis conflicta reſultant:
Pars etiam brevibus ſpatiis nexantur ab ictu.
Et quæcumque magis condenſo conciliatu,
Exiguis intervallis connexa reſultant,
Endopedita ſuis perplexis ipſa figuris;
Hæc validas ſaxi radices, & fera ferri
Corpora conſtituunt, & cetera de genere horum
Paucula: quæ porro magnum per inane vagantur,
Et cita diſſiliunt longe, longeque recurſant
In magnis intervallis; hæc aera rarum
Sufficiunt nobis, & ſplendida lumina ſolis.
Multaque præterea magnum per inane vagantur,
Conciliis rerum quæ ſunt rejecta, nec uſquam
Conſociare etiam motus potuere recepta:
Cujus, uti memoro, rei ſimulacrum, & imago
Ante oculos ſemper nobis verſatur, & inſtat.
Contemplator enim, cum ſolis lumina cumque
Inſertim fundunt radios per opaca domorum:
Multa minuta modis multis per inane videbis
Corpora miſceri radiorum lumine in ipſo:
Et velut æterno certamine prælia, pugnaſque
Edere turmatim certantia; nec dare pauſam,
Conciliis, & diſcidiis exercita crebris:
Conjicere ut poſſis ex hoc, primordia rerum,
Quale ſit, in magno jactari ſemper inani.
Dumtaxat rerum magnarum parva poteſt res
Exemplare dare, & veſtigia notitiai.
Hoc etiam magis hæc animum te advertere par eſt
Corpora, quæ in ſolis radiis turbare videntur:
Quod tales turbæ motus quoque materiai
Significant clandeſtinos, cæcoſque ſubeſſe.
Multa videbis enim plagis ibi percita cæcis
Commutare viam, retroque repulſa reverti
Nunc huc, nunc illuc, in cunctas denique parteis.
Scilicet hic a principiis eſt omnibus error.
Prima moventur enim per ſe primordia rerum:
Inde ea, quæ parvo ſunt corpora conciliatu,
Et quaſi proxima ſunt ad vireis principiorum,
Ictibus illorum cæcis impulſa cientur;
Ipſaque, quæ porro paullo majora, laceſſunt.
Sic a principiis aſcendit motus, & exit
Paullatim noſtros ad ſenſus; ut moveantur
Illa quoque, in Solis quæ lumine cernere quimus;
Nec quibus id faciant plagis, apparet aperte.
Nunc, quæ mobilitas ſit reddita materiai
Corporibus, paucis licet hinc cognoſcere, Memmi.
Primum aurora novo cum ſpargit lumine terras,
Et variæ volucres nemora avia pervolitantes
Aera per tenerum liquidis loca vocibus opplent:
Quam ſubito ſoleat Sol ortus tempore tali
Conveſtire ſua perfundens omnia luce,
Omnibus in promtu, manifeſtumque eſſe videmus.
At vapor is, quem ſol mittit, lumenque ſerenum,
Non per inane meat vacuum; quo tardius ire
Cogitur, aerias quaſi cum diverberet undas:
Nec ſingillatim corpuſcula quæque vaporis,
Sed complexa meant inter ſe, conque globata:
Quapropter ſimul inter ſe retrahuntur, & extra
Officiuntur, uti cogantur tardius ire.
At, quæ ſunt ſolida primordia ſimplicitate,
Cum per inane meant vacuum, nec res remoratur
Ulla foris; atque ipſa ſuis e partibus unum,
Unum in quem cœpere locum, connixa feruntur:
Debent nimirum præcellere mobilitate;
Et multo citius ferri, quam lumina ſolis,
Multiplexque loci ſpatium tranſcurrere eodem
Tempore, quo ſolis pervolgant fulgura cælum:
Nam neque conſilio debent tardata morari;
Nec perſcrutari primordia ſingula quæque,
Ut videant, qua quidque geratur cum ratione.
At quidam contra hæc ignari, materiai
Naturam non poſſe deum ſine numine rentur
Tantopere humanis rationibus, ac moderatis,
Tempora mutare annorum, frugeſque creare:
Nec jam cetera, mortaleis quæ ſuadet adire,

Ipſaque deducit dux vitæ dia voluptas;
Ut res per veneris blanditium ſæcla propagent;
Ne genus occidat humanum: quorum omnia cauſſa
Conſtituiſſe deos fingunt: ſed in omnibus rebus
Magnopere a vera lapſi ratione videntur.
Nam quamvis rerum ignorem primordia quæ ſint,
Hoc tamen ex ipſis cæli rationibus auſim
Confirmare, aliiſque ex rebus reddere multis;
Nequaquam nobis divinitus eſſe creatam
Naturam mundi, quæ tanta eſt prædita culpa:
Quæ tibi poſterius, Memmi, faciemus aperta.
Nunc id quod ſupereſt de motibus expediemus.

Nunc locus eſt, ut opinor, in his illud quoque rebus
Confirmare tibi, nullam rem poſſe ſua vi
Corporea ſurſum ferri, ſurſumque meare.
Ne tibi dent in eo flammarum corpora fraudem;
Surſus enim vorſus gignuntur, & augmina ſumunt:
Et ſurſum nitidæ fruges, arbuſtaque creſcunt:
Pondera, quantum in ſe eſt, cum deorſum cuncta ferantur.
Nec cum ſubſiliunt ignes ad tecta domorum,
Et celeri flamma deguſtant tigna, trabeiſque;
Sponte ſua facere id ſine vi ſubigente putandum eſt.
Quod genus, e noſtro cum miſſus corpore ſanguis
Emicat exſultans alte, ſpargitque cruorem.
Nonne vides etiam, quanta vi tigna, trabeiſque
Reſpuat humor aquæ? nam quam magis merſimus altum
Directa, & magna vi multi preſſimus ægre;
Tam cupide ſurſum revomit magis, atque remittit,
Plus ut parte foras emergant, exſiliantque.
Nec tamen hæc, quantum eſt in ſe, dubitamus, opinor,
Quin vacuum per inane deorſum cuncta ferantur.
Sic igitur debent flammæ quoque poſſe per auras
Aeris expreſſæ ſurſum ſuccedere; quamquam
Pondera, quantum in ſe eſt, deorſum deducere pugnent.
Nocturnaſque faces cæli ſublime volanteis,
Nonne vides longos flammarum ducere tractus,
In quaſcumque dedit parteis natura meatum?
Non cadere in terram ſtellas, & ſidera cernis?
Sol etiam ſummo de vertice diſſupat omneis
Ardorem in parteis, & lumine conſerit arva:
In terras igitur quoque ſolis vergitur ardor.
Tranſverſoſque volare per imbres fulmina cernis:
Nunc hinc, nunc illinc abrupti nubibus ignes
Concurſant, cadit in terras vis flammea volgo.

Illud in his quoque te rebus cognoſcere avemus:
Corpora cum deorſum rectum per inane feruntur,
Ponderibus propriis, incerto tempore ferme,
Incertiſque locis, ſpatio decedere paullum:
Tantum quod momen mutatum dicere poſſis.

Quod niſi declinare ſolerent, omnia deorſum,
Imbris uti guttæ, caderent per inane profundum:
Nec foret offenſus natus, nec plaga creata
Principiis: ita nil umquam natura creaſſet.

Quod ſi forte aliquis credit graviora poteſſe
Corpora, quo citius rectum per inane feruntur,
Incidere e ſupero levioribus, atque ita plagas
Gignere, quæ poſſint genitaleis reddere motus:
Avius a vera longe ratione recedit.
Nam per aquas quæcumque cadunt, atque aera deorſum,
Hæc pro ponderibus caſus celerare neceſſe eſt:
Propterea, quia corpus aquæ, naturaque tenuis
Aeris haud poſſunt æque rem quamque morari:
Sed citius cedunt gravioribus exſuperata.
At contra nulli de nulla parte, neque ullo
Tempore, inane poteſt vacuum ſubſiſtere reii,
Quin, ſua quod natura petit, concedere pergat.

Omnia quapropter debent per inane quietum
Æque ponderibus non æquis concita ferri.
Haud igitur poterunt levioribus incidere umquam
Ex ſupero graviora; neque ictus gignere per ſe,
Qui varient motus, per quos natura genat res.

Quare etiam atque etiam paullum clinare neceſſe eſt
Corpora, nec plus quam minimum: ne fingere motus
Obliquos videamur, & id res vera refutet.
Namque hoc in promtu, manifeſtumque eſſe videmus;
Pondera, quantum in ſe eſt, non poſſe obliqua meare,
Ex ſupero cum præcipitant: quod cernere poſſis;
Sed nihil omnino recta regione viai
Declinare, quis eſt, qui poſſit cernere ſeſe?

Denique ſi ſemper motus connectitur omnis,
Et vetere exoritur ſemper novus ordine certo;
Nec declinando faciunt primordia motus
Principium quoddam, quod fati fœdera rumpat;
Ex infinito ne cauſſam cauſſa ſequatur:
Libera per terras unde hæc animantibus extat,
Unde eſt hæc (inquam) fatis avolſa voluntas,
Per quam progredimur, quo ducit quemque voluptas?
Declinamus item motus, nec tempore certo,
Nec regione loci certa, ſed ubi ipſa tulit mens.
Nam dubio procul his rebus ſua cuique voluntas
Principium dat, & hinc motus per membra rigantur.
Nonne vides etiam patefactis tempore puncto
Carceribus, non poſſe tamen prorumpere equorum
Vim cupidam tam de ſubito, quam mens avet ipſa?
Omnis enim totum per corpus materiai
Copia conquiri debet, concita per artus
Omneis, ut ſtudium mentis connexa ſequatur:
Ut videas initium motus a corde creari;
Ex animique voluntate id procedere primum:
Inde dari porro per totum corpus, & artus.

Nec ſimile eſt, ut cum impulſi procedimus ictu,
Viribus alterius magnis, magnoque coactu;
Nam tum materiam totius corporis omnem
Perſpicuum eſt nobis invitis ire, rapique,
Donicum eam refrenavit per membra voluntas.
Jamne vides igitur, quamquam vis extera multos
Pellit, & invitos cogit procedere ſæpe,
Præcipiteiſque rapit, tamen eſſe in pectore noſtro
Quiddam, quod contra pugnare, obſtareque poſſit;
Cujus ad arbitrium quoque copia materiai
Cogitur interdum flecti per membra, per artus;
Et projecta refrenatur, retroque reſidit?

Quare in ſeminibus quoque idem fateare neceſſe eſt,
Eſſe aliam præter plagas, & pondera cauſſam
Motibus, unde hæc eſt nobis innata poteſtas:
De nihilo quoniam fieri nil poſſe videmus.
Pondus enim prohibet ne plagis omnia fiant,
Externa quaſi vi: ſed ne mens ipſa neceſſum
Inteſtinum habeat cunctis in rebus agendis;
Et devicta quaſi cogatur ferre, patique;
Id facit exiguum clinamen principiorum,
Nec regione loci certa, nec tempore certo.

Nec ſtipata magis fuit umquam materiai
Copia; nec porro majoribus intervallis.
Nam neque adaugeſcit quidquam, neque deperit inde.
Quapropter quo nunc in motu principiorum
Corpora ſunt, in eodem anteacta ætate fuere;
Et poſthac ſemper ſimili ratione ferentur:
Et quæ conſuerunt gigni, gignentur eadem
Conditione; & erunt, & creſcent, inque valebunt,
Quantum cuique datum eſt per fœdera naturai.
Nec rerum ſummam commutare ulla poteſt vis.

Nam

Nam neque quo poſſit genus ullum materiai
Effugere ex Omni, quidquam eſt: neque rurſus, in Omne
Unde coorta queat nova vis irrumpere; & omnem
Naturam rerum mutare, & vertere motus.
Illud in his rebus non eſt mirabile, quare,
Omnia cum rerum primordia ſint in motu,
Summa tamen ſumma videatur ſtare quiete,
Præterquam ſi quid proprio dat corpore motus.
Omnis enim longe noſtris ab ſenſibus infra
Primorum natura jacet: quapropter ubi illa
Cernere jam nequeas, motus quoque ſurpere debent:
Præſertim cum, quæ poſſimus cernere, celent
Sæpe tamen motus, ſpatio diducta locorum.
Nam ſæpe in colli tondentes pabula læta
Lanigeræ reptant pecudes, quo quamque vocantes
Invitant herbæ gemmantes rore recenti:
Et ſatiati agni ludunt, blandeque coniſcant:
Omnia quæ nobis longe confuſa videntur,
Et veluti in viridi candor conſiſtere colli.
Præterea magnæ legiones cum loca curſu
Camporum complent, belli ſimulacra cientes;
Et circumvolitant equites, medioſque repente
Traſmittunt valido quatientes impete campos;
Fulgur ibi ad cælum ſe tollit, totaque circum
Ære renideſcit tellus; ſubterque virum vi
Excitur pedibus ſonitus; clamoreque montes
Icti rejectant voces ad ſidera mundi:
Et tamen eſt quidam locus altis montibus, unde
Stare videtur, & in campis conſiſtere fulgur.
Nunc age jam deinceps cunctarum exordia rerum,
Qualia ſint, & quam longe diſtantia formis,
Percipe, multigenis quam ſint variata figuris:
Non quod multa parum ſimili ſint prædita forma,
Sed quia non volgo paria omnibus omnia conſtant.
Nec mirum: nam cum ſit eorum copia tanta,
Ut neque finis, uti docui, neque ſumma ſit ulla:
Debent nimirum non omnibus omnia prorſum
Eſſe pari filo, ſimilique affecta figura.
Præterea genus humanum, mutæque natantes
Squamigerum pecudes, & læta armenta, feræque,
Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum
Concelebrant, circum ripas, fonteiſque, lacuſque;
Et quæ pervolgant nemora avia pervolitantes:
Horum unum quodvis generatim ſumere perge:
Invenies tamen inter ſe diſtare figuris.
Nec ratione alia proles cognoſcere matrem,
Nec mater poſſet prolem; quod poſſe videmus,
Nec minus atque homines inter ſe nota cluere.
Nam ſæpe ante deum vitulus delubra decora
Turicremas propter mactatus concidit aras,
Sanguinis exſpirans calidum de pectore flumen:
At mater virideis ſaltus orbata peragrans,
Linquit humi pedibus veſtigia preſſa biſulcis,
Omnia conviſens oculis loca, ſi queat uſquam
Conſpicere amiſſum fœtum; completque querelis
Frondiferum nemus adſiſtens; & crebra reviſit
Ad ſtabulum, deſiderio perfixa juvenci:
Nec teneræ ſalices, atque herbæ rore vigentes,
Fluminaque ulla queunt ſummis labentia ripis
Oblectare animum, ſubitamque avertere curam:
Nec vitulorum aliæ ſpecies per pabula læta
Derivare queunt alio, curaque levare:
Uſque adeo quiddam proprium, notumque requirit.
Præterea teneri tremulis cum vocibus hædi
Cornigeras norunt matres, agnique petulci
Balatum pecudes: ita, quod natura repoſcit,
Ad ſua quiſque fere decurrunt ubera lactis.
Poſtremo quodvis frumentum, non tamen omne
Quodque ſuo in genere inter ſe ſimile eſſe videbis,
Quin intercurrat quædam diſtantia formis.
Concharumque genus parili ratione videmus
Pingere telluris gremium, qua mollibus undis
Litoris incurvi bibulam pavit æquor arenam.
Quare etiam atque etiam ſimili ratione neceſſe eſt,
Natura quoniam conſtant, neque facta manu ſunt,
Unius ad certam formam primordia rerum,
Diſſimili inter ſe quædam volitare figura.
Perfacile eſt jam animi ratione exſolvere nobis,
Quare fulmineus multo penetralior ignis,
Quam noſter fluat e tædis terreſtribus ortus.
Dicere enim poſſis cæleſtem fulminis ignem
Subtilem magis e parvis conſtare figuris:
Atque ideo tranſire foramina, quæ nequit ignis
Noſter hic e lignis ortus, tædaque creatus.
Præterea lumen per cornu tranſit; at imber
Reſpuitur: quare? niſi luminis illa minora
Corpora ſunt, quam de quibus eſt liquor almus aquarum.
Et quamvis ſubito per colum vina videmus
Perfluere; at contra tardum cunctatur olivum:
Aut quia nimirum majoribus eſt elementis;
Aut magis hamatis inter ſe, perque plicatis.
Atque ideo fit, uti non tam deducta repente
Inter ſe poſſint primordia ſingula quæque
Singula per cujuſque foramina permanare.
Huc accedit, uti mellis lactiſque liquores
Jucundo ſenſu linguæ tractentur in ore:
At contra tætra abſinthi natura, ferique
Centauri, fœdo pertorquent ora ſapore:
Ut facile agnoſcas e lævibus, atque rotundis
Eſſe ea, quæ ſenſus jucunde tangere poſſunt:
At contra quæ amara, atque aſpera cumque videntur,
Hæc magis hamatis inter ſe nexa teneri;
Proptereaque ſolere vias reſcindere noſtris
Senſibus, introituque ſuo perrumpere corpus.
Omnia poſtremo bona ſenſibus, & mala tactu,
Diſſimili inter ſe pugnant perfecta figura:
Ne tu forte putes ſerræ ſtridentis acerbum
Horrorem conſtare elementis lævibus æque,
Ac muſæa mele, per chordas organici quæ
Mobilibus digitis expergefacta figurant.
Neu ſimili penetrare putes primordia forma
In nareis hominum, cum tætra cadavera torrent,
Et cum ſcena croco Cilici perfuſa recens eſt,
Araque Panchæos exhalat propter odores.
Neve bonos rerum ſimili conſtare colores
Semine conſtituas, oculos qui paſcere poſſunt;
Et qui compungunt aciem, lacrimareque cogunt;
Aut fœda ſpecie tætri, turpeſque videntur.
Omnis enim, ſenſus quæ mulcet cauſſa, juvatque,
Haud ſine principiali aliquo lævore creata eſt:
At contra, quæcumque moleſta, atque aſpera conſtat,
Non aliquo ſine materiæ ſqualore reperta eſt.
Sunt etiam quæ jam nec lævia jure putantur
Eſſe, neque omnino flexis mucronibus unca;
Sed magis angululis paullum proſtantibus; & quæ
Titillare magis ſenſus, quam lædere poſſunt:
Fæcula jam quo de genere eſt, inulæque ſapores.
Denique jam calidos igneis, gelidamque pruinam,
Diſſimili dentata modo compungere ſenſus
Corporis, indicio nobis eſt tactus uterque.
Tactus enim, tactus (pro divum numina ſancta!)
Corporis eſt ſenſus, vel cum res extera ſeſe

Inſinuat; vel cum lædit, quæ in corpore nata;
Aut juvat egrediens genitaleis per veneris res:
Aut ex offenſu cum turbant corpore in ipſo
Semina, confunduntque inter ſe concita ſenſum:
Ut ſi forte manu quamvis jam corporis ipſe
Tute tibi partem ferias, æque experiare.
Quapropter longe formas diſtare neceſſe eſt
Principiis, varios quæ poſſint edere ſenſus.
Denique, quæ nobis durata ac ſpiſſa videntur,
Hæc magis hamatis inter ſeſe eſſe neceſſe eſt,
Et quaſi ramoſis alte compacta teneri.
In quo jam genere in primis adamantina ſaxa,
Prima acie conſtant, ictus contemnere ſueta;
Et validi ſilices, ac duri robora ferri,
Æraque, quæ clauſtris reſtantia vociferantur.
Illa autem debent ex lævibus atque rotundis
Eſſe magis, fluido quæ corpore liquida conſtant.
Nec retinentur enim inter ſe glomeramina quæque,
Et procurſus item in proclive volubilis extat.
Omnia poſtremo quæ puncto tempore cernis
Diffugere, ut fumum, nebulas, flammaſque, neceſſe eſt,
Si minus omnibus ſunt e lævibus atque rotundis,
At non eſſe tamen perplexis endopedita,
Pungere uti poſſint corpus, penetrareque ſaxa:
Nec tamen hærere inter ſe, quod quiſque videmus
Sentibus eſſe datum: facile ut cognoſcere poſſis
Non e perplexis, ſed acutis eſſe elementis.
Sed quod amara vides eadem, quæ fluvida conſtant,
Sudor uti maris eſt, minime id mirabile habendum.
Nam quod fluvidum eſt, e lævibus atque rotundis
Eſt: at lævibus atque rotundis miſta doloris
Corpora; nec tamen hæc retineri hamata neceſſum:
Scilicet eſſe globoſa, tamen cum ſqualida conſtent,
Provolvi ſimul ut poſſint, & lædere ſenſus.
Et quo miſta putes magis aſpera lævibus eſſe
Principiis, unde eſt Neptuni corpus acerbum;
Eſt ratio ſecernundi, ſeorſumque videndi.
Humor dulcit, ubi per terras crebrius idem
Percolatur, ut in foveam fluat, ac manſueſcat.
Linquit enim ſupra tætri primordia viri
Aſpera, quo magis in terris hæreſcere poſſunt.
Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ
Ex hoc apta fidem ducit: primordia rerum
Finita variare figurarum ratione.
Quod ſi non ita ſit, rurſum jam ſemina quædam
Eſſe infinito debebunt corporis auctu.
Namque in eadem una cuiuſcujus brevitate
Corporis, inter ſe multum variare figuræ
Non poſſunt: fac enim minimis e partibus eſſe
Corpora prima: tribus, vel paullo pluribus auge;
Nempe ubi eas parteis unius corporis omneis,
Summa atque ima locans, tranſmutans dextera lævis,
Omnimodis expertus eris, quam quiſque det ordo
Formai ſpeciem totius corporis ejus:
Quod ſupereſt, ſi forte voles variare figuras,
Addendum parteis alias erit: inde ſequetur
Adſimili ratione, alias ut poſtulet ordo,
Si tu forte voles etiam variare figuras.
Ergo formai novitatem corporis augmen
Subſequitur: quare non eſt, ut credere poſſis,
Eſſe infinitis diſtantia ſemina formis:
Ne quædam cogas immani maximitate
Eſſe; ſupra quod jam docui non poſſe probari.
Jam tibi Barbaricæ veſtes, Melibœaque fulgens
Purpura, Theſſalico concharum tincta colore, &
Aurea pavonum ridenti imbuta lepore
Sæcla, novo rerum ſuperata colore jacerent:
Et contemtus odor Myrrhæ, melliſque ſapores;
Et cycnea mele, phœbæaque dædala chordis
Carmina, conſimili ratione oppreſſa ſilerent.
Namque aliis aliud præſtantius exoreretur.
Cedere item retro poſſent in deteriores
Omnia ſic parteis; ut diximus in meliores:
Namque aliis aliud retro quoque tætrius eſſet
Naribus, auribus, atque oculis, oriſque ſapori.
Quæ quoniam non ſunt in rebus reddita, certa &
Finis utrimque tenet ſummam: fateare neceſſe eſt
Materiam quoque finitis differre figuris.
Denique, ab ignibus ad gelidas hiemiſque pruinas
Finitum eſt, retroque pari ratione remenſum eſt.
Finit enim calor, ac frigus; mediique tepores
Inter utrumque jacent, explentes ordine ſummam.
Ergo finita diſtant ratione creata,
Ancipiti quoniam mucrone utrimque notantur,
Hinc flammis, illinc rigidis infeſta pruinis.
Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ
Ex hoc apta fidem ducit: primordia rerum,
Inter ſe ſimili quæ ſunt perfecta figura,
Infinita cluere: etenim diſtantia cum ſit
Formarum finita, neceſſe eſt, quæ ſimiles ſint,
Eſſe infinitas: aut ſummam materiai
Finitam conſtare: id quod non eſſe probavi.
Quod quoniam docui, nunc ſuaviloquis, age, paucis
Verſibus oſtendam, corpuſcula materiai
Ex infinito ſummam rerum uſque tenere,
Undique protelo plagarum continuato.
Nam quod rara vides magis eſſe animalia quædam,
Fœcundamque minus naturam cernis in illis;
At regione, locoque alio, terriſque remotis,
Multa licet genere eſſe in eo, numerumque repleri.
Sicuti quadrupedum cum primis eſſe videmus
In genere anguimanos elephantos, India quorum
Millibus e multis vallo munitur eburno,
Ut penitus nequeat penetrari; tanta ferarum
Vis eſt, quarum nos perpauca exempla videmus.
Sed tamen id quoque uti concedam, quamlibet eſto
Unica res quædam nativo corpore ſola,
Cui ſimilis toto terrarum non ſit in orbe:
Infinita tamen niſi erit vis materiai,
Unde ea progigni poſſit concepta; creari
Non poterit: neque, quod ſupereſt, procreſcere, alique.
Quippe etenim ſumant oculi, finita per Omne
Corpora jactari unius genitalia reii;
Unde, ubi, qua vi, & quo pacto congreſſa coibunt
Materiæ tanto in pelago, turbaque aliena?
Non (ut opinor) habent rationem conciliandi:
Sed quaſi, naufragiis magnis multiſque coortis,
Diſiectare ſolet magnum mare tranſtra, guberna,
Antennas, proram, malos, tonſaſque natanteis;
Per terrarum omneis oras fluitantia apluſtra
Ut videantur, & indicium mortalibus edant,
Infidi maris inſidias, vireiſque, dolumque
Ut vitare velint, neve ullo tempore credant,
Subdola cum ridet placidi pellacia ponti.
Sic tibi ſi finita ſemel primordia quædam
Conſtitues, ævum debebunt ſparſa per omne
Diſiectare æſtus diverſi materiai:
Numquam in concilium ut poſſint compulſa coire;
Nec remorari in concilio; nec creſcere adaucta.
Quorum utrumque palam fieri manifeſta docet res;
Et res progigni; & genitas procreſcere poſſe.
Eſſe igitur genere in quovis primordia rerum
In-

Infinita palam eſt, unde omnia ſuppeditantur.
Nec ſuperare queunt motus utique exitialeis
Perpetuo, neque in æternum ſepelire ſalutem;
Nec porro rerum genitales, auctificique
Motus perpetuo poſſunt ſervare creata.
Sic æquo geritur certamine principiorum
Ex infinito contractum tempore bellum:
Nunc hic, nunc illic ſuperant vitalia rerum;
Et ſuperantur item: miſcetur funere vagor,
Quem pueri tollunt viſentes luminis oras:
Nec nox ulla diem, neque noctem aurora ſecuta eſt,
Quæ non audierit miſtos vagitibus ægris
Ploratus, mortis comites, & funeris atri.
Illud in his obſignatum quoque rebus habere
Convenit, & memori mandatum mente tenere:
Nil eſſe, in promtu quorum natura tenetur,
Quod genere ex uno conſiſtat principiorum:
Nec quidquam, quod non permiſto ſemine conſtet.
Et quam quidque magis multas vis poſſidet in ſe,
Atque poteſtates, ita pluria principiorum
In ſeſe genera, ac varias docet eſſe figuras.
Principio, tellus habet in ſe corpora prima,
Unde mare immenſum volventes flumina fontes
Aſſidue renovent: habet, ignes unde oriantur:
Nam multis ſuccenſa locis ardent ſola terræ;
Eximiis vero furit ignibus impetus Ætnæ.
Tum porro nitidas fruges, arbuſtaque læta
Gentibus humanis habet unde extollere poſſit:
Unde etiam fluidas frondeis, & pabula læta
Montivago generi poſſit præbere ferarum.
Quare magna Deum mater, materque ferarum,
Et noſtri genetrix hæc dicta eſt corporis una.
Hanc veteres Graium docti cecinere poetæ
Sublimem in curru bijugos agitare leones:
Aeris in ſpatio magnam pendere docentes
Tellurem; neque poſſe in terra ſiſtere terram.
Adjunxere feras, quia quamvis effera proles
Officiis debet molliri victa parentum.
Muralique caput ſummum cinxere corona;
Eximiis munita locis quod ſuſtinet urbeis.
Quo nunc inſigni per magnas prædita terras
Horrifice fertur divinæ matris imago.
Hanc variæ gentes, antiquo more ſacrorum,
Idæam vocitant matrem, Phrygiaſque catervas
Dant comites; quia primum ex illis finibus edunt
Per terrarum orbem fruges cœpiſſe creari.
Gallos attribuunt, quia numen qui violarint
Matris, & ingrati genitoribus inventi ſint,
Significare volunt indignos eſſe putandos,
Vivam progeniem qui in oras luminis edant.
Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concava, rauciſonoque minantur cornua cantu;
Et Phrygio ſtimulat numero cava tibia menteis,
Telaque præportant violenti ſigna furoris;
Ingratos animos, atque impia pectora volgi
Conterrere metu quæ poſſint numine Divæ.
Ergo cum primum magnas invecta per urbeis
Munificat tacita mortaleis muta ſalute:
Ære atque argento ſternunt iter omne viarum,
Largifica ſtipe ditantes; ninguntque roſarum
Floribus, umbrantes matrem, comitumque catervas.
Hic armata manus (Curetas nomine Graji
Quos memorant Phrygios) inter ſe forte catenas
Ludunt, in numerumque exſultant, ſanguine læti, &
Terrificas capitum quatientes numine criſtas:
Dictæos referunt Curetas: qui Jovis illum
Vagitum in Creta quondam occultaſſe feruntur;
Cum pueri circum puerum pernice chorea
Armati in numerum pulſarent æribus æra,
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,
Æternumque daret matri ſub pectore volnus.
Propterea magnam armati matrem comitantur:
Aut quia ſignificant Divam prædicere, ut armis,
Ac virtute velint patriam defendere terram;
Præſidioque parent, decorique parentibus eſſe.
Quæ bene, & eximie quamvis diſpoſta ferantur,
Longe ſunt tamen a vera ratione repulſa.
Omnis enim per ſe Divum natura neceſſe eſt
Immortali ævo, ſumma cum pace fruatur,
Semota a noſtris rebus, ſejunctaque longe.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indigna noſtri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.
Terra quidem vero caret omni tempore ſenſu:
Sed quia multarum potitur primordia rerum,
Multa modis multis effert in lumina ſolis.
Hic ſi quis mare Neptunum, Cereremque vocare
Conſtituet fruges, & Bacchi nomine abuti
Mavolt, quam laticis proprium proferre vocamen:
Concedamus, ut hic terrarum dictitet orbem
Eſſe Deum matrem, dum re non ſit tamen apſe.
Sæpe itaque ex uno tondentes gramina campo
Lanigeræ pecudes, & equorum duellica proles,
Buceriæque greges, ſub eodem tegmine cæli,
Ex unoque ſitim ſedantes flumine aquai,
Diſſimili vivunt ſpecie: retinentque parentum
Naturam; & mores generatim quæque imitantur:
Tanta eſt in quovis genere herbæ materiai
Diſſimilis ratio: tanta eſt in flumine quoque.
Jam vero quamvis animantem ex omnibus unam
Oſſa, cruor, venæ, calor, humor, viſcera, nervi
Conſtituunt; quæ ſunt porro diſtantia longe
Diſſimili perfecta figura principiorum.
Tum porro quæcumque igni flammata cremantur,
Si nil præterea, tamen ex ſe ea corpora tradunt,
Unde ignem jacere, & lumen ſummittere poſſint;
Scintillaſque agere, ac late differre favillam.
Cetera conſimili mentis ratione peragrans
Invenies intus multarum ſemina rerum
Corpore celare, & varias cohibere figuras.
Denique multa vides, quibus eſt odor, & ſapor una
Reddita ſunt cum odore; in primis pleraque dona,
Relligione animum turpi cum tangere parto.
Hæc igitur variis debent conſtare figuris,
Nidor enim penetrat, qua ſuccus non it in artus:
Succus item ſeorſum, & rerum ſapor inſinuatur
Senſibus; ut noſcas primis differre figuris.
Diſſimiles igitur formæ glomeramen in unum
Conveniunt: & res permiſto ſemine conſtant.
Quinetiam paſſim noſtris in verſibus ipſis
Multa elementa vides multis communia verbis;
Cum tamen inter ſe verſus, ac verba neceſſe eſt
Confiteare alia ex aliis conſtare elementis.
Non quod multa parum communis littera currat:
Aut nulla inter ſe duo ſint ex omnibus iiſdem:
Sed quia non volgo paria omnibus omnia conſtant.
Sic aliis in rebus item communia multa,
Multarum rerum cum ſint primordia, longe
Diſſimili tamen inter ſe conſiſtere ſumma
Poſſunt: ut merito ex aliis conſtare ferantur
Humanum genus, ac fruges, arbuſtaque læta.
Nec tamen omnimodis connecti poſſe putandum eſt

Omnia: nam volgo fieri portenta videres,
Semiferas hominum ſpecies exſiſtere, & altos
Interdum ramos egigni corpore vivo:
Multaque connecti terreſtria membra marinis:
Tum flammam tætro ſpiranteis ore Chimæras
Paſcere naturam per terras omniparenteis.
Quorum nil fieri manifeſtum eſt: omnia quando
Seminibus certis certa genetrice creata
Conſervare genus creſcentia poſſe videmus.
Scilicet id certa fieri ratione neceſſe eſt.
Nam ſua cuique cibis ex omnibus intus in artus
Corpora diſcedunt: connexaque convenienteis
Efficiunt motus: at contra aliena videmus
Rejicere in terras naturam: multaque cæcis
Corporibus fugiunt e corpore percita plagis,
Quæ neque connecti cuiquam potuere, neque intra
Vitaleis motus conſentire, atque animari.
Sed ne forte putes animalia ſola teneri
Legibus his: eadem ratio res terminat omneis.
Nam veluti tota natura diſſimiles ſunt
Inter ſe genitæ res quæque, ita quamque neceſſe eſt
Diſſimili conſtare figura principiorum.
Non quod multa parum ſimili ſint prædita forma:
Sed quia non volgo paria omnibus omnia conſtent.
Semina cum porro diſtent, differre neceſſe eſt
Intervalla, vias, connexus, pondera, plagas,
Concurſus, motus; quæ non animalia ſolum
Corpora ſejungunt, ſed terras, ac mare totum
Secernunt, cælumque a terris omne retentant.
Nunc age dicta meo dulci quæſita labore
Percipe: ne forte hæc albis ex alba rearis
Principiis eſſe, ante oculos quæ candida cernis:
Aut ea, quæ nigrant, nigro de ſemine nata:
Neve alium quemvis quæ ſunt induta colorem,
Propterea gerere hunc credas, quod materiai
Corpora conſimili ſint ejus tincta colore.
Nullus enim color eſt omnino materiai
Corporibus, neque par rebus, neque denique diſpar.
In quæ corpora ſi nullus tibi forte videtur
Poſſe animi injectus fieri, procul avius erras.
Nam cum cæcigeni, ſolis qui lumina numquam
Aſpexere, tamen cognoſcant corpora tactu,
Ex ineunte ævo, nullo contincta colore:
Scire licet menti quoque noſtræ corpora poſſe
Verti in notitiam nullo circumlita fuco.
Denique nos ipſi cæcis quæcumque tenebris
Tangimus, haud ullo ſentimus tincta colore.
Quod quoniam vinco fieri, nunc eſſe docebo.
Omnis enim color omnino mutatur in omneis:
Quod facere haud ullo debent primordia pacto.
Immutabile enim quiddam ſuperare neceſſe eſt;
Ne res ad nihilum redigantur funditus omnes.
Nam quodcumque ſuis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors eſt illius, quod fuit ante.
Proinde colore cave contingas ſemina rerum:
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.
Præterea, ſi nulla coloris principiis eſt
Reddita natura, at variis ſunt prædita formis;
E quibus omnigenos gignunt, variantque colores.
Præterea magni quod refert, ſemina quæque
Cum quibus, & quali poſitura contineantur,
Et quos inter ſe dent motus, accipiantque:
Perfacile extemplo rationem reddere poſſis,
Cur ea, quæ nigro fuerint paullo ante colore,
Marmoreo fieri poſſint candore repente.
Ut mare, cum magni commorunt æquora venti,
Vertitur in canos candenti marmore fluctus.
Dicere enim poſſis nigrum, quod ſæpe videmus,
Materies ubi permiſta eſt illius, & ordo
Principiis mutatus, & addita, demtaque quædam,
Continuo id fieri ut candens videatur, & album:
Quod ſi cæruleis conſtarent æquora ponti
Seminibus, nullo poſſent albeſcere pacto.
Nam quocumque modo perturbes, cærula quæ ſint,
Numquam in marmoreum poſſunt migrare colorem.
Sin alio, atque alio ſunt ſemina tincta colore,
Quæ maris efficiunt unum purumque nitorem:
Ut ſæpe ex aliis formis, variiſque figuris
Efficitur quiddam quadratum, unæque figuræ:
Conveniebat, uti in quadrato cernimus eſſe
Diſſimileis formas; ita cernere in æquore ponti,
Aut alio in quovis uno puroque nitore,
Diſſimileis longe inter ſe, varioſque colores.
Præterea, nihil officiunt, obſtantque figuræ
Diſſimiles, quo quadratum minus omne ſit extra:
At varii rerum impediunt, prohibentque colores,
Quo minus eſſe uno poſſit res tota nitore.
Tum porro, quæ ducit, & inlicit, ut tribuamus
Principiis rerum nonnumquam, cauſſa, colores,
Occidit, (ex albis quoniam non alba creantur;
Nec quæ nigra cluent, de nigris; ſed variis de.)
Quippe etenim multo proclivius exorientur
Candida de nullo, quam de nigrante colore,
Aut alio quovis, qui contra pugnet, & obſtet.
Præterea, quoniam nequeunt ſine luce colores
Eſſe, neque in lucem exſiſtunt primordia rerum:
Scire licet quam ſint nullo velata colore.
Qualis enim cæcis poterit color eſſe tenebris
Lumine qui mutatur in ipſo, propterea quod
Recta aut obliqua percuſſus luce refulget?
Pluma columbarum quo pacto in ſole videtur,
Quæ ſita cervices circum, collumque coronat:
Namque alias fit, uti rubro ſit clara pyropo;
Interdum quodam ſenſu fit, uti videatur
Inter cæruleum virideis miſcere zmaragdos.
Caudaque pavonis, larga cum luce repleta eſt,
Conſimili mutat ratione obverſa colores:
Qui, quoniam quondam giguntur luminis ictu,
Scilicet, id ſine eo fieri non poſſe putandum eſt.
Et quoniam plagæ quoddam genus excipit in ſe
Pupula, cum ſentire colorem dicitur album;
Atque aliud porro, nigrum cum, & cetera ſentit;
Nec refert ea, quæ tangas, quo forte colore
Prædita ſint, verum quali magis apta figura:
Scire licet, nil principiis opus eſſe colores:
Sed variis formis varianteis edere tactus.
Præterea, quoniam non certis certa figuris
Eſt natura coloris, & omnia principiorum
Formamenta queunt in quovis eſſe nitore:
Cur ea, quæ conſtant ex illis, non pariter ſunt
Omnigenis perfuſa coloribus in genere omni?
Conveniebat enim corvos quoque ſæpe volanteis
Ex albis album pennis jactare colorem;
Et nigros fieri nigro de ſemine cycnos,
Aut alio quovis uno, varioque colore.
Quin etiam quanto in parteis res quæque minutas
Diſtrahitur magis, hoc magis eſt ut cernere poſſis
Evaneſcere paullatim, ſtinguique colorem:
Ut fit ubi in parvas parteis diſcerpitur aurum,
Purpura, pœniceuſque color clariſſimus multo,
Filatim cum diſtractus diſperditur omnis:
Noſcere ut hinc poſſis, prius omnem efflare colorem
Par-

Particulas, quam diſcedant ad ſemina rerum.
Poſtremo, quoniam non omnia corpora vocem
Mittere concedis, neque odorem: propterea fit,
Ut non omnibus attribuas ſonitus, & odores:
Sic, oculis quoniam non omnia cernere quimus,
Scire licet, quædam tam conſtare orba colore,
Quam ſine odore ullo quædam, ſonituque remota.
Nec minus hæc animum cognoſcere poſſe ſagacem,
Quam quæ ſunt aliis rebus privata, notiſque.
Sed ne forte putes ſolo ſpoliata colore
Corpora prima manere: etiam ſecreta teporis
Sunt, ac frigoris omnino, calidique vaporis:
Et ſonitu ſterila, & ſucco jejuna feruntur:
Nec jaciunt ullum proprio de corpore odorem.
Sicut amaracini blandum, ſtactæque liquorem,
Et nardi florem, nectar qui naribus halant,
Cum facere inſtituas: cum primis quærere par eſt,
(Quoad licet, ac potis es reperire) inolentis olivi
Naturam, nullam quæ mittat naribus auram:
Quam minime ut poſſit miſtos in corpore odores,
Concoctoſque, ſuo contactos perdere viro.
Propterea demum debent primordia rerum
Non adhibere ſuum gignundis rebus odorem,
Nec ſonitum, quoniam nihil ab ſe mittere poſſunt:
Nec ſimili ratione ſaporem denique quemquam;
Nec frigus; neque item calidum, tepidumque vaporem; &
Cetera, quæ cum ita ſunt tandem, ut mortalia conſtent,
Molli lenta, fragoſa putri, cava corpore raro,
Omnia ſint a principiis ſejuncta neceſſe eſt.
Immortalia ſi volumus ſubjungere rebus
Fundamenta, quibus nitatur ſumma ſalutis:
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.
Nunc ea, quæ ſentire videmus cumque neceſſe eſt
Ex inſenſilibus tamen omnia confiteare
Principiis conſtare: neque id manifeſta refutant,
Nec contra pugnant, in promtu cognita quæ ſunt:
Sed magis ipſa manu ducunt, & credere cogunt,
Ex inſenſilibus, quod dico, animalia gigni.
Quippe videre licet, vivos exſiſtere vermeis
Stercore de tætro, putrorem cum ſibi nacta eſt
Intempeſtivis ex imbribus humida tellus.
Præterea cunctas itidem res vertere ſeſe.
Vertunt ſe fluvii, frondes, & pabula læta
In pecudes: vertunt pecudes in corpora noſtra
Naturam: & noſtro de corpore ſæpe ferarum
Augeſcunt vires, & corpora pennipotentum.
Ergo omneis natura cibos in corpora viva
Vertit, & hinc ſenſus animantum procreat omneis:
Non alia longe ratione, atque arida ligna
Explicat in flammas, & in igneis omnia verſat.
Jamne vides igitur, magni primordia rerum
Referre in quali ſint ordine quæque locata,
Et commiſta quibus dent motus, accipiantque?
Tum porro quid id eſt, animum quod percutit ipſum?
Quod movet? & varios ſenſus expromere cogit,
Ex inſenſilibus ne credas ſenſile gigni?
Nimirum lapides, & ligna, & terra quod una
Miſta, tamen nequeunt vitalem reddere ſenſum.
Illud in his igitur fœdus meminiſſe decebit,
Non ex omnibus omnino quæcumque creant res,
Senſilia extemplo, & ſenſus me dicere gigni:
Sed magni referre, ea primum quantula conſtent,
Senſile quæ faciunt, & qua ſint prædita forma,
Motibus, ordinibus, poſituris denique quæ ſint:
Quarum nil rerum in lignis, glæbiſque videmus.
Et tamen hæc cum ſunt quaſi putrefacta per imbreis,
Vermiculos pariunt; quia corpora materiai
Antiquis ex ordinibus permota nova re,
Conciliantur ita, ut debent animalia gigni.
Deinde ex ſenſilibus cum ſenſile poſſe creari
Conſtituunt, porro ex aliis ſentire ſuetis;
Mollia tum faciunt: nam ſenſus jungitur omnis
Viſceribus, nervis, venis, quæcumque videmus
Mollia mortali conſiſtere corpore creta.
Sed tamen eſto jam poſſe hæc æterna manere:
Nempe tamen debent aut ſenſum partis habere,
Aut ſimilia totis animalibus eſſe putari.
At nequeant per ſe parteis ſentire, nec eſſe:
Namque alium ſenſus membrorum reſpuit omnium:
Nec manus a nobis potis eſt ſecreta, neque ulla
Corporis omnino ſenſum pars ſola tenere.
Linquitur, ut totis animalibus adſimulentur;
Vitali ut poſſint conſentire undique ſenſu.
Qui poterunt igitur rerum primordia dici,
Et leti vitare vias, animalia cum ſint,
Atque animalibus ſint mortalibus una, eademque?
Quod tamen ut poſſint: ab cœtu concilioque,
Nil facient, præter volgum, turbamque animantum:
Scilicet ut nequeant homines, armenta, feræque
Inter ſeſe ullam rem gignere conveniendo
Per Veneris res, extra homines, armenta, feraſque.
Sic itidem quæ ſunt minimis ſentire neceſſe eſt.
Quod ſi forte ſuum dimittunt corpore ſenſum,
Atque alium capiunt: quid opus fuit attribui, quod
Detrahitur? Tum præterea, (quod fugimus ante)
Quatinus in pullos animaleis vertier ova
Cernimus alituum, vermeiſque effervere, terram
Intempeſtivos cum putror cepit ob imbreis:
Scire licet gigni poſſe ex non ſenſibus ſenſus.
Quod ſi forte aliquis dicet, dumtaxat oriri
Poſſe ex non-ſenſu ſenſus, ſed mobilitate
Ante aliqua tamquam partum, quam proditur extra:
Huic ſatis illud erit planum facere, atque probare,
Non fieri partum, niſi concilio ante coacto:
Nec commutari quidquam ſine conciliatu
Primorum; ut nequeunt ullius corporis eſſe
Senſus ante ipſam genitam naturam animantis.
Nimirum quia materies disjecta tenetur
Aere, fluminibus, terris, flammaque creatis:
Nec congreſſa modo vitaleis convenienti
Contulit inter ſe motus, quibus omnituentes
Accenſi ſenſus animantem quamque tuentur.
Præterea quamvis animantem grandior ictus,
Quam patitur natura, repente adfligit, & omneis
Corporis, atque animi pergit confundere ſenſus.
Diſſolvuntur enim poſituræ principiorum;
Et penitus motus vitales impediuntur;
Donec materies omneis concuſſa per artus
Vitaleis animæ nodos e corpore ſolvit,
Diſperſamque foras per caulas ejicit omneis.
Nam quid præterea facere ictum poſſe reamur
Oblatum, niſi diſcutere, ac diſſolvere quæque?
Fit quoque, uti ſoleant minus oblato acriter ictu
Relliquiæ motus vitalis vincere ſæpe,
Vincere, & ingenteis plagæ ſedare tumultus,
Inque ſuos quidquid rurſus revocare meatus,
Et quaſi jam leti dominantem in corpore motum
Diſcutere, ac pæne amiſſos accendere ſenſus.
Nam, quare potius leti jam limine ab ipſo
Ad vitam poſſint conlecta mente reverti,
Quam quo decurſum prope jam ſiet, ire, & abire?
Præterea, quoniam dolor eſt ubi materiai
Cor-

Corpora vi quadam per viſcera viva, per artus
Sollicitata ſuis trepidant in ſedibus intus:
Inque locum quando remigrant, fit blanda voluptas:
Scire licet, nullo primordia poſſe dolore
Tentari; nullamque voluptatem capere ex ſe:
Quandoquidem non ſunt ex ullis principiorum
Corporibus, quorum motus novitate laborent;
Aut aliquem fructum capiant dulcedinis almæ.
Haud igitur debent eſſe ullo prædita ſenſu.
Denique uti poſſint ſentire animalia quæque,
Principiis ſi etiam eſt ſenſus tribuendus eorum:
Quid? genus humanum propritim de quibus factum eſt?
Scilicet & riſu tremulo concuſſa cachinnant;
Et lacrimis ſpargunt rorantibus ora, genaſque,
Multaque de rerum miſtura dicere callent,
Et ſibi proporro quæ ſint primordia quærunt.
Quandoquidem totis mortalibus adſimulata
Ipſa quoque ex aliis debent conſtare elementis;
Inde alia ex aliis, nuſquam conſiſtere ut auſis.
Quippe ſequar, quodcumque loqui, ridereque dices,
Et ſapere, ex aliis eadem hæc facientibus, ut ſit.
Quod ſi delira hæc, furioſaque cernimus eſſe;
Et ridere poteſt ex non ridentibus factus,
Et ſapere, & doctis rationem reddere dictis,
Non ex ſeminibus ſapientibus, atque diſertis:
Qui minus eſſe queant ea, quæ ſentire videmus
Seminibus permiſta carentibus undique ſenſu?
Denique cæleſti ſumus omnes ſemine oriundi:
Omnibus ille idem pater eſt, unde alma liquenteis
Humorum guttas mater cum terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges, arbuſtaque læta,
Et genus humanum, & parit omnia ſæcla ferarum,
Pabula cum præbet, quibus omnes corpora paſcunt,
Et dulcem ducunt vitam, prolemque propagant.
Quapropter merito maternum nomen adepta eſt.
Cedit item retro de terra quod fuit ante,
In terras: & quod miſſum eſt ex ætheris oris,
Id rurſum cæli rellatum templa receptant.
Nec ſic interimit mors res, ut materiai
Corpora conficiat, ſed cœtum diſſupat ollis:
Inde aliis aliud conjungit, & efficit, omnes
Res ut convertant formas, mutentque colores,
Et capiant ſenſus, & puncto tempore reddant:
Ut noſcas referre, eadem primordia rerum
Cum quibus, & quali poſitura contineantur,
Et quos inter ſe dent motus, accipiantque:
(Neve putes æterna penes reſidere poteſſe
Corpora prima, quod in ſummis fluitare videmus
Rebus, & interdum naſci, ſubitoque perire:)
Quin etiam refert noſtris in verſibus ipſis,
Cum quibus, & quali ſint ordine quæque locata.
Namque eadem cælum, mare, terras, flumina, ſolem
Significant; eadem fruges, arbuſta, animanteis;
Si non omnia ſint, at multo maxima pars eſt
Conſimilis: verum poſitura diſcrepitant hæc.
Sic ipſis in rebus item jam materiai
Intervalla, viæ, connexus, pondera, plagæ,
Concurſus, motus, ordo, poſitura, figuræ
Cum permutantur, mutari res quoque debent.
Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem.
Nam tibi vehementer nova res molitur ad aureis
Accidere, & nova ſe ſpecies oſtendere rerum.
Sed neque tam facilis res ulla eſt, quin ea primum
Difficilis magis ad credendum conſtet: itemque
Nil adeo magnum, nec tam mirabile quidquam
Principio, quod non minuant mirarier omnes
Paullatim: ut cæli clarum purumque colorem,
Quemque in ſe cohibent palantia ſidera paſſim,
Lunæque, & ſolis præclara luce nitorem:
Omnia quæ ſi nunc primum mortalibus adſint,
Ex improviſo ceu ſint objecta repente;
Quid magis his rebus poterat mirabile dici,
Aut minus ante quod auderent fore credere gentes?
Nil, ut opinor; ita hæc ſpecies miranda fuiſſet:
Quom tibi jam nemo feſſus ſatiate videndi
Suſpicere in cæli dignatur lucida templa.
Deſine quapropter novitate exterritus ipſa
Exſpuere ex animo rationem: ſed magis acri
Judicio perpende, & ſi tibi vera videtur,
Dede manus: aut ſi falſa eſt, accingere contra.
Quærit enim ratione animus, cum ſumma loci ſit
Infinita foris hæc extra mœnia mundi;
Quid ſit ibi porro, quo proſpicere uſque velit mens;
Atque animi jactus liber quo pervolet ipſe.
Principio, nobis in cunctas undique parteis,
Et latere ex utroque, infra, ſuperaque, per Omne
Nulla eſt finis, (uti docui) res ipſaque per ſe
Vociferatur, & elucet natura profundi.
Nullo jam pacto veriſimile eſſe putandum eſt,
(Undique cum vorſus ſpatium vacet infinitum,
Seminaque innumero numero, ſummaque profunda
Multimodis volitent æterno percita motu:)
Hunc unum terrarum orbem, cælumque creatum;
Nil agere illa foris tot corpora materiai:
Cum præſertim hic ſit natura factus; & ipſa
Sponte ſua forte offenſando ſemina rerum
Multimodis, temere, incaſſum, fruſtraque coacta
Tandem cooluerint ea, quæ conjecta repente
Magnarum rerum fierent exordia ſemper,
Terrai, maris, & cæli, generiſque animantum.
Quare etiam atque etiam taleis fateare neceſſe eſt
Eſſe alios alibi congreſſus materiai,
Qualis hic eſt, avido complexu quem tenet æther.
Præterea, cum materies eſt multa parata;
Cum locus eſt præſto; nec res, nec cauſſa moratur
Ulla; geni debent nimirum, & confieri res.
Nunc & ſeminibus ſi tanta eſt copia, quantam
Enumerare ætas animantum non queat omnis;
Viſque eadem, & natura manet, quæ ſemina rerum
Conjicere in loca quæque queat ſimili ratione,
Atque huc ſunt conjecta: neceſſe eſt confiteare
Eſſe alios aliis terrarum in partibus orbeis,
Et varias hominum genteis, & ſæcla ferarum.
Huc accedit, ut in ſumma res nulla ſit una,
Unica quæ gignatur, & unica ſolaque creſcat:
Quin cujuſque ſient ſæcli, permultaque eodem
Sint genere: in primis animalibus, indice mente.
Invenies ſic montivagum genus eſſe ferarum,
Sic hominum genitam prolem, ſic denique mutas
Squamigerum pecudes, & corpora cuncta volantum.
Quapropter cælum ſimili ratione fatendum eſt,
Terramque, & ſolem, lunam, mare, cetera, quæ ſunt,
Non eſſe unica, ſed numero magis innumerali:
Quandoquidem vitæ depactus terminus alte
Tam manet his, & tam nativo hæc corpore conſtant,
Quam genus omne, quod his generatim rebus abundat.
Quæ bene cognita ſi teneas: natura videtur
Libera continuo, dominis privata ſuperbis,
Ipſa ſua per ſe ſponte omnia diis agere expers.
Nam (pro ſancta deum tranquilla pectora pace,
Quæ placidum degunt ævum, vitamque ſerenam!)
Quis regere immenſi ſummam? quis habere profundi

Endo

Endo manu validas potis eſt moderanter habenas?
Quis pariter cælos omneis convertere? & omneis
Ignibus ætheriis terras ſuffire feraceis?
Omnibus inque locis eſſe omni tempore præſto?
Nubibus ut tenebras faciat, cælique ſerena
Concutiat ſonitu? tum fulmina mittat, & ædeis
Sæpe ſuas diſturbet, & in deſerta recedens
Sæviat, exercens telum, quod ſæpe nocenteis
Præterit, exanimatque indignos, inque merenteis?
Multaque poſt mundi tempus genitale, diemque
Primigenum maris, & terræ, ſoliſque coortum,
Addita corpora ſunt extrinſecus; addita circum
Semina, quæ magnum jaculando contulit Omne;
Unde mare, & terræ poſſent augeſcere, & unde
Adparet ſpatium cæli domus, altaque tecta
Tolleret a terris procul; & conſurgeret aer.
Nam ſua cuique locis ex omnibus omnia plagis
Corpora diſtribuuntur, & ad ſua ſæcla recedunt:
Humor ad humorem; terreno corpore terra
Creſcit; & ignem ignes procudunt, ætheraque æther:
Donicum ad extremum creſcendi perfica finem
Omnia perduxit rerum natura creatrix.
Ut fit, ubi nihilo jam plus eſt, quod datur intra
Vitaleis venas, quam quod fluit, atque recedit:
Omnibus his ætas debet conſiſtere rebus:
His natura ſuis refrænat viribus auctum.
Nam, quæcumque vides hilaro grandeſcere adauctu,
Paullatimque gradus ætatis ſcandere adultæ;
Plura ſibi adſumunt, quam de ſe corpora mittunt.
Dum facile in venas cibus omnis diditur; & dum
Non ita ſunt late diſperſa, ut multa remittant:
Et plus diſpendi faciant, quam veſcitur ætas.
Nam certe fluere, ac decedere corpora rebus
Multa, manus dandum eſt: ſed plura accedere debent,
Donicum oleſcendi ſummum tetigere cacumen.
Inde minutatim vireis, & robur adultum
Frangit; & in partem pejorem liquitur ætas.
Quippe etenim quanto eſt res amplior, augmine demto,
Et quo latior eſt, in cunctas undique parteis
Pluria eo diſpergit, & a ſe corpora mittit:
Nec facile in venas cibus omnis diditur eii:
Nec ſatis eſt, pro quam largos exæſtuat æſtus,
Unde queat tantum ſuboriri, ac ſuppeditare,
Quantum opus eſt: & quod ſatis eſt, natura novare.
Jure igitur pereunt, cum rarefacta fluendo
Sunt; & cum externis ſuccumbunt omnia plagis:
Quandoquidem grandi cibus ævo denique deſit;
Nec tuditantia rem ceſſant extrinſecus ullam
Corpora conficere, & plagis infeſta domare.
Sic igitur magni quoque circum mœnia mundi
Expugnata dabunt labem, putreſque ruinas.
Omnia debet enim cibus integrare novando:
Nequidquam: quoniam nec venæ perpetiuntur
Quod ſatis eſt, neque quantum opus eſt, natura miniſtrat.
Jamque adeo affecta eſt ætas; effœtaque tellus
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Sæcla, deditque ferarum ingentia corpora partu.
Haud (ut opinor) enim mortalia ſæcla ſuperne
Aurea de cælo demiſit funis in arva:
Nec mare, nec fluctus plangentes ſaxa crearunt:
Sed genuit tellus eadem, quæ nunc alit ex ſe.
Præterea nitidas fruges, vinetaque læta
Sponte ſua primum mortalibus ipſa creavit;
Ipſa dedit dulceis fœtus, & pabula læta:
Quæ nunc vix noſtro grandeſcunt aucta labore:
Conterimuſque boves, & vireis agricolarum:
Conficimus ferrum: vix arvis ſuppeditati
Uſque adeo pereunt fœtus, augentque labores.
Iamque caput quaſſans grandis ſuſpirat arator
Crebrius incaſſum magnum cecidiſſe laborem:
Et cum tempora temporibus præſentia confert
Præteritis, laudat fortunas ſæpe parentis:
Et crepat, antiquum genus ut pietate repletum
Perfacile anguſtis tolerarit finibus ævum;
Cum minor eſſet agri multo modus ante viritim:
Nec tenet, omnia paullatim tabeſcere, & ire
Ad ſcopulum ſpatio ætatis defeſſa vetuſto.

DE RERUM NATURA
LIBER III.

E Tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuiſti, illuſtrans commoda vitæ;
Te ſequor o Grajæ gentis decus; inque tuis nunc
Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis;
Non ita certandi cupidus, quam propter amorem,
Quod te imitari aveo. quid enim contendat hirundo
Cycnis? aut quidnam tremulis facere artubus hædi
Conſimile in curſu poſſint, ac fortis equi vis?
Tu pater, & rerum inventor: tu patria nobis
Suppeditas præcepta: tuiſque ex, inclute, chartis,
Floriferis ut apes in ſaltibus omnia limant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
Aurea, perpetua ſemper digniſſima vita.
Nam ſimul ac ratio tua cœpit vociferari
Naturam rerum haud divina mente coortam;
Diffugiunt animi terrores; mœnia mundi
Diſcedunt: totum video per inane geri res.
Apparet divum numen, ſedeſque quietæ;
Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis
Adſpergunt, neque nix acri concreta pruina
Cana cadens violat: ſemperque innubilus æther
Integit, & large diffuſo lumine ridet.
Omnia ſuppeditat porro natura; neque ulla
Res animi pacem delibrat tempore in ullo.
At contra nuſquam apparent Acheruſia templa:
Nec tellus obſtat, quin omnia diſpiciantur,
Sub pedibus quæcumque infra per inane geruntur.
His tibi me rebus quædam divina voluptas
Percipit, atque horror, quod ſic natura tua vi
Tam manifeſta patens ex omni parte retecta.
Et quoniam docui, cunctarum exordia rerum
Qualia ſint; & quam variis diſtantia formis
Sponte ſua volitent alterno percita motu;
Quoque modo poſſint ex his res quæque creari:
Haſce ſecundum res animi natura videtur,
Atque animæ claranda meis jam verſibus eſſe:
Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo;
Omnia ſuffundens mortis nigrore; neque ullam
Eſſe voluptatem liquidam puramque relinquit.
Nam, quod ſæpe homines morbos magis eſſe timendos
Infamemque ferunt vitam, quam tartara leti;
Et ſe ſcire animi naturam ſanguinis eſſe;
Nec prorſum quidquam noſtræ rationis egere:
Hic licet advertas animum, magis omnia laudis,
Aut etiam venti, ſi fert ita forte voluntas,
Jactari cauſſa, quam quod res ipſa probetur.
Extorres iidem patria, longeque fugati
Conſpectu ex hominum, fœdati crimine turpi,
Omnibus ærumnis affecti denique vivunt:

Et quocumque tamen miſeri venere, parentant,
Et nigras mactant pecudes, & Manibus divis
Inferias mittunt: multoque in rebus acerbis
Acrius advertunt animos ad relligionem.
Quo magis in dubiis hominem ſpectare periclis
Convenit; adverſiſque in rebus noſcere qui ſit.
Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Ejiciuntur; & eripitur perſona, manet res.
Denique avarities, & honorum cæca cupido,
Quæ miſeros homines cogunt tranſcendere fineis
Juris, & interdum ſocios ſcelerum, atque miniſtros
Nocteis atque dies niti præſtante labore
Ad ſummas emergere opes: hæc vulnera vitæ
Non minimam partem mortis formidine aluntur.
Turpis enim fama, & contemtus, & acris egeſtas
Semota ab dulci vita ſtabilique videntur;
Et quaſi jam leti portas cunctarier ante:
Unde homines dum ſe falſo terrore coacti
Refugiſſe volunt longe, longeque receſſe;
Sanguine civili rem conflant; divitiaſque
Conduplicant avidi, cædem cædi accumulantes.
Crudeles gaudent in triſti funere fratris:
Et conſanguineum menſas odere, timentque.
Conſimili ratione ab eodem ſæpe timore
Macerat invidia: ante oculos illum eſſe potentem,
Illum aſpectari, claroque incedere honore:
Ipſi ſe in tenebris volvi, cœnoque queruntur.
Intereunt partim ſtatuarum, & nominis ergo:
Et ſæpe uſque adeo, mortis formidine, vitæ
Percipit humanos odium, luciſque videndæ,
Ut ſibi conſciſcant mœrenti pectore letum;
Obliti fontem curarum hunc eſſe timorem,
Hunc vexare pudorem, hunc vincula amicitiai
Rumpere, & in ſumma pietatem evertere fundo.
Nam jam ſæpe homines patriam, caroſque parenteis
Prodiderunt, vitare Acheruſia templa petentes.
Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: ſic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ ſunt metuenda magis, quam
Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebraſque neceſſe eſt
Non radii ſolis, neque lucida tela diei
Diſcutiant, ſed naturæ ſpecies, ratioque.
Primum animum dico [mentem quem ſæpe vocamus]
In quo conſilium vitæ, regimenque locatum eſt,
Eſſe hominis partem nihilo minus, ac manus, & pes,
Atque oculi partes animantis totius exſtant.
Quamvis multa quidem ſapientum turba putarunt
Senſum animi certa non eſſe in parte locatum:
Verum habitum quemdam vitalem corporis eſſe,
Harmoniam Graji quam dicunt; quod faciat nos
Vivere cum ſenſu, nulla cum in parte ſiet mens:
Ut bona ſæpe valetudo cum dicitur eſſe
Corporis, & non eſt tamen hæc pars ulla valentis:
Sic animi ſenſum non certa parte reponunt:
Magnopere in quo mi diverſi errare videntur.
Sæpe utique in promtu corpus, quod cernitur, ægrit,
Cum tamen ex alia lætamur parte latenti:
Et retro fit, uti contra ſit ſæpe viciſſim,
Cum miſer ex animo, lætatur corpore toto:
Non alio pacto, quam ſi pes cum dolet ægri,
In nullo caput interea ſit forte dolore.
Præterea molli cum ſomno dedita membra,
Effuſumque jacet ſine ſenſu corpus onuſtum:
Eſt aliud tamen in nobis, quod tempore in illo
Multimodis agitatur, & omneis accipit in ſe
Lætitiæ motus, & curas cordis inaneis.
Nunc animam quoque ut in membris cognoſcere poſſis
Eſſe, neque harmoniam corpus retinere ſolere:
Principio fit, uti detracto corpore multo,
Sæpe tamen nobis in membris vita moretur.
Atque eadem rurſus cum corpora pauca caloris
Diffugere, foraſque per os eſt editus aer;
Deſerit extemplo venas, atque oſſa relinquit:
Noſcere ut hinc poſſis, non æquas omnia parteis
Corpora habere, neque ex æquo fulcire ſalutem:
Sed magis hæc, venti quæ ſunt, calidique vaporis
Semina, curare in membris ut vita moretur.
Eſt igitur calor, ac ventus vitalis in ipſo
Corpore, qui nobis moribundos deſerit artus.
Quapropter, quoniam eſt animi natura reperta,
Atque animæ, quaſi pars hominis: redde harmoniai
Nomen ab organico ſaltu delatum Heliconis;
Sive aliunde ipſi porro traxere, & in illam
Tranſtulerunt, proprio quæ tum res nomine egebat;
Quidquid id eſt, habeant: tu cetera percipe dicta.
Nunc animum, atque animam dico conjuncta teneri
Inter ſe, atque unam naturam conficere ex ſe:
Sed caput eſſe quaſi, & dominari in corpore toto
Conſilium, quod nos animum, mentemque vocamus:
Idque ſitum media regione in pectoris hæret.
Hic exſultat enim pavor, ac metus; hæc loca circum
Lætitiæ mulcent; hic ergo mens animuſque eſt.
Cetera pars animæ per totum diſſita corpus
Paret; & ad numen mentis, momenque movetur:
Idque ſibi ſolum per ſe ſapit, & ſibi gaudet:
Cum neque res animam, neque corpus commovet ulla.
Et quaſi cum caput aut oculus, tentante dolore,
Læditur in nobis, non omni concruciamur
Corpore: ſic animus nonnumquam læditur ipſe,
Lætitiaque viget, cum cetera pars animai
Per membra, atque artus nulla novitate cietur.
Verum ubi vehementi magis eſt commota metu mens,
Conſentire animam totam per membra videmus:
Sudores itaque, & pallorem exſiſtere toto
Corpore, & infringi linguam, vocemque aboriri;
Caligare oculos, ſonere aureis, ſuccidere artus.
Denique concidere ex animi terrore videmus
Sæpe homines: facile ut quivis hinc noſcere poſſit,
Eſſe animam cum animo conjunctam; quæ cum animi vi
Percuſſa eſt, exin corpus propellit, & icit.
Hæc eadem ratio naturam animi, atque animai
Corpoream docet eſſe: ubi enim propellere membra,
Conripere ex ſomno corpus, mutareque vultum,
Atque hominem totum regere ac verſare videtur:
(Quorum nil fieri ſine tactu poſſe videmus;
Nec tactum porro ſine corpore) nonne fatendum eſt
Corporea natura animum conſtare, animamque?
Præterea pariter fungi cum corpore; & una
Conſentire animum nobis in corpore cernis.
Si minus offendit vitam vis horrida teli,
Oſſibus ac nervis diſcluſis intus adacta;
Attamen inſequitur languor, terræque petitus
Suavis, & in terra mentis qui gignitur æſtus,
Interdumque quaſi exſurgendi incerta voluntas.
Ergo corpoream naturam animi eſſe neceſſe eſt:
Corporeis quoniam telis, ictuque laborat.
Is tibi nunc animus quali ſit corpore, & unde
Conſtiterit, pergam rationem reddere dictis.
Principio eſſe ajo perſubtilem atque minutis
Perquam corporibus factum conſtare: id ita eſſe,
Hinc licet advertas animum, ut pernoſcere poſſis.
Nil

Nil adeo fieri celeri ratione videtur,
Quam ſi mens fieri proponit, & inchoat ipſa.
Ocyus ergo animus, quam res ſe perciet ulla,
Ante oculos quarum in promtu natura videtur.
At quod mobile tantopere eſt, conſtare rotundis
Perquam ſeminibus debet, perquamque minutis;
Momine uti parvo poſſint impulſa moveri.
Namque movetur aqua, & tantillo momine flutat;
Quippe volubilibus, parviſque creata figuris.
At contra mellis conſtantior eſt natura,
Et pigri latices magis, & cunctantior actus;
Hæret enim inter ſe magis omnis materiai
Copia: nimirum quia non tam lævibus exſtat
Corporibus, neque tam ſubtilibus atque rotundis.
Namque papaverum, aura poteſt ſuſpenſa, leviſque
Cogere, ut ab ſummo tibi diffluat altus acervus:
At contra lapidum conjectum, ſpiclorumque
Nenu poteſt: igitur parviſſima corpora quanto
Et læviſſima ſunt, ita mobilitata feruntur.
At contra quo quæque magis cum pondere magno,
Aſperaque inveniuntur, eo ſtabilita magis ſunt.
Nunc igitur, quoniam eſt animi natura reperta
Mobilis egregie; perquam conſtare neceſſe eſt
Corporibus parvis & lævibus atque rotundis.
Quæ tibi cognita res in multis, o bone, rebus
Utilis invenietur, & opportuna cluebit.
Hæc quoque res etiam naturam deliquat ejus,
Quam tenui conſtet textura; quamque loco ſe
Contineat parvo, ſi poſſit conglomerari;
Quod ſimul atque hominem leti ſecura quies eſt
Indepta, atque animi natura, animæque receſſit:
Nil ibi limatum de toto corpore cernas
Ad ſpeciem, nil ad pondus: mors omnia præſtat,
Vitalem præter ſenſum, calidumque vaporem.
Ergo animam totam perparvis eſſe neceſſe eſt
Seminibus, nexam per venas, viſcera, nervos:
Quatinus omnis ubi e toto jam corpore ceſſit,
Extima membrorum circum-cæſura tamen ſe
Incolumem præſtat; nec deſit ponderis hilum.
Quod genus eſt, Bacchi cum flos evanuit, aut cum
Spiritus uuguenti ſuavis diffugit in auras;
Aut aliquo cum jam ſuccus de corpore ceſſit:
Nil oculis tamen eſſe minor res ipſa videtur
Propterea, neque detractum de pondere quidquam.
Nimirum, quia multa, minutaque ſemina ſuccos
Efficiunt, & odorem in toto corpore rerum.
Quare etiam atque etiam mentis naturam, animæque
Scire licet perquam pauxillis eſſe creatam
Seminibus: quoniam fugiens nil ponderis aufert.
Nec tamen hæc ſimplex nobis natura putanda eſt.
Tenuis enim quædam moribundos deſerit aura
Miſta vapore; vapor porro trahit aera ſecum;
Nec calor eſt quiſquam, cui non ſit miſtus & aer.
Rara quod ejus enim conſtat natura, neceſſe eſt
Aeris inter eum primordia multa cieri.
Jam triplex animi eſt igitur natura reperta.
Nec tamen hæc ſat ſunt ad ſenſum cuncta creandum:
Nil horum quoniam recipit mens poſſe creare
Senſiferos motus, quædam qui mente volutent.
Quarta quoque his igitur quædam natura neceſſe eſt
Attribuatur; (ea eſt omnino nominis expers:)
Qua neque mobilius quidquam, neque tenuius exſtat,
Nec magis e parvis, aut lævibus ex elementis;
Senſiferos motus quæ didit prima per artus.
Prima cietur enim parvis perfecta figuris;
Inde calor motus, & venti cæca poteſtas
Accipit; inde aer; inde omnia mobilitantur:
Tum quatitur ſanguis; tum viſcera perſentiſcunt.
Omnia; poſtremo datur oſſibus, atque medullis,
Sive voluptas eſt, ſive eſt contrarius ardor.
Nec temere huc dolor uſque poteſt penetrare, neque acre
Permanare malum, quin omnia perturbentur:
Uſque adeo ut vitæ deſit locus; atque animai
Diffugiant partes per cauſas coporis omneis.
Sed plerumque fit in ſummo quaſi corpore finis
Motibus; hanc ob rem vitam retinere valemus.
Nunc, ea quo pacto inter ſeſe miſta, quibuſque
Comta modis vigeant, rationem reddere aventem
Abſtrahit invitum patrii ſermonis egeſtas.
Sed tamen, ut potero ſummatim attingere, tangam.
Inter enim curſant primordia principiorum
Motibus inter ſe, nihil ut ſecernier unum
Poſſit; nec ſpatio fieri diviſa poteſtas:
Sed quaſi multæ vis unius corporis exſtant.
Quod genus in quovis animantum viſcere vulgo
Eſt odor, & quidam calor, & ſapor; & tamen ex his
Omnibus eſt unum perfectum corporis augmen.
Sic calor, atque aer, & venti cæca poteſtas
Miſta creant unam naturam, & mobilis illa
Vis, initium motus ab ſe quæ dividit ollis;
Senſifer unde oritur primum per viſcera motus.
Nam penitus prorſum latet hæc natura, ſubeſtque;
Nec magis hac infra quidquam eſt in corpore noſtro:
Atque anima eſt animæ proporro totius ipſa.
Quod genus in noſtris membris, & corpore toto
Miſta latens animi vis eſt, animæque poteſtas;
Corporibus quia de parvis, pauciſque creata eſt.
Sic tibi nominis hæc expers vis, facta minutis
Corporibus latet; atque animai totius ipſa
Proporro eſt anima, & dominatur corpore toto.
Conſimili ratione neceſſe eſt ventus, & aer,
Et calor inter ſe vigeant commiſta per artus;
Atque aliis aliud ſubſit magis, emineatque;
Ut quiddam fieri videatur de omnibus unum:
Ne calor, ac ventus ſeorſum, ſeorſumque poteſtas
Aeris interimant ſenſum, diductaque ſolvant.
Eſt etiam calor ille animo, quem ſumit in ira,
Cum ferviſcit, & ex oculis micat acribus ardor.
Eſt & frigida multa comes formidinis aura;
Quæ ciet horrorem in membris, & concitat artus.
Eſt etiam quoque pacati ſtatus aeris ille,
Pectore tranquillo qui fit, voltuque ſereno.
Sed calidi plus eſt illis, quibus acria corda,
Iracundaque mens facile efferviſcit in ira:
Quo genere in primis vis eſt violenta leonum;
Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes,
Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.
At ventoſa magis cervorum frigida mens eſt,
Et gelidas citius per viſcera concitat auras;
Quæ tremulum faciunt membris exſiſtere motum.
At natura boum placido magis aere vivit;
Nec nimis irai fax umquam ſubdita percit
Fumida, ſuffundens cæcæ caliginis umbras;
Nec gelidis torpet telis perfixa pavoris:
Inter utroſque ſita eſt, cervos, ſævoſque leones.
Sic hominum genus eſt: quamvis doctrina politos
Conſtituat pariter quoſdam, tamen illa relinquit
Naturæ cujuſque animæ veſtigia prima.
Nec radicitus evelli mala poſſe putandum eſt,
Quin proclivius hic iras decurrat ad acreis;
Ille metu citius paullo tentetur; at ille
Tertius accipiat quædam clementius æquo.

Inque aliis rebus multis differre neceſſe eſt
Naturas hominum varias, moreſque ſequaceis:
Quorum ego nunc nequeo cæcas exponere cauſſas,
Nec reperire figurarum tot nomina, quot ſunt
Principiis, unde hæc oritur variantia rerum.
Illud in his rebus video firmare poteſſe,
Uſque adeo naturarum veſtigia linqui
Parvola, quæ nequeat ratio depellere dictis:
Ut nihil impediat dignam Diis degere vitam.
  Hæc igitur natura tenetur corpore ab omni;
Ipſaque corporis eſt cuſtos, & cauſſa ſalutis;
Nam communibus inter ſe radicibus hærent:
Nec ſine pernicie divelli poſſe videntur.
Quod genus, e turis glæbis evellere odorem
Haud facile eſt, quin intereat natura quoque ejus.
Sic animi, atque animæ naturam corpore toto
Extrahere haud facile eſt, quin omnia diſſolvantur.
Implexis ita principiis ab origine prima
Inter ſe fiunt conſorti prædita vita:
Nec ſine vi quidquam alterius ſibi poſſe videtur
Corporis, atque animi ſeorſum ſentire poteſtas:
Sed communibus inter eos conflatur utrimque
Motibus accenſus nobis per viſcera ſenſus.
  Præterea, corpus per ſe nec gignitur umquam,
Nec creſcit, nec poſt mortem durare videtur.
Non enim, ut humor aquæ dimittit ſæpe vaporem,
Qui datus eſt, neque ab hac cauſſa convellitur ipſe,
Sed manet incolumis: non, inquam, ſic animai
Diſcidium poſſunt artus perferre relicti:
Sed penitus pereunt convolſi, conque putreſcunt.
Ex ineunte ævo ſic corporis atque animai
Mutua vitaleis diſcunt contagia motus,
Maternis etiam in membris, alvoque repoſta;
Diſcidium ut nequeat fieri ſine peſte, maloque:
Ut videas, quoniam conjuncta eſt cauſſa ſalutis,
Conjunctam quoque naturam conſiſtere eorum.
  Quod ſupereſt, ſiquis corpus ſentire renutat;
Atque animam credit permiſtam corpore toto
Suſcipere hunc motum, quem ſenſum nominitamus;
Vel manifeſtas res contra, veraſque repugnat.
Quid ſit enim corpus ſentire quis afferet umquam?
Si non ipſa palam quod res dedit ac docuit nos?
At dimiſſa anima corpus caret undique ſenſu:
Perdit enim quod non proprium fuit ejus in ævo:
Multaque præterea perdit, cum expellitur ævo.
  Dicere porro oculos nullam rem cernere poſſe;
Sed per eos animum ut foribus ſpectare recluſis;
Deſipere eſt: contra cum ſenſus dicat eorum:
Senſus enim trahit, atque acies detrudit ad ipſas;
Fulgida præſertim cum cernere ſæpe nequimus,
Lumina luminibus quia nobis præpediuntur:
Quod foribus non fit: neque enim, qua cernimus ipſi,
Oſtia ſuſcipiunt ullum recluſa laborem.
  Præterea, ſi pro foribus ſunt lumina noſtra,
Jam magis exemtis oculis debere videtur
Cernere res animus ſublatis poſtibus ipſis.
  Illud in his rebus nequaquam ſumere poſſis,
Democriti quod ſancta viri ſententia ponit,
Corporis atque animi primordia ſingula primis
Adpoſita alternis variare, ac nectere membra.
Nam cum multo ſunt animai elementa minora,
Quam quibus e corpus nobis & viſcera conſtant;
Tum numero quoque concedunt, & rara per artus
Diſſita ſunt; dumtaxat ut hoc promittere poſſis,
Quantula prima queant nobis injecta ciere
Corpora ſenſiferos motus in corpore, tanta
Intervalla tenere exordia prima animai.
Nam neque pulveris interdum ſentimus adhæſum
Corpore, nec membris incuſſam inſidere cretam;
Nec nebulam noctu; nec aranei tenuia fila
Obvia ſentimus, quando obretimur euntes;
Nec ſupra caput ejuſdem cecidiſſe vietam
Veſtem, nec plumas avium, pappoſque volanteis,
Qui nimia levitate cadunt plerumque gravatim:
Nec repentis itum cujuſviſcumque animantis
Sentimus; nec priva pedum veſtigia quæque,
Corpore quæ in noſtro culices, & cetera ponunt.
Uſque adeo prius eſt in nobis multa ciendum
Semina, corporibus noſtris immiſta per artus,
Quam primordia ſentiſcant concuſſa animai;
Et quam intervallis tantis tuditantia poſſint
Concurſare, coire, & diſſultare viciſſim.
  Et magis eſt animus vitai clauſtra coercens,
Et dominantior ad vitam, quam vis animai.
Nam ſine mente, animoque nequit reſidere per artus
Temporis exiguam partem pars ulla animai:
Sed comes inſequitur facile, & diſcedit in auras;
Et gelidos artus in leti frigore linquit.
At manet in vita, cui mens animuſque remanſit,
Quamvis eſt circum-cæſis lacer undique membris:
Truncus, ademta anima circum, membriſque remotis,
Vivit, & ætherias vitaleis ſuſcipit auras:
Si non omnimodis, at magna parte animai
Privatus, tamen in vita cunctatur, & hæret.
Ut lacerato oculo circum ſi pupula manſit
Incolumis, ſtat cernendi vivata poteſtas;
Dummodo ne totum corrumpas luminis orbem,
Sed circumcidas aciem, ſolamque relinquas:
Id quoque enim ſine pernicie conſiet eorum.
At ſi tantula pars oculi media illa pereſa eſt,
Incolumis quamvis alioqui ſplendidus orbis,
Occidit extemplo lumen, tenebræque ſequuntur:
Hoc anima atque animus vincti ſunt fœdere ſemper.
  Nunc age, nativos animantibus, & mortaleis
Eſſe animos, animaſque leveis ut noſcere poſſis;
Conquiſita diu, dulcique reperta labore,
Digna tua pergam diſponere carmina vita.
Tu fac utrumque uno ſubjungas nomen eorum;
Atque animam, verbi cauſſa, cum dicere pergam,
Mortalem eſſe docens; animum quoque dicere credas:
Quatinus eſt unum inter ſe, conjunctaque res eſt.
  Principio, quoniam tenuem conſtare minutis
Corporibus docui, multoque minoribus eſſe
Principiis factam, quam liquidus humor aquai eſt,
Aut nebula, aut fumus: nam longe mobilitate
Præſtat, & a tenui cauſſa magis icta movetur:
Quippe ubi imaginibus fumi, nebulæque movetur;
Quod genus, in ſomnis ſopiti ubi cernimus alta
Exhalare vapore altaria, ferreque fumum:
Nam procul hæc dubio nobis ſimulacra genuntur:
Nunc igitur quoniam quaſſatis undique vaſis
Diffluere humorem, & laticem diſcedere cernis:
Et nebula, ac fumus quoniam diſcedit in auras,
Crede animam quoque diffundi, multoque perire
Ocius, & citius diſſolvi corpora prima,
Cum ſemel omnibus e membris ablata receſſit.
Quippe etenim corpus, quod vas quaſi conſtitit ejus,
Cum cohibere nequit conquaſſatum ex aliqua re,
Ac rarefactum detracto ſanguine venis;
Aere qui credas poſſe hanc cohiberier ullo?
Corpore qui noſtro rarus magis am cohibeſſit?
  Præterea, gigni pariter cum corpore, & una
Cre-

Creſcere ſentimus, pariterque ſeneſcere mentem.
Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur
Corpore, ſic animi ſequitur ſententia tenuis.
Inde ubi robuſtis adolevit viribus ætas;
Conſilium quoque majus, & auctior eſt animi vis.
Poſt ubi jam validis quaſſatum eſt viribus ævi
Corpus, & obtuſis ceciderunt viribus artus:
Claudicat ingenium, delirat linguaque, menſque;
Omnia deficiunt, atque uno tempore deſunt.
Ergo diſſolvi quoque convenit omnem animai
Naturam, ceu fumus in altas aeris auras:
Quandoquidem gigni pariter, pariterque videmus
Creſcere, & (ut docui) ſimul ævo feſſa fatiſcit.
Huc accedit, uti videamus, corpus ut ipſum
Suſcipere immaneis morbos, durumque dolorem:
Sic animum curas acreis luctumque, metumque.
Quare participem leti quoque convenit eſſe.
Quin etiam morbis in corporis avius errat
Sæpe animus; dementit enim, deliraque fatur:
Interdumque gravi lethargo fertur in altum,
Æternumque ſoporem, oculis, nutuque cadenti:
Unde neque exaudit voces, neque noſcere vultus
Illorum potis eſt, ad vitam qui revocantes
Circumſtant lacrimis rorantes ora, genaſque.
Quare animum quoque diſſolvi fateare neceſſe eſt:
Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi.
Nam dolor, ac morbus leti fabricator uterque eſt;
Multorum exitio perdocti quod ſumus ante.
Denique cur, hominem cum vini vis penetravit
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor;
Conſequitur gravitas membrorum? præpediuntur
Crura vacillanti? tardeſcit lingua? madet mens?
Nant oculi? clamor, ſingultus, jurgia gliſcunt?
Et jam cetera de genere hoc quæcumque ſequuntur?
Cur ea ſunt, niſi quod vehemens violentia vini
Conturbare animam conſuevit corpore in ipſo?
At quæcumque queunt conturbari, inquepediri,
Significant, (paullo ſi durior inſinuarit
Cauſſa,) fore ut pereant, ævo privata futuro.
Quinetiam, ſubita vi morbi ſæpe coactus
Ante oculos aliquis noſtros, ut fulminis ictu,
Concidit, & ſpumas agit, ingemit, & tremit artus;
Deſipit, extentat nervos, torquetur, anhelat,
Inconſtanter & in jactando membra fatigat:
Nimirum, quia vis morbi diſtracta per artus
Turbat agens animum, ſpumans ut in æquore ſalſo
Ventorum validis ferveſcit viribus unda.
Exprimitur porro gemitus, quia membra dolore
Afficiuntur; & omnino quod ſemina vocis
Ejiciuntur, & ore foras glomerata feruntur,
Qua quaſi conſuerunt, & ſunt munita viai.
Deſipientia fit, quia vis animi, atque animai
Conturbatur, & (ut docui) diviſa ſeorſum
Disjectatur, eodem illo diſtracta veneno.
Inde, ubi jam morbi ſe flexit cauſſa, reditque
In latebras ater corrupti corporis humor,
Tum quaſi talipedans primum conſurgit, & omneis
Paullatim redit in ſenſus, animamque receptat.
Hæc igitur tantis ubi morbis corpore in ipſo
Jactetur, miſeriſque modis diſtracta laboret:
Cur eamdem credis ſine corpore, in aere aperto,
Cum validis ventis ætatem degere poſſe?
Et quoniam mentem ſanari, corpus ut ægrum,
Cernimus, & flecti medicina poſſe videmus:
Id quoque præſagit mortalem vivere mentem.
Addere enim parteis, aut ordine trajicere æquum eſt,
Aut aliud prorſum de ſumma detrahere illum;
Commutare animum quicumque adoritur, & infit;
Aut aliam quamvis naturam flectere quærit.
At neque transferri ſibi parteis, nec tribui vult,
Immortale quod eſt quidquam, neque defluere hilum.
Nam quodcumque ſuis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors eſt illius, quod fuit ante.
Ergo animus ſive ægreſcit, mortalia ſigna
Mittit (uti docui); ſeu flectitur a medicina:
Uſque adeo falſæ rationi vera videtur
Res occurrere, & effugium præcludere eunti:
Ancipitique refutatu convincere falſum.
Denique ſæpe hominem paullatim cernimus ire,
Et membratim vitalem deperdere ſenſum:
In pedibus primum digitos liveſcere, & ungueis;
Inde pedes, & crura mori: poſt inde per artus
Ire alios tractim gelidi veſtigia leti.
Scinditur atqui animæ quoniam natura, nec uno
Tempore ſincera exſiſtit, mortalis habenda eſt.
Quod ſi forte putas ipſam ſe poſſe per artus
Introrſum trahere, & parteis conducere in unum;
Atque ideo cunctis ſenſum deducere membris:
At locus ille tamen, quo copia tanta animai
Cogitur, in ſenſu debet majore videri.
Qui quoniam nuſquam eſt, nimirum (ut diximus ante)
Dilaniata foras diſpergitur; interit ergo.
Quin etiam, ſi jam libeat concedere falſum,
Et dare, poſſe animam glomerari in corpore eorum,
Lumina qui linquunt moribundi particulatim:
Mortalem tamen eſſe animam fateare neceſſe eſt.
Nec refert, utrum pereat diſperſa per auras,
An contractis in ſe partibus obbruteſcat:
Quando hominem totum magis, ac magis undique ſenſus
Deficit; & vitæ minus, & minus undique reſtat.
Et quoniam mens eſt hominis pars una, locoque
Fixa manet certo, velut aures, atque oculi ſunt,
Atque alii ſenſus, qui vitam cumque gubernant:
Et veluti manus, atque oculus, nareſve ſeorſum
Secreta a nobis nequeant ſentire, neque eſſe:
Sed tamen in parvo linquuntur tempore tali:
Sic animus per ſe non quit ſine corpore, & ipſo
Eſſe homine; illius quaſi quod vas eſſe videtur:
Sive aliud quidvis potis es conjunctius eii
Fingere; quandoquidem connexus corpori adhæret.
Denique corporis, atque animi vivata poteſtas
Inter ſe conjuncta valent, vitaque fruuntur.
Nec ſine corpore enim vitaleis edere motus
Sola poteſt animi per ſe natura; nec autem
Caſſum anima corpus durare, & ſenſibus uti.
Scilicet, avolſus radicitus ut nequit ullam
Diſpicere ipſe oculus rem, ſeorſum corpore toto:
Sic anima atque animus per ſe nil poſſe videntur:
Nimirum, quia per venas, & viſcera miſtim
Per nervos, atque oſſa tenentur corpore ab omni.
Nec magnis intervallis primordia poſſunt
Libera diſſultare; ideo concluſa moventur
Senſiferos motus; quos extra corpus in auras
Aeris haud poſſunt poſt mortem ejecta moveri:
Propterea quia non ſimili ratione tenentur.
Corpus enim atque animans erit aer, ſi cohibere
Seſe anima, atque in eo poterit concludere motus,
Quos ante in nervis, & in ipſo corpore agebat.
Quare etiam atque etiam reſoluto corporis omni
Tegmine, & ejectis extra vitalibus auris,
Diſſolvi ſenſus animi fateare neceſſe eſt,
Atque animam, quoniam conjuncta eſt cauſſa duobus.
Deni-

Denique cum corpus nequeat perferre animai
Diſcidium, quin id tætro tabeſcat odore:
Quid dubitas, quin ex imo, penituſque coorta
Emanarit, uti fumus, diffuſa animæ vis?
Atque ideo tanta mutatum putre ruina
Conciderit corpus penitus, quia mota loco ſunt
Fundamenta foras animæ; manantque per artus,
Perque viarum omneis flexus, in corpore qui ſunt,
Atque foramina? multimodis ut noſcere poſſis
Diſpertitam animæ naturam exiſſe per artus:
Et prius eſſe ſibi diſtractam corpore in ipſo,
Quam prolapſa foras enaret in aeris auras.
Quin etiam fineis dum vitæ vertitur intra,
Sæpe aliqua tamen e cauſſa labefacta videtur
Ire anima, & toto ſolvi de corpore membra;
Et quaſi ſupremo langueſcere tempore voltus,
Molliaque exſangui cadere omnia corpore membra:
Quod genus eſt, animo male factum cum perhibetur,
Aut animam liquiſſe, ubi jam trepidatur, & omnes
Extremum cupiunt vires reprendere vinclum.
Conquaſſatur enim tum mens, animæque poteſtas
Omnis: & hæc ipſo cum corpore collabefiunt:
Ut gravior paullo poſſit diſſolvere cauſſa.
Quid dubitas, tandem quin extra prodita corpus
Imbecilla foras, in aperto, tegmine demto,
Non modo non omnem poſſit durare per ævum,
Sed minimum quodvis nequeat conſiſtere tempus?
Nec ſibi enim quiſquam moriens ſentire videtur
Ire foras animam incolumem de corpore toto;
Nec prius ad jugulum, & ſuperas ſuccedere fauceis:
Verum deficere in certa regione locatam:
Ut ſenſus alios, in parti quemque ſua, ſcit
Diſſolvi: quod ſi immortalis noſtra foret mens,
Non jam ſe moriens diſſolvi conquereretur:
Sed magis ire foras, veſtemque relinquere, ut anguis,
Gauderet, prælonga ſenex aut cornua cervus.
Denique cur animi numquam mens conſiliumque
Gignitur in capite, aut pedibus, manibuſve; ſed unis
Sedibus, & certis regionibus omnis inhæret:
Si non certa loca ad naſcendum reddita cuique
Sunt: & ubi quidquid poſſit durare creatum:
Atque ita multimodis pro totis artubus eſſe,
Membrorum ut numquam exſiſtat præpoſterus ordo?
Uſque adeo ſequitur res rem, neque flamma creari in
Fluminibus ſolita eſt, neque in igni gignier algor.
Præterea, ſi immortalis natura animai eſt,
Et ſentire poteſt ſecreta a corpore noſtro:
Quinque (ut opinor) eam faciendum eſt ſenſibus auctam:
Nec ratione alia noſmet proponere nobis
Poſſumus infernas animas Acherunte vagare.
Pictores itaque, & ſcriptorum ſæcla priora
Sic animas introduxerunt ſenſibus auctas.
At neque ſeorſum oculi, neque nares, nec manus ipſa
Eſſe poteſt anima, neque ſeorſum lingua, nec aures
Abſque anima per ſe poſſunt ſentire, nec eſſe.
Et quoniam toto ſentimus corpore ineſſe
Vitalem ſenſum, & totum eſſe animale videmus:
Si ſubito medium celeri præciderit ictu
Vis aliqua, ut ſeorſum partem ſecernat utramque;
Diſpertita proculdubio quoque vis animai,
Et diſciſſa, ſimul cum corpore disjicietur:
At quod ſcinditur, & parteis diſcedit in ullas,
Scilicet æternam ſibi naturam abnuit eſſe.
Falciferos memorant currus abſcindere membra
Sæpe ita deſubitó permiſta cæde calenteis,
Ut tremere in terra videatur ab artubus id, quod
Decidit abſciſſum: cum mens tamen, atque hominis vis
Mobilitate mali non quit ſentire dolorem:
Et ſimul, in pugnæ ſtudio quod dedita mens eſt,
Corpore cum reliquo pugnam, cædeiſque petiſſit:
Nec tenet, amiſſam lævam cum tegmine ſæpe
Inter equos abſtraxe rotas, falceiſque rapaceis:
Nec cecidiſſe alius dextram, cum ſcandit, & inſtat.
Inde alius conatur ademto ſurgere crure,
Cum digitos agitat propter moribundus humi pes:
Et caput abſciſſum calido, viventeque trunco,
Servat humi voltum vitalem, oculoſque patenteis;
Donec relliquias animai reddidit omneis.
Quin etiam tibi ſi lingua vibrante minantis
Serpentis caudam procero corpore, utrimque
Sit libitum in multas parteis diſcindere ferro;
Omnia jam ſeorſum cernes ancisa recenti
Volnere tortari, & terram conſpergere tabo;
Ipſam ſeque retro partem petere ore priorem,
Volneris ardenti ut morſu premat icta dolore.
Omnibus eſſe igitur totas dicemus in illis
Particulis animas? at ea ratione ſequetur,
Unam animantem animas habuiſſe in corpore multas.
Ergo diviſa eſt ea, quæ fuit una ſimul cum
Corpore: quapropter mortale utrumque putandum eſt,
In multas quoniam parteis diſcinditur æque.
Præterea, ſi immortalis natura animai
Conſtat, & in corpus naſcentibus inſinuatur:
Cur ſuper anteactam ætatem meminiſſe nequimus?
Nec veſtigia geſtarum rerum ulla tenemus?
Nam ſi tantopere eſt animi mutata poteſtas,
Omnis ut actarum exciderit retinentia rerum:
Non (ut opinor) id ab leto jam longiter errat.
Quapropter fateare neceſſe eſt, quæ fuit ante,
Interiiſſe: & quæ nunc eſt, nunc eſſe creatam.
Præterea, ſi jam perfecto corpore nobis
Inferri ſolita eſt animi vivata poteſtas,
Tum cum gignimur, & vitæ cum limen inimus,
Haud ita conveniebat, uti cum corpore, & una
Cum membris videatur in ipſo ſanguine creſſe:
Sed velut in cavea, per ſe ſibi vivere ſolam
Convenit; ut ſenſu corpus tamen affluat omne.
Quare etiam atque etiam nec originis eſſe putandum eſt
Experteis animas, nec leti lege ſolutas.
Nam neque tantopere adnecti potuiſſe putandum eſt
Corporibus noſtris extrinſecus inſinuatas:
Quod fieri totum contra maniſeſta docet res.
Namque ita connexa eſt per venas, viſcera, nervos,
Oſſaque, uti dentes quoque ſenſu participentur:
Morbus ut indicat, & gelidai ſtringor aquai,
Et lapis oppreſſus ſub dente e frugibus aſper:
Nec tam contextæ cum ſint, exire videntur
Incolumes poſſe, & ſalvas exſolvere ſeſe
Omnibus e nervis, atque oſſibus, articuliſque.
Quod ſi forte putas extrinſecus inſinuatam
Permanere animam nobis per membra ſolere;
Tanto quæque magis cum corpore fuſa peribit.
Quod permanat enim, diſſolvitur: interit ergo.
Diſpertitur enim per caulas corporis omneis:
Ut cibus in membra atque artus cum dititur omneis,
Diſperit; atque aliam naturam ſufficit ex ſe:
Sic anima atque animus quamvis integra recens in
Corpus eunt, tamen in manando diſſolvuntur:
Dum quaſi per caulas omneis diduntur in artus
Particulæ, quibus hæc animi natura creatur,
Quæ nunc in noſtro dominatur corpore, nata
Ex illa, quæ tunc peritat partita per artus.

Qua-

Quapropter neque natali privata videtur
Eſſe die natura animæ, nec funeris expers.
Semina præterea linquuntur, necne, animai
Corpore in exanimo? quod ſi linquuntur, & inſunt,
Haud erit, ut merito immortalis poſſit haberi:
Partibus amiſſis quoniam libata receſſit.
Sin ita ſinceris membris ablata profugit,
Ut nullas parteis in corpore liquerit ex ſe;
Unde cadavera rancenti jam viſcere vermeis
Exſpirant; atque unde animantum copia tanta
Exos, & exſanguis tumidos perfluctuat artus?
Quod ſi forte animas extrinſecus inſinuari
Vermibus, & privas in corpora poſſe venire
Credis; nec reputas, cur millia multa animarum
Conveniant, unde una receſſerit: hoc tamen eſt ut
Quærendum videatur, & in diſcrimen agendum:
Utrum tandem animæ venentur ſemina quæque
Vermiculorum, ipſæque ſibi fabricentur ubi ſint:
An jam corporibus perfectis inſinuentur.
At neque cur faciant ipſæ, quareve laborent,
Dicere ſuppeditat; neque enim ſine corpore cum ſint,
Sollicitæ volitant morbis, algoque, fameque.
Corpus enim magis his vitiis adfine laborat:
Et mala multa animus contage fungitur ejus.
Sed tamen his eſto quamvis facere utile corpus,
Quod ſubeant: at qua poſſint, via nulla videtur.
Haud igitur faciunt animæ ſibi corpora, & artus.
Nec tamen eſt ut jam perfectis inſinuentur
Corporibus: neque enim poterunt ſubtiliter eſſe
Connexæ; neque conſenſu contagia fient.
Denique cur acris violentia triſte leonum
Seminium ſequitur: dolus volpibus, & fuga cervis
A patribus datur, & patrius pavor incitat artus?
Et jam cetera de genere hoc, cur omnia membris
Ex ineunte ævo ingeneraſcunt, inque genuntur;
Si non certa ſuo quia ſemine, ſeminioque
Vis animi pariter creſcit cum corpore toto?
Quod ſi immortalis foret, & mutare ſoleret
Corpora, permiſtis animantes moribus eſſent:
Effugeret canis Hyrcano de ſemine ſæpe
Cornigeri incurſum cervi; tremeretque per auras
Aeris accipiter fugiens veniente columba:
Deſiperent homines; ſaperent fera ſæcla ferarum.
Illud enim falſa fertur ratione, quod ajunt,
Immortalem animam mutato corpore flecti:
Quod mutatur enim, diſſolvitur: interit ergo.
Trajiciuntur enim partes, atque ordine migrant;
Quare diſſolvi quoque debent poſſe per artus,
Denique ut intereant una cum corpore cunctæ.
Sin animas hominum dicent in corpora ſemper
Ire humana; tamen quæram cur e ſapienti
Stulta queat fieri, nec prudens ſit puer ullus?
Nec tam doctus equæ pullus, quam fortis equi vis?
Si non certa ſuo quia ſemine, ſeminioque
Vis animi pariter creſcit cum corpore toto.
Scilicet in tenero teneraſcere corpore mentem
Confugient; quod ſi jam fit, fateare neceſſe eſt,
Mortalem eſſe animam; quoniam mutata per artus
Tantopere amittit vitam, ſenſumque priorem.
Quove modo poterit pariter cum corpore quoque
Confirmata cupitum ætatis tangere florem
Vis animi, niſi erit conſors in origine prima?
Quidve foras ſibi vult membris exire ſenectis?
An metuit concluſa manere in corpore putri?
Et domus ætatis ſpatio ne feſſa vetuſto
Obruat? at non ſunt immortali ulla pericla.

Denique connubia ad Veneris, partuſque ferarum
Eſſe animas præſto, deridiculum eſſe videtur;
Et ſpectare immortaleis mortalia membra
Innumero numero; certareque præproperanter
Inter ſe, quæ prima, potiſſimaque inſinuetur:
Si non forte ita ſunt animarum fœdera pacta,
Ut quæ prima volans advenerit, inſinuetur
Prima; neque inter ſe contendant viribus hilum.
Denique in æthere non arbor, non æquore in alto
Nubes eſſe queunt, nec piſces vivere in arvis;
Nec cruor in lignis, nec ſaxis ſuccus ineſſe:
Certum ac diſpoſitum eſt, ubi quidquid creſcat, & inſit:
Sic animi natura nequit ſine corpore oriri
Sola, neque a nervis, & ſanguine longius eſſe.
Hoc ſi poſſet enim, multo prius ipſa animi vis
In capite, aut humeris, aut imis calcibus eſſe
Poſſet, & innaſci quavis in parte ſoleret:
Tandem in eodem homine, atque in eodem vaſe maneret.
Quod quoniam in noſtro quoque conſtat corpore certum;
Diſpoſitumque videtur, ubi eſſe, & creſcere poſſit
Seorſum anima, atque animus: tanto magis inficiandum
Totum poſſe extra corpus durare, genique.
Quare, corpus ubi interiit, periiſſe neceſſe eſt
Confiteare animam diſtractam in corpore toto.
Quippe etenim mortale æterno jungere, & una
Conſentire putare, & fungi mutua poſſe,
Deſipere eſt: quid enim diverſius eſſe putandum eſt,
Aut magis inter ſe disjunctum, diſcrepitanſque,
Quam mortale quod eſt, immortali, atque perenni
Junctum, in concilio ſævas tolerare procellas?
Præterea, quæcumque manent æterna, neceſſe eſt,
Aut quia ſunt ſolido cum corpore, reſpuere ictus,
Nec penetrare pati ſibi quidquam, quod queat arctas
Diſſociare intus parteis; ut materiai
Corpora ſunt; quorum naturam oſtendimus ante:
Aut ideo durare ætatem poſſe per omnem,
Plagarum quia ſunt expertia; ſicut inane eſt;
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum:
Aut ideo, quia nulla loci ſit copia circum,
Quo quaſi res poſſint diſcedere, diſſoluique:
Sicut ſummarum ſumma eſt æterna, neque extra
Quis locus eſt, quo diffugiat: neque corpora ſunt, quæ
Poſſint incidere, & valida diſſolvere plaga.
At neque (uti docui) ſolido cum corpore mentis
Natura eſt, quoniam admiſtum eſt in rebus inane:
Nec tamen eſt ut inane: neque autem corpora deſunt,
Ex infinito quæ poſſint forte coorta
Proruere hanc mentis violento turbine molem:
Aut aliam quamvis cladem importare pericli:
Nec porro natura loci, ſpatiumque profundi
Deficit, exſpergi quo poſſit vis animai;
Aut alia quavis poſſit vi pulſa perire.
Haud igitur leti præcluſa eſt janua menti.
Quod ſi forte ideo magis immortalis habenda eſt,
Quod letalibus ab rebus munita tenetur;
Aut quia non veniunt omnino aliena ſalutis;
Aut quia, quæ veniunt, aliqua ratione recedunt
Pulſa prius, quam, quid noceant, ſentire queamus:
Scilicet a vera longe ratione remotum eſt.
Præter enim quam quod morbis tum corporis ægrit,
Advenit id, quod eam de rebus ſæpe futuris
Macerat, inque metu male habet, curiſque fatigat:
Præteritiſque admiſſa annis peccata remordent.
Adde furorem animi proprium, atque oblivia rerum,
Adde, quod in nigras lethargi mergitur undas.
Nil igitur mors eſt; ad nos neque pertinet hilum;
Quan-

Quandoquidem natura animi mortalis habetur:
Et velut anteacto nil tempore ſenſimus ægri,
Ad confligendum venientibus undique Pœnis;
Omnia cum belli trepido concuſſa tumultu
Horrida contremuere ſub altis ætheris auris:
In dubioque fuit ſub utrorum ad regna cadendum
Omnibus humanis eſſet, terraque marique:
Sic ubi non erimus, cum corporis, atque animai
Diſcidium fuerit, quibus e ſumus uniter apti;
Scilicet haud nobis quidquam, qui non erimus tum,
Accidere omnino poterit, ſenſumque movere:
Non ſi terra mari miſcebitur, & mare cælo.
Et, ſi jam noſtro ſentit de corpore, poſtquam
Diſtracta eſt animi natura, animæque poteſtas:
Nil tamen hoc ad nos, qui cœtu, conjugioque
Corporis, atque animæ conſiſtimus uniter apti.
Nec, ſi materiam noſtram conlegerit ætas
Poſt obitum, rurſumque redegerit, ut ſita nunc eſt;
Atque iterum nobis fuerint data lumina vitæ;
Pertineat quidquam tamen ad nos id quoque factum,
Interrupta ſemel cum ſit repetentia noſtra.
Et nunc nil ad nos de nobis attinet, ante
Qui fuimus; nec jam de illis nos afficit angor,
Quos de materia noſtra nova proferet ætas.
Nam cum reſpicias immenſi temporis omne
Præteritum ſpatium; tum motus materiai
Multimodi quam ſint; facile hoc adcredere poſſis,
Semina ſæpe in eodem, ut nunc ſunt, ordine poſta:
Nec memori tamen id quimus deprendere mente.
Inter enim jecta eſt vitai pauſa, vageque
Deerrarunt paſſim motus ab ſenſibus omnes.
Debet enim, miſere quoi forte ægreque futurum eſt,
Ipſe quoque eſſe in eo tum tempore, cum male poſſit
Accidere: at quoniam mors eximit im, prohibetque
Illum, cui poſſint incommoda conciliari
Hæc eadem, in quibus & nunc nos ſumus, ante fuiſſe;
Scire licet nobis nihil eſſe in morte timendum:
Nec miſerum fieri, qui non eſt, poſſe: neque hilum
Differre, an nullo fuerit jam tempore natus,
Mortalem vitam mors cui immortalis ademit.
Proinde ubi ſe videas hominem miſerarier ipſum,
Poſt mortem fore, ut aut putreſcat corpore poſto,
Aut flammis interfiat, maliſve ferarum:
Scire licet, non ſincerum ſonere; atque ſubeſſe
Cæcum aliquem cordi ſtimulum, quamvis neget ipſe
Credere ſe quemquam ſibi ſenſum in morte futurum.
Non (ut opinor) enim dat, quod promittit; & inde
Nec radicitus e vita ſe tollit, & eicit;
Sed facit eſſe ſui quiddam ſuper inſcius ipſe.
Vivus enim ſibi cum proponit quiſque, futurum
Corpus uti volucres lacerent in morte, feræque;
Ipſe ſui miſeret: neque enim ſe vindicat hilum,
Nec removet ſatis a projecto corpore; & illud
Se fingit, ſenſuque ſuo contaminat adſtans.
Hinc indignatur ſe mortalem eſſe creatum;
Nec videt, in vera nullum fore morte alium ſe;
Qui poſſit vivus ſibi ſe lugere peremtum;
Stanſque jacentem; nec lacerari, urive dolore.
Nam ſi in morte malum eſt malis morſuque ferarum
Tractari; non invenio qui non ſit acerbum
Ignibus impoſitum calidis torreſcere flammis;
Aut in melle ſitum ſuffocari; atque rigere
Frigore cum in ſummo gelidi cubat æquore ſaxi:
Urgerive ſuperne obtritum pondere terræ.
At jam non domus accipiet te læta; neque uxor
Optima, nec dulces occurrent oſcula nati
Præripere, & tacita pectus dulcedine tangent:
Non poteris factis tibi fortibus eſſe, tuiſque
Præſidio: Miſer! o miſer! aiunt, omnia ademit
Una dies infeſta tibi tot præmia vitæ.
Illud in his rebus non addunt, Nec tibi earum
Jam deſiderium rerum ſuper inſidet una.
Quod bene ſi videant animo, dictiſque ſequantur,
Diſſolvant animi magno ſe angore, metuque.
Tu quidem ut es leto ſopitus, ſic eris ævi
Quod ſupereſt, cunctis privatum doloribus ægris:
At nos horrifico cinefactum te prope buſto
Inſatiabiliter deflebimus; æternumque
Nulla dies nobis mœrorem e pectore demet.
Illud ab hoc igitur quærendum eſt, quid ſit amari
Tantopere, ad ſomnum ſi res redit, atque quietem,
Cur quiſquam æterno poſſit tabeſcere luctu?
Hoc etiam faciunt, ubi diſcubuere, tenentque
Pocula ſæpe homines, & inumbrant ora coronis,
Ex animo ut dicant, Brevis hic eſt fructus homullis:
Jam fuerit, neque poſt umquam revocare licebit.
Tamquam in morte mali cum primis hoc ſit eorum,
Quod ſitis exurat miſeros, atque arida torreat;
Aut aliæ cujus deſiderium inſideat rei.
Nec ſibi enim quiſquam tum ſe, vitamque requirit,
Cum pariter mens & corpus ſopita quieſcunt:
(Nam licet æternum per nos ſic eſſe ſoporem)
Nec deſiderium noſtri nos adtigit ullum:
Et tamen haudquaquam noſtros tunc illa per artus
Longe ab ſenſiferis primordia motibus errant:
Quin conreptus homo ex ſomno ſe conligit ipſe.
Multo igitur mortem minus ad nos eſſe putandum;
Si minus eſſe poteſt, quam quod nihil eſſe videmus.
Major enim turbæ disjectus materiai
Conſequitur leto, nec quiſquam expergitus exſtat,
Frigida quem ſemel eſt vitai pauſa ſecuta.
Denique ſi vocem rerum natura repente
Mittat, & hoc aliquoi noſtrum ſic increpet ipſa:
Quid tibi tantopere eſt, mortalis, quod nimis ægris
Luctibus indulges? quid mortem congemis, ac fles?
Nam ſi grata fuit tibi vita anteacta, priorque;
Et non omnia, pertuſum congeſta quaſi in vas,
Commoda perfluxere, atque ingrata interiere:
Cur non, ut plenus vitæ conviva, recedis?
Æquo animoque capis ſecuram, ſtulte, quietem?
Sin ea, quæ fructus cumque es, periere profuſa;
Vitaque in offenſu eſt; cur amplius addere quæris,
Rurſum quod pereat male, & ingratum occidat omne?
Non potius vitæ finem facis, atque laboris?
Nam tibi præterea quod machiner, inveniamque
Quod placeat, nihil eſt: eadem ſunt omnia ſemper.
Si tibi non annis corpus jam marcet, & artus
Confecti languent, eadem tamen omnia reſtant,
Omnia ſi pergas vivendo vincere ſæcla:
Atque etiam potius, ſi numquam ſis moriturus.
Quid reſpondeamus, niſi juſtam intendere litem
Naturam? & veram verbis exponere cauſſam?
At qui obitum lamentetur miſer amplius æquo,
Non merito inclamet magis, & voce increpet acri?
Aufer ab hinc lacrimas, barathro, & compeſce querelas.
Grandior hic vero ſi jam, ſeniorque queratur:
Omnia perfructus vitai præmia, marces:
Sed quia ſemper aves, quod abeſt, præſentia temnis,
Imperfecta tibi elapſa eſt, ingrataque vita:
Et nec opinanti mors ad caput adſtitit ante,
Quam ſatur, ac plenus poſſis diſcedere rerum.
Nunc aliena tua tamen ætate omnia mitte;

Æquo

Æquo animoque, agedum, jam aliis concede: neceſſe eſt.
Jure (ut opinor) agat, jure increpet, incilietque:
Cedit enim rerum novitate extruſa vetuſtas
Semper; & ex aliis aliud reparare neceſſe eſt:
Nec quidquam in barathrum, nec tartara decidit atra.
Materies opus eſt, ut creſcant poſtera ſæcla:
Quæ tamen omnia te, vita perfuncta, ſequentur.
Nec minus ergo ante hæc, quam nunc, cecidere, cadentque.
Sic alid ex alio numquam deſiſtet oriri;
Vitaque mancupio nulli datur, omnibus uſu.
Reſpice item quam nil ad nos anteacta vetuſtas
Temporis æterni fuerit, quam naſcimur ante.
Hoc igitur ſpeculum nobis natura futuri
Temporis exponit, poſt mortem denique noſtram.
Numquid ibi horribile apparet? num triſte videtur
Quidquam? nonne omni ſomno ſecurius exſtat?
Atque ea nimirum, quæcumque Acherunte profundo
Prodita ſunt eſſe, in vita ſunt omnia nobis.
Nec miſer impendens magnum timet aere ſaxum
Tantalus, ut fama eſt, caſſa formidine torpens:
Sed magis in vita divum metus urget inanis
Mortaleis; caſumque timent, quemcumque ferat fors.
Nec Tityon volucres ineunt Acherunte jacentem;
Nec, quod ſub magno ſcrutentur pectore, quidquam
Perpetuam ætatem poterunt reperire profecto,
Quamlibet immani projectu corporis exſtet:
Qui non ſola novem diſpenſis jugera membris
Obtineat, ſed qui terrai totius orbem:
Non tamen æternum poterit perferre dolorem,
Nec præbere cibum proprio de corpore ſemper:
Sed Tityos nobis hic eſt, in amore jacentem
Quem volucres lacerant, atque exeſt anxius angor,
Aut alia quavis ſcindunt cuppedine curæ.
Siſyphus in vita quoque nobis ante oculos eſt,
Qui petere a populo faſceis, ſævaſque ſecureis
Imbibit, & ſemper victus, triſtiſque recedit:
Nam petere imperium, quod inane eſt, nec datur umquam;
Atque in eo ſemper durum ſufferre laborem;
Hoc eſt adverſo nixantem trudere monte
Saxum; quod tamen a ſummo jam vertice rurſum
Volvitur, & plani raptim petit æquora campi.
Deinde animi ingratam naturam paſcere ſemper,
Atque explere bonis rebus, ſatiareque numquam:
Quod faciunt nobis annorum tempora, circum
Cum redeunt, fœtuſque ferunt, varioſque lepores;
Nec tamen explemur vitai fructibus umquam:
Hoc (ut opinor) id eſt, ævo florente puellas
Quod memorant, laticem pertuſum congerere in vas;
Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur.
Cerberus, & furiæ jam vero, & lucis egenus
Tartarus, horriferos eructans faucibus æſtus,
Hæc neque ſunt uſquam, neque poſſunt eſſe profecto.
Sed metus in vita pœnarum pro malefactis
Eſt inſignibus inſignis, ſceleriſque luela
Carcer, & horribilis de ſaxo jactus deorſum;
Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ:
Quæ tamen & ſi abſunt, at mens ſibi conſcia facti
Præmetuens, adhibet ſtimulos, torretque flagellis;
Nec videt interea, qui terminus eſſe malorum
Poſſit, nec quæ ſit pœnarum denique finis:
Atque eadem metuit, magis hæc ne in morte graveſcant:
Hinc Acheruſia fit ſtultorum denique vita.
Hoc etiam tibi tute interdum dicere poſſis:
Lumina ſis oculis etiam bonus Ancus reliquit,
Qui melior multis, quam tu, fuit, improbe, rebus.
Inde alii multi reges, rerumque potentes
Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.
Ille quoque ipſe, viam qui quondam per mare magnum
Stravit, iterque dedit legionibus ire per altum,
Ac pedibus ſalſas docuit ſuper ire lacunas,
Et contemſit aquis inſultans murmura ponti;
Lumine ademto, animam moribundo corpore fudit.
Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror,
Oſſa dedit terræ, proinde ac famul infimus eſſet.
Adde repertores doctrinarum, atque leporum;
Adde Heliconiadum comites; quorum unus Homerus
Sceptra potitus, eadem aliis ſopitus quiete eſt.
Denique Democritum poſtquam matura vetuſtas
Admonuit memorem motus langueſcere mentis;
Sponte ſua leto caput obvius obtulit ipſe.
Ipſe Epicurus obit decurſo lumine vitæ,
Qui genus humanum ingenio ſuperavit, & omneis
Præſtinxit, ſtellas exortus uti ætherius ſol.
Tu vero dubitabis, & indignabere obire,
Mortua quoi vita eſt prope jam vivo, atque videnti?
Qui ſomno partem majorem conteris ævi?
Et vigilans ſtertis, nec ſomnia cernere ceſſas,
Sollicitamque geris caſſa formidine mentem?
Nec reperire potes, quid ſit tibi ſæpe mali, cum
Ebrius urgeris multis miſer undique curis,
Atque animo incerto fluitans errore vagaris?
Si poſſent homines, proinde ac ſentire videntur,
Pondus ineſſe animo, quod ſe gravitate fatiget;
Et quibus id fiat cauſſis, cognoſcere, & unde
Tanta mali tamquam moles in pectore conſtet:
Haud ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus,
Quid ſibi quiſque velit, neſcire, & quærere ſemper;
Commutare locum, quaſi onus deponere poſſit.
Exit ſæpe foras magnis ex ædibus ille,
Eſſe domi quem pertæſum eſt; ſubitoque revertit:
Quippe foris nihilo melius qui ſentiat eſſe.
Currit agens mannos ad villam hic præcipitanter,
Auxilium tectis quaſi ferre ardentibus inſtans:
Oſcitat extemplo, tetigit cum limina villæ;
Aut abit in ſomnum gravis, atque oblivia quærit;
Aut etiam properans urbem petit, atque reviſit.
Hoc ſe quiſque modo fugit: at, quem ſcilicet, ut fit,
Effugere haud potis eſt, ingratis hæret, & angit:
Propterea, morbi quia cauſſam non tenet æger:
Quam bene ſi videat, jam, rebus quiſque relictis
Naturam primum ſtudeat cognoſcere rerum:
Temporis æterni quoniam, non unius horæ,
Ambigitur ſtatus; in quo ſit mortalibus omnis
Ætas poſt mortem, quæ reſtat cumque, manenda.
Denique tantopere in dubiis trepidare periclis
Quæ mala nos ſubigit vitai tanta cupido?
Certa quidem finis vitæ mortalibus adſtat;
Nec devitari letum pote, quin obeamus.
Præterea, verſamur ibidem, atque inſumus uſque:
Nec nova vivendo proceditur ulla voluptas.
Sed dum abeſt, quod avemus, id exſuperare videtur
Cetera: poſt aliud, cum contigit illud, avemus;
Et ſitis æqua tenet vitai ſemper hianteis:
Poſteraque in dubio eſt fortunam quam vehat ætas,
Quidve ferat nobis caſus; quive exitus inſtet.
Nec prorſum, vitam ducendo, demimus hilum
Tempore de mortis; nec delibrare valemus,
Quo minus eſſe diu poſſimus morte peremti.
Proinde licet quotvis vivendo condere ſæcla;
Mors æterna tamen nihilominus illa manebit:
Nec minus ille diu jam non erit, ex hodierno
Lumine qui finem vitai fecit, & ille,
Menſibus, atque annis qui multis occidit ante.

DE RERUM NATURA

LIBER IV.

AVia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo: juvat integros accedere fonteis,
Atque haurire: juvatque novos decerpere flores,
Inſignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Muſæ.
Primum, quod magnis doceo de rebus; & arctis
Religionum animos nodis exſolvere pergo:
Deinde, quod obſcura de re tam lucida pango
Carmina, muſæo contingens cuncta lepore.
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur.
Nam veluti pueris abſinthia tætra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus; interea perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptaque non capiatur;
Sed potius tali tactu recreata valeſcat:
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur
Triſtior eſſe, quibus non eſt tractata; retroque
Volgus abhorret ab hac; volui tibi ſuaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere noſtram,
Et quaſi muſæo dulci contingere melle:
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Verſibus in noſtris poſſem, dum percipis omnem
Naturam rerum; ac perſentis utilitatem.
Sed quoniam docui, cunctarum exordia rerum
Qualia ſint; & quam variis diſtantia formis
Sponte ſua volitent, æterno percita motu;
Quoque modo poſſint res ex his quæque creari:
Atque animi quoniam docui natura quid eſſet,
Et quibus e rebus cum corpore comta vigeret;
Quove modo diſtracta rediret in ordia prima:
Nunc agere incipiam tibi, quod vehementer ad has res
Attinet, eſſe ea, quæ rerum ſimulacra vocamus:
Quæ quaſi membranæ ſummo de corpore rerum
Dereptæ volitant ultro citroque per auras:
Atque eadem nobis vigilantibus obvia menteis
Terrificant, atque in ſomnis, cum ſæpe figuras
Contuimur miras, ſimulacraque luce carentum;
Quæ nos horrifice languenteis ſæpe ſopore
Excierunt: ne forte animas Acherunte reamur
Effugere, aut umbras inter vivos volitare:
Neve aliquid noſtri poſt mortem poſſe relinqui,
Cum corpus ſimul, atque animi natura peremta,
In ſua diſceſſum dederunt primordia quæque.
Dico igitur, rerum effigias, tenueiſque figuras
Mittier ab rebus, ſummo de corpore earum;
Quæ quaſi membrana, vel cortex nominitanda eſt;
Quod ſpeciem, ac formam ſimilem gerit ejus imago,
Quojuſcumque cluet de corpore fuſa vagari.
Id licet hinc quamvis hebeti cognoſcere corde.
Principio, quoniam mittunt in rebus apertis
Corpora res multæ; partim diffuſa ſolute;
Robora ceu fumum mittunt, igneſque vaporem:
Et partim contexta magis, condenſaque; ut olim
Cum veteres ponunt tunicas æſtate cicadæ;
Et vituli cum membranas de corpore ſummo
Naſcentes mittunt; & item cum lubrica ſerpens
Exuit in ſpinis veſtem: nam ſæpe videmus
Illorum ſpoliis vepreis volitantibus auctas:
Hæc quoniam fiunt, tenuis quoque debet imago
Ab rebus mitti, ſummo de corpore earum.

Nam, cur illa cadant magis, ab rebuſque recedant,
Quam quæ tenuia ſunt, hiſcendi eſt nulla poteſtas.
Præſertim cum ſint in ſummis corpora rebus
Multa minuta, jaci quæ poſſint ordine eodem,
Quo fuerint, veterem & formæ ſervare figuram;
Et multo citius, quanto minus endopediri
Pauca queunt, & ſunt in prima fronte locata.
Nam certe jaci, atque emergere multa videmus
Non ſolum ex alto, penituſque, ut diximus ante;
Verum de ſummis ipſum quoque ſæpe colorem:
Et volgo faciunt id lutea, ruſſaque vela,
Et ferrugina, cum magnis intenta theatris
Per malos volgata, trabeiſque trementia flutant.
Namque ibi conſeſſum caveai ſubter, & omnem
Scenai ſpeciem, patrum, matrumque, deorumque,
Inficiunt, coguntque ſuo fluitare colore:
Et quanto circum mage ſunt incluſa theatri
Mœnia, tam magis hæc intus perfuſa lepore
Omnia conrident, conrepta luce diei.
Ergo lintea de ſummo cum corpore fucum
Mittunt, effigias quoque debent mittere tenueis
Res quæque: ex ſummo quoniam jaculantur utræque.
Sunt igitur jam formarum veſtigia certa,
Quæ vulgo volitant ſubtili prædita filo,
Nec ſingillatim poſſunt ſecreta videri.
Præterea, omnis odos, fumus, vapor, atque aliæ res
Conſimiles, ideo diffuſæ rebus abundant,
Ex alto quia dum veniunt intrinſecus ortæ,
Scinduntur per iter flexum; nec recta viarum
Oſtia ſunt, qua contendunt exire coortæ.
At contra, tenuis ſummi membrana coloris
Cum jacitur, nihil eſt, quod eam diſcerpere poſſit;
In promptu quoniam eſt in prima fronte locata.
Poſtremo, in ſpeculis, in aqua, ſplendoreque in omni
Quæcumque apparent nobis ſimulacra, neceſſe eſt,
Quandoquidem ſimili ſpecie ſunt prædita rerum,
Eſſe in imaginibus miſſis conſiſtere eorum.
Nam, cur illa cadant magis, ab rebuſque recedant
Corpora, res multæ quæ mittunt corpore aperto,
Quam quæ tenuia ſunt, hiſcendi eſt nulla poteſtas.
Sunt igitur tenues formarum, conſimileſque
Effigiæ, ſingillatim quas cernere nemo
Cum poſſit, tamen aſſiduo, crebroque repulſu
Rejectæ, reddunt ſpeculorum ex æquore viſum:
Nec ratione alia ſervari poſſe videntur
Tantopere, ut ſimiles reddantur quoique figuræ.
Nunc age, quam tenui natura conſtet imago,
Percipe: & in primis quoniam primordia tantum
Sunt infra noſtros ſenſus, tantoque minora,
Quam quæ primum oculi cœptant non poſſe tueri:
Nunc tamen id quoque uti confirmem, exordia rerum
Cunctarum quam ſint ſubtilia, percipe paucis.
Primum animalia ſunt jam partim tantula, eorum
Tertia pars nulla ut poſſit ratione videri.
Horum inteſtinum quodvis quale eſſe putandum eſt?
Quid? cordis globus, aut oculi? quid? membra? quid? artus?
Quantula ſunt? quid? præterea primordia quæque
Unde anima, atque animi conſtet natura, neceſſum eſt,
Nonne vides, quam ſint ſubtilia, quamque minuta?
Præterea, quæcumque ſuo de corpore odorem
Exſpirant acrem, panaces, abſinthia tætra,
Abrotonique graves, & triſtia centaurea,
Horum unumquodvis leviter ſi forte ciebis,
Quam primum noſcas rerum ſimulacra vagare
Multa, modis multis, nulla vi, caſſaque ſenſu.
Quorum quantula pars ſit imago, dicere nemo eſt,
Qui

Qui poſſit, neque eam rationem reddere dictis.
Sed ne forte putes ea demum ſola vagare
Quæcumque ab rebus rerum ſimulacra recedunt:
Sunt etiam, quæ ſponte ſua gignuntur, & ipſa
Conſtituuntur in hoc cælo, qui dicitur aer:
Quæ multis formata modis ſublime feruntur,
Nec ſpeciem mutare ſuam liquentia ceſſant,
Et quojuſque modi formarum vertere in ora.
Ut nubeis facile interdum concreſcere in alto
Cernimus, & mundi ſpeciem violare ſerenam,
Aera mulcenteis motu: nam ſæpe gigantum
Ora volare videntur, & umbram ducere late:
Interdum magni montes, avolſaque ſaxa
Montibus anteire, & ſolem ſuccedere præter:
Inde alios trahere, atque inducere bellua nimbos.
Nunc ea quam facili, & celeri ratione genantur,
Perpetuoque fluant ab rebus, lapſaque cedant.
Semper enim ſummum quidquid de rebus abundat,
Quod jaculentur; & hoc alias cum pervenit in res,
Tranſit; ut in primis veſtem: ſed in aſpera ſaxa,
Aut in materiem ut ligni pervenit, ibi jam
Scinditur, ut nullum ſimulacrum reddere poſſit.
At cum, ſplendida quæ conſtant, oppoſta fuerunt,
Denſaque; ut in primis ſpeculum eſt: nihil accidit horum.
Nam neque, uti veſtem, poſſit tranſire; neque ante
Scindi, quam meminit lævor præſtare ſalutem.
Quapropter fit, ut hinc nobis ſimulacra genantur.
Et quamvis ſubito, quovis in tempore, quamque
Rem contra ſpeculum ponas, apparet imago:
Perpetuo fluere ut noſcas e corpore ſummo
Texturas rerum tenueis, tenueiſque figuras.
Ergo multa brevi ſpatio ſimulacra genuntur,
Ut merito celer his rebus dicatur origo.
Et quaſi multa brevi ſpatio ſummittere debet
Lumina ſol, ut perpetuo ſint omnia plena:
Sic a rebus item ſimili ratione, neceſſe eſt,
Temporis in puncto rerum ſimulacra ferantur
Multa, modis multis, in cunctas undique parteis.
Quandoquidem ſpeculum queiſcumque obvertimus oris,
Res ibi reſpondent ſimili forma, atque colore.
Præterea, modo quom fuerit liquidiſſima cæli
Tempeſtas, perquam ſubito fit turbida fœde
Undique; uti tenebras omneis Acherunta reamur
Liquiſſe, & magnas cæli compleſſe cavernas:
Uſque adeo, tætra nimborum nocte coorta,
Impendent atræ formidinis ora ſuperne.
Quorum quantula pars ſit imago, dicere nemo eſt,
Qui poſſit, neque eam rationem reddere dictis.
Nunc age, quam celeri motu ſimulacra ferantur,
Et quæ mobilitas ollis tranantibus auras
Reddita ſit, longo ut ſpatio brevis hora teratur,
In quemcumque locum diverſo numine tendunt;
Suavidicis potius, quam multis verſibus edam:
Parvus ut eſt cycni melior canor, ille gruum quam
Clamor, in ætheriis diſperſus nubibus Auſtri.
Principio perſæpe leveis res, atque minutis
Corporibus factas, celereis licet eſſe videre.
In quo jam genere eſt ſolis lux, & vapor ejus;
Propterea quia ſunt e primis facta minutis:
Quæ quaſi truduntur, perque aeris intervallum
Non dubitant tranſire, ſequenti concita plaga.
Suppeditatur enim confeſtim lumine lumen,
Et quaſi protelo ſtimulatur fulgure fulgur.
Quapropter ſimulacra pari ratione neceſſe eſt
Immemorabile per ſpatium tranſcurrere poſſe
Temporis in puncto: primum quod parvola cauſſa
Eſt, procul a tergo quæ provehat, atque propellat:
Deinde quod uſque adeo textura prædita rara
Mittuntur, facile ut quaſvis penetrare queant res,
Et quaſi permanare per aeris intervallum.
Præterea, ſi, quæ penitus corpuſcula rerum
Ex alto in terras mittuntur, ſolis uti lux,
Ac vapor, hæc puncto cernuntur lapſa diei
Per totum cæli ſpatium diffundere ſeſe;
Perque volare mare, ac terras, cælumque rigare,
Quod ſupera eſt; ubi tam volucri hæc levitate feruntur:
Quid? quæ ſunt igitur jam prima in fronte parata,
Cum jaciuntur, & emiſſum res nulla moratur?
Nonne vides citius debere, & longius ire?
Multiplexque loci ſpatium tranſcurrere eodem
Tempore, quo ſolis pervolgant lumina cælum?
Hoc etiam in primis ſpecimen verum eſſe videtur,
Quam celeri motu rerum ſimulacra ferantur;
Quod ſimul ac primum ſub divo ſplendor aquai
Ponitur, extemplo, cælo ſtellante, ſerena
Sidera reſpondent in aqua radiantia mundi.
Jamne vides igitur, quam puncto tempore imago
Ætheris ex oris ad terrarum accidat oras?
Quare etiam atque etiam mitti hæc fateare neceſſe eſt
Corpora, quæ feriant oculos, viſumque laceſſant:
Perpetuoque fluunt certis ab rebus odores:
Frigus ut a fluviis, calor a ſole, æſtus ab undis
Æquoris, exeſor mœrorum litora circum.
Nec variæ ceſſant voces volitare per auras:
Denique in os ſalſi venit humor ſæpe ſaporis,
Cum mare verſamur propter: dilutaque contra
Cum tuimur miſceri abſinthia, tangit amaror.
Uſque adeo omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, & in cunctas dimittitur undique parteis;
Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi:
Perpetuo quoniam ſentimus, & omnia ſemper
Cernere, odorari licet, & ſentire ſonorem.
Præterea, quoniam manibus tractata figura
In tenebris quædam, cognoſcitur eſſe eadem, quæ
Cernitur in luce, & claro candore; neceſſe eſt
Conſimili cauſſa tactum, viſumque moveri.
Nunc igitur, ſi quadratum tentamus, & id nos
Commovet in tenebris; in luci quæ poterit res
Accidere ad ſpeciem, quadrata niſi ejus imago?
Eſſe in imaginibus quapropter cauſſa videtur
Cernendi, neque poſſe ſine his res ulla videri.
Nunc ea, quæ dico, rerum ſimulacra, feruntur
Undique, & in cunctas jaciuntur didita parteis:
Verum, nos oculis quia ſolis cernere quimus,
Propterea fit, uti, ſpeciem quo vertimus, omnes
Res ibi eam contra feriant forma, atque colore.
Et quantum quæque a nobis res abſit, imago
Efficit, ut videamus, & internoſcere curat.
Nam cum mittitur, extemplo protrudit, agitque
Aera, qui inter ſe cumque eſt, oculoſque locatus:
Iſque ita per noſtras acies perlabitur omnis;
Et quaſi perterget pupillas, atque ita tranſit.
Propterea fit, uti videamus quam procul abſit
Res quæque; & quanto plus aeris ante agitatur,
Et noſtros oculos perterget longior aura,
Tam procul eſſe magis res quæque remota videtur.
Scilicet hæc ſumme celeri ratione geruntur,
Quale ſit ut videamus: & una quam procul abſit.
Illud in his rebus minime mirabile habendum eſt,
Cur ea, quæ feriant oculos ſimulacra, videri
Singula cum nequeant, res ipſæ perſpiciantur.
Ventus enim quoque paullatim cum verberat; & cum

Acre ferit frigus; non privam quamque ſolemus
Particulam venti ſentire, & frigoris ejus;
Sed magis univerſum: fierique perinde videmus
Corpore tum plagas in noſtro; tamquam aliquæ res
Verberet, atque ſui det ſenſum corporis extra.
Præterea, lapidem digito cum tundimus, ipſum
Tangimus extremum ſaxi, ſummumque colorem:
Nec ſentimus eum tactu, verum magis ipſam
Duritiem penitus ſaxi ſentimus in alto.
  Nunc age, cur ultra ſpeculum videatur imago,
Percipe, nam certe penitus remmota videtur.
Quod genus illa, foris quæ vere tranſpiciuntur,
Janua cum per ſe tranſpectum præbet apertum,
Multa facitque foris ex ædibus ut videantur.
Is quoque enim duplici, geminoque fit aere viſus.
Primus enim eſt, citra poſteis qui cernitur aer:
Inde fores ipſæ dextra, lævaque ſequuntur:
Poſt extraria lux oculos perterget, & aer
Alter, & illa, foris quæ vere tranſpiciuntur.
Sic ubi ſe primum ſpeculi projecit imago,
Dum venit ad noſtras acies, protrudit, agitque
Aera, qui inter ſe cumque eſt oculoſque locatus:
Et facit, ut prius hunc omnem ſentire queamus,
Quam ſpeculum: ſed ubi ſpeculum quoque ſenſimus ipſum,
Continuo a nobis in id hæc, quæ fertur, imago,
Pervenit, & noſtros oculos rejecta reviſit;
Atque alium præ ſe propellens aera volvit,
Et facit, ut prius hunc, quam ſe, videamus: eoque
Diſtare a ſpeculo tantum remmota videtur.
Quare etiam atque etiam minime mirarier eſt par
Illis, quæ reddunt ſpeculorum ex æquore viſum,
Aeribus binis; quoniam res confit utroque.
  Nunc ea, quæ nobis membrorum dextera pars eſt,
In ſpeculis fit ut in læva videatur, eo quod
Planitiem ad ſpeculi veniens cum offendit imago,
Non convertitur incolumis; ſed recta retrorſum
Sic eliditur, ut ſiquis prius, arida quam ſit
Cretea perſona, adlidat pilæve, trabive;
Atque ea continuo rectam ſi fronte figuram
Servet, & eliſam retro ſeſe exprimat ipſa,
Fiet ut, ante oculus fuerit qui dexter, hic idem
Nunc ſit lævus; & e lævo ſit mutua dexter.
  Fit quoque de ſpeculo in ſpeculum ut tradatur imago:
Quinque etiam, ſexve ut fieri ſimulacra ſuerint.
Nam quæcumque retro parte interiore latebunt,
Inde tamen, quamvis torte, penituſque remota,
Omnia per flexos aditus educta licebit
Pluribus hæc ſpeculis videantur in ædibus eſſe.
  Uſque adeo e ſpeculo in ſpeculum tralucet imago:
Et cum læva data eſt, fit rurſum ut dextera fiat:
Inde retrorſum reddit ſe, & convertit eodem.
  Quinetiam, quæcumque latuſcula ſunt ſpeculorum
Adſimili lateris flexura prædita noſtri:
Dextera ea propter nobis ſimulacra remittunt;
Aut quia de ſpeculo in ſpeculum transfertur imago,
Inde ad nos eliſa bis advolat; aut etiam quod
Circumagitur, cum venit imago; propterea quod
Flexa figura docet ſpeculi convertier ad nos.
  Endogredi porro pariter ſimulacra, pedemque
Ponere nobiſcum credas, geſtumque imitari;
Propterea, quia de ſpeculi qua parte recedas,
Continuo nequeunt illinc ſimulacra reverti:
Omnia quandoquidem cogit natura referri,
Ac reſilire ab rebus ad æquos reddita flexus.
  Splendida porro oculi fugitant, vitantque tueri:
Sol etiam cæcat, contra ſi tendere pergas:
Propterea, quia vis magna eſt ipſius; & alte
Aera per purum graviter ſimulacra feruntur,
Et feriunt oculos, turbantia compoſituras.
Præterea, ſplendor, quicumque eſt acer, adurit
Sæpe oculos, ideo quod ſemina poſſidet ignis
Multa, dolorem oculis quæ gignunt inſinuando.
  Lurida præterea fiunt quæcumque tuentur
Arquati: quia luroris de corpore eorum
Semina multa fluunt ſimulacris obvia rerum;
Multaque ſunt oculis in eorum denique miſta,
Quæ contage ſua palloribus omnia pingunt.
  E tenebris autem, quæ ſunt in luce, tuemur,
Propterea, quia cum propior caliginis aer
Ater init oculos prior, & poſſedit apertos;
Inſequitur candens confeſtim lucidus aer,
Qui quaſi purgat eos, ac nigras diſcutit umbras
Aeris illius: nam multis partibus hic eſt
Mobilior, multiſque minutior, & mage pollens.
Qui ſimul atque vias oculorum luce replevit,
Atque patefecit, quas ante obſederat ater,
Continuo rerum ſimulacra adaperta ſequuntur,
Quæ ſita ſunt in luce, laceſſuntque ut videamus.
Quod contra facere in tenebris a luce nequimus:
Propterea, quia poſterior caliginis aer
Craſſior inſequitur, qui cuncta foramina complet;
Obſiditque vias oculorum, ne ſimulacra
Poſſint ullarum rerum conjecta moveri.
  Quadrataſque procul turreis cum cernimus urbis,
Propterea fit, uti videantur ſæpe rotundæ,
Angulus obtuſus quia longe cernitur omnis,
Sive etiam potius non cernitur; ac perit ejus
Plaga, nec ad noſtras acies perlabitur ictus:
Aera per multum quia dum ſimulacra feruntur,
Cogit hebeſcere eum crebris offenſibus aer.
Hinc, ubi ſuffugit ſenſum ſimul angulus omnis,
Fit, quaſi tornata ut ſaxorum ſtructa tuantur.
Non tamen ut coram quæ ſunt, vereque rotunda,
Sed quaſi adumbratim paullum ſimulata videntur.
  Umbra videtur item nobis in ſole moveri,
Et veſtigia noſtra ſequi, geſtumque imitari,
(Aera ſi credas privatum lumine poſſe
Endogredi, motus hominum, geſtuſque ſequentem.
Nam nihil eſſe poteſt aliud niſi lumine caſſus
Aer, id, quod nos umbram perhibere ſuemus.)
Nimirum, quia terra locis ex ordine certis
Lumine privatur ſolis, quacumque meantes
Officimus: repletur item, quod liquimus ejus.
Propterea fit uti videatur, quæ fuit umbra
Corporis, e regione eadem nos uſque ſecuta.
Semper enim nova ſe radiorum lumina fundunt,
Primaque diſpereunt, quaſi in ignem lana trahatur.
Propterea facile & ſpoliatur lumine terra:
Et repletur item, nigraſque ſibi abluit umbras.
  Nec tamen hic oculos falli concedimus hilum.
Nam, quocumque loco fit lux, atque umbra, tueri
Illorum eſt: eadem vero ſint lumina, necne;
Umbraque, quæ fuit hic, eadem num tranſeat illuc;
An potius fiat, paullo quod diximus ante:
Hoc animi demum ratio diſcernere debet:
Nec poſſunt oculi naturam noſcere rerum.
Proinde animi vitium hoc oculis adfingere noli.
  Qua vehimur navi, fertur, cum ſtare videtur:
Quæ manet in ſtatione, ea præter creditur ire:
Et fugere ad puppim colles, campique videntur,
Quos agimus præter navim, veliſque volamus.
  Sidera ceſſare ætheriis adfixa cavernis

Cuncta videntur: at adſiduo in ſunt omnia motu:
Quandoquidem longos obitus exorta reviſunt,
Cum permenſa ſuo ſunt cælum corpore claro:
Solque pari ratione manere, & luna videtur
In ſtatione, ea quæ ferri res indicat ipſa.
Exſtanteiſque procul medio de gurgite montes,
Claſſibus inter quos liber patet exitus, iidem
Apparent; & longe divolſi licet, ingens
Inſula conjunctis tamen ex his una videtur.
Atria verſari, & circumcurſare columnæ
Uſque adeo fit uti pueris videantur, ubi ipſi
Deſierunt verti, vix ut jam credere poſſint,
Non ſupra ſeſe ruere omnia tecta minari.
Jamque rubrum tremulis jubar ignibus erigere alte
Cum cœptat natura, ſupraque extollere monteis;
Quos tibi tum ſupra ſol monteis eſſe videtur,
Cominus ipſe ſuo contingens fervidus igni,
Vix abſunt nobis miſſus bis mille ſagittæ:
Vix etiam curſus quingentos ſæpe veruti:
Inter eos, ſolemque jacent immania ponti
Æquora, ſubſtrata ætheriis ingentibus oris:
Interjectaque ſunt terrarum millia multa,
Quæ variæ retinent gentes, & ſæcla ferarum.
At conlectus aquæ, digitum non altior unum,
Qui lapides inter ſiſtit per ſtrata viarum,
Deſpectum præbet ſub terras impete tanto,
A terris quantum cæli patet altus hiatus:
Nubila deſpicere, & cælum ut videare videre, &
Corpora mirando ſub terras abdita cælo.
Denique, ubi in medio nobis equus acer obhæſit
Flumine, & in rapidas amnis deſpeximus undas;
Stantis equi corpus tranſverſum ferre videtur
Vis, & in adverſum flumen contrudere raptim:
Et, quocumque oculos trajecimus, omnia ferri,
Et fluere adſimili nobis ratione videntur.
Porticus æquali quamvis eſt denique ductu,
Stanſque in perpetuum paribus ſuffulta columnis;
Longa tamen parte ab ſumma cum tota videtur,
Paullatim trahit anguſti faſtigia coni,
Tecta ſolo jungens, atque omnia dextera lævis:
Donicum in obſcurum coni conduxit acumen.
In pelago nautis ex undis ortus, in undis
Sol fit uti videatur obire, & condere lumen:
Quippe ubi nil aliud niſi aquam, cælumque tuentur;
Ne leviter credas labefactari undique ſenſus.
At maris ignaris, in portu clauda videntur
Navigia, apluſtris fractis, obnitier undis.
Nam quæcumque ſupra rorem ſalis edita pars eſt
Remorum, recta eſt; & recta ſuperne guberna:
Quæ demerſa liquore obeunt, refracta videntur
Omnia converti, ſurſumque ſupina reverti;
Et reflexa prope in ſummo fluitare liquore.
Raraque per cælum cum venti nubila portant
Tempore nocturno, tum ſplendida ſigna videntur
Labier adverſum nubeis, atque ire ſuperne
Longe aliam in partem, quam quo ratione feruntur.
At ſi forte oculo manus uni ſubdita, ſubter
Preſſit eum, quodam ſenſu fit, uti videantur
Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina tuendo;
Bina lucernarum florentia lumina flammis,
Binaque per totas ædeis geminare ſupellex:
Et duplices hominum facies, & corpora bina.
Denique cum ſuavi devinxit membra ſopore
Somnus, & in ſumma corpus jacet omne quiete;
Tum vigilare tamen nobis, & membra movere
Noſtra videmur, & in noctis caligine cæca
Cernere cenſemus ſolem, lumenque diurnum:
Concluſoque loco cælum, mare, flumina, monteis
Mutare, & campos pedibus tranſire videmur:
Et ſonitus audire, ſevera ſilentia noctis
Undique cum conſtent; & reddere dicta tacentes.
Cetera de genere hoc mirando multa videmus,
Quæ violare fidem quaſi ſenſibus omnia quærunt;
Nequidquam: quoniam pars horum maxima fallit
Propter opinatus animi, quos addimus ipſi;
Pro viſis ut ſint, quæ non ſunt ſenſibus viſa.
Nam nihil egregius, quam res ſecernere apertas
A dubiis, animus quas ab ſe protinus addit.
Denique nil ſciri ſiquis putat, id quoque neſcit,
An ſciri poſſit, quom ſe nil ſcire fatetur:
Hunc igitur contra mittam contendere cauſſam,
Qui capite ipſe ſuo inſtituit veſtigia retro.
Et tamen hoc quoque uti concedam ſcire; at id ipſum
Quæram, quom in rebus veri nil viderit ante,
Unde ſciat, quid ſit ſcire, & neſcire viciſſim;
Notitiam veri quæ res, falſique crearit;
Et dubium certo quæ res differre probarit.
Invenies primis ab ſenſibus eſſe creatam
Notitiam veri, neque ſenſus poſſe refelli:
Nam majore fide debet reperirier illud,
Sponte ſua veris quod poſſit vincere falſa.
Quid majore fide porro, quam ſenſus haberi
Debet? an ab ſenſu falſo ratio orta, valebit
Dicere eos contra, quæ tota ab ſenſibus orta eſt?
Qui niſi ſint veri, ratio quoque falſa fit omnis.
An poterunt oculos aures reprehendere? an aureis
Tactus? an hunc porro tactum ſapor arguet oris?
An confutabunt nares, oculive revincent?
Non (ut opinor) ita eſt: nam ſeorſum quoique poteſtas
Diviſa eſt: ſua vis quoique eſt: ideoque neceſſe eſt,
Quod molle, aut durum eſt; gelidum, fervenſve; ſeorſum
Id molle, aut durum, gelidum, fervenſve videri:
Et ſeorſum varios rerum ſentire colores,
Et quæcumque coloribus ſunt conjuncta, neceſſe eſt.
Seorſus item ſapor oris habet vim; ſeorſus odores
Naſcuntur; ſeorſum ſonitus: ideoque neceſſe eſt,
Non poſſint alios alii convincere ſenſus.
Nec porro poterunt ipſi reprendere ſeſe;
Æqua fides quoniam debebit ſemper haberi.
Proinde, quod in quoque eſt his viſum tempore, verum eſt.
Et, ſi non poterit ratio diſſolvere cauſſam,
Cur ea, quæ fuerint juxtim quadrata, procul ſint
Viſa rotunda; tamen præſtat rationis egentem
Reddere mendoſe cauſſas utriuſque figuræ,
Quam manibus manifeſta ſuis emittere quæquam;
Et violare fidem primam, & convellere tota
Fundamenta, quibus nixatur vita, ſaluſque.
Non modo enim ratio ruat omnis; vita quoque ipſa
Concidat extemplo, niſi credere ſenſibus auſis;
Præcipiteiſque locos vitare, & cetera, quæ ſint
In genere hoc fugienda; ſequi, contraria quæ ſint.
Illa tibi eſt igitur verborum copia caſſa
Omnis, quæ contra ſenſus inſtructa, parata eſt.
Denique ut in fabrica, ſi prava eſt regula prima,
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua ſi ex parti claudicat hilum;
Omnia mendoſe fieri, atque obſtipa neceſſum eſt,
Prava, cubantia, prona, ſupina, atque abſona tecta;
Jam ruere ut quædam videantur velle, ruantque,
Prodita judiciis fallacibus omnia primis.
Sic igitur ratio tibi rerum prava, neceſſe eſt,
Falſaque ſit, falſis quæcumque ab ſenſibus orta eſt.
Nam

Nunc alii ſenſus, quo pacto quiſque ſuam rem
Sentiat, haud quaquam ratio ſcrupoſa relicta eſt.
Principio, auditur ſonus, & vox omnis, in aureis
Inſinuata ſuo pepulere ubi corpore ſenſum.
Corpoream quoque enim vocem conſtare fatendum eſt,
Et ſonitum; quoniam poſſunt impellere ſenſus.
Præterradit enim vox fauceis ſæpe; facitque
Aſperiora foras gradiens arteria clamor.
Quippe, per anguſtum turba majore coorta
Ire foras ubi cœperunt primordia vocum,
Scilicet expletis quoque janua raditur oris
Rauca viis; & iter lædit, qua vox it in auras.
Haud igitur dubium eſt, quin voces, verbaque conſtent
Corporeis e principiis, ut lædere poſſint.
Nec te fallit item, quid corporis auferat, & quid
Detrahat ex hominum nervis, ac viribus ipſis
Perpetuus ſermo nigrai noctis ad umbram,
Auroræ perductus ab exoriente nitore,
Præſertim ſi cum ſummo eſt clamore profuſus.
Ergo corpoream vocem conſtare neceſſe eſt;
Multa loquens quoniam amittit de corpore partem.
Aſperitas autem vocis fit ab aſperitate
Principiorum, & item lævor lævore creatur.
Nec ſimili penetrant aureis primordia forma,
Quom tuba depreſſo graviter ſub murmure mugit;
Aut reboant raucum retrocita cornua bombum;
Vallibus & cycni gelidis orti ex Heliconis,
Cum liquidam tollunt lugubri voce querelam.
Haſce igitur penitus voces cum corpore noſtro
Exprimimus, rectoque foras emittimus ore,
Mobilis articulat verborum dædala lingua;
Formaturaque labrorum pro parte figurat.
Atque ubi non longum ſpatium eſt, unde illa profecta
Perveniat vox quæque, neceſſe eſt verba quoque ipſa
Plane exaudiri, diſcernique articulatim:
Servat enim formaturam, ſervatque figuram.
At ſi interpoſitum ſpatium ſit longius æquo,
Aera per multum confundi verba neceſſe eſt,
Et conturbari vocem, dum tranſvolat auras.
Ergo fit, ſonitum ut poſſis audire, neque hilum
Internoſcere verborum ſententia quæ ſit:
Uſque adeo confuſa venit vox, inque pedita.
Præterea, edictum ſæpe unum perciet aureis
Omnibus in populo, emiſſum præconis ab ore:
In multas igitur voces vox una repente
Diffugit, in privas quoniam ſe dividit aureis,
Obſignans formam verbis, clarumque ſonorem.
At, quæ pars vocum non aureis accidit ipſas,
Præterlata perit fruſtra diffuſa per auras:
Pars ſolidis adliſa locis rejecta ſonorem
Reddit, & interdum fruſtratur imagine verbi.
Quæ bene cum videas, rationem reddere poſſis
Tute tibi, atque aliis, quo pacto per loca ſola
Saxa pareis formas verborum ex ordine reddant,
Palanteis comites cum monteis inter opacos
Quærimus, & magna diſperſos voce ciemus.
Sex etiam, aut ſeptem loca vidi reddere voces,
Unam cum jaceres: ita colles collibus ipſis
Verba repulſantes iterabant dicta referre.
Hæc loca capripedes Satyros, Nymphaſque tenere
Finitimi fingunt, & Faunos eſſe loquuntur;
Quorum noctivago ſtrepitu, ludoque jocanti
Adfirmant volgo taciturna ſilentia rumpi;
Chordarumque ſonos fieri, dulceiſque querelas,
Tibia quas fundit digitis pulſata canentum:
Et genus agricolum late ſentiſcere, cum Pan
Pinea ſemiferi capitis velamina quaſſans,
Unco ſæpe labro calamos percurrit hianteis,
Fiſtula ſilveſtrem ne ceſſet fundere muſam.
Cetera de genere hoc monſtra, ac portenta loquuntur,
Ne loca deſerta ab divis quoque forte putentur
Sola tenere: ideo jactant miracula dictis:
Aut aliqua ratione alia ducuntur; ut omne
Humanum genus eſt avidum nimis auricularum.
Quod ſupereſt, non eſt mirandum, qua ratione
Quæ loca per nequeunt oculi res cernere apertas,
Hæc loca per voces veniant, aureiſque laceſſant:
Cum loquimur clauſis foribus, quod ſæpe videmus.
Nimirum, quia vox per flexa foramina rerum
Incolumis tranſire poteſt; ſimulacra renutant:
Perſcinduntur enim, niſi recta foramina tranant;
Qualia ſunt vitri, ſpecies quæ tranſvolat omnis.
Præterea, parteis in cunctas dividitur vox:
Ex aliis aliæ quoniam gignuntur; ubi una
Diſſiluit ſemel in multas exorta: quaſi ignis
Sæpe ſolet ſcintilla ſuos ſe ſpargere in igneis.
Ergo replentur loca vocibus, abdita retro
Omnia quæ circum fuerint, ſonituque cientur.
At ſimulacra viis directis omnia tendunt,
Ut ſunt miſſa ſemel: quapropter cernere nemo
Se ſupra potis eſt: at voces accipere extra.
Et tamen ipſa quoque hæc, dum tranſit clauſa viarum,
Vox obtunditur, atque aureis confuſa penetrat:
Et ſonitum potius, quam verba, audire videmur.
Hæc, queis ſentimus ſuccum, lingua atque palatum,
Pluſculum habent in ſe rationis, pluſque operai.
Principio, ſuccum ſentimus in ore, cibum cum
Mandendo exprimimus: ceu plenam ſpongiam aquai
Siquis forte manu premere, exſiccareque cœpit.
Inde, quod exprimimus, per caulas omne palati
Diditur, & raræ perplexa foramina linguæ.
Hæc ubi lævia ſunt manantis corpora ſucci,
Suaviter attingunt, & ſuaviter omnia tractant
Humida linguai circum ſudantia templa:
At contra pungunt ſenſum, lacerantque coorta,
Quanto quæque magis ſunt aſperitate repleta.
Deinde voluptas eſt e ſucco in fine palati:
Cum vero deorſum per fauceis præcipitavit,
Nulla voluptas eſt, dum diditur omnis in artus:
Nec refert quidquam, quo victu corpus alatur;
Dummodo, quod capias, concoctum didere poſſis
Artubus, & ſtomachi humectum ſervare tenorem.
Nunc aliis alius cur ſit cibus, ut videamus,
Expediam; quareve, aliis quod triſte, & amarum eſt,
Hoc tamen eſſe aliis poſſit prædulce videri.
Tantaque in his rebus diſtantia, differitaſque eſt,
Ut quod aliis cibus eſt, aliis fuat acre venenum.
Eſt utique, ut ſerpens hominis contacta ſalivis
Diſperit, ac ſeſe mandendo conficit ipſa.
Præterea, nobis veratrum eſt acre venenum,
At capris adipes, & coturnicibus auget.
Ut quibus id fiat rebus, cognoſcere poſſis,
Principio meminiſſe decet, quæ diximus ante,
Semina multimodis in rebus miſta teneri.
Porro omnes, quæcumque cibum capiunt animantes,
Ut ſunt diſſimiles extrinſecus, & generatim
Extima membrorum circumcæſura coercet;
Proinde & ſeminibus diſtant, variantque figuras.
Semina cum porro diſtent, differre neceſſe eſt
Intervalla, viaſque, foramina quæ perhibemus,
Omnibus in membris, & in ore, ipſoque palato.
Eſſe minora igitur quædam, majoraque debent;
Eſſe

Eſſe triquetra aliis, aliis quadrata neceſſe eſt:
Multa rotunda, modis multis multangula quædam.
Namque figurarum ut ratio, motuſque repoſcunt,
Proinde foraminibus debent differre figuræ;
Et variare viæ, proinde ac textura coercet.
Ergo ubi quod ſuave eſt aliis, aliis fit amarum:
Illis, queis ſuave eſt, leviſſima corpora debent
Contrectabiliter caulas intrare palati:
At contra, quibus eſt eadem res intus acerba,
Aſpera nimirum penetrant, hamataque fauceis.
Nunc facile ex his eſt rebus cognoſcere quæque.
Quippe, ubi quoi febris, bili ſuperante, coorta eſt,
Aut alia ratione aliqua eſt vis excita morbi;
Perturbatur ibi totum jam corpus, & omnes
Commutantur ibi poſituræ principiorum:
Fit, prius ad ſenſum ut quæ corpora conveniebant,
Nunc non conveniant, & cetera ſint magis apta,
Quæ penetrata queunt ſenſum progignere acerbum.
Utraque enim ſunt in mellis commiſta ſapore:
Id quod jam ſupera tibi ſæpe oſtendimus ante.
Nunc age, quo pacto nareis adjectus odoris
Tangat, agam. Primum res multas eſſe neceſſe eſt,
Unde fluens volvat varius ſe fluctus odorum.
Nam fluere, & mitti volgo, ſpargique putandum eſt.
Verum aliis alius magis eſt animantibus aptus,
Diſſimileis propter formas: ideoque per auras
Mellis apes quamvis longe ducuntur odore;
Volturiique cadaveribus; tum fiſſa ferarum
Ungula quo tulerit greſſum, promiſſa canum vis
Ducit; & humanum longe præſentit odorem
Romulidarum arcis ſervator, candidus anſer.
Sic aliis alius nidor datus ad ſua quemque
Pabula ducit, & a tætro reſilire veneno
Cogit; eoque modo ſervantur ſæcla ferarum.
Hic odor ipſe igitur, nareis quicumque laceſſit,
Eſt alio ut poſſit permitti longius alter.
Sed tamen haud quiſquam tam longe fertur eorum,
Quam ſonitus, quam vox; mitto jam dicere, quam res,
Quæ feriunt oculorum acies, viſumque laceſſunt.
Errabundus enim tarde venit, ac perit ante
Paullatim facilis diſtractus in aeris auras:
Ex alto primum quia vix emittitur ex re.
Nam penitus fluere, atque recedere rebus odores
Significat, quod fracta magis redolere videntur
Omnia; quod contrita; quod igni conlabefacta.
Deinde videre licet majoribus eſſe creatum
Principiis vocei: quoniam per ſaxea ſepta
Non penetrat, qua vox volgo, ſonituſque feruntur.
Quare etiam quod olet, non tam facile eſſe videbis
Inveſtigare, in qua ſit regione locatum:
Refrigeſcit enim cunctando plaga per auras;
Nec calida ad ſenſum decurrit nuntia rerum.
Errant ſæpe canes itaque, & veſtigia quærunt.
Nec tamen hoc ſolis in odoribus, atque ſaporum
In genere eſt: ſed item ſpecies rerum, atque colores
Non ita conveniunt ad ſenſus omnibus omnes,
Ut non ſint aliis quædam magis acria viſu.
Quin etiam gallum, noctem explaudentibus alis
Auroram clara conſuetum voce vocare,
Nenu queunt rapidi contra conſtare leones,
Inque tueri: ita continuo meminere fugai:
Nimirum, quia ſunt gallorum in corpore quædam
Semina, quæ, cum ſunt oculis immiſſa leonum,
Pupillas interfodiunt, acremque dolorem
Præbent, ut nequeant contra durare feroces;
Cum tamen hæc noſtras acies nil lædere poſſint:
Aut quia non penetrant; aut quod penetrantibus illis
Exitus ex oculis liber datur; in remeando
Lædere ne poſſint ex ulla lumina parte.
Nunc age, quæ moveant animum res, accipe; & unde,
Quæ veniunt, veniant in mentem, percipe paucis.
Principio hoc dico, rerum ſimulacra vagari
Multa modis multis in cunctas undique parteis
Tenuia, quæ facile inter ſe junguntur in auris,
Obvia cum veniunt, ut aranea, bracteaque auri.
Quippe etenim multo magis hæc ſunt tenuia textu,
Quam quæ percipiunt oculos, viſumque laceſſunt:
Corporis hæc quoniam penetrant per rara, cientque
Tenuem animi naturam intus, ſenſumque laceſſunt.
Centauros itaque, & Scyllarum membra videmus,
Cerbereaſque canum facies, ſimulacraque eorum,
Quorum morte obita tellus amplectitur oſſa:
Omne genus quoniam paſſim ſimulacra feruntur;
Partim ſponte ſua quæ fiunt aere in ipſo;
Partim quæ variis ab rebus cumque recedunt;
Et quæ conſiſtunt ex horum facta figuris.
Nam certe ex vivo Centauri non fit imago:
Nulla fuit quoniam talis natura animalis.
Verum ubi equi atque hominis caſu convenit imago,
Hæreſcit facile extemplo, quod diximus ante,
Propter ſubtilem naturam, & tenuia texta.
Cetera de genere hoc eadem ratione creantur.
Quæ cum mobiliter ſumma levitate feruntur,
Ut prius oſtendi; facile uno commovet ictu
Quælibet una animum nobis ſubtilis imago:
Tenuis enim mens eſt, & mire mobilis ipſa.
Hæc fieri, ut memoro, facile hinc cognoſcere poſſis:
Quatinus hoc ſimile eſt oculis, quod mente videmus,
Atque oculis ſimili fieri ratione neceſſe eſt.
Nunc igitur quoniam docui me forte leones
Cernere per ſimulacra, oculos quæcumque laceſſunt;
Scire licet mentem ſimili ratione moveri
Per ſimulacra leonum cetera, quæ videt æque,
Nec minus, atque oculi: niſi quod mage tenuia cernit.
Nec ratione alia, cum ſomnus membra profudit,
Mens animi vigilat; niſi quod ſimulacra laceſſunt
Hæc eadem noſtros animos, quæ, quom vigilamus:
Uſque adeo certe ut videamur cernere eum, quem
Reddita vitai jam mors, & terra potita eſt.
Hoc ideo fieri cogit natura, quod omnes
Corporis offecti ſenſus per membra quieſcunt;
Nec poſſunt falſum veris convincere rebus.
Præterea, meminiſſe jacet, languetque ſopore;
Nec diſſentit, eum mortis, letique potitum
Jampridem, quem mens vivum ſe cernere credit.
Quod ſupereſt, non eſt mirum, ſimulacra moveri,
Brachiaque in numerum jactare, & cetera membra:
Nam fit, ut in ſomnis facere hoc videatur imago.
Quippe, ubi prima perit, alioque eſt altera nata
Endo ſtatu, prior hæc geſtum mutaſſe videtur.
Scilicet id fieri celeri ratione putandum eſt.
Multaque in his rebus quæruntur, multaque nobis
Clarandum eſt, plane ſi res exponere avemus.
Quæritur in primis, quare, quod quoique libido
Venerit, extemplo mens cogitet ejus idipſum.
Anne voluntatem noſtram ſimulacra tuentur?
Et ſimulac volumus, nobis occurrit imago?
Si mare, ſi terram cordi eſt, ſi denique cælum,
Conventus hominum, pompam, convivia, pugnas,
Omnia ſub verbone creat natura, paratque?
Quom præſertim aliis eadem in regione, locoque
Longe diſſimileis animus res cogitet omnis?

Quid

Quid porro, in numerum procedere quom ſimulacra
Cernimus in ſomnis, & mollia membra movere,
Mollia mobiliter quom alternis brachia mittunt?
Et repetunt oculis geſtum pede convenienti?
Scilicet arte madent ſimulacra, & docta vagantur,
Nocturno facere ut poſſint in tempore ludos?
An magis illud erit verum, quia tempore in uno
Cum ſentimus id; ut cum vox emittitur una,
Tempora multa latent, ratio quæ comperit eſſe:
Propterea fit, uti quovis in tempore quæque
Præſto ſint ſimulacra locis in queiſque parata?
Tanta eſt mobilitas, & eorum copia tanta.
Et quia tenuia ſunt, niſi ſe contendit, acute
Cernere non potis eſt animus; proinde omnia, quæ ſunt
Præterea, pereunt, niſi ſic ſeſe ipſe paravit.
Ipſe parat ſeſe porro, ſperatque futurum,
Ut videat, quod conſequitur rem quamque: fit ergo.
Nonne vides, oculos etiam, quom, tenuia quæ ſint,
Cernere cœperunt, contendere ſe, atque parare,
Nec ſine eo fieri poſſe, ut cernamus acute?
Et tamen in rebus quoque apertis noſcere poſſis,
Si non advertas animum, proinde eſſe, quaſi omni
Tempore ſemotæ fuerint, longeque remotæ.
Cur igitur mirum eſt, animus ſi cetera perdit,
Præter quam quibus eſt in rebus deditus ipſe?
Deinde adopinamur de ſignis maxima parvis;
Ac nos in fraudem induimus, fruſtramur & ipſi.
Fit quoque, ut interdum non ſuppeditetur imago
Ejuſdem generis, ſed femina quæ fuit ante,
In manibus vir tum factus videatur adeſſe:
Aut alia ex alia facies, ætaſque ſequatur:
Quod ne miremur, ſopor, atque oblivia curant.
Iſtud in his rebus vitium vehementer, & iſtum
Effugere errorem, vitareque præmeditator,
Lumina ne facias oculorum clara creata,
Proſpicere ut poſſimus; &, ut proferre viai
Proceros paſſus, ideo faſtigia poſſe
Surarum, ac feminum pedibus fundata plicari:
Brachia tum porro validis ex apta lacertis
Eſſe, manuſque datas utraque a parte miniſtras,
Ut facere ad vitam poſſimus, quæ foret uſus.
Cetera de genere hoc inter quæcumque pretantur:
Omnia perverſa præpoſtera ſunt ratione.
Nil adeo quoniam natum eſt in corpore, ut uti
Poſſemus, ſed quod natum eſt, id procreat uſum:
Nec fuit ante videre oculorum lumina nata;
Nec dictis orare prius, quam lingua creata eſt:
Sed potius longe linguæ præceſſit origo
Sermonem: multoque creatæ ſunt prius aures,
Quam ſonus eſt auditus: & omnia denique membra
Ante fuere, (ut opinor) eorum quam foret uſus.
Haud igitur potuere utendi creſcere cauſſa.
At contra conferre manu certamina pugnæ,
Et lacerare artus, fœdareque membra cruore,
Ante fuit multo, quam lucida tela volarent,
Et volnus vitare prius natura coegit,
Quam daret objectum parmai læva per artem.
Scilicet & feſſum corpus mandare quieti,
Multo antiquius eſt quam lecti mollia ſtrata.
Et ſedare ſitim prius eſt, quam pocula, natum.
Hæc igitur poſſent utendi cognita cauſſa
Credier, ex uſu quæ ſunt, vitaque reperta.
Illa quidem ſeorſum ſunt omnia, quæ prius ipſa
Nata, dedere ſuæ poſt notitiam utilitatis:
Quo genere in primis ſenſus, & membra videmus.
Quare etiam atque etiam procul eſt, ut credere poſſis,
Utilitatis ob officium potuiſſe creari.
Illud item non eſt mirandum, corporis ipſa
Quod natura cibum quærit quoiuſque animantis.
Quippe etenim fluere, atque recedere corpora rebus
Multa modis multis docui; ſed plurima debent
Ex animalibus iis, quæ ſunt exercita motu;
Multaque per ſudorem ex alto preſſa feruntur,
Multa per os exhalantur, quom languida anhelant.
His igitur rebus rareſcit corpus, & omnis
Subruitur natura; dolor quam conſequitur rem:
Propterea capitur cibus, ut ſuffulciat artus,
Et recreet vireis interdatus, atque patentem
Per membra ac venas ut amorem obturet edendi.
Humor item diſcedit in omnia quæ loca cumque
Poſcunt humorem; glomerataque multa vaporis
Corpora, quæ ſtomacho præbent incendia noſtro,
Diſſupat adveniens liquor, ac reſtinguit, ut ignem,
Urere ne poſſit calor amplius aridus artus.
Sic igitur tibi anhela ſitis de corpore noſtro
Abluitur, ſic expletur jejuna cupido.
Nunc qui fiat, uti paſſus proferre queamus,
Cum volumus, varieque datum ſit membra movere;
Et quæ res tantum hoc oneris protrudere noſtri
Corporis inſuerit, dicam: tu percipe dicta.
Dico animo noſtro primum ſimulacra meandi
Accidere, atque animum pulſare, ut diximus ante.
Inde voluntas fit: neque enim facere incipit ullam
Rem quiſquam, quam mens providit, quid velit, ante.
At, quod providet, illius rei conſtat imago.
Ergo animus cum ſeſe ita commovet, ut velit ire,
Inque gredi, ferit extemplo, quæ in corpore toto
Per membra, atque artus, animai diſſita vis eſt:
Et facile eſt factu, quoniam conjuncta tenetur.
Inde ea proporro corpus ferit, atque ita tota
Paullatim moles protruditur, atque movetur.
Præterea, tum rareſcit quoque corpus, & aer,
Scilicet ut debet, qui ſemper mobilis exſtat,
Per patefacta venit, penetratque foramina largus;
Et diſpergitur ad parteis ita quaſque minutas
Corporis: hinc igitur rebus fit utrimque duabus,
Corpus uti, ut navis velis, ventoque, feratur.
Nec tamen illud in his rebus mirabile conſtat,
Tantula quod tantum corpus corpuſcula poſſint
Contorquere, & onus totum convertere noſtrum:
Quippe etenim ventus ſubtili corpore tenuis
Trudit agens magnam magno molimine navim;
Et manus una regit quantovis impete euntem:
Atque gubernaclum contorquet quolibet unum.
Multaque per trochleas, & tympana pondere magno
Commovet, atqe levi ſuſtollit machina niſu.
Nunc quibus ille modis ſomnus per membra quietem
Irriget, atque animi curas e pectore ſolvat:
Suavidicis potius, quam multis verſibus, edam:
Parvus ut eſt cycni melior canor, ille gruum quam
Clamor, in ætheriis diſperſus nubibus auſtri.
Tu mihi da tenueis aureis, animumque ſagacem,
Ne fieri negites, quæ dicam poſſe; retroque
Vera repulſanti diſcedas pectore dicta;
Tutemet in culpa quom ſis, ne cernere poſſis.
Principio ſomnus fit, ubi eſt diſtracta per artus
Vis animæ, partimque foras ejecta receſſit,
Et partim contruſa magis conceſſit in altum:
Diſſolvuntur enim tum demum membra, fluuntque.
Nam dubium non eſt, animai quin opera ſit
Senſus hic in nobis, quem cum ſopor impedit eſſe,
Tum nobis animam perturbatam eſſe putandum eſt,
E-

Ejectamque foras; non omnem; namque jaceret
Æterno corpus perfuſum frigore leti:
Quippe ubi nulla latens animai pars remaneret
In membris, cinere ut multa latet obrutus ignis,
Unde reconflari ſenſus per membra repente
Poſſit, ut ex igni cæco conſurgere flamma.
Sed quibus hæc rebus novitas confletur, & unde
Perturbari anima, & corpus langueſcere poſſit,
Expediam: tu fac ne ventis verba profundam.
Principio, externa corpus de parte neceſſum eſt,
Aeriis quoniam vicinum tangitur auris,
Tundier, atque ejus crebro pulſarier ictu.
Proptereaque fere res omnes, aut corio ſunt,
Aut ſeta, aut conchis, aut callo, aut cortice tectæ.
Interiorem etiam partem ſpirantibus aer
Verberat hic idem cum ducitur, atque reflatur.
Quare utrimque ſecus quom corpus vapulet, & quom
Perveniant plagæ per parva foramina nobis
Corporis ad primas parteis, elementaque prima;
Fit quaſi paullatim nobis per membra ruina.
Conturbantur enim poſituræ principiorum
Corporis, atque animi, ſic, ut pars inde animai
Ejiciatur, & introrſum pars abdita cedat;
Pars etiam diſtracta per artus, non queat eſſe
Conjuncta inter ſe, nec motu mutua fungi:
Inter enim ſepit aditus natura, viaſque.
Ergo ſenſus abit mutatis motibus alte.
Et quoniam non eſt quaſi quod ſuffulciat artus,
Debile fit corpus, langueſcunt omnia membra:
Brachia, palpebræque cadunt, popliteſque procumbunt.
Deinde cibum ſequitur ſomnus, quia quæ facit aer,
Hæc eadem cibus, in venas dum diditur omneis,
Efficit: & multo ſopor ille graviſſimus exſtat,
Quem ſatur, aut laſſus capias; quia plurima tum ſe
Corpora conturbant magno contuſa labore.
Fit ratione eadem conjectus porro animai
Altior, atque foras ejectus largior ejus,
Et diviſior inter ſe, ac diſtractior intus.
Et quoi quiſque fere ſtudio devinctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,
In ſomnis eadem plerumque videmur obire:
Cauſſidici cauſſas agere, & componere leges:
Induperatores pugnare, ac prœlia obire:
Nautæ contractum cum ventis cernere bellum:
Nos agere hoc autem, & naturam quærere rerum
Semper, & inventam patriis exponere chartis.
Cetera ſic ſtudia, atque artes plerumque videntur
In ſomnis animos hominum fruſtrata tenere.
Et, quicumque dies multos ex ordine ludis
Adſiduas dederunt operas, plerumque videmus,
Quom jam deſtiterint ea ſenſibus uſurpare,
Reliquas tamen eſſe vias in mente patenteis,
Qua poſſint eadem rerum ſimulacra venire.
Permultos itaque illa dies eadem obverſantur
Ante oculos, etiam vigilantes ut videantur
Cernere ſaltanteis, & mollia membra moventeis;
Et citharæ liquidum carmen, chordaſque loquenteis
Auribus accipere, & conſeſſum cernere eumdem,
Scenaique ſimul varios ſplendere decores:
Uſque adeo magni refert ſtudium, atque voluntas,
Et quibus in rebus conſuerint eſſe operati
Non homines ſolum, ſed vero animalia cuncta.
Quippe videbis equos forteis, cum membra jacebunt,
In ſomnis ſudare tamen, ſpirareque ſæpe,
Et quaſi de palma ſummas contendere vireis,
Tunc quaſi carceribus patefactis ſæpe quiete:
Venantumque canes in molli ſæpe quiete
Jactant crura tamen ſubito, voceſque repente
Mittunt, & crebras redducunt naribus auras,
Ut veſtigia ſi teneant inventa ferarum.
Expergefactique ſequuntur inania ſæpe
Cervorum ſimulacra, fugæ quaſi dedita cernant;
Donec diſcuſſis redeant terroribus ad ſe.
At conſueta domi catulorum blanda propago,
Degere, ſæpe levem ex oculis, volucremque ſoporem
Diſcutere, & corpus de terra corripere inſtant,
Proinde quaſi ignotas facies, atque ora tuantur.
Et quam quæque magis ſunt aſpera ſemina eorum,
Tam magis in ſomnis eadem ſævire neceſſum eſt.
At variæ fugiunt volucres, penniſque repente
Sollicitant divum nocturno tempore lucos,
Accipitres ſomno in leni ſi prælia, pugnaſque
Edere ſunt perſectantes, viſæque volantes.
Porro hominum mentes magnis quæ motibus edunt?
Magna etenim ſæpe in ſomnis faciuntque, geruntque.
Reges expugnant, capiuntur, prælia miſcent;
Tollunt clamores, quaſi ſi jugulentur ibidem:
Multi depugnant, gemituſque doloribus edunt;
Et quaſi pantheræ morſu, ſævique leonis
Mandantur, magnis clamoribus omnia complent.
Multi de magnis per ſomnum rebus loquuntur,
Indicioque ſui facti perſæpe fuere:
Multi mortem obeunt, multi de montibus altis
Se quaſi præcipitent ad terram corpore toto,
Exterrentur, & ex ſomno, quaſi mentibus capti,
Vix ad ſe redeunt permoti corporis æſtu.
Flumen item ſitiens, aut fontem propter amœnum
Adſidet, & totum prope faucibus occupat amnem.
Puſi ſæpe lacum propter, ſe, ac dolia curta,
Somno devincti credunt extollere veſtem,
Totius humorem ſaccatum ut corporis fundant:
Cum Babylonica magnifico ſplendore rigantur.
Tum, quibus ætatis freta primitus inſinuantur,
Semen ubi ipſa dies membris matura creavit;
Conveniunt ſimulacra foris e corpore quoque,
Nuntia præclari voltus, pulchrique coloris;
Qui ciet irritans loca turgida ſemine multo,
Ut, quaſi tranſactis ſæpe omnibus rebus, profundant
Fluminis ingenteis fluctus, veſtemque cruentent.
Sollicitatur id in nobis, quod diximus ante,
Semen; adulta ætas cum primum roborat artus.
Namque alias aliud res commovet, atque laceſſit:
Ex homine humanum ſemen ciet una hominis vis.
Quod ſimulatque ſuis ejectum ſedibus exit,
Per membra, atque artus decedit corpore toto
In loca conveniens nervorum certa, cietque
Continuo parteis genitaleis corporis ipſas:
Irritata tument loca ſemine, fitque voluntas
Ejicere id, quo ſe contendit dira libido;
Idque petit corpus mens, unde eſt ſaucia amore:
Namque omnes plerumque cadunt in volnus, & illam
Emicat in partem ſanguis, unde icimur ictu:
Et ſi cominus eſt, hoſtem ruber occupat humor.
Sic igitur, Veneris qui telis accipit ictum,
Sive puer membris muliebribus hunc jaculatur,
Seu mulier toto jactans e corpore amorem,
Unde feritur, eo tendit, geſtitque coire,
Et jacere humorem in corpus de corpore ductum:
Namque voluptatem præſagit muta cupido.
Hæc Venus eſt nobis, hinc autem eſt nomen amoris:
Hinc illæ primum Veneris dulcedinis in cor

Stillavit gutta, & ſucceſſit fervida cura.
Nam ſi abeſt quod ames, præſto ſimulacra tamen ſunt
Illius, & nomen dulce obverſatur ad aureis.
Sed fugitare decet ſimulacra, & pabula amoris
Abſterrere ſibi, atque alio convertere mentem,
Et jacere humorem conlectum in corpora quæque;
Nec retinere ſemel converſum unius amore,
Et ſervare ſibi curam, certumque dolorem.
Ulcus enim viveſcit, & inveteraſcit alendo,
Inque dies gliſcit furor, atque ærumna graveſcit,
Si non prima novis conturbes volnera plagis,
Volgivagaque vagus Venere ante recentia cures,
Aut alio poſſis animi traducere motus.
Nec Veneris fructu caret is, qui vitat amorem:
Sed potius, quæ ſunt ſine pœna, commoda ſumit.
Nam certa, & pura eſt ſanis magis inde voluptas,
Quam miſeris; etenim potiundi tempore in ipſo
Fluctuat incertis erroribus ardor amantum:
Nec conſtat, quid primum oculis, manibuſque fruantur.
Quod petiere premunt arcte, faciuntque dolorem
Corporis, & denteis inlidunt ſæpe labellis,
Oſculaque adfigunt, quia non eſt pura voluptas:
Et ſtimuli ſubſunt, qui inſtigant lædere idipſum,
Quodcumque eſt, rabies unde illæ germina ſurgunt.
Sed leviter pœnas frangit Venus inter amorem,
Blandaque refrænat morſus admiſta voluptas.
Namque in eo ſpes eſt, unde eſt ardoris origo,
Reſtingui quoque poſſe ab eodem corpore flammam;
Quod fieri contra coram natura repugnat:
Unaque res hæc eſt, quojus quam pluria habemus,
Tam magis ardeſcit dira cuppedine pectus.
Nam cibus, atque humor membris adſumitur intus,
Quæ quoniam certas poſſunt obſidere parteis,
Hoc facile expletur laticum, frugumque cupido:
Ex hominis vero facie, pulchroque colore,
Nil datur in corpus præter ſimulacra fruendum
" Tenuia, quæ vento ſpes raptat ſæpe miſella.
Ut bibere in ſomnis ſitiens quom quærit, & humor
Non datur, ardorem in membris qui ſtinguere poſſit;
Sed laticum ſimulacra petit, fruſtraque laborat,
In medioque ſitit torrenti flumine potans.
Sic in amore Venus ſimulacris ludit amanteis,
Nec ſatiare queunt ſpectando corpora coram:
Nec manibus quidquam teneris abradere membris
Poſſunt, errantes incerti corpore toto.
Denique quom membris conlatis flore fruuntur
Ætatis, quom jam præſagit gaudia corpus,
Atque in eo eſt Venus, ut muliebria conſerat arva;
Adfigunt avide corpus, junguntque ſalivas
Oris, & inſpirant preſſantes dentibus ora;
Nequidquam: quoniam nihil inde abradere poſſunt,
Nec penetrare, & abire in corpus corpore toto.
Nam facere interdum id velle, & certare videntur:
Uſque adeo cupide Veneris compagibus hærent,
Membra voluptatis dum vi labefacta liqueſcunt.
Tandem ubi ſe rupit nervis conlecta cupido,
Parva fit ardoris violenti pauſa parumper:
Inde redit rabies eadem, & furor ille reviſit,
Quom ſibi quod cupiant ipſi, contingere quærunt:
Nec reperire malum id poſſunt quæ machina vincat:
Uſque adeo incerti tabeſcunt volnere cæco.
Adde, quod abſumunt vireis, pereuntque labore:
Adde, quod alterius ſub nutu degitur ætas.
Labitur interea res, & vadimonia fiunt,
Languent officia, atque ægrotat fama vacillans:
Unguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident:
Scilicet & grandes viridi cum luce zmaragdi
Auro includuntur, teriturque thalaſſina veſtis
Aſſidue, & Veneris ſudorem exercita potat:
Et bene parta patrum fiunt anademata, mitræ:
Interdum in pallam, ac Melitenſia, Ceaque vertunt.
Eximia veſte & victu convivia, ludi,
Pocula crebra, unguenta, coronæ, ſerta parantur;
Nequidquam: quoniam medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat:
Aut quod conſcius ipſe animus ſe forte remordet,
Deſidioſe agere ætatem, luſtriſque perire:
Aut quod in ambiguo verbum jaculata reliquit;
Quod cupido adfixum cordi viveſcit, ut ignis:
Aut nimium jactare oculos, aliumve tueri
Quod putat, in voltuque videt veſtigia riſus.
Atque in amore mala hæc proprio, ſummeque ſecundo
Inveniuntur; in adverſo vero, atque inopi ſunt,
Prendere quæ poſſis oculorum lumine aperto,
Innumerabilia: ut melius vigilare ſit ante,
Qua docui ratione, cavereque, ne inlaqueeris.
Nam vitare, plagas in amoris ne laciamur,
Non ita difficile eſt, quam captum retibus ipſis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.
Et tamen implicitus quoque poſſis, inque peditus
Effugere infeſtum, niſi tute tibi obvius obſtes;
Et prætermittas animi vitia omnia primum,
Tum quæ corporis ſunt ejus, quam percupis, ac vis.
Nam hoc faciunt homines plerumque cupidine cæci,
Et tribuunt ea, quæ non ſunt his commoda vere.
Multimodis igitur pravas, turpeiſque videmus
Eſſe in deliciis, ſummoque in honore vigere.
Atque alios alii inrident, Veneremque ſuadent
Ut placent, quoniam fœdo adflictantur amore;
Nec ſua reſpiciunt miſeri mala maxima ſæpe.
Nigra, μελίχροος eſt: immunda & fœtida, ἄκοσμος:
Cæſia, παλλάδιον: nervoſa, & lignea, δορκάς:
Parvola, pumilio, χαρίτων ἴα, tota merum ſal:
Magna, atque immanis, κατάπληξις, plenaque honoris:
Balba, loqui non quit, τραυλίζει: muta, pudens eſt:
At flagrans, odioſa, loquacula, λαμπάδιον fit.
Ἰσχνὸν ἐρωμένιον tum fit, quom vivere non quit
Præ macie: ῥαδινὴ vero eſt, jam mortua tuſſi.
At gemina & mammoſa, Ceres eſt ipſa ab Iaccho.
Simula, σιλλωὴ, ac Satyra eſt: labioſa, φίλημα.
Cetera de genere hoc longum eſt ſi dicere coner.
Sed tamen eſto jam quantovis oris honore,
Quoi Veneris membris vis omnibus exoriatur:
Nempe aliæ quoque ſunt; nempe hac ſine viximus ante;
Nempe eadem facit, & ſcimus facere omnia turpi:
Et miſeram tætris ſe ſuffit odoribus ipſa,
Quam famulæ longe fugitant, furtimque cachinnant.
At lacrimans excluſus amator limina ſæpe
Floribus & ſertis operit, poſteiſque ſuperbos
Unguit amaracino, & foribus miſer oſcula figit.
Quem ſi jam admiſſum, venientem offenderit aura
Una modo, cauſſas abeundi quærat honeſtas;
Et meditata diu cadat alte ſumta querela;
Stultitiæque ibi ſe damnet, tribuiſſe quod illi
Plus videat, quam mortali concedere par eſt.
Nec Veneres noſtras hoc fallit: quo magis ipſæ
Omnia ſummopere hos vitæ poſtſcenia celant,
Quos retinere volunt, adſtrictoſque eſſe in amore.
Nequidquam: quoniam tu animo tamen omnia poſſis
Protrahere in lucem, atque omneis anquirere niſus.
Et ſi

Et ſi bello animo eſt, & non odioſa viciſſim,
Prætermittet te humanis concedere rebus.
Nec mulier ſemper ficto ſuſpirat amore,
Quæ complexa viri corpus cum corpore jungit;
Et tenet adſuctis humectans oſcula labris.
Nam facit ex animo ſæpe, & communia quærens
Gaudia, ſollicitat ſpatium decurrere amoris.
Nec ratione alia volucres, armenta, feræque,
Et pecudes, & equæ maribus ſubſidere poſſent,
Si non, ipſa quod illorum ſubat, ardet abundans
Natura, & Venerem ſalientum læta retractat.
Nonne vides etiam, quos mutua ſæpe voluptas
Vinxit, ut in vinclis communibus excrucientur?
In triviis non ſæpe canes diſcedere aventes,
Diverſi cupide ſummis ex viribus tendunt,
Cum interea validis Veneris compagibus hærent?
Quod facerent numquam, niſi mutua gaudia noſſent,
Quæ lacere in fraudem poſſent, vinctoſque tenere.
Quare etiam atque etiam (ut dico) eſt communis voluptas.
Et commiſcendo cum ſemen forte virile
Femina commulxit ſubita vi, conripuitque;
Tum ſimiles matrum materno ſemine fiunt,
Ut patribus patrio: ſed quos utriuſque figuræ
Eſſe vides juxtim, miſcenteis volta parentum,
Corpore de patrio, & materno ſanguine creſcunt;
Semina quom Veneris ſtimulis excita per artus
Obvia conflixit conſpirans mutuus ardor,
Et neque utrum ſuperavit eorum, nec ſuperatum eſt.
Fit quoque, ut interdum ſimiles exſiſtere avorum
Poſſint, & referant proavorum ſæpe figuras,
Propterea, quia multa modis primordia multis
Miſta ſuo celant in corpore ſæpe parentes,
Quæ patribus patres tradunt a ſtirpe profecta.
Inde Venus varia producit ſorte figuras:
Majorumque refert voltus, voceſque, comaſque.
Quandoquidem nihilo minus hæc de ſemine certo
Fiunt, quam facies, & corpora, membraque nobis.
Et muliebre oritur patrio de ſemine ſæclum:
Maternoque mares exſiſtunt corpore creti.
Semper enim partus duplici de ſemine conſtat:
Atque, utri ſimile eſt magis id, quodcumque creatur,
Ejus habet plus parte æqua; quod cernere poſſis,
Sive virum ſuboles, ſive eſt muliebris origo.
Nec divina ſatum genitalem numina quoiquam
Abſterrent, pater a natis ne dulcibus umquam
Appelletur, & ut ſterili Venere exigat ævum;
Quod plerique putant; & multo ſanguine mæſti
Conſpergunt aras, adolentque altaria donis,
Ut gravidas reddant uxores ſemine largo:
Nequidquam divum numen, ſorteiſque fatigant;
Nam ſteriles nimium craſſo ſunt ſemine partim,
Et liquido præter juſtum, tenuique viciſſim.
Tenue, locis quia non potis eſt adfigere adhæſum,
Liquitur extemplo, & revocatum cedit ab ortu:
Craſſius hoc porro, quoniam concretius æquo
Mittitur; aut non tam prolixo provolat ictu;
Aut penetrare locos æque nequit; aut penetratum,
Ægre admiſcetur muliebri ſemine ſemen.
Nam multum harmoniæ Veneris differre videntur:
Atque alias alii complent magis, ex aliiſque
Suſcipiunt aliæ pondus magis, inque graveſcunt.
Et multæ ſteriles Hymenæis ante fuerunt
Pluribus, & nactæ poſt ſunt tamen, unde puellos
Suſcipere, & partu poſſent diteſcere dulci.
Et, quibus ante domi fœcundæ ſæpe nequiſſent
Uxores parere, inventa eſt illis quoque compar
Natura, ut poſſent natis munire ſenectam.
Uſque adeo magni refert, ut ſemina poſſint
Seminibus commiſceri genitaliter apta,
Craſſaque conveniant liquidis, & liquida craſſis,
Quæ quoi juncta viro ſit femina per Veneris res.
Atque adeo refert, quo victu vita colatur.
Namque aliis rebus concreſcunt ſemina membris,
Atque aliis extenuantur, tabentque viciſſim.
Et quibus ipſa modis tractetur blanda voluptas,
Id quoque permagni refert: nam more ferarum,
Quadrupedumque magis ritu, plerumque putantur
Concipere uxores, quia ſic loca ſumere poſſunt
Pectoribus poſitis, ſublatis ſemina lumbis.
Nec molles opus ſunt motus uxoribus hilum.
Nam mulier prohibet ſe concipere, atque repugnat,
Clunibus ipſa viri Venerem ſi læta retractet:
Atque exoſſato ciet omni pectore fluctus.
Ejicit enim ſulci recta regione, viaque
Vomerem, atque locis avertit ſeminis ictum.
Idque ſua cauſſa conſuerunt ſcorta moveri,
Ne complerentur crebro, gravidæque jacerent,
Et ſimul ipſa viris Venus ut concinnior eſſet:
Conjugibus quod nil noſtris opus eſſe videtur.
Nec divinitus interdum, Veneriſque ſagittis
Deteriore fit ut forma muliercula ametur.
Nam facit ipſa ſuis interdum femina factis,
Morigeriſque modis, & mundo corporis cultu,
Ut facile inſueſcat ſecum vir degere vitam.
Quod ſupereſt, conſuetudo concinnat amorem.
Nam leviter quamvis, quod crebro tunditur ictu,
Vincitur in longo ſpatio tamen, atque labaſcit.
Nonne vides, etiam guttas in ſaxa cadenteis
Humoris, longo in ſpatio pertundere ſaxa?

DE RERUM NATURA

LIBER V.

QUis potis eſt dignum pollenti pectore carmen
Condere, pro rerum majeſtate, hiſque repertis?
Quiſve valet verbis tantum, qui fundere laudes
Pro meritis ejus poſſit, qui talia nobis
Pectore parta ſuo, quæſitaque præmia liquit?
Nemo, ut opinor, erit mortali corpore cretus.
Nam ſi, ut ipſa petit majeſtas cognita rerum,
Dicendum eſt: deus ille fuit, deus, inclute Memmi,
Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ
Nunc appellatur ſapientia; quique per artem
Fluctibus e tantis vitam, tantiſque tenebris,
In tam tranquillo, & tam clara luce locavit.
Confer enim divina aliorum antiqua reperta.
Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus inſtituiſſe;
Cum tamen his poſſet ſine rebus vita manere:
Ut fama eſt aliquas etiam nunc vivere genteis.
At bene non poterat ſine puro pectore vivi.
Quo magis hic merito nobis deus eſſe videtur;
Ex quo nunc etiam per magnas didita genteis
Dulcia permulcent animos ſolatia vitæ.
Herculis antiſtare autem ſi facta putabis,
Longius a vera multo ratione ferere.
Quid Nemeæus enim nobis nunc magnus hiatus
Ille leonis obeſſet, & horrens Arcadius ſus?
Denique quid Cretæ taurus, Lernæaque peſtis
Hydra venenatis poſſet vallata colubris?
Quidve tripectora tergemini vis Geryonai?

Et Diomedis equi ſpirantes naribus ignem,
Thracen, Biſtoniaſque plagas, atque Iſmara propter,
Tantopere officerent nobis? unciſque timendæ
Unguibus Arcadiæ volucres Stymphala colentes?
Aureaque Heſperidum ſervans fulgentia mala
Aſper, acerba tuens, immani corpore ſerpens,
Arboris amplexus ſtirpem? quid denique obeſſet,
Propter Atlanteum litus, pelageque ſevera,
Quo neque noſter adit quiſquam, neque barbarus audet?
Cetera de genere hoc quæ ſunt portenta peremta,
Si non victa forent, quid tandem viva nocerent?
Nil, ut opinor: ita ad ſatiatem terra ferarum
Nunc etiam ſcatit, & trepido terrore repleta eſt
Per nemora ac monteis magnos, ſilvaſque profundas:
Quæ loca vitandi plerumque eſt noſtra poteſtas.
At niſi purgatum eſt pectus, quæ prælia nobis,
Atque pericula tunc ingratis inſinuandum?
Quantæ conſcindunt hominem cuppedinis acres
Sollicitum curæ? quantique perinde timores?
Quidve ſuperbia, ſpurcities, petulantia, quantas
Efficiunt cladeis? quid luxus, deſidieſque?
Hæc igitur qui cuncta ſubegerit, ex animoque
Expulerit dictis, non armis; nonne decebit,
Hunc hominem numero divum dignarier eſſe?
Cum bene præſertim multa, ac divinitus ipſis
Immortalibus de divis dare dicta fuerit,
Atque omnem rerum naturam pandere dictis.
Quojus ego ingreſſus veſtigia, nunc rationes
Perſequor, ac doceo dictis, quo quæque creata
Fœdere ſint, in eo quam ſit durare neceſſum:
Nec validas ævi valeant reſcindere leges.
Quo genere in primis animi natura reperta eſt,
Nativo primum conſiſtere corpore creta,
Nec poſſe incolumis magnum durare per ævum:
Sed ſimulacra ſolere in ſomnis fallere mentem,
Cernere cum videamur eum, quem vita reliquit.
Quod ſupereſt, nunc me huc rationis detulit ordo,
Ut mihi, mortali conſiſtere corpore mundum,
Nativumque ſimul, ratio reddunda ſit, eſſe:
Et quibus ille modis congreſſus materiai
Fundarit terram, cælum, mare, ſidera, ſolem,
Lunaique globum; tum quæ tellure animantes
Exſtiterint, & quæ nullo ſint tempore natæ:
Quove modo genus humanum variante loquela
Cœperit inter ſe veſci per nomina rerum:
Et quibus ille modis divum metus inſinuarit
Pectora, terrarum qui in orbi ſancta tuetur
Fana, lacus, lucos, aras, ſimulacraque divum.
Præterea, ſolis curſus, lunæque meatus
Expediam, qua vi flectat natura gubernans:
Ne forte hic inter cælum, terramque reamur
Libera ſponte ſua curſus luſtrare perenneis,
Morigera ad fruges augendas, atque animanteis:
Neve aliquas divum volvi ratione putemus.
Nam, bene qui didicere deos ſecurum agere ævum,
Si tamen interea mirantur qua ratione
Quæque geri poſſint, præſertim rebus in illis,
Quæ ſupera caput ætheriis cernuntur in oris;
Rurſus in antiquas referuntur relligiones,
Et dominos acreis adſciſcunt, omnia poſſe
Quos miſeri credunt, ignari quid queat eſſe,
Quid nequeat; finita poteſtas denique quoique
Quanam ſit ratione, atque alte terminus hærens.
Quod ſupereſt, ne te in promiſſis plura moremur,
Principio, maria ac terras, cælumque tuere:
Horum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Treis ſpecies tam diſſimileis, tria talia texta,
Una dies dabit exitio: multoſque per annos
Suſtentata ruet moles & machina mundi.
Nec me animi fallit, quam res nova, miraque menti
Accidat, exitium cæli terræque futurum:
Et quam difficile id mihi ſit pervincere dictis:
Ut fit, ubi inſolitam rem adportes auribus ante,
Nec tamen hanc poſſis oculorum ſubdere viſu,
Nec jacere indu manus, via qua munita fidei
Proxima fert humanum in pectus, templaque mentis.
Sed tamen effabor: dictis dabit ipſa fidem res
Forſitan, & graviter terrarum motibus orbis
Omnia conquaſſari in parvo tempore cernes:
Quod procul a nobis flectat fortuna gubernans;
Et ratio potius quam res perſuadeat ipſa,
Succidere horriſono poſſe omnia victa fragore.
Qua prius aggrediar quam de re fundere fata
Sanctius, & multo certa ratione magis quam
Pythia, quæ tripode e Phœbi, lauroque profatur:
Multa tibi expediam doctis ſolatia dictis;
Relligione refrenatus ne forte rearis,
Terras, & Solem, cælum, mare, ſidera, Lunam,
Corpore divino debere æterna manere;
Proptereaque putes ritu par eſſe Gigantum,
Pendere eos pœnas immani pro ſcelere omneis,
Qui ratione ſua diſturbent mœnia mundi,
Præclarumque velint cæli reſtinguere ſolem,
Immortalia mortali ſermone notantes.
Quæ procul uſque adeo divino ab numine diſtent,
Inque deum numero ſic ſint indigna videri,
Notitiam potius præbere ut poſſe putentur,
Quid ſit vitali motu, ſenſuque remotum.
Quippe etenim non eſt cum quovis corpore ut eſſe
Poſſe animi natura putetur, conſiliumque.
Sicut in æthere non arbor, nec in æquore ſalſo
Nubes eſſe queunt, neque piſces vivere in arvis,
Nec cruor in lignis, nec ſaxis ſuccus ineſſe:
Certum, ac diſpoſitum eſt, ubi quidquid creſcat, & inſit,
Sic animi natura nequit ſine corpore oriri
Sola, neque a nervis, & ſanguine longiter eſſe.
Hoc ſi poſſet enim, multo prius ipſa animi vis
In capite, aut humeris, aut imis calcibus eſſe
Poſſet, & innaſci quavis in parte ſoleret:
Tandem in eodem homine, atque in eodem vaſe maneret.
Quod quoniam noſtro quoque conſtat corpore certum,
Diſpoſitumque videtur, ubi eſſe, & creſcere poſſit
Seorſum anima, atque animus: tanto magis inficiandum,
Totum poſſe extra corpus, formamque animalem
Putribus in glæbis terrarum, aut Solis in igni,
Aut in aqua durare, aut altis ætheris oris.
Haud igitur conſtant divino prædita ſenſu,
Quandoquidem nequeunt vitaliter eſſe animata.
Illud item non eſt ut poſſis credere, ſedes
Eſſe Deum ſanctas in mundi partibus ullis.
Tenuis enim natura Deum, longeque remota
Senſibus a noſtris, animi vix mente videtur.
Quæ quoniam manuum tactum ſuffugit, & ictum,
Tactile nil nobis quod ſit, contingere debet.
Tangere enim non quit, quod tangi non licet ipſum.
Quare etiam ſedes quoque noſtris ſedibus eſſe
Diſſimiles debent, tenues de corpore eorum.
Quæ tibi poſterius largo ſermone probabo.
Dicere porro, hominum cauſſa voluiſſe parare
Præclaram mundi naturam, proptereaque
Id laudabile opus Divum laudare decere,
Æternumque putare, atque immortale futurum,

Nec

Nec fas eſſe, deum quod ſit ratione vetuſta
Gentibus humanis fundatum perpetuo ævo,
Sollicitare ſuis ullum de ſedibus umquam,
Nec verbis vexare, & ab imo evertere ſummam:
Cetera de genere hoc adfingere, & addere, Memmi,
Deſipere eſt. quid enim immortalibus atque beatis
Gratia noſtra queat largirier emolumenti,
Ut noſtra quidquam cauſſa gerere adgrediantur?
Quidve novi potuit tanto poſt ante quietos
Inlicere, ut cuperent vitam mutare priorem?
Nam gaudere novis rebus debere videtur,
Cui veteres obſunt; ſed, cui nil accidit ægri
Tempore in anteacto, cum pulchre degeret ævum,
Quid potuit novitatis amorem accendere tali?
An, credo, in tenebris vita, ac mœrore jacebat,
Donec diluxit rerum genitalis origo?
Quidve mali fuerat nobis non eſſe creatis?
Natus enim debet, quicumque eſt, velle manere
In vita, donec retinebit blanda voluptas:
Qui numquam vero vitæ guſtavit amorem,
Nec fuit in numero, quid obeſt non eſſe creatum?
Exemplum porro gignundis rebus, & ipſa
Notities hominum, divis unde inſita primum?
Quid vellent facere ut ſcirent, animoque viderent?
Quove modo eſt umquam vis cognita principiorum?
Quidnam inter ſeſe permutato ordine poſſent,
Si non ipſa dedit ſpecimen natura creandi?
Namque ita multa modis multis primordia rerum
Ex infinito jam tempore percita plagis,
Ponderibuſque ſuis conſuerunt concita ferri,
Omnimodiſque coire, atque omnia pertentare,
Quæcumque inter ſe poſſint congreſſa creare,
Ut non ſit mirum ſi in taleis diſpoſituras
Deciderunt quoque, & in taleis venere meatus,
Qualibus hæc rerum genitur nunc ſumma novando.
Quod ſi jam rerum ignorem primordia quæ ſint,
Hoc tamen ex ipſis cæli rationibus auſim
Confirmare, aliiſque ex rebus reddere multis,
Nequaquam nobis divinitus eſſe paratam
Naturam rerum; tanta ſtat prædita culpa.
Principio, quantum cæli tegit impetus ingens,
Inde avidam partem montes, ſilvæque ferarum
Poſſedere, tenent rupes, vaſtæque paludes,
Et mare, quod late terrarum diſtinet oras.
Inde duas porro prope parteis fervidus ardor,
Aſſiduuſque geli caſus mortalibus aufert.
Quod ſupereſt arvi, tamen id natura ſua vi
Sentibus obducat, ni vis humana reſiſtat,
Vitai cauſſa valido conſueta bidenti
Ingemere, & terram preſſis proſcindere aratris.
Si non fœcundas vertentes vomere glæbas,
Terraique ſolum ſubigentes cimus ad ortus;
Sponte ſua nequeant liquidas exſiſtere in auras.
Et tamen interdum magno quæſita labore,
Cum jam per terras frondent, atque omnia florent;
Aut nimiis torret fervoribus ætherius ſol,
Aut ſubiti perimunt imbres, gelidæque pruinæ,
Flabraque ventorum violento turbine vexant.
Præterea genus horriferum natura ferarum,
Humanæ genti infeſtum, terraque marique,
Cur alit, atque auget? cur anni tempora morbos
Apportant? quare mors immatura vagatur?
Tum porro puer, ut ſævis projectus ab undis
Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni
Vitali auxilio, cum primum in luminis oras
Nixibus ex alvo matris natura profudit;
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum eſt,
Cui tantum in vita reſtet tranſire malorum.
At variæ creſcunt pecudes, armenta, feræque:
Nec crepitacula eis opus ſunt, nec cuiquam adhibenda eſt
Almæ nutricis blanda atque infracta loquela:
Nec varias quærunt veſteis pro tempore cæli.
Denique non armis opus eſt, non mœnibus altis,
Queis ſua tutentur, quando omnibus omnia large
Tellus ipſa parit, naturaque dædala rerum.
Principio, quoniam terrai corpus, & humor,
Aurarumque leves animæ, calidique vapores,
E quibus hæc rerum conſiſtere ſumma videtur,
Omnia nativo ac mortali corpore conſtant;
Debet tota eadem mundi natura putari.
Quippe etenim quorum parteis, & membra videmus
Corpore nativo & mortalibus eſſe figuris;
Hæc eadem ferme mortalia cernimus eſſe,
Et nativa ſimul. quapropter maxima mundi
Cum videam membra, ac parteis conſumta regigni;
Scire licet, cæli quoque idem terræque fuiſſe
Principiale aliquod tempus, clademque futuram.
Illud in his rebus ne me arripuiſſe rearis,
Memmi, quod terram, atque ignem mortalia ſumſi
Eſſe; neque humorem dubitavi, auraſque perire;
Atque eadem gigni, rurſuſque augeſcere dixi.
Principio, pars terrai nonnulla peruſta
Solibus aſſiduis, multa pulſata pedum vi,
Pulveris exhalat nebulam, nubeiſque volanteis,
Quas validi toto diſpergunt aere venti:
Pars etiam glæbarum ad diluviem revocatur
Imbribus, & ripas radentia flumina rodunt.
Præterea, pro parte ſua quodcumque alid auget,
Roditur: & quoniam dubio procul eſſe videtur
Omniparens, eadem rerum commune ſepulcrum;
Ergo terra tibi limatur, & aucta recreſcit.
Quod ſupereſt, humore novo mare, flumina, fonteis
Semper abundare, & latices manare perenneis,
Nil opus eſt verbis, magnus decurſus aquarum
Undique declarat: ſed primum quidquid aquai
Tollitur, in ſummaque fit, ut nihil humor abundet;
Partim quod validi verrentes æquora venti
Deminuunt, radiiſque retexens ætherius Sol:
Partim quod ſubter per terras diditur omneis.
Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies humoris, & ad caput amnibus omnis
Convenit; inde ſuper terras fluit agmine dulci,
Qua via ſecta ſemel liquido pede detulit undas.
Aera nunc igitur dicam, qui corpore toto
Innumerabiliter privas mutatur in horas.
Semper enim quodcumque fluit de rebus, id omne
Aeris in magnum fertur mare: qui niſi contra
Corpora retribuat rebus, recreetque fluenteis,
Omnia jam reſoluta forent, & in aera verſa.
Haud igitur ceſſat gigni de rebus, & in res
Recidere aſſidue, quoniam fluere omnia conſtat.
Largus item liquidi fons luminis, ætherius ſol
Inrigat aſſidue cælum candore recenti,
Suppeditatque novo confeſtim lumine lumen.
Nam primum quidquid fulgoris diſperit eii,
Quocumque accidit: id licet hinc cognoſcere poſſis,
Quod ſimul ac primum nubes ſuccedere ſoli
Cœpere, & radios inter quaſi rumpere lucis,
Extemplo inferior pars horum diſperit omnis,
Terraque inumbratur, qua nimbi cumque feruntur;
Ut noſcas ſplendore novo res ſemper egere,
Et primum jactum fulgoris quemque perire;

Nec

Nec ratione alia res poſſe in ſole videri,
Perpetuo ni ſuppeditet lucis caput ipſum.
Quin etiam nocturna tibi, terreſtria quæ ſunt,
Lumina, pendentes lychni, claræque coruſcis
Fulguribus pingues multa caligine tædæ,
Conſimili properant ratione, ardore miniſtro,
Suppeditare novum lumen, tremere ignibus inſtant;
Inſtant, nec loca lux inter quaſi rupta relinquit:
Uſque adeo properanter ab omnibus ignibus ejus
Exitium celeri toleratur origine flammæ.
Sic igitur, Solem, Lunam, Stellaſque putandum
Ex alio atque alio lucem jactare ſubortu,
Et primum quidquid flammai perdere ſemper;
Inviolabilia hæc ne credas forte vigere.
Denique non lapides quoque vinci cernis ab ævo?
Non altas turreis ruere, & putreſcere ſaxa?
Non delubra Deum, ſimulacraque feſſa fatiſci?
Nec ſanctum numen fati protollere fineis
Poſſe? neque adverſus naturæ fœdera niti?
Denique non monimenta virum dilapſa videmus
Cedere proporro, ſubitoque ſeneſcere caſu?
Non ruere avolſos ſilices a montibus altis,
Nec validas ævi vireis perferre, patique
Finiti? neque enim caderent avolſa repente,
Ex infinito quæ tempore pertoleraſſent
Omnia tormenta ætatis privata fragore.
Denique jam tuere hoc circum, ſupraque, quod omnem
Continet amplexu terram; quod procreat ex ſe
Omnia (quod quidam memorant) recipitque peremta:
Totum nativum mortali corpore conſtat.
Nam quodcumque alias ex ſe res auget, alitque,
Deminui debet, recreari cum recipit res.
Præterea, ſi nulla fuit genitalis origo
Terrai & cæli, ſemperque æterna fuere:
Cur ſupera bellum Thebanum, & funera Trojæ,
Non alias alii quoque res cecinere poetæ?
Quo tot facta virum toties cecidere? nec uſquam
Æternis famæ monumentis inſita florent?
Verum, ut opinor, habet novitatem ſumma, recenſque
Natura eſt mundi, neque pridem exordia cepit.
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur,
Nunc etiam augeſcunt: nunc addita navigiis ſunt
Multa: modo organici melicos peperere ſonores.
Denique natura hæc rerum, ratioque reperta eſt
Nuper, & hanc primus cumprimis ipſe repertus
Nunc ego ſum, in patrias qui poſſim vertere voces.
Quod ſi forte fuiſſe antehac eadem omnia credis;
Sed periiſſe hominum torrenti ſæcla vapore,
Aut cecidiſſe urbeis magno vexamine mundi,
Aut ex imbribus aſſiduis exiſſe rapaceis
Per terras amneis, atque oppida cooperuiſſe:
Tanto quippe magis victus fateare neceſſe eſt,
Exitium quoque terrai, cælique futurum.
Nam cum res tantis morbis tantiſque periclis
Tentarentur, ibi ſi triſtior incubuiſſet
Cauſſa, darent late cladem, magnaſque ruinas:
Nec ratione alia mortales eſſe videmur
Inter nos, niſi quod morbis ægriſcimus iiſdem,
Atque illi, quos a vita natura removit.
Præterea, quæcumque manent æterna, neceſſe eſt,
Aut quia ſunt ſolido cum corpore, reſpuere ictus,
Nec penetrare pati ſibi quidquam, quod queat arctas
Diſſociare intus parteis, ut materiai
Corpora ſunt, quorum naturam oſtendimus ante:
Aut ideo durare ætatem poſſe per omnem,
Plagarum quia ſunt expertia, ſicut inane eſt,
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum:
Aut etiam, quia nulla loci ſit copia circum,
Quo quaſi res poſſint diſcedere, diſſolvique:
Sicut ſummarum ſumma eſt æterna, neque extra
Quis locus eſt, quo diſſiliant; neque corpora ſunt, quæ
Poſſint incidere, & valida diſſolvere plaga.
At neque, uti docui, ſolido cum corpore mundi
Natura eſt, quoniam admiſtum eſt in rebus inane:
Nec tamen eſt ut inane: neque autem corpora deſunt,
Ex infinito quæ poſſint forte coorta
Proruere hanc rerum violento turbine ſummam,
Aut aliam quamvis cladem importare pericli.
Nec porro natura loci, ſpatiumque profundi
Deficit, exſpergi quo poſſint mœnia mundi,
Aut alia quavis poſſint vi pulſa perire.
Haud igitur leti præcluſa eſt janua cælo,
Nec ſoli, terræque, nec altis æquoris undis;
Sed patet immani, & vaſto reſpectat hiatu.
Quare etiam nativa neceſſum eſt confiteare
Hæc eadem: neque enim, mortali corpore quæ ſunt,
Ex infinito jam tempore adhuc potuiſſent
Immenſi validas ævi contemnere vireis.
Denique tantopere inter ſe cum maxima mundi
Pugnent membra, pio nequaquam concita bello;
Nonne vides aliquam longi certaminis ollis
Poſſe dari finem? vel cum ſol, & vapor omnis
Omnibus epotis humoribus exſuperarint,
Quod facere intendunt, neque adhuc conata patrantur:
Tantum ſuppeditant amnes, ultroque minantur
Omnia diluviare ex alto gurgite ponti:
Nequidquam; quoniam verrentes æquora venti
Deminuunt, radiiſque retexens ætherius ſol;
Et ſiccare prius confidunt omnia poſſe,
Quam liquor incepti poſſit contingere finem.
Tantum ſpirantes æquo certamine bellum
Magnis de rebus inter ſe cernere certant:
Cum ſemel in terra fuerit ſuperantior ignis,
Et ſemel, ut fama eſt, humor regnarit in arvis.
Ignis enim ſuperavit, & ambens multa peruſſit,
Avia cum Phaethonta rapax vis Solis equorum
Æthere raptavit toto, terraſque per omneis.
At pater omnipotens ira tum percitus acri
Magnanimum Phaethonta repenti fulminis ictu
Deturbavit equis in terram; Solque cadenti
Obvius æternam ſuſcepit lampada mundi,
Disjectoſque redegit equos, junxitque trementeis:
Inde ſuum per iter recreavit cuncta gubernans;
Scilicet, ut veteres Grajum cecinere poetæ.
Quod procul a vera eſt animi ratione repulſum.
Ignis enim ſuperare poteſt, ubi materiai
Ex infinito ſunt corpora plura coorta;
Inde cadunt vires aliqua ratione revictæ,
Aut pereunt res exuſtæ torrentibus auris.
Humor item quondam cœpit ſuperare coortus,
Ut fama eſt hominum, multas quando obruit urbeis;
Inde ubi vis aliqua ratione averſa receſſit,
Ex infinito fuerat quæcumque coorta,
Conſtiterunt imbres, & flumina vim minuerunt.
Sed quibus ille modis conjectus materiai
Fundarit cælum, ac terram, pontique profunda,
Soliſque & Lunæ curſus, ex ordine ponam.
Nam certe neque conſilio primordia rerum
Ordine ſe quæque, atque ſagaci mente locarunt;
Nec, quos quæque darent motus, pepigere profecto:
Sed quia multa modis multis primordia rerum
Ex infinito jam tempore percita plagis,

Ponderibuſque ſuis conſuerunt concita ferri,
Omnimodiſque coire, atque omnia pertentare,
Quæcumque inter ſe poſſent congreſſa creare;
Propterea fit, uti magnum volgata per ævum,
Omnigenos cœtus & motus experiundo,
Tandem ea conveniant, quæ ut convenere, repente
Magnarum rerum fiant exordia ſæpe,
Terrai, maris, & cæli, generiſque animantum.
  Hic neque tum ſolis rota cerni lumine largo
Altivolans poterat, neque magni ſidera mundi,
Nec mare, nec cælum, nec denique terra, neque aer,
Nec ſimilis noſtris rebus res ulla videri:
Sed nova tempeſtas quædam, moleſque coorta.
Diffugere inde loci partes cœpere, pareſque
Tum paribus jungi res, & diſcludere mundum,
Membraque dividere, & magnas diſponere parteis
Omnigenis e principiis, diſcordia quorum
Intervalla, vias, connexus, pondera, plagas,
Concurſus, motus turbabat, prælia miſcens,
Propter diſſimileis formas, variaſque figuras;
Quod non omnia ſic poterant conjuncta manere,
Nec motus inter ſeſe dare convenienteis:
Hoc eſt a terris altum ſecernere cælum,
Et ſeorſum mare uti ſecreto humore pateret,
Seorſus item puri, ſecretique ætheris ignes.
  Quippe etenim primum terrai corpora quæque,
Propterea quod erant gravia, & perplexa, coibant,
In medioque imas capiebant omnia ſedes:
Quæ quanto magis inter ſe perplexa coibant,
Tam magis expreſſere ea, quæ mare, ſidera, ſolem,
Lunamque efficerent, & magni mœnia mundi.
Omnia enim magis hæc e lævibus atque rotundis
Seminibus, multoque minoribus ſunt elementis,
Quam tellus: ideo per rara foramina terræ
Partibus erumpens primus ſe ſuſtulit æther
Signifer, & multos ſecum levis abſtulit igneis:
Non alia longe ratione, ac ſæpe videmus,
Aurea cum primum gemmanteis rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina ſolis,
Exhalantque lacus nebulam, fluviique perennes;
Ipſa quoque interdum tellus fumare videtur:
Omnia quæ ſurſum cum conciliantur in alto,
Corpore concreto ſubtexunt nubila cælum.
Sic igitur tum ſe levis, ac diffuſilis æther
Corpore concreto circumdatus undique ſepſit,
Et late diffuſus in omneis undique parteis,
Omnia ſic avido complexu cetera ſepſit.
Hunc exordia ſunt Solis Lunæque ſecuta;
Inter utroſque globi quorum vertuntur in auris:
Quæ neque terra ſibi adſcivit, neque maximus æther;
Quod nec tam fuerint gravia, ut depreſſa ſederent;
Nec levia, ut poſſent per ſummas labier oras:
Et tamen inter utroſque ita ſunt, ut corpora viva
Verſent, & partes ut mundi totius exſtent,
Quod genus in nobis quædam licet in ſtatione
Membra manere, tamen cum ſint ea, quæ moveantur.
  His igitur rebus retractis, terra repente,
Maxima qua nunc ſe ponti plaga cærula tendit,
Succidit, & ſalſo ſuffudit gurgite foſſas:
Inque dies quanto circum magis ætheris æſtus,
Et radii Solis cogebant undique terram,
Verberibus crebris extrema ad limina apertam,
In medio ut propulſa ſuo condenſa coiret:
Tam magis expreſſus ſalſus de corpore ſudor
Augebat mare manando, campoſque natanteis:
Et tanto magis illa foras elapſa volabant
Corpora multa vaporis, & aeris, altaque cæli
Denſebant procul a terris fulgentia templa:
Sidebant campi, creſcebant montibus altis
Aſcenſus: neque enim poterant ſubſidere ſaxa,
Nec pariter tantumdem omnes ſuccumbere partes.
Sic igitur terræ concreto corpore pondus
Conſtitit, atque omnis mundi quaſi limus in imum
Confluxit gravis, & ſubſedit funditus, ut fæx.
Inde mare, inde aer, inde æther ignifer ipſe.
Corporibus liquidis ſunt omnia pura relicta;
Et leviora aliis alia: & liquidiſſimus æther,
Atque leviſſimus aerias ſuper influit auras;
Nec liquidum corpus turbantibus aeris auris
Commiſcet: ſinit hæc violentis omnia verti
Turbinibus: ſinit incertis turbare procellis:
Ipſe ſuos igneis certo fert impete labens.
Nam modice fluere, atque uno poſſe æthera niſu,
Significat ponti mare, certo quod fluit æſtu,
Unum labendi conſervans uſque tenorem.
  Motibus aſtrorum nunc quæ ſit cauſſa, canamus.
Principio; magnus cæli ſi vertitur orbis,
Ex utraque polum parti premere aera nobis
Dicendum eſt, extraque tenere, & claudere utrimque;
Inde alium ſupera fluere, atque intendere eodem,
Quo volvenda micant æterni ſidera mundi:
Aſt alium ſubter, contra qui ſubvehat orbem:
Ut fluvios verſare rotas, atque hauſtra videmus.
Eſt etiam quoque, uti poſſit cælum omne manere
In ſtatione, tamen cum lucida ſigna ferantur:
Sive quod incluſi rapidi ſunt ætheris æſtus,
Quærenteſque viam circumverſantur, & ignes
Paſſim per cæli volvunt ſe immania templa:
Sive aliunde fluens alicunde extrinſecus aer
Verſat agens igneis: ſive ipſi ſerpere poſſunt,
Quo cujuſque cibus vocat, atque invitat eunteis,
Flammea per cælum paſcenteis corpora paſſim.
Nam quid in hoc mundo ſit eorum, ponere certum
Difficile eſt: ſed quid poſſit, fiatque per Omne
In variis mundis varia ratione creatis,
Id doceo; plureiſque ſequor diſponere cauſſas
Motibus aſtrorum, quæ poſſint eſſe per Omne.
E quibus una tamen ſit & hæc quoque cauſſa neceſſe eſt,
Quæ vegeat motum ſignis: ſed quæ ſit earum
Præcipere, haudquaquam eſt pedetentim progredientis.
  Terraque ut in media mundi regione quieſcat,
Evaneſcere paullatim & decreſcere pondus
Convenit; atque aliam naturam ſubter habere
Ex ineunte ævo conjunctam, atque uniter aptam
Partibus aeriis mundi, quibus inſita ſidit.
Propterea non eſt oneri, neque deprimit auras:
Et ſua cuique homini nullo ſunt pondere membra:
Nec caput eſt oneri collo, nec denique totum
Corporis in pedibus pondus ſentimus ineſſe.
At quæcumque foris veniunt, impoſtaque nobis
Pondera ſunt, lædunt permulto ſæpe minora:
Uſque adeo magni refert, cui quæ adjaceat res.
Sic igitur tellus non eſt aliena repente
Adlata, atque auris aliunde objecta alienis:
Sed pariter prima concepta ab origine mundi,
Certaque pars ejus, quaſi nobis membra, videtur.
  Præterea grandi tonitru concuſſa repente
Terra, ſupra ſe quæ ſunt, concutit omnia motu:
Quod facere haud ulla poſſet ratione, niſi eſſet
Partibus aeriis mundi, cæloque revincta.
Nam communibus inter ſe radicibus hærent
Ex ineunte ævo conjuncta, atque uniter apta.

Nonne

Nonne vides etiam, quam magno pondere nobis
Suſtineat corpus tenuiſſima vis animai,
Propterea quia tam conjuncta, atque uniter apta eſt?
Denique jam ſaltu pernici tollere corpus
Quis potis eſt, niſi vis animæ, quæ membra gubernat?
Jamne vides quantum tenuis natura valere
Poſſit, ubi eſt conjuncta gravi cum corpore, ut aer
Conjunctus terris, & nobis eſt animi vis?
  Nec nimio ſolis major rota, nec minor ardor
Eſſe poteſt, noſtris quam ſenſibus eſſe videtur.
Nam quibus e ſpatiis cumque ignes lumina poſſunt
Adjicere, & calidum membris adflare vaporem,
Illa ipſa intervalla nihil de corpore limant
Flammarum, nihilo ad ſpeciem eſt contractior ignis.
Proinde calor quoniam ſolis, lumenque profuſum
Perveniunt noſtros ad ſenſus, & loca tingunt:
Forma quoque hinc ſolis debet, filumque videri,
Nil adeo ut poſſis plus, aut minus addere vere.
  Lunaque ſive notho fertur loca lumine luſtrans,
Sive ſuam proprio jactat de corpore lucem,
Quidquid id eſt, nihilo fertur majore figura,
Quam, noſtris oculis quam cernimus, eſſe videtur.
Nam prius omnia, quæ longe remmota tuemur
Aera per multum ſpecie confuſa videntur,
Quam minimum filum: quapropter luna neceſſe eſt,
Quandoquidem claram ſpeciem, certamque figuram
Præbet, ut eſt oris extremis cumque notata,
Quanta hæc cumque fuat, tanta hinc videatur in alto.
  Poſtremo, quoſcumque vides hinc ætheris igneis,
(Quandoquidem, quoſcumque in terris cernimus igneis,
Dum tremor eſt clarus, dum cernitur ardor eorum,
Perparvum quiddam interdum mutare videntur
Alterutram in partem filum, cum longius abſint,)
Scire licet, perquam pauxillo poſſe minores
Eſſe, vel exigua majores parte, brevique.
  Illud item non eſt mirandum, qua ratione
Tantulus ille queat tantum ſol mittere lumen,
Quod maria, ac terras omneis, cælumque rigando
Compleat, & calido perfundat cuncta vapore.
Nam licet hinc mundi patefactum totius unum
Largifluum fontem ſcatere, atque erumpere flumen
Ex omni mundo, quo ſic elementa vaporis
Undique conveniunt, & ſic conjectus eorum
Confluit, ex uno capite hic ut profluat ardor.
Nonne vides etiam, quam late parvus aquai
Prata riget fons interdum, campiſque redundet?
Eſt etiam quoque uti non magno ſolis ab igni
Aera percipiat calidis fervoribus ardor,
Opportunus ita eſt ſi forte, & idoneus aer,
Ut queat accendi parvis ardoribus ictus:
Quod genus interdum ſegetes ſtipulamque videmus
Accipere ex una ſcintilla incendia paſſim.
Forſitan & roſea ſol alte lampade lucens
Poſſideat multum cæcis fervoribus ignem
Circum ſe, nullo qui ſit fulgore notatus,
Æſtiferum ut tantum radiorum exaugeat ictum.
  Nec ratio ſolis ſimplex, nec certa pateſcit,
Quo pacto æſtivis e partibus, Ægocerotis
Brumaleis adeat flexus, atque inde revertens
Canceris ut vertat metas ſe ad ſolſtitialeis:
Lunaque menſibus id ſpatium videatur obire,
Annua ſol in quo conſumit tempora curſu:
Non, inquam, ſimplex his rebus reddita cauſſa eſt.
Nam fieri vel cum primis id poſſe videtur,
Democriti quod ſancta viri ſententia ponit:
Quanto quæque magis ſint terram ſidera propter,
Tanto poſſe minus cum cæli turbine ferri.
Evaneſcere enim rapidas illius, & acreis
Imminui ſubter vireis, ideoque relinqui
Paullatim ſolem cum poſterioribus ſignis,
Inferior multo quod ſit, quam fervida ſigna:
Et magis hoc lunam, & quanto demiſſior ejus
Curſus abeſt procul a cælo, terriſque propinquat,
Tanto poſſe minus cum ſignis tendere curſum.
Flaccidiore etiam quanto jam turbine fertur
Inferior quam ſol, tanto magis omnia ſigna
Hanc adipiſcuntur, circum, præterque feruntur.
Propterea fit, ut hæc ad ſignum quodque reverti
Mobilius videatur, ad hanc quia ſigna reviſunt.
  Fit quoque ut e mundi tranſverſis partibus aer
Alternis certo fluere alter tempore poſſit,
Qui queat æſtivis ſolem detrudere ſignis
Brumaleis uſque ad flexus, gelidumque rigorem;
Et qui rejiciat gelidis a frigoris umbris
Æſtiferas uſque in parteis, & fervida ſigna.
Et ratione pari lunam, ſtellaſque putandum eſt,
Quæ volvunt magnos in magnis orbibus annos,
Aeribus poſſe alternis a partibus ire.
Nonne vides etiam diverſis nubila ventis
Diverſas ire in parteis, inferna ſupernis?
Qui minus illa queant per magnos ætheris orbeis
Æſtibus inter ſe diverſis ſidera ferri?
  At nox obruit ingenti caligine terras,
Aut ubi de longo curſu ſol extima cæli
Impulit, atque ſuos efflavit languidus igneis,
Concuſſos itere, & labefactos aere multo:
Aut quia ſub terras curſum convertere cogit
Vis eadem, ſupera terras quæ pertulit orbem.
  Tempore item certo roſeam Matuta per oras
Ætheris auroram defert, & lumina pandit,
Aut quia ſol idem ſub terras ille revertens
Anticipat cælum radiis accendere tentans:
Aut quia conveniunt ignes, & ſemina multa
Confluere ardoris conſuerunt tempore certo,
Quæ faciunt ſolis nova ſemper lumina gigni.
Quod genus Idæis fama eſt e montibus altis
Diſperſos igneis orienti lumine cerni:
Inde coire globum quaſi in unum, & conficere orbem.
  Nec tamen illud in his rebus mirabile debet
Eſſe, quod hæc ignis tam certo tempore poſſint
Semina confluere, & ſolis reparare nitorem.
Multa videmus enim, certo quæ tempore fiunt
Omnibus in rebus: floreſcunt tempore certo
Arbuſta, & certo dimittunt tempore florem.
Nec minus in certo denteis cadere imperat ætas
Tempore, & impubem molli pubeſcere veſte,
Et pariter mollem malis demittere barbam.
Fulmina poſtremo, nix, imbres, nubila, venti,
Non nimis incertis fiunt in partibus anni.
Namque ubi ſic fuerunt cauſſarum exordia prima,
Atque uti res mundi cecidere ab origine prima,
Conſequa natura eſt jam rerum ex ordine certo.
  Creſcere itemque dies licet, & tabeſcere nocteis,
Et minui luces, cum ſumant augmina noctes:
Aut quia ſol idem ſub terras, atque ſuperne,
Imparibus currens amfractibus ætheris oras
Partit, & in parteis non æquas dividit orbem:
Et quod ab alterutra detraxit parte, reponit
Ejus in adverſa tanto plus parte relatus,
Donicum ad id ſignum cæli pervenit, ubi anni
Nodus nocturnas exæquat lucibus umbras.
Nam medio curſu flatus aquilonis, & auſtri,

DIſtan-

Diſtinet æquato cælum diſcrimine metas,
Propter ſigniferi poſituram totius orbis;
Annua ſol in quo contundit tempora ſerpens,
Obliquo terras, & cælum lumine luſtrans:
Ut ratio declarat eorum, qui loca cæli
Omnia diſpoſitis ſignis ornata notarunt.
Aut quia craſſior eſt certis in partibus aer,
Sub terris ideo tremulum jubar hæſitat ignis,
Nec penetrare poteſt facile atque emergere ad ortus.
Propterea noctes hiberno tempore longæ
Ceſſant, dum veniat radiatum inſigne diei.
Aut etiam, quia ſic alternis partibus anni
Tardius & citius conſuerunt confluere ignes,
Qui faciant ſolem certa de ſurgere parte.
 Luna poteſt ſolis radiis percuſſa nitere,
Inque dies majus lumen convertere nobis
Ad ſpeciem, quantum ſolis ſecedit ab orbe,
Donicum eum contra pleno bene lumine fulſit,
Atque oriens obitus ejus ſuper edita vidit:
Inde minutatim retro quaſi condere lumen
Debet item, quanto propius jam ſolis ad ignem
Labitur ex alia ſignorum parte per orbem:
Ut faciunt, lunam qui fingunt eſſe pilai
Conſimilem, curſuſque viam ſub ſole tenere:
Propterea fit uti videantur dicere verum.
Eſt etiam quoque uti proprio cum lumine poſſit
Volvier, & varias ſplendoris reddere formas.
Corpus enim licet eſſe aliud, quod fertur, & una
Labitur omnimodis occurſans officienſque,
Nec potis eſt cerni, quia caſſum lumine fertur.
Verſarique poteſt, globus ut, ſi forte, pilai
Dimidia ex parti candenti lumine tinctus,
Verſandoque globum varianteis edere formas,
Donicum eam partem, quæcumque eſt ignibus aucta,
Ad ſpeciem vertit nobis, oculoſque patenteis:
Inde minutatim retro contorquet, & aufert
Luciferam partem glomeraminis, atque pilai:
Ut Babylonica Chaldæam doctrina refutans
Aſtrologorum artem contra convincere tendit:
Proinde quaſi fieri nequeat, quod pugnat uterque,
Aut minus hoc illo ſit cur amplectier auſis.
 Denique, cur nequeat ſemper nova luna creari
Ordine formarum certo, certiſque figuris,
Inque dies privos aboleſcere quæque creata,
Atque alia illius reparari in parte, locoque,
Difficile eſt ratione docere, & vincere verbis;
Ordine cum videas tam certo multa creari.
It Ver, & Venus, & Veneris prænuntius ante
Pennatus graditur Zephyrus veſtigia propter:
Flora quibus mater præſpergens ante viai
Cuncta coloribus egregiis, & odoribus opplet.
Inde loci ſequitur calor aridus, & comes una
Pulverulenta Ceres, & Eteſia flabra Aquilonum.
Inde Autumnus adit: graditur ſimul Evius Evan:
Inde aliæ tempeſtates, ventique ſequuntur,
Altitonans Vulturnus, & Auſter fulmine pollens.
Tandem bruma nives adfert, pigrumque rigorem
Reddit: Hiems ſequitur, crepitans ac dentibus algus.
Quo minus eſt mirum, ſi certo tempore luna
Gignitur, & certo deletur tempore rurſus:
Cum fieri poſſint tam certo tempore multa.
 Solis item quoque defectus, lunæque latebras,
Pluribus e cauſſis fieri tibi poſſe putandum eſt.
Nam cur luna queat terram ſecludere ſolis
Lumine, & a terris altum caput obſtruere eii,
Objiciens cæcum radiis ardentibus orbem:
Tempore eodem aliud facere id non poſſe putetur
Corpus, quod caſſum labatur lumine ſemper?
Solque ſuos etiam dimittere languidus igneis
Tempore cur certo nequeat, recreareque lumen,
Cum loca præteriit flammis infeſta per auras,
Quæ faciunt igneis interſtingui atque perire?
Et cur terra queat lunam ſpoliare viciſſim
Lumine, & oppreſſum ſolem ſuper ipſa tenere,
Menſtrua dum rigidas coni perlabitur umbras:
Tempore eodem aliud nequeat ſuccurrere lunæ
Corpus, vel ſupera ſolis perlabier orbem,
Quod radios interrumpat, lumenque profuſum?
Et tamen ipſa ſuo ſi fulgit luna nitore,
Cur nequeat certa mundi langueſcere parte,
Dum loca luminibus propriis inimica pererrat?
 Quod ſupereſt, quoniam magni per cærula mundi
Qua fieri quidquid poſſet ratione, reſolvi:
Solis uti varios curſus, lunæque meatus
Noſcere poſſemus, quæ vis, & cauſſa cieret:
Quove modo ſoleant offecto lumine obire,
Et nec opinanteis tenebris obducere terras:
Cum quaſi connivent, & aperto lumine rurſum
Omnia conviſunt clara loca candida luce.
 Nunc redeo ad mundi novitatem, & mollia terræ
Arva, novo fœtu quid primum in luminis oras
Tollere, & incertis tentarit credere ventis.
 Principio, genus herbarum, viridemque nitorem
Terra dedit circum colleis; campoſque per omneis
Florida fulſerunt viridanti prata colore:
Arboribuſque datum eſt variis exinde per auras
Creſcendi magnum immiſſis certamen habenis.
Ut pluma atque pili primum ſetæque creantur
Quadrupedum in membris, & corpore pennipotentum:
Sic nova tum tellus herbas virgultaque primum
Suſtulit: inde loci mortalia ſæcla creavit
Multa modis multis varia ratione coorta.
Nam neque de cælo cecidiſſe animalia poſſunt,
Nec terreſtria de ſalſis exiſſe lacunis.
Linquitur ut merito maternum nomen adepta
Terra ſit, e terra quoniam ſunt cuncta creata.
Multaque nunc etiam exiſtunt animalia terris,
Imbribus, & calido ſolis concreta vapore.
Quo minus eſt mirum, ſi tum ſunt plura coorta,
Et majora, nova tellure, atque æthere adulto.
 Principio, genus alituum, variæque volucres
Ova relinquebant excluſæ tempore verno:
Folliculos ut nunc teretes æſtate cicadæ
Linquunt, ſponte ſua victum vitamque petentes.
Tum tibi terra dedit primum mortalia ſæcla:
Multus enim calor, atque humor ſuperabat in arvis.
Hinc ubi quæque loci regio opportuna dabatur,
Creſcebant uteri terræ radicibus apti:
Quos ubi tempore maturo patefecerat ætas
Infantum, fugiens humorem, auraſque petiſſens,
Convertebat ibi natura foramina terræ,
Et ſuccum venis cogebat fundere apertis
Conſimilem lactis: ſicut nunc femina quæque
Cum peperit, dulci repletur lacte, quod omnis
Impetus in mammas convertitur ille alimenti.
Terra cibum pueris, veſtem vapor, herba cubile
Præbebat multa & molli lanugine abundans.
 At novitas mundi nec frigora dura ciebat,
Nec nimios æſtus, nec magnis viribus auras,
Omnia enim pariter creſcunt, & robora ſumunt.
Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta
Terra tenet merito, quoniam genus ipſa creavit

Humanum, atque animal prope certo tempore fudit
Omne, quod in magnis bacchatur montibus paſſim,
Aeriaſque ſimul volucreis variantibus formis.
Sed quia finem aliquam pariendi debet habere,
Deſtitit, ut mulier ſpatio defeſſa vetuſto;
Mutat enim mundi naturam totius ætas,
Ex alioque alius ſtatus excipere omnia debet,
Nec manet ulla ſui ſimilis res: omnia migrant,
Omnia commutat natura, & vertere cogit.
Namque aliud putreſcit, & ævo debile languet:
Porro aliud concreſcit, & e contemtibus exit.
Sic igitur mundi naturam totius ætas
Mutat, & ex alio terram ſtatus excipit alter,
Quod potuit, nequeat; poſſit, quod non tulit ante.
Multaque tum tellus etiam portenta creare
Conata eſt, mira facie, membriſque coorta;
„ Androgynum inter utrum, nec utrumque, & utrimque remotum „
Orba pedum partim, manuum viduata viciſſim,
Multa ſine ore etiam, ſine voltu cæca reperta,
Vinctaque membrorum per totum corpus adhæſu;
Nec facere ut poſſent quidquam, nec cedere quoquam,
Nec vitare malum, nec ſumere quod foret uſus.
Cetera de genere hoc monſtra, ac portenta creabat:
Nequidquam; quoniam natura abſterruit auctum:
Nec potuere cupitum ætatis tangere florem,
Nec reperire cibum, nec jungi per Veneris res.
Multa videmus enim rebus concurrere debere,
Ut propagando poſſint producere ſæcla.
Pabula primum ut ſint, genitalia deinde per artus
Semina quæ poſſint membris manare remiſſis:
Feminaque ut maribus conjungi poſſit, habendum
Mutua queis nectant inter ſe gaudia, utriſque.
Multaque tum interiiſſe animantum ſæcla neceſſe eſt,
Nec potuiſſe propagando procudere prolem.
Nam quæcumque vides veſci vitalibus auris,
Aut dolus, aut virtus, aut denique mobilitas eſt
Ex ineunte ævo genus id tutata reſervans.
Multaque ſunt, nobis ex utilitate ſua quæ
Commendata manent tutelæ tradita noſtræ.
Principio, genus acre leonum, ſævaque ſæcla
Tutata eſt virtus, vulpeis dolus, & fuga cervos.
At leviſomna canum fido cum pectore corda,
Et genus omne, quod eſt veterino ſemine partum,
Lanigeræque ſimul pecudes, & bucera ſæcla,
Omnia ſunt hominum tutelæ tradita, Memmi.
Nam cupide fugere feras, pacemque ſecutæ
Sunt, & larga ſuo ſine pabula parta labore;
Quæ damus utilitatis eorum præmia cauſſa.
At, queis nil horum tribuit natura, nec ipſa
Sponte ſua poſſent ut vivere, nec dare nobis
Utilitatem aliquam, quare pateremur eorum
Præſidio noſtro paſci genus, eſſeque tutum?
Scilicet hæc aliis prædæ, lucroque jacebant
Indupedita ſuis fatalibus omnia vinclis,
Donicum ad interitum genus id natura redegit.
Sed neque Centauri fuerunt, neque tempore in ullo
Eſſe queat duplici natura, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta poteſtas,
Hinc illinc par vis ut non ſic eſſe potis ſit.
Id licet hinc quamvis hebeti cognoſcere corde.
Principio, circum tribus actis impiger annis
Floret equus: puer haudquaquam: quin ſæpe etiam num
Ubera mammarum in ſomnis lactantia quærit.
Poſt ubi equum validæ vires ætate ſenecta,
Membraque deficiunt fugienti languida vita;
Tum demum pueris ævo florente juventas
Occipit, & molli veſtit lanugine malas:
Ne forte ex homine, & veterino ſemine equorum
Confieri credas Centauros poſſe, nec eſſe:
Aut rapidis canibus ſuccinctas ſemimarinis
Corporibus Scyllas, & cetera de genere horum,
Inter ſe quorum diſcordia membra videmus:
Quæ neque floreſcunt pariter, neque robora ſumunt
Corporibus, neque projiciunt ætate ſenecta:
Nec ſimili Venere ardeſcunt, nec moribus unis
Conveniunt, neque ſunt eadem jucunda per artus.
Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ eſt acre venenum.
Flamma quidem vero cum corpora fulva leonum
Tam ſoleat torrere, atque urere, quam genus omne
Viſceris, in terris quodcumque & ſanguinis exſtet:
Qui fieri potuit, triplici cum corpore ut una
Prima leo, poſtrema draco, media ipſa Chimæra
Ore foras acrem efflaret de corpore flammam?
Quare etiam tellure nova, cæloque recenti
Talia qui fingit potuiſſe animalia gigni,
Nixus in hoc uno novitatis nomine inani,
Multa licet ſimili ratione effutiat ore:
Aurea tum dicat per terras flumina volgo
Fluxiſſe, & gemmis florere arbuſta fuiſſe:
Aut hominem tanto membrorum eſſe impete natum,
Trans maria alta pedum niſus ut ponere poſſet;
Et manibus totum circum ſe vertere cælum.
Nam quod multa fuere in terris ſemina rerum,
Tempore quo primum tellus animalia fudit;
Nil tamen eſt ſigni, miſtas potuiſſe creari
Inter ſe pecudes, compactaque membra animantum:
Propterea quia quæ de terris nunc quoque abundant
Herbarum genera, ac fruges, arbuſtaque læta,
Non tamen inter ſe poſſint complexa creari.
Res ſic quæque ſuo ritu procedit, & omnes
Fœdere naturæ certo diſcrimina ſervant.
Et genus humanum multo fuit illud in arvis
Durius, ut decuit, tellus quod dura creaſſet;
Et majoribus & ſolidis magis oſſibus intus
Fundatum, & validis aptum per viſcera nervis;
Nec facile ex æſtu, nec frigore quod caperetur,
Nec novitate cibi, nec labi corporis ulla.
Multaque per cælum ſolis volventia luſtra
Volgivago vitam tractabant more ferarum.
Nec robuſtus erat curvi moderator aratri
Quiſquam, nec ſcibat ferro molirier arva;
Nec nova defodere in terram virgulta, nec altis
Arboribus veteres decidere falcibus ramos.
Quod ſol, atque imbres dederant, quod terra crearat
Sponte ſua, ſatis id placabat pectora donum:
Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque, & quæ nunc hiberno tempore cernis
Arbuta pœniceo fieri matura colore,
Plurima tum tellus etiam majora ferebat:
Multaque præterea novitas tum florida mundi
Pabula dia tulit, miſeris mortalibus ampla.
At ſedare ſitim fluvii fonteſque vocabant:
Ut nunc montibus e magnis decurſus aquai
Claricitat late ſitientia ſæcla ferarum.
Denique noctivagi ſilveſtria templa tenebant
Nympharum, quibus exibant humore fluenta
Lubrica, proluvie larga lavere humida ſaxa,
Humida ſaxa ſuper viridi ſtillantia muſco:
Et partim plano ſcatere atque erumpere campo.
Necdum res igni ſcibant tractare, nec uti
Pellibus, & ſpoliis corpus veſtire ferarum:

Sed

Sed nemora, atque cavos monteis, ſilvaſque colebant,
Et frutices inter condebant ſqualida membra,
Verbera ventorum vitare imbreiſque coacti.
Nec commune bonum poterant ſpectare, nec ullis
Moribus inter ſe ſcibant, nec legibus uti.
Quod cuique obtulerat prædæ fortuna, ferebat,
Sponte ſua ſibi quiſque valere & vivere doctus.
Et Venus in ſilvis jungebat corpora amantum:
Conciliabat enim vel mutua quamque cupido,
Vel violenta viri vis, atque impenſa libido,
Vel pretium glandes, atque arbuta, vel pyra lecta.
Et manuum mira freti virtute, pedumque,
Conſectabantur ſilveſtria ſæcla ferarum
Miſſilibus ſaxis, & magno pondere clavæ:
Multaque vincebant, vitabant pauca latebris;
Setigeriſque pares ſuibus ſilveſtria membra
Nuda dabant terræ nocturno tempore capti,
Circum ſe foliis ac frondibus involventes.
Nec plangore diem magno, ſolemque per agros
Quærebant pavidi, palantes noctis in umbris:
Sed taciti reſpectabant, ſomnoque ſepulti,
Dum roſea face ſol inferret lumina cælo.
A parvis quod enim conſuerant cernere ſemper,
Alterno tenebras, & lucem tempore gigni,
Non erat, ut fieri poſſet, mirarier umquam,
Nec diffidere, ne terras æterna teneret
Nox, in perpetuum detracto lumine ſolis.
Sed magis illud erat curæ, quod ſæcla ferarum
Infeſtam miſeris faciebant ſæpe quietem:
Ejectique domo fugiebant ſaxea tecta
Setigeri ſuis adventu, validique leonis,
Atque intempeſta cedebant nocte paventes
Hoſpitibus ſævis inſtrata cubilia fronde.
Nec nimio tum plus, quam nunc, mortalia ſæcla
Dulcia linquebant labentis lumina vitæ.
Unus enim tum quiſque magis deprenſus eorum
Pabula viva feris præbebat dentibus hauſtus;
Et nemora ac monteis gemitu, ſilvaſque replebat,
Viva videns vivo ſepeliri viſcera buſto.
At quos effugium ſervarat, corpore adeſo,
Poſterius tremulas ſuper ulcera tætra tenentes
Palmas, horriferis accibant vocibus Orcum,
Donicum eos vita privarunt vermina ſæva,
Experteis opis, ignaros quid volnera vellent.
At non multa virum ſub ſignis millia ducta
Una dies dabat exitio: nec turbida ponti
Æquora lædebant naveis ad ſaxa, viroſque.
Sed temere, incaſſum mare fluctibus ſæpe coortis,
Sævibat, leviterque minas ponebat inaneis:
Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.
Improba navigii ratio tum cæca jacebat.
Tum pænuria deinde cibi, languentia leto
Membra dabat: contra nunc rerum copia merſat.
Illi imprudentes ipſi ſibi ſæpe venenum
Vergebant: nunc dant aliis ſolertius ipſi.
Inde caſas poſtquam, ac pelleis, ignemque pararunt,
Et mulier conjuncta viro conceſſit in unum;
Caſtaque privatæ Veneris connubia læta
Cognita ſunt, prolemque ex ſe videre creatam:
Tum genus humanum primum molleſcere cœpit.
Ignis enim curavit, ut alſia corpora frigus
Non ita jam poſſent cæli ſub tegmine ferre:
Et Venus imminuit vireis, puerique parentum
Blanditiis facile ingenium fregere ſuperbum.
Tunc & amicitiam cœperunt jungere habentes
Finitima inter ſe, nec lædere, nec violare;
Et pueros commendarunt, muliebreque ſæclum
Vocibus, & geſtu, cum balbe ſignificarent,
Imbecillorum eſſe æquum misererier omnium.
Non tamen omnimodis poterat concordia gigni,
Sed bona, magnaque pars ſervabant fœdera caſte:
Aut genus humanum jam tum foret omne peremptum;
Nec potuiſſet adhuc perducere ſæcla propago.
At varios linguæ ſonitus natura ſubegit
Mittere, & utilitas expreſſit nomina rerum:
Non alia longe ratione, atque ipſa videtur
Protrahere ad geſtum pueros infantia linguæ,
Cum facit, ut digito, quæ ſint præſentia, monſtrent.
Sentit enim vim quiſque ſuam, quam poſſit abuti.
Cornua nata prius vitulo quam frontibus extent,
Illis iratus petit, atque infenſus inurget.
At catuli Pantherarum, ſcymnique leonum
Unguibus, ac pedibus jam tum, morſuque repugnant,
Vixdum cum ipſis ſunt dentes, ungueſque creati.
Alituum porro genus alis omne videmus
Fidere, & a pennis tremulum petere auxiliatum.
Proinde putare aliquem tum nomina diſtribuiſſe
Rebus, & inde homines didiciſſe vocabula prima,
Deſipere eſt: nam cur hic poſſet cuncta notare
Vocibus, & varios ſonitus emittere linguæ,
Tempore eodem alii facere id non quiſſe putentur?
Præterea, ſi non alii quoque vocibus uſi
Inter ſe fuerant; unde inſita notities eſt
Utilitatis, & unde data eſt huic prima poteſtas,
Quid vellet facere, ut ſcirent, animoque viderent?
Cogere item plureis unus, victoſque domare
Non poterat, rerum ut perdiſcere nomina vellent,
Nec ratione docere ulla, ſuadereque ſurdis,
Quid facto eſſet opus; faciles neque enim paterentur,
Nec ratione ulla ſibi ferrent amplius aureis
Vocis inauditos ſonitus obtundere fruſtra.
Poſtremo, quid in hac mirabile tantopere eſt re,
Si genus humanum, cui vox, & lingua vigeret,
Pro vario ſenſu varias res voce notaret,
Cum pecudes mutæ, cum denique ſæcla ferarum
Diſſimileis ſoleant voces variaſque ciere,
Cum metus, aut dolor eſt, & cum jam gaudia gliſcunt?
Quippe etenim id licet e rebus cognoſcere apertis.
Irritata canum cum primum magna Moloſſum
Mollia ricta fremunt duros nudantia denteis,
Longe alio ſonitu rabie diſtracta minantur,
Et cum jam latrant, & vocibus omnia complent.
At catulos blande cum lingua lambere tentant,
Aut ubi eos jactant pedibus, morſuque petentes,
Suſpenſis teneros imitantur dentibus hauſtus,
Longe alio pacto gannitu vocis adulant,
Et cum deſerti baubantur in ædibus, aut cum
Plorantes fugiunt ſummiſſo corpore plagas.
Denique non hinnitus item differre videtur,
Inter equas ubi equus florenti ætate juvencus
Pinnigeri ſævit calcaribus ictus amoris,
Et fremitum patulis ſub naribus edit ad arma,
Ac cum ſis alias concuſſis artubus hinnit?
Poſtremo, genus alituum, variæque volucres,
Accipitres, atque oſſifragæ, mergique marinis
Fluctibus in ſalſis victum vitamque petentes,
Longe alias alio jaciunt in tempore voces,
Et cum de victu certant, prædaque repugnant.
Et partim mutant cum tempeſtatibus una
Raucisonos cantus, cornicum ut ſæcla vetuſta,
Corvorumque greges, ubi aquam dicuntur, & imbreis

Poſce-

Poſcere, & interdum ventos auraſque vocare.
Ergo, ſi varii ſenſus animalia cogunt,
Muta tamen cum ſint, varias emittere voces:
Quanto mortaleis magis æquum eſt tum potuiſſe
Diſſimileis alia atque alia res voce notare?
Illud in his rebus tacitus ne forte requiras:
Fulmen detulit in terras mortalibus ignem
Primitus: inde omnis flammarum diditur ardor.
Multa videmus enim cæleſtibus incita flammis
Fulgere, cum cæli donavit plaga vapores.
Et ramoſa tamen cum ventis pulſa vacillans
Æſtuat in ramos incumbens arboris arbor,
Exprimitur validis extritus viribus ignis:
Et micat interdum flammai fervidus ardor,
Mutua dum inter ſe rami ſtirpeſque teruntur:
Quorum utrumque dediſſe poteſt mortalibus ignem.
Inde cibum coquere, ac flammæ mollire vapore
Sol docuit, quoniam miteſcere multa videbant
Verberibus radiorum, atque æſtu victa per agros.
Inque dies magis hi victum vitamque priorem
Commutare novis monſtrabant rebus, & igni,
Ingenio qui præſtabant, & corde vigebant.
Condere cœperunt urbeis, arcemque locare
Præſidium reges ipſi ſibi, perfugiumque:
Et pecudes, & agros diviſere, atque dedere
Pro facie cujuſque, & viribus, ingenioque:
Nam facies multum valuit, vireſque vigebant.
Poſterius res inventa eſt, aurumque repertum,
Quod facile & validis, & pulchris demſit honorem;
Divitioris enim ſectam plerumque ſequuntur
Quamlibet & fortes, & pulchro corpore creti.
Quod ſi quis vera vitam ratione gubernet,
Divitiæ grandes homini ſunt, vivere parce
Æquo animo; neque enim eſt umquam pænuria parvi.
At claros ſe homines voluere eſſe, atque potenteis,
Ut fundamento ſtabili fortuna maneret,
Et placidam poſſent opulenti degere vitam:
Nequidquam: quoniam ad ſummum ſuccedere honorem
Certantes, iter infeſtum fecere viai.
Et tamen e ſummo quaſi fulmen dejicit ictos
Invidia interdum contemtim in Tartara tætra:
Ut ſatius multo jam ſit parere quietum,
Quam regere imperio res velle, & regna tenere.
Proinde, ſine incaſſum defeſſi ſanguine ſudent
Anguſtum per iter luctantes ambitionis:
Invidia quoniam, ceu fulmine, ſumma vaporant
Plerumque, & quæ ſunt aliis magis edita cumque:
Quandoquidem ſapiunt alieno ex ore, petuntque
Res ex auditis potius, quam ſenſibus ipſis:
Nec magis id nunc eſt, nec erit mox, quam fuit ante.
Ergo regibus occiſis ſubverſa jacebat
Priſtina majeſtas ſoliorum, & ſceptra ſuperba;
Et capitis ſummi præclarum inſigne cruentum
Sub pedibus volgi magnum lugebat honorem.
Nam cupide conculcatur nimis ante metutum.
Res itaque ad ſummam fæcem turbaſque redibat,
Imperium ſibi cum, ac ſummatum quiſque petebat.
Inde magiſtratus partim docuere creare,
Juraque conſtituere, ut vellent legibus uti:
Nam genus humanum defeſſum vi colere ævum,
Ex inimicitiis languebat; quo magis ipſum
Sponte ſua cecidit ſub leges, arctaque jura.
Acrius ex ira quod enim ſe quiſque parabat
Ulciſci, quam nunc conceſſum eſt legibus æquis;
Hanc ob rem eſt homines pertæſum vi colere ævum:
Unde metus maculat pœnarum præmia vitæ.

Circumretit enim vis, atque injuria quemque,
Atque, unde exorta eſt, ad eum plerumque revertit;
Nec facile eſt placidam ac pacatam degere vitam,
Qui violat factis communia fœdera pacis.
Etſi fallit enim divum genus humanumque,
Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet:
Quippe ubi ſe multi per ſomnia ſæpe loquentes,
Aut morbo delirantes protraxe ferantur,
Et celata diu in medium peccata dediſſe.
Nunc quæ cauſſa deum per magnas numina genteis
Pervolgarit, & ararum compleverit urbeis,
Suſcipiendaque curarit ſollennia ſacra,
" Quæ nunc in magnis florent ſacra rebus, lociſque:
Unde etiam nunc eſt mortalibus inſitus horror,
Qui delubra deum nova toto ſuſcitat orbi
Terrarum, & feſtis cogit celebrare diebus:
Non ita difficile eſt rationem reddere verbis.
Quippe etenim jam tum divum mortalia ſæcla
Egregias animo facies vigilante videbant,
Et magis in ſomnis mirando corporis auctu.
His igitur ſenſum tribuebant, propterea quod
Membra movere videbantur, voceſque ſuperbas
Mittere pro facie præclara, & viribus amplis.
Æternamque dabant vitam, quia ſemper eorum
Suppeditabatur facies, & forma manebat,
(Et manet omnino) & quod tantis viribus auctos
Non temere ulla vi convinci poſſe putabant.
Fortuniſque ideo longe præſtare putabant,
Quod mortis timor haud quemquam vexaret eorum,
Et ſimul in ſomnis quia multa, & mira videbant
Efficere, & nullum capere ipſos inde laborem.
Præterea, cæli rationes ordine certo,
Et varia annorum cernebant tempora verti;
Nec poterant quibus id fieret cognoſcere cauſſis:
Ergo perfugium ſibi habebant omnia divis
Tradere, & illorum nutu facere omnia flecti.
In cæloque deum ſedes, & templa locarunt,
Per cælum volvi quia ſol, & luna videntur:
Luna, dies, & nox, & noctis ſigna ſevera,
Noctivagæque faces cæli, flammæque volantes,
Nubila, ros, imbres, nix, venti, fulmina, grando,
Et rapidi fremitus, & murmura magna minarum.
O genus infelix humanum! talia divis
Cum tribuit facta, atque iras adjunxit acerbas:
Quantos tum gemitus ipſi ſibi, quantaque nobis
Volnera; quas lacrimas peperere minoribus noſtris!
Nec pietas ulla eſt velatum ſæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omneis accedere ad aras;
Nec procumbere humi proſtratum, & pandere palmas
Ante deum delubra, nec aras ſanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota:
Sed mage pacata poſſe omnia mente tueri.
Nam cum ſuſpicimus magni cæleſtia mundi
Templa ſuper, ſtelliſque micantibus æthera fixum,
Et venit in mentem ſolis, lunæque viarum,
Tunc aliis oppreſſa malis in pectore cura
Illa quoque expergefactum caput erigere infit,
Ecquæ forte deum nobis immenſa poteſtas
Sit, vario motu quæ candida ſidera verſet.
Tentat enim dubiam mentem rationis egeſtas,
Ecquænam fuerit mundi genitalis origo:
Et ſimul, ecquæ ſit finis, quoad mœnia mundi,
Et tanti motus hunc poſſint ferre laborem:
An divinitus æterna donata ſalute,
Perpetuo poſſint ævi labentia tractu,
Immenſi validas ævi contemnere vireis.

Præte-

Præterea, cui non animus formidine divum
Contrahitur? cui non conrepunt membra pavore,
Fulminis horribili cum plaga torrida tellus
Contremit, & magnum percurrunt murmura cælum?
Non populi, genteſque tremunt? regeſque ſuperbi
Conripiunt divum perculſi membra timore,
Ne quod ob admiſſum fœde, dictumve ſuperbe
Pœnarum grave ſit ſolvendi tempus adactum?
Summa etiam cum vis violenti per mare venti
Induperatorem claſſis ſuper æquora verrit,
Cum validis pariter legionibus, atque elephantis;
Non divum pacem votis adit? ac prece quæſit
Ventorum pavidus paces, animaſque ſecundas?
Nequidquam: quoniam violento turbine ſæpe
Conreptus nihilo fertur minus ad vada leti:
Uſque adeo res humanas vis abdita quædam
Obterit, & pulchros faſceis, ſævaſque ſecureis
Proculcare, ac ludibrio ſibi habere videtur.
Denique ſub pedibus tellus cum tota vacillat,
Concuſſæque cadunt urbes, dubiæque minantur:
Quid mirum ſi ſe temnunt mortalia ſæcla?
Atque poteſtates magnas, miraſque relinquunt
In rebus vireis divum, quæ cuncta gubernent?
Quod ſupereſt, æs, atque aurum, ferrumque repertum eſt,
Et ſimul argenti pondus, plumbique poteſtas:
Ignis ubi ingenteis ſilvas ardore cremarat
Montibus in magnis, ſeu cæli fulmine miſſo;
Sive quod inter ſe bellum ſilveſtre gerentes,
Hoſtibus intulerant ignem formidinis ergo;
Sive quod inducti terræ bonitate, volebant
Pandere agros pingueis, & paſcua reddere rura;
Sive feras interficere, & diteſcere præda:
Nam fovea, atque igni prius eſt venarier ortum,
Quam ſepire plagis ſaltum, canibuſque ciere.
Quidquid id eſt, quacumque e cauſſa flammeus ardor
Horribili ſonitu ſilvas exederat altis
Ab radicibus, & terram percoxerat igni,
Manabat venis ferventibus in loca terræ
Concava conveniens argenti rivus, & auri,
Æris item, & plumbi; quæ cum concreta videbant
Poſterius claro in terris ſplendere colore,
Tollebant nitido capti, lævique lepore:
Et ſimili formata videbant eſſe figura,
Atque lacunarum fuerant veſtigia cuique.
Tum penetrabat eos, poſſe hæc liquefacta calore,
Quamlibet in formam, & faciem decurrere rerum,
Et prorſum quamvis in acuta ac tenuia poſſe
Mucronum duci faſtigia procudendo;
Ut ſibi tela parent, ſilvaſque excidere poſſint,
Materiem lævare, dolare, ac radere tigna,
Et terebrare etiam, ac pertundere, perque forare.
Nec minus argento facere hæc auroque parabant,
Quam validi primum violentis viribus æris:
Nequidquam: quoniam cedebat victa poteſtas,
Nec poterat pariter durum ſufferre laborem.
Nam fuit in pretio magis æs, aurumque jacebat
Propter inutilitatem hebeti mucrone retuſum:
Nunc jacet æs, aurum in ſummum ſucceſſit honorem.
Sic volvenda ætas commutat tempora rerum:
Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore:
Porro aliud ſuccedit, & e contemtibus exit,
Inque dies magis appetitur, floretque repertum
Laudibus, & miro eſt mortaleis inter honore.
Nunc tibi quo pacto ferri natura reperta
Sit, facile eſt ipſum per te cognoſcere, Memmi.
Arma antiqua, manus, ungues, denteſque fuerunt,
Et lapides, & item ſilvarum fragmina rami,
Et flammæ, atque ignes, poſtquam ſunt cognita primum:
Poſterius ferri vis eſt, æriſque reperta;
Et prior æris erat quam ferri cognitus uſus:
Quo facilis magis eſt natura, & copia major.
Ære ſolum terræ tractabant, æreque belli
Miſcebant fluctus, & volnera vaſta ferebant,
Et pecus, atque agros adimebant; nam facile ollis
Omnia cedebant armatis nuda & inerma.
Inde minutatim proceſſit ferreus enſis,
Verſaque in opprobrium ſpecies eſt falcis ahenæ,
Et ferro cœpere ſolum proſcindere terræ;
Exæquataque ſunt creperi certamina belli.
Et prius eſt reppertum in equi conſcendere coſtas,
Et moderarier hunc frænis, dextraque vigere,
Quam bijugo curru belli tentare pericla:
Et bijugo prius eſt, quam bis conjungere binos;
Et quam falciferos inventum aſcendere currus.
Inde boves Lucas turrito corpore tætros
Anguimanos belli docuerunt volnera Pœni
Sufferre, & magnas Martis turbare catervas.
Sic alid ex alio peperit diſcordia triſtis,
Horribile humanis quod gentibus eſſet in armis:
Inque dies belli terroribus addidit augmen.
Tentarunt etiam tauros in mœnera belli,
Expertique ſues ſævos ſunt mittere in hoſteis;
Et validos Parthi præ ſe miſere leones
Cum ductoribus armatis, ſæviſque magiſtris,
Qui moderarier hos poſſent, vincliſque tenere:
Nequidquam: quoniam permiſta cæde calentes
Turbabant ſævi nullo diſcrimine turmas,
Terrificas capitum quatientes undique criſtas;
Nec poterant equites fremitu perterrita equorum
Pectora mulcere, & frænis convertere in hoſteis.
Inritata leæ jaciebant corpora ſaltu
Undique, & advorſum venientibus ora petebant:
Et nec opinanteis a tergo diripiebant,
Deplexæque dabant in terram volnere victos,
Morſibus adfixæ validis, atque unguibus uncis.
Jactabantque ſues tauri, pedibuſque terebant;
Et latera, ac ventres hauribant ſubter equorum
Cornibus, ad terramque minanti mente ruebant.
At validis ſocios cædebant dentibus apri,
„ Tela infracta ſuo tinguentes ſanguine ſævi,
„ In ſe fracta ſuo tinguentes ſanguine tela,
Permiſtaſque dabant equitum peditumque ruinas.
Nam tranſverſa feros exibant dentis adactus
Jumenta, aut pedibus ventos erecta petebant:
Nequidquam: quoniam a nervis ſucciſa videres
Concidere, atque gravi terram conſternere caſu.
Sic, quos ante domi domitos ſatis eſſe putabant,
Efferviſcere cernebant in rebus agundis,
Volneribus, clamore, fuga, terrore, tumultu:
Nec poterant ullam partem redducere eorum.
Diffugiebat enim varium genus omne ferarum:
Ut nunc ſæpe boves Lucæ, ferro male mactæ
Diffugiunt, fera facta ſuis cum multa dedere.
Sic fuit, ut facerent: ſed vix adducor, ut ante
Non quierint animo præſentire, atque videre,
Quam commune malum fuerat, fœdumque futurum.
Et magis id poſſis factum contendere in Omni,
In variis mundis varia ratione creatis,
Quam certo, atque uno terrarum quolibet orbi.
Sed facere id non tam vincendi ſpe voluerunt,
Quam dare quod gemerent hoſtes, ipſique perire,
Qui numero diffidebant, armiſque vacabant.

Nexilis

Nexilis ante fuit veſtis, quam textile tegmen:
Textile poſt ferrum eſt; quia ferro tela parantur.
Nec ratione alia poſſunt tam lævia gigni
Inſilia, ac fuſi, & radii, ſcapique ſonantes.
Et facere ante viros lanam natura coegit,
Quam muliebre genus; nam longe præſtat in arte,
Et ſolertius eſt multo genus omne virile:
Agricolæ donec vitio vertere ſeveri,
Ut muliebribus id manibus concedere vellent,
Atque ipſi potius durum ſufferre laborem,
Atque opere in duro durarent membra, manuſque.
At ſpecimen ſationis, & inſitionis origo,
Ipſa fuit rerum primum natura creatrix.
Arboribus quoniam baccæ, glandeſque caducæ
Tempeſtiva dabant pullorum examina ſubter.
Unde etiam libitum eſt ſtirpeis committere ramis,
Et nova defodere in terram virgulta per agros:
Inde aliam, atque aliam culturam dulcis agelli
Tentabant, fructuſque feros manſueſcere terra
Cernebant indulgendo, blandeque colendo.
Inque dies magis in montem ſuccedere ſilvas
Cogebant, infraque locum concedere cultis:
Prata, lacus, rivos, ſegetes, vinetaque læta
Collibus, & campis ut haberent, atque olearum
Cærula diſtinguens inter plaga currere poſſet
Per tumulos, & convalleis, campoſque profuſa.
Ut nunc eſſe vides vario diſtincta lepore
Omnia, quæ pomis interſita dulcibus ornant,
Arbuſtiſque tenent felicibus obſita circum.
At liquidas avium voces imitarier ore
Ante fuit multo, quam lævia carmina cantu
Concelebrare homines poſſent, aureiſque juvare.
Et Zephyri cava per calamorum ſibila primum
Agreſteis docuere cavas inflare cicutas;
Inde minutatim dulceis didicere querelas,
Tibia quas fundit digitis pulſata canentum,
Avia per nemora, ac ſilvas ſaltuſque reperta,
Per loca paſtorum deſerta, atque otia dia:
Sic unumquidquid paullatim protrahit ætas
In medium, ratioque in luminis eruit oras.
Hæc animos ollis mulcebant atque juvabant
Cum ſatiate cibi; nam tum ſunt omnia cordi.
Sæpe itaque inter ſe proſtrati in gramine molli
Propter aquæ rivum, ſub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus jucunde corpora habebant:
Præſertim cum tempeſtas ridebat, & anni
Tempora pingebant viridanteis floribus herbas.
Tum joci, tum ſermo, tum dulces eſſe cachinni
Conſuerant: agreſtis enim tum Muſa vigebat:
Tum caput, atque humeros plexis redimire coronis,
Floribus, & foliis laſcivia læta monebat:
Atque extra numerum procedere membra moventeis
Duriter, & duro terram pede pellere matrem:
Unde oriebantur riſus, dulceſque cachinni,
Omnia quod nova tum magis hæc & mira vigebant.
Et vigilantibus hinc aderant ſolatia ſomni
Ducere multimodis voces, & flectere cantus;
Et ſupera calamos unco percurrere labro:
Unde etiam vigiles nunc hæc accepta tuentur,
Et numerum ſervare genus didicere; neque hilo
Majorem interea capiunt dulcedinis fructum,
Quam ſilveſtre genus capiebat terrigenarum.
Nam quod adeſt præſto, niſi quid cognovimus ante
Suavius, in primis placet, & pollere videtur;
Poſteriorque fere melior res illa reperta
Perdit, & immutat ſenſus ad priſtina quæque.

Sic odium cœpit glandis: ſic illa relicta
Strata cubilia ſunt herbis, & frondibus aucta.
Pellis item cecidit, veſtis contemta ferina eſt;
Quam reor invidia tali tunc eſſe repertam,
Ut letum inſidiis, qui geſſit primus, obiret:
Et tandem inter eos diſtractum, ſanguine multo
Diſperſiſſe, neque in fructum convertere quiſſe.
Tunc igitur pelles, nunc aurum, & purpura curis
Exercent hominum vitam, belloque fatigant:
Quo magis in nobis, ut opinor, culpa reſidit.
Frigus enim nudos ſine pellibus excruciabat
Terrigenas: at nos nil lædit veſte carere
Purpurea, atque auro, ſigniſque ingentibus apta;
Dum plebeja tamen ſit, quæ defendere poſſit.
Ergo hominum genus incaſſum, fruſtraque laborat
Semper, & in curis conſumit inanibus ævum;
Nimirum, quia non cognovit, quæ ſit habendi
Finis, & omnino quoad creſcat vera voluptas:
Idque minutatim vitam provexit in altum,
Et belli magnos commovit funditus æſtus.
At vigiles mundi magnum & verſatile templum
Sol & luna ſuo luſtrantes lumine circum,
Perdocuere homines annorum tempora verti,
Et certa ratione geri rem, atque ordine certo.
Jam validis ſepti degebant turribus ævum,
Et diviſa colebatur, diſcretaque tellus:
Tum mare velivolum florebat navibus pandis:
Auxilia, & ſocios jam pacto fœdere habebant:
Carminibus cum res geſtas cœpere Poetæ
Tradere: nec multo prius ſunt elementa reperta.
Propterea, quid ſit prius actum reſpicere ætas
Noſtra nequit, niſi qua ratio veſtigia monſtrat.
Navigia, atque agri culturas, mœnia, leges,
Arma, vias, veſteis, & cetera de genere horum,
Præmia, delicias quoque vitæ funditus omneis,
Carmina, picturas, & dædala ſigna polire,
Uſus, & impigræ ſimul experientia mentis
Paullatim docuit pedetentim progredientes.
Sic unumquidquid paullatim protrahit ætas
In medium, ratioque in luminis eruit oras.
Namque alid ex alio clareſcere corde videmus
Artibus, ad ſummum donec venere cacumen.

DE RERUM NATURA

LIBER VI.

PRimæ frugiferos fœtus mortalibus ægris
Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ,
Et recreaverunt vitam, legeſque rogarunt:
Et primæ dederunt ſolatia dulcia vitæ,
Cum genuere virum tali cum corde repertum,
Omnia veridico qui quondam ex ore profudit;
Cujus & extincti propter divina reperta
Divolgata vetus jam ad cælum gloria fertur.
Nam cum vidit hic, ad victum quæ flagitat uſus,
„ Et, per quæ poſſent vitam conſiſtere tutam,
Omnia jam ferme mortalibus eſſe parata:
Divitiis homines, & honore, & laude potenteis
Affluere, atque bona natorum excellere fama:
Nec minus eſſe domi cuiquam tamen anxia corda,
Atque animum infeſtis cogi ſervire querelis:
Intellexit, ibi vitium vas efficere ipſum,
Omniaque illius vitio corrumpier intus,
Quæ conlata foris, & commoda cumque venirent;
Partim quod fluxum, pertuſumque eſſe videbat,
Ut

Ut nulla poſſet ratione explerier umquam;
Partim quod tætro quaſi conſpurcare ſapore
Omnia cernebat, quæcumque receperat intus.
Veridicis igitur purgavit pectora dictis,
Et finem ſtatuit cuppedinis, atque timoris,
Expoſuitque bonum ſummum, quo tendimus omnes,
Quid foret, atque viam monſtravit tramite prono,
Qua poſſemus ad id recto contendere curſu:
Quidve mali foret in rebus mortalibus paſſim,
Quod flueret naturæ vi, varieque volaret,
Seu caſu, ſeu vi, quod ſic natura paraſſet:
Et quibus e portis occurri cuique deceret:
Et genus humanum fruſtra plerumque probavit
Volvere curarum triſteis in pectore fluctus.
Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: ſic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ ſunt metuenda magis, quam
Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebraſque neceſſe eſt
Non radii ſolis, nec lucida tela diei
Diſcutiant, ſed naturæ ſpecies, ratioque:
Quo magis inceptum pergam pertexere dictis.

Et quoniam docui, mundi mortalia templa
Eſſe, & nativo conſiſtere corpore cælum;
Et quæcumque in eo fiunt, fientque, neceſſe
Eſſe ea diſſolvi: quæ reſtant percipe porro;
Quandoquidem ſemel inſignem conſcendere currum
Vincendi ſpes hortata eſt, atque obvia curſu
Quæ fuerant, ſunt placato converſa furore.

Cetera, quæ fieri in terris, cæloque tuentur
Mortales, pavidis cum pendent mentibus ſæpe;
Efficiunt animos humileis formidine divum,
Depreſſoſque premunt ad terram; propterea quod
Ignorantia cauſſarum conferre deorum
Cogit ad imperium res, & concedere regnum: &
Quorum operum cauſſas nulla ratione videre
Poſſunt, hæc fieri divino numine rentur.
Nam bene qui didicere deos ſecurum agere ævum,
Si tamen interea mirantur, qua ratione
Quæque geri poſſint, præſertim rebus in illis,
Quæ ſupera caput ætheriis cernuntur in oris,
Rurſus in antiquas referuntur relligiones,
Et dominos acreis aſciſcunt, omnia poſſe
Quos miſeri credunt, ignari quid queat eſſe,
Quid nequeat; finita poteſtas denique cuique
Quanam ſit ratione, atque alte terminus hærens:
Quo magis errantes tota regione feruntur.
Quæ niſi reſpuis ex animo, longeque remittis,
Diis indigna putando, alienaque pacis eorum;
Delibrata deum per te tibi numina ſancta
Sæpe aderunt: non quod violari ſumma deum vis
Poſſit, ut ex ira pœnas petere imbibat acreis;
Sed quia tute tibi placida cum pace quietos
Conſtitues magnos irarum volvere fluctus;
Nec delubra deum placido cum pectore adibis;
Nec, de corpore quæ ſancto ſimulacra feruntur,
In menteis hominum divinæ nuntia formæ,
Suſcipere hæc animi tranquilla pace valebis.
Inde videre licet, qualis jam vita ſequatur.
Quam quidem ut a nobis ratio veriſſima longe
Rejiciat, quamquam ſunt a me multa profata,
Multa tamen reſtant, & ſunt ornanda politis
Verſibus, & ratio cæli, ſpecieſque tenenda:
Sunt tempeſtates, & fulmina clara canenda,
Quid faciant, & qua de cauſſa quæque ferantur,
Ne trepides cæli diviſis partibus amens,
Unde volans ignis pervenerit, aut in utram ſe
Verterit hinc partem: quo pacto per loca ſepta
Inſinuarit, & hinc dominatus ut extulerit ſe:
Quorum operum cauſſas nulla ratione videre
Poſſunt, ac fieri divino numine rentur.

Tu mihi ſupremæ præſcripta ad candida calcis
Currenti ſpatium præmonſtra callida Muſa,
Calliope, requies hominum, divumque voluptas;
Te duce ut inſignem capiam cum laude coronam.

Principio, tonitru quatiuntur cærula cæli,
Propterea, quia concurrunt ſublime volantes
Ætheriæ nubes contra pugnantibus ventis.
Nec fit enim ſonitus cæli de parte ſerena,
Verum ubicumque magis denſo ſunt agmine nubes,
Tam magis hinc magno fremitus fit murmure ſæpe.
Præterea, neque tam condenſo corpore nubes
Eſſe queunt, quam ſunt lapides, ac tigna: neque autem
Tam tenues, quam ſunt nebulæ, fumique volantes.
Nam aut cadere abrupto deberent pondere preſſæ,
Ut lapides; aut, ut fumus, conſtare nequirent,
Nec cohibere niveis gelidas, & grandinis imbreis.

Dant etiam ſonitum patuli ſuper æquora mundi,
Carbaſus ut quondam magnis intenta theatris
Dat crepitum malos inter jactata, trabeiſque:
Interdum perſciſſa furit petulantibus Euris,
Et fragileis ſonitus chartarum commeditatur:
Id quoque enim genus in tonitru cognoſcere poſſis,
Aut ubi ſuſpenſam veſtem, chartaſve volanteis
Verberibus venti verſant, planguntque per auras.

Fit quoque enim interdum, ut non tam concurrere nubes
Frontibus adverſis poſſint, quam de latere ire
Diverſo motu radentes corporis tractum:
Aridus unde aureis terget ſonus ille, diuque
Ducitur, exierit donec regionibus arctis.

Hoc etiam pacto tonitru concuſſa videntur
Omnia ſæpe gravi tremere, & divolſa repente
Maxima diſſiluiſſe capacis mœnia mundi,
Cum ſubito validi venti conlecta procella
Nubibus intorſit ſeſe, concluſaque ibidem
Turbine verſanti magis ac magis undique nubem
Cogit, uti fiat ſpiſſo cava corpore circum.
Poſt ubi commovit vis ejus, & impetus acer,
Tum perterricrepo ſonitu dat miſſa fragorem.
Nec mirum; cum plena animæ veſicula parva
Sæpe ita dat pariter ſonitum diſploſa repente.

Eſt etiam ratio, cum venti nubila perflant,
Cur ſonitus faciant: etenim ramoſa videmus
Nubila ſæpe modis multis, atque aſpera ferri.
Scilicet ut crebram ſilvam cum flamina Cauri
Perflant, dant ſonitum frondes, ramique fragorem.
Fit quoque, ut interdum validi vis incita venti
Perſcindat nubem perfringens impete recto.
Nam quid poſſit ibi flatus, manifeſta docet res.
Hic, ubi lenior eſt, in terra cum tamen alta
Arbuſta evolvens radicibus haurit ab imis.

Sunt etiam fluctus per nubila, qui quaſi murmur
Dant infringendo graviter: quod item fit in altis
Fluminibus, magnoque mari, cum frangitur æſtu.

Fit quoque ubi e nube in nubem vis incidit ardens
Fulminis; hæc multo ſi forte humore recepit
Ignem, continuo ut magno clamore trucidet:
Ut calidis candens ferrum e fornacibus olim
Stridit, ubi in gelidum propere demerſimus imbrem.

Aridior porro ſi nubes accipit ignem,
Uritur ingenti ſonitu ſuccenſa repente:
Lauricomos ut ſi per monteis flamma vagetur,

Turbine ventorum comburens impete magno.
Nec res ulla magis, quam Phœbi Delphica laurus
Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.
Denique ſæpe geli multus fragor, atque ruina
Grandinis, in magnis ſonitum dat nubibus alte:
Ventus enim cum confercit, franguntur in arctum
Concreti montes nimborum, & grandine miſti.
Fulgit item, nubes ignis cum ſemina multa
Excuſſere ſuo concurſu, ceu lapidem ſi
Percutiat lapis, aut ferrum; nam tum quoque lumen
Exſilit, & claras ſcintillas diſſupat ignis.
Sed tonitrum fit uti poſt auribus accipiamus,
Fulgere quam cernant oculi, quia ſemper ad aureis
Tardius adveniunt, quam viſum quæ moveant res.
Id licet hinc etiam cognoſcere: cædere ſiquem
Ancipiti videas ferro procul arboris auctum,
Ante fit ut cernas ictum, quam plaga per aureis
Det ſonitum: ſic fulgorem quoque cernimus ante
Quam tonitrum accipimus, pariter qui mittitur igni,
E ſimili cauſſa, & concurſu natus eodem.
Hoc etiam pacto volucri loca lumine tingunt
Nubes, & tremulo tempeſtas impete fulgit.
Ventus ubi invaſit nubem, & verſatus ibidem
Fecit, ut ante, cavam, docui, ſpiſſeſcere nubem,
Mobilitate ſua ferviſcit; ut omnia motu
Percalefacta vides ardeſcere: plumbea vero
Glans etiam longo curſu volvenda liqueſcit.
Ergo fervidus hic nubem cum perſcidit atram,
Diſſupat ardoris quaſi per vim expreſſa repente
Semina, quæ faciunt nictantia fulgura flammæ:
Inde ſonus ſequitur, qui tardius adlicit aureis,
Quam quæ perveniunt oculos ad lumina noſtros.
Scilicet hoc denſis fit nubibus, & ſimul alte
Exſtructis aliis alias ſuper impete miro.
Nec tibi ſit fraudi, quod nos inferne videmus
Quam ſint lata magis, quam ſurſum exſtructa quid exſtent;
Contemplator enim cum montibus adſimilata
Nubila portabunt venti tranſverſa per auras:
Aut ubi per magnos monteis cumulata videbis
Inſuper eſſe aliis alia, atque urgere ſuperna
In ſtatione locata ſepultis undique ventis:
Tum poteris magnas moleis cognoſcere eorum,
Speluncaſque velut ſaxis pendentibus ſtructas
Cernere, quas venti cum, tempeſtate coorta,
Complerunt, magno indignantur murmure clauſi
Nubibus, in caveiſque ferarum more minantur:
Nunc hinc, nunc illinc fremitus per nubila mittunt:
Quærenteſque viam circumverſantur, & ignis
Semina convolvunt e nubibus: atque ita cogunt
Multa, rotantque cavis flammam fornacibus intus,
Donec divolſa fulſerunt nube coruſci.
Hac etiam fit uti de cauſſa mobilis ille
Devolet in terram liquidi color aureus ignis,
Semina quod nubeis ipſas permulta neceſſe eſt
Ignis habere: etenim cum ſunt humore ſine ullo,
Flammeus eſt plerumque colos & ſplendidus ollis.
Quippe etenim ſolis de lumine multa neceſſe eſt
Concipere, ut merito rubeant, igneiſque profundant.
Has igitur cum ventus agens contruſit in unum,
Compreſſitque locum cogens; expreſſa profundunt
Semina, quæ faciunt flammæ fulgere colores.
Fulgit item, cum rareſcunt quoque nubila cæli.
Nam cum ventus eas leviter diducit eunteis,
Diſſolvitque, cadant ingratis illa neceſſe eſt
Semina, quæ faciunt fulgorem: tum ſine tætro
Terrore, & ſonitu fulgit, nulloque tumultu.

Quod ſupereſt, quali natura prædita conſtent
Fulmina, declarant ictus, & inuſta vapore
Signa, notæque graveis halantes ſulfuris auras.
Ignis enim ſunt hæc, non venti ſigna, neque imbris;
Præterea, per ſe accendunt quoque tecta domorum,
Et celeri flamma dominantur in ædibus ipſis.
Hunc tibi ſubtilem cum primis ignibus ignem
Conſtituit natura minutis, mobilibuſque
Corporibus, cui nil omnino obſiſtere poſſit.
Tranſit enim valide fulmen per ſepta domorum,
Clamor uti, ac voces: tranſit per ſaxa, per æra:
Et liquidum puncto facit æs in tempore, & aurum.
Curat item, ut vaſis integris vina repente
Diffugiant; quia nimirum facile omnia circum
Conlaxat, rareque facit lateramina vaſis,
Adveniens calor ejus ut inſinuatur in ipſum, &
Mobiliter ſolvens differt primordia vini:
Quod ſolis vapor ætatem non poſſe videtur
Efficere, uſque adeo pollens fervore coruſco:
Tanto mobilior vis, & dominantior hæc eſt.
Nunc ea quo pacto gignantur, & impete tanto
Fiant, ut poſſint ictu diſcludere turreis,
Diſturbare domos, avellere tigna, trabeiſque,
Et monumenta virum demoliri, atque ciere,
Exanimare homines, pecudes proſternere paſſim:
Cetera de genere hoc qua vi facere omnia poſſunt,
Expediam, neque te in promiſſis plura morabor.
Fulmina gignier e craſſis, alteque putandum eſt
Nubibus exſtructis; nam cælo nulla ſereno,
Nec leviter denſis mittuntur nubibus umquam.
Nam dubio procul hoc fieri manifeſta docet res,
Quod tunc per totum concreſcunt aera nubes
Undique, uti tenebras omneis Acherunta reamur
Liquiſſe, & magnas cæli compleſſe cavernas:
Uſque adeo tætra nimborum nocte coorta
Impendent atræ formidinis ora ſuperne,
Cum commoliri tempeſtas fulmina cœptat.
Præterea, perſæpe niger quoque per mare nimbus,
Ut picis e cælo demiſſum flumen, in undas
Sic cadit, & fertur tenebris procul, & trahit atram
Fulminibus gravidam tempeſtatem, atque procellis,
Ignibus, ac ventis cumprimis ipſe repletus:
In terra quoque ut horreſcant, ac tecta requirant.
Sic igitur ſupera noſtrum caput eſſe putandum eſt
Tempeſtatem altam: neque enim caligine tanta
Obruerent terras, niſi inædificata ſuperne
Multa forent multis exemto nubila ſole:
Nec tanto poſſent hæc terras opprimere imbri,
Flumina abundare ut facerent, campoſque natare,
Si non exſtructis foret alte nubibus æther.
His igitur ventis, atque ignibus omnia plena
Sunt; ideo paſſim fremitus, & fulgura fiunt:
Quippe etenim ſupera docui, permulta vaporis
Semina habere cavas nubeis; & multa neceſſe eſt
Concipere ex Solis radiis, ardoreque eorum.
Hic ubi ventus eas idem qui cogit in unum
Forte locum quemvis, expreſſit multa vaporis
Semina, ſeque ſimul cum eo commiſcuit igni;
Inſinuatus ibi vortex verſatur in alto,
Et calidis acuit fulmen fornacibus intus.
Nam duplici ratione accenditur; ipſe ſua nam
Mobilitate caleſcit, & e contagibus ignis.
Inde ubi percaluit vis venti, vel gravis ignis
Impetus inceſſit: maturum tum quaſi fulmen
Perſcindit ſubito nubem, ferturque coruſcis
Omnia luminibus luſtrans loca percitus ardor:

Quem

Quem gravis inſequitur ſonitus, diſploſa repente
Opprimere ut cæli videantur templa ſuperne.
Inde tremor terras graviter pertentat, & altum
Murmura percurrunt cælum: nam tota fere tum
Tempeſtas concuſſa tremit, fremituſque moventur:
Quo de concuſſu ſequitur gravis imber, & uber,
Omnis uti videatur in imbrem vertier æther,
Atque ita præcipitans ad diluviem revocare:
Tantus diſcidio nubis, ventique procella,
Mittitur ardenti ſonitus cum provolat ictu.
Eſt etiam cum vis extrinſecus incita venti
Incidit in validam maturo fulmine nubem:
Quam cum perſcidit, extemplo cadit igneus ille
Vortex, quod patrio vocitamus nomine fulmen.
Hoc fit idem in parteis alias, quocumque tulit vis.
Fit quoque ut interdum venti vis miſſa ſine igni,
Igneſcat tamen in ſpatio, longoque meatu,
Dum venit, amittens in curſu corpora quædam
Grandia, quæ nequeunt pariter penetrare per auras;
Atque alia ex ipſo conradens aere portat
Parvula, quæ faciunt ignem commiſta volando:
Non alia longe ratione, ac plumbea ſæpe
Fervida fit glans in curſu, cum multa rigoris
Corpora dimittens ignem concepit in auris.
Fit quoque, ut ipſius plagæ vis excitet ignem,
Frigida cum venti pepulit vis miſſa ſine igni:
Nimirum quia cum vehementi perculit ictu,
Confluere ex ipſo poſſunt elementa vaporis;
Et ſimul ex illa, quæ tum res excipit ictum,
Ut lapidem ferro cum cædimus, evolat ignis:
Nec quod frigida vis ſit ferri, hoc ſecius illa
Semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum:
Sic igitur quoque res accendi fulmine debet,
Opportuna fuit ſi forte, & idonea flammis.
Nec temere omnino plane vis frigida venti
Eſſe poteſt, ex quo tanta vi immiſſa ſuperne eſt:
Quin prius in curſu ſi non accenditur igni,
At tepefacta tamen veniat commiſta calore.
Mobilitas autem fit fulminis, & gravis ictus,
Et celeri ferme pergunt ſic fulmina lapſu:
Nubibus ipſa quod omnino prius incita ſe vis
Colligit, & magnum conamen ſumit eundi,
Inde, ubi non potuit nubes capere impetis auctum,
Exprimitur vis, atque ideo volat impete miro,
Ut validis quæ de tormentis miſſa feruntur.
Adde quod e parvis, ac lævibus eſt elementis;
Nec facile eſt tali naturæ obſiſtere quidquam:
Inter enim fugit, ac penetrat per rara viarum.
Non igitur multis offenſibus in remorando
Hæſitat: hanc ob rem celeri volat impete labens.
Deinde, quod omnino natura pondera deorſum
Omnia nituntur: cum plaga ſit addita vero,
Mobilitas duplicatur, & impetus ille graveſcit,
Ut vehementius, & citius, quæcumque morantur
Obvia, diſcutiat plagis, itinerque ſequatur.
Denique, quod longo venit impete, ſumere debet
Mobilitatem, etiam atque etiam quæ creſcit eundo,
Et validas auget vireis, & roborat ictum.
Nam facit, ut, quæ ſint illius ſemina cumque,
E regione locum quaſi in unum cuncta ferantur,
Omnia conjiciens in eum volventia curſum.
Forſan & ex ipſo veniens trahat aere quædam
Corpora, quæ plagis intendunt mobilitatem.
Incolumeiſque venit per res, atque integra tranſit
Multa, foraminibus liquidis quia travolat ignis.
Multaque perfringit, cum corpora fulminis ipſa
Corporibus rerum inciderint, qua texta tenentur.
Diſſolvit porro facile æs, aurumque repente
Conſervefacit; e parvis quia facta minute
Corporibus vis eſt, & lævibus ex elementis,
Quæ facile inſinuantur, & inſinuata repente
Diſſolvunt nodos omneis, & vincla relaxant.
Autumnoque magis ſtellis fulgentibus alta
Concutitur cæli domus undique, totaque tellus;
Et cum tempora ſe veris florentia pandunt.
Frigore enim deſunt ignes, ventique calore
Deficiunt, neque ſunt tam denſo corpore nubes.
Inter utrumque igitur cum cæli tempora conſtant,
Tum variæ cauſſæ concurrunt fulminis omnes.
Nam fretus ipſe anni permiſcet frigus, & æſtum:
Quorum utrumque opus eſt fabricanda ad fulmina nobis,
Ut diſcordia ſit rerum, magnoque tumultu
Ignibus, & ventis furibundus fluctuet aer.
Prima caloris enim pars, & poſtrema rigoris,
Tempus id eſt vernum: quare pugnare neceſſe eſt
Diſſimileis inter ſe res, turbareque miſtas.
Et calor extremus primo cum frigore miſtus
Volvitur, autumni quod fertur nomine tempus.
Hic quoque confligunt hiemes æſtatibus acres.
Propterea ſunt hæc bella anni nominitanda:
Nec mirum eſt in eo ſi tempore plurima fiunt
Fulmina, tempeſtaſque cietur turbida cælo,
Ancipiti quoniam bello turbatur utrimque,
Hinc flammis, illinc ventis, humoreque miſto.
Hoc eſt igniferi naturam fulminis ipſam
Perſpicere, & qua vi faciat rem quamque videre:
Non Tyrrhena retro volventem carmina fruſtra
Indicia occultæ divum perquirere mentis,
Unde volans ignis pervenerit, aut in utram ſe
Verterit hic partem, quo pacto per loca ſepta
Inſinuarit, & hinc dominatus ut extulerit ſe,
Quidve nocere queat de cælo fulminis ictus.
Quod ſi Juppiter, atque alii fulgentia divi
Terrifico quatiunt ſonitu cæleſtia templa,
Et jaciunt igneis, quo cuique eſt cumque voluptas,
Cur, quibus incautum ſcelus averſabile cumque eſt,
Non faciunt, icti flammas ut fulguris halent
Pectore perfixo, documen mortalibus acre?
Et potius nullæ ſibi turpis conſcius rei
Volvitur in flammis innoxius, inque peditur,
Turbine cæleſti ſubito correptus, & igni?
Cur etiam loca ſola petunt, fruſtraque laborant?
An con brachia ſueſaciunt, firmantque lacertos?
In terraque patris cur telum perpetiuntur
Obtundi? cur ipſe ſinit, neque parcit in hoſteis?
Denique, cur numquam cælo jacit undique puro
Juppiter in terras fulmen, ſonituſque profundit?
An ſimul ac nubes ſucceſſere, ipſe in eas tum
Deſcendit, prope ut hinc teli determinet ictus?
In mare qua porro mittit ratione? quid undas
Arguit, & liquidam molem, campoſque natanteis?
Præterea, ſi vult caveamus fulminis ictum,
Cur dubitat facere, ut poſſimus cernere miſſum?
Si nec opinanteis autem vult opprimere igni,
Cur tonat ex illa parte, ut vitare queamus?
Cur tenebras ante, & fremitus, & murmura concit?
Et ſimul in multas parteis qui credere poſſis
Mittere? an hoc auſis numquam contendere factum,
Ut fierent ictus uno ſub tempore plures?
At ſæpe eſt numero factum, fierique neceſſe eſt,
Ut pluere in multis regionibus, & cadere imbreis,
Fulmina ſic uno fieri ſub tempore multa.

Poſtremo, cur ſancta deum delubra, ſuaſque
Diſcutit infeſto præclaras fulmine ſedes,
Et benefacta deum frangit ſimulacra? ſuiſque
Demit imaginibus violento volnere honorem?
Altaque cur plerumque petit loca? plurimaque hujus
Montibus in ſummis veſtigia cernimus ignis?
Quod ſupereſt, facile eſt ex his cognoſcere rebus,
Πρηςῆρας Graji quos ab re nominitarunt,
In mare qua miſſi veniant ratione ſuperne.
Nam fit, ut interdum tamquam demiſſa columna
In mare de cælo deſcendat, quam freta circum
Feruiſcunt graviter ſpirantibus incita flabris:
Et quæcumque in eo tum ſunt deprenſa tumultu
Navigia, in ſummum veniunt vexata periclum.
Hoc fit, ubi interdum non quit vis incita venti
Rumpere, quam cœpit, nubem; ſed deprimit, ut ſit
In mare de cælo tamquam demiſſa columna
Paullatim, quaſi quid pugno, brachiique ſuperne
Conjectu trudatur, & extendatur in undas:
Quam cum diſcidit, hinc prorumpitur in mare venti
Vis, & fervorem mirum concinnat in undis:
Verſabundus enim turbo deſcendit, & illam
Deducit pariter lento cum corpore nubem.
Quam ſimul ac gravidam detrudit ad æquora ponti,
Ille in aquam ſubito totum ſe immittit, & omne
Excitat ingenti ſonitu mare fervere cogens.
Fit quoque, ut involvat ventis e nubibus ipſe
Vortex, conradens ex aere ſemina nubis,
Et quaſi demiſſum cælo preſtera imitetur.
Hic ubi ſe in terras demiſit, diſſolvitque,
Turbinis immanem vim provomit, atque procellæ.
Sed quia fit raro omnino, monteiſque neceſſe eſt
Officere in terris; apparet crebrius idem
Proſpectu maris in magno, cæloque patenti.
Nubila concreſcunt, ubi corpora multa volando
Hoc ſuper in cæli ſpatio coiere repente
Aſperiora, modis quæ poſſint indupedita
Exiguis, tamen inter ſe comprenſa teneri.
Hæc faciunt primum parvas conſiſtere nubeis;
Inde ea comprendunt inter ſe, conque gregantur,
Et conjungendo creſcunt, ventiſque feruntur
Uſque adeo, donec tempeſtas ſæva coorta eſt.
Fit quoque uti montis vicina cacumina cælo
Quam ſint quæque magis, tanto magis edita fument
Aſſidue fulvæ nubis caligine craſſa;
Propterea, quia cum conſiſtunt nubila primum,
Ante videre oculi quam poſſint tenuia, venti
Portantes cogunt ad ſumma cacumina montis.
Hic demum fit, uti turba majore coorta
Condenſa, ac ſtipata ſimul cernantur, & udo
Vertice de montis videantur ſurgere in æthram.
„ Nam loca declarat ſurſum ventoſa patere
„ Res ipſa, & ſenſus, monteis cum aſcendimus altos.
Præterea, permulta mari quoque tollere toto
Corpora naturam, declarant litore veſtes
Suſpenſæ, cum concipiunt humoris adhæſum.
Quo magis ad nubeis augendas multa videntur
Poſſe quoque e ſalſo conſurgere momine ponti.
„ Nam ratio cum ſanguine abeſt humoribus omnis.
Præterea, fluviis ex omnibus, & ſimul ipſa
Surgere de terra nebulas, æſtumque videmus:
Quæ velut halitus, hinc ita ſurſum expreſſa feruntur,
Suffunduntque ſua cælum caligine, & altas
Sufficiunt nubeis paullatim conveniundo.
Urget enim quoque ſigniferi ſuper ætheris æſtus,
Et quaſi denſendo ſubtexit cærula nimbis.
Fit quoque, ut hunc veniant in cœtum extrinſecus illa
Corpora, quæ faciunt nubeis, nimboſque volanteis.
Innumerabilem enim numerum, ſummamque profundi
Eſſe infinitam docui: quantaque volarent
Corpora mobilitate, oſtendi, quamque repente
Immemorabile per ſpatium tranſire ſolerent.
Haud igitur mirum eſt, ſi parvo tempore ſæpe
Tam magnos monteis tempeſtas, atque tenebræ
Cooperiant maria, ac terras, impenſa ſuperne.
Undique quandoquidem per caulas ætheris omneis,
Et quaſi per magni circum ſpiracula mundi
Exitus, introituſque elementis redditus exſtat.
Nunc age, quo pacto pluvius concreſcat in altis
Nubibus humor, & in terras demiſſus ut imber
Decidat, expediam. primum jam ſemina aquai
Multa ſimul vincam conſurgere nubibus ipſis
Omnibus ex rebus, pariterque ita creſcere utraſque,
Et nubeis, & aquam, quæcumque in nubibus exſtat,
Ut pariter nobis corpus cum ſanguine creſcit,
Sudor item atque humor quicumque eſt denique membris.
Concipiunt etiam multum quoque ſæpe marinum
Humorem, veluti pendentia vellera lanæ,
Cum ſupera magnum venti mare nubila portant,
Conſimili ratione ex omnibus amnibus humor
Tollitur in nubeis: quo cum bene ſemina aquarum
Multa modis multis convenere undique adaucta;
Confertæ nubes vi venti mittere certant
Dupliciter: nam vis venti contrudit, & ipſa
Copia nimborum, turba majore coacta,
Urget, & e ſupero premit, ac facit effluere imbreis.
Præterea, cum rareſcunt quoque nubila ventis,
Aut diſſolvuntur ſolis ſuper icta calore;
Mittunt humorem pluvium, ſtillantque, quaſi igni
Cera ſuper calido tabeſcens multa liqueſcat.
Sed vehemens imber fit, ubi vehementer utroque,
Nubila vi cumulata premuntur, & impete venti.
At retinere diu pluviæ, longumque morari
Conſuerunt, ubi multa fuerunt ſemina aquarum;
Atque aliis aliæ nubes, nimbique rigantes
Inſuper, atque omni volgo de parte feruntur;
Terraque cum fumans humorem tota rehalat.
Hinc ubi ſol radiis tempeſtatem inter opacam
Adverſa fulſit nimborum aſpergine contra:
Tum color in nigris exiſtit nubibus arqui.
Cetera, quæ ſurſum creſcunt, ſurſumque creantur,
Et quæ concreſcunt in nubibus omnia, prorſum
Omnia, nix, venti, grando, gelidæque pruinæ,
Et vis magna geli, magnum duramen aquarum,
Et mora, quæ fluvios paſſim refrænat eunteis:
Perfacile eſt tamen hæc reperire, animoque videre,
Omnia quo pacto fiant, quareve creentur,
Cum bene cognoris, elementis reddita quæ ſint.
Nunc age, quæ ratio terrai motibus exſtet,
Percipe: & in primis terram fac ut eſſe rearis
Subter item, ut ſupera eſt; ventis, atque undique plenam
Speluncis, multoſque lacus multaſque lacunas
In gremio gerere, & rupeis, deruptaque ſaxa:
Multaque ſub tergo terrai flumina tecta
Volvere vi fluctus, ſubmerſaque ſaxa putandum eſt:
Undique enim ſimilem eſſe ſui, res poſtulat ipſa.
His igitur rebus ſubjunctis, ſuppoſitiſque;
Terra ſuperne tremit magnis concuſſa ruinis
Subter, ubi ingenteis ſpeluncas ſubruit ætas:
Quippe cadunt toti montes, magnoque repente
Concuſſu, late diſſerpunt inde tremores:
Et merito, quoniam plauſtris concuſſa tremiſcunt
Tecta

Tecta viam propter non magno pondere tota.
Nec minus exſultant, ubi currus fortis equum vis
Ferratos utrimque rotarum ſuccutit orbeis.
Fit quoque, ubi magnas in aquæ vaſtaſque lacunas
Glæba vetuſtate e terra provolvitur ingens,
Ut jactetur aqua, & fluctu quoque terra vacillet:
Ut vas in terra non quit conſtare, niſi humor
Deſtitit in dubio fluctu jactarier intus.
Præterea, ventus cum per loca ſubcava terræ
Conlectus parti ex una procumbit, & urget
Obnixus magnis ſpeluncas viribus altas;
Incumbit tellus, quo venti prona premit vis:
Tum, ſupera terram quæ ſunt exſtructa domorum,
Ad cælumque magis quanto ſunt edita quæque,
Inclinata minent in eamdem prodita partem,
Protractæque trabes impendent ire paratæ:
Et metuunt magni naturam credere mundi
Exitiale aliquod tempus, clademque manere,
Cum videant tantam terrarum incumbere molem.
Quod niſi reſpirent venti, non ulla refrenet
Res, neque ab exitio poſſit reprendere eunteis:
Nunc quia reſpirant alternis, inque graveſcunt,
Et quaſi conlecti redeunt, ceduntque repulſi;
Sæpius hanc ob rem minitatur terra ruinas,
Quam facit: inclinatur enim, retroque recellit,
Et recipit prolapſa ſuas ſe in pondere ſedeis:
Hac igitur ratione vacillant omnia tecta,
Summa magis mediis, media imis, ima perhilum.
Eſt hæc ejuſdem quoque magni cauſſa tremoris,
Ventus ubi, atque animæ ſubito vis maxima quædam,
Aut extrinſecus, aut ipſa tellure coorta
In loca ſe cava terrai conjecit, ibique
Speluncas inter magnas fremit ante tumultu:
Verſabundaque portatur, poſt incita cum vis
Exagitata foras erumpitur, & ſimul artam
Diffindens terram magnum concinnat hiatum:
In Tyria Sidone quod accidit, & fuit Ægis
In Peloponneſo: quas exitus hic animai
Diſturbat urbeis, & terræmotus obortus.
Multaque præterea ceciderunt mœnia magnis
Motibus in terris, & multæ per mare peſſum
Subſedere ſuis pariter cum civibus urbes.
Quod niſi prorumpit, tamen impetus ipſe animai,
Et fera vis venti per crebra foramina terræ
Diſpertitur, ut horror, & incutit inde tremorem:
Frigus uti noſtros penitus cum venit in artus,
Concutit invitos cogens tremere atque moveri.
Ancipiti trepidant igitur terrore per urbeis:
Tecta ſuperne timent, metuunt inferne, cavernas
Terrai ne diſſolvat natura repente:
Neu diſtracta ſuum late diſpandat hiatum;
Idque ſuis confuſa velit complere ruinis.
Proinde licet, quamvis cælum terramque reantur
Incorrupta fore æternæ mandata ſaluti;
Attamen interdum præſens vis ipſa pericli
Subditat hunc ſtimulum quadam de parte timoris,
Ne pedibus raptim tellus ſubtracta feratur
In barathrum, rerumque ſequatur prodita ſumma
Funditus, & fiat mundi confuſa ruina.
Nunc ratio reddunda, augmen cur neſciat æquor.
Principio, mare mirantur non reddere majus
Naturam, quo tantus fuat decurſus aquarum,
Omnia quo veniant ex omni flumina parte.
Adde vagos imbreis, tempeſtateſque volanteis;
Omnia quæ maria, ac terras ſparguntque, rigantque.
Adde ſuos fonteis: tamen ad maris omnia ſummam
Guttai vix inſtar erunt unius ad augmen:
Quo minus eſt mirum, mare non augeſcere magnum.
Præterea, magnam ſol partem detrahit æſtu.
Quippe videmus enim veſteis humore madenteis
Exſiccare ſuis radiis ardentibus ſolem.
At pelage multa, & late ſubſtrata videmus.
Proinde licet quamvis ex unoquoque loco ſol
Humoris parvam delibet ab æquore partem;
Largiter in tanto ſpatio tamen auferet undis.
Tum porro venti magnam quoque tollere partem
Humoris poſſunt verrentes æquora ponti:
Una nocte vias quoniam perſæpe videmus
Siccari, molliſque luti concreſcere cruſtas.
Præterea, docui multum quoque tollere nubeis
Humorem magno conceptum ex æquore ponti,
Et paſſim toto terrarum ſpargere in orbe,
Cum pluit in terris, & venti nubila portant.
Poſtremo, quoniam raro cum corpore tellus
Eſt, & conjunctas oras maris undique cingit;
Debet, ut in mare de terris venit humor aquai,
In terras itidem manare ex æquore ſalſo:
Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies humoris, & ad caput amnibus omnis
Confluit: inde ſuper terras redit agmine dulci,
Qua via ſecta ſemel liquido pede detulit undas.
Nunc ratio quæ ſit, per fauces montis ut Ætnæ
Exſpirent ignes interdum turbine tanto,
Expediam: neque enim media de clade coorta
Flammæ tempeſtas Siculum dominata per agros
Finitimis ad ſe convertit gentibus ora:
Fumida cum cæli ſcintillare omnia templa
Cernentes pavida complebant pectora cura,
Quid moliretur rerum natura novarum.
Hiſce tibi rebus late eſt, alteque videndum,
Et longe cunctas in parteis diſpiciendum,
Ut reminiſcaris, ſummam rerum eſſe profundam,
Et videas, cælum ſummai totius unum
Quam ſit parvula pars, & quam multeſima conſtet:
Et quota pars homo terrai ſit totius unus.
Quod bene propoſitum ſi plane contueare,
Ac videas plane; mirari multa relinquas.
Num quis enim noſtrum miratur, ſiquis in artus
Accepit calido febrim fervore coortam,
Aut alium quemvis morbi per membra dolorem?
Obturgeſcit enim ſubito pes, arripit acer
Sæpe dolor denteis, oculos invadit in ipſos:
Exiſtit ſacer ignis, & urit corpore ſerpens
Quamcumque arripuit partem, repitque per artus;
Nimirum, quia ſunt multarum ſemina rerum:
Et ſatis hæc tellus nobis cælumque mali fert,
Unde queat vis immenſi procreſcere morbi.
Sic igitur toti cælo, terræque putandum eſt
Ex infinito ſatis omnia ſuppeditare,
Unde repente queat tellus concuſſa moveri,
Perque mare, & terras rapidus percurrere turbo,
Ignis abundare Ætnæus, flammeſcere cælum.
Id quoque enim fit, & ardeſcunt cæleſtia templa,
Ut tempeſtates pluviæ graviore coortu
Sunt, ubi forte ita ſe tetulerunt ſemina aquarum.
At nimis eſt ingens incendii turbidus ardor.
Scilicet, & fluvius, qui non eſt, maximus eii eſt,
Qui non ante aliquem majorem vidit: & ingens
Arbor, homoque videtur: & omnia de genere omni,
Maxima quæ vidit quiſque, hæc ingentia fingit:
Cum tamen omnia cum cælo, terraque, marique
Nil ſint ad ſummam ſummai totius omnem.

Nunc tamen, illa modis quibus irritata repente
Flamma foras vaſtis Ætnæ fornacibus efflet,
Expediam. Primum totius ſubcava montis
Eſt natura, fere ſilicum ſuffulta cavernis:
Omnibus eſt porro in ſpeluncis ventus & aer.
Ventus enim fit, ubi eſt agitando percitus aer.
Hic ubi percaluit, calefecitque omnia circum
Saxa furens, qua contingit, terramque, & ab ollis
Excuſſit calidum flammis velocibus ignem:
Tollit ſe, ac rectis ita faucibus ejicit alte,
Funditque ardorem longe, longeque favillam
Differt, & craſſa volvit caligine fumum:
Extruditque ſimul mirando pondere ſaxa:
Ne dubites, quin hæc animai turbida ſit vis.

Præterea, magna ex parti mare montis ad ejus
Radices frangit fluctus, æſtumque reſorbet.
Ex hoc uſque mari ſpeluncæ montis ad altas
Perveniunt ſubter fauceis: hac ire fatendum eſt,
„ Et penetrare mari penitus res cogit aperto,
Atque efflare foras, ideoque extollere flammas,
Saxaque ſubjectare, & arenæ tollere nimbos.
In ſummo ſunt ventigeni crateres; ut ipſi
Nominitant, nos quas fauceis perhibemus, & ora.

Sunt aliquot quoque res, quarum unam dicere cauſſam
Non ſatis eſt, verum plureis, unde una tamen ſit.
Corpus ut exanimum ſi quod procul ipſe jacere
Conſpicias hominis; fit ut omneis dicere cauſſas
Conveniat leti, dicatur ut illius una.
Nam neque eum ferro, neque frigore vincere poſſis
Interiiſſe, neque a morbo, neque forte veneno:
Verum aliquid genere eſſe ex hoc quod concio dicat,
Scimus: item in multis hoc rebus dicere habemus.

Nilus in æſtati creſcit, campiſque redundat
Unicus in terris Ægypti totius amnis.
Is rigat Ægyptum medium per ſæpe calorem,
Aut quia ſunt æſtate Aquilones oſtia contra,
Anni tempore eo, quo Eteſia flabra feruntur;
Et contra fluvium flantes remorantur, & undas
Cogentes ſurſus replent, coguntque manere.
Nam dubio procul hæc adverſo flabra feruntur
Flumine, quæ gelidis a ſtellis axis aguntur.
Ille ex æſtifera parti venit amnis ab Auſtro
Inter nigra virum, percoctaque ſæcla calore,
Exoriens penitus media ab regione diei.

Eſt quoque, uti poſſit magnus congeſtus arenæ
Fluctibus adverſis oppilare oſtia contra,
Cum mare permotum ventis ruit intus arenam;
Quo fit uti pacto liber minus exitus amni,
Et proclivus item fiat minus impetus undis.

Fit quoque, uti pluviæ forſan magis ad caput ejus
Tempore eo fiant, quo Eteſia flabra Aquilonum
Nubila conjiciunt in eas tunc omnia parteis.
Scilicet ad mediam regionem ejecta diei
Cum convenerunt, ibi ad altos denique monteis
Contruſæ nubes coguntur, vique premuntur.

Forſit & Æthiopum penitus de montibus altis
Creſcat, ubi in campos albas deſcendere ningueis
Tabificis ſubigit radiis ſol omnia luſtrans.

Nunc age, Averna tibi quæ ſint loca cumque lacuſque,
Expediam, quali natura prædita conſtent.
Principio, quod Averna vocantur, nomen id ab re
Impoſitum eſt, quia ſunt avibus contraria cunctis,
E regione ea quod loca cum advenere volantes,
Remigii oblitæ pennarum vela remittunt,
Præcipiteſque cadunt molli cervice profuſæ
In terram, ſi forte ita fert natura locorum;
Aut in aquam, ſi forte lacus ſubſtratus Averno eſt.
Qualis apud Cumas locus eſt, montemque Veſevum,
Oppleti calidis ubi fumant fontibus auctus.

Eſt & Athenæis in mœnibus, arcis in ipſo
Vertice, Palladis ad templum Tritonidos almæ,
Quo numquam pennis appellunt corpora raucæ
Cornices, non cum fumant altaria donis:
Uſque adeo fugitant non iras Palladis acreis
Pervigili cauſſa, Grajum ut cecinere poetæ:
Sed natura loci hoc opus efficit ipſa ſua vi.

In Syria quoque fertur item locus eſſe, videri,
Quadrupedes quoque quo ſimul ac veſtigia primum
Intulerint, graviter vis cogat concidere ipſa,
Manibus ut ſi ſint divis mactata repente.
Omnia quæ naturali ratione geruntur,
Et quibus e cauſſis fiant, apparet origo:
Janua ne his Orci potius regionibus eſſe
Credatur poſta, hinc animas Acheruntis in oras
Ducere forte deos Maneis inferne reamur:
Naribus alipedes ut cervi ſæpe putantur
Ducere de latebris ſerpentia ſæcla ferarum.
Quod procul a vera quam ſit ratione repulſum,
Percipe: namque ipſa de re nunc dicere conor.

Principio hoc dico, quod dixi ſæpe quoque ante,
In terra cujuſque modi rerum eſſe figuras:
Multa, homini quæ ſunt vitalia: multaque, morbos
Incutere, & mortem quæ poſſint accelerare:
Et magis eſſe aliis alias animantibus aptas
Res ad vitai rationem, oſtendimus ante,
Propter diſſimilem naturam, diſſimileiſque
Texturas inter ſeſe, primaſque figuras:
Multa meant inimica per aureis, multa per ipſas
Inſinuant nareis infeſta atque aſpera odore:
Nec ſunt multa parum tactu vitanda, nec autem
Aſpectu fugienda, ſaporeque triſtia quæ ſint.
Deinde videre licet quam multæ ſint homini res
Acriter infeſto ſenſu, ſpurcæque , graveſque.
Arboribus primum certis gravis umbra tributa eſt,
Uſque adeo, capitis faciant ut ſæpe dolores,
Si quis eas ſubter jacuit proſtratus in herbis.

Eſt etiam in magnis Heliconis montibus arbos
Floris odore hominem tætro conſueta necare.
Scilicet hæc ideo terris ex omnia ſurgunt
Multa modis multis multarum ſemina rerum,
Quod permiſta gerit tellus, diſcretaque tradit.

Nocturnumque recens exſtinctum lumen, ubi acri
Nidore offendit nareis conſopit ibidem,
Dejicere ut pronos qui morbus ſæpe ſuevit.

Caſtoreoque gravi mulier ſopita recumbit,
Et manibus nitidum teneris opus effluit eii,
Tempore eo ſi odorata eſt, quo menſtrua ſolvit.

Multaque præterea languentia membra per artus
Solvunt, atque animam labefactant ſedibus intus.

Denique, ſi in calidis etiam cunctere lavacris,
Plenior & ſolio in fueris ferventis aquai;
Quam facile in medio fit uti des ſæpe ruinas?

Carbonumque gravis vis, atque odor inſinuatur
Quam facile in cerebrum, niſi aquam præcepimus ante?

At cum membra hominis percepit fervida febris,
Tum fit odor vini plagæ mactabilis inſtar.
Nonne vides etiam terra quoque ſulfur in ipſa
Gignier? & tætro concreſcere odore bitumen?

Denique ubi argenti venas, aurique ſequuntur,
Terrai penitus ſcrutantes abdita ferro;
Qualeis exſpirat ſcapteſula ſubter odores?
Quidve mali fit ut exhalent aurata metalla?

Quas

Quas hominum reddunt facies? qualeiſque colores?
Nonne vides, audiſve perire in tempore parvo
Quam ſoleant? & quam vitai copia deſit,
Quos opere in tali cohibet vis magna? neceſſe eſt
Hos igitur tellus omneis exæſtuet æſtus,
Expiretque foras in aperta, promtaque cæli.
Sic & Averna loca alitibus ſummittere debent
Mortiferam vim, de terra quæ ſurgit in auras,
Ut ſpatium cæli quadam de parte venenet;
Quo ſimul ac primum pennis delata ſit ales,
Impediatur ibi cæco correpta veneno,
Ut cadat e regione loci, qua dirigit æſtus:
Quo cum conruit, hæc eadem vis illius æſtus,
Relliquias vitæ membris ex omnibus aufert.
Quippe etenim primo quaſi quemdam conciet æſtum:
Poſterius fit, uti cum jam cecidere veneni
In fonteis ipſos, ibi ſit quoque vita vomenda,
Propterea quod magna mali ſit copia circum.
Fit quoque ut interdum vis hæc, atque æſtus Averni,
Aera, qui inter aveis cumque eſt terramque locatus,
Diſcutiat, prope uti locus hinc linquatur inanis:
Cujus ubi e regione loci venere volantes,
Claudicat extemplo pennarum niſus inanis;
Et conamen utrimque alarum proditur omne.
Hic ubi nictari nequeunt, inſiſtereque alis,
Scilicet in terram delabi pondere cogit
Natura; & vacuum prope jam per inane jacentes
Diſpergunt animas per caulas corporis omneis.
Frigidior porro in puteis æſtate fit humor,
Rareſcit quia terra calore, & ſemina ſiqua
Forte vaporis habet, propere dimittit in auras.
Quo magis eſt igitur tellus affecta calore,
Hoc fit frigidior, qui in terra eſt abditus, humor.
Frigore cum premitur porro omnis terra, coitque,
Et quaſi concreſcit; fit ſcilicet, ut coeundo
Exprimat in puteos, ſiquem gerit ipſa, calorem.
Eſt apud Hammonis fanum fons luce diurna
Frigidus, at calidus nocturno tempore fertur:
Hunc homines fontem nimis admirantur, & acri
Sole putant ſubter terras ferviſcere raptim,
Nox ubi terribili terras caligine texit:
Quod nimis a vera eſt longe ratione remotum:
Quippe ubi ſol nudum contrectans corpus aquai,
Non quierit calidum ſupera de reddere parte,
Cum ſuperum lumen tanto fervore fruatur:
Qui queat hic ſubter tam craſſo corpore terram,
Percoquere humorem, & calido ſociare vapori?
Præſertim cum vix poſſit per ſepta domorum
Inſinuare ſuum radiis ardentibus æſtum?
Quæ ratio eſt igitur? nimirum terra magis quod
Rara tenet circum hunc fontem, quam cetera tellus.
Multaque ſunt ignis prope ſemina corpus aquai.
Hinc ubi roriferis terram nox obruit umbris,
Extemplo ſubtus frigeſcit terra, coitque.
Hac ratione fit, ut, tamquam compreſſa manu ſit,
Exprimat in fontem, quæ ſemina cumque habet ignis,
Quæ calidum faciunt laticis tactum atque ſaporem.
Inde ubi ſol radiis terram dimovit obortis,
Et rarefecit calido miſcente vapore;
Rurſus in antiquas redeunt primordia ſedeis
Ignis, & in terram cedit calor omnis aquai:
Frigidus hanc ob rem fit fons in luce diurna.
Præterea, ſolis radiis jactatur aquai
Humor, & in luci tremulo rareſcit ab æſtu:
Propterea fit, uti quæ ſemina cumque habet ignis,
Dimittat: quaſi ſæpe gelum, quod continet in ſe,

Mittit, & exſolvit glaciem, nodoſque relaxat.
Frigidus eſt etiam fons, ſupra quem ſita ſæpe
Stupa jacit flammas concepto protinus igni:
Tædaque conſimili ratione accenſa per undas
Conlucet, quocumque natans impellitur auris:
Nimirum quia ſunt in aqua permulta vaporis
Semina, de terraque neceſſe eſt funditus ipſa
Ignis corpora per totum conſurgere fontem,
Et ſ[illegible] exſpirare foras, exireque in auras,
No[illegible]m viva tamen, calidus queat ut fieri fons.
Præterea, diſperſa foras erumpere cogit
Vis per aquam ſubito, ſurſumque ea conciliari:
Quod genus endo mari ſpirat fons, dulcis aquai
Qui ſcatit, & ſalſas circum ſe dimovet undas.
Et multis aliis præbet regionibus æquor
Utilitatem opportunam ſitientibus nautis,
Quod dulceis inter ſalſas intervomit undas.
Sic igitur per eum poſſunt erumpere fontem,
Et ſcatere illa foras in ſtupam ſemina: quo cum
Conveniunt, aut cum tædai corpori adhærent,
Ardeſcunt facile extemplo: quia multa quoque in ſe
Semina habent ignis ſtupæ tædæque tenentes.
Nonne vides etiam, nocturna ad lumina lychnum
Nuper ubi exſtinctum admoveas, accendier ante,
Quam tetigit flammam? tædamque pari ratione?
Multaque præterea, prius ipſo tacta vapore
Eminus ardeſcunt, quam cominus imbuat ignis.
Hoc igitur fieri quoque in illo fonte putandum eſt.
Quod ſupereſt, agere incipiam, quo fœdere fiat
Naturæ, lapis hic ut ferrum ducere poſſit,
Quem magneta vocant patrio de nomine Graii,
Magnetum quia ſit patriis in finibus ortus.
Hunc homines lapidem mirantur, quippe catenam
Sæpe ex annellis reddit pendentibus ex ſe.
Quinque etenim licet interdum, plureiſque videre
Ordine demiſſo, levibus jactarier auris,
Unus ubi ex uno dependet ſubter adhærens;
Ex alioque alius lapidis vim, vinclaque noſcit:
Uſque adeo permananter vis pervalet ejus.
Hoc genus in rebus firmandum eſt multa prius, quam
Ipſius reii rationem reddere poſſis:
Et nimium longis ambagibus eſt adeundum:
Quo magis attentas aureis, animumque repoſco.
Principio, omnibus a rebus, quaſcumque videmus,
Perpetuo fluere, ac mitti, ſpargique neceſſe eſt
Corpora, quæ feriant oculos, viſumque laceſſant:
Perpetuoque fluunt certis ab rebus odores,
Frigus ut a fluviis, calor a ſole, æſtus ab undis
Æquoris exeſor mœrorum littora propter:
Nec varii ceſſant ſonitus manare per aureis.
Denique in os ſalſi venit humor ſæpe ſaporis,
Cum mare verſamur propter; dilutaque contra
Cum tuimur miſceri abſinthia, tangit amaror:
Uſque adeo omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, & in cunctas dimittitur undique parteis,
Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi,
Perpetuo quoniam ſentimus, & omnia ſemper
Cernere, odorari licet, & ſentire ſonorem.
Nunc omnes repetam quam raro corpore ſint res,
Commemorare, quod in primo quoque carmine claret.
Quippe etenim, quamquam multas hoc pertinet ad res
Noſcere, cum primis hanc ad rem protinus ipſam,
Qua de diſſerere aggredior, firmare neceſſe eſt,
Nil eſſe in promtu, niſi miſtum corpus inani.
Principio fit, ut in ſpeluncis ſaxa ſuperna
Sudent humore, & guttis manantibus ſtillent:

Manat

Manat item nobis e toto corpore ſudor,
Creſcit barba, pilique per omnia membra, per artus:
Diditus in venas cibus omneis, auget, alitque
Corporis extremas quoque parteis, unguiculoſque.
Frigus item tranſire per æs, calidumque vaporem
Sentimus: ſentimus item tranſire per aurum,
Atque per argentum, cum pocula plena tenemus.
Denique per diſſepta domorum ſaxea voces
Pervolitant, permanat odos, friguſque, vapoſque
Ignis: quin ferri quoque vim penetrare ſuevit,
Undique qua circum corpus lorica coercet,
Morbida vis quæcumque extrinſecus inſinuatur.
Et tempeſtates terra cæloque coortæ
E cælo emotæ terraque repente faceſſunt,
Quandoquidem nihil eſt non raro corpore nexum.
Huc accedit, uti non omnia, quæ jaciuntur
Corpora cumque ab rebus, eodem prædita ſenſu,
Atque eodem pacto rebus ſint omnibus apta.
Principio, terram ſol excoquit, & facit are:
At glaciem diſſolvit, & altis montibus alte
Exſtructas ningueis radiis tabeſcere cogit:
Denique cera liqueſcit in ejus poſta vapore;
Ignis item liquidum facit æs, aurumque reſolvit:
At coria, & carnem trahit, & conducit in unum.
Humor aquæ porro ferrum condurat ab igni;
At coria, & carnem mollit durata calore:
Barbigeras oleaſter eo juvat uſque capellas,
Diffluat ambroſia quaſi vero, & nectare tinctus:
At nihil eſt, homini fronde hac quod amarius exſtet.
Denique amaracinum fugitat ſus, & timet omne
Unguentum; nam, ſetigeris ſubus acre venenum eſt,
Quod nos interdum tamquam recreare videtur:
At contra nobis cœnum tæterrima cum ſit
Spurcities, eadem ſubus hæc res munda videtur,
Inſatiabiliter toti ut volvantur ibidem.
Hoc etiam ſupereſt, ipſa quam dicere de re
Aggredior, quod dicendum prius eſſe videtur.
Multa foramina cum variis ſint reddita rebus,
Diſſimili inter ſe natura prædita debent
Eſſe, & habere ſuam naturam quæque, viaſque;
Quippe etenim varii ſenſus animantibus inſunt,
Quorum quiſque ſuam proprie rem percipit in ſe.
Nam penetrare alia ſonitus, aliaque ſaporem
Cernimus e ſuccis, alia nidoris odores,
Propter diſſimilem naturam, textaque rerum:
Præterea manare aliud per ſaxa videtur;
Atque aliud per ligna, aliud tranſire per aurum;
Argentoque foras aliud, vitroque meare.
Nam fluere hac ſpecies, illac calor ire videtur,
Atque aliis aliud citius tranſmittere eadem.
Scilicet id fieri cogit natura viarum,
Multimodis varians, ut paullo oſtendimus ante.
Quapropter bene ubi hæc confirmata atque locata
Omnia conſtiterint nobis præpoſta, parata:
Quod ſupereſt, facile hinc ratio reddetur, & omnis
Cauſſa patefiet, quæ ferri pelliciat vim.
Principio, fluere e lapide hoc permulta neceſſe eſt
Semina, ſive æſtum, qui diſcutit aera plagis,
Inter qui lapidem, ferrumque eſt cumque locatus.
Hoc ubi inanitur ſpatium, multuſque vaceſit
In medio locus: extemplo primordia ferri
In vacuum prolapſa cadunt conjuncta, fit utque
Annulus ipſe ſequatur, eatque ita corpore toto.
Nec res ulla magis primoribus ex elementis
Indupedita ſuis arcte connexa cohæret,
Quam validi ferri naturæ frigidus horror.
Quo minus eſt mirum, quod paullo diximus ante,
Corpora ſi nequeunt de ferro plura coorta
In vacuum ferri, quin annulus ipſe ſequatur:
Quod facit, & ſequitur donec pervenit ad ipſum
Jam lapidem, cæciſque in eo compagibus hæſit.
Hoc fit item cunctas in parteis, unde vaceſit
Cumque locus, ſive ex tranſverſo, ſive ſuperne:
Corpora continuo in vacuum vicina feruntur.
Quippe agitantur enim plagis aliunde, nec ipſa
Sponte ſua ſurſum poſſunt conſurgere in auras.
Huc accedit item quare queat id magis eſſe:
" Hæc quoque res adjumento, motuque juvatur:
Quod ſimul a fronte eſt annelli rarior aer
Factus, inanituſque locus magis ac vacuatus;
Continuo fit, uti qui poſt eſt cumque locatus
Aer, a tergo quaſi provehat, atque propellat.
Semper enim circum poſitus res verberat aer.
Sed tali fit uti propellat tempore ferrum,
Parte quod ex una ſpatium vacat, & capit in ſe.
Hic, ubi, quem memoro, per crebra foramina ferri eſt
Parvas ad parteis ſubtiliter inſinuatus;
Trudit & impellit, quaſi navim velaque ventus.
Denique res omnes debent in corpore habere
Aera, quandoquidem raro ſunt corpore, & aer
Omnibus eſt rebus circumdatus appoſituſque.
Hic igitur, penitus qui in ferro eſt abditus aer,
Sollicito motu ſemper jactatur, eoque
Verberat annellum dubio procul, & ciet intus
Scilicet, atque eodem fertur, quo præcipitavit
Jam ſemel, & quamquam in partem conamina ſumſit.
Fit quoque ut a lapide hoc ferri natura recedat
Interdum, fugere, atque ſequi conſueta viciſſim.
Exſultare etiam Samothracia ferrea vidi,
Et ramenta ſimul ferri furere intus ahenis
In ſcaphiis, lapis hic magnes cum ſubditus eſſet:
Uſque adeo fugere a ſaxo geſtire videtur.
Ære interpoſito diſcordia tanta creatur,
Propterea, quia nimirum prius æſtus ubi æris
Præcepit, ferrique vias poſſedit apertas;
Poſterior lapidis venit æſtus, & omnia plena
Invenit in ferro: neque habet qua tranet, ut ante.
Cogitur offenſare igitur pulſareque fluctu
Ferrea texta ſuo; quo pacto reſpuit ab ſe,
Atque per æs agitat, ſine eo quæ ſæpe reſorbet.
Illud in his rebus mirari mitte, quod æſtus
Non valet e lapide hoc alias impellere item res:
Pondere enim fretæ partim ſtant, quod genus aurum:
Ac partim raro quia ſunt cum corpore, ut æſtus
Pervolet intactus, nequeunt impellier uſquam;
Lignea materies in quo genere eſſe videtur.
Inter utraſque igitur ferri natura locata,
Æris ubi accepit quædam corpuſcula; tum fit,
Impellant ut eam Magneſii ſemina ſaxi.
Nec tamen hæc ita ſunt aliarum rerum aliena,
Ut mihi multa parum genere ex hoc ſuppeditentur,
Quæ memorare queam inter ſe ſinglariter apta.
Saxa vides primum ſola cooleſcere calce:
Glutine materies taurino ita jungitur una,
Ut vitio venæ tabularum ſæpius hiſcant,
Quam laxare queant compages taurea vincla.
Vitigeni latices in aquai fontibus audent
Miſceri, cum pix nequeat gravis, & leve olivum:
Purpureuſque colos conchylii jungitur una
Corpore cum lanæ, dirimi qui non queat uſquam:
Non ſi Neptuni fluctu renovare operam des:
Non mare ſi totum velit eluere omnibus undis.
Deni-

Denique res auro argentum concopulat una,
Ærique ex plumbo fit uti jungatur ab albo.
Cetera jam quam multa licet reperire? quid ergo?
Nec tibi tam longis opus eſt ambagibus uſquam,
Nec me tam multam hic operam conſumere par eſt:
Sed breviter paucis reſtat comprendere multa.
Quorum ita texturæ ceciderunt mutua contra,
Ut cava conveniant plenis hæc illius, illa
Hujuſque; inter ſe junctura horum optima conſtat.
Eſt etiam, quaſi ut annellis, hamiſque plicata
Inter ſe quædam poſſint coplata teneri:
Quod magis in lapide hoc fieri ferroque videtur.
Nunc, ratio quæ ſit morbis, aut unde repente
Mortiferam poſſit cladem conflare coorta
Morbida vis hominum generi, pecudumque catervis,
Expediam. Primum multarum ſemina rerum
Eſſe ſupra docui, quæ ſint vitalia nobis:
Et contra, quæ ſint morbo, mortique, neceſſe eſt
Multa volare; ea cum caſu ſunt forte coorta,
Et perturbarunt cælum, fit morbidus aer.
Atque ea vis omnis morborum, peſtilitaſque,
Aut extrinſecus, ut nubes nebulæque ſuperne
Per cælum veniunt, aut ipſa ſæpe coorta
De terra ſurgunt, ubi putrorem humida nacta eſt,
Intempeſtivis pluviſque, & ſolibus icta.
Nonne vides etiam cæli novitate, & aquarum
Tentari, procul a patria quicumque domoque
Adveniunt? ideo quia longe diſcrepat aer.
Nam quid Britannum cælum differre putamus,
Et quod in Ægypto eſt, qua mundi claudicat axis?
Quidve quod in Ponto eſt differre a Gadibus, atque
Uſque ad nigra virum, percoctaque ſæcla calore?
Quæ cum quatuor inter ſe diverſa videmus
Quatuor a ventis & cæli partibus eſſe,
Tum color & facies hominum diſtare videntur
Largiter, & morbi generatim ſæcla tenere.
Eſt elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in media, neque præterea uſquam.
Atthide tentantur greſſus, oculique in Achæis
Finibus: inde aliis alius locus eſt inimicus
Partibus ac membris: varius concinnat id aer.
Proinde ubi ſe cælum, quod nobis forte alienum eſt,
Commovet, atque aer inimicus ſerpere cæpit;
Ut nebula ac nubes paullatim repit, & omne
Qua graditur, conturbat, & immutare coactat.
Fit quoque, ut in noſtrum cum venit denique cælum,
Corrumpat, reddatque ſui ſimile atque alienum.
Hæc igitur ſubito clades nova, peſtilitaſque,
Aut in aquas cadit, aut fruges perſidit in ipſas,
Aut alios hominum paſtus, pecudumque cibatus:
Aut etiam ſuſpenſa manet vis aere in ipſo:
Et cum ſpiranteis miſtas hinc ducimus auras,
Illa quoque in corpus pariter ſorbere neceſſe eſt.
Conſimili ratione venit bubus quoque ſæpe
Peſtilitas, etiam pecubus balantibus ægror.
Nec refert utrum nos in loca deveniamus
Nobis adverſa, & cæli mutemus amictum:
An cælum nobis ultro natura cruentum
Deferat, aut aliquid, quo non conſuevimus uti,
Quod nos adventu poſſit tentare recenti.
Hæc ratio quondam morborum, & mortifer æſtus
Finibus Cecropiis funeſtos reddidit agros,
Vaſtavitque vias, exhauſit civibus urbem.
Nam penitus veniens Ægypti e finibus ortus,
Aera permenſus multum, campoſque natanteis,
Incubuit tandem populo Pandionis: omnes
Inde catervatim morbo mortique dabantur.
Principio, caput incenſum fervore gerebant,
Et dupliceis oculos ſuffuſa luce rubenteis.
Sudabant etiam fauces intrinſecus atro
Sanguine, & ulceribus vocis via ſepta coibat;
Atque animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu gravis, aſpera tactu:
Inde, ubi per fauceis pectus complerat, & ipſum
Morbida vis in cor mæſtum confluxerat ægris;
Omnia tum vero vitai clauſtra lababant.
Spiritus ore foras tætrum volvebat odorem,
Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.
Atque animi prorſum vires totius, & omne
Languebat corpus, leti jam limine in ipſo.
Intolerabilibuſque malis erat anxius angor
Aſſidue comes, & gemitu commiſta querela,
Singultuſque frequens noctem perſæpe, diemque,
Conripere aſſidue nervos & membra coactans,
Diſſolvebat eos, defeſſos ante, fatigans.
Nec nimio cuiquam poſſes ardore tueri
Corporis in ſummo ſummam ferviſcere partem:
Sed potius tepidum manibus proponere tactum,
Et ſimul ulceribus quaſi inuſtis omne rubere
Corpus, ut eſt per membra ſacer cum diditur ignis.
Intima pars homini vero flagrabat ad oſſa:
" Flagrabat ſtomacho flamma, ut fornacibus intus.
Nil adeo poſſet cuiquam leve, tenueque membris
Vertere in utilitatem: ad ventum & frigora ſemper
In fluvios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum jacientes corpus in undas.
Multi præcipites lymphis putealibus alte
Inciderunt, ipſo venientes ore patente.
Inſedabiliter ſitis arida corpora merſans
Æquabat multum parvis humoribus imbrem.
Nec requies erat ulla mali; defeſſa jacebant
Corpora; muſſabat tacito medicina timore;
Quippe patentia cum totas ardentia nocteis
Lumina verſarent oculorum expertia ſomno:
Multaque præterea mortis tum ſigna dabantur;
Perturbata animi mens in mærore, metuque;
Triſte ſupercilium, furioſus vultus, & acer;
Sollicitæ porro plenæque ſonoribus aures;
Creber ſpiritus, aut ingens, raroque coortus;
Sudoriſque madens per collum ſplendidus humos;
Tenuia ſputa, minuta, croci contincta colore,
Salſaque per fauceis raucas vix edita tuſſi.
In manibus vero nervi trahier, tremere artus:
A pedibuſque minutatim ſuccedere frigus
Non dubitabat: item ad ſupremum denique tempus
Compreſſæ nares: naſi primoris acumen
Tenue: cavati oculi: cava tempora; frigida pellis,
Duraque; inhorrebat rictum; frons tenta minebat;
Nec nimio rigida poſt ſtrati morte jacebant:
Octavoque fere candenti lumine ſolis,
Aut etiam nona reddebant lampade vitam.
Quorum ſiquis, ut eſt, vitarat funera leti,
Viſceribus tætris, & nigra proluvie alvi;
Poſterius tamen hunc tabes letumque manebat:
Aut etiam multus capitis cum ſæpe dolore
Conruptus ſanguis plenis ex naribus ibat:
Huc hominis totæ vires corpuſque fluebat.
Profluvium porro qui tætri ſanguinis acre
Exierat, tamen in nervos huic morbus & artus
Ibat, & in parteis genitaleis corporis ipſas.
Et graviter partim metuentes limina leti
Vivebant ferro privati parte virili:

Et

Et manibus ſine nonnulli pedibuſque manebant
In vita tamen, & perdebant lumina partim:
Uſque adeo mortis metus his inceſſerat acer.
Atque etiam quoſdam cepere oblivia rerum
Cunctarum, neque ſe poſſent cognoſcere ut ipſi.
Multaque humi cum inhumata jacerent corpora ſupra
Corporibus, tamen alituum genus atque ferarum
Aut procul abſiliebat, ut acrem exiret odorem:
Aut, ubi guſtarat, languebat morte propinqua.
Nec tamen omnino temere illis ſedibus ulla
Comparebat avis, nec noctibus ſæcla ferarum
Exibant ſilvis: languebant pleraque morbo,
Et moriebantur: cumprimis fida canum vis
Strata viis animam ponebat in omnibus ægram;
Extorquebat enim vitam vis morbida membris.
Incomitata rapi certabant funera vaſta:
Nec ratio remedii communis certa dabatur.
Nam quod alis dederat vitaleis aeris auras
Volvere in ore licere, & cæli templa tueri;
Hoc aliis erat exitio, letumque parabat.
  Illud in his rebus miſerandum & magnopere unum
Ærumnabile erat; quod, ubi ſe quiſque videbat
Implicitum morbo, morti damnatus ut eſſet,
Deficiens animo mœſto cum corde jacebat
Funera reſpectans, animam & mittebat ibidem:
Idque vel in primis cumulabat funere funus.
Quippe etenim nullo ceſſabant tempore apiſci
Ex aliis alios avidi contagia morbi:
Nam quicumque ſuos fugitabant viſere ad ægros,
Vitai nimium cupidi, mortiſque timentes,
Pœnibat paullo poſt turpi morte, malaque
Deſertos, opis experteis, incuria mactans,
Lanigeras tamquam pecudes, & bucera ſæcla.
Qui fuerant autem præſto, contagibus ibant,
Atque labore, pudor quem tum cogebat obire,
Blandaque laſſorum vox miſta voce querelæ.
Optimus hoc leti genus ergo quiſque ſubibat:
Inque aliis alium populum ſepelire ſuorum
Certantes, lacrimis laſſi luctuque redibant.
Inde bonam partem in lectum mœrore dabantur:
Nec poterat quiſquam reperiri, quem neque morbus,
Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.
Præterea, jam paſtor, & armentarius omnis,
Et robuſtus item curvi moderator aratri,
Languebant, penituſque caſis contruſa jacebant
Corpora, paupertate & morbo dedita morti.
Exanimis pueris ſuper exanimata parentum
Corpora nonnumquam poſſes, retroque videre
Matribus & patribus natos ſuper edere vitam.
Nec minimum partim ex agris mœroris in urbem
Confluxit, languens quem contulit agricolarum
Copia, conveniens ex omni morbida parti.
Omnia complebant loca tectaque, quo mage eos tum
Confertos ita acervatim mors accumulabat.
Multa ſiti proſtrata viam per, proque voluta
Corpora ſilanos ad aquarum ſtrata jacebant,
Intercluſa anima nimia ab dulcedine aquai.
Multaque per populi paſſim loca promta, viaſque
Languida ſemianimo tum corpore membra videres,
Horrida pædore, & pannis cooperta, perire
Corporis inluvie: pellis ſuper oſſibus una,
Ulceribus tætris prope jam ſordique ſepulta.
Omnia denique ſancta deum delubra replerat
Corporibus mors exanimis, onerataque paſſim
Cuncta cadaveribus cæleſtum templa manebant,
Hoſpitibus loca quæ complerant æditeuntes.
Nec jam relligio divum, nec numina magni
Pendebantur: enim præſens dolor exſuperabat.
Nec mos ille ſepulturæ remanebat in urbe,
Ut prius hic populus ſemper conſuerat humari.
Perturbatus enim totus trepidabat, & unus
Quiſque ſuum pro re conſortem mœſtus humabat.
Multaque vis ſubita, & paupertas horrida ſuaſit;
Namque ſuos conſanguineos aliena rogorum
Inſuper inſtructa ingenti clamore locabant,
Subdebantque faceis, multo cum ſanguine ſæpe
Rixantes potius, quam corpora deſererentur.

C. VALERII
CATULLI VERONENSIS
AD
CORNELIUM NEPOTEM
LIBER.

I.

Quoi dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi; namque tu ſolebas
Meas eſſe aliquid putare nugas
Jam tum, cum auſus es unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis
Doctis, Jupiter! & laborioſis.
Quare habe tibi quidquid hoc libelli eſt,
Qualecumque: quod, o patrona virgo,
Plus uno maneat perenne ſeclo.

AD PASSEREM LESBIÆ. II.

Paſſer deliciæ meæ puellæ,
Quicum ludere, quem in ſinu tenere,
Quoi primum digitum dare appetenti,
Et acres ſolet incitare morſus:
Cum deſiderio meo nitenti

Carum

Carum neſcio quid lubet jocari,
Ut ſolatiolum ſui doloris
Credo, ut gravis acquieſcat ardor:
Tecum ludere, ſicut ipſa, poſſem,
Et triſtes animi levare curas,
Tam gratum eſt mihi, quam ferunt puellæ
Pernici aureolum fuiſſe malum,
Quod zonam ſoluit diu ligatam.

FUNUS PASSERIS. III.

Lugete, o Veneres, Cupidineſque,
Et quantum eſt hominum venuſtiorum.
Paſſer mortuus eſt meæ puellæ,
Paſſer deliciæ meæ puellæ,
Quem plus illa oculis ſuis amabat.
Nam mellitus erat, ſuamque norat
Ipſam tam bene quam puella matrem:
Nec ſeſe a gremio illius movebat,
Sed circumſiliens modo huc, modo illuc,
Ad ſolam dominam uſque pipilabat.
Qui nunc it per iter tenebricoſum
Illuc unde negant redire quemquam.
At vobis male ſit, malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi paſſerem abſtuliſtis.
O factum male! o miſelle paſſer!
Tua nunc opera meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

DEDICATIO PHASELI. IV.

Phaſelus ille, quem videtis hoſpites,
Ait fuiſſe navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequiſſe præterire, ſive palmulis
Opus foret volare, ſive linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus, inſulaſve Cycladas,
Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,
Propontida, trucemve Ponticum ſinum:
Ubi iſte, poſt phaſelus, antea fuit
Comata ſilva. nam Cytorio in jugo
Loquente ſæpe ſibilum edidit coma.
Amaſtri Pontica, & Cytore buxifer,
Tibi hæc fuiſſe, & eſſe cognitiſſima
Ait phaſelus. ultima ex origine
Tuo ſletiſſe dicit in cacumine:
Tuo imbuiſſe palmulas in æquore:
Et inde tot per impotentia freta
Herum tuliſſe: læva, ſive dextera
Vocaret aura, ſive utrumque Juppiter
Simul ſecundus incidiſſet in pedem.
Neque ulla vota littoralibus diis
Sibi eſſe facta, cum veniret a mare
Noviſſimo hunc ad uſque limpidum lacum.
Sed hæc prius fuere: nunc recondita
Senet quiete, ſeque dedicat tibi,
Gemelle Caſtor, & gemelle Caſtoris.

AD LESBIAM. V.

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,
Rumoreſque ſenum ſeveriorum
Omnes unius æſtimemus aſſis.
Soles occidere & redire poſſunt:
Nobis, cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.
Da mi baſia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein ſecunda centum,
Deinde uſque altera mille, deinde centum.
Dein cum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne ſciamus,
Aut ne quis malus invidere poſſit,
Quum tantum ſciat eſſe baſiorum.

AD FLAVIUM. VI.

Flavi, delicias tuas Catullo,
Ni ſint illepidæ, atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere poſſes.
Verum neſcio quid febriculoſi
Scorti diligis: hoc pudet fateri.
Nam te non viduas jacere noctes
Nequicquam tacitum cubile clamat,
Sertis ac Syrio fragrans olivo;
Pulvinuſque peræque & hic & illic
Attritus, tremulique quaſſa lecti
Argutatio, inambulatioque.
Nam ni iſtapte, valet nihil tacere.
Cui nunc jam latera exfututa pandant
Noctu quid facias ineptiarum?
Quare quidquid habes boni, malique,
Dic nobis. volo te ac tuos amores
Ad cælum lepido vocare verſu.

AD LESBIAM. VII.

Quæris, quot mihi baſiationes
Tuæ, Lesbia, ſint ſatis ſuperque?
Quam magnus numerus Libyſſæ arenæ
Laſerpiciferis jacet Cyrenis
Oraclum Jovis inter æſtuoſi,
Et Batti veteris ſacrum ſepulcrum:
Aut quam ſidera multa, cum tacet nox,
Furtivos hominum vident amores:
Tam te baſia multa baſiare
Veſano ſatis & ſuper Catullo eſt;
Quæ nec pernumerare curioſi
Poſſint, nec mala faſcinare lingua.

AD SEIPSUM. VIII.

Miſer Catulle, deſinas ineptire,
Et quod vides periſſe, perditum ducas.
Fulſere quondam candidi tibi ſoles,
Cum ventitabas, quo puella ducebat
Amata nobis, quantum amabitur nulla.
Ibi illa multa tam jocoſa fiebant,
Quæ tu volebas, nec puella nolebat.
Fulſere vere candidi tibi ſoles.
Nunc jam illa non vult, tu quoque impotens ne ſis:
Nec quæ fugit, ſectare, nec miſer vive:
Sed obſtinata mente perfer, obdura.
Vale, puella. jam Catullus obdurat.
Nec te requiret, nec rogabit invitam.
At tu dolebis, cum rogaberis nullam,
Sceleſta, noctem. quæ tibi manet vita?
Quis nunc te adibit? quoi videberis bella?
Quem nunc amabis? cujus eſſe diceris?
Quem baſiabis? quoi labella mordebis?
At tu, Catulle, obſtinatus obdura.

AD VERANNIUM. IX.

VEranni, omnibus e meis amicis
 Antiſtans mihi millibus trecentis:
Veniſtine domum ad tuos penates,
Fratreſque unanimos, tuamque matrem?
Veniſti? o mihi nuncii beati!
Viſam te incolumem, audiamque Hiberum
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos eſt tuus: applicanſque collum,
Jucundum os, oculoſque ſuaviabor.
O, quantum eſt hominum beatiorum,
Quid me lætius eſt, beatiuſve?

DE VARI SCORTO. X.

VArus me meus ad ſuos amores
 Viſum duxerat e foro otioſum:
Scortillum, ut mihi tum repente viſum eſt,
Non ſane illepidum, nec invenuſtum.
Huc ut venimus, incidere nobis
Sermones varii: in quibus, quid eſſet
Jam Bithynia, quomodo ſe haberet,
Et quantum mihi profuiſſet ære.
Reſpondi, id quod erat; nihilmet ipſis
Nec prætoribus eſſe, nec cohorti,
Cur quiſquam caput unctius referret:
Præſertim quibus eſſet irrumator
Prætor, nec faceret pili cohortem.
At certe tamen, inquiunt, quod illic
Natum dicitur eſſe, comparaſti
Ad lecticam homines: ego, ut puellæ
Unum me facerem beatiorum,
Non, inquam, mihi tam fuit maligne,
Ut, provincia quod mala incidiſſet,
Non poſſem octo homines parare rectos.
At mi nullus erat nec hic, nec illic,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo ſibi collocare poſſet.
Hic illa, ut decuit cinædiorem,
Quæſo, inquit, mihi, mi Catulle, paullum
Iſtos commoda, nam volo ad Serapin
Deferri. Mane me, inquii puellæ:
Iſtud, quod modo dixeram me habere,
Fugit me ratio. meus ſodalis
Cinna eſt Caius, is ſibi paravit.
Verumne illius, an mei, quid ad me?
Utor tam bene, quam mihi pararim.
Sed tu inſulſa male, & moleſta vivis,
Per quam non licet eſſe negligentem.

AD FURIUM ET AURELIUM. XI.

FUri, & Aureli, comites Catulli:
 Sive in extremos penetrabit Indos,
Litus ut longe reſonante Eoa
  Tunditur unda:
Sive in Hircanos, Arabaſque molles,
Seu Sacas, ſagittiferoſque Parthos,
Sive qua ſeptemgeminus colorat
  Æquora Nilus:
Sive trans altas gradietur Alpes,
Cæſaris viſens monumenta magni
Gallicum Rhenum, horribileſque ulti-
  moſque Britannos:
Omnia hæc, quæcumque feret voluntas
Cœlitum, tentare ſimul parati,
Pauca nunciate meæ puellæ
  Non bona dicta;
Cum ſuis vivat, valeatque mœchis,
Quos ſimul complexa tenet trecentos,
Nullum amans vere, ſed identidem omnium
  Ilia rumpens.
Nec meum reſpectet, ut ante, amorem;
Qui illius culpa cecidit, velut prati
Ultimi flos, prætereunte poſtquam
  Tactus aratro eſt.

AD ASINIUM. XII.

MArrucine Aſini, manu ſiniſtra
 Non belle uteris in joco atque vino.
Tollis lintea negligentiorum.
Hoc ſalſum eſſe putas? fugit te, inepte;
Quamvis ſordida res, & invenuſta eſt.
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit: eſt enim leporum
Diſertus puer, ac facetiarum.
Quare aut hendecaſyllabos trecentos
Exſpecta, aut mihi linteum remitte:
Quod me non movet æſtimatione;
Verum eſt μνημόσυνον mei ſodalis.
Nam ſudaria Sætabe ex Hibera
Miſerunt mihi muneri Fabullus,
Et Verannius: hæc amem neceſſe eſt,
Ut Veranniolum meum & Fabullum.

AD FABULLUM. XIII.

CŒnabis bene, mi Fabulle, apud me
 Paucis, ſi tibi Di favent, diebus:
Si tecum attuleris bonam, atque magnam
Cœnam, non ſine candida puella,
Et vino, & ſale, & omnibus cachinnis.
Hæc ſi, inquam, attuleris, venuſte noſter,
Cœnabis bene; nam tui Catulli
Plenus ſacculus eſt aranearum.
Sed contra accipies meros amores,
Seu quid ſuavius, elegantiuſve eſt.
Nam unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres, Cupidineſque:
Quod tu quum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, naſum.

AD CALVUM. XIV.

NI te plus oculis meis amarem,
 Jucundiſſime Calve, munere iſto
Odiſſem te odio Vatiniano.
Nam quid feci ego, quidve ſum locutus,
Cur me tot male perderes poetis?
Iſti Dii mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi miſit impiorum.
Quod ſi (ut ſuſpicor) hoc novum, ac repertum
Munus dat tibi Sulla litterator;
Non eſt mi male, ſed bene, ac beate,
Quod non diſpereunt tui labores.
Dii magni, horribilem & ſacrum libellum!
Quem tu ſcilicet ad tuum Catullum
Miſti, continuo ut die periret
Saturnalibus, optimo dierum.

Non

Non non hoc tibi, ſalſe, ſic abibit.
Nam ſi luxerit, ad librariorum
Curram ſcrinia: Cæſios, Aquinios,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his ſuppliciis remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite
Illuc unde malum pedem tuliſtis,
Sæcli incommoda, peſſimi poetæ.

X V.

* * *

SI qui forte mearum ineptiarum
Lectores eritis, manuſque voſtras
Non horrebitis admovere nobis,
Pædicabo ego vos, & irrumabo.

AD AURELIUM. XVI.

COmmendo tibi me, ac meos amores,
Aureli. veniam peto pudentem,
Ut, ſi quidquam animo tuo cupiſti,
Quod caſtum expeteres, & integellum,
Conſerves puerum mihi pudice:
Non dico a populo. nihil veremur
Iſtos, qui in platea modo huc, modo illuc
In re prætereunt ſua occupati:
Verum a te metuo, tuoque pene
Infeſto pueris bonis, maliſque.
Quem tu qualubet, ut lubet, moveto
Quantum vis, ubi erit foris, paratum.
Hunc unum excipio, ut puto, pudenter.
Quod ſi te mala mens, furorque vecors
In tantam impulerit, ſceleſte, culpam,
Ut noſtrum inſidiis caput laceſſas:
Ah tum te miſerum, malique fati,
Quem attractis pedibus, patente porta
Percurrent rhaphanique, mugileſque.

AD AURELIUM ET FURIUM. XVII.

PÆdicabo ego vos, & irrumabo,
Aureli pathice, & cinæde Furi:
Qui me ex verſiculis meis putatis,
Quod ſint molliculi, parum pudicum.
Nam caſtum eſſe decet pium poetam
Ipſum. verſiculos nihil neceſſe eſt:
Qui tum denique habent ſalem, ac leporem,
Si ſunt molliculi, ac parum pudici,
Et quod pruriat incitare poſſunt,
Non dico pueris, ſed his piloſis,
Qui duros nequeunt movere lumbos:
Vos, quod millia multa baſiorum
Legiſtis, male me marem putatis:
Pædicabo ego vos, & irrumabo.

AD COLONIAM. XVIII.

O Colonia, quæ cupis ponte ludere ligneo,
Et ſalire paratum habes, ſed vereris inepta
Crura ponticuli aſculis ſtantis, irredivivus
Ne ſupinus eat, cavaque in palude recumbat:
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Salii ipſulis ſacra ſuſcipiunto:
Munus hoc mihi maximi da, Colonia, riſus.
Quemdam municipem meum de tuo volo ponte
Ire præcipitem in lutum per caputque, pedeſque:
Verum totius ut lacus putidæque paludis
Lividiſſima, maximeque eſt profunda vorago.
Inſulſiſſimus eſt homo, nec ſapit pueri inſtar
Bimuli, tremula patris dormientis in ulna.
Quoi quum ſit viridiſſimo nupta flore puella,
Et puella tenellulo delicatior hœdo,
Aſſervanda nigerrimis diligentius uvis;
Ludere hanc ſinit, ut lubet, nec pili facit uni,
Nec ſe ſublevat ex ſua parte: ſed velut alnus
In foſſa Liguri jacet ſubpernata ſecuri,
Tantumdem omnia ſentiens, quam ſi nulla ſit uſquam.
Talis iſte meus ſtupor nil videt, nihil audit.
Ipſe quis ſit, utrum ſit, an non ſit, id quoque neſcit.
Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum,
Si pote ſtolidum repente excitare veternum,
Et ſupinum animum in gravi derelinquere cœno;
Ferream ut ſoleam tenaci in voragine mula.

AD AURELIUM. XIX.

AUreli pater eſuritionum,
Non harum modo, ſed quot aut fuerunt,
Aut ſunt, aut aliis erunt in annis:
Pædicare cupis meos amores,
Nec clam: nam ſimul es, jocaris una,
Hæres ad latus, omnia experiris.
Fruſtra. nam inſidias mihi inſtruentem
Tangam te prius irrumatione.
Atqui ſi id faceres ſatur, tacerem.
Nunc ipſum id doleo, quod eſurire
Ah meus puer, & ſitire diſcet.
Quare deſine, dum licet pudico:
Ne finem facias, ſed irrumatus.

AD VARUM. XX.

SUffenus iſte, Vare, quem probe noſti,
Homo eſt venuſtus, & dicax, & urbanus,
Idemque longe plurimos facit verſus.
Puto eſſe ego illi millia aut decem, aut plura
Perſcripta: nec ſic, ut fit, in palimpſeſto
Relata. chartæ regiæ, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia æquata.
Hæc cum legas, tum bellus ille, & urbanus
Suffenus unus caprimulgus, aut foſſor
Rurſus videtur. tantum abhorret, ac mutat.
Hoc quid putemus eſſe? qui modo ſcurra,
Aut ſi quid hac re tritius, videbatur,
Idem inficeto eſt inficetior rure,
Simul poemata attigit. neque idem umquam
Æque eſt beatus ac poema cum ſcribit.
Tam gaudet in ſe, tamque ſe ipſe miratur.
Nimirum idem omnes fallimur: neque eſt quiſquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Poſſis. ſuus quoique attributus eſt error.
Sed non videmus, manticæ quid in tergo eſt.

AD FURIUM. XXI.

FUri, quoi neque ſervus eſt, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis:
Verum eſt & pater, & noverca, quorum
Dentes vel ſilicem comeſſe poſſunt:
Eſt pulchre tibi cum tuo parente,

Et cum conjuge lignea parentis.
Nec mirum; bene nam valetis omnes,
Pulchre concoquitis, nihil timetis,
Non incendia, non graves ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non caſus alios periculorum.
Atqui corpora ſicciora cornu,
Aut ſi quid magis aridum eſt, habetis,
Sole, & frigore, & eſuritione.
Quare non tibi ſit bene, ac beate?
A te ſudor abeſt, abeſt ſaliva,
Mucculque, & mala pituita naſi.
Hanc ad munditiem adde mundiorem,
Quod culus tibi purior ſalillo eſt,
Nec toto decies cacas in anno:
Atque id durius eſt faba, & lapillis;
Quod tu ſi manibus teras, fricesque,
Non umquam digitum inquinare poſſis.
Hæc tu commoda tam beata, Furi,
Noli ſpernere, nec putare parvi:
Et ſeſtertia, quæ ſoles precari
Centum deſine: nam ſat es beatus.

AD JUVENTIUM. XXII.

O Qui floſculus es Juventiorum,
Non horum modo, ſed quot aut fuerunt,
Aut poſthac aliis erunt in annis:
Mallem divitias mihi dediſſes
Iſti, quoi neque ſervus eſt, neque arca:
Quam ſic te ſineres ab illo amari.
Qui? non eſt homo bellus? inquies. eſt:
Sed bello huic neque ſervus eſt, neque arca.
Hæc tu quam lubet abjice, elevaque:
Nec ſervum tamen ille habet, neque arcam.

AD THALLUM. XXIII.

CInæde Thalle, mollior cuniculi capillo,
Vel anſeris medullula, vel imula oricilla,
Vel pene languido ſenis, ſituque araneoſo:
Idemque Thalle, turbida rapacior procella,
Quum de via mulier alites oſtendit oſcitantes:
Remitte pallium mihi meum, quod involaſti,
Sudariumque Sætabum, catagraphoſque Thynos,
Inepte: quæ palam ſoles habere, tamquam avita.
Quæ nunc tuis ab unguibus reglutina, & remitte,
Ne laneum latuſculum, nateſque mollicellas
Inviſa turpiter tibi flagella conſcribillent:
Et inſolenter æſtues, velut minuta magno
Deprenſa navis in mari, veſaniente vento.

AD FURIUM. XXIV.

FUri, villula noſtra non ad Auſtri
Flatus oppoſita eſt, nec ad Favoni,
Nec ſævi Boreæ, aut Apeliotæ:
Verum ad millia quindecim & ducentos.
O ventum horribilem atque peſtilentem!

AD PUERUM. XXV.

MInister veteli puer Falerni,
Inger mi calices amariores,
Ut lex Poſtumiæ jubet magiſtræ,
Ebrioſa acina ebrioſioris.
At vos, quo lubet, hinc abite, lymphæ,
Vini pernicies, & ad ſeveros
Migrate. hic merus eſt Thyonianus.

AD VERANNIUM, ET FABULLUM. XXVI.

PIſonis comites, cohors inanis,
Aptis ſarcinulis, & expeditis,
Veranni optime, tuque mi Fabulle,
Quid rerum geritis? ſatiſne cum iſto
Vappa, frigoraque & famem tuliſtis?
Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expenſum? ut mihi, qui meum ſecutus
Prætorem, refero datum lucello.
O Memmi, bene me ac diu ſupinum
Tota iſta trabe lentus irrumaſti.
Sed, quantum video, pari fuiſtis
Caſu. nam nihilo minore verpa
Farti eſtis. pete nobiles amicos.
At vobis mala multa dii deæque
Dent, opprobria Romuli Remique.

DE MAMURRA. XXVII.

QUis hoc poteſt videre, quis poteſt pati,
Niſi impudicus, & vorax, & aleo:
Mamurram habere quod Comata Gallia
Habebat uncti, & ultima Britannia?
Cinæde Romule, hæc videbis, & feres?
Es impudicus, & vorax, & aleo.
Et ille nunc ſuperbus, & ſuperfluens
Perambulabit omnium cubilia,
Ut albulus columbus, aut Adoneus?
Cinæde Romule, hæc videbis, & feres?
Es impudicus, & vorax, & aleo.
Eone nomine, Imperator unice,
Fuiſti in ultima Occidentis inſula,
Ut iſta voſtra diffututa mentula
Ducenties comeſſet, aut trecenties?
Quid eſt alid? ſiniſtra liberalitas
Parum expatravit? an parum helluatus eſt?
Paterna prima lancinata ſunt bona:
Secunda præda Pontica: inde tertia
Hibera, quam ſcit amnis aurifer Tagus.
Hunc, Galliæ, timetis, & Britanniæ?
Quid hunc, malum, fovetis? aut quid hic poteſt,
Niſi uncta devorare patrimonia?
Eone nomine, imperator unice,
Socer generque perdidiſtis omnia?

AD ALPHENUM. XXVIII.

ALphene immemor, atque unanimis falſe ſodalibus:
Jam te nil miſeret, dure, tui dulcis amiculi.
Jam me prodere, jam non dubitas fallere, perfide.
Nec facta impia fallacum hominum cælicolis placent,
Quæ tu negligis, ac me miſerum deſeris in malis.
Eheu quid faciant dehinc homines, quoive habeant fidem?
Certe tute jubebas animam tradere, inique, me
Inducens in amorem, quaſi tuta omnia mi forent.
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaque
Ventos irrita ferre, ac nebulas aerias ſinis:
Si tu oblitus es, at dii meminerunt, meminit Fides:
Quæ te ut pœniteat poſtmodo facti, faciet, tui.

AD SIR-

AD SIRMIONEM PÆNINSULAM. XXIX.

PÆninſularum, Sirmio, inſularumque
Ocelle, quaſcumque in liquentibus ſtagnis,
Marique vaſto fert uterque Neptunus:
Quam te libenter, quamque lætus inviſo!
Vix mi ipſe credens Thyniam, atque Bithynos
Liquiſſe campos, & videre te in tuto.
O quid ſolutis eſt beatius curis?
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore feſſi venimus Larem ad noſtrum,
Deſideratoque acquieſcimus lecto.
Hoc eſt, quod unum eſt pro laboribus tantis.
Salve, o venuſta Sirmio, atque hero gaude.
Gaudete voſque, Lydiæ lacus undæ.
Ridete quidquid eſt domi cachinnorum.

AD HYPSITHILLAM. XXX.

AMabo, mea dulcis Hypſithilla,
Meæ deliciæ, mei lepores,
Jube ad te veniam meridiatum.
Quod ſi juſſeris, illud adjuvato,
Ne quis liminis obſeret tabellam,
Neu tibi lubeat foras abire:
Sed domi maneas, pareſque nobis
Novem continuas fututiones.
Verum ſi quid ages, ſtatim jubeto:
Nam pranſus jaceo, & ſatur ſupinus
Pertundo tunicamque, palliumque.

AD VIBENNIOS. XXXI.

O Furum optime balneariorum,
Vibenni pater, & cinæde fili:
Nam dextra pater inquinatiore,
Culo filius eſt voraciore:
Cur non exſilium, malaſque in oras
Itis? quandoquidem patris rapinæ
Notæ ſunt populo, & nates piloſas,
Fili, non potes aſſe venditare.

SECULARE CARMEN AD DIANAM. XXXII.

DIanæ ſumus in fide
Puellæ, & pueri integri:
Dianam pueri integri,
Puellæque canamus.
O Latonia maximi
Magna progenies Jovis,
Quam mater prope Deliam
Depoſivit olivam,
Montium domina ut fores,
Silvarumque virentium,
Saltuumque reconditorum,
Amniumque ſonantum.
Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis:
Tu potens Trivia, & notho es
Dicta lumine Luna.
Tu curſu, dea, menſtruo
Metiens iter annuum,
Ruſtica agricolæ bonis
Tecta frugibus exples.
Sis quocumque tibi placet
Sancta nomine, Romulique,
Ancique, ut ſolita es, bona
Soſpites ope gentem.

CÆCILIUM INVITAT. XXXIII.

POetæ tenero, meo ſodali,
Velim Cæcilio, papyre, dicas:
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi mœnia, Lariumque litus.
Nam quaſdam volo cogitationes
Amici accipiat ſui, meique.
Quare ſi ſapiet, viam vorabit;
Quamvis candida millies puella
Euntem revocet, manuſque collo
Ambas injiciens roget morari:
Quæ nunc, ſi mihi vera nuntiantur,
Illum deperit impotente amore.
Nam quo tempore legit inchoatam
Dindymi dominam, ex eo miſellæ
Ignes interiorem edunt medullam.
Ignoſco tibi, Sapphica puella
Muſa doctior; eſt enim venuſte
Magna Cæcilio inchoata mater.

IN ANNALES XXXIV.

ANnales Voluſi cacata charta,
Votum ſolvite pro mea puella.
Nam ſanctæ Veneri, Cupidinique
Vovit, ſi ſibi reſtitutus eſſem,
Deſiſſemque truces vibrare jambos,
Electiſſima peſſimi poetæ
Scripta tardipedi Deo daturam
Infelicibus uſtulanda lignis.
Et hæc peſſima ſe puella vidit
Jocoſe & lepide vovere Divis.
Nunc o cæruleo creata ponto,
Quæ ſanctum Idalium, Syroſque apertos,
Quæque Ancona, Cnidumque arundinoſam
Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos,
Quæque Durrhachium Hadriæ tabernam:
Acceptum face, redditumque votum,
Si non illepidum, neque invenuſtum eſt.
At vos interea venite in ignem,
Pleni ruris, & inficetiarum,
Annales Voluſi cacata charta.

AD CONTUBERNALES. XXXV.

SAlax taberna, voſque contubernales,
A pileatis nona fratribus pila,
Solis putatis eſſe mentulas vobis?
Solis licere quidquid eſt puellarum
Confutuere, & putare ceteros hircos?
An, continenter quod ſedetis inſulſi
Centum, aut ducenti, non putatis auſurum
Me una ducentos irrumare ſeſſores?
Atqui putate; namque totius vobis
Frontem tabernæ ſcipionibus ſcribam.
Puella nam mea, quæ meo ſinu fugit,
Amata tantum, quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi ſunt magna bella pugnata,
Conſedit iſtic. hanc boni, beatique
Omnes amatis, & quidem, quod indignum eſt,
Omnes puſilli, & ſemitarii mœchi.

Tu

Tu præter omnes une de capillatis,
Cuniculoſæ Celtiberiæ fili,
Egnati, opaca quem facit bonum barba,
Et dens Hibera defricatus urina.

AD CORNIFICIUM. XXXVI.

MAle eſt, Cornifici, tuo Catullo,
Male eſt mehercule, & laborioſe:
Magiſque, & magis in dies & horas.
Quem tu, quod minimum, facillimumque eſt,
Qua ſolatus es adlocutione?
Iraſcor tibi. ſic meos amores?
Paullum quidlibet adlocutionis,
Mœſtius lacrimis Simonideis.

IN EGNATIUM. XXXVII.

EGnatius, quod candidos habet dentes,
Renidet uſquequaque: ſeu ad rei ventum eſt
Subſellium, cum orator excitat fletum,
Renidet ille. ſeu pii ad rogum fili
Lugetur, orba cum flet unicum mater,
Renidet ille: quidquid eſt, ubicumque eſt,
Quodcumque agit, renidet. hunc habet morbum,
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendus es mihi, bone Egnati;
Si urbanus eſſes, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut porcus Umber, aut obeſus Etruſcus,
Aut Lanuvinus ater, atque dentatus,
Aut Tranſpadanus, (ut meos quoque attingam)
Aut quilibet, qui puriter lavit dentes;
Tamen renidere uſquequaque te nollem:
Nam riſu inepto res ineptior nulla eſt.
Nunc Celtiber in Celtiberia terra
Quod quiſque minxit, hoc ſolet ſibi mane
Dentem, atque ruſſam defricare gingivam:
Ut, quo iſte veſter expolitior dens eſt,
Hoc te amplius bibiſſe prædicet loti.

AD RAVIDUM. XXXVIII.

QUænam te mala mens, miſelle Ravide,
Agit præcipitem in meos iambos?
Quis Deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?
Anne ut pervenias in ora vulgi?
Quid vis? qualubet eſſe notus optas?
Eris; quandoquidem meos amores
Cum longa voluiſti amare pœna.

DE SCORTO MAMURRÆ. XXXIX.

AH me, an illa puella defututa
Tota, millia me decem popoſcit?
Iſta turpiculo puella naſo,
Decoctoris amica Formiani?
Propinqui, quibus eſt puella curæ,
Amicos, medicoſque convocate.
Non eſt ſana puella: nec rogate,
Qualis ſit. ſolet hæc imaginoſum.

AD MOECHAM. XL.

ADeſte, hendecaſyllabi, quot eſtis
Omnes undique, quotquot eſtis omnes.
Jocum me putat eſſe mœcha turpis,
Et negat mihi veſtra reddituram
Pugillaria, ſi pati poteſtis.
Perſequamur eam, & reflagitemus.
Quæ ſit, quæritis? illa, quam videtis
Turpe incedere, mimice, ac moleſte
Ridentem catuli ore Gallicani.
Circumſiſtite eam, & reflagitate:
Mœcha putida, redde codicillos.
Redde, putida mœcha, codicillos.
Non aſſis facis? o lutum, lupanar,
Aut ſi perditius poteſt quid eſſe!
Sed non eſt tamen hoc ſatis putandum.
Quod ſi non aliud pote eſt, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore voce;
Mœcha putida, redde codicillos.
Redde, putida mœcha, codicillos.
Sed nil proficimus; nihil movetur.
Mutanda eſt ratio, moduſque vobis,
Si quid proficere amplius poteſtis:
Pudica & proba, redde codicillos.

AD AMICAM FORMIANI. XLI.

SAlve, nec nimio puella naſo,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore ſicco,
Nec ſane nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani.
Ten' provincia narrat eſſe bellam?
Tecum Lesbia noſtra comparatur?
O ſeclum inſipiens, & inficetum!

AD FUNDUM. XLII.

O Funde noſter, ſeu Sabine, ſeu Tiburs,
Nam te eſſe Tiburtem autumant, quibus non eſt
Cordi Catullum lædere: at quibus cordi eſt,
Quovis Sabinum pignore eſſe contendunt.
Sed ſeu Sabine, ſive verius Tiburs,
Fui libenter in tua ſuburbana
Villa, malamque pectore exſpui tuſſim;
Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum ſumtuoſas appeto, dedit, cœnas.
Nam Seſtianus dum volo eſſe conviva,
Orationem in Antium petitorem
Plenam veneni, & peſtilentiæ legit.
Hic me gravedo frigida, & frequens tuſſis
Quaſſavit, uſquedum in tuum ſinum fugi,
Et me recuravi otioque, & urtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ulta peccatum.
Nec deprecor jam, ſi nefaria ſcripta
Seſti recepſo, quin gravedinem & tuſſim
Non mi, ſed ipſi Seſtio ferat frigus;
Qui tunc vocat me, cum malum legit librum.

DE ACME ET SEPTIMIO. XLIII.

ACmen Septimius ſuos amores
Tenens in gremio, Mea, inquit, Acme,
Ni te perdite amo, atque amare porro
Omnes ſum aſſidue paratus annos,
Quantum qui pote plurimum perire;
Solus in Libya, Indiave toſta,

Cæſio

Cæſio veniam obvius leoni.
Hoc ut dixit, Amor ſiniſtra, ut ante,
Dextram ſternuit adprobationem.
At Acme leviter caput reflectens,
Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo purpureo ore ſuaviata,
Sic, inquit, mea vita Septimille,
Huic uni domino uſque ſerviamus,
Ut multo mihi major, acriorque
Ignis mollibus ardet in medullis.
Hoc ut dixit, Amor ſiniſtra, ut ante,
Dextram ſternuit adprobationem.
Nunc ab auſpicio bono profecti,
Mutuis animis amant, amantur.
Unam Septimius miſellus Acmen
Mavult, quam Syrias, Britanniaſque:
Uno in Septimio fidelis Acme
Facit delicias, libidineſque.
Quis ullos homines beatiores
Vidit? quis Venerem auſpicatiorem?

VALEDICIT BITHYNIÆ. XLIV.

JAm ver egelidos refert tepores,
Jam cæli furor æquinoctialis
Jucundis Zephyri ſileſcit auris.
Linquantur Phrygii, Catulle, campi,
Nicææque ager uber æſtuoſæ.
Ad claras Aſiæ volemus urbes,
Jam mens prætrepidans avet vagari,
Jam læti ſtudio pedes vigeſcunt.
O dulces comitum valete cœtus,
Longe quos ſimul a domo profectos,
Diverſos variæ viæ reportant.

AD PORCIUM, ET SOCRATIONEM. XLV.

POrci, & Socration, duæ ſiniſtræ
Piſonis, ſcabies fameſque *Memmi*;
Vos Veranniolo meo, & Fabullo
Verpus præpoſuit Priapus ille?
Vos convivia lauta ſumtuoſe
De die facitis; mei ſodales
Quærunt in triviis vocationes?

AD JUVENTIUM. XLVI.

MEllitos oculos tuos, Juventi,
Si quis me ſinat uſque baſiare,
Uſque ad millia baſiem trecenta;
Nec umquam ſaturum inde cor futurum eſt:
Non ſi denſior aridis ariſtis
Sit noſtræ ſeges oſculationis.

AD M. TULLIUM. XLVII.

DIſertiſſime Romuli nepotum,
Quot ſunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque poſt aliis erunt in annis;
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, peſſimus omnium poeta:
Tanto peſſimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

AD LICINIUM. XLVIII.

HEſterno, Licini, die otioſi
Multum luſimus in meis tabellis,
Ut convenerat eſſe: delicatos
Scribens verſiculos uterque noſtrum,
Ludebat numero modo hoc, modo illoc,
Reddens mutua per jocum, atque vinum.
Atque illinc abii tuo lepore
Incenſus, Licini, facetiiſque,
Ut nec me miſerum cibus juvaret,
Nec ſomnus tegeret quiete ocellos:
Sed toto indomitus furore lecto
Verſarer, cupiens videre lucem,
Ut tecum loquerer, ſimulque ut eſſem.
At defeſſa labore membra poſtquam
Semimortua lectulo jacebant,
Hoc, jucunde, tibi poema feci,
Ex quo perſpiceres meum dolorem.
Nunc audax cave ſis: preceſque noſtras
Oramus, cave deſpuas, ocelle,
Ne pœnas Nemeſis repoſcat a te.
Eſt vehemens dea; lædere hanc caveto.

AD LESBIAM. XLIX.

ILle mi par eſſe Deo videtur,
Ille, ſi fas eſt, ſuperare Divos,
Qui ſedens adverſus idemtidem te
Spectat & audit
Dulce ridentem, miſero quod omnes
Eripit ſenſus mihi: nam ſimul te,
Lesbia, aſpexi, nihil eſt ſuper mi
* * *

Lingua ſed torpet, tenues ſub artus
Flamma dimanat, ſonitu ſuopte
Tintinant aures, gemina teguntur
Lumina nocte.
Otium, Catulle, tibi moleſtum eſt:
Otio exſultas, nimiumque geſtis:
Otium & reges prius, & beatas
Perdidit urbes.

AD SEIPSUM DE STRUMA ET VATINIO. L.

QUid eſt, Catulle, quod moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius ſedet:
Per conſulatum pejerat Vatinius.
Quid eſt, Catulle, quod moraris emori?

DE QUODAM, ET CALVO. LI.

RIſi neſcio quem modo in corona,
Qui, cum mirifice Vatiniana
Meus crimina Calvus explicaſſet,
Admirans ait hæc, manuſque tollens:
Di magni, ſalaputium diſertum!

* * * LII.

OThonis caput oppido puſillum,
Vetti, ruſtice, ſemilauta crura,
Subtile & leve peditum Libonis,
Si non omnia, diſplicere vellem
Tibi, & Fuffecio ſeni recocto.
Iraſcere iterum meis iambis
Immerentibus, unice imperator.

AD CA-

AD CAMERIUM. LII.

ORamus, ſi forte non moleſtum eſt,
Demonſtres ubi ſunt tuæ tenebræ.
Te campo quæſivimus minore,
Te in circo, te in omnibus libellis,
Te in templo ſuperi Jovis ſacrato,
In Magni ſimul ambulatione.
Femellas omnes, amice, prendi,
Quas voltu vidi tamen ſereno;
Has vel te ſic ipſe flagitabam:
Camerium mihi, peſſimæ puellæ.
Quædam inquit, nudum ſinum reducens,
En hic in roſeis latet papillis.
Sed te jam ferre Herculei labos eſt;
Tanto te in faſtu negas, amice.
Dic nobis ubi ſis futurus. ede hoc
Audacter, committe, crede luci.
Num te lacteolæ tenent puellæ?
Si linguam clauſo tenes in ore,
Fructus projicies amoris omnes.
Verboſa gaudet Venus loquela.
Vel, ſi vis, licet obſeres palatum,
Dum voſtri ſim particeps amoris.
* * * * *
Non cuſtos ſi fingar ille Cretum,
Non ſi Pegaſeo ferar volatu,
Non Ladas ſi ego, pennipeſve Perſeus,
Non Rheſi niveæ, citæque bigæ.
Adde huc plumipedes, volatileſque,
Ventorumque ſimul require curſum,
Quos junctos, Cameri, mihi dicares:
Defeſſus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus pereſus
Eſſem te, mi amice, quæritando.

AD CATONEM. LIV.

O Rem ridiculam, Cato, & jocoſam,
Dignamque auribus, & tuo cachinno!
Ride, quidquid amas, Cato, Catullum:
Res eſt ridicula, & nimis jocoſa.
Deprendi modo pupulum puellæ
Truſantem. hunc ego, ſi placet Dionæ,
Protelo rigida mea cecidi.

IN MAMURRAM ET CÆSAREM. LV.

PUlchre convenit improbis cinædis
Mamurræ pathicoque, Cæſarique.
Nec mirum: maculæ pares utriſque,
Urbana altera, & illa Formiana
Impreſſæ reſident, nec eluentur.
Morboſi pariter, gemelli utrique:
Uno in lectulo, erudituli ambo:
Non hic, quam ille magis vorax adulter:
Rivales ſocii & puellularum.
Pulchre convenit improbis cinædis.

AD CŒLIUM DE LESBIA. LVI.

COeli, Lesbia noſtra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus quam ſe, atque ſuos amavit omnes:
Nunc in quadriviis, & angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

DE RUFA. LVII.

BOnonienſis Rufa Rufulum fellat,
Uxor Meneni, ſæpe quam in ſepulcretis
Vidiſtis ipſo rapere de rogo cœnam,
Quum devolutum ex igne proſequens panem
Ab ſemiraſo tunderetur uſtore.

* * * * * LVIII.

NUm te leæna montibus Libyſſinis,
Aut Scylla latrans infima inguinum parte,
Tam mente dura procreavit, ac tætra,
Ut ſupplicis vocem in noviſſimo caſu
Contemtam haberes? o nimis fero corde!

JULIÆ ET MANLII EPITHALAMIUM. LIX.

COllis o Heliconii
Cultor, Uraniæ genus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem, o Hymenæe Hymen,
O Hymen Hymenæe:
Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci.
Flammeum cape. lætus huc
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede ſoccum.
Excituſque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus, manu
Pineam quate tædam.
Namque Julia Manlio,
Qualis Idalium colens
Venit ad Phrygium Venus
Judicem, bona cum bona
Nubit alite virgo:
Floridis velut enitens
Myrtus Aſia ramulis,
Quos Hamadryades deæ
Ludicrum ſibi roſcido
Nutriunt humore.
Quare age huc aditum ferens
Perge linquere Theſpiæ
Rupis Aonios ſpecus,
Lympha quos ſuper irrigat
Frigerans Aganippe.
Ac domum dominam voca
Conjugis cupidam novi,
Mentem amore revinciens,
Ut tenax hedera huc & huc
Arborem implicat errans.
Vos item ſimul integræ
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite, in modum
Dicite: O Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe.
Ut lubentius, audiens
Se citarier ad ſuum
Munus, huc aditum ferat
Dux bonæ Veneris, boni
Conjugator amoris.
Quis deus magis ah magis
Eſt petendus amantibus?
Quem colent homines magis

Cælitum? o Hymenææ Hymen,
Hymen o Hymenææ.
Te ſuis tremulus parens
Invocat: tibi virgines
Zonula ſoluunt ſinus:
Te te, Hymen, cupida novus
Captat aure maritus.
Tu fero juveni in manus
Floridam ipſe puellulam
Matris e gremio ſuæ
Dedis. o Hymenææ Hymen,
Hymen o Hymenææ.
Nil poteſt ſine te Venus,
Fama quod bona comprobet,
Commodi capere: at poteſt,
Te volente. quis huic deo
Compararier auſit?
Nulla quit ſine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe jungier: at poteſt,
Te volente. quis huic Deo
Compararier auſit?
Quæ tuis careat ſacris,
Non queat dare præſides
Terrà finibus: at queat,
Te volente. quis huic deo
Compararier auſit?
Clauſtra pandite januæ.
Virgo adeſt; viden' ut faces
Splendidas quatiunt comas?
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta.
Tardet ingenuus pudor:
Quæ tamen magis audiens
Flet, quod ire neceſſe ſit.
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta.
Flere desine. non tibi,
Aurunculeja, periculum eſt,
Ne qua femina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
Talis in vario ſolet
Divitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta.
Prodeas, nova nupta, ſis:
(Jam videtur) & audias
Noſtra verba (viden'? faces
Aureas quatiunt comas)
Prodeas, nova nupta.
Non tuus levis in mala
Deditus vir adultera,
Probra turpia perſequens,
A tuis teneris volet
Secubare papillis:
Lenta, qui, velut adſitas
Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum. ſed abit dies,
Prodeas, nova nupta.
* * * * *
* * * * *
* * * * *
O cubile, quot (o nimis
Candido pede lecti)
Quæ tuo veniunt hero,
Quanta gaudia, quæ vaga
Nocte, quæ media die
Gaudeat! ſed abit dies,
Prodeas, nova nupta.
Tollite, o pueri, faces:
Flammeum videor venire.
Ite, concinite in modum:
Io Hymen Hymenææ io,
Io Hymen Hymenææ.
Ne diu taceat procax
Feſcennina locutio,
Neu nuces pueris neget
Deſertum domini audiens
Concubinus amore.
Da nuces pueris, iners
Concubine. ſatis diu
Luſiſti nucibus. lubet
Jam ſervire Thalaſſio.
Concubine, nuces da.
Sordebam tibi, villice
Concubine, hodie atque heri:
Nunc tuum cinerarius
Tondet os. miſer ah miſer
Concubine, nuces da.
Diceris male te a tuis,
Unguentate, glabris, marite,
Abſtinere: ſed abſtine.
Io Hymen Hymenææ io,
Io Hymen Hymenææ.
Scimus, hæc tibi, qua licent
Sola cognita: ſed marito
Iſta non eadem licent.
Io Hymen Hymenææ io,
Io Hymen Hymenææ.
Nupta, tu quoque, quæ tuus
Vir petet, cave ne neges:
Ne petitum aliunde eat.
Io Hymen Hymenææ io,
Io Hymen Hymenææ.
En tibi domus ut potens,
Et beata viri tui,
Quo tibicine ſerviat
(Io Hymen Hymenææ io,
Io Hymen Hymenææ)
Uſque dum tremulum movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.
Io Hymen Hymenææ io,
Io Hymen Hymenææ.
Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Raſilemque ſubi forem.
Io Hymen Hymenææ io,
Io Hymen Hymenææ.
Aſpice, unus ut accubans
Vir tuus Tyrio in toro
Totus immineat tibi.
Io Hymen Hymenææ io,
Io Hymen Hymenææ.
Illi non minus ac tibi
Pectore uritur intimo
Flamma, ſed penite magis.
Io Hymen Hymenææ io,
Io Hymen Hymenææ.

Mitte brachiolum teres,
Prætextate, puellulæ.
Jam cubile adeat viri.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Vos bonæ ſenibus bonis
Cognitæ bene feminæ,
Collocate puellulam.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Jam licet venias, marite.
Uxor in thalamo eſt tibi
Ore floridulo nitens:
Alba parthenice velut,
Luteumve papaver.
At, marite (ita me juvent
Cælites) nihilominus
Pulcher es: neque te Venus
Negligit. ſed abit dies:
Perge, ne remorare.
Non diu remoratus es.
Jam venis, bona te Venus
Juverit: quoniam palam
Quod cupis, capis, & bonum
Non abſcondis amorem.
Ille pulvis Erythrii,
Siderumque micantium
Subducat numerum prius,
Qui veſtri numerare volt
Multa millia ludi.
Ludite, ut lubet, & brevi
Liberos date. non decet
Tam vetus ſine liberis
Nomen eſſe: ſed indidem
Semper ingenerari.
Torquatus volo parvulus
Matris e gremio ſuæ
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem
Semihiante labello.
Sit ſuo ſimilis patri
Manlio, & facile inſciis
Noſcitetur ab omnibus,
Et pudicitiam ſuæ
Matris indicet ore.
Talis illius a bona
Matre laus genus approbet,
Qualis unica ab optima
Matre Telemacho manet
Fama Penelopeo.
Claudite oſtia, virgines.
Luſimus ſatis. at, boni
Conjuges, bene vivite, &
Munere aſſiduo valentem
Exercete juventam.

CARMEN NUPTIALE. LX.

JUVENES.

VEſper adeſt, juvenes. conſurgite. veſper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.
Surgere jam tempus, jam pingues linquere menſas,
Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenæus.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

PUELLÆ.

Cernitis, innuptæ, juvenes? conſurgite contra.
Nimirum Oetæos oſtendit Noctifer ignes.
Sic certe. viden' ut perniciter exſiluere?
Non temere exſiluere. canent quod viſere par eſt.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

JUVENES.

Non facilis nobis, æquales, palma parata eſt.
Aſpicite, innuptæ ſecum ut meditata requirant.
Non fruſtra meditantur: habent memorabile quod ſit.
Nec mirum; tota penitus quæ mente laborent.
Nos alio mentes, alio diviſimus aures.
Jure igitur vincemur. amat victoria curam.
Quare nunc animos ſaltem committite veſtros:
Dicere jam incipient, jam reſpondere decebit.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

PUELLÆ.

Heſpere, qui cælo fertur crudelior ignis?
Qui natam poſſis complexu avellere matris,
Complexu matris retinentem avellere natam,
Et juveni ardenti caſtam donare puellam?
Quid faciant hoſtes capta crudelius urbe?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

JUVENES.

Heſpere, qui cælo lucet jucundior ignis?
Qui deſponſa tua firmes connubia flamma:
Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes,
Nec junxere prius, quam ſe tuus extulit ardor?
Quid datur a divis felici optatius hora?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

PUELLÆ.

Heſperus e nobis, æquales, abſtulit unam.
Nempe tuo adventu vigilat cuſtodia. ſemper
Nocte latent fures, quos idem ſæpe revertens,
Heſpere, mutato comprendis nomine eoſdem.

JUVENES.

Ut lubet innuptis ficto te carpere queſtu!
Quid tum, ſi carpunt tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

PUELLÆ.

Ut flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber:
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ;
Idem quum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ:
Sic virgo dum intacta manet, dum cara ſuis eſt.
Quum caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

JUVENES.

Ut vidua in nudo vitis quæ naſcitur arvo,

Num-

Numquam ſe extollit, numquam mitem educat uvam,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Jam jam contingit ſummum radice flagellum;
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere juvenci:
At ſi forte eadem eſt ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci:
Sic virgo dum intacta manet, dum inculta ſeneſcit;
Quum par connubium maturo tempore adepta eſt,
Cara viro magis, & minus eſt inviſa parenti.
Et tu ne pugna cum tali conjuge, virgo.
Non æquum eſt pugnare, pater quoi tradidit ipſe,
Ipſe pater cum matre, quibus parere neceſſe eſt.
Virginitas non tota tua eſt. ex parte parentum eſt.
Tertia pars matri data, pars data tertia patri,
Tertia ſola tua eſt: noli pugnare duobus,
Qui genero ſua jura ſimul cum dote dederunt.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

DE ATY. LXI.

SUper alta vectus Atys celeri rate maria,
Phrygium nemus citato cupide pede tetigit,
Adiitque opaca ſilvis redimita loca deæ:
Stimulatus ubi furenti rabie, vagus animi
Devolvit illa acuta ſibi pondera ſilice.
Itaque ut relicta ſenſit ſibi membra ſine viro:
Et jam recente terræ ſola ſanguine maculans,
Niveis citata cepit manibus leve tympanum,
Tympanum tubam Cybelles, tua, Mater, initia.
Quatienſque terga tauri teneris cava digitis,
Canere hæc ſuis adorta eſt tremebunda comitibus.
Agite ite ad alta, Gallæ, Cybeles nemora ſimul,
Simul ite, Dindymenæ dominæ vaga pecora,
Aliena quæ petentes, velut exſules, loca,
Sectam meam exſecutæ, duce me, mihi comites
Rapidum ſalum tuliſtis, truculentaque pelagi,
Et corpus eviraſtis Veneris nimio odio.
Hilarate hero citatis erroribus animum.
Mora tarda mente cedat: ſimul ite, ſequimini
Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad nemora deæ:
Ubi cymbalum ſonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ,
Ubi ſacra ſancta acutis ululatibus agitant,
Ubi ſuevit illa divæ volitare vaga cohors:
Quo nos decet citatis celerare tripudiis.
Simul hæc comitibus Atys cecinit notha mulier,
Thiaſus repente linguis trepidantibus ululat,
Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant.
Viridem citus adit Idam properante pede chorus.
Furibunda ſimul anhelans vaga vadit animi egens,
Comitata tympano Atys, per opaca nemora dux,
Veluti juvenca vitans onus indomita jugi.
Rapidæ ducem ſequuntur Gallæ properipedem.
Itaque ut domum Cybelles tetigere laſſulæ,
Nimio e labore ſomnum capiunt ſine Cerere.
Piger his labantes langore oculos ſopor operit.
Abit in quiete molli rabidus furor animi.
Sed ubi oris aurei Sol radiantibus oculis
Luſtravit æthera album, ſola dura, mare ferum,
Pepulitque noctis umbras vegetis ſonipedibus,
Ibi ſomnus excitum Atyn fugiens citus abiit:
Trepidantem eum excepit Dea Paſithea ſinu.
Ita de quiete molli rapida ſine rabie
Simul ipſa pectore Atys ſua facta revoluit,
Liquidaque mente vidit, ſine queis, ubique foret,
Animo æſtuante rurſum reditum ad vada tetulit.
Ibi maria vaſta viſens lacrimantibus oculis,
Patriam allocuta mæſta eſt ita voce miſeriter:
Patria o mea creatrix, patria o mea genetrix,
Ego quam miſer relinquens, dominos ut herifugæ
Famuli ſolent, ad Idæ tetuli nemora pedem:
Ut apud nivem, & ferarum gelida ſtabula forem,
Et ut omnia earum adirem, furibunda, latibula:
Ubinam, aut quibus locis te poſitam, patria, rear?
Cupit ipſa pupula ad te ſibi dirigere aciem,
Rabie fera carens dum breve tempus animus eſt.
Egone a mea remota hæc ferar in nemora domo?
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
Abero foro, palæſtra, ſtadio, & gymnaſiis?
Miſer ah miſer, querendum eſt etiam atque etiam, anime.
Quod enim genus figuræ eſt, ego non quod habuerim?
Ego mulier, ego adoleſcens, ego ephebus, ego puer,
Ego gymnaſii fui flos, ego eram decus olei:
Mihi januæ frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi eſſet orto mihi ſole cubiculum.
Egone Deum miniſtra, & Cybeles famula ferar?
Ego Mænas, ego mei pars, ego vir ſterilis ero?
Ego viridis algida Idæ nive amicta loca colam?
Ego vitam agam ſub altis Phrygiæ columinibus,
Ubi cerva ſilvicultrix, ubi aper nemorivagus?
Jam jam dolet, quod egi, jam jamque pœnitet.
Roſeis ut huic labellis palans ſonitus abit,
Geminas Deorum ad aures nova nuntia referens;
Ibi juncta juga reſolvens Cybele leonibus,
Lævumque pecoris hoſtem ſtimulans, ita loquitur:
Agedum, inquit, age ferox, i, face ut hinc furoribus,
Face ut hinc furoris ictu reditum in nemora ferat,
Mea libere nimis qui fugere imperia cupit.
Age, cæde terga cauda, tua verbera patere:
Face cuncta mugienti fremitu loca retonent.
Rutilam ferox toroſa cervice quate jubam.
Ait hæc minax Cybelle, religatque juga manu.
Ferus ipſe ſeſe adhortans rapidum incitat animum:
Vadit, fremit, & refringit virgulta pede vago.
At ubi humida albicantis loca litoris adiit,
Tenerumque vidit Atyn prope marmora pelagi;
Facit impetum: ille demens fugit in nemora fera.
Ibi ſemper omne vitæ ſpatium famula fuit.
Dea magna, Dea Cybelle, Didymi Dea, domina,
Procul a mea tuus ſit furor omnis, hera, domo:
Alios age incitatos, alios age rabidos.

DE NUPTIIS PELEI ET THETIDOS. LXII.

PEliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni naſſe per undas
Phaſidos ad fluctus, & fines Æetæos:
Cum lecti juvenes Argivæ robora pubis,
Auratam optantes Colchis avertere pellem,
Auſi ſunt vada ſalſa cita decurrere puppi,
Cærula verrentes abiegnis æquora palmis:
Diva quibus retinens in ſummis urbibus arces
Ipſa levi fecit volitantem flamine currum,
Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.
Illa rudem curſu prima imbuit Amphitriten.
Quæ ſimul ac roſtro ventoſum proſcidit æquor,
Tortaque remigio ſpumis incanduit unda;
Emerſere feri candenti e gurgite vultus
Æquoreæ monſtrum Nereides admirantes:
Illaque haudque alia viderunt luce marinas

Mortales oculi nudato corpore Nymphas,
Nutricum tenus exſtantes e gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incenſus fertur amore,
Tum Thetis humanos non deſpexit Hymenæos,
Tum Thetidi pater ipſe jugandum Pelea ſenſit.
O nimis optato ſeclorum tempore nati
Heroes ſalvete, deum genus, o bona mater:
Vos ego ſæpe meo vos carmine compellabo.
Teque adeo, eximie tædis felicibus aucte,
Theſſaliæ columen Peleu, quoi Juppiter ipſe,
Ipſe ſuos divum genitor conceſſit amores.
Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene ſuam Tethys conceſſit ducere neptem?
Oceanuſque, mari totum qui amplectitur orbem?
Quæ ſimul optatæ finito tempore luces
Ut venere, domum conventu tota frequentat
Theſſalia. oppletur lætanti regia cœtu.
Dona ferunt: præ ſe declarant gaudia voltu.
Deſeritur Scyros: linquunt Phthiotica Tempe,
Cranoniſque domos, ac mœnia Lariſſæa.
Pharſaliam coeunt, Pharſalia tecta frequentant.
Rura colit nemo, molleſcunt colla juvencis.
Non humilis curvis purgatur vinea raſtris:
Non glæbam prono convellit vomere taurus:
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram.
Squalida deſertis robigo infertur aratris.
Ipſius at ſedes, quacumque opulenta receſſit
Regia, fulgenti ſplendent auro atque argento.
Candet ebur ſoliis, collucent pocula menſæ.
Tota domus gaudet regali ſplendida gaza.
Pulvinar vero divæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roſeo conchylii purpura fuco.
Hæc veſtis priſcis hominum variata figuris,
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentiſono proſpectans litore Diæ
Theſea cedentem celeri cum claſſe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores,
Nec dum etiam ſe ſe quæ viſit viſere credit,
Utpote fallaci quæ tum primum excita ſomno
Deſertam in ſola miſeram ſe cernit arena.
Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis,
Irrita ventoſæ linquens promiſſa procellæ.
Quem procul ex alga mœſtis Minois ocellis,
Saxea ut effigies bacchantis, proſpicit, evoe,
Proſpicit, & magnis curarum fluctuat undis,
Non flavo retinens ſubtilem vertice mitram,
Non contecta levi velatum pectus amictu,
Non tereti ſtrophio lactantes vincta papillas:
Omnia quæ toto delapſa e corpore paſſim
Ipſius ante pedes fluctus ſalis alludebant.
Sed neque tum mitræ, neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans, toto ex te pectore, Theſeu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente.
Ah miſera, aſſiduis quam luctibus externavit
Spinoſas Erycina ſerens in pectore curas.
Illa tempeſtate ferox & tempore Theſeus
Egreſſus curvis e litoribus Piræi
Attigit injuſti regis Cortynia templa.
Nam perhibent olim crudeli peſte coactam
Androgeoneæ pœnas exſolvere cædis,
Electos juvenes, ſimul & decus innuptarum
Cecropiam ſolitam eſſe dapem dare Minotauro.
Queis anguſta malis quum mœnia vexarentur,
Ipſe ſuum Theſeus pro caris corpus Athenis
Projicere optavit potius, quam talia Cretam
Funera Cecropiæ ne-funera portarentur.
Atque ita nave levi nitens, ac lenibus auris
Magnanimum ad Minoa venit, ſedeſque ſuperbas.
Hunc ſimul ac cupido conſpexit lumine virgo
Regia, quam ſuaves exſpirans caſtus odores
Lectulus, in molli complexu matris alebat:
Quales Eurotæ progignunt flumina myrtus,
Aurave diſtinctos educit verna colores:
Non prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarſit tota medullis,
Heu miſere exagitans immiti corde furores.
Sancte puer, curis hominum qui gaudia miſces,
Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondoſum,
Qualibus incenſam jactaſtis mente puellam
Fluctibus, in flavo ſæpe hoſpite ſuſpirantem!
Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quantum ſæpe magis fulgore expalluit auri!
Cum ſævum cupiens contra contendere monſtrum,
Aut mortem oppeteret Theſeus, aut præmia laudis.
Non ingrata, tamen fruſtra, munuſcula divis
Promittens, tacito ſuſpendit vota labello.
Nam velut in ſummo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram ſudanti cortice pinum,
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit: illa procul radicitus exturbata
Prona cadit, lateque & cominus obvia frangens:
Sic domito ſævum proſtravit corpore Theſeus,
Nequicquam vanis jactantem cornua ventis.
Inde pedem victor multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui veſtigia filo:
Ne Labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti fruſtraretur inobſervabilis error.
Sed quid ego a primo digreſſus carmine, plura
Commemorem? ut linquens genitoris filia voltum,
Ut conſanguineæ complexum, ut denique matris,
Quæ miſera ingrato vixit deperdita lecto,
Omnibus his Theſei dulcem præferret amorem?
Aut ut vecta ratis ſpumoſa ad litora Diæ?
Aut ut eam triſti devinctam lumina ſomno
Liquerit immemori diſcedens pectore conjux?
Sæpe illam, perhibent, ardenti corde furentem
Clariſonas imo fudiſſe e pectore voces.
Ac tum præruptos triſtem conſcendere montes,
Unde aciem in pelagi vaſtos protenderet æſtus:
Tum tremuli ſalis adverſas procurrere in undas
Mollia nudatæ tollentem tegmina ſuræ:
Atque hæc extremis mœſtam dixiſſe querelis,
Frigidulos udo ſingultus ore cientem:
Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deſerto liquiſti in litore, Theſeu?
Siccine diſcedens neglecto numine Divum
Immemor ah! devota domum perjuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Conſilium? tibi nulla fuit clementia præſto?
Immite ut noſtri vellet miteſcere pectus?
At non hæc quondam nobis promiſſa dediſti
Voce: mihi non hoc miſeræ ſperare jubebas:
Sed connubia læta, ſed optatos hymenæos.
Quæ cuncta aerii diſcerpunt irrita venti.
Jam jam nulla viro juranti femina credat,
Nulla viri ſperet ſermones eſſe fideles:
Queis dum aliquid cupiens animus prægeſtit apiſci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt:
Sed ſimul ac cupidæ mentis ſatiata libido eſt,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.

Certe

Certe ego te in medio verſantem turbine leti
Eripui, & potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci ſupremo in tempore deeſſem.
Pro quo dilacerandi feris dabor, alitibuſque
Præda, neque injecta tumulabor mortua terra.
Quænam te genuit ſola ſub rupe leæna?
Quod mare conceptum ſpumantibus exſpuit undis?
Quæ Syrtis, quæ Scylla rapax, quæ vaſta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci præmia vita?
Si tibi non cordi fuerant connubia noſtra,
Sæva quod horrebas priſci præcepta parentis,
Attamen in voſtras potuiſti ducere ſedes,
Quæ tibi jucundo famularer ſerva labore,
Candida permulcens liquidis veſtigia lymphis,
Purpureave tuum conſternens veſte cubile.
Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror auris
Externata malo, quæ nullis ſenſibus auctæ
Nec miſſas audire queunt, nec reddere voces?
Ille autem prope jam mediis verſatur in undis,
Nec quiſquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic nimis inſultans extremo tempore ſæva
Fors etiam noſtris invidit queſtubus aures.
Juppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnoſia Cecropiæ tetigiſſent litora puppes:
Indomito nec dira ferens ſtipendia tauro
Perfidus in Cretam religaſſet navita funem:
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Conſilia in noſtris requieſſet ſedibus hoſpes.
Nam quo me referam? quali ſpe perdita nitar?
Idomenioſne petam montes? ah gurgite lato
Diſcernens Ponti truculentum ubi dividit æquor?
An patris auxilium ſperem? quemne ipſa reliqui
Reſperſum juvenem fraterna cæde ſecuta?
Conjugis an fido conſoler memet amore?
Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?
Præterea nullo (litus ſolum) inſula tecto:
Nec patet egreſſus pelagi cingentibus undis.
Nulla fugæ ratio, nulla ſpes: omnia muta,
Omnia ſunt deſerta, oſtentant omnia letum.
Non tamen ante mihi langueſcent lumina morte,
Nec prius a feſſo ſecedent corpore ſenſus,
Quam juſtam a divis expoſcam prodita multam,
Cæleſtumque fidem poſtrema comprecer hora.
Quare, facta virum multantes vindice pœna
Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
Frons exſpirantis præportat pectoris iras,
Huc huc adventate, meas audite querelas;
Quas ego, væ miſeræ, extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti cæca furore.
Quæ quoniam vere naſcuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati noſtrum vaneſcere luctum:
Sed quali ſolam Theſeus me mente reliquit,
Tali mente, Deæ, funeſtet ſeque ſuoſque.
Has poſtquam mœſto profudit pectore voces,
Supplicium ſævis expoſcens anxia factis:
Annuit invicto cæleſtum numine rector,
Quo tunc & tellus, atque horrida contremuerunt
Æquora, concuſſitque micantia ſidera mundus.
Ipſe autem cæca mentem caligine Theſeus
Conſitus oblito dimiſit pectore cuncta,
Quæ mandata prius conſtanti mente tenebat:
Dulcia nec mœſto ſuſtollens ſigna parenti,
Soſpitem Erechtheum ſe oſtendit viſere portum.
Namque ferunt, olim claſſi cum mœnia Divæ
Linquentem gnatum, ventis concrederet Ægeus,
Talia complexum juveni mandata dediſſe:
Gnate mihi longa jucundior unice vita,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere caſus,
Reddite in extremæ nuper mihi fine ſenectæ:
Quandoquidem fortuna mea, ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, quoi languida nondum
Lumina ſunt gnati cara ſaturata figura:
Non ego te gaudens lætanti pectore mittam,
Nec te ferre ſinam Fortunæ ſigna ſecundæ.
Sed primum multas expromam mente querelas,
Canitiem terra, atque infuſo pulvere fœdans;
Inde infecta vago ſuſpendam lintea malo,
Noſtros ut luctus, noſtræque incendia mentis,
Carbaſus obſcura dicat ferrugine Hibera.
Quod tibi ſi ſancti conceſſerit incola Itoni,
Quæ noſtrum genus, ac ſedes defendere Erechthei
Annuit, ut tauri reſpergas ſanguine dextram:
Tum vero facito, ut memori tibi condita corde
Hæc vigeant mandata, nec ulla obliteret ætas:
Ut ſimul ac noſtros inviſent lumina colles,
Funeſtam antemnæ deponant undique veſtem,
Candidaque intorti ſuſtollant vela rudentes:
Quamprimum cernens ut læta gaudia mente
Agnoſcam, quum te reducem ætas proſpera ſiſtet.
Hæc mandata prius conſtanti mente tenentem
Theſea, ceu pulſæ ventorum flamine nubes
Aerium nivei montis, liquere, cacumen.
At pater, ut ſumma proſpectum ex arce petebat,
Anxia in aſſiduos abſumens lumina fletus:
Quum primum inflati conſpexit lintea veli,
Præcipitem ſe ſe ſcopulorum e vertice jecit,
Amiſſum credens immiti Theſea fato.
Sic funeſta domus ingreſſus tecta paterna
Morte, ferox Theſeus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipſe recepit.
Quæ tamen adſpectans cedentem mœſta carinam
Multiplices animo volvebat ſaucia curas.
At parte ex alia florens volitabat Iacchus,
Cum thiaſo Satyrorum, & Nyſigenis Silenis,
Te quærens, Ariadna, tuoque incenſus amore:
Qui tum alacres paſſim lymphata mente furebant,
Evoe bacchantes evoe, capita inflectentes.
Horum pars tecta quatiebant cuſpide thyrſos;
Pars e divolſo raptabant membra juvenco;
Pars ſe ſe tortis ſerpentibus incingebant;
Pars obſcura cavis celebrabant orgia ciſtis,
Orgia quæ fruſtra cupiunt audire profani.
Plangebant aliæ proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.
Multi raucisonis efflabant cornua bombis,
Barbaraque horribili ſtridebat tibia cantu.
Talibus amplifice veſtis decorata figuris
Pulvinar complexa ſuo velabat amictu.
Quæ poſtquam cupide ſpectando Theſſala pubes
Expleta eſt, ſanctis cœpit decedere divis.
Ac quali flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas
Aurora exoriente vagi ſub lumina Solis:
Quæ tarde primum clementi flamine pulſæ
Procedunt, leni & reſonant plangore cachinni:
Poſt vento creſcente magis magis increbreſcunt,
Purpureaque procul nantes a luce refulgent:
Sic tum veſtibuli linquentes regia tecta
Ad ſe quiſque vago paſſim pede diſcedebant.
Quorum poſt abitum, princeps e vertice Pelii
Advenit Chiron portans ſilveſtria dona.
Nam quotcumque ferunt campi, quos Theſſala magnis
Mon-

Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fœcunda Favoni,
Hos indiſtinctis plexos tulit ipſe corollis,
Queis permulſa domus jucundo riſit odore.
Confeſtim Peneos adeſt, viridantia Tempe,
Tempe, quæ ſilvæ cingunt ſuperimpendentes,
Xyniaſi & linquens Doris celebranda choreis
Bœbiados. namque ille tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras ſtipite laurus,
Non ſine lætanti platano, fletaque ſorore
Flammati Phaethontis, & aeria cupreſſu:
Hæc circum ſedes late contexta locavit,
Veſtibulum ut molli velatum fronde vireret.
Poſt hunc conſequitur ſolerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris veſtigia pœnæ:
Quam quondam ſilici reſtrictus membra catena
Perſolvit, pendens e verticibus præruptis.
Inde pater Divum ſancta cum conjuge, natiſque
Advenit cælo, te ſolum, Phœbe, relinquens,
Unigenamque ſimul cultricem montibus Idri.
Pelea nam tecum pariter ſoror aſpernata eſt,
Nec Thetidis tædas voluit celebrare jugales.
Qui poſtquam niveos flexerunt ſedibus artus,
Large multiplici conſtructæ ſunt dape menſæ.
Quum interea infirmo quatientes corpora motu,
Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens undique quercus,
Candida purpurea quam Tyro incinxerat ora.
Ambroſio niveæ reſidebant vertice vittæ,
Æternumque manus carpebant rite laborem.
Læva colum molli lana retinebat amictum,
Dextera tum leviter deducens fila ſupinis
Formabat digitis: tum prono in pollice torquens
Libratum tereti verſabat turbine fuſum:
Atque ita decerpens æquabat ſemper opus dens,
Laneaque aridulis hærebant morſa labellis,
Quæ prius in leni fuerant exſtantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati cuſtodibant calathiſci.
Hæ tum clariſona pellentes vellera voce,
Talia divino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiæ quod poſt nulla arguet ætas.
O decus eximium magnis virtutibus augens,
Emathiæ tutamen opis, clariſſime nato:
Accipe, quod læta tibi pandunt luce ſorores
Veridicum oraclum, ſerves quæ fata ſequuntur.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Adveniet tibi jam portans optata maritis
Heſperus: adveniet fauſto cum ſidere conjux,
Quæ tibi flexanimo mentem perfundat amore,
Languiduloſque paret tecum conjungere ſomnos,
Levia ſubſternens robuſto brachia collo.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Nulla domus tales umquam contexit amores:
Nullus amor tali conjunxit fœdere amantes,
Qualis adeſt Thetidi, qualis concordia Peleo.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Naſcetur vobis expers terroris Achilles,
Hoſtibus haud tergo, ſed forti pectore notus:
Qui perſæpe vago victor certamine curſus
Flammea prævortet celeris veſtigia cervæ.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Non illi quiſquam bello ſe conferet heros,
Quum Phrygii Teucro manabunt ſanguine rivi,
Troicaque obſidens longinquo mœnia bello
Perjuri Pelopis vaſtabit tertius heres.

Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Illius egregias virtutes, claraque facta
Sæpe fatebuntur gnatorum in funere matres:
Quum in cinerem canos ſolvent a vertice crines,
Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Namque velut denſas proſternens meſſor ariſtas,
Sole ſub ardenti flaventia demetit arva:
Trojugenum infeſto proſternet corpora ferro.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Teſtis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Quæ paſſim rapido diffunditur Helleſponto:
Quojus iter cæſis anguſtans corporum acervis,
Alta tepefaciet permiſta flumina cæde.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Denique teſtis erit morti quoque reddita præda:
Quum teres excelſo coacervatum aggere buſtum
Excipiet niveos perculſæ virginis artus.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Nam ſimul ac feſſis dederit Fors copiam Achivis
Urbis Dardaniæ Neptunia ſolvere vincla:
Alta Polyxenia madefient cæde ſepulcra.
Quæ, velut ancipiti ſuccumbens victima ferro,
Projiciet truncum ſubmiſſo poplite corpus.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Quare agite optatos animi conjungite amores.
Accipiat conjux felici fœdere divam,
Dedatur cupido jamdudum nupta marito.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Non illam nutrix orienti luce reviſens,
Heſterno collum poterit circumdare filo.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Anxia nec mater diſcordis mœſta puellæ
Secubitu, caros mittet ſperare nepotes.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Talia præfantes quondam, felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt omine Parcæ.
Præſentes namque ante domos inviſere caſtas
Heroum, & ſe ſe mortali oſtendere cœtu
Cælicolæ, nondum ſpreta pietate, ſolebant.
Sæpe pater divum templo in fulgente reviſens,
Annua quum feſtis veniſſent ſacra diebus,
Conſpexit terra centum procurrere currus.
Sæpe vagus Liber Parnaſſi vertice ſummo
Thyadas effuſis evantes crinibus egit:
Quum Delphi tota certatim ex urbe ruentes
Acciperent læti divum ſpumantibus aris.
Sæpe in letifero belli certamine Mavors,
Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnuſia virgo
Armatas hominum eſt præſens hortata catervas.
Sed poſtquam tellus ſcelere eſt imbuta nefando,
Juſtitiamque omnes cupida de mente fugarunt:
Perfudere manus fraterno ſanguine fratres:
Deſtitit exſtinctos natus lugere parentes:
Optavit genitor primævi funera nati,
Liber ut innuptæ poteretur flore novercæ:
Ignaro mater ſubſternens ſe impia nato
Impia non verita eſt divos ſcelerare parentes:
Omnia fanda, nefanda malo permiſta furore
Juſtificam nobis mentem avertere deorum.
Quare nec tales dignantur viſere cœtus,
Nec ſe contingi patiuntur lumine claro.

AD HORTALUM. LXIII.

ETſi me aſſiduo confectum cura dolore
Sevocat a doctis, Hortale, virginibus:

Nec

Nec potis eſt dulces Muſarum expromere fœtus
Mens animi: tantis fluctuat ipſa malis:
Namque mei nuper Lethæo gurgite fratris
Pallidulum manans alluit unda pedem.
Troia Rhoeteo quem ſubter litore tellus
Ereptum noſtris obterit ex oculis.
Alloquar? audierone umquam tua facta loquentem?
Numquam ego te, vita frater amabilior,
Aſpiciam poſthac? at certe ſemper amabo,
Semper mœſta tua carmina morte canam.
Qualia ſub denſis ramorum concinit umbris
Daulias, abſumti fata gemens Ityli.
Sed tamen in tantis mœroribus, Hortale, mitto
Hæc experta tibi carmina Battiadæ:
Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
Effluxiſſe meo forte putes animo,
Ut miſſum ſponſi furtivo munere malum
Procurrit caſto virginis e gremio,
Quod miſeræ oblitæ molli ſub veſte locatum,
Dum adventu matris proſilit, excutitur,
Atque illud prono præceps agitur decurſu,
Huic manat triſti conſcius ore rubor.

DE COMA BERENICES. LXIV.

OMnia qui magni diſpexit lumina mundi,
Qui ſtellarum ortus comperit, atque obitus:
Flammeus ut rapidi Solis nitor obſcuretur,
Ut cedant certis ſidera temporibus,
Ut Triviam furtim ſub Latmia ſaxa relegans,
Dulcis amor gyro devocet aerio:
Idem me ille Conon cæleſti in lumine vidit
E Bereniceo vertice cæſariem
Fulgentem clare: quam multis illa deorum,
Lævia protendens brachia, pollicita eſt;
Qua rex tempeſtate novo auctus hymenæo
Vaſtatum fines iverat Aſſyrios,
Dulcia nocturnæ portans veſtigia rixæ,
Quam de virgineis geſſerat exuviis.
Eſtne novis nuptis odio Venus? anne parentum
Fruſtrantur falſis gaudia lacrimulis,
Ubertim thalami quas intra limina fundunt?
Non, ita me Divi, vera gemunt, juverint.
Id mea me multis docuit regina querelis,
Inviſente novo prœlia torva viro.
Et tu vero orbum luxti deſerta cubile,
Et fratris cari flebile diſcidium,
Quum penitus mœſtas exedit cura medullas;
Ut tibi tunc toto pectore ſollicitæ
Senſibus ereptis mens excidit! at te ego certe
Cognoram a parva virgine magnanimam.
Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es
Conjugium, quod non fortior auſit alis?
Sed tum mœſta virum mittens, quæ verba locuta es!
Iuppiter, ut triſti lumina ſæpe manu!
Quis te mutavit tantus Deus? an quod amantes
Non longe a caro corpore abeſſe volunt?
At quæ ibi proh cunctis pro dulci conjuge Divis
Non ſine taurino ſanguine pollicita es,
Si reditum tetuliſſet! is haud in tempore longo
Captam Aſiam Ægypti finibus addiderat.
Queis ego pro factis cæleſti reddita cœtu
Priſtina vota novo munere diſſoluo.
Invita, o regina, tuo de vertice ceſſi,
Invita. adjuro teque, tuumque caput,
Digna ferat, quod ſi quis inaniter adjurarit.
Sed qui ſe ferro poſtulet eſſe parem?
Ille quoque everſus mons eſt, quem maximum in oris
Progenies Thiæ clara ſupervehitur:
Quum Medi peperere novum mare: quumque juventus
Per medium claſſi barbara navit Athon.
Quid facient crines, quum ferro talia cedant?
Juppiter, ut Χαλύβων omne genus pereat!
Et qui principio ſub terra quærere venas
Inſtitit, ac ferri fingere duritiem.
Abjunctæ paullo ante comæ mea fata ſorores
Lugebant, quum ſe Memnonis Æthiopis
Unigena impellens nutantibus aera pennis
Obtulit Arſinoes Chloridos ales equus.
Iſque per ætherias me tollens advolat umbras,
Et Veneris caſto conlocat in gremio.
Ipſa ſuum Zephyritis eo famulum legarat,
Grata Canopiis in loca litoribus,
Sidere ibi vario ne ſolum in lumine cæli,
Ex Ariadneis aurea temporibus
Fixa Corona foret: ſed nos quoque fulgeremus
Devotæ flavi verticis exuviæ.
Uvidulum a fluctu cedentem ad templa deum me
Sidus iu antiquis diva novum poſuit.
Virginis & ſævi contingens namque Leonis
Lumina, Calliſto juſta Lycaonida,
Vertor in occaſum tardum dux ante Booten,
Qui vix ſero alto mergitur Oceano.
Sed quamquam me nocte premunt veſtigia divum,
Luce autem canæ Tethyi reſtituor:
(Pace tua fari hæc liceat, Rhamnuſia virgo;
Namque ego non ullo vera timore tegam,
Non ſi me infeſtis diſcerpant ſidera dictis,
Condita quin vere pectoris evoluam)
Non his tam lætor rebus, quam me abfore ſemper,
Abfore me a dominæ vertice diſcrucior.
Quicum ego, quum virgo quondam fuit, omnibus expers
Unguentis, murrhæ millia multa bibi.
Nunc vos, optato quæ junxit lumine tæda
Non poſt unanimis, corpora, conjugibus;
Tradite, nudantes rejecta veſte papillas,
Quæ jucunda mihi munera libet onyx:
Voſter onyx, caſto petitis quæ jura cubili.
Sed quæ ſe impuro dedit adulterio,
Illius ah mala dona levis bibat irrita pulvis.
Namque ego ab indignis præmia nulla peto.
Sic magis, o nuptæ, ſemper concordia voſtras
Semper Amor ſedes incolat aſſiduus.
Tu vero, regina, tuens cum ſidera, Divam
Placabis feſtis luminibus Venerem;
Unguinis expertem non ſiveris eſſe: tuam me
Sed potius largis effice muneribus.
Sidera cur iterent? utinam coma regia fiam.
Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

AD JANUAM MŒCHÆ CUJUSDAM LXV.

CATULLUS.

O Dulci jucunda viro, jucunda parenti,
Salve, teque bona Juppiter auctet ope,
Janua: quam Balbo dicunt ſerviſſe benigne
Olim, cum ſedes ipſe ſenex tenuit:
Quamque ferunt rurſus voto ſerviſſe maligno,
Poſtquam es porrecto facta marita ſene.
Dic agedum nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deſeruiſſe fidem.

JANUA.

Non, ita Cæcilio placeam, quoi tradita nunc ſum,
  Culpa mea eſt, quamquam dicitur eſſe mea.
Nec peccatum a me quiſquam pote dicere quicquam.
  Verum iſti populo Janua quid faciat?
Qui quacumque aliquid reperitur non bene factum,
  Ad me omnes clamant: Janua, culpa tua eſt.

CATULLUS.

Non iſtuc ſatis eſt uno te dicere verbo:
  Sed facere, ut quivis ſentiat, & videat.

JANUA.

Qui poſſum? nemo quærit, nec ſcire laborat.

CATULLUS.

Nos volumus: nobis dicere ne dubita.

JANUA.

Primum igitur, virgo quod fertur tradita nobis,
  Falſum eſt. non qui illam vir prior attigerit,
Languidior tenera cui pendens ſicula beta
  Numquam ſe mediam ſuſtulit ad tunicam:
Sed pater illius nati violaſſe cubile
  Dicitur, & miſeram conſceleraſſe domum.
Sive quod impia mens cæco flagrabat amore:
  Seu quod iners ſterili ſemine natus erat;
Quærendumque nec unde foret nervoſius illud,
  Quod poſſet zonam ſolvere virgineam.

CATULLUS.

Egregium narras mira pietate parentem,
  Qui ipſe ſui nati minxerit in gremium.

JANUA.

Atqui non ſolum hoc ſe dicit cognitum habere
  Brixia Cycneæ ſuppoſita ſpeculæ:
(Flavus quam molli percurrit flumine Mela:
  Brixia Veronæ mater amata meæ:)
Sed de Poſtumio, & Cornelii narrat amore,
  Cum quibus illa malum fecit adulterium.
Dixerit hic aliquis: Qui tu iſthæc, Janua, noſti,
  Quoi numquam domini limine abeſſe licet,
Nec populum auſcultare: ſed huic ſuffixa tigillo
  Tantum operire ſoles, aut aperire domum?
Sæpe illam audivi furtiva voce loquentem
  Solam Cæciliis hæc ſua flagitia,
Nomine dicentem quos diximus: utpote quæ mi
  Speret nec linguam eſſe, nec auriculam.
Præterea addebat quemdam, quem dicere nolo
  Nomine, ne tollat rubra ſupercilia.
Longus homo eſt, magnas quoi lites intulit olim
  Falſum mendaci ventre puerperium.

AD MANLIUM. LXVI.

QUod mihi fortuna, caſuque oppreſſus acerbo,
  Conſcriptum hoc lacrimis mittis epiſtolium:
Naufragum ut ejectum ſpumantibus æquoris undis
Sublevem, & a mortis limine reſtituam:
Quem neque ſancta Venus molli requieſcere ſomno
  Deſertum in lecto cœlibe perpetitur:
Nec veterum dulci ſcriptorum carmine Muſæ
  Oblectant, quum mens anxia pervigilat:
Id gratum eſt mihi, me quoniam tibi ducis amicum,
  Muneraque & Muſarum hinc petis, & Veneris.
Sed, tibi ne mea ſint ignota incommoda, Manli,
  Neu me odiſſe putes hoſpitis officium:
Accipe queis merſer fortunæ fluctibus ipſe,
  Ne amplius a miſero dona beata petas.
Tempore quo primum veſtis mihi tradita pura eſt,
  Jucundum quum ætas florida ver ageret,
Multa ſatis luſi: non eſt dea neſcia noſtri
  Quæ dulcem curis miſcet amaritiem.
Sed totum hoc ſtudium luctu fraterna mihi mors
  Abſcidit. o miſero frater ademte mihi!
Tu mea tu moriens fregiſti commoda, frater.
  Tecum una tota eſt noſtra ſepulta domus.
Omnia tecum una perierunt gaudia noſtra,
  Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Quojus ego interitu tota de mente fugavi
  Hæc ſtudia, atque omnes delicias animi.
Quare, quod ſcribis, Veronæ turpe Catullo
  Eſſe: quod hic quiſquis de meliore nota
Frigida deſerto tepefecit membra cubili;
  Id, Manli, non eſt turpe: magis miſerum eſt.
Ignoſces igitur, ſi, quæ mihi luctus ademit,
  Hæc tibi non tribuo munera, quum nequeo.
Nam quod ſcriptorum non magna eſt copia apud me,
  Hoc fit, quod Romæ vivimus: illa domus,
Illa mihi ſedes, illic mea carpitur ætas:
  Huc una ex multis capſula me ſequitur.
Quod quum ita ſit, nolim ſtatuas, me mente maligna
  Id facere, aut animo non ſatis ingenuo,
Quod tibi non utriuſque petenti copia facta eſt.
  Ultro ego deferrem, copia ſi qua foret.
Non poſſum reticere, Deæ, qua Manlius in re
  Juverit, aut quantis juverit officiis;
Ne fugiens ſeclis obliviſcentibus ætas
  Illius hoc cæca nocte tegat ſtudium.
Sed dicam vobis. vos porro dicite multis
  Millibus, & facite hæc charta loquatur anus.
* * * * *

  Noteſcatque magis mortuus, atque magis:
Ne tenuem texens ſublimis aranea telam,
  In deſerto Auli nomine opus faciat.
Nam mihi quam dederit duplex Amathuſia curam,
  Scitis, & in quo me torruerit genere:
Quum tantum arderem, quantum Trinacria rupes,
  Lymphaque in Oetæis Malia Thermopylis,
Mœſta neque aſſiduo tabeſcere lumina fletu
  Ceſſarent, triſtique imbre madere genæ.
Qualis in aerii pellucens vertice montis
  Rivus, muſcoſo proſilit e lapide.
Qui quum de prona præceps eſt valle volutus,
  Per medium denſi tranſit iter populi,
Dulce viatori laſſo in ſudore levamen,
  Quum gravis exuſtos æſtus hiulcat agros:
Ac velut in nigro jactatis turbine nautis
  Lenius aſpirans aura ſecunda venit,
Jam prece Pollucis, jam Caſtoris implorata:
  Tale fuit nobis Manlius auxilium.
Is clauſum lato patefecit limite campum,
  Iſque domum nobis, iſque dedit dominam:
Ad quam communes exerceremus amores;

Quo

Quo mea ſe molli candida Diva pede
Intulit, & trito fulgentem in limine plantam
Innixa arguta conſtituit ſolea:
Conjugis ut quondam flagrans advenit amore
Proteſilaeam Laodamia domum
Inceptam fruſtra, nondum cum ſanguine ſacro
Hoſtia cæleſtes pacificaſſet heros.
Nil mihi tam valde placeat, Rhamnuſia virgo,
Quod temere invitis ſuſcipiatur heris.
Quam jejuna pium deſideret ara cruorem,
Docta eſt amiſſo Laodamia viro,
Conjugis ante coacta novi dimittere collum,
Quam veniens una atque altera rurſus hiems
Noctibus in longis avidum ſaturaſſet amorem,
Poſſet ut abrupto vivere conjugio.
Quod ſcibant Parcæ non longo tempore abeſſe,
Si miles muros iſſet ad Iliacos:
Nam tum Helenæ raptu primores Argivorum
Cœperat ad ſeſe Troia ciere viros:
Troja nefas, commune ſepulcrum Aſiæ, Europæque,
Troja virum, & virtutum omnium acerba cinis.
Quæ nunc & id noſtro letum miſerabile fratri
Attulit. hei miſero frater ademte mihi!
Hei miſero fratri jucundum lumen ademtum!
Tecum una tota eſt noſtra ſepulta domus.
Omnia tecum una perierunt gaudia noſtra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Quem nunc tam longe non inter nota ſepulcra,
Nec prope cognatos compoſitum cineres,
Sed Troja obſcœna, Troja infelice ſepultum
Detinet extremo terra aliena ſolo.
Ad quam tum properans fertur ſimul undique pubes
Græca penetrales deſeruiſſe focos.
Ne Paris abducta gaviſus libera mœcha
Otia pacato degeret in thalamo.
Quo tibi tum caſu, pulcherrima Laodamia,
Ereptum eſt vita dulcius atque anima
Conjugium. tanto te abſorbens vortice amoris
Æſtus in abruptum detulerat barathrum:
Quale ferunt Graii Pheneum prope Cylleneum
Siccari emulſa pingue palude ſolum,
Quod quondam cæſis montis fodiſſe medullis
Audet falſiparens Amphitryoniades:
Tempore quo certa Stymphalia monſtra ſagitta
Perculit, imperio deterioris heri:
Pluribus ut cæli tereretur janua Divis,
Hebe nec longa virginitate foret.
Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
Quod Divum domitum ferre jugum docuit.
Nam neque tam carum confecto ætate parenti
Una caput ſeri nata nepotis alit:
Qui cum, divitiis vix tandem inventus avitis,
Nomen teſtatas intulit in tabulas,
Impia deriſi gentilis gaudia tollens,
Suſcitat a cano volturium capite;
Nec tantum niveo gaviſa eſt pulla columbo
Compar, quæ multo dicitur improbius
Oſcula mordenti ſemper decerpere roſtro;
Quamquam præcipue multivola eſt mulier.
Sed tu olim magnos viciſti ſola furores,
Ut ſemel es flavo conciliata viro.
Aut nihil, aut paullo quoi tum concedere digna
Lux mea ſe noſtrum contulit in gremium.
Quam circumcurſans hinc illinc ſæpe Cupido
Fulgebat crocina candidus in tunica.
Quæ tametſi uno non eſt contenta Catullo,
Rara verecundæ furta feremus heræ:
Ne nimium ſimus ſtultorum more moleſti.
Sæpe etiam Juno maxima cælicolum
Conjugis in culpa flagravit quottidiana,
Noſcens omnivoli plurima furta Jovis.
Atqui nec Divis homines componier æquum eſt.
Ingratum tremuli tolle parentis onus.
Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna
Fragrantem Aſſyrio venit odore domum:
Sed furtiva dedit mira munuſcula nocte,
Ipſius ex ipſo demta viri gremio.
Quare illud ſatis eſt, ſi nobis is datur unis,
Quem lapide illa diem candidiore notat.
Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus
Pro multis aliis redditur officiis:
Ne voſtrum ſcabra tangat robigine nomen
Hæc atque illa dies, atque alia, atque alia.
Huc addent Divi quamplurima, quæ Themis olim
Antiquis ſolita eſt munera ferre piis.
Sitis felices & tu ſimul, & tua vita,
Et domus, ipſe in qua luſimus & domina:
Et qui principio nobis terram dedit, auctore
A quo ſunt primo omnia nata bona:
Et longe ante omnes, mihi quæ me carior ipſo eſt,
Lux mea; qua viva vivere dulce mihi eſt.

AD RUFUM. LXVII.

NOli admirari, quare tibi femina nulla,
Rufe, velit tenerum ſuppoſuiſſe femur:
Non ſi illam raræ labefactes munere veſtis,
Aut pelluciduli deliciis lapidis.
Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur
Valle ſub alarum trux habitare caper.
Hunc metuunt omnes: neque mirum; nam mala valde eſt
Beſtia, nec quicum bella puella cubet.
Quare aut crudelem naſorum interfice peſtem;
Aut admirari deſine, cur fugiunt.

DE INCONSTANTIA FEMINEI AMORIS. LXVIII.

NUlli ſe dicit mulier mea nubere malle,
Quam mihi: non ſi ſe Jupiter ipſe petat.
Dicit: ſed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento, & rapida ſcribere oportet aqua.

AD VIRRONEM. LXIX.

SI quoi, Virro, bono ſacer alarum obſtitit hircus,
Aut ſi quem merito tarda podagra ſecat:
Æmulus iſte tuus, qui voſtrum exercet amorem,
Mirifice eſt, ac tu, nactus utrumque malum.
Nam quoties futuit, toties ulciſcitur ambos,
Illam affligit odore, ipſe perit podagra.

AD LESBIAM. LXX.

DIcebas quondam, ſolum te noſſe Catullum,
Lesbia, nec, præ me, velle tenere Jovem.
Dilexi tum te, non tantum ut vulgus amicam;
Sed pater ut gnatos diligit & generos.
Nunc te cognovi. quare, etſi impenſius uror,
Multo mi tamen es vilior & levior.
Qui potis eſt? inquis. quod amantem injuria talis
Cogit amare magis, ſed bene velle minus.

IN INGRATUM. LXXI.

DEſine de quoquam quicquam bene velle mereri,
Aut aliquem fieri poſſe putare pium.
Omnia ſunt ingrata: nihil feciſſe benigne eſt:
Immo etiam tædet, ſtatque magiſque magis.
Væ mihi, quem nemo gravius nec acerbius urget,
Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.

IN GELLIUM. LXXII.

GEllius audierat, patruum objurgare ſolere,
Si quis delicias diceret, aut faceret.
Hoc ne ipſi accideret, patrui perdepſuit ipſam
Uxorem, & patruum reddidit Harpocratem.
Quod voluit, fecit: nam, quamvis irrumet ipſum
Nunc patruum, verbum non faciet patruus.

AD LESBIAM. LXXIII.

NUlla poteſt mulier tantum ſe dicere amatam
Vere, quantum a me, Lesbia, amata, mea, es.
Nulla fides ullo fuit umquam fœdere tanta,
Quanta in amore tuo ex parte reperta mea eſt.
Nunc eſt mens adducta tua mea, Lesbia, culpa,
Atque ita ſe officio perdidit ipſa pio:
Ut jam nec bene velle queam tibi, ſi optima fias,
Nec deſiſtere amare, omnia ſi facias.

AD SEIPSUM. LXXIV.

SI qua recordanti benefacta priora voluptas
Eſt homini, quum ſe cogitat eſſe pium:
Nec ſanctam violaſſe fidem, nec fœdere in ullo
Divum ad fallendos numine abuſum homines:
Multa parata manent in longa ætate, Catulle,
Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
Nam quæcumque homines bene quoiquam aut dicere poſſunt,
Aut facere: hæc a te dictaque factaque ſunt.
Omnia quæ ingratæ perierunt credita menti.
Quare jam te cur amplius excrucies?
Quin tu animum offirmas, atque iſtinc uſque reducis,
Et, diis invitis, deſinis eſſe miſer?
Difficile eſt, longum ſubito deponere amorem.
Difficile eſt: verum hoc qualubet, efficias.
Una ſalus hæc eſt, hoc eſt tibi pervincendum.
Hoc facito ſive id non pote, ſive pote.
O dii, ſi voſtrum eſt miſereri, aut ſi quibus umquam
Extrema jam ipſa in morte tuliſtis opem:
Me miſerum aſpicite: &, ſi vitam puriter egi,
Eripite hanc peſtem perniciemque mihi:
Quæ mihi ſubrepens imos, ut torpor, in artus,
Expulit ex omni pectore lætitias.
Non jam illud quæro, contra ut me diligat illa,
Aut, quod non potis eſt, eſſe pudica velit.
Ipſe valere opto, & tætrum hunc deponere morbum.
O dii, reddite mi hoc pro pietate mea.

AD RUFUM. LXXV.

RUfe, mihi fruſtra, ac nequicquam credite amice,
(Fruſtra? immo magno cum pretio, atque malo)
Siccine ſubrepſti mi, atque inteſtina perurens
Mi miſero, eripuiſti omnia noſtra bona?
Eripuiſti. heu heu noſtræ crudele venenum
Vitæ, heu heu noſtræ peſtis amicitiæ.

DE GALLO. LXXVI.

GAllus habet fratres, quorum eſt lepidiſſima conjux
Alterius, lepidus filius alterius.
Gallus homo eſt bellus: nam dulces jungit amores,
Cum puero ut bello bella puella cubet.
Gallus homo eſt ſtultus, nec ſe videt eſſe maritum,
Qui patruus patrui monſtret adulterium.
Sed nunc id doleo, quod puræ impura puellæ
Suavia conjunxit ſpurca ſaliva tua.
Verum id non impune feres: nam te omnia ſecla
Noſcent; & qui ſis, fama loquetur anus.

IN LESBIUM. LXXVII.

LEsbius eſt pulcher: quidni? quem Lesbia malit,
Quam te cum tota gente, Catulle, tua?
Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum,
Si tria notorum ſuavia reppererit.

AD GELLIUM. LXXVIII.

QUid dicam, Gelli, quare roſea iſta labella
Hiberna fiant candidiora nive,
Mane domo quum exis & quum te octava quiete
E molli longo ſuſcitat hora die?
Neſcio quid certe eſt. an vere fama ſuſurrat,
Grandia te medii tenta vorare viri?
Sic certe: clamant Victoris rupta miſelli
Ilia, & emulſo labra notata ſero.

AD JUVENTIUM. LXXIX.

NEmone in tanto potuit populo eſſe, Juventi,
Bellus homo, quem tu diligere inciperes,
Præterquam iſte tuus moribunda a ſede Piſauri
Hoſpes, inaurata pallidior ſtatua,
Qui tibi nunc cordi eſt, quem tu præponere nobis
Audes? ah neſcis, quod facinus facias.

AD QUINTIUM. LXXX.

QUinti, ſi tibi vis oculos debere Catullum,
Aut aliud, ſi quid carius eſt oculis;
Eripere ei noli, multo quod carius illi
Eſt oculis, ſi quid carius eſt oculis.

IN LESBIÆ MARITUM. LXXXI.

LEsbia mi præſente viro mala plurima dicit.
Hoc illi fatuo maxima lætitia eſt.
Mule, nihil ſentis. ſi noſtri oblita taceret,
Sana eſſet. quod nunc gannit, & obloquitur,
Non ſolum meminit: ſed, quæ multo acrior eſt res,
Irata eſt: hoc eſt uritur, & loquitur.

DE ARRIO. LXXXII.

CHommoda dicebat, ſi quando commoda vellet
Dicere, & hinſidias Arrius inſidias.
Et tum mirifice ſperabat ſe eſſe locutum,
Quum quantum poterat, dixerat hinſidias.
Credo ſic mater, ſic Liber avunculus ejus,

Sic

Sic maternus avus dixerit, atque avia.
Hoc miſſo in Syriam, requierant omnibus aures,
Audibant eadem hæc leniter, & leviter.
Nec ſibi poſtilla metuebant talia verba;
Quum ſubito adfertur nuntius horribilis:
Ionios fluctus, poſtquam illuc Arrius iſſet,
Jam non Ionios eſſe, ſed Hionios.

DE AMORE SUO. LXXXIII.

ODi, & amo. quare id faciam, fortaſſe requiris.
Neſcio: ſed fieri ſentio, & excrucior.

DE QUINTIO ET LESBIA. LXXXIV.

QUintia formoſa eſt multis: mihi candida, longa,
Recta eſt. hoc ego: ſic ſingula confiteor.
Totum illud, FORMOSA, nego. nam nulla venuſtas,
Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.
Lesbia formoſa eſt: quæ cum pulcherrima tota eſt,
Tum omnibus una omnes ſurripuit Veneres.

AD GELLIUM. LXXXV.

QUid facit is, Gelli, qui cum matre atque ſorore
Prurit, & abjectis pervigilat tunicis?
Quid facit is patruum qui non ſinit eſſe maritum?
Ecquid ſcis quantum ſuſcipiat ſceleris?
Suſcipit, o Gelli, quantum non ultima Tethys,
Non genitor Nympharum abluit Oceanus.
Nam nihil eſt quicquam ſceleris, quo prodeat ultra:
Non ſi demiſſo ſe ipſe voret capite.

IN GELLIUM. LXXXVI.

GEllius eſt tenuis. quidni? quoi tam bona mater,
Tamque valens vivat, tamque venuſta ſoror,
Tamque bonus patruus, tamque omnia plena puellis
Cognatis. quare is deſinat eſſe macer?
Qui ut nihil attingat niſi quod fas tangere non eſt;
Quantumvis quare ſit macer, invenies.

IN EUMDEM. LXXXVII.

NAſcatur magus ex Gelli matriſque nefando
Conjugio, & diſcat Perſicum aruſpicium.
Nam magus ex matre & gnato gignatur oportet,
(Si vera eſt Perſarum impia relligio)
Gnatus ut accepto veneretur carmine Divos
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

AD GELLIUM. LXXXVIII.

NOn ideo, Gelli, ſperabam te mihi fidum
In miſero hoc noſtro hoc perdito amore fore:
Quod te cognoſſem bene, conſtantemque putarem,
Haud poſſe a turpi mentem inhibere probro:
Sed quod nec matrem, nec germanam eſſe videbam
Hanc tibi, cujus me magnus edebat amor.
Et quamvis tecum multo conjungerer uſu,
Non ſatis id cauſſæ credideram eſſe tibi.
Tu ſatis id duxti. tantum tibi gaudium in omni
Culpa eſt, in quacumque eſt aliquid ſceleris!

DE LESBIA. LXXXIX.

LEsbia mi dicit ſemper male, nec tacet umquam
De me: Lesbia me, diſpeream, niſi amat.
Quo ſigno? quaſi non totidem mox deprecer illi
Aſſidue: verum diſpeream, niſi amo.

AD CÆSAREM. XC.

NIl nimium ſtudeo, Cæſar, tibi velle placere:
Nec ſcire utrum ſis albus, an ater homo.

IN MENTULAM. XCI.

MEntula mœchatur: mœchatur mentula certe.
Hoc eſt quod dicunt: ipſa olera olla legit.

DE ZMYRNA CINNÆ POETÆ. XCII.

ZMyrna mei Cinnæ nonam poſt denique meſſem
Quam cæpta eſt, nonamque edita poſt hiemem,
Millia quum interea quingenta Hortenſius uno
* * * * * * *
* * cavas barathri penitus mittetur ad undas.
Zmyrnam incana diu ſæcula pervoluent.
At Voluſi Annales Aduam morientur ad ipſum,
Et laxas ſcombris ſæpe dabunt tunicas
Parva mei mihi ſunt cordi monimenta ſodalis,
At populus tumido gaudeat Antimacho.

AD CALVUM DE QUINTILIA. XCIII.

SI quicquam mutis gratum acceptumve ſepulcris
Accidere a noſtro, Calve, dolore poteſt,
Quo deſiderio veteres renovamus amores,
Atque olim amiſſas flemus amicitias:
Certe non tanto mors immatura dolori eſt
Quintiliæ, quantum gaudet amore tuo.

IN ÆMILIUM. XCIV.

NOn, ita me dii ament, quicquam referre putavi,
Utrumne os, an culum olfacerem Æmilio.
Nil immundius hoc, nihil eſt immundius illo:
Verum etiam culus mundior, & melior.
Nam ſine dentibus eſt. hoc dentes ſeſquipedales,
Gingivas vero ploxemi habet veteris.
Præterea rictum, qualem defeſſus in æſtum
Mejentis mulæ cunnus habere ſolet.
Hic futuit multas, & ſe facit eſſe venuſtum.
Et non piſtrino traditur, atque aſino?
Quem ſi qua attingit, non illam poſſe putemus
Ægroti culum lingere carnificis?

AD VETTIUM. XCV.

IN te, ſi in quemquam, dici pote, putide Vetti,
Id quod verboſis dicitur, & fatuis:
Iſta cum lingua, ſi uſus veniat tibi, poſſis
Culos & crepidas lingere carbatinas.
Si nos omnino vis omnes perdere, Vetti,
Hiſcas: omnino, quod cupis, efficies.

AD JUVENTIUM. XCVI.

SUrripui tibi, dum ludis, mellite Juventi,
Suaviolum dulci dulcius ambroſia.
Verum id non impune tuli. namque amplius horam
Suffixum in ſumma me memini eſſe cruce:
Dum tibi me purgo, nec poſſum fletibus ullis

Tantillum voſtræ demere ſævitiæ.
Nam ſimul id factum eſt, multis diluta labella
Guttis abſterſiſti omnibus articulis:
Ne quidquam noſtro contractum ex ore maneret,
Tamquam comminctæ ſpurca ſaliva lupæ.
Præterea infeſto miſerum me tradere amori
Non ceſſaſti, omnique excruciare modo:
Ut mi ex ambroſio mutatum jam foret illud
Saviolum, triſti triſtius helleboro.
Quam quoniam pœnam miſero proponis amori,
Non umquam poſthac baſia ſurripiam.

DE CŒLIO ET QUINTIO. XCVII.

CŒlius Aufilenum, & Quintius Aufilenam
Flos Veronenſium depereunt juvenum,
Hic fratrem, ille ſororem. hoc eſt quod dicitur illud,
Fraternum vere dulce ſodalitium.
Quoi faveam potius? Cœli, tibi. nam tua nobis
Perfecta exigitur unica amicitia,
Cum veſana meas torreret flamma medullas.
Sis felix, Cœli, ſis in amore potens.

INFERIÆ AD FRATRIS TUMULUM. XCVIII.

MUltas per gentes, & multa per æquora vectus
Adveni has miſeras, frater, ad inferias:
Ut te poſtremo donarem munere mortis,
Et mutum nequidquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi te abſtulit ipſum:
Heu miſer indigne frater ademte mihi!
Nunc tamen interea priſco quæ more parentum
Tradita ſunt triſtes munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu:
Atque in perpetuum, frater, ave atque vale.

AD CORNELIUM. XCIX.

SI quidquam tacito commiſſum eſt fido ab amico,
Quoius ſit penitus nota fides animi:
Me æque invenies illorum jure ſacratum,
Corneli, & factum me puta Harpocratem.

AD SILONEM. C.

AUt ſodes mihi redde decem ſeſtertia, Silo,
Deinde eſto quamvis ſævus & indomitus:
Aut, ſi te nummi delectant, deſine quæſo
Leno eſſe, atque idem ſævus & indomitus.

AD QUEMDAM DE LESBIA. CI.

CRedis, me potuiſſe meæ maledicere vitæ,
Ambobus mihi quæ carior eſt oculis?
Non potui: nec, ſi poſſem, tam perdite amarem.
Sed tua, Coponi, crimina, noſtra facis.

IN MENTULAM. CII.

MEntula conatur Pimplæum ſcandere montem:
Muſæ furcillis præcipitem ejiciunt.

DE PUERO ET PRÆCONE. CIII.

CUm puero bello præconem qui videt ipſum,
Quid credat, niſi ſe vendere diſcupere?

AD LESBIAM. CIV.

SI quidquam cupidoque optantique obtigit umquam, &
inſperanti, hoc eſt gratum animo proprie.
Quare hoc eſt gratum, nobis quoque carius auro,
Quod te reſtituis, Lesbia, mi cupido.
Reſtituis cupido, atque inſperanti ipſa refers te.
Nobis o lucem candidiore nota!
Quis me uno vivit felicior, aut magis eſt me
Optandus vita? dicere quis poterit?

AD COMINIUM. CV.

SI, Comini, arbitrio populari tua cana ſenectus
Spurcata impuris moribus intereat:
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua exſecta avido ſit data vulturio;
Effoſſos oculos voret atro gurgite corvus,
Inteſtina canes, cetera membra lupi.

AD LESBIAM. CVI.

JUcundum, mea vita, mihi proponis amorem
Hunc noſtrum inter nos, perpetuumque fore.
Di magni, facite, ut vere promittere poſſit,
Atque id ſincere dicat, & ex animo:
Ut liceat nobis tota producere vita
Æternum hoc ſanctæ fœdus amicitiæ.

AD AUFILENAM. CVII.

AUfilena, bonæ ſemper laudantur amicæ.
Accipiunt pretium, quæ facere inſtituunt.
Tu, quod promiſti mihi quod mentita, inimica es:
Quod nec das, & fers ſæpe, facis facinus.
Aut facere ingenuæ eſt, aut non promiſſe pudicæ,
Aufilena, fuit. ſed data corripere
Fraudando, efficitur pluſquam meretricis avaræ,
Quæ ſe ſe toto corpore proſtituit.

AD AUFILENAM. CVII.

AUfilena, viro contentas vivere ſolo
Nuptarum laus e laudibus eximiis:
Sed quoivis quamvis potius ſuccumbere fas eſt,
Quam matrem fratres efficere ex patruo.

AD NASONEM. CIX.

MUltus homo eſt, Naſo (nam tecum multus homo es) qui
Deſcendit? Naſo, multus es & pathicus.

AD CINNAM. CX.

COnſule Pompejo primum duo, Cinna, ſolebant
Mœchi. illo facto conſule nunc iterum
Manſerunt duo: ſed creverunt millia in unum
Singula. fœcundum ſemen adulterio.

IN MENTULAM. CXI.

FOrmianus ſaltus non falſo, Mentula, dives
Fertur. qui quot res in ſe habet egregias!
Aucupia omne genus, piſces, prata, arva, feraſque.
Nequicquam: fructus ſumtibus exſuperas.
Quare concedo ſit dives, dum omnia deſint.
Saltum laudemus, dum modo ipſe egeas.

IN EUMDEM. CXII.

MEntula habet inſtar triginta jugera prati,
Quadraginta arvi. cetera ſunt maria.
Cur non divitiis Crœſum ſuperare potis ſit,
Uno qui in ſaltu tot moda poſſideat?
Prata, arva, ingentes ſilvas, ſaltuſque, paludeſque
Uſque ad Hyperboreos, & mare ad Oceanum.
Omnia magna hæc ſunt; tamen ipſe eſt maximu' luſtro;
Non homo, ſed vere mentula magna, minax.

AD

AD GELLIUM. CXIII.

SÆpe tibi ſtudioſo animo venanda requirens
Carmina uti poſſem mittere Battiadæ,
Queis te lenirem nobis, neu conarere
Telis infeſto mi icere, muſca, caput;
Hunc video mihi nunc fruſtra ſumtum eſſe laborem,
Gelli, nec noſtras hinc valuiſſe preces.
Contra nos tela iſta tua evitamus amictu:
At fixus noſtris tu dabi' ſupplicium.

* * * * CXIV.

HUnc lucum tibi dedico conſecroque, Priape,
Qua domus tua Lampſaci eſt, quaque ſilva, Priape:
Nam te præcipue in ſuis urbibus colit ora
Helleſpontia, ceteris oſtreoſior oris.

* * * * CXV.

HUnc ego, juvenes, locum, villulamque paluſtrem,
Tectam vimine junceo, cariciſque maniplis,
Quercus arida, ruſtica conformata ſecuri
Nutrio: magis & magis ut beata quotannis.
Hujus nam domini colunt me, deumque ſalutant
Pauperis tuguri pater, filiuſque coloni:
Alter aſſidua colens diligentia, ut herba
Dumoſa aſperaque a meo ſit remota ſacello:
Alter parva ferens manu ſemper munera larga.
Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitu', & tenera virens ſpica mollis ariſta:
Luteæ violæ mihi, luteumque papaver,
Pallenteſque cucurbitæ, & ſuaveolentia mala,
Uva pampinea rubens educata ſub umbra.
Sanguine hanc etiam mihi (ſed tacebitis) aram
Barbatus linit hirculus, cornipeſve capella.
Pro queis omnia honoribus hæc neceſſe Priapo
Præſtare, & domini hortulum vineamque tueri.
Quare hinc, o pueri, malas abſtinete rapinas.
Vicinus prope dives eſt, negligenſque Priapus,
Inde ſumite. ſemita hæc deinde vos feret ipſa.

* * * * CXVI.

EGo hæc ego arte fabricata ruſtica,
Ego arida, o viator, ecce populus
Agellulum hunc ſiniſtra, tute quem vides,
Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malaſque furis arceo manus.
Mihi corolla picta vere ponitur,
Mihi rubens ariſta ſole fervido,
Mihi virente dulcis uva pampino,
Mihique glauca duro oliva frigore.
Meis capella delicata paſcuis
In urbem adulta lacte portat ubera:
Meiſque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit ære dexteram:
Tenerque matre mugiente vaccula
Deum profundit ante templa ſanguinem.
Proin, viator, hunc deum vereberis,
Manumque ſorſum habebis: hoc tibi expedit.
Parata namque crux, ſine arte mentula.
Velim pol, inquis: at pol ecce villicus
Venit, valente quoi revulſa brachio
Fit iſta mentula apta clava dexteræ-

P. VIRGILII MARONIS OPERA.

BUCOLICON LIBER.

TITYRUS, ECLOGA I.

MELIBOEUS, TITYRUS.

M. TITYRE, tu patulæ recubans ſub tegmine fagi
Silveſtrem tenui Muſam meditaris avena:
Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arva;
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra
Formoſam reſonare doces Amaryllida ſilvas.
T. O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi ſemper deus: illius aram
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, & ipſum
Ludere, quæ vellem, calamo permiſit agreſti.
M. Non equidem invideo: miror magis. undique totis
Uſque adeo turbatur agris. en ipſe capellas
Protenus æger ago: hanc etiam vix, Tityre, duco.
Hic inter denſas corylos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah ſilice in nuda connixa reliquit.
Sæpe malum hoc nobis, ſi mens non læva fuiſſet,
De cælo tactas memini prædicere quercus:
Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix.
Sed tamen, iſte deus qui ſit, da, Tityre, nobis.
T. Urbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavi
Stultus ego huic noſtræ ſimilem, quo ſæpe ſolemus

Paſto-

Paſtores ovium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hædos
Noram: ſic parvis componere magna ſolebam.
Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.
M. Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſa videndi?
T. Libertas: quæ ſera tamen reſpexit inertem;
Candidior poſtquam tondenti barba cadebat;
Reſpexit tamen, & longo poſt tempore venit,
Poſtquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque (fatebor enim) dum me Galatea tenebat,
Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculi,
Quamvis multa meis exiret victima ſeptis,
Pinguis & ingratæ premeretur caſeus urbi,
Non umquam gravis ære domum mihi dextra redibat.
M. Mirabar, quid mœſta deos, Amarylli, vocares:
Cui pendere ſua patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat. ipſæ te, Tityre, pinus,
Ipſi te fontes, ipſa hæc arbuſta vocabant.
T. Quid facerem? neque ſervitio me exire licebat,
Nec tam præſentes alibi cognoſcere divos.
Hic illum vidi juvenem, Melibœe, quotannis
Bis ſenos cui noſtra dies altaria fumant.
Hic mihi reſponſum primus dedit ille petenti:
Paſcite, ut ante, boves, pueri: ſubmittite tauros.
M. Fortunate ſenex, ergo tua rura manebunt!
Et tibi magna ſatis: quamvis lapis omnia nudus,
Limoſoque palus obducat paſcua junco:
Non inſueta graves tentabunt pabula fœtas:
Nec mala vicini pecoris contagia lædent.
Fortunate ſenex, hic inter flumina nota,
Et fontes ſacros, frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quæ ſemper vicino ab limite ſepes,
Hyblæis apibus florem depaſta ſalicti,
Sæpe levi ſomnum ſuadebit inire ſuſurro.
Hinc alta ſub rupe canet frondator ad auras.
Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aeria ceſſabit turtur ab ulmo.
T. Ante leves ergo paſcentur in æthere cervi,
Et freta deſtituent nudos in litore piſces.
Ante, pererratis amborum finibus exul,
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quam noſtro illius labatur pectore vultus.
M. At nos hinc alii ſitientes ibimus Afros:
Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxem,
Et penitus toto diviſos orbe Britannos.
En umquam patrios longo poſt tempore fines,
Pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen,
Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas?
Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? en quo diſcordia cives
Produxit miſeros! en queis conſevimus agros!
Inſere nunc, Melibœe, pyros; pone ordine vites.
Ite meæ, felix quondam pecus, ite capellæ.
Non ego vos poſthac, viridi projectus in antro,
Dumoſa pendere procul de rupe videbo.
Carmina nulla canam. non me paſcente, capellæ,
Florentem cytiſum, & ſalices carpetis amaras.
T. Hic tamen hanc mecum poteras requieſcere noctem
Fronde ſuper viridi. ſunt nobis mitia poma,
Caſtaneæ molles, & preſſi copia lactis.
Et jam ſumma procul villarum culmina fumant,
Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

ALEXIS, Ecloga II.

Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin,
Delicias domini: nec, quid ſperaret, habebat.
Tantum inter denſas umbroſa cacumina fagos
Aſſidue veniebat. ibi hæc incondita ſolus
Montibus & ſilvis ſtudio jactabat inani.
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas,
Nil noſtri miſerere? mori me denique coges.
Nunc etiam pecudes umbras, & frigora captant;
Nunc virides etiam occultant ſpineta lacertos:
Theſtylis & rapido feſſis meſſoribus æſtu
Allia ſerpyllumque herbas contundit olentes.
At mecum raucis, tua dum veſtigia luſtro,
Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.
Nonne fuit ſatius triſtes Amaryllidis iras,
Atque ſuperba pati faſtidia? nonne Menalcam?
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus eſſes.
O formoſe puer, nimium ne crede colori.
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Deſpectus tibi ſum, nec quis ſim, quæris, Alexi:
Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.
Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.
Lac mihi non æſtate novum, non frigore deſit.
Canto, quæ ſolitus, ſi quando armenta vocabat,
Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.
Nec ſum adeo informis: nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis ſtaret mare. non ego Daphnin
Judice te metuam, ſi numquam fallit imago.
O tantum libeat mecum tibi ſordida rura,
Atque humiles habitare caſas, & figere cervos,
Hædorumque gregem viridi compellere hibiſco!
Mecum una in ſilvis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera conjungere plures
Inſtituit: Pan curat oves, oviumque magiſtros.
Nec te pœniteat calamo triviſſe labellum.
Hæc eadem ut ſciret, quid non faciebat Amyntas?
Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula, Damœtas dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens: Te nunc habet iſta ſecundum.
Dixit Damœtas: invidit ſtultus Amyntas.
Præterea duo, nec tuta mihi valle reperti,
Capreoli ſparſis etiam nunc pellibus albo,
Bina die ſiccant ovis ubera: quos tibi ſervo.
Jampridem a me illos abducere Theſtylis orat:
Et faciet; quoniam ſordent tibi munera noſtra.
Huc ades, o formoſe puer. tibi lilia plenis
Ecce ferunt nymphæ calathis: tibi candida Nais
Pallentes violas & ſumma papavera carpens,
Narciſſum, & florem jungit bene olentis anethi.
Tum, caſia atque aliis intexens ſuavibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.
Ipſe ego cana legam tenera lanugine mala,
Caſtaneaſque nuces, mea quas Amaryllis amabat.
Addam cerea pruna: & honos erit huic quoque pomo.
Et vos, o lauri, carpam, & te, proxima myrte:
Sic poſitæ quoniam ſuaves miſcetis odores.
Ruſticus es, Corydon; nec munera curat Alexis:
Nec, ſi muneribus certes, concedat Iolas.
Eheu, quid volui miſero mihi? floribus auſtrum
Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros.
Quem fugis, ah demens? habitarunt dî quoque ſilvas,
Dardaniuſque Paris. Pallas, quas condidit arces,
Ipſa colat. nobis placeant ante omnia ſilvæ.
Torva leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam;
Florentem cytiſum ſequitur laſciva capella:

Te

Te Corydon, o Alexi. trahit ſua quemque voluptas.
Aſpice; aratra jugo referunt ſuſpenſa juvenci,
Et ſol creſcentes decedens duplicat umbras:
Me tamen urit amor. quis enim modus adſit amori?
Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit!
Semiputata tibi frondoſa vitis in ulmo eſt:
Quin tu aliquid ſaltem potius, quorum indiget uſus,
Viminibus mollique paras detexere junco?
Invenies alium, ſi te hic faſtidit, Alexim.

PALÆMON, Ecloga III.

Menalcas, Damoetas, Palæmon.

DIc mihi, Damœta, cujum pecus? an Melibœi?
D. Non: verum Ægonis. nuper mihi tradidit Ægon.
M. Infelix o ſemper oves pecus! ipſe Neæram
Dum fovet, ac, ne me ſibi præferat illa, veretur,
Hic alienus oves cuſtos bis mulget in hora:
Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.
D. Parcius iſta viris tamen objicienda memento.
Novimus & qui te, tranſverſa tuentibus hircis,
Et quo, ſed faciles Nymphæ riſere, ſacello.
M. Tum, credo, cum me arbuſtum videre Myconis,
Atque mala vites incidere falce novellas.
D. Aut hic ad veteres fagos, cum Daphnidis arcum
Fregiſti & calamos: quæ tu, perverſe Menalca,
Et cum vidiſti puero donata, dolebas,
Et, ſi non aliqua nocuiſſes, mortuus eſſes.
M. Quid domini faciant, audent cum talia fures?
Non ego te vidi Damonis, peſſime, caprum
Excipere inſidiis, multum latrante Lyciſca?
Et cum clamarem: Quo nunc ſe proripit ille?
Tytire, coge pecus: tu poſt carecta latebas.
D. An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruiſſet fiſtula, caprum?
Si neſcis, meus ille caper fuit; & mihi Damon
Ipſe fatebatur: ſed reddere poſſe negabat.
M. Cantando tu illum? aut umquam tibi fiſtula cera
Juncta fuit? non tu in triviis, indocte, ſolebas
Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen?
D. Vis ergo inter nos, quid poſſit uterque, viciſſim
Experiamur? ego hanc vitulam, ne forte recuſes,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus,
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.
M. De grege non auſim quicquam deponere tecum.
Eſt mihi namque domi pater, eſt injuſta noverca:
Biſque die numerant ambo pecus, alter & hædos.
Verum id, quod multo tute ipſe fatebere majus,
Inſanire libet quoniam tibi, pocula ponam
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili ſuperaddita vitis
Diffuſos hedera veſtit pallente corymbos.
In medio duo ſigna, Conon: & quis fuit alter,
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem?
Tempora quæ meſſor, quæ curvus arator haberet?
Necdum illis labra admovi, ſed condita ſervo.
D. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit:
Et molli circum eſt anſas amplexus acantho:
Orpheaque in medio poſuit, ſilvaſque ſequentes.
Necdum illis labra admovi, ſed condita ſervo.
Si ad vitulam ſpectas, nihil eſt, quod pocula laudes.
M. Numquam hodie effugies. veniam, quocumque vocaris.
Audiat hæc tantum vel qui venit, ecce Palæmon:
Efficiam poſthac ne quemquam voce laceſſas.
D. Quin age, ſi quid habes; in me mora non erit ulla,
Nec quemquam fugio. tantum, vicine Palæmon,
Senſibus hæc imis (res eſt non parva) reponas.
P. Dicite: quandoquidem in molli conſedimus herba.
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent ſilvæ, nunc formoſiſſimus annus.
Incipe, Damœta: tu deinde ſequere, Menalca:
Alternis dicetis: amant alterna Camœnæ.
D. Ab Jove principium Muſæ: Jovis omnia plena:
Ille colit terras, illi mea carmina curæ.
M. Et me Phœbus amat: Phœbo ſua ſemper apud me
Munera ſunt lauri, & ſuave rubens hyacinthus.
D. Malo me Galatea petit laſciva puella,
Et fugit ad ſalices, & ſe cupit ante videri.
M. At mihi ſeſe offert ultro meus ignis Amyntas:
Notior ut jam ſit canibus non Delia noſtris.
D. Parta meæ Veneri ſunt munera: namque notavi
Ipſe locum, aeriæ quo congeſſere palumbes.
M. Quod potui, puero ſilveſtri ex arbore lecta
Aurea mala decem miſi: cras altera mittam.
D. O quoties, & quæ nobis Galatea locuta eſt!
Partem aliquam venti divum referatis ad aures.
M. Quid prodeſt, quod me ipſe animo non ſpernis, Amynta,
Si, dum tu ſectaris apros, ego retia ſervo?
D. Phyllida mitte mihi; meus eſt natalis, Iola:
Cum faciam vitula pro frugibus, ipſe venito.
M. Phyllida amo ante alias: nam me diſcedere flevit:
Et, Longum, formoſe, vale, vale, inquit, Iola.
D. Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.
M. Dulce ſatis humor, depulſis arbutus hœdis,
Lenta ſalix fœto pecori, mihi ſolus Amyntas.
M. Pollio amat noſtram, quamvis ſit ruſtica, muſam:
Pierides, vitulam lectori paſcite veſtro.
M. Pollio & ipſe facit nova carmina. paſcite taurum,
Jam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.
D. Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet.
Mella fluant illi, ferat & rubus aſper amomum.
M. Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi:
Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.
D. Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.
M. Parcite oves nimium procedere: non bene ripæ
Creditur. ipſe aries etiam nunc vellera ſiccat.
D. Tityre, paſcentes a flumine rejice capellas:
Ipſe, ubi tempus erit, omnes in fonte lavabo.
M. Cogite oves, pueri: ſi lac præceperit æſtus,
Ut nuper, fruſtra preſſabimus ubera palmis.
D. Eheu, quam pingui macer eſt mihi taurus in ervo!
Idem amor exitium pecori eſt, pecoriſque magiſtro.
M. His certe neque amor cauſa eſt: vix oſſibus hærent.
Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.
D. Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cæli ſpatium non amplius ulnas.
M. Dic quibus in terris inſcripti nomina regum
Naſcantur flores: & Phyllida ſolus habeto.
P. Non noſtrum inter vos tantas componere lites:
Et vitula tu dignus, & hic, & quiſquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.
Claudite jam rivos, pueri. ſat prata biberunt.

POL-

POLLIO, Egloga IV.

Sicelides Muſæ, paulo majora canamus.
Non omnes arbuſta juvant, humileſque myricæ.
Si canimus ſylvas, ſylvæ ſint Conſule dignæ.
Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo.
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna:
Jam nova progenies cælo demittitur alto.
Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo,
Caſta fave Lucina: tuus jam regnat Apollo.
Teque adeo decus hoc ævi, te Conſule, inibit,
Pollio: & incipient magni procedere menſes.
Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſolvent formidine terras.
Ille deum vitam accipiet, diviſque videbit
Permixtos heroas, & ipſe videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuſcula cultu
Errantes hederas paſſim cum baccare tellus,
Mixtaque ridenti colocaſia fundet acantho.
Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Ubera: nec magnos metuent armenta leones.
Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni
Occidet: Aſſyrium vulgo naſcetur amomum.
At ſimul heroum laudes & facta parentis
Jam legere, & quæ ſit poteris cognoſcere virtus:
Molli paulatim flaveſcet campus ariſta,
Incultiſque rubens pendebit ſentibus uva,
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella:
Pauca tamen ſuberunt priſcæ veſtigia fraudis,
Quæ tentare Thetim ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infindere ſulcos.
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.
Hinc, ubi jam firmata virum te fecerit ætas,
Cedet & ipſe mari vector; nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non raſtros patietur humus, non vinea falcem.
Robuſtus quoque jam tauris juga ſolvet arator.
Nec varios diſcet mentiri lana colores.
Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.
Sponte ſua ſandyx paſcentes veſtiet agnos.
Talia ſæcla, ſuis dixerunt, currite, fuſis
Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.
Aggredere o magnos (aderit jam tempus) honores,
Cara deum ſoboles, magnum Jovis incrementum.
Aſpice convexo nutantem pondere mundum,
Terraſque, tractuſque maris, cælumque profundum:
Aſpice, venturo lætentur ut omnia ſæclo.
O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,
Spiritus & quantum ſat erit tua dicere facta!
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamvis, atque huic pater adſit:
Orphei Calliopea, Lino formoſus Apollo.
Pan etiam, Arcadia mecum ſi judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat ſe judice victum.
Incipe, parve puer, riſu cognoſcere matrem:
Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.
Incipe, parve puer: cui non riſere parentes,
Nec deus hunc menſa, dea nec dignata cubili eſt.

DAPHNIS, Egloga V.

Menalcas, Mopſus.

Cur non, Mopſe, (boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere verſus,)
Hic corylis mixtas inter conſedimus ulmos?
Mo. Tu major: tibi me eſt æquum parere, Menalca:
Sive ſub incertas Zephyris motantibus umbras,
Sive antro potius ſuccedimus. aſpice, ut antrum
Sylveſtris raris ſparſit labruſca racemis.
Me. Montibus in noſtris ſolus tibi certet Amyntas.
Mo. Quid ſi idem certet Phœbum ſuperare canendo?
Me. Incipe, Mopſe, prior; ſi quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.
Incipe: paſcentes ſervabit Tityrus hædos.
Mo. Immo hæc, in viridi nuper quæ cortice fagi
Carmina deſcripſi, & modulans alterna notavi,
Experiar: tu deinde jubeto certet Amyntas.
Me. Lenta ſalix quantum pallenti cedit olivæ,
Puniceis humilis quantum ſaliunca roſetis;
Judicio noſtro tantum tibi cedit Amyntas.
Mo. Sed tu deſine plura, puer: ſucceſſimus antro.
Exſtinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim
Flebant: vos coryli teſtes, & flumina nymphis:
Cum, complexa ſui corpus miſerabile gnati,
Atque deos atque aſtra vocat crudelia mater.
Non ulli paſtos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina: nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuiſſe leones
Interitum monteſque feri ſylvæque loquuntur.
Daphnis & Armenias curru ſubjungere tigres
Inſtituit, Daphnis thiaſos inducere Baccho,
Et foliis lentas intexere mollibus haſtas.
Vitis ut arboribus decori eſt, ut vitibus uvæ,
Ut gregibus tauri, ſegetes ut pinguibus arvis;
Tu decus omne tuis. poſtquam te fata tulerunt,
Ipſa Pales agros, atque ipſe reliquit Apollo.
Grandia ſæpe quibus mandavimus hordea ſulcis,
Infelix lolium, & ſteriles naſcuntur avenæ.
Pro molli viola, pro purpureo narciſſo,
Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis.
Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
Paſtores: mandat fieri ſibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, & tumulo ſuperaddite carmen:
Daphnis ego in ſylvis, hinc uſque ad ſidera notus,
Formoſi pecoris cuſtos, formoſior ipſe.
Me. Tale tuum carmen nobis, divine poeta,
Quale ſopor feſſis in gramine: quale per æſtum
Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere rivo.
Nec calamis ſolum æquiparas, ſed voce magiſtrum.
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen hæc quocumque modo tibi noſtra viciſſim
Dicemus; Daphninque tuum tollemus ad aſtra:
Daphnin ad aſtra feremus. amavit nos quoque Daphnis.
Mo. An quidquam nobis tali ſit munere majus?
Et puer ipſe fuit cantari dignus: & iſta
Jam pridem Stimicon laudavit carmina nobis.
Me. Candidus inſuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibuſque videt nubes & ſidera Daphnis.
Ergo alacris ſylvas & cetera rura voluptas
Panaque Paſtoreſque tenet, Dryadaſque puellas.
Nec lupus inſidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis.
Ipſi lætitia voces ad ſidera jactant

Intonſi

Intonſi montes: ipſæ jam carmina rupes,
Ipſa ſonant arbuſta: Deus, deus ille, Menalca.
Sis bonus o felixque tuis! en quatuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phœbo;
Pocula bina novo ſpumantia lacte quotannis,
Craterasque duo ſtatuam tibi pinguis olivi:
Et multo in primis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, ſi frigus erit, ſi meſſis, in umbra,
Vina novum fundam calathis Ariuſia nectar.
Cantabunt mihi Damœtas & Lyctius Ægon:
Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibœus.
Hæc tibi ſemper erunt, & cum ſolemnia vota
Reddemus nymphis, & cum luſtrabimus agros.
Dum juga montis aper, fluvios dum piſcis amabit,
Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.
Ut Baccho Cererique, tibi ſic vota quotannis
Agricolæ facient: damnabis tu quoque votis.
Mo. Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis ſibilus auſtri,
Nec percuſſa juvant fluctu tam litora, nec quæ
Saxoſas inter decurrunt flumina valles.
Me. Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.
Hæc nos, Formoſum Corydon ardebat Alexim:
Hæc eadem docuit, Cujum pecus? an Melibœi?
Mo. At tu ſume pedum, quod, me cum ſæpe rogaret,
Non tulit Antigenes, (& erat tum dignus amari)
Formoſum paribus nodis atque ære, Menalca.

SILENUS, Ecloga VI.

Faunorum, Satyrorum, & Sylvanorum Delectatio.

PRima Syracoſio dignata eſt ludere verſu,
Noſtra nec erubuit ſylvas habitare Thalia.
Cum canerem reges & prælia, Cynthius aurem
Vellit, & admonuit: Paſtorem, Tityre, pingues
Paſcere oportet oves, deductum dicere carmen.
Nunc ego (namque ſuper tibi erunt, qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant, & triſtia condere bella)
Agreſtem tenui meditabor arundine Muſam.
Non injuſſa cano. ſi quis tamen hæc quoque, ſi quis
Captus amore leget; te noſtræ, Vare, myricæ,
Te nemus omne canet. nec Phœbo gratior ulla eſt,
Quam ſibi quæ Vari præſcripſit pagina nomen.
Pergite, Pierides. Chromis & Mnaſylus in antro
Silenum pueri ſomno videre jacentem,
Inflatum heſterno venas, ut ſemper, Iaccho.
Serta procul tantum capiti delapſa jacebant:
Et gravis attrita pendebat cantharus anſa.
Agreſſi (nam ſæpe ſenex ſpe carminis ambo
Luſerat) injiciunt ipſis ex vincula ſertis.
Addit ſe ſociam, timidiſque ſupervenit Ægle:
Ægle Naiadum pulcherrima. jamque videnti
Sanguineis frontem moris & tempora pingit.
Ille dolum ridens, Quo vincula nectitis? inquit.
Solvite me, pueri. ſatis eſt potuiſſe videri.
Carmina quæ vultis, cognoſcite: carmina vobis;
Huic aliud mercedis erit. ſimul incipit ipſe.
Tum vero in numerum Faunoſque feraſque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantum Phœbo gaudet Parnaſſia rupes:
Nec tantum Rhodope mirantur & Iſmarus Orphea.
Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque, animæque, mariſve fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis: ut his exordia primis
Omnia, & ipſe tener mundi concreverit orbis:
Tum durare ſolum, & diſcludere Nerea ponto
Cœperit, & rerum paullatim ſumere formas.
Jamque novum terræ ſtupeant luceſcere ſolem:
Altius atque cadant ſummotis nubibus imbres:
Incipiant ſilvæ cum primum ſurgere, cumque
Rara per ignotos errent animalia montes.
Hinc lapides Pyrrhæ jactos, Saturnia regna:
Caucaſeaſque refert volucres: furtumque Promethei.
His adjungit, Hylam nautæ quo fonte relictum
Clamaſſent: ut littus, Hyla, Hyla, omne ſonaret.
Et fortunatam, ſi numquam armenta fuiſſent,
Paſiphaen nivei ſolatur amore juvenci.
Ah virgo infelix, quæ te dementia cepit?
Prœtides implerunt falſis mugitibus agros.
At non tam turpes pecudum tamen ulla ſecuta eſt
Concubitus, quamvis collo timuiſſet aratrum,
Et ſæpe in lævi quæſiſſet cornua fronte.
Ah virgo infelix, tu nunc in montibus erras:
Ille latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice ſub nigra pallentes ruminat herbas.
Aut aliquam in magno ſequitur grege. claudite, nymphæ,
Dictææ nymphæ, nemorum jam claudite ſaltus:
Si qua forte ferant oculis ſeſe obvia noſtris
Errabunda bovis veſtigia: forſitan illum
Aut herba captum viridi, aut armenta ſecutum
Perducant aliquæ ſtabula ad Gortynia vaccæ.
Tum canit Heſperidum miratam mala puellam:
Tum Phaethontiadas muſco circumdat amaræ
Corticis, atque ſolo proceras erigit alnos.
Tum canit, errantem Permeſſi ad flumina Gallum
Aonas in montes ut duxerit una ſororum:
Utque viro Phœbi chorus aſſurrexerit omnis:
Ut Linus hæc illi, divino carmine paſtor,
Floribus, atque apio crines ornatus amaro,
Dixerit: Hos tibi dant calamos (en accipe) muſæ,
Aſcræo quos ante ſeni, quibus ille ſolebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo:
Ne quis ſit lucus, quo ſe plus jactet Apollo.
Quid loquar? aut Scyllam Niſi, aut quam fama ſecuta eſt
Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris
Dulichias vexaſſe rates, & gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus laceraſſe marinis:
Aut ut mutatos Terei narraverit artus?
Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit?
Quo curſu deſerta petiverit? & quibus ante
Infelix ſua tecta ſupervolitaverit alis?
Omnia quæ, Phœbo quondam meditante, beatus
Audiit Eurotas, juſſitque ediſcere lauros,
Ille canit; pulſæ referunt ad ſidera valles.
Cogere donec oves ſtabulis, numerumque referre
Juſſit, & invito proceſſit veſper Olympo.

MELIBŒUS. Ecloga VII.

Corydon, Thyrſis, Melibœus.

FOrte ſub arguta conſederat ilice Daphnis,
Compulerantque greges Corydon, & Thyrſis in unum,
Thyrſis oves, Corydon diſtentas lacte capellas;
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, & reſpondere parati.
Hic mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,

Vir gregis ipſe caper deerraverat. atque ego Daphnim
Aſpicio: ille ubi me contra videt; Ocius, inquit,
Huc ades, o Melibœe: caper tibi ſalvus, & hœdi.
Et, ſi quid ceſſare potes, requieſce ſub umbra.
Huc ipſi potum venient per prata juvenci:
Hic virides tenera prætexit arundine ripas
Mincius, eque ſacra reſonant examina quercu.
Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phyllida habebam,
Depulſos a lacte domi quæ clauderet agnos:
Et certamen erat, Corydon cum Thyrſide, magnum.
Poſthabui tamen illorum mea ſeria ludo.
Alternis igitur contendere verſibus ambo
Cœpere: alternos Muſæ meminiſſe volebant.
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrſis.
C. Nymphæ, noſter amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite: proxima Phœbi
Verſibus ille facit. aut, ſi non poſſumus omnes,
Hic arguta ſacra pendebit fiſtula pinu.
T. Paſtores, hedera creſcentem ornate poetam,
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro.
Aut ſi ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.
C. Setoſi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramoſa Mycon vivacis cornua cervi.
Si proprium hoc fuerit, lævi de marmore tota
Puniceo ſtabis ſuras evincta cothurno.
T. Sinum lactis, & hæc te liba, Priape, quotannis
Expectare ſat eſt: cuſtos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem ſuppleverit, aureus eſto.
C. Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior cycnis, hedera formoſior alba:
Cum primum paſti repetent præſepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.
T. Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior ruſco, projecta vilior alga;
Si mihi non hæc lux toto jam longior anno eſt.
Ite domum paſti, ſi quis pudor, ite juvenci.
C. Muſcoſi fontes, & ſomno mollior herba,
Et quæ vos rara viridis tegit arbutus umbra,
Solſtitium pecori defendite: jam venit æſtas
Torrida: jam læto turgent in palmite gemmæ.
T. Hic focus, & tædæ pingues, hic plurimus ignis
Semper, & aſſidua poſtes fuligine nigri.
Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.
C. Stant & juniperi, & caſtaneæ hirſutæ:
Strata jacent paſſim ſua quæque ſub arbore poma.
Omnia nunc rident. at ſi formoſus Alexis
Montibus his abeat, videas & flumina ſicca.
T. Aret ager: vitio moriens ſitit aeris herba:
Liber pampineas invidit collibus umbras.
Phyllidis adventu noſtræ nemus omne virebit:
Jupiter & læto deſcendet plurimus imbri.
C. Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho,
Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.
Phyllis amat corylos. illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phœbi.
T. Fraxinus in ſilvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis.
Sæpius at ſi me, Lycida formoſe, reviſas,
Fraxinus in ſilvis cedat tibi, pinus in hortis.
M. Hæc memini, & victum fruſtra contendere Thyrſin,
Ex illo Corydon, Corydon eſt tempore nobis.

PHARMACEUTRIA, Ecloga VIII.

Damon, Alpheſibœus.

PAſtorum Muſam Damonis & Alpheſibœi,
Immemor herbarum quos eſt mirata juvenca
Certantes, quorum ſtupefactæ carmine lynces;
Et mutata ſuos requierunt flumina curſus:
Damonis Muſam dicemus & Alpheſibœi.
Tu mihi, ſeu magni ſuperas jam ſaxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis æquoris; en erit umquam
Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta!
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno!
A te principium: tibi deſinet. accipe juſſis
Carmina cœpta tuis: atque hanc ſine tempora circum
Inter victrices hederam tibi ſerpere lauros.
Frigida vix cælo noctis deceſſerat umbra,
Cum ros in tenera pecori gratiſſimus herba:
Incumbens tereti Damon ſic cœpit olivæ.
D. Naſcere, præque diem veniens age, Lucifer, almum;
Conjugis indigno Niſæ deceptus amore
Dum queror, & divos (quamquam nil teſtibus illis
Profeci) extrema moriens tamen adloquor hora.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
Mænalus argutumque nemus pinoſque loquentes
Semper habet; ſemper paſtorum ille audit amores,
Panaque, qui primus calamos non paſſus inertes.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
Mopſo Niſa datur. quid non ſperemus amantes?
Jungentur jam gryphes equis: ævoque ſequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.
Mopſe, novas incide faces: tibi ducitur uxor.
Sparge, marite, nuces: tibi deſerit Heſperus Oetam.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
O digno conjuncta viro, dum deſpicis omnes,
Dumque tibi eſt odio mea fiſtula, dumque capellæ,
Hirſutumque ſupercilium, promiſſaque barba:
Nec curare deum credis mortalia quemquam.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
Sepibus in noſtris parvam te roſcida mala
(Dux ego veſter eram) vidi cum matre legentem.
Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus:
Jam fragiles poteram a terra contingere ramos.
Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error!
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
Nunc ſcio, quid ſit Amor. duris in cotibus illum
Aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec generis noſtri puerum nec ſanguinis edunt.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
Sævus Amor docuit gnatorum ſanguine matrem
Commaculare manus. crudelis tu quoque, mater;
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer: crudelis tu quoque, mater.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
Nunc & oves ultro fugiat lupus: aurea duræ
Mala ferant quercus: Narciſſo floreat alnus:
Pinguia corticibus ſudent electra myricæ.
Certent & cycnis ululæ: ſit Tityrus Orpheus:
Orpheus in ſilvis, inter Delphinas Arion.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
Omnia vel medium fiant mare: vivite ſilvæ.
Præceps aerii ſpecula de montis in undas
Deferar. extremum hoc munus morientis habeto.
Deſine, Mænalios jam deſine, tibia, verſus.
Hæc Damon: vos, quæ reſponderit Alpheſibœus,

Dicite

Dicite, Pierides. non omnia poſſumus omnes.
A. Effer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta:
Verbenaſque adole pingues & maſcula thura:
Conjugis ut magicis ſanos avertere ſacris
Experiar ſenſus. nihil hic niſi carmina deſunt.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Carmina vel cælo poſſunt deducere Lunam:
Carminibus Circe ſocios mutavit Ulyxi:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Terna tibi hæc primum triplici diverſa colore
Licia circumdo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco. numero deus impare gaudet.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores:
Necte, Amarylli, modo: &, Veneris, dic, vincula necto.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit
Uno eodemque igni; ſic noſtro Daphnis amore.
Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.
Daphnis me malus urit: ego hanc in Daphnide laurum.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Talis amor Daphnim, qualis, cum feſſa juvencum
Per nemora atque altos quærendo bucula lucos
Propter aquæ rivum viridi procumbit in ulva
Perdita, nec feræ meminit decedere nocti:
Talis amor teneat, nec ſit mihi cura mederi.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora cara ſui: quæ nunc ego limine in ipſo,
Terra, tibi mando. debent hæc pignora Daphnim.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena,
Ipſe dedit Mœris. naſcuntur plurima Ponto.
His ego ſæpe lupum fieri, & ſe condere ſilvis
Mœrin, ſæpe animas imis excire ſepulcris,
Atque ſatas alio vidi traducere meſſes.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Fer cineres, Amarylli, foras: rivoque fluenti,
Tranſque caput jace: ne reſpexeris. his ego Daphnim
Aggrediar: nihil ille deos, nil carmina curat.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Aſpice: corripuit tremulis altaria flammis
Sponte ſua, dum ferre moror, cinis ipſe. bonum ſit!
Neſcio quid certe eſt: & Hylax in limine latrat.
Credimus? an, qui amant, ipſi ſomnia fingunt?
Parcite, ab urbe venit, jam parcite, carmina, Daphnis.

MOERIS, Ecloga IX.

Lycidas, Mœris.

QUo te Mœri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?
M. O Licida, vivi pervenimus; advena noſtri,
Quod numquam veriti ſumus, ut poſſeſſor agelli
Diceret: Hæc mea ſunt; veteres migrate coloni.
Nunc victi, triſtes, quoniam Fors omnia verſat,
Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus hædos.
L. Certe equidem audieram, qua ſe ſubducere colles
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo,
Uſque ad aquam, & veteris jam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus veſtrum ſervaſſe Menalcam.
M. Audieras; & fama fuit. ſed carmina tantum
Noſtra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt, aquila veniente, columbas.
Quod niſi me quacumque novas incidere lites
Ante ſiniſtra cava monuiſſet ab ilice cornix,
Nec tuus hic Mœris, nec viveret ipſe Menalcas.
L. Heu cadit in quemquam tantum ſcelus? heu tua nobis
Pene ſimul tecum ſolatia rapta, Menalca!
Quis caneret nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret? aut viridi fontes induceret umbra?
Vel quæ ſublegi tacitus tibi carmina nuper,
Cum te ad delicias ferres Amaryllida noſtras?
Tityre, dum redeo, brevis eſt via, paſce capellas:
Et potum paſtas age, Tityre: & inter agendum
Occurſare capro, cornu ferit ille, caveto.
M. Immo hæc, quæ Varo necdum perfecta canebat.
Vare, tuum nomen [ſuperet modo Mantua nobis,
Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ!)
Cantantes ſublime ferent ad ſidera cycni.
L. Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos:
Sic cytiſo paſtæ diſtentent ubera vaccæ.
Incipe, ſi quid habes. & me fecere poetam
Pierides: ſunt & mihi carmina: me quoque dicunt
Vatem paſtores: ſed non ego credulus illis.
Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna
Digna, ſed argutos inter ſtrepere anſer olores.
M. Id quidem ago; & tacitus, Lycida, mecum ipſe voluto,
Si valeam meminiſſe: neque eſt ignobile carmen.
Huc ades, o Galatea. quis eſt nam ludus in undis?
Hic ver purpureum: varios hic flumina circum
Fundit humus flores: hic candida populus antro
Imminet, & lentæ texunt umbracula vites.
Huc ades: inſani feriant ſine litora fluctus.
L. Quid, quæ te pura ſolum ſub nocte canentem
Audieram? numeros memini, ſi verba tenerem.
M. Daphni, quid antiquos ſignorum ſuſpicis ortus?
Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum:
Aſtrum, quo ſegetes gauderent frugibus; & quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.
Inſere, Daphni, pyros: carpent tua poma nepotes.
Omnia fert ætas, animum quoque. ſæpe ego longos
Cantando puerum memini me condere ſoles.
Nunc oblita mihi tot carmina. vox quoque Mœrim
Jam fugit ipſa: lupi Mœrim videre priores.
Sed tamen iſta ſatis referet tibi ſæpe Menalcas.
L. Cauſando noſtros in longum ducis amores.
Et nunc omne tibi ſtratum ſilet æquor: & omnes
(Aſpice) ventoſi ceciderunt murmuris auræ.
Hinc adeo media eſt nobis via. namque ſepulcrum
Incipit apparere Bianoris. hic, ubi denſas
Agricolæ ſtringunt frondes, hic, Mœri, canamus:
Hic hædos depone. tamen veniemus in urbem.
Aut, ſi, nox pluviam ne colligat ante, veremur,
Cantantes licet uſque (minus via lædet) eamus.
Cantantes ut eamus, ego hoc te faſce levabo.
M. Deſine plura, puer: &, quod nunc inſtat, agamus.
Carmina tum melius, cum venerit ipſe, canemus.

GALLUS, Ecloga X.

EXtremum hunc, Arethuſa, mihi concede laborem.
Pauca meo Gallo, ſed quæ legat ipſa Lycoris,
Carmina ſunt dicenda. neget quis carmina Gallo?
Sic tibi, cum fluctus ſubter labere Sicanos,
Doris amara ſuam non intermiſceat undam.
Incipe. ſollicitos Galli dicamus amores,
Dum tenera attondent ſimæ virgulta capellæ.
Non canimus ſurdis: reſpondent omnia ſylvæ.
Quæ nemora, aut qui vos ſaltus habuere, puellæ

Naides, indigno cum Gallus amore periret?
Nam neque Parnaſſi vobis juga, nam neque Pindi
Ulla moram fecere, neque Aoniæ Aganippæ.
Illum etiam lauri, etiam flevere myricæ:
Pinifer illum etiam ſola ſub rupe jacentem
Mænalus, & gelidi fleverunt ſaxa Lycæi.
Stant & oves circum: noſtri nec pœnitet illas:
Nec te pœniteat pecoris, divine poeta:
Et formoſus oves ad flumina pavit Adonis.
Venit & upilio: tardi venere bubulci:
Uvidus hiberna venit de glande Menalcas.
Omnes, unde amor iſte, rogant, tibi? venit Apollo:
Galle, quid inſanis? inquit. tua cura Lycoris
Perque nives alium, perque horrida caſtra ſecuta eſt.
Venit & agreſti capitis Sylvanus honore,
Florentes ferulas & grandia lilia quaſſans.
Pan Deus Arcadiæ venit: quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.
Ecquis erit modus? inquit. amor non talia curat.
Nec lacrimis crudelis amor, nec gramina rivis,
Nec cytiſo ſaturantur apes, nec fronde capellæ.
Triſtis at ille, Tamen cantabitis, Arcades, inquit,
Montibus hæc veſtris: ſoli cantare periti
Arcades. o mihi tum quam molliter oſſa quieſcant,
Veſtra meos olim ſi fiſtula dicat amores!
Atque utinam ex vobis unus, veſtrique fuiſſem
Aut cuſtos gregis, aut maturæ vinitor uvæ!
Certe, ſive mihi Phyllis, ſive eſſet Amyntas,
Seu quicumque furor, (quid tum, ſi fuſcus Amyntas?
Et nigræ violæ ſunt, & vaccinia nigra:)
Mecum inter ſalices lenta ſub vite jaceret:
Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
Hic gelidi fontes: hic mollia prata, Lycori:
Hic nemus: hic ipſo tecum conſumerer ævo.
Nunc inſanus amor duri me Martis in armis,
Tela inter media, atque adverſos detinet hoſtes.
Tu procul a patria (nec ſit mihi credere) tantum
Alpinas, ah dura, nives & frigora Rheni
Me ſine ſola vides. ah te ne frigora lædant!
Ah tibi ne teneras glacies ſecet aſpera plantas!
Ibo, & Chalcidico quæ ſunt mihi condita verſu
Carmina, paſtoris Siculi modulabor avena.
Certum eſt in ſylvis, inter ſpelæa ferarum,
Malle pati, teneriſque meos incidere amores
Arboribus: creſcent illæ: creſcetis amores.
Interea mixtis luſtrabo Mænala nymphis:
Aut acres venabor apros. non me ulla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circumdare ſaltus.
Jam mihi per rupes videor lucoſque ſonantes
Ire: libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula, tamquam hæc ſint noſtri medicina furoris,
Aut deus ille malis hominum miteſcere diſcat.
Jam neque Hamadryades rurſum, nec carmina nobis
Ipſa placent: ipſæ rurſum concedite ſylvæ.
Non illum noſtri poſſunt mutare labores:
Nec ſi frigoribus mediis Hebrumque bibamus,
Sithoniaſque nives hyemis ſubeamus aquoſæ;
Nec ſi, cum moriens alta liber aret in ulmo,
Æthiopum verſemus oves ſub ſidere Cancri.
Omnia vincit Amor. & nos cedamus Amori.
Hæc ſat erit, divæ, veſtrum ceciniſſe poetam,
Dum ſedet, & gracili fiſcellam texit hibiſco,
Pierides. vos hæc facietis maxima Gallo:
Gallo, cujus amor tantum mihi creſcit in horas,
Quantum vere novo viridis ſe ſubjicit alnus.
Surgamus: ſolet eſſe gravis cantantibus umbra.
Juniperi gravis umbra. nocent & frugibus umbræ.
Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ.

GEORGICON
LIBER PRIMUS.
AD
C. CILNIUM MÆCENATEM.

Quid faciat lætas ſegetes, quo ſidere terram
Vertere, Mecœnas, ulmiſque adjungere vites
Conveniat: quæ cura boum, quis cultus habendo
Sit pecori: atque apibus quanta experientia parcis,
Hinc canere incipiam. Vos o clariſſima mundi
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres; veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta,
Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis:
Et vos agreſtum præſentia numina Fauni,
Ferte ſimul Faunique pedem, Dryadeſque puellæ.
Munera veſtra cano. Tuque o, cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti,
Neptune: & cultor nemorum, cui pinguia Cææ
Tercentum nivei tondent dumeta juvenci.
Ipſe nemus linquens patrium, ſaltuſque Lycæi,
Pan ovium cuſtos, tua ſi tibi Mænala curæ,
Adſis o Tegeæe favens, oleæque Minerva
Inventrix: uncique puer monſtrator aratri:
Et teneram ab radice ferens Silvane cupreſſum:
Diique, deæque omnes, ſtudium quibus arva tueri,
Quique novas alitis nonnullo ſemine fruges,
Quique ſatis largum cælo demittitis imbrem.
Tuque adeo, quem mox quæ ſint habitura deorum
Concilia, incertum eſt; urbis ne inviſere, Cæſar,
Terrarumque velis curam, & te maximus orbis
Auctorem frugum, tempeſtatumque potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto:
An deus immenſi venias maris, ac tua nautæ
Numina ſola colant: tibi ſerviat ultima Thule,
Teque

Teque ſibi generum Tethys emat omnibus undis:
Anne novum tardis ſidus te menſibus addas,
Qua locus Erigonen inter, Chelaſque ſequentes
Panditur: ipſe tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cæli juſta plus parte reliquit.
Quidquid eris (nam te nec ſperent Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido:
Quamvis Elyſios miretur Græcia campos,
Nec repetita ſequi curet Proſerpina matrem)
Da facilem curſum, atque audacibus annue cæpris;
Ignaroſque viæ mecum miſeratus agreſtes
Ingredere, & votis jam nunc aſſueſce vocari.
Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſolvit,
Depreſſo incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.
Illa ſeges demum votis reſpondet avari
Agricolæ, bis quæ ſolem, bis frigora ſenſit:
Illius immenſæ ruperunt horrea meſſes.
At prius ignotum ferro quam ſcindimus æquor,
Ventos, & varium cæli prædiſcere morem
Cura ſit; ac patrios cultuſque, habituſque locorum,
Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet.
Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ;
Arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt
Gramina, nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi?
At Chalybes nudi ferrum, viroſaque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
Continuo has leges, æternaque fœdera certis
Impoſuit natura locis: quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem,
Unde homines nati, durum genus. ergo age, terræ
Pingue ſolum primis extemplo a menſibus anni
Fortes invertant tauri, glebaſque jacentes
Pulverulenta coquat maturis ſolibus æſtas.
At ſi non fuerit tellus fœcunda, ſub ipſum
Arcturum tenui ſat erit ſuſpendere ſulco:
Illic, officiant lætis ne frugibus herbæ;
Hic, ſterilem exiguus ne deſerat humor arenam.
Alternis idem tonſas ceſſare novales,
Et ſegnem patiere ſitu dureſcere campum.
Aut ibi flava ſeres mutato ſidere farra,
Unde prius lætum ſiliqua quaſſante legumen,
Aut tenues fœtus viciæ, triſtiſque lupini
Suſtuleris fragiles calamos, ſilvamque ſonantem.
Urit enim lini campum ſeges, urit avenæ:
Urunt Lethæo perfuſa papavera ſomno.
Sed tamen alternis facilis labor: arida tantum
Ne ſaturare fimo pingui pudeat ſola, neve
Effœtos cinerem immundum jactare per agros.
Sic quoque mutatis requieſcunt fœtibus arva,
Nec nulla interea eſt inaratæ gratia terræ.
Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atque levem ſtipulam crepitantibus urere flammis:
Sive inde occultas vires, & pabula terræ
Pinguia concipiunt; ſive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exſudat inutilis humor:
Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat qua ſuccus in herbas:
Seu durat magis, & venas aſtringit hiantes:
Ne tenues pluviæ, rapidive potentia ſolis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.
Multum adeo, raſtris glebas qui frangit inertes,
Vimineaſque trahit crates, juvat arva: neque illum
Flava Ceres alto nequidquam ſpectat Olympo,
Et qui, proſciſſo quæ ſuſcitat æquore terga,
Ruſus in obliquum verſo perrumpit aratro,
Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.
Humida ſolſtitia, atque hyemes optate ſerenas,
Agricolæ: hiberno lætiſſima pulvere farra,
Lætus ager: nullo tantum ſe Mœſia cultu
Jactat, & ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes.
Quid dicam, jacto qui ſemine cominus arva
Inſequitur, cumuloſque ruit male pinguis arenæ?
Deinde ſatis fluvium inducit, rivoſque ſequentes?
Et cum exuſtus ager morientibus æſtuat herbis,
Ecce ſupercilio clivoſi tramitis undam
Elicit: illa cadens raucum per lævia murmur
Saxa ciet, ſcatebriſque arentia temperat arva.
Quid, qui, ne gravidis procumbat culmus ariſtis,
Luxuriem ſegetum tenera depaſcit in herba,
Cum primum ſulcos æquant ſata? quique paludis
Collectum humorem bibula deducit arena?
Præſertim incertis ſi menſibus amnis abundans
Exit, & obducto late tenet omnia limo;
Unde cavæ tepido ſudant humore lacunæ.
Nec tamen (hæc cum ſint hominumque boumque labores
Verſando terram experti) nihil improbus anſer,
Strymoniæque grues, & amaris intyba fibris
Officiunt, aut umbra nocet. pater ipſe colendi
Haud facilem eſſe viam voluit, primuſque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpere gravi paſſus ſua regna veterno.
Ante Jovem nulli ſubigebant arva coloni:
Nec ſignare quidem aut partiri limite campum
Fas erat. in medium quærebant: ipſaque tellus
Omnia liberius nullo poſcente ferebat.
Ille malum virus ſerpentibus addidit atris,
Prædarique lupos juſſit, pontumque moveri:
Mellaque decuſſit foliis, ignemque removit,
Et paſſim rivis currentia vina repreſſit:
Ut varias uſus meditando extunderet artes
Paulatim, & ſulcis frumenti quæreret herbam;
Ut ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem.
Tunc alnos primum fluvii ſenſere cavatas:
Navita tum ſtellis numeros & nomina fecit,
Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.
Tum laqueis captare feras, & fallere viſco,
Inventum; & magnos canibus circumdare ſaltus.
Atque alius latum funda jam verberat amnem,
Alta petens: pelagoque alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor, atque argutæ lamina ſerræ:
(Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum)
Tum variæ venere artes. labor omnia vicit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.
Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Inſtituit: cum jam glandes atque arbuta ſacræ
Deficerent ſylvæ, & victum Dodona negaret.
Mox & frumentis labor additus: ut mala culmos
Eſſet robigo, ſegniſque horreret in arvis
Carduus. intereunt ſegetes: ſubit aſpera ſylva
Lappæque tribulique; interque nitentia culta
Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ.
Quod niſi & aſſiduis terram inſectabere raſtris,
Et ſonitu terrebis aves, & ruris opaci
Falce premes umbras, votiſque vocaveris imbrem:
Heu, magnum alterius fruſtra ſpectabis acervum;
Concuſſaque famem in ſylvis ſolabere quercu.
Dicendum, & quæ ſint duris agreſtibus arma:
Queis ſine nec potuere ſeri, nec ſurgere meſſes.
Vomis, & inflexi primum grave robur aratri,

Tardaque

Tardaque Eleuſinæ matris volventia plauſtra,
Tribulaque, traheæque, & iniquo pondere raſtri:
Virgea præterea Celei viliſque ſupellex,
Arbuteæ crates, & myſtica vannus Iacchi.
Omnia quæ multo ante memor proviſa repones;
Si te digna manet divini gloria ruris.
Continuo in ſilvis magna vi flexa domatur
In burim, & curvi formam accipit ulmus aratri.
Huic a ſtirpe pedes temo protentus in octo,
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorſo.
Cæditur & tilia ante jugo levis, altaque fagus,
Stivaque, quæ currus a tergo torqueat imos,
Et ſuſpenſa focis explorat robora fumus.
Poſſum multa tibi veterum præcepta referre;
Ni refugis, tenueſque piget cognoſcere curas.
Area cum primis ingenti æquanda cylindro,
Et vertenda manu, & creta ſolidanda tenaci:
Ne ſubeant herbæ, neu pulvere victa fatiſcat;
Tum variæ illudant peſtes. ſæpe exiguus mus
Sub terris poſuitque domos atque horrea fecit:
Aut oculis capti fodere cubilia talpæ.
Inventuſque cavis bufo, & quæ plurima terræ
Monſtra ferunt: populatque ingentem farris acervum
Curculio, atque inopi metuens formica ſenectæ.
Contemplator item, cum ſe nux plurima ſilvis
Induet in florem, & ramos curvabit olentes:
Si ſuperant fœtus, pariter frumenta ſequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore.
At ſi luxuria foliorum exuberat umbra,
Nequidquam pingues palea teret area culmos.
Semina vidi equidem multos medicare ſerentes,
Et nitro prius & nigra perfundere amurca,
Grandior ut fœtus ſiliquis fallacibus eſſet.
Et, quamvis igni exiguo properata maderent,
Vidi lecta diu, & multo ſpectata labore
Degenerare tamen: ni vis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret. ſic omnia fatis
In pejus ruere, ac retro ſublapſa referri.
Non aliter, quam qui adverſo vix flumine lembum
Remigiis ſubigit; ſi brachia forte remiſit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.
Præterea tam ſunt Arcturi ſydera nobis,
Hædorumque dies ſervandi, & lucidus Anguis;
Quam quibus in patriam ventoſa per æquora vectis
Pontus & oſtriferi fauces tentantur Abydi.
Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas,
Et medium luci atque umbris jam dividit orbem:
Exercete, viri, tauros, ſerite hordea campis,
Uſque ſub extremum brumæ intractabilis imbrem.
Nec non & lini ſegetem & Cereale papaver
Tempus humo tegere, & jamdudum incumbere aratris,
Dum ſicca tellure licet, dum nubila pendent.
Vere fabis ſatio. tum te quoque, Medica, putres
Accipiunt ſulci; & milio venit annua cura:
Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus, & averſo cedens Canis occidit aſtro.
At ſi triticeam in meſſem robuſtaque farra
Exercebis humum, ſoliſque inſtabis ariſtis:
Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur,
Cnoſſiaque ardentis decedat ſtella Coronæ,
Debita quam ſulcis committas ſemina, quamque
Invitæ properes anni ſpem credere terræ.
Multi ante occaſum Maiæ cœpere: ſed illos
Exſpectata ſeges vanis eluſit ariſtis.
Si vero viciamque ſeres vilemque faſelum,
Nec Peluſiacæ curam aſpernabere lentis;
Haud obſcura cadens mittet tibi ſigna Bootes.
Incipe, & ad medias ſementem extende pruinas.
Idcirco certis dimenſum partibus orbem
Per duodena regit mundi ſol aureus aſtra.
Quinque tenent cælum zonæ: quarum una coruſco
Semper ſole rubens, & torrida ſemper ab igni:
Quam circum extremæ dextra lævaque trahuntur,
Cærulea glacie concretæ atque imbribus atris.
Has inter mediamque duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ divum. via ſecta per ambas,
Obliquus qua ſe ſignorum verteret ordo.
Mundus ut ad Scythiam, Riphæaſque arduus arces
Conſurgit, premitur Libyæ devexus in Auſtros.
Hic vertex nobis ſemper ſublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra videt, maneſque profundi:
Maximus hic flexu ſinuoſo elabitur anguis
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentes æquore tingi.
Illic, ut perhibent, aut intempeſta ſilet nox
Semper, & obtenta denſantur nocte tenebræ:
Aut redit a nobis aurora, diemque reducit:
Noſque ubi primus equis oriens afflavit anhelis,
Illic ſera rubens accendit lumina Veſper.
Hinc tempeſtates dubio prædiſcere cælo
Poſſumus, hinc meſſiſque diem, tempuſque ſerendi;
Et quando infidum remis impellere marmor
Conveniat: quando armatas deducere claſſes,
Aut tempeſtivam ſilvis evertere pinum.
Nec fruſtra ſignorum obitus ſpeculamur & ortus,
Temporibuſque parem diverſis quatuor annum.
Frigidus agricolam ſi quando continet imber,
Multa, forent quæ mox cælo properanda ſereno,
Maturare datur. durum procudit arator
Vomeris obtuſi dentem: cavat arbore lintres:
Aut pecori ſignum, aut numeros impreſſit acervis.
Exacuunt alii vallos, furcaſque bicornes,
Atque Amerina parant lentæ retinacula viti.
Nunc facilis rubea texatur fiſcina virga:
Nunc torrete igni fruges, nunc frangite ſaxo.
Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus
Fas & jura ſinunt. rivos deducere nulla
Relligio vetuit, ſegeti prætendere ſæpem,
Inſidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri.
Sæpe oleo tardi coſtas agitator aſelli,
Vilibus aut onerat pomis: lapidemque revertens
Incuſum, aut atræ maſſam picis urbe reportat.
Ipſa dies alios alio dedit ordine Luna
Felices operum. quintum fuge: pallidus Orcus,
Eumenideſque ſatæ. tum partu terra nefando
Cœumque Iapetumque creat, ſævumque Typhoea,
Et conjuratos cælum reſcindere fratres.
Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam
Scilicet, atque Oſſæ frondoſum involvere Olympum.
Ter pater extructos diſiecit fulmine montes.
Septima poſt decimam felix & ponere vitem,
Et prenſos domitare boves, & licia telæ
Addere. nona fugæ melior, contraria furtis.
Multa adeo gelida melius ſe nocte dedere,
Aut cum ſole novo terras irrorat Eous.
Nocte leves melius ſtipulæ, nocte arida prata
Tondentur: noctis lentus non deficit humor.
Et quidam ſeros hiberni ad luminis ignes
Pervigilat, ferroque faces inſpicat acuto.
Interea longum cantu ſolata laborem
Arguto conjunx percurrit pectine telas:

Aut

Aut dulcis muſti Vulcano decoquit humorem,
Et foliis undam tepidi deſpumat aheni.
At rubicunda Ceres medio ſucciditur æſtu,
Et medio toſtas æſtu terit area fruges.
Nudus ara, ſere nudus. hyems ignava colono.
Frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur,
Mutuaque inter ſe læti convivia curant.
Invitat genialis hiems, curaſque reſolvit:
Ceu preſſæ cum jam portum tetigere carinæ,
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.
Sed tamen & quernas glandes tum ſtringere tempus,
Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta.
Tum gruibus pedicas & retia ponere cervis,
Auritoſque ſequi lepores; tum figere damas,
Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ,
Cum nix alta jacet, glaciem cum flumina trudunt.
Quid tempeſtates Autumni & ſidera dicam?
Atque ubi jam breviorque dies, & mollior æſtas,
Quæ vigilanda viris? vel cum ruit imbriferum ver;
Spicea jam campis cum meſſis inhorruit, & cum
Frumenta in viridi ſtipula lactentia turgent?
Sæpe ego, cum flavis meſſorem induceret arvis
Agricola, & fragili jam ſtringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere prælia vidi:
Quæ gravidam late ſegetem ab radicibus imis
Sublime expulſam eruerent: ita turbine nigro
Ferret hyems culmumque levem ſtipulaſque volantes.
Sæpe etiam immenſum cælo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes. ruit arduus æther,
Et pluvia ingenti ſata læta boumque labores
Diluit. implentur foſſæ, & cava flumina creſcunt
Cum ſonitu, fervetque fretis ſpirantibus æquor.
Ipſe pater, media nimborum in nocte, coruſca
Fulmina molitur dextra. quo maxima motu
Terra tremit: fugere feræ; & mortalia corda
Per gentes humilis ſtravit pavor. ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit: ingeminant auſtri, & denſiſſimus imber:
Nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.
Hoc metuens, cæli menſes, & ſidera ſerva,
Frigida Saturni ſeſe quo ſtella receptet,
Quos ignis cæli Cyllenius erret in orbes.
In primis venerare deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis,
Extremæ ſub caſum hyemis, jam vere ſereno.
Tum pingues agni, & tum molliſſima vina:
Tum ſomni dulces, denſæque in montibus umbræ.
Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret.
Quoi tu lacte favos, & miti dilue Baccho:
Terque novas circum felix eat hoſtia fruges;
Omnis quam chorus, & ſocii comitentur ovantes;
Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.
Atque hæc ut certis poſſimus diſcere ſignis,
Æſtuſque, pluviaſque, & agentes frigora ventos,
Ipſe pater ſtatuit, quid menſtrua Luna moneret,
Quo ſigno caderent auſtri: quid ſæpe videntes
Agricolæ, propius ſtabulis armenta tenerent.
Continuo ventis ſurgentibus aut freta ponti
Incipiunt agitata tumeſcere, & aridus altis
Montibus audiri fragor; aut reſonantia longe
Litora miſceri, & nemorum increbeſcere murmur.
Jam ſibi tum a curvis male temperat unda carinis,
Cum medio celeres revolant ex æquore mergi,
Clamoremque ferunt ad litora: cumque marinæ
In ſicco ludunt fulicæ: notaſque paludes
Deſerit, atque altam ſupra volat ardea nubem.
Sæpe etiam ſtellas, vento impendente, videbis
Præcipites cælo labi, noctiſque per umbram
Flammarum longos a tergo albeſcere tractus:
Sæpe levem paleam & frondes volitare caducas,
Aut ſumma nantes in aqua colludere plumas.
At Boreæ de parte trucis cum fulminat, & cum
Eurique zephyrique tonat domus; omnia plenis
Rura natant foſſis, atque omnis navita ponto
Humida vela legunt. numquam imprudentibus imber
Obfuit. aut illum ſurgentem vallibus imis
Aeriæ fugere grues: aut bucula cælum
Suſpiciens patulis captavit naribus auras:
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo:
Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.
Sæpius & tectis penetralibus extulit ova
Anguſtum formica terens iter, & bibit ingens
Arcus: & e paſtu decedens agmine magno
Corvorum increpuit denſis exercitus alis.
Jam varias pelagi volucres, & quæ Aſia circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri,
Certatim largos humeris infundere rores;
Nunc caput objectare fretis, nunc currere in undas,
Et ſtudio incaſſum videas geſtire lavandi.
Tum cornix plena pluviam vocat improba voce,
Et ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena.
Nec nocturna quidem carpentes penſa puellæ
Neſcivere hyemem: teſta cum ardente viderent
Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos.
Nec minus ex imbri ſoles & aperta ſerena
Proſpicere, & certis poteris cognoſcere ſignis.
Nam neque tum ſtellis acies obtuſa videtur,
Nec fratris radiis obnoxia ſurgere Luna;
Tenuia nec lanæ per cælum vellera ferri.
Non tepidum ad ſolem pennas in litore pandunt
Dilectæ Thetidi Alcyones: non ore ſolutos
Immundi meminere ſues jactare maniplos.
At nebulæ magis ima petunt, campoque recumbunt:
Solis & occaſum ſervans de culmine ſummo
Nequidquam ſeros exercet noctua cantus.
Apparet liquido ſublimis in aere Niſus,
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.
Quacumque illa levem fugiens ſecat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magno ſtridore per auras
Inſequitur Niſus: qua ſe fert Niſus ad auras,
Illa levem fugiens raptim ſecat æthera pennis.
Tum liquidas corvi preſſo ter gutture voces
Aut quater ingeminant: & ſæpe cubilibus altis,
Neſcio qua præter ſolitum dulcedine læti,
Inter ſe foliis ſtrepitant. juvat imbribus actis
Progeniem parvam dulceſque reviſere nidos.
Haud equidem credo, quia ſit divinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major.
Verum ubi tempeſtas & cæli mobilis humor
Mutavere vias, & Jupiter uvidus auſtris
Denſat, erant quæ rara modo, &, quæ denſa, relaxat;
Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiunt. hinc ille avium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, & ovantes gutture corvi.
Si vero ſolem ad rapidum lunaſque ſequentes
Ordine reſpicies; numquam te craſtina fallet
Hora, nec inſidiis noctis capiere ſerenæ.

Luna

Luna revertentes cum primum colligit ignes,
Si nigrum obſcuro comprenderit aera cornu,
Maximus agricolis, pelagoque parabitur imber:
At ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem;
Ventus erit: vento ſemper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu quarto (namque is certiſſimus auctor)
Pura, nec obtuſis per cælum cornibus ibit:
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo,
Exactum ad menſem, pluvia ventiſque carebunt;
Votaque ſervati ſolvent in littore nautæ
Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.
Sol quoque & exoriens, & cum ſe condet in undas,
Signa dabit. ſolem certiſſima ſigna ſequuntur,
Et quæ mane refert, & quæ ſurgentibus aſtris.
Ille ubi naſcentem maculis variaverit ortum
Conditus in nubem, medioque refugerit orbe:
Suſpecti tibi ſint imbres. namque urget ab alto
Arboribuſque ſatiſque Notus, pecorique ſiniſter;
Aut ubi ſub lucem denſa inter nubila ſeſe
Diverſi erumpunt radii: aut ubi pallida ſurgit
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Heu male tum mites defendet pampinus uvas,
Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.
Hoc etiam, emenſo cum iam decedet Olympo,
Profuerit meminiſſe magis. nam ſæpe videmus
Ipſius in vultu varios errare colores.
Cæruleus pluviam denuntiat, igneus euros;
Sin maculæ incipient rutilo immiſcerier igni,
Omnia tunc pariter vento, nimbiſque videbis
Fervere. non illa quiſquam me nocte per altum
Ire, neque a terra moneat convellere funem.
At ſi cum referetque diem, condetque relatum,
Lucidus orbis erit; fruſtra terrebere nimbis,
Et claro ſylvas cernes aquilone moveri.
Denique, quid veſper ſerus vehat, unde ſerenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auſter,
Sol tibi ſigna dabit. ſolem quis dicere falſum
Audeat? ille etiam cæcos inſtare tumultus
Sæpe monet, fraudemque & operta tumeſcere bella.
Ille etiam exſtincto miſeratus Cæſare Romam,
Cum caput obſcura nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt ſecula noctem.
Tempore quamquam illo tellus quoque & æquora ponti,
Obſcœnique canes, importunæque volucres,
Signa dabant. quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam,
Flammarumque globos, liquefactaque volvere ſaxa?
Armorum ſonitum toto Germania cælo
Audiit, inſolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoque per lucos vulgo exaudita ſilentes
Ingens; & ſimulacra modis pallentia miris
Viſa ſub obſcurum noctis, pecudeſque locutæ:
(Infandum) ſiſtunt amnes, terræque dehiſcunt;
Et mœſtum illacrymat templis ebur, æraque ſudant.
Proluit inſano contorquens vortice ſylvas
Fluviorum rex Eridanus, campoſque per omneis
Cum ſtabulis armenta tulit: nec tempore eodem
Triſtibus aut extis fibræ apparere minaces,
Aut puteis manare cruor ceſſavit, & altæ
Per noctem reſonare lupis ululantibus urbes.
Non alias cælo ceciderunt plura ſereno
Fulgura, nec diri toties arſere cometæ.
Ergo inter ſeſe paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi:
Nec fuit indignum Superis, bis ſanguine noſtro
Emathiam, & latos Hæmi pingueſcere campos.
Scilicet & tempus veniet, cum finibus illis
Agricola incurvo terram molitus aratro,
Exeſa inveniet ſcabra rubigine pila:
Aut gravibus raſtris galeas pulſabit inanes,
Grandiaque effoſſis mirabitur oſſa ſepulchris.
Dii patrii Indigetes, & Romule, Veſtaque mater,
Quæ Thuſcum Tiberim, & Romana Palatia ſervas,
Hunc ſaltem everſo iuvenem ſuccurrere ſeclo
Ne prohibete. ſatis iampridem ſanguine noſtro
Laomedonteæ luimus periuria Troiæ.
Iampridem nobis cæli te regia, Cæſar,
Invidet, atque hominum queritur curare triumphos.
Quippe ubi fas verſum atque nefas, tot bella per orbem,
Tam multæ ſcelerum facies: non ullus aratro
Dignus honos, ſqualent abductis arva colonis,
Et curvæ rigidum falces conflantur in enſem.
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum:
Vicinæ ruptis inter ſe legibus urbes
Arma ferunt: ſævit toto Mars impius orbe.
Ut cum carceribus ſeſe effudere quadrigæ,
Addunt ſe in ſpatia: & fruſtra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

G E O R G I C O N

L I B E R II.

HActenus arvorum cultus, & ſidera cæli:
Nunc te, Bacche, canam, nec non ſilveſtria tecum
Virgulta, & prolem tarde creſcentis olivæ.
Huc, pater o Lenæe (tuis hic omnia plena
Muneribus: tibi pampineo gravidus autumno
Floret ager; ſpumat plenis vindemia labris)
Huc, pater o Lenæe, veni; nudataque muſto
Tinge novo mecum dereptis crura cothurnis.
Principio arboribus varia eſt natura creandis.
Sponte ſua veniunt, campoſque & flumina late
Curva tenent: ut molle ſiler, lentæque geniſtæ,
Populus, & glauca canentia fronde ſalicta.
Pars autem poſito ſurgunt de ſemine: ut altæ
Caſtaneæ, nemorumque Jovi quæ maxima frondet
Æſculus, atque habitæ Graiis oracula quercus.
Pullulat ab radice aliis denſiſſima ſilva:
Ut ceraſis, ulmiſque: etiam Parnaſſia laurus
Parva ſub ingenti matris ſe ſubjicit umbra.
Hos Natura modos primum dedit: his genus omne
Silvarum, fruticumque viret, nemorumque ſacrorum.
Sunt alii, quos ipſe via ſibi repperit uſus.
Hic plantas tenero abſcindens de corpore matrum
Depoſuit ſulcis: hic ſtirpes obruit arvo,
Quadrifidaſque ſudes, & acuto robore vallos:
Silvarumque aliæ preſſos propaginis arcus
Exſpectant, & viva ſua plantaria terra.
Nil radicis egent aliæ: ſummumque putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.
Quin & caudicibus ſectis (mirabile dictu)
Truditur e ſicco radix oleagina ligno.
Et ſæpe alterius ramos impune videmus
Vertere in alterius, mutatamque inſita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidoſa rubeſcere corna.
Quare agite o, proprios generatim diſcite cultus,
Agricolæ, fructuſque feros mollite colendo:
Neu ſegnes jaceant terræ. juvat Iſmara Baccho
Conſerere, atque olea magnum veſtire Taburnum.
Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
O decus, o famæ merito pars maxima noſtræ,

Mæce-

Mæcenas; pelagoque volans da vela patenti.
Non ego cuncta meis amplecti verſibus opto:
Non, mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox. ades, & primi lege litoris oram.
In manibus terræ. non hic te carmine ficto,
Atque per ambages & longa exorſa tenebo.
Sponte ſua quæ ſe tollunt in luminis oras,
Infœcunda quidem, ſed læta & fortia ſurgunt:
Quippe ſolo natura ſubeſt. tamen hæc quoque ſi quis
Inſerat, aut ſcrobibus mandet mutata ſubactis,
Exuerint ſilveſtrem animum: cultuque frequenti,
In quaſcumque voces artes, haud tarda ſequentur.
Nec non &, ſterilis quæ ſtirpibus exit ab imis,
Hoc faciet, vacuos ſi ſit digeſta per agros:
Nunc altæ frondes, & rami matris opacant,
Creſcentique adimunt fœtus, uruntque ferentem.
Jam, quæ ſeminibus jactis ſe ſuſtulit, arbos
Tarda venit, ſeris factura nepotibus umbram:
Pomaque degenerant ſuccos oblita priores:
Et turpes avibus prædam fert uva racemos.
Scilicet omnibus eſt labor impendendus, & omnes
Cogendæ in ſulcum, ac multa mercede domandæ.
Sed truncis oleæ melius, propagine vites,
Reſpondent, ſolido Paphiæ de robore myrtus,
Plantis eduræ coryli naſcuntur, & ingens
Fraxinus, Herculeæque arbos umbroſa coronæ,
Chaoniique patris glandes: etiam ardua palma
Naſcitur, & caſus abies viſura marinos.
Inſeritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida;
Et ſteriles platani malos geſſere valentes,
Caſtaneæ fagos, ornuſque incanuit albo
Flore pyri, glandemque ſues fregere ſub ulmis.
Nec modus inſerere atque oculos imponere ſimplex.
Nam qua ſe medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas; anguſtus in ipſo
Fit nodo ſinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inoleſcere libro.
Aut rurſum enodes trunci reſecantur, & alte
Finditur in ſolidum cuneis via: deinde feraces
Plantæ immittuntur. nec longum tempus, & ingens
Exiit ad cælum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondes, & non ſua poma.
Præterea genus haud unum nec fortibus ulmis,
Nec ſalici, lotoque, neque Idæis cypariſſis:
Nec pingues unam in faciem naſcuntur olivæ,
Orchades, & radii, & amara pauſia bacca,
Pomaque, & Alcinoi ſilvæ: nec ſurculus idem
Cruſtumiis, Syriiſque pyris, gravibuſque volemis.
Non eadem arboribus pendet vindemia noſtris,
Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos.
Sunt Thaſiæ vites, ſunt & Mareotides albæ:
Pinguibus hæ terris habiles, levioribus illæ.
Et paſſo pſythia utilior, tenuiſque Lageos,
Tentatura pedes olim, vincturaque linguam,
Purpureæ, preciæque. & quo te carmine dicam,
Rhætica? nec cellis ideo contende Falernis.
Sunt etiam Ammineæ vites firmiſſima vina,
Tmolius adſurgit quibus, & rex ipſe Phanæus.
Argitiſque minor: cui non certaverit ulla,
Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos.
Non ego te, Dis & menſis accepta ſecundis,
Tranſierim, Rhodia, & tumidis bumaſte racemis.
Sed neque quam multæ ſpecies nec nomina quæ ſint,
Eſt numerus; neque enim numero comprendere refert:
Quem qui ſcire velit, Libyci velit æquoris idem
Diſcere quam multæ zephyro turbentur arenæ:

Aut, ubi navigiis violentior incidit eurus,
Noſſe, quot Ionii veniant ad litora fluctus.
Nec vero terræ ferre omnes omnia poſſunt.
Fluminibus ſalices, craſſiſque paludibus alni
Naſcuntur: ſteriles ſaxoſis montibus orni.
Litora myrtetis lætiſſima. denique apertos
Bacchus amat colles, aquilonem & frigora taxi.
Aſpice & extremis domitum cultoribus orbem,
Eoaſque domos Arabum, pictoſque Gelonos.
Diviſæ arboribus patriæ. ſola India nigrum
Fert ebenum: ſolis eſt thurea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam ſudantia ligno
Balſamaque, & baccas ſemper frondentis acanthi?
Quid nemora Æthiopum molli canentia lana?
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?
Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi ſinus orbis? ubi aëra vincere ſummum
Arboris haud ullæ jactu potuere ſagittæ:
Et gens illa quidem ſumtis non tarda pharetris.
Media fert triſtes ſuccos, tardumque ſaporem
Felicis mali; quo non præſentius ullum,
Pocula ſi quando ſævæ infecere novercæ,
Miſcueruntque herbas & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbos, faciemque ſimillima lauro;
Et, ſi non alium late jactaret odorem,
Laurus erat. folia haud ullis labentia ventis:
Flos ad prima tenax. animas & olentia Medi
Ora fovent illo, & ſenibus medicantur anhelis.
Sed neque Medorum ſilvæ ditiſſima terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiæ certent: non Bactra, neque Indi,
Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.
Hæc loca non tauri ſpirantes naribus ignem
Invertere, ſatis immanis dentibus hydri;
Nec galeis, denſiſque virum ſeges horruit haſtis:
Sed gravidæ fruges, & Bacchi Maſſicus humor
Implevere: tenent oleæ armentaque læta.
Hinc bellator equus campo ſeſe arduus infert:
Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, ſæpe tuo perfuſi flumine ſacro,
Romanos ad templa deum duxere triumphos.
Hic ver aſſiduum, atque alienis menſibus æſtas:
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.
At rabidæ tigres abſunt, & ſæva leonum
Semina: nec miſeros fallunt aconita legentes;
Nec rapit immenſos orbes per humum, neque tanto
Squameus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumque laborem,
Tot congeſta manu præruptis oppida ſaxis;
Fluminaque antiquos ſubterlabentia muros.
An mare, quod ſupra, memorem, quodque alluit infra,
Anne lacus tantos? te, Lari maxime, teque
Fluctibus & fremitu aſſurgens, Benace, marino?
An memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra:
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor,
Julia qua ponto longe ſonat unda refuſo,
Tyrrhenuſque fretis immittitur æſtus Avernis?
Hæc eadem argenti rivos, æriſque metalla
Oſtendit venis, atque auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virum Marſos, pubemque Sabellam,
Aſſuetumque malo Ligurem, Volſcoſque verutos
Extulit: hæc Decios, Marios, magnoſque Camillos:
Scipiadas duros bello: & te, maxime Cæſar:
Qui nunc extremis Aſiæ jam victor in oris
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.

Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus;
Magna virum: tibi res antiquæ laudis & artis
Ingredior, ſanctos auſus recludere fontes,
Aſcræumque cano Romana per oppida carmen.
Nunc locus arvorum ingeniis: quæ robora cuique,
Quis color, & quæ ſit rebus natura ferendis.
Difficiles primum terræ, colleſque maligni,
Tenuis ubi argilla, & dumoſis calculus arvis,
Palladia gaudent ſilva vivacis olivæ.
Indicio eſt, tractu ſurgens oleaſter eodem
Plurimus, & ſtrati baccis ſilveſtribus agri.
At quæ pinguis humus, dulcique uligine læta,
Quique frequens herbis & fertilis ubere campus,
Qualem ſæpe cava montis convalle ſolemus
Deſpicere: huc ſummis liquuntur rupibus amnes,
Felicemque trahunt limum: quique editus Auſtro,
Et filicem curvis inviſam paſcit aratris:
Hic tibi prævalidas olim multoque fluentes
Sufficiet Baccho vites: hic fertilis uvæ,
Hic laticis, qualem pateris libamus & auro,
Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.
Sin armenta magis ſtudium vituloſque tueri,
Aut fœtus ovium, aut urentes culta capellas:
Saltus, & ſaturi petito longinqua Tarenti,
Et qualem infelix amiſit Mantua campum,
Paſcentem niveos herboſo flumine cycnos.
Non liquidi gregibus fontes, non gramina deerunt:
Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
Nigra fere, & preſſo pinguis ſub vomere terra,
Et cui putre ſolum, (namque hoc imitamur arando)
Optima frumentis. non ullo ex æquore cernes
Plura domum tardis decedere plauſtra juvencis:
Aut unde iratus ſilvam devexit arator,
Et nemora evertit multos ignava per annos,
Antiquaſque domos avium cum ſtirpibus imis
Eruit: illæ altum nidis petiere relictis.
At rudis enituit impulſo vomere campus.
Nam jejuna quidem clivoſi glarea ruris
Vix humiles apibus caſias roremque miniſtrat:
Et tophus ſcaber, & nigris exeſa chelydris
Creta: negant alios æque ſerpentibus agros
Dulcem ferre cibum, & curvas præbere latebras.
Quæ tenuem exhalat nebulam, fumoſque volucres;
Et bibit humorem, &, cum vult, ex ſe ipſa remittit,
Quæque ſuo viridi ſemper ſe gramine veſtit,
Nec ſcabie & ſalſa lædit robigine ferrum;
Illa tibi lætis intexit vitibus ulmos:
Illa ferax oleo eſt: illam experiere colendo,
Et facilem pecori, & patientem vomeris unci.
Talem dives arat Capua, & vicina Veſevo
Ora jugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris.
Nunc, quo quamque modo poſſis cognoſcere, dicam.
Rara ſit, an ſupra morem ſi denſa, requiras;
Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho;
Denſa magis Cereri, rariſſima quæque Lyæo:
Ante locum capies oculis, alteque jubebis
In ſolido puteum demitti, omnemque repones
Rurſus humum, & pedibus ſummas æquabis arenas.
Si deerunt, rarum pecorique & vitibus almis
Aptius uber erit. ſin in ſua poſſe negabunt
Ire loca, & ſcrobibus ſuperabit terra repletis,
Spiſſus ager: glebas cunctantes craſſaque terga
Expecta, & validis terram proſcinde juvencis.
Salſa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix (ea nec manſueſcit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis ſua nomina ſervat)
Tale dabit ſpecimen. tu ſpiſſo vimine qualos,
Colaque prælorum fumoſis deripe tectis.
Huc ager ille malus, dulceſque a fontibus undæ
Ad plenum calcentur. aqua eluctabitur omnis
Scilicet, & grandes ibunt per vimina guttæ.
At ſapor indicium faciet manifeſtus, & ora
Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaror.
Pinguis item quæ ſit tellus, hoc denique pacto
Diſcimus. haud umquam manibus jactata fatiſcit,
Sed picis in morem ad digitos lenteſcit habendo.
Humida majores herbas alit, ipſaque juſto
Lætior. ah nimium ne ſit mihi fertilis illa,
Neu ſe prævalidam primis oſtendat ariſtis!
Quæ gravis eſt, ipſo tacitam ſe pondere prodit;
Quæque levis. promptum eſt oculis prædiſcere nigram,
Et quis cui color. at ſceleratum exquirere frigus
Difficile eſt: piceæ tantum, taxique nocentes
Interdum, aut hederæ pandunt veſtigia nigræ.
His animadverſis, terram multo ante memento
Excoquere & magnos ſcrobibus concidere montes,
Ante ſupinatas Aquiloni oſtendere glebas,
Quam lætum infodias vitis genus. optima putri
Arva ſolo: id venti curant, gelidæque pruinæ,
Et labefacta movens robuſtus jugera foſſor.
At ſi quos haud ulla viros vigilantia fugit;
Ante locum ſimilem exquirunt, ubi prima paretur
Arboribus ſeges, & quo mox digeſta feratur,
Mutata ignorent ſubito ne ſemina matrem.
Quin etiam cæli regionem in cortice ſignant:
Ut, quo quæque modo ſteterit, qua parte calores
Auſtrinos tulerit, quæ terga obverterit axi,
Reſtituant. adeo in teneris conſueſcere multum eſt.
Collibus, an plano melius ſit ponere vitem,
Quære prius. ſi pinguis agros metabere campi,
Denſa ſere: in denſo non ſegnior ubere Bacchus.
Sin tumulis acclive ſolum colleſque ſupinos,
Indulge ordinibus: nec ſecius omnis in unguem
Arboribus poſitis ſecto via limite quadret.
Ut ſæpe ingenti bello cum longa cohortes
Explicuit legio, & campo ſtetit agmen aperto,
Directæque acies, ac late fluctuat omnis
Ære renidenti tellus, nec dum horrida miſcent
Prælia, ſed dubius mediis Mars errat in armis.
Omnia ſint paribus numeris dimenſa viarum:
Non animum modo uti paſcat proſpectus inanem:
Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas
Terra, neque in vacuum poterunt ſe extendere rami.
Forſitan & ſcrobibus quæ ſint faſtigia quæras.
Auſim vel tenui vitem committere ſulco.
Altior ac penitus terræ defigitur arbos,
Æſculus in primis: quæ quantum vertice ad aras
Ætherias, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres
Convellunt. immota manet, multoſque nepotes,
Multa virum volvens durando ſecula vincit.
Tum fortes late ramos & brachia tendens
Huc illuc, media ipſa ingentem ſuſtinet umbram.
Neve tibi ad ſolem vergant vineta cadentem:
Neve inter vites corylum ſere: neve flagella
Summa pete, aut ſumma deſtringe ex arbore plantas:
(Tantus amor terræ) neu ferro læde retuſo
Semina, neve oleæ ſilveſtres inſere truncos.
Nam ſæpe incautis paſtoribus excidit ignis,
Qui furtim pingui primum ſub cortice tectus
Robora

Robora comprendit, frondeſque elapſus in altas
Ingentem cælo ſonitum dedit. inde ſecutus
Per ramos victor, perque alta cacumina regnat,
Et totum involvit flammis nemus, & ruit atram
Ad cælum picea craſſus caligine nubem:
Præſertim ſi tempeſtas a vertice ſilvis
Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.
Hoc ubi, non a ſtirpe valent, cæſæque reverti
Poſſunt, atque ima ſimiles revireſcere terra:
Infelix ſuperat foliis oleaſter amaris.
Nec tibi tam prudens quiſquam perſuadeat auctor,
Tellurem Borea rigidam ſpirante moveri.
Rura gelu tum claudit hiems: nec ſemine jacto
Concretam patitur radicem affigere terræ.
Optima vinetis ſatio, cum vere rubenti
Candida venit avis longis inviſa colubris:
Prima vel autumni ſub frigora, cum rapidus Sol
Nondum hiemem contingit equis, jam præterit æſtas.
Ver adeo frondi nemorum, ver utile ſilvis:
Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus Æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, fœtus.
Avia tum reſonant avibus virgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus:
Parturit almus ager, zephyrique tepentibus auris
Laxant arva ſinus. ſuperat tener omnibus humor;
Inque novos ſoles audent ſe gramina tuto
Credere: nec metuit ſurgentes pampinus auſtros,
Aut actum cælo magnis aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.
Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem
Crediderim. ver illud erat: ver magnus agebat
Orbis, & hibernis parcebant flatibus euri:
Cum primæ lucem pecudes hauſere, virumque
Ferrea progenies duris caput extulit arvis,
Immiſſæque feræ ſilvis, & ſidera cælo.
Nec res hunc teneræ poſſent perferre laborem,
Si non tanta quies iret friguſque caloremque
Inter, & exciperet cæli indulgentia terras.
Quod ſupereſt, quæcumque premes virgulta per agros,
Sparge fimo pingui, & multa memor occule terra:
Aut lapidem bibulum, aut ſqualentes infode conchas.
Inter enim labentur aquæ, tenuiſque ſubibit
Halitus: atque animos tollent ſata. jamque reperti,
Qui ſaxo ſuper, atque ingenti pondere teſtæ
Urgerent: hoc effuſos munimen ad imbres:
Hoc, ubi hiulca ſiti findit canis æſtifer arva.
Seminibus poſitis, ſupereſt deducere terram
Sæpius ad capita, & duros jactare bidentes:
Aut preſſo exercere ſolum ſub vomere, & ipſa
Flectere luctantes inter vineta juvencos.
Tum leves calamos, & raſæ haſtilia virgæ,
Fraxineaſque aptare ſudes, furcaſque bicornes:
Viribus eniti quarum, & contemnere ventos
Aſſueſcant, ſummaſque ſequi tabulata per ulmos.
Ac, dum prima novis adoleſcit frondibus ætas,
Parcendum teneris: & dum ſe lætus ad auras
Palmes agit, laxis per purum immiſſus habenis,
Ipſa acies nondum falcis tentanda, ſed uncis
Carpendæ manibus frondes, interque legendæ.
Inde ubi jam validis amplexæ ſtirpibus ulmos
Exierint, tum ſtringe comas, tum brachia tonde.
Ante reformidant ferrum: tum denique dura
Exerce imperia, & ramos compeſce fluentes.

Texendæ ſepes etiam, & pecus omne tenendum eſt:
Præcipue dum frons tenera imprudenſque laborum:
Cui, ſuper indignas hiemes ſolemque potentem,
Silveſtres uri aſſidue capreæque ſequaces
Illudunt, paſcuntur oves avidæque juvencæ.
Frigora nec tantum cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens ſcopulis arentibus æſtas,
Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, & admorſo ſignata in ſtirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proſcenia ludi:
Præmiaque ingentes pagos & compita circum
Theſidæ poſuere, atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres,
Nec non Auſonii, Troja gens miſſa, coloni
Verſibus incomtis ludunt, riſuque ſoluto,
Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis:
Et te, Bacche, vocant per carmina læta, tibique
Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubeſcit vinea fœtu:
Complentur valleſque cavæ ſaltuſque profundi,
Et quocumque Deus circum caput egit honeſtum.
Ergo rite ſuum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lanceſque & liba feremus;
Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram,
Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.
Eſt etiam ille labor curandis vitibus alter;
Cui numquam exhauſti ſatis eſt. namque omne quotannis
Terque quaterque ſolum ſcindendum, glebaque verſis
Æternum frangenda bidentibus, omne levandum
Fronde nemus. redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.
Et jam olim ſeras poſuit cum vinea frondes,
Frigidus & ſilvis Aquilo decuſſit honorem;
Jam tum acer curas venientem extendit in annum
Ruſticus, & curvo Saturni dente relictam
Perſequitur vitem attondens, fingitque putando.
Primus humum fodito, primus devecta cremato
Sarmenta, & vallos primus ſub tecta referto:
Poſtremus metito. bis vitibus ingruit umbra:
Bis ſegetem denſis obducunt ſentibus herbæ.
Durus uterque labor. laudato ingentia rura:
Exiguum colito. necnon etiam aſpera ruſci
Vimina per ſilvam, & ripis fluvialis arundo
Cæditur, incultique exercet cura ſalicti.
Jam vinctæ vites: jam falcem arbuſta reponunt:
Jam canit extremos effœtus vinitor antes.
Sollicitanda tamen tellus, pulviſque movendus,
Et jam maturis metuendus Jupiter uvis.
Contra, non ulla eſt oleis cultura: neque illæ
Procurvam exſpectant falcem raſtroſque tenaces,
Cum ſemel hæſerunt arvis, auraſque tulerunt.
Ipſa ſatis tellus, cum dente recluditur unco,
Sufficit humorem, & gravidas cum vomere fruges.
Hoc pinguem & placitam paci nutritor olivam.
Poma quoque, ut primum truncos ſenſere valentes,
Et vires habuere ſuas, ad ſidera raptim
Vi propria nituntur, opiſque haud indiga noſtræ.
Nec minus interea fœtu nemus omne graveſcit,
Sanguineiſque inculta rubent aviaria baccis.
Tondentur cytiſi, tædas ſilva alta miniſtrat,
Paſcunturque ignes nocturni, & lumina fundunt.
Et dubitant homines ſerere, atque impendere curam?
Quid majora ſequar? ſalices, humileſque geniſtæ,
Aut illæ pecori frondem, aut paſtoribus umbras,
Sufficiunt: ſepemque ſatis, & pabula melli.

Et juvat undantem buxo ſpectare Cytorum,
Naryciæque picis lucos: juvat arva videre,
Non raſtris hominum, non ulli obnoxia curæ.
Ipſæ Caucaſio ſteriles in vertice ſilvæ,
Quas animoſi Euri aſſidue franguntque feruntque,
Dant alios aliæ fœtus: dant utile lignum
Navigiis pinos, domibus cedrumque cupreſſoſque.
Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plauſtris
Agricolæ, & pandas ratibus poſuere carinas.
Viminibus ſalices fœcundæ, frondibus ulmi:
At myrtus validis haſtilibus, & bona bello
Cornus: Ityræos taxi torquentur in arcus.
Nec tiliæ leves aut torno raſile buxum
Non formam accipiunt, ferroque cavantur acuto.
Necnon & torrentem undam levis innatat alnus,
Miſſa Pado: necnon & apes examina condunt
Corticibuſque cavis vitioſæque ilicis alveo.
Quid memorandum æque Baccheia dona tulerunt?
Bacchus & ad culpam cauſas dedit. ille furentes
Centauros leto domuit, Rhœtumque Pholumque,
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.
O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas! quibus ipſa, procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit ædibus undam;
Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Illuſaſque auro veſtes, Ephyreiaque æra;
Alba neque Aſſyrio fucatur lana veneno,
Nec caſia liquidi corrumpitur uſus olivi:
At ſecura quies, & neſcia fallere vita,
Dives opum variarum, at latis otia fundis,
Speluncæ, vivique lacus, at frigida Tempe,
Mugituſque boum, molleſque ſub arbore ſomni
Non abſunt. illic ſaltus ac luſtra ferarum,
Et patiens operum, parvoque aſſueta juventus,
Sacra Deum, ſanctique patres: extrema per illos
Juſtitia excedens terris veſtigia fecit.
Me vero primum dulces ante omnia Muſæ,
Quarum ſacra fero ingenti percuſsus amore,
Accipiant; cælique vias, & ſidera monſtrent:
Defectus Solis varios, Lunæque labores:
Unde tremor terris: qua vi maria alta tumeſcant
Obicibus ruptis, rurſuſque in ſe ipſa reſidant:
Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.
Sin, has ne poſſim naturæ accedere partes,
Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis;
Rura mihi & rigui placeant in vallibus amnes;
Flumina amem ſilvaſque inglorius. o, ubi campi,
Spercheoſque, & virginibus bacchata Lacænis
Taygeta: o, qui me gelidis in vallibus Hæmi
Siſtat, & ingenti ramorum protegat umbra!
Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas:
Atque metus omnes & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari!
Fortunatus & ille, Deos qui novit agreſtes,
Panaque, Silvanumque ſenem, Nymphaſque ſorores!
Illum non populi faſces, non purpura regum
Flexit, & infidos agitans diſcordia fratres;
Aut conjurato deſcendens Dacus ab Iſtro:
Non Res Romanæ, perituraque regna: neque ille
Aut doluit miſerans inopem, aut invidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipſa volentia rura
Sponte tulere ſua, carpſit: nec ferrea jura,
Inſanumque forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alii remis freta cæca, ruuntque
In ferrum; penetrant aulas & limina regum:
Hic petit excidiis urbem, miſeroſque Penates,
Ut gemma bibat, & Sarrano dormiat oſtro.
Condit opes alius, defoſſoque incubat auro.
Hic ſtupet attonitus Roſtris: hunc plauſus hiantem
Per cuneos (geminatus enim) plebiſque patrumque
Corripuit: gaudent perfuſi ſanguine fratrum,
Exilioque domos & dulcia limina mutant;
Atque alio patriam quærunt ſub ſole jacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro.
Hinc anni labor: hinc patriam parvoſque nepotes
Suſtinet; hinc armenta boum, meritoſque juvencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi:
Proventuque oneret ſulcos, atque horrea vincat.
Venit hiems; teritur Sicyonia bacca trapetis,
Glande ſues læti redeunt, dant arbuta ſilvæ:
Et varios ponit fœtus autumnus, & alte
Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.
Interea dulces pendent circum oſcula nati:
Caſta pudicitiam ſervat domus: ubera vaccæ
Lactea demittunt; pingueſque in gramine læto
Inter ſe adverſis luctantur cornibus hædi.
Ipſe dies agitat feſtos; fuſuſque per herbam,
Ignis ubi in medio, & ſocii cratera coronant,
Te libans, Lenæe, vocat: pecoriſque magiſtris
Velocis jaculi certamina ponit in ulmo;
Corporaque agreſti nudat prædura palæſtra.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini;
Hanc Remus, & frater: ſic fortis Etruria crevit:
Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma,
Septemque una ſibi muro circumdedit arces.
Ante etiam ſceptrum Dictæi regis, & ante
Impia quam cæſis gens eſt epulata juvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari claſſica, necdum
Impoſitos duris crepitare incudibus enſes.
Sed nos immenſum ſpatiis confecimus æquor:
Et jam tempus equum fumantia ſolvere colla.

GEORGICON

LIBER III.

TE quoque, magna Pales, & te memorande canemus
Paſtor ab Amphryſo: vos ſilvæ amneſque Lycæi.
Cetera, quæ vacuas tenuiſſent carmina mentes,
Omnia jam volgata. quis aut Euryſthea durum,
Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?
Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos?
Hippodameque, humeroque Pelops inſignis eburno,
Acer equis? tentanda via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo, victorque virum volitare per ora.
Primus ego in patriam mecum, modo vita ſuperſit,
Aonio rediens deducam vertice Muſas:
Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas:
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, & tenera prætexit arundine ripas.
In medio mihi Cæſar erit, templumque tenebit.
Illi victor ego, & Tyrio conſpectus in oſtro
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi, Alpheum linquens lucoſque Molorchi,
Curſibus & crudo decernet Græcia cæſtu.
Ipſe caput tonſæ foliis ornatus olivæ

Dona feram. jam nunc ſolemnes ducere pompas
Ad delubra juvat, cæſoſque videre juvencos:
Vel ſcena ut verſis diſcedat frontibus; utque
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.
In foribus pugnam ex auro ſolidoque elephanto
Gangaridum faciam, victoriſque arma Quirini:
Atque hic undantem bello, magnumque fluentem
Nilum, ac navali ſurgentes ære columnas.
Addam urbes Aſiæ domitas, pulſumque Niphaten,
Fidentemque fuga Parthum verſiſque ſagittis,
Et duo rapta manu diverſo ex hoſte tropæa,
Biſque triumphatas utroque ab litore gentes.
Stabunt & Parii lapides ſpirantia ſigna,
Aſſaraci proles, demiſſæque ab Jove gentis
Nomina, Troſque parens, & Trojæ Cynthius auctor.
Invidia infelix Furias amnemque ſeverum
Cocyti metuet, tortoſque Ixionis angues,
Immanemque rotam, & non exſuperabile ſaxum.
Interea Dryadum ſilvas ſaltuſque ſequamur
Intactos, tua, Mæcenas, haud mollia juſſa.
Te ſine nil altum mens inchoat. en age ſegnes
Rumpe moras: vocat ingenti clamore Cithæron,
Taygetique canes, domitrixque Epidaurus equorum:
Et vox aſſenſu nemorum ingeminata remugit.
Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Cæſaris, & nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abeſt ab origine Cæſar.
Seu quis, Olympiacæ miratus præmia palmæ,
Paſcit equos; ſeu quis fortes ad aratra juvencos;
Corpora præcipue matrum legat. optima torvæ
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus a mento palearia pendent.
Tum longo nullus lateri modus: omnia magna:
Pes etiam, & camuris hirtæ ſub cornibus aures.
Nec mihi diſpliceat maculis inſignis & albo,
Aut juga detrectans; interdumque aſpera cornu,
Et faciem tauro propior, quæque ardua tota,
Et gradiens ima verrit veſtigia cauda.
Ætas Lucinam, juſtoſque pati hymenæos
Deſinit ante decem, poſt quatuor incipit annos:
Cetera nec fœturæ habilis, nec fortis aratris.
Interea, ſuperat gregibus dum læta juventas,
Solve mares: mitte in Venerem pecuaria primus,
Atque aliam ex alia generando ſuffice prolem.
Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus;
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.
Semper erunt, quarum mutari corpora malis.
Semper enim refice: ac, ne poſt amiſſa requiras,
Anteveni, & ſobolem armento ſortire quotannis.
Nec non & pecori eſt idem delectus equino.
Tu modo, quos in ſpem ſtatues ſubmittere gentis,
Præcipuum jam inde a teneris impende laborem.
Continuo pecoris generoſi pullus in arvis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit.
Primus & ire viam, & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto ſeſe committere ponti:
Nec vanos horret ſtrepitus. illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus; obeſaque terga:
Luxuriatque toris animoſum pectus: honeſti
Spadices, glaucique; color deterrimus albis,
Et gilvo. tum, ſi qua ſonum procul arma dedere,
Stare loco neſcit: micat auribus, & tremit artus;
Collectumque premens volvit ſub naribus ignem:
Denſa juba, & dextro jactata recumbit in armo.
At duplex agitur per lumbos ſpina, cavatque
Tellurem, & ſolido graviter ſonat ungula cornu.
Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus, & quorum Graji meminere poetæ,
Martis equi bijuges, & magni currus Achillis.
Talis & ipſe jubam cervice effudit equina,
Conjugis adventu pernix Saturnus, & altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.
Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam ſegnior annis
Deficit, abde domo; nec turpi ignoſce ſenectæ.
Frigidus in Venerem ſenior, fruſtraque laborem
Ingratum trahit: &, ſi quando ad prælia ventum eſt,
Ut quondam in ſtipulis magnus ſine viribus ignis,
Incaſſum furit. ergo animos ævumque notabis
Præcipue: hinc alias artes, prolemque parentum,
Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.
Nonne vides, cum præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effuſi carcere currus,
Cum ſpes arrectæ juvenum, exultantiaque haurit
Corda pavor pulſans: illi inſtant verbere torto,
Et proni dant lora: volat vi fervidus axis;
Jamque humiles, jamque elati ſublime videntur
Aera per vacuum ferri, atque aſſurgere in auras:
Nec mora, nec requies; at fulvæ nimbus arenæ
Tollitur, humeſcunt ſpumis, flatuque ſequentum.
Tantus amor laudum, tantæ eſt victoria curæ.
Primus Erichtonius currus, & quattuor auſus
Jungere equos, rapidiſque rotis inſiſtere victor.
Frena Pelethronii Lapithæ, gyroſque dedere
Impoſiti dorſo, atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.
Æquus uterque labor: æque juvenumque magiſtri
Exquirunt, calidumque animis & curſibus acrem.
Quamvis ſæpe fuga verſos ille egerit hoſtes,
Et patriam Epirum referat, forteſque Mycenas;
Neptunique ipſa deducat origine gentem.
His animadverſis inſtant ſub tempus, & omnes
Impendunt curas denſo diſtendere pingui,
Quem legere ducem, & pecori dixere maritum:
Pubenteſque ſecant herbas, fluvioſque miniſtrant,
Farraque; ne blando nequeat ſupereſſe labori;
Invalidique patrum referant jejunia gnati:
Ipſa autem macie tenuant armenta volentes.
Atque, ubi concubitus primos jam nota voluptas
Sollicitat, frondeſque negant, & fontibus arcent:
Sæpe etiam curſu quatiunt, & Sole fatigant,
Cum graviter tunſis gemit area frugibus, & cum
Surgentem ad zephyrum paleæ jactantur inanes.
Hoc faciunt, nimio ne luxu obtuſior uſus
Sit genitali arvo, & ſulcos oblimet inertes:
Sed rapiat ſitiens Venerem, interiuſque recondat.
Rurſus cura patrum cadere, & ſuccedere matrum
Incipit. exactis gravidæ cum menſibus errant,
Non illas gravibus quiſquam juga ducere plauſtris,
Non ſaltu ſuperare viam ſit paſſus, & acri
Carpere prata fuga, fluvioſque innare rapaces.
Saltibus in vacuis paſcant, & plena ſecundum
Flumina: muſcus ubi, & viridiſſima gramine ripa,
Speluncæque tegant, & ſaxea procubet umbra.
Eſt lucos Silari circa ilicibuſque virentem
Plurimus Alburnum volitans, quoi nomen aſilo
Romanum eſt, œſtrum Graii vertere vocantes;
Aſper, acerba ſonans: quo tota exterrita ſilvis
Diffugiunt armenta; furit mugitibus æther
Concuſſus, ſilvæque & ſicci ripa Tanagri.
Hoc quondam monſtro horribiles exercuit iras
Inachiæ Juno peſtem meditata juvencæ.

Hunc

Hunc quoque*, nam mediis fervoribus acrior inſtat,
Arcebis gravido pecori, armentaque paſces
Sole recens orto, aut noctem ducentibus aſtris.
Poſt partum cura in vitulos traducitur omnis:
Continuoque notas & nomina gentis inurunt:
Et quos aut pecori malint ſubmittere habendo,
Aut aris ſervare ſacros, aut ſcindere terram,
Et campum horrentem fractis invertere glebis.
Cetera paſcuntur virides armenta per herbas.
Tu quos ad ſtudium atque uſum formabis agreſtem,
Jam vitulos hortare, viamque inſiſte domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.
Ac primum laxos tenui de vimine circlos
Cervici ſubnecte: dehinc, ubi libera colla
Servitio aſſuerint, ipſis e torquibus aptos
Junge pares, & coge gradum conferre juvencos:
Atque illis jam ſæpe rotæ ducantur inanes
Per terram, & ſummo veſtigia pulvere ſignent.
Poſt valido nitens ſub pondere faginus axis
Inſtrepat, & junctos temo trahat æreus orbes.
Interea pubi indomitæ non gramina tantum,
Nec veſcas ſalicum frondes, ulvamque paluſtrem,
Sed frumenta manu carpes ſata: nec tibi fœtæ
More patrum nivea implebunt mulctralia vaccæ,
Sed tota in dulces conſument ubera natos.
Sin ad bella magis ſtudium, turmaſque feroces,
Aut Alphea rotis prælabi flumina Piſæ,
Et Jovis in luco currus agitare volantes;
Primus equi labor eſt, animos atque arma videre
Bellantum, lituoſque pati; tractuque gementem
Ferre rotam, & ſtabulo frenos audire ſonantes.
Tum magis atque magis blandis gaudere magiſtri
Laudibus, & plauſæ ſonitum cervicis amare.
Atque hæc jam primo depulſus ab ubere matris
Audeat, inque vicem det mollibus ora capiſtris
Invalidus, & jamque tremens, & jam inſcius ævi.
At, tribus exactis, ubi quarta acceſſerit æſtas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibuſque ſonare
Compoſitis, ſinuetque alterna volumina crurum;
Sitque laboranti ſimilis: tum curſibus auras
Provocet, ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Æquora, vix ſumma veſtigia ponat arena:
Qualis, Hyperboreis Aquilo cum denſus ab oris
Incubuit, Scythiæque hiemes atque arida differt
Nubila: tum ſegetes altæ campique natantes
Lenibus horreſcunt flabris, ſummæque ſonorem
Dant ſilvæ, longique urgent ad litora fluctus:
Ille volat, ſimul arva fuga, ſimul æquora verrens.
Hic vel ad Elei metas & maxima campi
Sudabit ſpatia, & ſpumas aget ore cruentas:
Belgica vel molli melius feret eſſeda collo.
Tum demum craſſa magnum farragine corpus
Creſcere jam domitis ſinito. namque ante domandum
Ingentes tollent animos, prenſique negabunt
Verbera lenta pati, & duris parere lupatis.
Sed non ulla magis vires induſtria firmat,
Quam Venerem & cæci ſtimulos avertere amoris,
Sive boum, ſive eſt cui gratior uſus equorum.
Atque ideo tauros procul atque in ſola relegant
Paſcua, poſt montem oppoſitum, & trans flumina lata:
Aut intus clauſos ſatura ad præſepia ſervant.
Carpit enim vires paullatim, uritque videndo
Femina: nec nemorum patitur meminiſſe, nec herbæ.
Dulcibus illa quidem illecebris & ſæpe ſuperbos
Cornibus inter ſe ſubigit decernere amantes.
Paſcitur in magna ſilva formoſa juvenca:
Illi alternantes multa vi prælia miſcent
Vulneribus crebris: lavit ater corpora ſanguis,
Verſaque in obnixos urgentur cornua vaſto
Cum gemitu. reboant ſilvæque & magnus Olympus.
Nec mos bellantes una ſtabulare: ſed alter
Victus abit, longeque ignotis exulat oris;
Multa gemens ignominiam plagaſque ſuperbi
Victoris; tum quos amiſit inultus amores;
Et ſtabula aſpectans regnis exceſſit avitis.
Ergo omni cura vires exercet, & inter
Dura jacet pernix inſtrato ſaxa cubili,
Frondibus hirſutis & carice paſtus acuta:
Et tentat ſeſe, atque iraſci in cornua diſcit
Arboris obnixus trunco, ventoſque laceſſit
Ictibus, & ſparſa ad pugnam proludit arena.
Poſt, ubi collectum robur, vireſque refectæ,
Signa movet, præcepſque oblitum fertur in hoſtem:
Fluctus ut, in medio cœpit cum albeſcere ponto,
Longius, ex altoque ſinum trahit; utque volutus
Ad terras, immane ſonat per ſaxa, neque ipſo
Monte minor procumbit: at ima exæſtuat unda
Vorticibus, nigramque alte ſubjectat arenam.
Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,
In furias ignemque ruunt. amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita leæna
Sævior erravit campis: nec funera vulgo
Tam multa informes urſi ſtragemque dedere
Per ſilvas. tum ſævus aper, tum peſſima tigris.
Heu male tum Libyæ ſolis erratur in agris.
Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, ſi tantum notas odor attulit auras?
Ac neque eos jam fræna virum, neque verbera ſæva,
Non ſcopuli, rupeſque cavæ, atque objecta retardant
Flumina, correptoſque unda torquentia montes.
Ipſe ruit, denteſque Sabellicus exacuit ſus,
Et pede proſubigit terram, fricat arbore coſtas,
Atque hinc atque illinc humeros ad vulnera durat.
Quid juvenis, magnum cui verſat in oſſibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat cæcus ſerus freta: quem ſuper ingens
Porta tonat cæli, & ſcopulis illiſa reclamant
Æquora; nec miſeri poſſunt revocare parentes,
Nec moritura ſuper crudeli funere virgo.
Quid lynces Bacchi variæ, & genus acre luporum,
Atque canum? quid, quæ imbelles dant prælia cervi?
Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum:
Et mentem Venus ipſa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra abſumſere quadrigæ.
Illas ducit amor trans Gargara, tranſque ſonantem
Aſcanium: ſuperant montes, & flumina tranant.
Continuoque avidis ubi ſubdita flamma medullis,
Vere magis (quia vere calor redit oſſibus) illæ
Ore omnes verſæ in zephyrum ſtant rupibus altis,
Exceptantque leves auras: & ſæpe ſine ullis
Conjugiis vento gravidæ (mirabile dictu)
Saxa per & ſcopulos & depreſſas convalles
Diffugiunt: non, Eure, tuos, neque ſolis ad ortus;
In Borean Caurumque, aut unde nigerrimus Auſter
Naſcitur, & pluvio contriſtat frigore cælum.
Hinc demum, hippomanes vero quod nomine dicunt
Paſtores, lentum deſtillat ab inguine virus.
Hippomanes, quod ſæpe malæ legere novercæ,
Miſcueruntque herbas & non innoxia verba.
Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore.

Hoc

Hoc ſatis armentis. ſuperat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges, hirtaſque capellas.
Hic labor: hinc laudem fortes ſperate coloni.
Nec ſum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quam ſit, & anguſtis hunc addere rebus honorem.
Sed me Parnaſſi deſerta per ardua dulcis
Raptat amor. juvat ire jugis, qua nulla priorum
Caſtaliam molli devertitur orbita clivo.
Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore ſonandum.
Incipiens ſtabulis edico in mollibus herbam
Carpere oves, dum mox frondoſa reducitur æſtas:
Et multa duram ſtipula filicumque maniplis
Sternere ſubter humum, glacies ne frigida lædat
Molle pecus, ſcabiemque ferat, turpeſque podagras.
Poſt hinc digreſſus jubeo frondentia capris
Arbuta ſufficere, & fluvios præbere recentes:
Et ſtabula a ventis hiberno opponere ſoli
Ad medium converſa diem: cum frigidus olim
Jam cadit, extremoque irrorat Aquarius anno.
Hæ quoque non cura nobis leviore tuendæ;
Nec minor uſus erit: quamvis Mileſia magno
Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.
Denſior hinc ſoboles: hinc largi copia lactis.
Quam magis exhauſto ſpumaverit ubere mulctra;
Læta magis preſſis manabunt flumina mammis.
Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci, ſetaſque comantes,
Uſum in caſtrorum, & miſeris velamina nautis.
Paſcuntur vero ſilvas, & ſumma Lycæi,
Horrenteſque rubos, & amantes ardua dumos.
Atque ipſæ memores redeunt in tecta, ſuoſque
Ducunt, & gravido ſuperant vix ubere limen.
Ergo omni ſtudio glaciem ventoſque nivales,
Quo minus eſt illis curæ mortalis egeſtas,
Avertes: victumque feres, & virgea lætus
Pabula; nec tota claudes fœnilia bruma.
At vero, zephyris cum læta vocantibus æſtas,
In ſaltus utrumque gregem atque in paſcua mittes.
Luciferi primo cum ſidere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratiſſimus herba.
Inde, ubi quarta ſitim cæli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbuſta cicadæ;
Ad puteos, aut alta greges ad ſtagna jubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam:
Æſtibus at mediis umbroſam exquirere vallem,
Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos: aut ſicubi nigrum
Ilicibus crebris ſacra nemus accubet umbra.
Tum tenues dare rurſus aquas, & paſcere rurſus
Solis ad occaſum. cum frigidus aera veſper
Temperat, & ſaltus reficit jam roſcida luna,
Litoraque Alcyonen reſonant, acalanthida dumi.
Quid tibi paſtores Libyæ, quid paſcua verſu
Proſequar, & raris habitata mapalia tectis?
Sæpe diem noctemque, & totum ex ordine menſem
Paſcitur, itque pecus longa in deſerta ſine ullis
Hoſpitiis: tantum campi jacet. omnia ſecum
Armentarius Afer agit, tectumque, Laremque,
Armaque, Amyclæumque canem, Creſſamque pharetram.
Non ſecus ac patriis acer Romanus in armis
Injuſto ſub faſce viam cum carpit, & hoſti
Ante expectatum poſitis ſtat in agmine caſtris.
At non, qua Scythiæ gentes, Mæotiaque unda,
Turbidus & torquens flaventes Iſter arenas,
Quaque redit medium Rhodope porrecta ſub axem.
Illic clauſa tenent ſtabulis armenta; neque ullæ
Aut herbæ campo apparent, aut arbore frondes:
Sed jacet aggeribus niveis informis, & alto
Terra gelu late, ſeptemque adſurgit in ulnas.
Semper hiems, ſemper ſpirantes frigora cauri.
Tum ſol pallentes haud umquam diſcutit umbras:
Nec cum invectus equis altum petit æthera: nec cum
Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum.
Concreſcunt ſubitæ currenti in flumine cruſtæ,
Undaque jam tergo ferratos ſuſtinet orbes,
Puppibus illa prius patulis, nunc hoſpita plauſtris.
Æraque diſſiliunt vulgo, veſteſque rigeſcunt
Indutæ, cæduntque ſecuribus humida vina,
Et totæ ſolidam in glaciem vertere lacunæ,
Stiriaque impexis induruit horrida barbis.
Interea toto non ſecius aere ningit.
Intereunt pecudes, ſtant circumfuſa pruinis
Corpora magna boum: confertoque agmine cervi
Torpent mole nova, & ſummis vix cornibus exſtant.
Hos non immiſſis canibus, non caſſibus ullis
Puniceæve agitant pavidos formidine pinnæ:
Sed fruſtra oppoſitum trudentes pectore montem
Cominus obtruncant ferro, graviterque rudentes
Cædunt, & magno læti clamore reportant.
Ipſi in defoſſis ſpecubus ſecura ſub alta
Otia agunt terra, congeſtaque robora, totaſque
Advolvere focis ulmos, ignique dedere.
Hic noctem ludo ducunt, & pocula læti
Fermento atque acidis imitantur vitea ſorbis.
Talis Hyperboreo ſeptem ſubjecta trioni
Gens effrena virum Riphæo tunditur euro,
Et pecudum fulvis velatur corpora ſetis.
Si tibi lanicium curæ; primum aſpera ſilva,
Lappæque tribulique abſint: fuge pabula læta,
Continuoque greges villis lege mollibus albos.
Illum autem, quamvis aries ſit candidus ipſe,
Nigra ſubeſt udo tantum cui lingua palato,
Rejice, ne maculis infuſcet vellera pullis
Naſcentum: plenoque alium circumſpice campo.
Munere ſic niveo lanæ, ſi credere dignum eſt,
Pan Deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit,
In nemora alta vocans: nec tu aſpernata vocantem.
At cui lactis amor, cytiſum, lotoſque frequentes
Ipſe manu, ſalſaſque ferat præſepibus herbas.
Hinc & amant fluvios magis, & magis ubera tendunt,
Et ſalis occultum referunt in lacte ſaporem.
Multi jam excretos prohibent a matribus hædos,
Primaque ferratis præfigunt ora capiſtris.
Quod ſurgente die mulſere, horiſque diurnis,
Nocte premunt; quod jam tenebris, & ſole cadente,
Sub lucem exportans calathis adit oppida paſtor:
Aut parco ſale contingunt, hiemique reponunt.
Nec tibi cura canum fuerit poſtrema: ſed una
Velocis Spartæ catulos, acremque Moloſſum
Paſce ſero pingui. numquam cuſtodibus illis
Nocturnum ſtabulis furem, incurſuſque luporum,
Aut impacatos a tergo horrebis Iberos.
Sæpe etiam curſu timidos agitabis onagros,
Et canibus leporem, canibus venabere damas.
Sæpe volutabris pulſo ſilveſtribus apros
Latratu turbabis agens, monteſque per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervum.
Diſce & odoratam ſtabulis accendere cedrum,
Galbaneoque agitare graves nidore chelydros.
Sæpe ſub immotis præſepibus aut mala tactu
Vipera delituit, cælumqe exterrita fugit:

Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere & umbræ,
Peſtis acerba boum, pecorique adſpergere virus,
Fovit humum. cape ſaxa manu, cape robora, paſtor,
Tollentemque minas & ſibila colla tumentem
Dejice. jamque fuga timidum caput abdidit alte,
Cum medii nexus, extremæque agmina caudæ
Solvuntur, tardoſque trahit ſinus ultimus orbes.
Eſt etiam ille malus Calabris in ſaltibus anguis,
Squamea convolvens ſublato pectore terga,
Atque notis longam maculoſus grandibus alvum:
Qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus, & dum
Vere madent udo terræ, ac pluvialibus auſtris,
Stagna colit, ripiſque habitans, hic piſcibus atram
Improbus ingluviem raniſque loquacibus explet.
Poſtquam exuſta palus, terræque ardore dehiſcunt,
Exſilit in ſiccum, & flammantia lumina torquens
Sævit agris, aſperque ſiti atque exterritus æſtu.
Ne mihi tum molles ſub dio carpere ſomnos,
Neu dorſo nemoris libeat jacuiſſe per herbas:
Cum poſitis novus exuviis nitiduſque juventa
Volvitur, aut catulos tectis aut ova relinquens,
Arduus ad ſolem & linguis micat ore triſulcis.
Morborum quoque te cauſſas & ſigna docebo.
Turpis oves tentat ſcabies, ubi frigidus imber
Altius ad vivum perſedit, & horrida cano
Bruma gelu: vel cum tonſis illotus adhæſit
Sudor, & hirſuti ſecuerunt corpora vepres.
Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magiſtri
Perfundunt, udiſque aries in gurgite villis
Merſatur, miſſuſque ſecundo defluit amni:
Aut tonſum triſti contingunt corpus amurca,
Et ſpumas miſcent argenti, vivaque ſulfura,
Idæaſque pices, & pingues unguine ceras,
Scillamque, elleboroſque graves, nigrumque bitumen.
Non tamen ulla magis præſens fortuna laborum eſt,
Quam ſi quis ferro potuit reſcindere ſummum
Ulceris os. alitur vitium, vivitque tegendo:
Dum medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat, aut meliora deos ſedet omina poſcens.
Quin etiam ima dolor balantum lapſus ad oſſa
Cum furit, atque artus depaſcitur arida febris,
Profuit incenſos æſtus avertere, & inter
Ima ferire pedis ſalientem ſanguine venam:
Biſaltæ quo more ſolent, acerque Gelonus,
Cum fugit in Rhodopen, atque in deſerta Getarum,
Et lac concretum cum ſanguine potat equino.
Quam procul aut molli ſuccedere ſæpius umbræ
Videris, aut ſummas carpentem ignavius herbas,
Extremamque ſequi, aut medio procumbere campo
Paſcentem, & ſeræ ſolam decedere nocti;
Continuo culpam ferro compeſce, prius quam
Dira per incautum ſerpant contagia vulgus.
Non tam creber agens hiemem ruit æquore turbo,
Quam multæ pecudum peſtes. nec ſingula morbi
Corpora corripiunt: ſed tota æſtiva repente,
Spemque gregemque ſimul, cunctamque ab origine gen-
Tum ſciat aerias Alpes, & Norica ſi quis (tem.
Caſtella in tumulis, & Iapidis arva Timavi,
Nunc quoque poſt tanto videat deſertaque regna
Paſtorum & longe ſaltus lateque vacantes.
Hic quondam morbo cæli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totoque autumni incanduit æſtu,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum;
Corrupitque lacus: infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat ſimplex: ſed ubi ignea venis
Omnibus acta ſitis miſeros adduxerat artus,
Rurſus abundabat fluidus liquor: omniaque in ſe
Oſſa minutatim morbo collapſa trahebat.
Sæpe in honore deum medio ſtans hoſtia ad aram,
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda miniſtros.
Aut ſi quam ferro mactaverat ante ſacerdos,
Inde neque impoſitis ardent altaria fibris;
Nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates:
Ac vix ſuppoſiti tinguntur ſanguine cultri,
Summaque jejuna ſanie infuſcatur arena.
Hinc lætis vituli vulgo moriuntur in herbis,
Et dulces animas plena ad præſepia reddunt.
Hinc canibus blandis rabies venit, & quatit ægros
Tuſſis anhela ſues, ac faucibus angit obeſis.
Labitur infelix, ſtudiorum atque immemor herbæ,
Victor equus, fonteſque avertitur, & pede terram
Crebra ferit: demiſſæ aures: incertus ibidem
Sudor; & ille quidem morituris frigidus: aret
Pellis, & ad tactum tractanti dura reſiſtit.
Hæc ante exitium primis dant ſigna diebus.
Sin in proceſſu cœpit crudeſcere morbus,
Tum vero ardentes oculi atque attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis, imaque longo
Ilia ſingultu tendunt: it naribus ater
Sanguis, & obſeſſas fauces premit aſpera lingua.
Profuit inſerto latices infundere cornu
Lenæos: ea viſa ſalus morientibus una.
Mox erat hoc ipſum exitio, furiiſque refecti
Ardebant, ipſique ſuos, jam morte ſub ægra,
(Di meliora piis, erroremque hoſtibus illum!)
Diſciſſos nudis laniabant dentibus artus.
Ecce autem duro fumans ſub vomere taurus
Concidit, & mixtum ſpumis vomit ore cruorem,
Extremoſque ciet gemitus. it triſtis arator,
Mærentem abjungens fraterna morte juvencum:
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Non umbræ altorum nemorum, non mollia poſſunt
Prata movere animum, non qui per ſaxa volutus
Purior electro campum petit amnis: at ima
Solvuntur latera, atque oculos ſtupor urguet inertes,
Ad terramque fluit devexo pondere cervix.
Quid labor, aut benefacta juvant? quid vomere terras
Invertiſſe graves? atqui non Maſſica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repoſtæ:
Frondibus & victu paſcuntur ſimplicis herbæ.
Pocula ſunt fontes liquidi, atque exercita curſu
Flumina, nec ſomnos abrumpit cura ſalubres.
Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quæſitas ad ſacra boves Junonis, & uris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo ægre raſtris terram rimantur, & ipſis
Unguibus infodiunt fruges, monteſque per altos
Contenta cervice trahunt ſtridentia plauſtra.
Non lupus inſidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum
Cura domat: timidi damæ cervique fugaces
Nunc interque canes & circum tecta vagantur.
Jam maris immenſi prolem, & genus omne natantum
Litore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
Proluit: inſolitæ fugiunt in flumina phocæ.
Interit & curvis fruſtra defenſa latebris
Vipera, & attoniti ſquamis adſtantibus hydri.
Ipſis eſt aer avibus non æquus, & illæ
Præcipites alta vitam ſub nube relinquunt.
Præterea jam nec mutari pabula refert,
Quæſitæque nocent artes; ceſſere magiſtri

Phillyrides Chiron Amythaoniuſque Melampus.
Sævit, & in lucem Stygiis emiſſa tenebris
Pallida Tiſiphone morbos agit ante metumque,
Inque dies avidum ſurgens caput altius effert.
Balatu pecorum & crebris mugitibus amnes,
Arenteſque ſonant ripæ, colleſque ſupini.
Jamque catervatim dat ſtragem, atque aggerat ipſis
In ſtabulis turpi dilapſa cadavera tabo:
Donec humo tegere, ac foveis abſcondere diſcunt.
Nam neque erat coriis uſus: nec viſcera quiſquam
Aut undis abolere poteſt, aut vincere flamma:
Nec tondere quidem morbo illuvieque peresa
Vellera, nec telas poſſunt attingere putres.
Verum etiam inviſos ſi quis tentarat amictus;
Ardentes papulæ, atque immundus olentia ſudor
Membra ſequebatur. nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus ſacer ignis edebat.

GEORGICON
LIBER IV.

PRotinus aerii mellis cæleſtia dona
Exequar. hanc etiam, Mæcenas, aſpice partem.
Admiranda tibi levium ſpectacula rerum,
Magnanimoſque duces, totiuſque ordine gentis
Mores, & ſtudia, & populos, & prælia dicam.
In tenui labor: at tenuis non gloria; ſi quem
Numina læva ſinunt, auditque vocatus Apollo.
Principio ſedes apibus ſtatioque petendæ,
Quo neque ſit ventis aditus, (nam pabula venti
Ferre domum prohibent) neque oves hædique petulci
Floribus inſultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, & ſurgentes atterat herbas.
Abſint & picti ſqualentia terga lacerti
Pinguibus a ſtabulis, meropeſque, aliæque volucres;
Et manibus Procne pectus ſignata cruentis.
Omnia nam late vaſtant, ipſaſque volantes
Ore ferunt dulcem nidis immitibus eſcam.
At liquidi fontes & ſtagna virentia muſco
Adſint, & tenuis fugiens per gramina rivus,
Palmaque veſtibulum aut ingens oleaſter inumbret.
Ut, cum prima novi ducent examina reges
Vere ſuo, luderque favis emiſſa juventus,
Vicina invitet decedere ripa calori;
Obviaque hoſpitiis teneat frondentibus arbos.
In medium, ſeu ſtabit iners, ſeu profluet humor,
Tranſverſas ſalices, & grandia conjice ſaxa:
Pontibus ut crebris poſſint conſiſtere, & alas
Pandere ad æſtivum ſolem, ſi forte morantes
Sparſerit, aut præceps Neptuno immerſerit Eurus.
Hæc circum caſiæ virides, & olentia late
Serpylla, & graviter ſpirantis copia thymbræ
Floreat, irriguumque bibant violaria fontem.
Ipſa autem, ſeu corticibus tibi ſuta cavatis,
Seu lento fuerint alvearia vimine texta,
Anguſtos habeant aditus. nam frigore mella
Cogit hiems, eademque calor liquefacta remittit.
Utraque vis apibus pariter metuenda: neque illæ
Nequidquam in tectis certatim tenvia cera
Spiramenta linunt, fucoque & floribus oras
Explent, collectumque hæc ipſa ad munera gluten,
Et viſco & Phrygiæ ſervant pice lentius Idæ.
Sæpe etiam effoſſis (ſi vera eſt fama) latebris
Sub terra fovere larem, penituſque repertæ
Pumicibuſque cavis, exeſæque arboris antro.
Tu tamen e levi rimoſa cubilia limo
Unge fovens circum, & raras ſuperinjice frondes.
Neu propius tectis taxum ſine, neve rubentes
Ure foco cancros, altæ neu crede paludi:
Aut ubi odor cœni gravis, aut ubi concava pulſu
Saxa ſonant, vociſque offenſa reſultat imago.
Quod ſupereſt, ubi pulſam hiemem ſol aureus egit
Sub terras, cælumque æſtiva luce recluſit;
Illæ continuo ſaltus, ſilvaſque peragrant.
Purpureoſque metunt flores, & flumina libant
Summa leves. hinc neſcio qua dulcedine lætæ
Progeniem nidoſque fovent: hinc arte recentes
Excudunt ceras, & mella tenacia fingunt.
Hinc ubi jam emiſſum caveis ad ſidera cæli
Nare per æſtatem liquidam ſuſpexeris agmen,
Obſcuramque trahi vento mirabere nubem;
Contemplator: aquas dulces, & frondea ſemper
Tecta petunt. huc tu juſſos aſperge ſapores,
Trita meliphylla, & cerinthæ ignobile gramen;
Tinnituſque cie, & matris quate cymbala circum.
Ipſæ conſident medicatis ſedibus: ipſæ
Intima more ſuo ſeſe in cunabula condent.
Sin autem ad pugnam exierint; (nam ſæpe duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu)
Continuoque animos vulgi & trepidantia bello
Corda licet longe præſciſcere; namque morantes
Martius ille æris rauci canor increpat, & vox
Auditur fractos ſonitus imitata tubarum.
Tum trepidæ inter ſe coeunt, penniſque coruſcant,
Spiculaque exacuunt roſtris, aptantque lacertos;
Et circa Regem, atque ipſa ad prætoria denſæ
Miſcentur, magniſque vocant clamoribus hoſtem.
Ergo, ubi ver nactæ ſudum campoſque patentes,
Erumpunt portis; concurritur; æthere in alto
Fit ſonitus, magnum miſtæ glomerantur in orbem,
Præcipiteſque cadunt. non denſior aere grando,
Nec de concuſſa tantum pluit ilice glandis.
Ipſi per medias acies, inſignibus alis,
Ingentes animos anguſto in pectore verſant.
Uſque adeo obnixi non cedere, dum gravis aut hos,
Aut hos verſa fuga victor dare terga ſubegit.
Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcent.
Verum ubi ductores acie revocaveris ambo;
Deterior qui viſus, eum, ne prodigus obſit,
Dede neci: melior vacua ſine regnet in aula.
Alter erit maculis auro ſqualentibus ardens:
(Nam duo ſunt genera) hic melior, inſignis & ore,
Et rutilis clarus ſquamis: ille horridus alter
Deſidia, latamque trahens inglorius alvum.
Ut binæ Regum facies, ita corpora plebis.
Namque aliæ turpes horrent: ceu pulvere ab alto
Cum venit, & ſicco terram ſpuit ore viator
Aridus: elucent aliæ, & fulgore coruſcant
Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis.
Hæc potior ſoboles. hinc cæli tempore certo
Dulcia mella premes: nec tantum dulcia, quantum
Et liquida, & durum Bacchi domitura ſaporem.
At cum incerta volant, cæloque examina ludunt,
Contemnuntque favos, & frigida tecta relinquunt;
Inſtabiles animos ludo prohibebis inani.
Nec magnus prohibere labor. tu Regibus alas
Eripe. non illis quiſquam cunctantibus altum
Ire iter, aut caſtris audebit vellere ſigna.
Invitent croceis halantes floribus horti,
Et cuſtos furum atque avium cum falce ſaligna

Helleſpontiaci ſervet tutela Priapi.
Ipſe thymum pinoſque ferens de montibus altis
Tecta ferat late circum, cui talia curæ:
Ipſe labore manum duro terat: ipſe feraces
Figat humo plantas, & amicos irriget imbres.
Atque equidem, extremo ni jam ſub fine laborum
Vela traham, & terris feſtinem advertere proram;
Forſitan &, pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem, biferique roſaria Pæſti:
Quoque modo potis gauderent intyba rivis;
Et virides apio ripæ, tortuſque per herbam
Creſceret in ventrem cucumis: nec ſera comantem
Narciſſum, aut flexi tacuiſſem vimen acanthi,
Pallenteſque hederas, & amantes litora myrtos.
Namque ſub OEbaliæ memini me turribus altis,
Qua niger humectat flaventia culta Galeſus,
Corycium vidiſſe ſenem: cui pauca relicti
Jugera ruris erant: nec fertilis illa juvencis,
Nec pecori opportuna ſeges, nec commoda Baccho.
Hic rarum tamen in dumis olus, albaque circum
Lilia, verbenaſque premens, veſcumque papaver,
Regum æquabat opes animis; ſeraque revertens
Nocte domum dapibus menſas onerabat inemtis.
Primus vere roſam atque autumno carpere poma,
Et cum triſtis hiems etiamnum frigore ſaxa
Rumperet, & glacie curſus frenaret aquarum,
Ille comam mollis jam tum tondebat acanthi,
Æſtatem increpitans ſeram zephyroſque morantes.
Ergo apibus fœtis idem atque examine multo
Primus abundare, & ſpumantia cogere preſſis
Mella favis: illi tiliæ, atque uberrima pinus:
Quotque in flore novo pomis ſe fertilis arbos
Induerat, totidem autumno matura tenebat.
Ille etiam ſeras in verſum diſtulit ulmos,
Eduramque pirum, & ſpinos jam pruna ferentes,
Jamque miniſtrantem platanum potantibus umbras.
Verum hæc ipſe equidem ſpatiis excluſus iniquis
Prætereo, atque aliis poſt me memoranda relinquo.
Nunc age, naturas apibus quas Jupiter ipſe
Addidit, expediam: pro qua mercede, canoros
Curetum ſonitus crepitantiaque æra ſecutæ,
Dictæo cæli regem pavere ſub antro.
Solæ communes gnatos, conſortia tecta
Urbis habent, magniſque agitant ſub legibus ævum:
Et patriam ſolæ, & certos novere penates:
Venturæque hiemis memores æſtate laborem
Experiuntur, & in medium quæſita reponunt.
Namque aliæ victu invigilant, &fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra ſepta domorum
Narciſſi lacrymam, & lentum de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina. deinde tenaces
Suſpendunt ceras: aliæ ſpem gentis adultos
Educunt fœtus: aliæ puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas.
Sunt, quibus ad portas cecidit cuſtodia forti:
Inque vicem ſpeculantur aquas, & nubila cæli:
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a præſepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
Ac veluti, lentis Cyclopes fulmina maſſis
Cum properant, alii taurinis follibus auras
Accipiunt redduntque, alii ſtridentia tingunt
Æra lacu: gemit impoſitis incudibus Ætna.
Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe ferrum.
Non aliter, ſi parva licet componere magnis,
Cecropias innatus apes amor urget habendi,
Munere quamque ſuo. grandævis oppida curæ,
Et munire favos, & dædala fingere tecta.
At feſſæ multa referunt ſe nocte minores,
Crura thymo plenæ: paſcuntur & arbuta paſſim,
Et glaucas ſalices, caſiamque, crocumque rubentem,
Et pinguem tiliam, & ferrugineos hyacinthos.
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.
Mane ruunt portis; nuſquam mora. rurſus eaſdem
Veſper ubi e paſtu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant.
Fit ſonitus, muſſantque oras & limina circum.
Poſt, ubi jam thalamis ſe compoſuere, ſiletur
In noctem, feſſoſque ſopor ſuus occupat artus.
Nec vero a ſtabulis pluvia impendente recedunt
Longius, aut credunt cælo, adventantibus euris:
Sed circum tutæ ſub mœnibus urbis aquantur,
Excurſuſque breves tentant, & ſæpe lapillos,
Ut cymbæ inſtabiles fluctu jactante ſaburram,
Tollunt: his ſeſe per inania nubila librant.
Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In Venerem ſolvunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verum ipſæ e foliis natos & ſuavibus herbis
Ore legunt: ipſæ regem parvoſque Quirites
Sufficiunt, aulaſque, & cerea regna refingunt.
Sæpe etiam duris errando in cotibus alas
Attrivere, ultroque animam ſub faſce dedere.
Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.
Ergo ipſas quamvis anguſti terminus ævi
Excipiat: (neque enim plus ſeptima ducitur æſtas)
At genus immortale manet, multoſque per annos
Stat Fortuna domus, & avi numerantur avorum.
Præterea regem non ſic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes
Obſervant. rege incolumi mens omnibus una eſt:
Amiſſo rupere fidem; conſtructaque mella
Diripuere ipſæ, & crates ſolvere favorum.
Ille operum cuſtos: illum admirantur, & omnes
Circumſtant fremitu denſo, ſtipantque frequentes;
Et ſæpe attollunt humeris, & corpora bello
Objectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.
His quidam ſignis atque hæc exempla ſecuti,
Eſſe apibus partem divinæ mentis, & hauſtus
Ætherios dixere. deum namque ire per omnes
Terraſque, tractuſque maris, cælumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.
Scilicet huc reddi deinde ac reſoluta referri
Omnia: nec morti eſſe locum, ſed viva volare
Sideris in numerum, atque alto ſuccedere cælo.
Si quando ſedem anguſtam, ſervataque mella
Theſauris relines; prius hauſtu ſparſus aquarum
Ora fove, fumoſque manu prætende ſequaces.
Bis gravidos cogunt fœtus, duo tempora meſſis,
Taygete ſimul os terris oſtendit honeſtum
Plejas, & Oceani ſpretos pede reppulit amnes:
Aut eadem ſidus fugiens ubi Piſcis aquoſi
Triſtior hibernas cælo deſcendit in undas.
Illis ira modum ſupra eſt, læſæque venenum
Morſibus inſpirant, & ſpicula cæca relinquunt
Affixæ venis, animaſque in vulnera ponunt.
Sin duram metues hiemem, parceſque futuro,
Contuſoſque animos, & res miſerabere fractas;
At ſuffire thymo, ceraſque recidere inanes
Quis dubitet? nam ſæpe favos ignotus adedit
Stel-

Stellio, & lucifugis congeſta cubilia blattis:
Immuniſque ſedens aliena ad pabula fucus,
Aut aſper crabro imparibus ſe immiſcuit armis;
Aut dirum tineæ genus, aut inviſa Minervæ
Laxos in foribus ſuſpendit aranea caſſes.
Quo magis exhauſtæ fuerint, hoc acrius omnes
Incumbent generis lapſi ſarcire ruinas,
Complebuntque foros, & floribus horrea texent.
Si vero (quoniam caſus apibus quoque noſtros
Vita tulit) triſti languebunt corpora morbo,
Quod jam non dubiis poteris cognoſcere ſignis;
Continuo eſt ægris alius color: horrida vultum
Deformat macies: tum corpora luce carentum
Exportant tectis, & triſtia funera ducunt:
Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent,
Aut intus clauſis cunctantur in ædibus omnes,
Ignavæque fame & contracto frigore pigræ.
Tum ſonus auditur gravior, tractimque ſuſurrant:
Frigidus ut quondam ſilvis immurmurat auſter:
Ut mare ſollicitum ſtridit refluentibus undis;
Æſtuat ut clauſis rapidus fornacibus ignis.
Hic jam galbaneos ſuadebo incendere odores,
Mellaque arundineis inferre canalibus, ultro
Hortantem, & feſſas ad pabula nota vocantem.
Proderit & tunſum gallæ admiſcere ſaporem,
Arentesque roſas, aut igni pinguia multo
Defruta, vel pſythia paſſos de vite racemos,
Cecropiumque thymum, & grave olentia centaurea.
Eſt etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba.
Namque uno ingentem tollit de ceſpite ſilvam,
Aureus ipſe: ſed in foliis, quæ plurima circum
Funduntur, violæ ſublucet purpura nigræ.
Sæpe deum nexis ornatæ torquibus aræ.
Aſper in ore ſapor. tonſis in vallibus illum
Paſtores, & curva legunt prope flumina Mellæ.
Hujus odorato radices incoque Baccho,
Pabulaque in foribus plenis appone caniſtris.
Sed ſi quem proles ſubito defecerit omnis,
Nec, genus unde novæ ſtirpis revocetur, habebit;
Tempus & Arcadii memoranda inventa magiſtri
Pandere, quoque modo cæſis jam ſæpe juvencis
Inſincerus apes tulerit cruor. altius omnem
Expediam prima repetens ab origine famam.
Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuſo ſtagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur ſua rura faſelis;
Quaque pharetratæ vicinia Perſidis urget,
Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena,
Et diverſa ruens ſeptem diſcurrit in ora
Uſque coloratis amnis devexus ab Indis:
Omnis in hac certam regio jacit arte ſalutem.
Exiguus primum, atque ipſos contractus ad uſus
Eligitur locus. hunc anguſtique imbrice tecti
Parietibuſque premunt arctis, & quatuor addunt
Quatuor a ventis obliqua luce feneſtras.
Tum vitulus, bima curvans jam cornua fronte,
Quæritur: huic geminæ nares, & ſpiritus oris
Multa reluctanti obſtruitur, plagiſque peremto
Tunſa per integram ſolvuntur viſcera pellem.
Sic poſitum in clauſo linquunt, & ramea coſtis
Subjiciunt fragmenta, thymum, caſiaſque recentes.
Hoc geritur, zephyris primum impellentibus undas,
Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quam tignis nidum ſuſpendat hirundo.
Interea teneris tepefactus in oſſibus humor
Æſtuat, & viſenda modis animalia miris,
Trunca pedum primo, mox & ſtridentia pennis
Miſcentur, tenuemque magis magis aera carpunt:
Donec, ut æſtivis effuſus nubibus imber,
Erupere, aut ut, nervo pulſante, ſagittæ,
Prima leves ineunt ſi quando prœlia Parthi.
Quis deus hanc, Muſæ, quis nobis extudit artem?
Unde nova ingreſſus hominum experientia cepit?
Paſtor Ariſtæus fugiens Peneia Tempe,
Amiſſis (ut fama) apibus morboque fameque,
Triſtis ad extremi ſacrum caput adſtitit amnis,
Multa querens. atque hac adfatus voce parentem:
Mater Cyrene, mater, quæ gurgitis hujus
Ima tenes, quid me præclara ſtirpe deorum,
(Si modo, quem perhibes, pater eſt Thymbræus Apollo)
Inviſum fatis genuiſti? aut quo tibi noſtri
Pulſus amor? quid me cælum ſperare jubebas?
En etiam hunc ipſum vitæ mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum & pecudum cuſtodia ſolers
Omnia tentanti extuderat, te matre relinquo.
Quin age, & ipſa manu felices erue ſilvas:
Fer ſtabulis inimicum ignem, atque interfice meſſes:
Ure ſata, & validam in vites molire bipennem;
Tanta meæ ſi te ceperunt tædia laudis.
At mater ſonitum thalamo ſub fluminis alti
Senſit. eam circum Mileſia vellera Nymphæ
Carpebant, hyali ſaturo fucata colore:
Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllidoceque,
Cæſariem effuſæ nitidam per candida colla:
Neſæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque,
Cydippeque, & flava Lycorias; altera virgo,
Altera tum primos Lucinæ experta labores;
Clioque & Beroe ſoror, Oceanitides ambæ,
Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ;
Atque Ephyre, atque Opis, & Aſia Deiopea;
Et tandem poſitis velox Arethuſa ſagittis.
Inter quas curam Clymene narrabat inanem
Vulcani, Martiſque dolos, & dulcia furta:
Aque Chao denſos divum numerabat amores.
Carmine quo captæ, dum fuſis mollia penſa
Devolvunt, iterum maternas impulit aures
Luctus Ariſtæi, vitreiſque ſedilibus omnes
Obſtupuere; ſed ante alias Arethuſa ſorores
Proſpiciens, ſumma flavum caput extulit unda.
Et procul: O gemitu non fruſtra exterrita tanto,
Cyrene ſoror; ipſe tibi tua maxima cura
Triſtis Ariſtæus Penei genitoris ad undam
Stat lacrimans, & te crudelem nomine dicit.
Huic percuſſa nova mentem formidine mater,
Duc age, duc ad nos; fas illi limina divum
Tangere, ait: ſimul alta jubet diſcedere late
Flumina, qua juvenis greſſus inferret. at illum
Curvata in montis faciem circumſtetit unda,
Accepitque ſinu vaſto, miſitque ſub amnem.
Jamque domum mirans genetricis, & humida regna,
Speluncisque lacus clauſos, lucoſque ſonantes,
Ibat, & ingenti motu ſtupefactus aquarum,
Omnia ſub magna labentia flumina terra
Spectabat diverſa locis, Phaſimque, Lycumque,
Et caput, unde altus primum ſe erumpit Enipeus,
Unde pater Tiberinus, & unde Aniena fluenta,
Saxoſumque ſonans Hypanis, Myſuſque Caicus,
Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus: quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior effluit amnis.
Poſtquam eſt in thalami pendentia pumice tecta

Perventum, & gnati fletus cognovit inanes
Cyrene; manibus liquidos dant ordine fontes
Germanæ, tonſiſque ferunt mantelia villis.
Pars epulis onerant menſas, & plena reponunt
Pocula. Panchæis adoleſcunt ignibus aræ.
Et mater, Cape Mæonii carcheſia Bacchi:
Oceano libemus, ait. ſimul ipſa precatur
Oceanumque patrem rerum Nymphaſque ſorores,
Centum quæ ſilvas, centum quæ flumina ſervant.
Ter liquido ardentem perfudit nectare Veſtam:
Ter flamma ad ſummum tecti ſubjecta reluxit.
Omine quo firmans animum, ſic incipit ipſa:
Eſt in Carpathio Neptuni gurgite vates
Cæruleus Proteus: magnum qui piſcibus æquor
Et juncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Emathiæ portus patriamque reviſit
Pallenen. hunc & Nymphæ veneramur, & ipſe
Grandævus Nereus. novit namque omnia vates,
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
Quippe ita Neptuno viſum eſt: immania cujus
Armenta, & turpes paſcit ſub gurgite phocas.
Hic tibi, nate, prius vinclis capiundus, ut omnem
Expediat morbi cauſſam, eventuſque ſecundet.
Nam ſine vi non ulla dabit præcepta, neque illum
Orando flectes: vim duram & vincula capto
Tende. doli circum hæc demum frangentur inanes.
Ipſa ego te, medios cum ſol accenderit æſtus,
Cum ſitiunt herbæ, & pecori jam gratior umbra eſt,
In ſecreta ſenis ducam, quo feſſus ab undis
Se recipit; facile ut ſomno aggrediare jacentem.
Verum ubi correptum manibus vincliſque tenebis;
Tum variæ eludent ſpecies atque ora ferarum.
Fiet enim ſubito ſus horridus, atraque tigris,
Squamoſuſque draco, & fulva cervice leæna:
Aut acrem flammæ ſonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapſus abibit.
Sed quanto ille magis formas ſe vertet in omnes,
Tanto, gnate, magis contende tenacia vincla:
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret cum lumina ſomno.
Hæc ait, & liquidum ambroſiæ diffundit odorem:
Quo totum nati corpus perduxit. at illi
Dulcis compoſitis ſpiravit crinibus aura,
Atque habilis membris venit vigor. eſt ſpecus ingens
Exeſi latere in montis, quo plurima vento
Cogitur, inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos;
Deprenſis olim ſtatio tutiſſima nautis.
Intus ſe vaſti Proteus tegit obice ſaxi.
Hic juvenem in latebris averſum a lumine Nympha
Collocat: ipſa procul nebulis obſcura reſiſtit.
Jam rapidus torrens ſitientes Sirius Indos
Ardebat; cælo & medium ſol igneus orbem
Hauſerat. arebant herbæ, & cava flumina ſiccis
Faucibus ad limum radii tepefacti coquebant:
Cum Proteus conſueta petens e fluctibus antra
Ibat. eum vaſti circum gens humida ponti
Exultans rorem late diſperſit amarum.
Sternunt ſe ſomno diverſæ in litore phocæ.
Ipſe, velut ſtabuli cuſtos in montibus olim,
Veſper ubi e paſtu vitulos ad tecta reducit,
Auditiſque lupos acuunt balatibus agni,
Conſidit ſcopulo medius, numerumque recenſet:
Cujus Ariſtæo quoniam eſt oblata facultas;
Vix defeſſa ſenem paſſus componere membra,
Cum clamore ruit magno, maniciſque jacentem
Occupat. ille ſuæ contra non immemor artis,
Omnia transformat ſeſe in miracula rerum,
Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem.
Verum, ubi nulla fugam reperit pellacia, victus
In ſeſe redit, atque hominis tandem ore locutus:
Nam quis te, juvenum confidentiſſime, noſtras
Juſſit adire domos? quidve hinc petis? inquit. at ille:
Scis, Proteu, ſcis ipſe: neque eſt te fallere cuiquam.
Sed tu deſine velle. deum præcepta ſecuti
Venimus hinc lapſis quæſitum oracula rebus.
Tantum effatus. ad hæc vates vi denique multa
Ardentes oculos intorſit lumine glauco,
Et graviter frendens, ſic fatis ora reſolvit:
Non te nullius exercent numinis iræ.
Magna luis commiſſa: tibi has miſerabilis Orpheus
Haud quaquam ob meritum pœnas, ni fata reſiſtant,
Suſcitat; & rapta graviter pro conjuge ſævit.
Illa quidem, dum te fugeret per flumina præceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Servantem ripas alta non vidit in herba.
At chorus æqualis Dryadum clamore ſupremos
Implerunt montes. flerunt Rhodopeiæ arces,
Altaque Pangæa, & Rheſi Mavortia tellus,
Atque Getæ, atque Hebrus, & Actias Orithyia.
Ipſe cava ſolans ægrum teſtudine amorem,
Te, dulcis conjux, te ſolo in litore ſecum,
Te veniente die, te decedente canebat.
Tænarias etiam fauces, alta oſtia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingreſſus, Maneſque adiit, regemque tremendum,
Neſciaque humanis precibus manſueſcere corda.
At cantu commotæ Erebi de ſedibus imis
Umbræ ibant tenues, ſimulacraque luce carentum:
Quam multa in foliis avium ſe millia condunt,
Veſper ubi, aut hibernus agit de montibus imber:
Matres, atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri, innuptæque puellæ,
Impoſitique rogis juvenes ante ora parentum,
Quos circum limus niger, & deformis arundo
Cocyti, tardaque palus inamabilis unda
Alligat, & novies Styx interfuſa coercet.
Quin ipſæ ſtupuere domus, atque intima Lethi
Tartara, cæruleoſque implexæ crinibus angues
Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,
Atque Ixionii vento rota conſtitit orbis.
Jamque pedem referens caſus evaſerat omnes,
Redditaque Eurydice ſuperas veniebat ad auras,
Pone ſequens; namque hanc dederat Proſerpina legem:
Cum ſubita incautum dementia cepit amantem,
Ignoſcenda quidem, ſcirent ſi ignoſcere Manes.
Reſtitit, Eurydicenque ſuam jam luce ſub ipſa
Immemor, heu! victuſque animi reſpexit. ibi omnis
Effuſus labor, atque immitis rupta tyranni
Fœdera, terque fragor ſtagnis auditus Avernis.
Illa, Quis & me, inquit, miſeram, & te perdidit, Orpheu?
Quis tantus furor? en iterum crudelia retro
Fata vocant, conditque natantia lumina ſomnus.
Jamque vale. feror ingenti circumdata nocte,
Invalidaſque tibi tendens, heu non tua, palmas.
Dixit, & ex oculis ſubito, ceu fumus in auras
Commixtus tenues, fugit diverſa: neque illum,
Prenſantem nequidquam umbras, & multa volentem
Dicere præterea, vidit: nec portitor Orci
Amplius objectam paſſus tranſire paludem.
Quid faceret? quo ſe rapta bis conjuge ferret?
Quo fletu Manes, qua numina voce moveret?
Illa quidem Stygia nabat jam frigida cymba.

Septem

Septem illum totos perhibent ex ordine menſes
Rupe ſub aeria, deſerti ad Strymonis undam
Fleviſſe, & gelidis hæc evolviſſe ſub antris,
Mulcentem tigres, & agentem carmine quercus.
Qualis populea mœrens Philomela ſub umbra
Amiſſos queritur fœtus, quos durus arator
Obſervans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen
Integrat, & mœſtis late loca queſtibus implet.
Nulla Venus, non ulli animum flexere Hymenæi.
Solus Hyperboreas glacies, Tanaimque nivalem,
Arvaque Riphæis numquam viduata pruinis
Luſtrabat, raptam Eurydicen atque irrita Ditis
Dona querens. ſpretæ Ciconum quo munere matres,
Inter ſacra deum, nocturnique orgia Bacchi,
Diſcerptum latos juvenem ſparſere per agros.
Tum quoque marmorea caput a cervice revulſum,
Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
Volveret, Eurydicen vox ipſa & frigida lingua,
Ah miſeram Eurydicen, anima fugiente vocabat:
Eurydicen toto referebant flumine ripæ.
Hæc Proteus, & ſe jactu dedit æquor in altum.
Quaque dedit, ſpumantem undam ſub vertice torſit.
At non Cyrene: namque ultro affata timentem:
Nate, licet triſtes animo deponere curas.
Hæc omnis morbi cauſſa: hinc miſerabile Nymphæ,
Cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
Exitium miſere apibus. tu munera ſupplex
Tende petens pacem, & faciles venerare Napæas.
Namque dabunt veniam votis, iraſque remittent.
Sed, modus orandi qui ſit, prius ordine dicam.
Quatuor eximios præſtanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depaſcunt ſumma Lycæi,
Delige, & intacta totidem cervice juvencas.
Quatuor his aras alta ad delubra dearum
Conſtitue, & ſacrum jugulis demitte cruorem:
Corporaque ipſa boum frondoſo deſere luco.
Poſt, ubi nona ſuos Aurora oſtenderit ortus,
Inferias Orphei Lethæa papavera mittes,
Placatam Eurydicen vitula venerabere cæſa.
Et nigram mactabis ovem, lucumque reviſes.
Haud mora: continuo matris præcepta faceſſit:
Ad delubra venit; monſtratas excitat aras;
Quatuor eximios præſtanti corpore tauros
Ducit, & intacta totidem cervice juvencas.
Poſt, ubi nona ſuos aurora induxerat ortus,
Inferias Orphei mittit, lucumque reviſit.
Hic vero ſubitum ac dictu mirabile monſtrum
Aſpiciunt, liquefacta boum per viſcera toto
Stridere apes utero, & ruptis effervere coſtis;
Immenſaſque trahi nubes: jamque arbore ſumma
Confluere, & lentis uvam demittere ramis.
Hæc ſuper arvorum cultu pecorumque canebam,
Et ſuper arboribus: Cæſar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello, victorque volentes
Per populos dat jura, viamque affectat Olympo.
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, ſtudiis florentem ignobilis oti:
Carmina qui luſi paſtorum, audaxque juventa,
Tityre, te patulæ cecini ſub tegmine fagi.

ÆNEIDOS

LIBER PRIMUS.

ARma, virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus Lavinaque venit
Littora. multum ille & terris jactatus & alto
Vi ſuperum, ſævæ memorem Junonis ob iram:
Multa quoque & bello paſſus, dum conderet urbem,
Inferretque deos Latio. genus unde Latinum,
Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.
Muſa, mihi cauſſas memora, quo numine læſo,
Quidve dolens regina deum, tot volvere caſus
Inſignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit. tantæne animis cæleſtibus iræ?
Urbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)
Carthago, Italiam contra Tiberinaque longe
Oſtia, dives opum, ſtudiiſque aſperrima belli:
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Poſthabita coluiſſe Samo. hic illius arma,
Hic currus fuit: hoc regnum dea gentibus eſſe,
Si qua fata ſinant, jam tum tenditque fovetque.
Progeniem ſed enim Trojano a ſanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populum late Regem, belloque ſuperbum,
Venturum excidio Libyæ: ſic volvere Parcas.
Id metuens, veteriſque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro charis geſſerat Argis.
Necdum etiam cauſſæ irarum ſævique dolores
Exciderant animo: manet alta mente repoſtum
Judicium Paridis, ſpretæque injuria formæ;
Et genus inviſum, & rapti Ganymedis honores.
His accenſa ſuper, jactatos æquore toto
Troas, relliquias Danaum atque immitis Achilli,
Arcebat longe Latio; multoſque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.
Vix e conſpectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, & ſpumas ſalis ære ruebant;
Cum Juno, æternum ſervans ſub pectore vulnus,
Hæc ſecum: Mene incepto deſiſtere victam,
Nec poſſe Italia Teucrorum avertere Regem?
Quippe vetor fatis. Pallaſne exurere claſſem
Argivum, atque ipſos potuit ſubmergere ponto,
Unius ob noxam & furias Ajacis Oilei?
Ipſa, Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem,
Disjecitque rates, evertitque æquora ventis.
Illum exſpirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, ſcopuloque infixit acuto.
Aſt ego, quæ Divum incedo Regina, Joviſque
Et ſoror & conjux, una cum gente tot annos
Bella gero. & quiſquam numen Junonis adoret
Præterea, aut ſupplex aris imponat honorem?

Talia flammato ſecum Dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Auſtris,
Æoliam venit. hic vaſto Rex Æolus antro
Luctantes ventos tempeſtateſque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt: celſa ſedet Æolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras.
Ni faciat, maria ac terrras cælumque profundum
Quippe ferant rapidi ſecum, verrantque per auras.
Sed pater Omnipotens ſpeluncis abdidit atris,
Hoc metuens: molemque & montes inſuper altos
Impoſuit, Regemque dedit, qui fœdere certo
Et premere, & laxas ſciret dare juſſus habenas.
Ad quem tum Juno ſupplex his vocibus uſa eſt:
Æole, (namque tibi Divum pater atque hominum Rex
Et mulcere dedit fluctus & tollere vento)
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victoſque penates:
Incute vim ventis, ſubmerſaſque obrue puppes;
Aut age diverſas: & disjice corpora ponto.
Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ:
Quarum, quæ forma pulcherrima, Dejopeam
Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo:
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.
Æolus hæc contra: Tuus, o Regina, quid optes,
Explorare labor: mihi juſſa capeſſere fas eſt.
Tu mihi, quodcumque hoc regni, tu ſceptra Jovemque
Concilias: tu das epulis accumbere Divum,
Nimborumque facis tempeſtatumque potentem.
Hæc ubi dicta, cavum converſa cuſpide montem
Impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a ſedibus imis
Una Eurusque Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos volvunt ad litora fluctus.
Inſequitur clamorque virum ſtridorque rudentum.
Eripiunt ſubito nubes cælumque diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther:
Præſentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Æneæ ſolvuntur frigore membra.
Ingemit, &, duplices tendens ad ſidera palmas,
Talia voce refert: O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Trojæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere! O Danaum fortiſſime gentis
Tydide, me ne Iliacis occumbere campis
Non potuiſſe, tuaque animam hanc effundere dextra?
Sævus ubi Aeacidæ telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon: ubi tot Simois correpta ſub undis
Scuta virum galeaſque & fortia corpora volvit.
Talia jactanti ſtridens Aquilone procella
Velum adverſa ferit, fluctumque ad ſidera tollit.
Franguntur remi: tum prora avertit, & undis
Dat latus. inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.
Hi ſummo in fluctu pendent: his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit. furit æſtus arenis.
Tres Notus abreptas in ſaxa latentia torquet:
Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, aras.
Dorſum immane mari ſummo. tres Eurus ab alto
In brevia & Syrtes urget, miſerabile viſu;
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.
Unam, quæ Lycios fidumque vehebat Oronten,
Ipſius ante oculos ingens a vertice pontus
In puppim ferit. excutitur, pronuſque magiſter
Volvitur in caput. aſt illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.
Apparent rari nantes in gurgite vaſto;
Arma virum, tabulæque, & Troja gaza per undas.
Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ,
Et qua vectus Abas, & qua grandævus Alethes,
Vicit hiems. laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimiſque fatiſcunt.
Interea magno miſceri murmure pontum,
Emiſſamque hiemem ſenſit Neptunus, & imis
Stagna refuſa vadis: graviter commotus, & alto
Proſpiciens, ſumma placidum caput extulit unda.
Disjectam Æneæ toto videt æquore claſſem:
Fluctibus oppreſſos Troas, cælique ruina.
Nec latuere doli fratrem Junonis & iræ.
Eurum ad ſe Zephyrumque vocat. dehinc talia fatur:
Tantane vos generis tenuit fiducia veſtri?
Jam cælum terramque meo ſine numine, venti,
Miſcere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego. ſed motos præſtat componere fluctus.
Poſt mihi non ſimili pœna commiſſa luetis.
Maturate fugam, Regique hæc dicite veſtro:
Non illi imperium pelagi ſævumque tridentem,
Sed mihi ſorte datum. tenet ille immania ſaxa,
Veſtras, Eure, domos. illa ſe jactet in aula
Æolus, & clauſo ventorum carcere regnet.
Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat:
Collectaſque fugat nubes, ſolemque reducit.
Cymothoe ſimul & Triton adnixus acuto
Detrudunt naves ſcopulo. levat ipſe tridenti;
Et vaſtas aperit Syrtes, & temperat æquor:
Atque rotis ſummas levibus perlabitur undas.
Ac, veluti magno in populo quum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus;
Jamque faces & ſaxa volant; furor arma miniſtrat.
Tum, pietate gravem ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus aſtant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.
Sic cunctus pelagi cecidit fragor; æquora poſtquam
Proſpiciens genitor, cæloque invectus aperto
Flectit equos, curruque volans dat lora ſecundo.
Defeſſi Æneadæ, quæ proxima littora, curſu
Contendunt petere, & Libyæ vertuntur ad oras.
Eſt in ſeceſſu longo locus: inſula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos.
Hinc atque hinc vaſtæ rupes, geminique minantur
In cælum ſcopuli: quorum ſub vertice late
Æquora tuta ſilent. tum ſilvis ſcena coruſcis
Deſuper horrentique atrum nemus imminet umbra.
Fronte ſub adverſa ſcopulis pendentibus antrum;
Intus aquæ dulces, vivoque ſedilia ſaxo,
Nympharum domus. hic feſſas non vincula naves
Ulla tenent, unco non alligat anchora morſu.
Huc ſeptem Æneas collectis navibus omni
Ex numero ſubit: ac magno telluris amore
Egreſſi optata potiuntur Troes arena,
Et ſale tabentes artus in littore ponunt.
Ac primum ſilici ſcintillam excudit Achates,
Suſcepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma
Expediunt feſſi rerum; frugeſque receptas
Et torrere parant flammis & frangere ſaxo.
Æneas ſcopulum interea conſcendit, & omnem
Proſpectum late pelago petit; Anthea ſi quem

Jacta-

Jactatum vento videat Phrygiaſque biremes,
Aut Capyn, aut celſis in puppibus arma Caici.
Navem in conſpectu nullam. tres littore cervos
Proſpicit errantes: hos tota armenta ſequuntur
A tergo, & longum per valles paſcitur agmen.
Conſtitit hic; arcumque manu celereſque ſagittas
Corripuit; fidus quæ tela gerebat Achates:
Ductoreſque ipſos primum, capita alta ferentes
Cornibus arboreis, ſternit, tum vulgus: & omnem
Miſcet agens telis nemora inter frondea turbam.
Nec prius abſiſtit, quam ſeptem ingentia victor
Corpora fundat humi, & numerum cum navibus æquet.
Hinc portum petit, & ſocios partitur in omnes.
Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Aceſtes
Litore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros,
Dividit, & dictis mærentia pectora mulcet:
O ſocii, (neque enim ignari ſumus ante malorum)
O paſſi graviora; dabit deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem penituſque ſonantes
Acceſtis ſcopulos: vos & Cyclopia ſaxa
Experti. revocate animos, mæſtumque timorem
Mittite. forſan & hæc olim meminiſſe juvabit.
Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum,
Tendimus in Latium: ſedes ubi fata quietas
Oſtendunt. illic fas regna reſurgere Trojæ.
Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.
Talia voce refert: curiſque ingentibus æger
Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.
Illi ſe prædæ accingunt, dapibuſque futuris:
Tergora deripiunt coſtis, & viſcera nudant.
Pars in fruſta ſecant, veribuſque trementia figunt:
Litore aena locant alii, flammaſque miniſtrant.
Tum victu revocant vires: fuſique per herbam
Implentur veteris Bacchi pinguiſque ferinæ.
Poſtquam exemta fames epulis, menſæque remotæ,
Amiſſos longo ſocios ſermone requirunt;
Spemque metumque inter dubii: ſeu vivere credant,
Sive extrema pati, nec jam exaudire vocatos.
Præcipue pius Æneas, nunc acris Oronti,
Nunc Amyci caſum gemit, & crudelia ſecum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Et jam finis erat: cum Jupiter æthere ſummo
Deſpiciens mare velivolum terraſque jacentes,
Littoraque, & latos populos, ſic vertice cæli
Conſtitit, & Lybiæ defixit lumina regnis.
Atque illum tales jactantem pectore curas
Triſtior, & lacrimis oculos ſuffuſa nitentes,
Alloquitur Venus: O qui res hominumque deumque
Æternis regis imperiis, & fulmine terres,
Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere? quibus tot funera paſſis,
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,
Hinc fore ductores, revocato a ſanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus. quæ te, genitor, ſententia vertit?
Hoc equidem occaſum Trojæ triſteſque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot caſibus actos
Inſequitur. quem das finem, rex magne, laborum?
Antenor potuit, mediis elapſus Achivis,
Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timavi:
Unde per ora novem vaſto cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arva ſonanti.
Hic tamen ille urbem Patavi, ſedeſque locavit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit
Troïa. nunc placida compoſtus pace quieſcit.
Nos tua progenies, cæli quibus annuis arcem,
Navibus (infandum) amiſſis, unius ob iram
Prodimur, atque Italis longe disjungimur oris.
Hic pietatis honos? ſic nos in ſceptra reponis?
Olli ſubridens hominum ſator atque deorum,
Vultu, quo cælum tempeſtateſque ſerenat,
Oſcula libavit natæ. dehinc talia fatur.
Parce metu, Cytherea. manent immota tuorum
Fata tibi. cernes urbem & promiſſa Lavini
Mœnia, ſublimemque feres ad ſidera cæli
Magnanimum Ænean: neque me ſententia vertit.
Hic tibi (fabor enim, quando hæc te cura remordet:
Longius & volvens fatorum arcana movebo)
Bellum ingens geret Italia, populoſque feroces
Contundet; moreſque viris & mœnia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit æſtas,
Ternaque tranſierint Rutulis hiberna ſubactis.
At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur (Ilus erat, dum res ſtetit Ilia regno)
Triginta magnos volvendis menſibus orbes
Imperio explebit, regnumque ab ſede Lavini
Transferet, & longam multa vi muniet Albam.
Hic jam tercentum totos regnabitur annos
Gente ſub Hectorea; donec regina ſacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Mœnia, Romanoſque ſuo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium ſine fine dedi. quin aſpera Juno,
Quæ mare nunc terraſque metu cælumque fatigat,
Conſilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.
Sic placitum. veniet luſtris labentibus ætas,
Cum domus Aſſaraci Phthiam claraſque Mycenas
Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.
Naſcetur pulchra Trojanus origine Cæſar,
Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris;
Julius, a magno demiſſum nomen Iulo.
Hunc tu olim cælo, ſpoliis Orientis onuſtum,
Accipies ſecura. vocabitur hic quoque votis.
Aſpera tum poſitis miteſcent ſecula bellis.
Cana Fides, & Veſta, Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt: diræ ferro & compagibus arctis,
Claudentur belli portæ. Furor impius intus
Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus aenis
Poſt tergum nodis, fremet horridus ore cruento.
Hæc ait: & Maia genitum demittit ab alto;
Ut terræ, utque novæ pateant Carthaginis arces
Hoſpitio Teucris: ne fati neſcia Dido
Finibus arceret. volat ille per aera magnum
Remigio alarum: ac Libyæ citus adſtitit oris.
Et jam juſſa facit: ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente deo. in primis regina quietum
Accipit in Teucros animum, mentemque benignam.
At pius Æneas per noctem plurima volvens,
Ut primum lux alma data eſt, exire; locoſque
Explorare novos, quas vento acceſſerit oras:
Qui teneant (nam inculta videt) homineſne feræne,
Quærere conſtituit, ſociiſque exacta referre.
Claſſem in convexo nemorum, ſub rupe cavata,
Arboribus clauſam circum atque horrentibus umbris
Occulit. ipſe uno graditur comitatus Achate;
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.
Cui mater media ſeſe tulit obvia ſilva:

Virginis

Virginis os habitumque gerens, & virginis arma
Spartanæ: vel qualis equos Threiſſa fatigat
Harpalyce, volucremque fuga prævertitur Hebrum.
Namque humeris de more habilem ſuſpenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis;
Nuda genu, nodoque ſinus collecta fluentes.
Ac prior, Heus, inquit, juvenes, monſtrate mearum
Vidiſtis ſi quam hic errantem forte ſororum,
Succinctam pharetra & maculoſæ tegmine lyncis,
Aut ſpumantis apri curſum clamore prementem.
Sic Venus; & Veneris contra ſic filius orſus:
Nulla tuarum audita mihi neque viſa ſororum,
O (quam te memorem?) virgo: namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem ſonat. o dea, certe;
An Phœbi ſoror, an Nympharum ſanguinis una?
Sis felix, noſtrumque leves quæcumque laborem:
Et quo ſub cælo tandem, quibus orbis in oris
Jactemur, doceas. ignari hominumque locorumque
Erramus, vento huc & vaſtis fluctibus acti.
Multa tibi ante aras noſtra cadet hoſtia dextra.
Tum Venus: Haud equidem tali me dignor honore:
Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram,
Purpureoque alte ſuras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios & Agenoris urbem:
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,
Germanum fugiens. longa eſt injuria, longæ
Ambages. ſed ſumma ſequar faſtigia rerum.
Huic conjux Sichæus erat, ditiſſimus agri
Phœnicum, & magno miſeræ dilectus amore:
Cui pater intactam dederat, primiſque jugarat
Ominibus. ſed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, ſcelere ante alios immanior omnes.
Quos inter medius venit furor. ille Sichæum
Impius ante aras, atque auri cæcus amore,
Clam ferro incautum ſuperat, ſecurus amorum
Germanæ: factumque diu celavit, & ægram,
Multa malus ſimulans, vana ſpe luſit amantem.
Ipſa ſed in ſomnis inhumati venit imago
Conjugis, ora modis attollens pallida miris:
Crudeles aras, trajectaque pectora ferro
Nudavit; cæcumque domus ſcelus omne retexit.
Tum celerare fugam patriaque excedere ſuadet,
Auxiliumque viæ veteres tellure recludit
Theſauros, ignotum argenti pondus & auri.
His commota fugam Dido ſocioſque parabat.
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat: naves, quæ forte paratæ,
Corripiunt, onerantque auro. portantur avari
Pygmalionis opes pelago. dux femina facti.
Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
Mœnia, ſurgentemque novæ Carthaginis arcem:
Mercatique ſolum, facti de nomine Byrſam,
Taurino quantum poſſent circumdare tergo.
Sed vos qui tandem, quibus aut veniſtis ab oris,
Quove tenetis iter? quærenti talibus ille
Suſpirans, imoque trahens a pectore vocem:
O dea, ſi prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales noſtrorum audire laborum;
Ante diem clauſo componet veſper Olympo.
Nos Troja antiqua, ſi veſtras forte per aures
Trojæ nomen iit, diverſa per æquora vectos
Forte ſua Libycis tempeſtas appulit oris.
Sum pius Æneas, raptos qui ex hoſte Penates
Claſſe veho mecum, fama ſuper æthera notus.
Italiam quæro patriam; & genus ab Jove ſummo.
Bis denis Phrygium conſcendi navibus æquor;
Matre dea monſtrante viam, data fata ſecutus:
Vix ſeptem convulſæ undis euroque ſuperſunt.
Ipſe ignotus, egens, Libyæ deſerta peragro,
Europa atque Aſia pulſus. nec plura querentem
Paſſa Venus, medio ſic interfata dolore eſt:
Quiſquis es, haud (credo) inviſus cæleſtibus auras
Vitales carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo, atque hinc te reginæ ad limina perfer.
Namque tibi reduces ſocios claſſemque relatam
Nuntio, & in tutum verſis aquilonibus actam:
Ni fruſtra augurium vani docuere parentes.
Aſpice bis ſenos lætantes agmine cycnos,
Ætheria quos lapſa plaga Jovis ales aperto
Turbabat cælo: nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas jam deſpectare videntur.
Ut reduces illi ludunt ſtridentibus alis,
Et cœtu cinxere polum, cantuſque dedere;
Haud aliter puppeſque tuæ pubeſque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno ſubit oſtia velo.
Perge modo, & qua te ducit via, dirige greſſum.
Dixit, & avertens roſea cervice refulſit,
Ambroſiæque comæ divinum vertice odorem
Spiravere: pedes veſtis defluxit ad imos,
Et vera inceſſu patuit dea. ille, ubi matrem
Agnovit, tali fugientem eſt voce ſecutus:
Quid natum toties crudelis tu quoque falſis
Ludis imaginibus? cur dextræ jungere dextram
Non datur, ac veras audire & reddere voces?
Talibus incuſat, greſſumque ad mœnia tendit.
At Venus obſcuro gradientes aere ſepſit;
Et multo nebulæ circum dea fudit amictu:
Cernere ne quis eos, neu quis contingere poſſet,
Molirive moram, aut veniendi poſcere cauſſas.
Ipſa Paphum ſublimis abit, ſedeſque reviſit
Læta ſuas: ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, ſertiſque recentibus halant.
Corripuere viam interea, qua ſemita monſtrat.
Jamque adſcendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet, adverſaſque aſpectat deſuper arces.
Miratur molem Æneas, magalia quondam:
Miratur portas, ſtrepitumque, & ſtrata viarum.
Inſtant ardentes Tyrii: pars ducere muros,
Molirique arcem, & manibus ſubvolvere ſaxa:
Pars optare locum tecto, & concludere ſulco.
Jura, magiſtratuſque legunt, ſanctumque ſenatum.
Hic portus alii effodiunt; hic alta theatris
Fundamenta locant alii; immaneſque columnas
Rupibus excidunt, ſcenis decora alta futuris.
Qualis apes æſtate nova per florea rura
Exercet ſub ſole labor; cum gentis adultos
Educunt fœtus, aut cum liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas:
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a præſepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum jam mœnia ſurgunt!
Æneas ait, & faſtigia ſuſpicit urbis.
Infert ſe ſeptus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miſcetque viris; neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media, lætiſſimus umbra,
Quo primum jactati undis & turbine Pœni
Effodere loco ſignum, quod regia Juno
Monſtrarat, caput acris equi. ſic nam fore bello
Egregiam & facilem victu per ſecula gentem.
Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido
Con-

Condebat, donis opulentum & numine divæ:
Ærea cui gradibus ſurgebant limina, nexæque
Ære trabes: foribus cardo ſtridebat aenis.
Hoc primum in luco nova res oblata timorem
Leniit. hic primum Æneas ſperare ſalutem
Auſus, & afflictis melius confidere rebus.
Namque, ſub ingenti luſtrat dum ſingula templo
Reginam opperiens, dum quæ fortuna ſit urbi,
Artificumque manus inter ſe operumque laborem
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque jam fama totum vulgata per orbem;
Atridas, Priamumque, & ſævum ambobus Achillem.
Conſtitit, & lacrimans, Quis jam locus, inquit, Achate,
Quæ regio in terris noſtri non plena laboris?
En Priamus. ſunt hic etiam ſua præmia laudi:
Sunt lacrimæ rerum: & mentem mortalia tangunt.
Solve metus. feret hæc aliquam tibi fama ſalutem.
Sic ait, atque animum pictura paſcit inani
Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graji, premeret Trojana juventus:
Hac Phryges; inſtaret curru criſtatus Achilles.
Nec procul hinc Rheſi niveis tentoria velis
Agnoſcit lacrimans: primo quæ prodita ſomno
Tydides multa vaſtabat cæde cruentus:
Ardenteſque avertit equos in caſtra, prius quam
Pabula guſtaſſent Trojæ Xanthumque bibiſſent.
Parte alia fugiens amiſſis Troilus armis,
Infelix puer, atque impar congreſſus Achilli,
Fertur equis, curruque hæret reſupinus inani,
Lora tenens tamen. huic cervixque comæque trahuntur
Per terram, & verſa pulvis inſcribitur haſta.
Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades paſſis, peplùmque ferebant
Suppliciter triſtes, & tunſæ pectora palmis.
Diva ſolo fixos oculos averſa tenebat.
Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo;
Ut ſpolia, ut currus, utque ipſum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conſpexit inermes.
Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis,
Eoaſque acies, & nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Pentheſilea furens, mediiſque in millibus ardet,
Aurea ſubnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,
Dum ſtupet, obtutuque hæret defixus in uno;
Regina ad templum forma pulcherrima Dido
Inceſſit, magna juvenum ſtipante caterva.
Qualis in Eurotæ ripis aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros; quam mille ſecutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humero, gradienſque deas ſupereminet omnes:
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.
Talis erat Dido: talem ſe læta ferebat
Per medios, inſtans operi regniſque futuris.
Tum foribus divæ, media teſtudine templi,
Septa armis, ſolioque alte ſubnixa reſedit.
Jura dabat legeſque viris: operumque laborem
Partibus æquabat juſtis, aut ſorte trahebat:
Cum ſubito Æneas concurſu accedere magno
Anthea Sergeſtumque videt fortemque Cloanthum,
Teucrorumque alios: ater quos æquore turbo
Diſpulerat, penituſque alias avexerat oras.
Obſtupuit ſimul ipſe, ſimul perculſus Achates
Lætitiaque metuque, avidi conjungere dextras
Ardebant: ſed res animos incognita turbat.
Diſſimulant; & nube cava ſpeculantur amicti,
Quæ fortuna viris; claſſem quo litore linquant;
Quid veniant. cunctis nam lecti navibus ibant,
Orantes veniam, & templum clamore petebant.
Poſtquam introgreſſi, & coram data copia fandi;
Maximus Ilioneus placido ſic pectore cœpit:
O regina, novam cui condere Jupiter urbem,
Juſtitiaque dedit gentes frenare ſuperbas;
Troes te miſeri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos a navibus ignes;
Parce pio generi, & propius res aſpice noſtras.
Non nos aut ferro Libycos populare Penates
Venimus, aut raptas ad litora vertere prædas.
Non ea vis animo, nec tanta ſuperbia victis.
Eſt locus, Heſperiam Graji cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ:
Oenotrii coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixiſſe ducis de nomine gentem.
Huc curſus fuit.
Cum ſubito aſſurgens fluctu nimboſus Orion
In vada cæca tulit, penituſque procacibus Auſtris,
Perque undas, ſuperante ſalo, perque invia ſaxa
Diſpulit. huc pauci veſtris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum, quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hoſpitio prohibemur arenæ.
Bella cient, primaque vetant conſiſtere terra.
Si genus humanum & mortalia temnitis arma;
At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.
Rex erat Æneas nobis, quo juſtior alter
Nec pietate fuit, nec bello major & armis.
Quem ſi fata virum ſervant, ſi veſcitur aura
Ætheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris;
Non metus, officio ne te certaſſe priorem
Pœniteat. ſunt & Siculis regionibus urbes,
Armaque, Trojanoque a ſanguine clarus Aceſtes.
Quaſſatam ventis liceat ſubducere claſſem,
Et ſilvis aptare trabes, & ſtringere remos:
Si datur Italiam, ſociis & rege recepto,
Tendere, ut Italiam læti, Latiumque petamus.
Sin abſumta ſalus, & te, pater optime Teucrum,
Pontus habet Libyæ, nec ſpes jam reſtat Iuli;
At freta Sicaniæ ſaltem, ſedeſque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Aceſtem.
Talibus Ilioneus. cuncti ſimul ore fremebant
Dardanidæ.
Tum breviter Dido, vultum demiſſa, profatur:
Solvite corde metum, Teucri: ſecludite curas.
Res dura, & regni novitas me talia cogunt
Moliri, & late fines cuſtode tueri.
Quis genus Æneadum, quis Trojæ neſciat urbem,
Virtuteſque viroſque, & tanti incendia belli?
Non obtuſa adeo geſtamus pectora Pœni:
Nec tam averſus equos Tyria Sol jungit ab urbe.
Seu vos Heſperiam magnam, Saturniaque arva,
Sive Erycis fines, regemque optatis Aceſten;
Auxilio tutos dimittam, opibuſque juvabo.
Vultis & his mecum pariter conſidere regnis?
Urbem quam ſtatuo, veſtra eſt: ſubducite naves.
Tros Tyriuſque mihi nullo diſcrimine agetur.
Atque utinam rex ipſe Noto compulſus eodem
Afforet Æneas! equidem per litora certos
Dimittam, & Libyæ luſtrare extrema jubebo;

Si quibus ejectus ſilvis, aut urbibus errat.
His animum arrecti dictis, & fortis Achates,
Et pater Æneas, jamdudum erumpere nubem
Ardebant. prior Ænean compellat Achates;
Nate Dea, quæ nunc animo ſententia ſurgit?
Omnia tuta vides: claſſem, ſocioſque receptos.
Unus abeſt, medio in fluctu quem vidimus ipſi
Submerſum: dictis reſpondent cetera matris.
Vix ea fatus erat, cum circumfuſa repente
Scindit ſe nubes, & in æthera purgat apertum.
Reſtitit Æneas, claraque in luce refulſit,
Os humeroſque deo ſimilis: namque ipſa decoram
Cæſariem nato genetrix, lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariuſve lapis circumdatur auro.
Tum ſic reginam adloquitur, cunctiſque repente
Improviſus ait: Coram, quem quæritis, adſum
Troius Æneas, Libycis ereptus ab undis.
O ſola infandos Trojæ miſerata labores,
Quæ nos, relliquias Danaum terræque mariſque,
Omnibus exhauſtos jam caſibus, omnium egenos,
Urbe, domo ſocias. grates perſolvere dignas
Non opis eſt noſtræ, Dido: nec quidquid ubique eſt
Gentis Dardaniæ, magnum quæ ſparſa per orbem.
Di tibi, ſi qua pios reſpectant numina, ſi quid
Uſquam juſtitiæ eſt, & mens ſibi conſcia recti,
Præmia digna ferant. quæ te tam læta tulerunt
Secula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Luſtrabunt convexa, polus dum ſidera paſcet;
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt:
Quæ me cumque vocant terræ. ſic fatus, amicum
Ilionea petit dextra, lævaque Sereſtum:
Poſt alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Obſtupuit primo aſpectu Sidonia Dido;
Caſu deinde viri tanto. & ſic ore locuta eſt:
Quis te, nate dea, per tanta pericula caſus
Inſequitur? quæ vis immanibus applicat oris?
Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchiſæ
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,
Finibus expulſum patriis, nova regna petentem,
Auxilio Beli. genitor tum Belus opimam
Vaſtabat Cyprum, & victor ditione tenebat.
Tempore jam ex illo caſus mihi cognitus urbis
Trojanæ, nomenque tuum, regeſque Pelaſgi.
Ipſe hoſtis Teucros inſigni laude ferebat,
Seque ortum antiqua Teucrorum ab ſtirpe volebat.
Quare agite o tectis, juvenes, ſuccedite noſtris.
Me quoque per multos ſimilis fortuna labores
Jactatam hac demum voluit conſiſtere terra.
Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.
Sic memorat. ſimul Ænean in regia ducit
Tecta: ſimul divum templis indicit honorem.
Nec minus interea ſociis ad litora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga ſuum, pingues centum cum matribus agnos
Munera, lætitiamque dei.
At domus interior regali ſplendida luxu
Inſtruitur, mediiſque parant convivia tectis.
Arte laboratæ veſtes, oſtroque ſuperbo:
Ingens argentum menſis, cælataque in auro
Fortia facta patrum, ſeries longiſſima rerum,
Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.
Æneas (neque enim patrius conſiſtere mentem
Paſſus amor) rapidum ad naves præmittit Achatem,
Aſcanio ferat hæc; ipſumque ad mœnia ducat.
Omnis in Aſcanio cari ſtat cura parentis.
Munera præterea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre jubet; pallam ſignis auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivæ Helenæ: quos illa Mycenis,
Pergama cum peteret, inconceſſoſque hymenæos,
Extulerat, matris Ledæ mirabile donum.
Præterea ſceptrum, Ilione quod geſſerat olim,
Maxima natarum Priami, colloque monile
Baccatum, & duplicem gemmis auroque coronam.
Hæc celerans, iter ad naves tendebat Achates.
At Cytherea novas artes, nova pectore verſat
Conſilia: ut faciem mutatus & ora Cupido
Pro dulci Aſcanio veniat, doniſque furentem
Incendat Reginam, atque oſſibus implicet ignem.
Quippe domum timet ambiguam, Tyrioſque bilingues:
Urit atrox Juno, & ſub noctem cura recurſat.
Ergo his aligerum dictis affatur Amorem:
Nate, meæ vires, mea magna potentia ſolus,
Nate, Patris ſummi qui tela Typhoea temnis;
Ad te confugio, & ſupplex tua numina poſco.
Frater ut Æneas pelago tuus omnia circum
Litora jactetur, odiis Junonis iniquæ,
Nota tibi: & noſtro doluiſti ſæpe dolore.
Hunc Phœniſſa tenet Dido, blandiſque moratur
Vocibus: & vereor, quo ſe Junonia vertant
Hoſpitia, haud tanto ceſſabit cardine rerum.
Quocirca capere ante dolis, & cingere flamma
Reginam meditor; ne quo ſe numine mutet:
Sed magno Æneæ mecum teneatur amore.
Qua facere id poſſis, noſtram nunc accipe mentem.
Regius accitu chari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat; mea maxima cura;
Dona ferens pelago, & flammis reſtantia Trojæ.
Hunc ego ſopitum ſomno, ſuper alta Cythera,
Aut ſuper Idalium ſacrata ſede recondam:
Ne qua ſcire dolos, mediuſve occurrere poſſit.
Tu faciem illius noctem non amplius unam
Falle dolo, & notos pueri puer indue vultus:
Ut, cum te gremio accipiet lætiſſima Dido,
Regales inter menſas, laticemque Lyæum,
Cum dabit amplexus, atque oſcula dulcia figet,
Occultum inſpires ignem, fallaſque veneno.
Paret Amor dictis charæ genitricis, & alas
Exuit, & greſſu gaudens incedit Iuli.
At Venus Aſcanio placidam per membra quietem
Irrigat, & fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliæ lucos: ubi mollis amaracus illum
Floribus & dulci aſpirans complectitur umbra.
Jamque ibat dicto parens, & dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce lætus Achate.
Cum venit, aulæis jam ſe regina ſuperbis
Aurea compoſuit ſponda, mediamque locavit.
Jam pater Æneas, & jam Trojana juventus
Conveniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro.
Dant famuli manibus lymphas, Cereremque caniſtris
Expediunt, tonſiſque ferunt mantelia villis.
Quinquaginta intus famulæ: quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere penates.
Centum aliæ, totidemque pares ætate miniſtri,
Qui dapibus menſas onerent, & pocula ponant.
Nec non & Tyrii per limina læta frequentes
Convenere, toris juſſi diſcumbere pictis.
Mirantur dona Æneæ; mirantur Julum,

Flagran-

Flagranteſque Dei vultus, ſimulataque verba,
Pallamque, & pictum croceo velamen acantho.
Præcipue infelix peſti devota futuræ
Expleri mentem nequit, ardeſcitque tuendo
Phœniſſa, & puero pariter, donisque movetur.
Ille, ubi complexu Æneæ, colloque pependit,
Et magnum falſi implevit genitoris amorem;
Reginam petit. hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret: & interdum gremio fovet, inſcia Dido
Inſidat quantus miſeræ deus. at memor ille
Matris Acidaliæ, paullatim abolere Sichæum
Incipit, & vivo tentat prævertere amore
Jam pridem reſides animos deſuetaque corda.
Poſtquam prima quies epulis, menſæque remotæ;
Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.
Fit ſtrepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina gravem gemmis auroque popoſcit,
Implevitque mero pateram: quam Belus, & omnes
A Belo ſoliti. tum facta ſilentia tectis:
Jupiter, (hoſpitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc lætum Tyriiſque diem Trojaque profectis
Eſſe velis, noſtroſque hujus meminiſſe minores.
Adſit lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno.
Et vos o cœtum Tyrii celebrate faventes.
Dixit, & in menſam laticum libavit honorem,
Primaque libato ſummo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans. ille impiger hauſit
Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro.
Poſt alii proceres. cithara crinitus Iopas
Perſonat aurata, docuit quem maximus Atlas.
Hic canit errantem lunam, ſoliſque labores;
Unde hominum genus, & pecudes; unde imber, & ignes;
Arcturum, pluviaſque Hyadas, geminoſque Triones:
Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.
Ingeminant plauſu Tyrii, Troeſque ſequuntur.
Nec non & vario noctem ſermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem;
Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa:
Nunc, quibus Auroræ veniſſet filius armis:
Nunc, quales Diomedis equi; nunc, quantus Achilles.
Immo age, & a prima dic, hoſpes, origine nobis
Inſidias, inquit, Danaum, caſuſque tuorum,
Erroreſque tuos. nam te jam ſeptima portat
Omnibus errantem terris & fluctibus æſtas.

Æ N E I D O S
LIBER II.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant:
Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto:
Infandum, regina, jubes renovare dolorem;
Trojanas ut opes, & lamentabile regnum
Eruerint Danai: quæque ipſe miſerrima vidi,
Et quorum pars magna fui. quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyſſi
Temperet a lacrimis! & jam nox humida cælo
Præcipitat, ſuadentque cadentia ſidera ſomnos.
Sed, ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros,
Et breviter Trojæ ſupremum audire laborem;
Quamquam animus meminiſſe horret, luctuque refugit;
Incipiam. Fracti bello, fatiſque repulſi
Ductores Danaum, tot jam labentibus annis,
Inſtar montis equum divina Palladis arte
Ædificant, ſectaque intexunt abiete coſtas.
Votum pro reditu ſimulant. ea fama vagatur.
Huc delecta virum ſortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri, penituſque cavernas
Ingentes uterumque armato milite complent.
Eſt in conſpectu Tenedos, notiſſima fama
Inſula, dives opum, Priami dum regna manebant:
Nunc tantum ſinus, & ſtatio male fida carinis:
Huc ſe provecti deſerto in litore condunt.
Nos abiiſſe rati, & vento petiiſſe Mycenas.
Ergo omnis longo ſolvit ſe Teucria luctu:
Panduntur portæ. juvat ire, & Dorica caſtra,
Deſertoſque videre locos, lituſque relictum.
Hic Dolopum manus, hic ſævus tendebat Achilles:
Claſſibus hic locus: hic acies certare ſolebant.
Pars ſtupet innuptæ donum exitiale Minervæ,
Et molem mirantur equi: primuſque Thymœtes
Duci intra muros hortatur, & arce locari;
Sive dolo, ſeu jam Trojæ ſic fata ferebant.
At Capys, & quorum melior ſententia menti,
Aut pelago Danaum inſidias ſuſpectaque dona
Præcipitare jubent, ſubjectiſque urere flammis:
Aut terebrare cavas uteri & tentare latebras.
Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.
Primus ibi ante omnes, magna comitante caterva,
Laocoon ardens ſumma decurrit ab arce:
Et procul, O miſeri, quæ tanta inſania, cives?
Creditis avectos hoſtes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? ſic notus Ulyſſes?
Aut hoc incluſi ligno occultantur Achivi,
Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros;
Inſpectura domos, venturaque deſuper urbi;
Aut aliquis latet error. equo ne credite, Teucri.
Quidquid id eſt, timeo Danaos & dona ferentes.
Sic fatus, validis ingentem viribus haſtam
In latus, inque feri curvam compagibus alvum
Contorſit. ſtetit illa tremens, uteroque recuſſo
Inſonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ.
Et, ſi fata deum, ſi mens non læva fuiſſet,
Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras:
Trojaque nunc ſtares, Priamique arx alta maneres.
Ecce, manus juvenem interea poſt terga revinctum
Paſtores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidæ: qui ſe ignotum venientibus ultro,
Hoc ipſum ut ſtrueret, Trojamque aperiret Achivis,
Obtulerat, fidens animi, atque in utrumque paratus,
Seu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti.
Undique viſendi ſtudio Trojana juventus
Circumfuſa ruit, certantque illudere capto.
Accipe nunc Danaum inſidias, & crimine ab uno
Diſce omnes.
Namque, ut conſpectu in medio turbatus inermis
Conſtitit, atque oculis Phrygia agmina circumſpexit:
Heu, quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere? aut quid jam miſero mihi denique reſtat?
Cui neque apud Danaos uſquam locus: & ſuper ipſi
Dardanidæ infenſi pœnas cum ſanguine poſcunt.
Quo gemitu converſi animi, compreſſus & omnis
Impetus. hortamur fari, quo ſanguine cretus,
Quidve ferat, memoret, quæ ſit fiducia capto.
Ille hæc, depoſita tandem formidine, fatur.
Cuncta equidem tibi, Rex, (fuerit quodcumque,) fatebor,
Vera, inquit: neque me Argolica de gente negabo,
Hoc primum. nec, ſi miſerum Fortuna Sinonem

Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.
Fando aliquod ſi forte tuas pervenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, & inclyta fama
Gloria: quem falſa ſub proditione Pelaſgi
Inſontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demiſere neci: nunc caſſum lumine lugent.
Illi me comitem, & conſanguinitate propinquum,
Pauper in arma pater primis huc miſit ab annis.
Dum ſtabat regno incolumis, regumque vigebat
Conciliis: & nos aliquod nomenque decuſque
Geſſimus. invidia poſtquam pellacis Ulyſſi
(Haud ignota loquor) ſuperis conceſſit ab oris;
Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et caſum inſontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens: & me, ſors ſi qua tuliſſet,
Si patrios umquam remeaſſem victor ad Argos,
Promiſi ultorem, & verbis odia aſpera movi.
Hinc mihi prima mali labes: hinc ſemper Ulyſſes
Criminibus terrere novis: hinc ſpargere voces
In vulgum ambiguas, & quærere conſcius arma.
Nec requievit enim, donec Calchante miniſtro.
Sed quid ego hæc autem nequidquam ingrata revolvo?
Quidve moror? ſi omnes uno ordine habetis Achivos,
Idque audire ſat eſt; jamdudum ſumite pœnas.
Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.
Tum vero ardemus ſcitari & quærere cauſſas;
Ignari ſcelerum tantorum artiſque Pelaſgæ.
Proſequitur pavitans, & ficto pectore fatur;
Sæpe fugam Danai Troja cupiere relicta
Moliri, & longo feſſi diſcedere bello.
Feciſſentque utinam! ſæpe illos aſpera ponti
Interclufit hiems & terruit auſter euntes.
Præcipue, cum jam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto ſonuerunt æthere nimbi.
Suſpenſi Eurypylum ſcitatum oracula Phœbi
Mittimus. iſque adytis hæc triſtia dicta reportat.
Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſa,
Cum primum Iliacas Danai veniſtis ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum
Argolica: vulgi quæ vox ut venit ad aures,
Obſtupuere animi, gelidusque per ima cucurrit
Oſſa tremor; cui fata parent, quem poſcat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios: quæ ſint ea numina divum
Flagitat. & mihi jam multi crudele canebant
Artificis ſcelus, & taciti ventura videbant.
Bis quinos ſilet ille dies, tectuſque recuſat
Prodere voce ſua quemquam, aut opponere morti.
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Compoſito rumpit vocem, & me deſtinat aræ.
Aſſenſere omnes: &, quæ ſibi quiſque timebat,
Unius in miſeri exitium converſa tulere.
Jamque dies infanda aderat: mihi ſacra parari,
Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.
Eripui (fateor) leto me, & vincula rupi:
Limoſoque lacu per noctem obſcurus in ulva
Delitui, dum vela darent, ſi forte dediſſent.
Nec mihi jam patriam antiquam ſpes ulla videndi,
Nec dulces natos, exoptatumque parentem:
Quos illi fors ad pœnas ob noſtra repoſcent
Effugia, & culpam hanc miſerorum morte piabunt.
Quod te, per ſuperos, & conſcia numina veri,
Per, ſi qua eſt, quæ reſtet adhuc mortalibus uſquam
Intemerata fides, oro, miſerere laborum
Tantorum: miſerere animi non digna ferentis.
His lacrimis vitam damus, & miſereſcimus ultro,
Ipſe viro primus manicas atque arcta levari
Vincla jubet Priamus; dictiſque ita fatur amicis:
Quiſquis es, amiſſos hinc jam obliviſcere Grajos;
Noſter eris: mihique hæc ediſſere vera roganti.
Quo molem hanc immanis equi ſtatuere? quis auctor?
Quidve petunt? quæ relligio? aut quæ machina belli?
Dixerat. ille dolis inſtructus & arte Pelaſga,
Suſtulit exutas vinclis ad ſidera palmas:
Vos, æterni ignes, & non violabile veſtrum
Teſtor numen, ait: vos aræ, enſeſque nefandi,
Quos fugi, vittæque deum, quas hoſtia geſſi;
Fas mihi Grajorum ſacrata reſolvere jura,
Fas odiſſe viros, atque omnia ferre ſub auras,
Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus ullis.
Tu modo promiſſis maneas, ſervataque ſerves
Troja fidem; ſi vera feram, ſi magna rependam.
Omnis ſpes Danaum, & cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis ſemper ſtetit: impius ex quo
Tydides ſed enim, ſcelerumque inventor Ulyſſes,
Fatale aggreſſi ſacrato avellere templo
Palladium, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis,
Corripuere ſacram effigiem, manibuſque cruentis
Virgineas auſi divæ contingere vittas:
Ex illo fluere ac retro ſublapſa referri
Spes Danaum: fractæ vires, averſa deæ mens.
Nec dubiis ea ſigna dedit Tritonia monſtris.
Vix poſitum caſtris ſimulacrum; arſere coruſcæ
Luminibus flammæ arrectis, ſalſuſque per artus
Sudor iit: terque ipſa ſolo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens, haſtamque trementem.
Extemplo tentanda fuga canit æquora Calchas:
Nec poſſe Argolicis exſcindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis, numenque reducant,
Quod pelago & curvis ſecum advexere carinis.
Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma Deoſque parant comites, pelagoque remenſo
Improviſi aderunt. ita digerit omnia Calchas.
Hanc pro Palladio moniti, pro numine læſo
Effigiem ſtatuere; nefas quæ triſte piaret.
Hanc tamen immenſam Calchas attollere molem
Roboribus textis, cæloque educere juſſit:
Ne recipi portis, aut duci in mœnia poſſit;
Neu populum antiqua ſub relligione tueri.
Nam ſi veſtra manus violaſſet dona Minervæ,
Tum magnum exitium (quod Dii prius omen in ipſum
Convertant) Priami imperio Phrygibuſque futurum.
Sin manibus veſtris veſtram aſcendiſſet in urbem;
Ultro Aſiam magno Pelopea ad mœnia bello
Venturam, & noſtros ea fata manere nepotes.
Talibus inſidiis perjurique arte Sinonis
Credita res, captique dolis lacrimiſque coactis,
Quos neque Tydides, nec Lariſſæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.
Hic aliud majus miſeris multoque tremendum
Objicitur magis, atque improvida pectora turbat.
Laocoon ductus Neptuno ſorte ſacerdos
Solemnes taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
(Horreſco referens) immenſis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta jubæque
Sanguineæ exſuperant undas: pars cetera pontum
Pone legit, ſinuatque immenſa volumine terga.
Fit ſonitus, ſpumante ſalo: jamque arva tenebant,
Ardenteſque oculos ſuffecti ſanguine & igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

Diſſu-

Diffugimus viſu exſangues. illi agmine certo
Laocoonta petunt: & primum parva duorum
Corpora natorum ſerpens amplexus uterque
Implicat, & miſeros morſu depaſcitur artus.
Poſt ipſum auxilio ſubeuntem ac tela ferentem
Corripiunt, ſpiriſque ligant ingentibus: & jam
Bis medium amplexi, bis collo ſquamea circum
Terga dati ſuperant capite & cervicibus altis.
Ille ſimul manibus tendit divellere nodos,
Perfuſus ſanie vittas atroque veneno;
Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit.
Quales mugitus, fugit cum ſaucius aram
Taurus, & incertam excuſſit cervice ſecurim.
At gemini lapſu delubra ad ſumma dracones
Effugiunt, ſævæque petunt Tritonidis arcem:
Sed pedibuſque Deæ, clypeique ſub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Inſinuat pavor: & ſcelus expendiſſe merentem
Laocoonta ferunt; ſacrum qui cuſpide robur
Læſerit, & tergo ſceleratam intorſerit haſtam.
Ducendum ad ſedes ſimulacrum, orandaque Divæ
Numina conclamant.
Dividimus muros, & mœnia pandimus urbis.
Accingunt omnes operi, pedibuſque rotarum
Subjiciunt lapſus, & ſtupea vincula collo
Intendunt. ſcandit fatalis machina muros,
Fœta armis. circum pueri, innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa ſubit, mediæque minans illabitur urbi.
O patria, o Divum domus Ilium, & inclita bello
Mœnia Dardanidum! quater ipſo in limine portæ
Subſtitit, atque utero ſonitum quater arma dedere.
Inſtamus tamen immemores cæcique furore,
Et monſtrum infelix ſacrata ſiſtimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris
Ora Dei juſſu, non umquam credita Teucris.
Nos delubra Deum miſeri, quibus ultimus eſſet
Ille dies, feſta velamus fronde per urbem.
Vertitur interea cælum, & ruit Oceano nox,
Involvens umbra magna terramque polumque,
Myrmidonumque dolos: fuſi per mœnia Teucri
Conticuere: ſopor feſſos complectitur artus.
Et jam Argiva phalanx inſtructis navibus ibat
A Tenedo, tacitæ per amica ſilentia lunæ,
Litora nota petens; flammas cum regia puppis
Extulerat: fatiſque deum defenſus iniquis,
Incluſos utero Danaos & pinea furtim
Laxat clauſtra Sinon: illos patefactus ad auras
Reddit equus, lætique cavo ſe robore promunt
Theſſandrus Stheneluſque duces, & dirus Ulyſſes,
Demiſſum lapſi per funem, Acamaſque, Thoaſque,
Pelideſque Neoptolemus, primuſque Machaon,
Et Menelaus, & ipſe doli fabricator Epeus.
Invadunt urbem ſomno vinoque ſepultam.
Cæduntur vigiles, portiſque patentibus omnes
Accipiunt ſocios, atque agmina conſcia jungunt.
Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono divum gratiſſima ſerpit.
In ſomnis, ecce, ante oculos mæſtiſſimus Hector
Viſus adeſſe mihi, largoſque effundere fletus;
Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentes.
Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore; qui redit exuvias indutus Achillei,
Vel Danaum Phrygios jaculatus puppibus ignes!
Squalentem barbam, & concretos ſanguine crines,
Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit patrios. ultro flens ipſe videbar
Compellare virum, & mæſtas expromere voces:
O lux Dardaniæ, ſpes o fidiſſima Teucrum,
Quæ tantæ tenuere moræ? quibus Hector ab oris
Exſpectate venis? ut te poſt multa tuorum
Funera, poſt varios hominumque urbiſque labores
Defeſſi aſpicimus! quæ cauſſa indigna ſerenos
Fœdavit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?
Ille nihil: nec me quærentem vana moratur:
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hoſtis habet muros: ruit alto a culmine Troja.
Sat patriæ Priamoque datum. ſi Pergama dextra
Defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent.
Sacra ſuoſque tibi commendat Troja Penates:
Hos cape fatorum comites. his mœnia quære,
Magna pererrato ſtatues quæ denique ponto.
Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.
Diverſo interea miſcentur mœnia luctu:
Et magis atque magis, quamquam ſecreta parentis
Anchiſæ domus, arboribuſque obtecta receſſit,
Clareſcunt ſonitus, armorumque ingruit horror.
Excutior ſomno, & ſummi faſtigia tecti
Aſcenſu ſupero, atque arrectis auribus adſto.
In ſegetem veluti cum flamma furentibus auſtris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, ſternit ſata læta, boumque labores;
Præcipiteſque trahit ſilvas: ſtupet inſcius alto
Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor.
Tum vero manifeſta fides, Danaumque pateſcunt
Inſidiæ. jam Deiphobi dedit ampla ruinam,
Vulcano ſuperante, domus: jam proximus ardet
Ucalegon: Sigea igni freta lata relucent.
Exoritur clamorque virum clangorque tubarum.
Arma amens capio; nec ſat rationis in armis:
Sed glomerare manum bello, & concurrere in arcem
Cum ſociis ardent animi. furor iraque mentem
Præcipitant; pulchrumque mori ſuccurrit in armis.
Ecce autem telis Panthus elapſus Achivum,
Panthus Othryades, arcis Phœbique ſacerdos,
Sacra manu, victoſque deos, parvumque nepotem
Ipſe trahit, curſuque amens ad litora tendit.
Quo res ſumma loco, Panthu? quam prendimus arcem?
Vix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit:
Venit ſumma dies, & ineluctabile tempus
Dardaniæ. fuimus Troes: fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum. ferus omnia Jnpiter Argos
Tranſtulit. incenſa Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in mœnibus adſtans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miſcet
Inſultans. portis alii bipatentibus adſunt,
Millia quot magnis umquam venere Mycenis:
Obſedere alii telis anguſta viarum
Oppoſiti, ſtat ferri acies mucrone coruſco
Stricta, parata neci: vix primi prælia tentant
Portarum vigiles, & cæco Marte reſiſtunt.
Talibus Othryadæ dictis & numine divum
In flammas & in arma feror: quo triſtis Erinnys,
Quo fremitus vocat, & ſublatus ad æthera clamor.
Addunt ſe ſocios Ripheus, & maxumus armis
Iphitus: oblati per lunam Hypaniſque Dymaſque:
Et lateri agglomerant noſtro: juveniſque Chorœbus
Mygdonides. illis ad Trojam forte diebus
Venerat, inſano Caſſandræ incenſus amore:

Et

Et gener auxilium Priamo Phrygibuſque ferebat.
Infelix, qui non ſponſæ præcepta furentis
Audierit.
Quos ubi confertos audere in prœlia vidi;
Incipio ſuper his: Juvenes, fortiſſima fruſtra
Pectora, ſi vobis audentem extrema cupido
Certa ſequi; (quæ ſit rebus fortuna videtis.
Exceſſere omnes adytis ariſque relictis
Di, quibus imperium hoc ſteterat) ſuccurritis urbi
Incenſæ. moriamur, & in media arma ruamus.
Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.
Sic animis juvenum furor additus. inde, lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus exſpectant ſiccis; per tela, per hoſtes
Vadimus haud dubiam in mortem: mediæque tenemus
Urbis iter. nox atra cava circumvolat umbra.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut poſſit lacrimis æquare labores?
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos:
Plurima perque vias ſternuntur inertia paſſim
Corpora, perque domos, & relligioſa deorum
Limina. nec ſoli pœnas dant ſanguine Teucri:
Quondam etiam victis redit in præcordia virtus;
Victoreſque cadunt Danai. crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.
Primus ſe, Danaum magna comitante caterva,
Androgeus offert nobis, ſocia agmina credens
Inſcius; atque ultro verbis compellat amicis:
Feſtinate viri. nam quæ tam ſera moratur
Segnities? alii rapiunt incenſa feruntque
Pergama: vos celſis nunc primum a navibus itis?
Dixit, & extemplo (neque enim reſponſa dabantur
Fida ſatis) ſenſit medios delapſus in hoſtes:
Obſtupuit, retroque pedem cum voce repreſſit.
Improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepiduſque repente refugit
Attollentem iras, & cærula colla tumentem.
Haud ſecus Androgeus viſu tremefactus abibat.
Irruimus, denſis & circumfundimur armis,
Ignaroſque loci paſſim, & formidine captos
Sternimus. aſpirat primo fortuna labori.
Atque hic ſucceſſu exultans animiſque Chorœbus,
O ſocii, quæ prima, inquit, fortuna ſalutis
Monſtrat iter, quaque oſtendit ſe dextra, ſequamur.
Mutemus clypeos, Danaumque inſignia nobis
Aptemus. dolus, an virtus, quis in hoſte requirat?
Arma dabunt ipſi. ſic fatus, deinde comantem
Androgei galeam, clypeique inſigne decorum
Induitur, laterique Argivum accommodat enſem.
Hoc Ripheus, hoc ipſe Dymas, omniſque juventus
Læta facit: ſpoliis ſe quiſque recentibus armat.
Vadimus immixti Danais haud numine noſtro;
Multaque per cæcam congreſſi prœlia noctem
Conſerimus: multos Danaum demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad naves, & litora curſu
Fida petunt: pars ingentem formidine turpi
Scandunt rurſus equum, & nota conduntur in alvo.
Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!
Ecce trahebatur paſſis Priameia virgo
Crinibus a templo Caſſandra adytiſque Minervæ,
Ad cælum tendens ardentia lumina fruſtra:
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.
Non tulit hanc ſpeciem furiata mente Chorœbus,
Et ſeſe medium injecit periturus in agmen.
Conſequimur cuncti, & denſis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Noſtrorum obruimur, oriturqne miſerrima cædes,
Armorum facie & Graiarum errore jubarum.
Tum Danai gemitu atque ereptæ virginis ira
Undique collecti invadunt; acerrimus Ajax,
Et gemini Atridæ, Dolopumque exercitus omnis.
Adverſi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyruſque Notuſque & lætus Eois
Eurus equis: ſtridunt ſilvæ, ſævitque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.
Illi etiam, ſi quos obſcura nocte per umbram
Fudimus inſidiis, totaque agitavimus urbe,
Apparent: primi clypeos mentitaque tela
Agnoſcunt, atque ora ſono diſcordia ſignant.
Ilicet obruimur numero. primuſque Chorœbus
Penelei dextra, divæ armipotentis ad aram,
Procumbit: cadit & Ripheus, juſtiſſimus unus
Qui fuit in Teucris, & ſervantiſſimus æqui.
Dis aliter viſum. pereunt Hypaniſque Dymaſque
Confixi a ſociis: nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.
Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,
Teſtor, in occaſu veſtro, nec tela, nec ullas
Vitaviſſe vices Danaum; &, ſi fata fuiſſent,
Ut caderem, meruiſſe manu. divellimur inde,
Iphitus & Pelias mecum: quorum Iphitus ævo
Jam gravior, Pelias & vulnere tardus Ulyſſi.
Protinus ad ſedes Priami clamore vocati.
Hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nuſquam
Bella forent, nulli tota morerentur in urbe:
Sic Martem indomitum, Danaoſque ad tecta ruentes
Cernimus, obſeſſumque acta teſtudine limen.
Hærent parietibus ſcalæ, poſteſque ſub ipſos
Nituntur gradibus, clypeoſque ad tela ſiniſtris
Protecti objiciunt: prenſant faſtigia dextris.
Dardanidæ contra turres ac tecta domorum
Culmina convellunt (his ſe, quando ultima cernunt,
Extrema jam in morte parant defendere telis)
Aurataſque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt. alii ſtrictis mucronibus imas
Obſedere fores: has ſervant agmine denſo.
Inſtaurati animi regis ſuccurrere tectis,
Auxilioque levare viros, vimque addere victis.
Limen erat, cæcæque fores, & pervius uſus
Tectorum inter ſe Priami, poſteſque relicti
A tergo: infelix qua ſe, dum regna manebant,
Sæpius Andromache ferre incomitata ſolebat
Ad ſoceros, & avo puerum Aſtyanacta trahebat:
Evado ad ſummi faſtigia culminis: unde
Tela manu miſeri jactabant irrita Teucri.
Turrim in præcipiti ſtantem, ſummiſque ſub aſtra
Eductam tectis, unde omnis Troja videri,
Et Danaum ſolitæ naves, & Achaica caſtra,
Aggreſſi ferro circum, qua ſumma labantes
Juncturas tabulata dabant; convellimus altis
Sedibus, impulimuſque. ea lapſa repente ruinam
Cum ſonitu trahit, & Danaum ſuper agmina late
Incidit. aſt alii ſubeunt: nec ſaxa, nec ullum
Telorum interea ceſſat genus.
Veſtibulum ante ipſum primoque in limine Pyrrhus
Exultat telis, & luce coruſcus aena.
Qualis ubi in lucem coluber mala gramina paſtus,
Frigida ſub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc poſitis novus exuviis nitiduſque juventa,
Lubrica convolvit ſublato pectore terga
Arduus ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis.

Una ingens Periphas, & equorum agitator Achillis
Armiger Automedon; una omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, & flammas ad culmina jactant.
Ipſe inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit, poſteſque a cardine vellit
Æratos: jamque exciſa trabe firma cavavit
Robora, & ingentem lato dedit ore feneſtram.
Apparet domus intus, & atria longa pateſcunt:
Apparent Priami & veterum penetralia regum:
Armatoſque vident ſtantes in limine primo.
At domus interior gemitu miſeroque tumultu
Miſcetur; penituſque cavæ plangoribus ædes
Femineis ululant. ferit aurea ſidera clamor.
Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent poſtes, atque oſcula figunt.
Inſtat vi patria Pyrrhus: nec clauſtra, neque ipſi
Cuſtodes ſufferre valent. labat ariete crebro
Janua, & emoti procumbunt cardine poſtes.
Fit via vi: rumpunt aditus, primoſque trucidant
Immiſſi Danai, & late loca milite complent.
Non ſic, aggeribus ruptis cum ſpumeus amnis
Exiit, oppoſitaſque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, campoſque per omnes
Cum ſtabulis armenta trahit. vidi ipſe furentem
Cæde Neoptolemum, geminoſque in limine Atridas:
Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine fœdantem, quos ipſe ſacraverat, ignes.
Quinquaginta illi thalami, ſpes tanta nepotum,
Barbarico poſtes auro ſpoliiſque ſuperbi
Procubuere. tenent Danai, qua deficit ignis.
Forſitan &, Priami fuerint quæ fata, requiras.
Urbis uti captæ caſum, convulſaque vidit
Limina tectorum, & medium in penetralibus hoſtem;
Arma diu ſenior deſueta trementibus ævo
Circumdat nequidquam humeris, & inutile ferrum
Cingitur, ac denſos fertur moriturus in hoſtes.
Ædibus in mediis nudoque ſub ætheris axe
Ingens ara fuit; juxtaque veterrima laurus
Incumbens aræ, atque umbra complexa Penates.
Hic Hecuba & natæ nequidquam altaria circum,
Præcipites atra ceu tempeſtate columbæ,
Condenſæ, & divum amplexæ ſimulacra ſedebant.
Ipſum autem ſumtis Priamum juvenilibus armis
Ut vidit; Quæ mens tam dira, miſerrime conjux,
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget: non, ſi ipſe meus nunc afforet Hector.
Huc tandem concede: hæc ara tuebitur omnes:
Aut moriere ſimul. ſic ore effata, recepit
Ad ſeſe, & ſacra longævum in ſede locavit.
Ecce autem elapſus Pyrrhi de cæde Polites,
Unus natorum Priami, per tela, per hoſtes
Porticibus longis fugit, & vacua atria luſtrat
Saucius. illum ardens infeſto vulnere Pyrrhus
Inſequitur, jam jamque manu tenet, & premit haſta.
Ut tandem ante oculos evaſit & ora parentum,
Concidit, ac multo vitam cum ſanguine fudit.
Hic Priamus, quamquam in media jam morte tenetur,
Non tamen abſtinuit, nec voci iræque pepercit.
At tibi pro ſcelere, exclamat, pro talibus auſis,
Di, ſi qua eſt cælo pietas, quæ talia curet,
Perſolvat grates dignas, & præmia reddant
Debita: qui nati coram me cernere letum
Feciſti, & patrios fœdaſti funere vultus.
At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoſte fuit Priamo: ſed jura fidemque
Supplicis erubuit, corpuſque exſangue ſepulcro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remiſit.
Sic fatus ſenior, telumque imbelle ſine ictu
Conjecit: rauco quod protenus ære repulſum,
Et ſummo clypei nequidquam umbone pependit.
Cui Pyrrhus: Referes ergo hæc, & nuntius ibis
Pelidæ genitori. illi mea triſtia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere. hoc dicens, altaria ad ipſa trementem
Traxit, & in multo lapſantem ſanguine nati,
Implicuitque comam læva; dextraque coruſcum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit enſem.
Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit, Trojam incenſam, & prolapſa videntem
Pergama; tot quondam populis terriſque ſuperbum
Regnatorem Aſiæ. jacet ingens litore truncus,
Avulſumque humeris caput, & ſine nomine corpus.
At me tum primum ſævus circumſtetit horror:
Obſtupui: ſubiit cari genitoris imago,
Ut regem æquævum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem. ſubiit deſerta Creuſa,
Et direpta domus, & parvi caſus Iuli.
Reſpicio, & quæ ſit me circum copia luſtro.
Deſeruere omnes defeſſi, & corpora ſaltu
Ad terram miſere, aut ignibus ægra dedere.
Jamque adeo ſuper unus eram: cum limina Veſtæ
Servantem, & tacitam ſecreta in ſede latentem
Tyndarida aſpicio: dant clara incendia lucem
Erranti, paſſimque oculos per cuncta ferenti.
Illa ſibi infeſtos everſa ob Pergama Teucros,
Et pœnas Danaum, & deſerti conjugis iras
Permetuens, Trojæ & patriæ communis Erinnys,
Abdiderat ſeſe, atque aris inviſa ſedebat.
Exarſere ignes animo: ſubit ira cadentem
Ulciſci patriam, & ſceleratas ſumere pœnas.
Scilicet hæc Spartam incolumis patriaſque Mycenas
Aſpiciet, partoque ibit regina triumpho?
Conjugiumque, domumque, patres, natoſque videbit,
Iliadum turba & Phrygiis comitata miniſtris?
Occiderit ferro Priamus? Troja arſerit igni?
Dardanium toties ſudarit ſanguine litus?
Non ita. namque etſi nullum memorabile nomen
Feminea in pœna eſt, nec habet victoria laudem;
Extinxiſſe nefas tamen, & ſumſiſſe merentes
Laudabor pœnas; animumque expleſſe juvabit
Ultricis flammæ, & cineres ſatiaſſe meorum.
Talia jactabam, & furiata mente ferebar;
Cum mihi ſe, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, & pura per noctem in luce refulſit
Alma parens, confeſſa deam; qualiſque videri
Cælicolis, & quanta ſolet: dextraque prehenſum
Continuit, roſeoque hæc inſuper addidit ore:
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam noſtri tibi cura receſſit?
Non prius aſpicies, ubi feſſum ætate parentem
Liqueris Anchiſen? ſuperet conjuxne Creuſa,
Aſcaniuſque puer? quos omnes undique Grajæ
Circum errant acies: &, ni mea cura reſiſtat,
Jam flammæ tulerint, inimicus & hauſerit enſis.
Non tibi Tyndaridis facies inviſa Lacænæ,
Culpatuſve Paris. divum inclementia, divum
Has evertit opes, ſternitque a culmine Trojam.
(Aſpice: namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat viſus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam: tu ne qua parentis
Juſſa time, neu præceptis parere recuſa)

Hic,

Hic, ubi disjectas moles, avulſaque ſaxis
Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum;
Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit; totamque ab ſedibus urbem
Eruit. hic Juno Scæas ſæviſſima portas
Prima tenet, ſociumque furens a navibus agmen
Ferro accincta vocat.
Jam ſummas arces Tritonia (reſpice) Pallas
Inſedit, nimbo effulgens & Gorgone ſæva.
Ipſe pater Danais animos vireſque ſecundas
Sufficit: ipſe deos in Dardana ſuſcitat arma.
Eripe, nate, fugam, finemque impone labori.
Nuſquam abero, & tutum patrio te limine ſiſtam.
Dixerat: & ſpiſſis noctis ſe condidit umbris.
Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna deum.
Tum vero omne mihi viſum conſidere in ignes
Ilium, & ex imo verti Neptunia Troja.
Ac veluti ſummis antiquam in montibus ornum,
Cum ferro acciſam crebriſque bipennibus inſtant
Eruere agricolæ certatim; illa uſque minatur,
Et tremefacta comam concuſſo vertice nutat;
Vulneribus donec paullatim evicta ſupremum
Congemuit, traxitque jugis avulſa ruinam.
Deſcendo, ac ducente Deo flammam inter & hoſtes
Expedior. dant tela locum, flammæque recedunt.
Atque ubi jam patriæ perventum ad limina ſedis,
Antiquaſque domos; genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montes, primumque petebam;
Abnegat exciſa vitam producere Troja,
Exiliumque pati. Vos o, quibus integer ævi
Sanguis, ait, ſolidæque ſuo ſtant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me ſi cælicolæ voluiſſent ducere vitam,
Has mihi ſervaſſent ſedes. ſatis una ſuperque
Vidimus excidia, & captæ ſuperavimus urbi.
Sic o, ſic poſitum affati diſcedite corpus.
Ipſe manu mortem inveniam. miſerebitur hoſtis,
Exuviaſque petet. facilis jactura ſepulchri.
Jampridem inviſus divis, & inutilis annos
Demoror: ex quo me divum pater atque hominum rex
Fulminis afflavit ventis, & contigit igni.
Talia perſtabat memorans, fixuſque manebat.
Nos contra effuſi lacrimis, conjuxque Creuſa,
Aſcaniuſque, omniſque domus, ne vertere ſecum
Cuncta pater, fatoque urgenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque & ſedibus hæret in iiſdem.
Rurſum in arma feror, mortemque miſerrimus opto.
Nam quod conſilium, aut quæ jam fortuna dabatur?
Mene efferre pedem, genitor, te poſſe relicto
Speraſti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta ſuperis placet urbe relinqui;
Et ſedet hoc animo, perituræque addere Trojæ
Teque tuoſque juvat: patet iſti janua leto.
Jamque aderit multo Priami de ſanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignes
Eripis, ut mediis hoſtem in penetralibus, utque
Aſcanium, patremque meum, juxtaque Creuſam,
Alterum in alterius mactatos ſanguine cernam?
Arma, viri, ferte arma: vocat lux ultima victos.
Reddite me Danais: ſinite inſtaurata reviſam
Prælia. numquam omnes hodie moriemur inulti.
Hic ferro accingor rurſus: clypeoque ſiniſtram
Inſertabam aptans, meque extra tecta ferebam.
Ecce autem complexa pedes in limine conjux
Hærebat, parvumque patri tendebat Iulum:
Si periturus abis, & nos rape in omnia tecum:
Sin aliquam expertus ſumtis ſpem ponis in armis;
Hanc primum tutare domum. cui parvus Iulus,
Cui pater, & conjux quondam tua dicta relinquor?
Talia vociferans gemitu tectum omne replebat:
Cum ſubitum, dictuque oritur mirabile monſtrum.
Namque manus inter, mæſtorumque ora parentum,
Ecce levis ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen apex: tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.
Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, & ſanctos reſtinguere fontibus ignes.
At pater Anchiſes oculos ad ſidera lætus
Extulit, & cælo palmas cum voce tetendit:
Jupiter omnipotens, precibus ſi flecteris ullis,
Aſpice nos; hoc tantum: & ſi pietate meremur,
Da deinde auxilium, Pater; atque hæc omina firma.
Vix ea fatus erat ſenior, ſubitoque fragore
Intonuit lævum: & de cælo lapſa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam ſumma ſuper labentem culmina tecti
Cernimus Idæa claram ſe condere ſilva,
Signantemque vias: tum longo limite ſulcus
Dat lucem, & late circum loca ſulphure fumant.
Hic vero victus genitor ſe tollit ad auras,
Affaturque Deos, & ſanctum ſidus adorat.
Jam jam nulla mora eſt: ſequor, & qua ducitis, adſum.
Dii patrii, ſervate domum, ſervate nepotem:
Veſtrum hoc augurium, veſtroque in numine Troja eſt.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuſo.
Dixerat ille: & jam per mœnia clarior ignis
Auditur, propiuſque æſtus incendia volvunt.
Ergo age, chare pater, cervici imponere noſtræ:
Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte gravabit:
Quo res cumque cadent, unum & commune periclum,
Una ſalus ambobus erit. mihi parvus Iulus
Sit comes, & longe ſervet veſtigia conjux.
Vos famuli, quæ dicam, animis advertite veſtris.
Eſt urbe egreſſis tumulus templumque vetuſtum
Deſertæ Cereris, juxtaque antiqua cupreſſus
Religione patrum multos ſervata per annos.
Hanc ex diverſo ſedem veniemus in unam.
Tu genitor cape ſacra manu, patrioſque Penates.
Me, bello tanto digreſſum & cæde recenti
Attrectare nefas; donec me flumine vivo
Abluero.
Hæc fatus, latos humeros ſubjectaque colla
Veſte ſuper, fulvique inſternor pelle leonis;
Succedoque oneri. dextræ ſe parvus Iulus
Implicuit, ſequiturque patrem non paſſibus æquis:
Pone ſubit conjux. ferimur per opaca locorum.
Et me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, neque adverſo glomerati ex agmine Graji,
Nunc omnes terrent auræ: ſonus excitat omnis
Suſpenſum, & pariter comitique onerique timentem.
Jamque propinquabam portis, omnemque videbar
Evaſiſſe viam; ſubito cum creber ad aures
Viſus adeſſe pedum ſonitus: genitorque per umbram
Proſpiciens, Nate, exclamat, fuge, nate; propinquant.
Ardentes clypeos, atque æra micantia cerno.
Hic mihi neſcio quod trepido male numen amicum
Confuſam eripuit mentem. namque avia curſu
Dum ſequor, & nota excedo regione viarum;
Heu miſero conjux fatone erepta Creuſa
Subſtitit, erravitne via, ſeu laſſa reſedit,

Incer-

Incertum; nec poſt oculis eſt reddita noſtris:
Nec prius amiſſam reſpexi, animumque reflexi,
Quam tumulum antiquæ Cereris ſedemque ſacratam
Venimus. hic demum collectis omnibus una
Defuit; & comites, natumque, virumque fefellit.
Quem non incuſavi amens hominumque deorumque?
Aut quid in everſa vidi crudelius urbe?
Aſcanium, Anchiſemque patrem, Teucroſque Penates
Commendo ſociis, & curva valle recondo.
Ipſe urbem repeto, & cingor fulgentibus armis.
Stat caſus renovare omnes, omnemque reverti
Per Trojam; & rurſus caput objectare periclis.
Principio muros obſcuraque limina portæ,
Qua greſſum extuleram, repeto; & veſtigia retro
Obſervata ſequor per noctem, & lumine luſtro.
Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.
Inde domum, ſi forte pedem, ſi forte tuliſſet,
Me refero. irruerant Danai, & tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax ſumma ad faſtigia vento
Volvitur: exſuperant flammæ: furit æſtus ad auras.
Procedo, & Priami ſedes arcemque reviſo.
Et jam porticibus vacuis Junonis aſylo
Cuſtodes lecti Phœnix & dirus Ulyſſes
Prædam aſſervabant. huc undique Troia gaza
Incenſis erepta adytis, menſæque deorum,
Crateresque auro ſolidi, captivaque veſtis
Congeritur. pueri & pavidæ longo ordine matres
Stant circum.
Auſus quin etiam voces jactare per umbram:
Implevi clamore vias, mæſtuſque Creuſam
Nequidquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.
Quærenti, & tectis urbis ſine fine furenti,
Infelix ſimulacrum atque ipſius umbra Creuſæ
Viſa mihi ante oculos, & nota major imago.
Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.
Tum ſic affari, & curas his demere dictis:
Quid tantum inſano juvat indulgere dolori,
O dulcis conjux? non hæc ſine numine divum
Eveniunt. nec te hinc comitem aſportare Creuſam
Fas, aut ille ſinit ſuperi regnator Olympi.
Longa tibi exilia, & vaſtum maris æquor arandum.
Ad terram Heſperiam venies: ubi Lydius, arva
Inter opima virum, leni fluit agmine Tybris.
Illic res lætæ, regnumque, & regia conjux
Parta tibi. lacrimas dilectæ pelle Creuſæ.
Non ego Myrmidonum ſedes, Dolopumve ſuperbas
Aſpiciam, aut Grajis ſervitum matribus ibo,
Dardanis, & divæ Veneris nurus:
Sed me magna deum genetrix his detinet oris.
Jamque vale, & nati ſerva communis amorem.
Hæc ubi dicta dedit, lacrimantem & multa volentem
Dicere deſeruit, tenueſque receſſit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.
Sic demum ſocios conſumta nocte reviſo.
Atque hic ingentem comitum adfluxiſſe novorum
Invenio admirans numerum; matreſque, viroſque,
Collectam exilio pubem, miſerabile vulgus:
Undique convenere, animis opibuſque parati;
In quaſcumque velim pelago deducere terras.
Jamque jugis ſummæ ſurgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem; Danaique obſeſſa tenebant
Limina portarum: nec ſpes opis ulla dabatur.
Ceſſi, & ſublato montem genitore petivi.

Æ N E I D O S

L I B E R III.

POſtquam res Aſiæ, Priamique evertere gentem
Immeritam viſum Superis, ceciditque ſuperbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja;
Diverſa exilia, & deſertas quærere terras
Auguriis agimur divum, claſſemque ſub ipſa
Antandro & Phrygiæ molimur montibus Idæ;
Incerti quo fata ferant, ubi ſiſtere detur;
Contrahimuſque viros. vix prima inceperat æſtas;
Et pater Anchiſes dare fatis vela jubebat;
Litora cum patriæ lacrimans portuſque relinquo,
Et campos ubi Troja fuit. feror exul in altum
Cum ſociis, natoque, Penatibus, & magnis Dis.
Terra procul vaſtis colitur Mavortia campis,
(Thraces arant) acri quondam regnata Lycurgo;
Hoſpitium antiquum Trojæ, ſociique Penates,
Dum fortuna fuit. feror huc, & litore curvo
Mœnia prima loco, fatis ingreſſus iniquis:
Æneadaſque meo nomen de nomine fingo.
Sacra Dionææ matri, diviſque ferebam
Auſpicibus cœptorum operum: ſuperoque nitentem
Cælicolum regi mactabam in litore taurum.
Forte fuit juxta tumulus, quo cornea ſummo
Virgulta, & denſis haſtilibus horrida myrtus.
Acceſſi, viridemque ab humo convellere ſilvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras:
Horrendum, & dictu video mirabile monſtrum.
Nam, quæ prima ſolo ruptis radicibus arbos
Vellitur, huic atro liquuntur ſanguine guttæ,
Et terram tabo maculant. mihi frigidus horror
Membra quatit, geliduſque coit formidine ſanguis.
Rurſus & alterius lentum convellere vimen
Inſequor, & cauſſas penitus tentare latentes:
Ater & alterius ſequitur de cortice ſanguis.
Multa movens animo Nymphas venerabar agreſtes,
Gradivumque patrem, Geticis qui præſidet arvis,
Rite ſecundarent viſus, omenque levarent.
Tertia ſed poſtquam majore haſtilia niſu
Aggredior, genibuſque adverſæ obluctor arenæ;
(Eloquar, an ſileam?) gemitus lacrimabilis imo
Auditur tumulo, & vox reddita fertur ad aures:
Quid miſerum, Ænea, laceras? jam parce ſepulto:
Parce pias ſcelerare manus. non me tibi Troja
Externum tulit: aut cruor hic de ſtipite manat.
Heu fuge crudeles terras, fuge litus avarum.
Nam Polydorus ego. hic confixum ferrea texit
Telorum ſeges, & jaculis increvit acutis.
Tum vero ancipiti mentem formidine preſſus
Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threïcio Regi; cum jam diffideret armis
Dardaniæ, cingique urbem obſidione videret.
Ille, ut opes fractæ Teucrum, & fortuna receſſit,
Res Agamemnonias, victriciaque arma ſecutus,
Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames? poſtquam pavor oſſa reliquit,
Delectos populi ad proceres, primumque parentem
Monſtra Deum refero; & quæ ſit ſententia, poſco.
Omnibus idem animus ſcelerata excedere terra;
Linqui pollutum hoſpitium, & dare claſſibus auſtros.
Ergo inſtauramus Polydoro funus, & ingens

Aggeritur tumulo tellus: ſtant manibus aræ,
Cæruleis mæſtæ vittis atraque cupreſſo;
Et circum Iliades crinem de more ſolutæ.
Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sanguinis & ſacri pateras: animamque ſepulcro
Condimus, & magna ſupremum voce ciemus.
Inde, ubi prima fides pelago, placataque venti
Dant maria, & lenis crepitans vocat Auſter in altum;
Deducunt ſocii naves, & litora complent.
Provehimur portu: terræque urbeſque recedunt.
Sacra mari colitur medio gratiſſima tellus
Nereidum matri, & Neptuno Ægæo:
Quam pius Arcitenens, oras & litora circum
Errantem, Gyaro e celſa Myconoque revinxit,
Immotamque coli dedit, & contemnere ventos.
Huc feror: hæc feſſos tuto placidiſſima portu
Accipit. egreſſi veneramur Apollinis urbem.
Rex Anius, Rex idem hominum Phœbique ſacerdos,
Vittis & ſacra redimitus tempora lauro,
Occurrit: veterem Anchiſen agnovit amicum,
Jungimus hoſpitio dextras, & tecta ſubimus.
Templa Dei ſaxo venerabar ſtructa vetuſto.
Da propriam, Thymbræe, domum: da mœnia feſſis,
Et genus, & manſuram urbem. ſerva altera Trojæ
Pergama, relliquias Danaum atque immitis Achilli.
Quem ſequimur? quove ire jubes? ubi ponere ſedes?
Da, pater, augurium; atque animis illabere noſtris.
Vix ea fatus eram: tremere omnia viſa repente,
Liminaque, lauruſque dei; totuſque moveri
Mons circum, & mugire adytis cortina recluſis.
Summiſſi petimus terram, & vox fertur ad aures:
Dardanidæ duri, quæ vos a ſtirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet reduces. antiquam exquirite matrem.
Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.
Hæc Phœbus: mixtoque ingens exorta tumultu
Lætitia: & cuncti, quæ ſint ea mœnia, quærunt,
Quo Phœbus vocet errantes, jubeatque reverti.
Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum,
Audite, o proceres, ait, & ſpes diſcite veſtras.
Creta Jovis magni medio jacet inſula ponto;
Mons Idæus ubi, & gentis cunabula noſtræ.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna:
Maximus unde pater, ſi rite audita recordor,
Teucrus Rhœteas primum eſt advectus ad oras.
Optavitque locum regno. nondum Ilium, & arces
Pergameæ ſteterant: habitabant vallibus imis.
Hinc Mater cultrix Cybele, Corybantiaque æra,
Idæumque nemus: hinc fida ſilentia ſacris:
Et juncti currum dominæ ſubiere leones.
Ergo agite, &, divum ducunt qua juſſa, ſequamur:
Placemus ventos, & Gnoſia regna petamus.
Nec longo diſtant curſu: modo Jupiter adſit,
Tertia lux claſſem Cretæis ſiſtet in oris.
Sic fatus, meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo;
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.
Fama volat, pulſum regnis ceſſiſſe paternis
Idomenea ducem, deſertaque litora Cretæ:
Hoſte vacare domos, ſedeſque aſtare relictas.
Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus,
Bacchatamque jugis Naxon, viridemque Donyſam,
Olearon, niveamque Paron, ſparſaſque per æquor
Cycladas, & crebris legimus freta conſita terris.
Nauticus exoritur vario certamine clamor.
Hortantur ſocii, Cretam proavoſque petamus.
Proſequitur ſurgens a puppi ventus euntes,
Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.
Ergo avidus muros optatæ molior urbis,
Pergameamque voco, & lætam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcemque attollere tectis.
Jamque fere ſicco ſubductæ litore puppes,
Connubiis arviſque novis operata juventus;
Jura domoſque dabam: ſubito cum tabida membris,
Corrupto cæli tractu, miſerandaque venit
Arboribuſque ſatiſque lues, & letifer annus.
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora. tum ſteriles exurere Sirius agros.
Arebant herbæ, & victum ſeges ægra negabat.
Rurſus ad oraclum Ortygiæ Phœbumque remenſo
Hortatur pater ire mari, veniamque precari:
Quam feſſis finem rebus ferat: unde laborum
Tentare auxilium jubeat: quo vertere curſus.
Nox erat, & terris animalia ſomnus habebat.
Effigies ſacræ divum, Phrygiique Penates,
Quos mecum a Troja, mediiſque ex ignibus urbis
Extuleram, viſi ante oculos aſtare jacentis
In ſomnis, multo manifeſti lumine, qua ſe
Plena per inſertas fundebat luna feneſtras.
Tum ſic affari, & curas his demere dictis:
Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo eſt,
Hic canit; & tua nos en ultro ad limina mittit.
Nos te, Dardania incenſa, tuaque arma ſecuti;
Nos tumidum ſub te permenſi claſſibus æquor;
Iidem venturos tollemus in aſtra nepotes,
Imperiumque urbi dabimus. tu mœnia magnis
Magna para, longumque fugæ ne linque laborem.
Mutandæ ſedes. non hæc tibi litora ſuaſit
Delius, aut Cretæ juſſit conſidere Apollo.
Eſt locus, Heſperiam Graji cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ.
Oenotrii coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixiſſe, ducis de nomine, gentem.
Hæ nobis propriæ ſedes; hinc Dardanus ortus,
Iaſiuſque pater, genus a quo principe noſtrum.
Surge age, & hæc lætus longævo dicta parenti
Haud dubitanda refer: Corytum, terraſque require
Auſonias. Dictæa negat tibi Jupiter arva.
Talibus attonitus viſis, ac voce deorum,
[Nec ſopor illud erat, ſed coram agnoſcere vultus,
Velataſque comas, præſentiaque ora videbar:
Tum gelidus toto manabat corpore ſudor]
Corripio e ſtratis corpus, tendoque ſupinas
Ad cælum cum voce manus, & munera libo
Intemerata focis. perfecto lætus honore
Anchiſen facio certum, remque ordine pando.
Agnovit prolem ambiguam, geminoſque parentes,
Seque novo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat: Nate Iliacis exercite fatis,
Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat.
Nunc repeto hæc generi portendere debita noſtro;
Et ſæpe Heſperiam, ſæpe Itala regna vocare.
Sed quis ad Heſperiæ venturos litora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Caſſandra moveret?
Cedamus Phœbo, & moniti meliora ſequamur.
Sic ait: & cuncti dicto paremus ovantes.
Hanc quoque deſerimus ſedem, paucisque relictis
Vela damus, vaſtumque cava trabe currimus æquor.
Poſtquam altum tenuere rates, nec jam amplius ullæ
Apparent terræ, cælum undique & undique pontus:
Tum mihi cæruleus ſupra caput aſtitit imber,

Noctem

Noctem hiememque ferens; & inhorruit unda tenebris.
Continuo venti volvunt mare, magnaque ſurgunt
Æquora. diſperſi jactamur gurgite vaſto.
Involvere diem nimbi, & nox humida cælum
Abſtulit. ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur curſu, & cæcis erramus in undis.
Ipſe diem noctemque negat diſcernere cælo,
Nec meminiſſe viæ media Palinurus in unda.
Tres adeo incertos cæca caligine ſoles
Erramus pelago, totidem ſine ſidere noctes.
Quarto terra die primum ſe attollere tandem
Viſa, aperire procul montes, ac volvere fumum.
Vela cadunt, remis inſurgimus: haud mora, nautæ
Adnixi torquent ſpumas, & cærula verrunt.
Servatum ex undis Strophadum me litora primum
Accipiunt. Strophades Grajo ſtant nomine dictæ,
Inſulæ Ionio in magno: quas dira Celæno,
Harpyiæque colunt aliæ, Phineia poſtquam
Clauſa domus, menſaſque metu liquere priores.
Triſtius haud illis monſtrum, nec ſævior ulla
Peſtis & ira deum Stygiis ſeſe extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida ſemper
Ora fame.
Huc ubi delati portus intravimus; ecce
Læta boum paſſim campis armenta videmus,
Caprigenumque pecus, nullo cuſtode, per herbas.
Irruimus ferro, & divos ipſumque vocamus
In partem prædamque Jovem. tum litore curvo
Exſtruimuſque toros, dapibuſque epulamur opimis.
At ſubitæ horrifico lapſu de montibus adſunt
Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant
Immundo: tum vox tætrum dira inter odorem.
Rurſum in receſſu longo ſub rupe cavata,
Arboribus clauſa circum atque horrentibus umbris,
Inſtruimus menſas, ariſque reponimus ignem.
Rurſum ex diverſo cæli cæciſque latebris
Turba ſonans prædam pedibus circumvolat uncis:
Polluit ore dapes. ſociis tunc, arma capeſſant,
Edico, & dira bellum cum gente gerendum.
Haud ſecus ac juſſi faciunt, tectoſque per herbam
Diſponunt enſes, & ſcuta latentia condunt.
Ergo ubi dilapſæ ſonitum per curva dedere
Litora; dat ſignum ſpecula Miſenus ab alta
Ære cavo. invadunt ſocii, & nova prælia tentant,
Obſcœnas pelagi ferro fœdare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo
Accipiunt; celerique fuga ſub ſidera lapſæ
Semeſam prædam & veſtigia fœda relinquunt.
Una in præcelſa conſedit rupe Celæno,
Infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem:
Bellum etiam pro cæde boum ſtratiſque juvencis,
Laomedontiadæ; bellumne inferre paratis,
Et patrio Harpyias inſontes pellere regno?
Accipite ergo, animis atque hæc mea figite dicta:
Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam curſu petitis, ventiſque vocatis
Ibitis Italiam, portuſque intrare licebit:
Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem,
Quam vos dira fames noſtræque injuria cædis
Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas.
Dixit: & in ſilvam pennis ablata refugit.
At ſociis ſubita gelidus formidine ſanguis
Deriguit: cecidere animi: nec jam amplius armis,
Sed votis precibuſque jubent expoſcere pacem,
Sive deæ, ſeu ſint diræ obſcœnæque volucres.
Et pater Anchiſes, paſſis de litore palmis,
Numina magna vocat; meritoſque indicit honores.
Di, prohibete minas: di, talem avertite caſum:
Et placidi ſervate pios. tum litore funem
Deripere, excuſſoſque jubet laxare rudentes.
Tendunt vela Noti: ferimur ſpumantibus undis,
Qua curſum ventuſque gubernatorque vocabat.
Jam medio apparet fluctu nemoroſa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, & Neritos ardua ſaxis.
Effugimus ſcopulos Ithacæ Laertia regna,
Et terram altricem ſævi execramur Ulyſſi.
Mox & Leucatæ nimboſa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus feſſi, & parvæ ſuccedimus urbi.
Anchora de prora jacitur. ſtant litore puppes.
Ergo inſperata tandem tellure potiti
Luſtramurque Jovi, votiſque incendimus aras;
Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.
Exercent patrias oleo labente palæſtras
Nudati ſocii. juvat evaſiſſe tot urbes
Argolicas, medioſque fugam tenuiſſe per hoſtes.
Interea magnum ſol circumvolvitur annum,
Et glacialis hiems aquilonibus aſperat undas.
Ære cavo clypeum, magni geſtamen Abantis,
Poſtibus adverſis figo, & rem carmine ſigno:
Æneas hæc de Danais victoribus arma.
Linquere tum portus jubeo, & conſidere tranſtris.
Certatim ſocii feriunt mare, & æquora verrunt.
Protinus aerias Phæacum abſcondimus arces,
Littoraque Epiri legimus, portuque ſubimus
Chaonio, & celſam Buthroti aſcendimus urbem.
Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum Grajas regnare per urbes,
Conjugio Æacidæ Pyrrhi ſceptriſque potitum:
Et patrio Andromachen iterum ceſſiſſe marito.
Obſtupui; miroque incenſum pectus amore,
Compellare virum, & caſus cognoſcere tantos.
Progredior portu, claſſes & litora linquens.
Solemnes tum forte dapes, & triſtia dona,
Ante urbem in luco falſi Simoentis ad undam,
Libabat cineri Andromache, maneſque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem ceſpite inanem,
Et geminas cauſſam lacrimis ſacraverat aras.
Ut me conſpexit venientem, & Troia circum
Arma amens vidit; magnis exterrita monſtris
Deriguit viſu in medio: calor oſſa reliquit.
Labitur, & longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuntius affers,
Nate Dea? vivíſne? aut ſi lux alma receſſit,
Hector ubi eſt? dixit, lacrimaſque effudit, & omnem
Implevit clamore locum. vix pauca furenti
Subjicio, & raris turbatus vocibus hiſco.
Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco.
Nec dubita: nam vera vides.
Heu, quis te caſus dejectam conjuge tanto
Excipit? aut quæ digna ſatis fortuna reviſit?
Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia ſervas?
Dejecit vultum, & demiſſa voce locuta eſt:
O felix una ante alias Priameia virgo,
Hoſtilem ad tumulum Trojæ ſub mœnibus altis
Juſſa mori, quæ ſortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile!
Nos, patria incenſa, diverſa per æquora vectæ,
Stirpis Achilleæ faſtus, juvenemque ſuperbum

Servitio enixæ tulimus. qui deinde ſecutus
Ledæam Hermionen, Lacedæmonioſque Hymenæos,
Me famulo famulamque Heleno tranſmiſit habendam.
Aſt illum ereptæ magno inflammatus amore
Conjugis, & ſcelerum Furiis agitatus Oreſtes,
Excipit incautum, patriaſque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi regnorum reddita ceſſit
Pars Heleno: qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamque omnem Trojano a Chaone dixit:
Pergamaque, Iliacamque jugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui curſum venti, quæ fata dedere?
Aut quiſnam ignarum noſtris deus appulit oris?
Quid puer Aſcanius? ſuperatne, & veſcitur aura?
Quem tibi jam Troja * * * *
Ecqua tamen puero eſt amiſſæ cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem animoſque viriles
Et pater Æneas & avunculus excitat Hector?
Talia fundebat lacrimans, longoſque ciebat
Incaſſum fletus: cum ſeſe a mœnibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus affert,
Agnoſcitque ſuos, lætuſque ad limina ducit,
Et multum lacrimas verba inter ſingula fundit.
Procedo, & parvam Trojam, ſimulataque magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine rivum
Agnoſco, Scææque amplector limina portæ.
Nec non & Teucri ſocia ſimul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex accipiebat in amplis.
Aulai in medio libabant pocula Bacchi,
Impoſitis auro dapibus; pateraſque tenebant.
Jamque dies, alterque dies proceſſit; & auræ
Vela vocant, tumidoque inflatur carbaſus auſtro.
His vatem aggredior dictis, ac talia quæſo:
Trojugena interpres divum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii laurus, qui ſidera ſentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ:
Fare age (namque omnem curſum mihi proſpera dixit
Relligio, & cuncti ſuaſerunt numine divi
Italiam petere, & terras tentare repoſtas:
Sola novum dictuque nefas Harpyia Celæno
Prodigium canit, & triſtes denuntiat iras,
Obſcœnamque famem) quæ prima pericula vito?
Quidve ſequens tantos poſſim ſuperare labores?
Hic Helenus, cæſis primum de more juvencis,
Exorat pacem divum, vittaſque reſolvit
Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phœbe,
Ipſe manu multo ſuſpenſum numine ducit:
Atque hæc deinde canit divino ex ore ſacerdos:
Nate dea, (nam te majoribus ire per altum
Auſpiciis manifeſta fides: ſic fata deum rex
Sortitur; volvitque vices: is vertitur ordo)
Pauca tibi e multis, quo tutior hoſpita luſtres
Æquora, & Auſonio poſſis conſidere portu,
Expediam dictis. prohibent nam cetera Parcæ
Scire Helenum, farique vetat Saturnia Juno.
Principio Italiam, quam tu jam rere propinquam,
Vicinoſque ignare paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.
Ante & Trinacria lentandus remus in unda,
Et ſalis Auſonii luſtrandum navibus æquor,
Infernique lacus, Æææque inſula Circes,
Quam tuta poſſis urbem componere terra.
Signa tibi dicam: tu condita mente teneto.
Cum tibi ſollicito ſecreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus
Triginta capitum fœtus enixa jacebit,
Alba, ſolo recubans, albi circum ubera nati:
Is locus urbis erit: requies ea certa laborum.
Nec tu menſarum morſus horreſce futuros:
Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxima quæ noſtri perfunditur æquoris æſtu,
Effuge: cuncta malis habitantur mœnia Grajis.
Hic & Naritii poſuerunt mœnia Locri,
Et Salentinos obſedit milite campos
Lyctius Idomeneus: hic illa ducis Melibœi
Parva Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.
Quin, ubi tranſmiſſæ ſteterint trans æquora claſſes,
Et poſitis aris jam vota in litore ſolves,
Purpureo velare comas adopertus amictu;
Ne qua inter ſanctos ignes in honore deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.
Hunc ſocii morem ſacrorum, hunc ipſe teneto:
Hac caſti maneant in relligione nepotes.
Aſt ubi digreſſum Siculæ te admoverit oræ
Ventus, & anguſti rareſcent clauſtra Pelori;
Læva tibi tellus, & longo læva petantur
Æquora circuitu: dextrum fuge litus, & undas.
Hæc loca vi quondam, & vaſta convulſa ruina
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas)
Diſſiluiſſe ferunt; cum protinus utraque tellus
Una foret: venit medio vi pontus, & undis
Heſperium Siculo latus abſcidit, arvaque & urbes
Litore diductas anguſto interluit æſtu.
Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obſidet, atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſuſque ſub auras
Erigit alternos, & ſidera verberat unda.
At Scyllam cæcis cohibet ſpelunca latebris,
Ora exertantem, & naves in ſaxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus: poſtrema immani corpore piſtris,
Delphinum caudas utero commiſſa luporum.
Præſtat Trinacrii metas luſtrare Pachyni
Ceſſantem, longos & circumflectere curſus,
Quam ſemel informem vaſto vidiſſe ſub antro
Scyllam, & cæruleis canibus reſonantia ſaxa.
Præterea, ſi qua eſt Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum ſi veris implet Apollo,
Unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum
Prædicam; & repetens iterumque iterumque monebo.
Junonis magnæ primum prece numen adora:
Junoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus ſupera donis. ſic denique victor
Trinacria fines Italos mittere relicta.
Huc ubi delatus Cumæam acceſſeris urbem,
Divinoſque lacus, & Averna ſonantia ſilvis;
Inſanam vatem aſpicies: quæ rupe ſub ima
Fata canit, foliiſque notas & nomina mandat.
Quæcumque in foliis deſcripſit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro ſecluſa relinquit.
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
Verum eadem, verſo tenuis cum cardine ventus
Impulit, & teneras turbavit janua frondes;
Numquam deinde cavo volitantia prendere ſaxo,
Nec revocare ſitus, aut jungere carmina curat.
Inconſulti abeunt, ſedemque odere Sibyllæ.
Hic tibi ne qua moræ fuerint diſpendia tanti:
Quamvis increpitent ſocii, & vi curſus in altum
Vela vocet, poſſiſque ſinus implere ſecundos:
Quin adeas vatem, precibuſque oracula poſcas.
Ipſa canat, vocemque volens atque ora reſolvat.
Illa tibi Italiæ populos, venturaque bella,

Et quo

Et quo quemque modo fugiaſque, feraſque laborem,
Expediet; curſuſque dabit venerata ſecundos.
Hæc ſunt, quæ noſtra liceat te voce moneri.
Vade age, & ingentem factis fer ad æthera Trojam.
Quæ poſtquam vates ſic ore effatus amico eſt,
Dona dehinc auro gravia, ſectoque elephanto
Imperat ad naves ferri, ſtipatque carinis
Ingens argentum, Dodonæoſque lebetas,
Loricam conſertam hamis auroque trilicem,
Et conum inſignis galeæ, criſtaſque comantes,
Arma Neoptolemi. ſunt & ſua dona parenti.
Addit equos, additque duces:
Remigium ſupplet: ſocios ſimul inſtruit armis.
Interea claſſem velis aptare jubebat
Anchiſes, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phœbi interpres multo compellat honore:
Conjugio Anchiſa Veneris dignate ſuperbo,
Cura Deum, bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Auſoniæ tellus: hanc arripe velis:
Et tamen hanc pelago præterlabare neceſſe eſt.
Auſoniæ pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, o felix nati pietate. quid ultra
Provehor, & fando ſurgentes demoror Auſtros?
Nec minus Andromache, digreſſu mæſta ſupremo,
Fert picturatas auri ſubtemine veſtes,
Et Phrygiam Aſcanio chlamydem: nec cedit honori,
Textilibuſque onerat donis, ac talia fatur:
Accipe & hæc, manuum tibi quæ monumenta mearum
Sint, puer, & longum Andromaches teſtentur amorem
Conjugis Hectoreæ. cape dona extrema tuorum,
O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago:
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat:
Et nunc æquali tecum pubeſceret ævo.
Hos ego digrediens lacrimis affabar obortis:
Vivite felices, quibus eſt fortuna peracta
Jam ſua: nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies: nullum maris æquor arandum:
Arva neque Auſoniæ ſemper cedentia retro
Quærenda. effigiem Xanthi, Trojamque videtis,
Quam veſtræ fecere manus, melioribus (opto)
Auſpiciis; & quæ fuerit minus obvia Grajis.
Si quando Tybrim, vicinaque Tybridis arva
Intraro, gentique meæ data mœnia cernam,
Cognatas urbes olim, populoſque propinquos
Epiro Heſperia, quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem caſus; unam faciemus utramque
Trojam animis. maneat noſtros ea cura nepotes.
Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta:
Unde iter Italiam, curſuſque breviſſimus undis.
Sol ruit interea, & montes umbrantur opaci.
Sternimur optatæ gremio telluris ad undam
Sortiti remos; paſſimque in litore ſicco
Corpora curamus. feſſos ſopor irrigat artus.
Nec dum orbem medium nox horis acta ſubibat:
Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus, & omnes
Explorat ventos, atque auribus aera captat:
Sidera cuncta notat tacito labentia cælo,
Arcturum, pluviaſque Hyadas, geminoſque Triones,
Armatumque auro circumſpicit Oriona.
Poſtquam cuncta videt cælo conſtare ſereno;
Dat clarum e puppi ſignum: nos caſtra movemus,
Tentamuſque viam, & velorum pandimus alas.
Jamque rubeſcebat ſtellis aurora fugatis,
Cum procul obſcuros colles humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates;
Italiam læto ſocii clamore ſalutant.
Tum pater Anchiſes magnum cratera corona
Induit, implevitque mero; Divoſque vocavit
Stans celſa in puppi.
Dii, maris & terræ tempeſtatumque potentes,
Ferte viam vento facilem, & ſpirate ſecundi.
Crebreſcunt optatæ auræ, portuſque pateſcit
Jam propior, templumque apparet in arce Minervæ.
Vela legunt ſocii, & proras ad litora torquent.
Portus ab Eoo fluctu curvatur in arcum,
Objectæ ſalſa ſpumant aſpergine cautes.
Ipſe latet: gemino demittunt brachia muro
Turriti ſcopuli, refugitque ab litore templum.
Quatuor hic primum omen equos in gramine vidi
Tondentes campum late, candore nivali.
Et pater Anchiſes: Bellum, o terra hoſpita, portas:
Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.
Sed tamen iidem olim curru ſuccedere ſueti
Quadrupedes, & fræna jugo concordia ferre.
Spes & pacis, ait. tum Numina ſancta precamur
Palladis armiſonæ, quæ prima accepit ovantes;
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu:
Præceptiſque Heleni, dederat quæ maxima, rite
Junoni Argivæ juſſos adolemus honores.
Haud mora: continuo perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obvertimus antennarum,
Grajugenumque domos, ſuſpectaque linquimus arva.
Hinc ſinus Herculei, ſi vera eſt fama, Tarenti
Cernitur. attollit ſe diva Lacinia contra,
Cauloniſque arces, & navifragum Scylacæum.
Tum procul e fluctu Trinacria cernitur AEtna;
Et gemitum ingentem pelagi, pulſataque ſaxa
Audimus longe, fractaſque ad litora voces:
Exultantque vada, atque æſtu miſcentur arenæ.
Et pater Anchiſes: nimirum hæc illa Charybdis:
Hos Helenus ſcopulos, hæc ſaxa horrenda canebat.
Eripite, o ſocii: pariterque inſurgite remis.
Haud minus ac juſſi faciunt: primuſque rudentem
Contorſit lævas proram Palinurus ad undas.
Lævam cuncta cohors remis ventiſque petivit.
Tollimur in cælum curvato gurgite, & iidem
Subducta ad manes imos deſcendimus unda.
Ter ſcopuli clamorem inter cava ſaxa dedere:
Ter ſpumam eliſam & rorantia vidimus aſtra.
Interea feſſos ventus cum ſole reliquit;
Ignarique viæ Cyclopum allabimur oris.
Portus ab acceſſu ventorum immotus, & ingens
Ipſe; ſed horrificis juxta tonat AEtna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo & candente favilla;
Attollitque globos flammarum, & ſidera lambit:
Interdum ſcopulos avulſaque viſcera montis
Erigit eructans, liquefactaque ſaxa ſub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæſtuat imo.
Fama eſt, Enceladi ſemiuſtum fulmine corpus
Urgeri mole hac, ingentemque inſuper Ætnam
Impoſitam, ruptis flammam exſpirare caminis;
Et feſſum quoties mutat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cælum ſubtexere fumo.
Noctem illam tecti ſilvis immania monſtra
Perferimus: nec, quæ ſonitum det cauſſa, videmus.
Nam neque erant aſtrorum ignes, nec lucidus æthra
Siderea polus; obſcuro ſed nubila cælo:
Et lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.
Poſtera jamque dies primo ſurgebat Eoo,

Humen-

Humentemque Aurora polo dimoverat umbram:
Cum ſubito e ſilvis, macie confecta ſuprema,
Ignoti nova forma viri miſerandaque cultu
Procedit, ſupplexque manus ad litora tendit.
Reſpicimus. dira illuvies, immiſſaque barba,
Conſertum tegumen ſpinis: at cetera Grajus,
Et quondam patriis ad Trojam miſſus in armis.
Iſque ubi Dardanios habitus & Troia vidit
Arma procul; paullum aſpectu conterritus hæſit,
Continuitque gradum: mox ſeſe ad litora præceps
Cum fletu precibuſque tulit: Per ſidera teſtor,
Per ſuperos, atque hoc cæli ſpirabile lumen;
Tollite me, Teucri: quaſcumque abducite terras.
Hoc ſat erit. ſcio me Danais e claſſibus unum,
Et bello Iliacos fateor petiiſſe Penates.
Pro quo, ſi ſceleris tanta eſt injuria noſtri,
Spargite me in fluctus, vaſtoque immergite ponto.
Si pereo, manibus hominum periiſſe juvabit.
Dixerat: & genua amplexus, genibuſque volutans
Hærebat. qui ſit, fari, quo ſanguine cretus,
Hortamur; quæ deinde agitet Fortuna, fateri.
Ipſe pater dextram Anchiſes, haud multa moratus,
Dat juveni; atque animum præſenti pignore firmat.
Ille hæc, depoſita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulyſſi,
Nomen Achæmenides, Trojam genitore Adamaſto
Paupere (manſiſſetque utinam Fortuna!) profectus.
Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores ſocii vaſto Cyclopis in antro
Deſeruere. domus ſanie dapibuſque cruentis,
Intus opaca, ingens. ipſe arduus, altaque pulſat
Sidera, (Di, talem terris avertite peſtem)
Nec viſu facilis, nec dictu affabilis ulli,
Viſceribus miſerorum & ſanguine veſcitur atro.
Vidi egomet, duo de numero cum corpora noſtro,
Prenſa manu magna, medio reſupinus in antro
Frangeret ad ſaxum, ſanieque aſperſa natarent
Limina: vidi, atro cum membra fluentia tabo
Manderet, & trepidi tremerent ſub dentibus artus.
Haud impune quidem. nec talia paſſus Ulyſſes,
Oblituſve ſui eſt Ithacus diſcrimine tanto.
Nam ſimul expletus dapibus, vinoque ſepultus
Cervicem inflexam poſuit, jacuitque per antrum
Immenſus, ſaniem eructans ac fruſta cruento
Per ſomnum commixta mero; nos, magna precati
Numina, ſortitique vices, una undique circum
Fundimur, & telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torva ſolum ſub fronte latebat,
Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis inſtar;
Et tandem læti ſociorum ulciſcimur umbras.
Sed fugite, o miſeri, fugite, atque ab litore funem
Rumpite.
Nam qualis quantuſque cavo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque ubera preſſat,
Centum alii curva hæc habitant ad litora vulgo
Infandi Cyclopes, & altis montibus errant.
Tertia jam lunæ ſe cornua lumine complent,
Cum vitam in ſilvis, inter deſerta ferarum
Luſtra domoſque traho, vaſtoſque ab rupe Cyclopas
Proſpicio, ſonitumque pedum vocemque tremiſco.
Victum infelicem baccas lapidoſaque corna
Dant rami, & vulſis paſcunt radicibus herbæ.
Omnia colluſtrans, hanc primum ad litora claſſem
Conſpexi venientem. huic me, quæcumque fuiſſet,
Addixi: ſatis eſt gentem effugiſſe nefandam.
Vos animam hanc potius quocumque abſumite leto.
Vix ea fatus erat: ſummo cum monte videmus
Ipſum inter pecudes vaſta ſe mole moventem
Paſtorem Polyphemum, & litora nota petentem:
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.
Trunca manu pinus regit & veſtigia firmat:
Lanigeræ comitantur oves: ea ſola voluptas,
Solamenque mali.
Poſtquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit:
Luminis effoſſi fluidum lavit inde cruorem;
Dentibus infrendens gemitu: graditurque per æquor
Jam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice, ſic merito; tacitique incidere funem.
Verrimus & proni certantibus æquora remis.
Senſit, & ad ſonitum vocis veſtigia torſit.
Verum ubi nulla datur dextram affectare poteſtas,
Nec potis Ionios fluctus æquare ſequendo;
Clamorem immenſum tollit: quo pontus, & omnes
Intremuere undæ, penituſque exterrita tellus
Italiæ, curviſque immugiit Ætna cavernis.
At genus e ſilvis Cyclopum & montibus altis
Excitum ruit ad portus, & litora complent.
Cernimus adſtantes nequidquam lumine torvo
Ætnæos fratres, cælo capita alta ferentes,
Concilium horrendum: quales cum vertice celſo
Aeriæ quercus, aut coniferæ cypariſſi
Conſtiterunt, ſilva alta Jovis, luculve Dianæ.
Præcipites metus acer agit quocumque rudentes
Excutere, & ventis intendere vela ſecundis.
Contra juſſa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim
Inter utramque viam, leti diſcrimine parvo,
Ni teneant curſus: certum eſt dare lintea retro.
Ecce autem Boreas anguſta ab ſede Pelori
Miſſus adeſt. vivo prætervehor oſtia ſaxo
Pantagiæ, Megaroſque ſinus, Tapſumque jacentem.
Talia monſtrabat relegens errata retrorſum
Litora Achæmenides, comes infelicis Ulyſſi.
Sicanio prætenta ſinu jacet inſula contra
Plemmyrium undoſum: nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama eſt huc Elidis amnem
Occultas egiſſe vias ſubter mare: qui nunc
Ore, Arethuſa, tuo Siculis confunditur undis.
Juſſi numina magna loci veneramur: & inde
Exſupero præpingue ſolum ſtagnantis Helori.
Hinc altas cautes projectaque ſaxa Pachyni
Radimus, & fatis nunquam conceſſa moveri
Apparet Camerina procul, campique Geloi,
Immaniſque Gela fluvii cognomine dicta.
Arduus inde Acragas oſtentat maxima longe
Mœnia, magnanimum quondam generator equorum.
Teque datis linquo ventis, palmoſa Selinus;
Et vada dura lego ſaxis Lilybeia cæcis.
Hinc Drepani me portus & illætabilis ora
Accipit. hic, pelagi tot tempeſtatibus actus,
Heu genitorem, omnis curæ caſuſque levamen,
Amitto Anchiſen. hic me, pater optime, feſſum
Deſeris, heu, tantis nequidquam erepte periclis!
Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus, non dira Celæno.
Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum.
Hinc me digreſſum veſtris deus appulit oris.
Sic pater Æneas intentis omnibus unus
Fata renarrabat divum, curſuſque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.

AENEI-

ÆNEIDOS

LIBER IV.

AT regina gravi jam dudum ſaucia cura
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.
Multa viri virtus animo, multuſque recurſat
Gentis honos. hærent infixi pectore vultus,
Verbaque: nec placidam membris dat cura quietem.
Poſtera Phœbea luſtrabat lampade terras
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram;
Cum ſic unanimam alloquitur male ſana ſororem:
Anna ſoror, quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent!
Quis novus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes!
Quem ſeſe ore ferens! quam forti pectore, & armis!
Credo equidem (nec vana fides) genus eſſe deorum.
Degeneres animos timor arguit. heu, quibus ille
Jactatus fatis! quæ bella exhauſta canebat!
Si mihi non animo fixum immotumque ſederet,
Ne cui me vinclo vellem ſociare jugali,
Poſtquam primus amor deceptam morte fefellit;
Si non pertæſum thalami tædæque fuiſſet;
Huic uni forſan potui ſuccumbere culpæ.
Anna, fatebor enim; miſeri poſt fata Sichæi
Conjugis, & ſparſos fraterna cæde Penates,
Solus hic inflexit ſenſus, animumque labantem
Impulit. agnoſco veteris veſtigia flammæ.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,
Vel Pater Omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam,
Ante pudor quam te violem, aut tua jura reſolvam.
Ille meos, primus qui me ſibi junxit, amores
Abſtulit. ille habeat ſecum, ſervetque ſepulcro.
Sic effata ſinum lacrimis implevit obortis.
Anna refert: O luce magis dilecta ſorori,
Solane perpetua mœrens carpere juventa?
Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?
Id cinerem aut manes credis curare ſepultos?
Eſto: ægram nulli quondam flexere mariti:
Non Libyæ, non ante Tyro deſpectus Iarbas,
Ductoreſque alii, quos Africa terra triumphis
Dives alit; placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum conſederis arvis?
Hinc Getulæ urbes, genus inſuperabile bello,
Et Numidæ infræni cingunt, & inhoſpita Syrtis:
Hinc deſerta ſiti regio, lateque furentes
Barcæi. quid bella Tyro ſurgentia dicam,
Germanique minas?
Diis equidem auſpicibus reor & Junone ſecunda,
Huc curſum Iliacas vento tenuiſſe carinas.
Quam tu urbem, ſoror, hanc cernes! quæ ſurgere regna
Conjugio tali! Teucrum comitantibus armis
Punica ſe quantis attollet gloria rebus!
Tu modo poſce Deos veniam, ſacriſque litatis
Indulge hoſpitio, cauſſaſque innecte morandi:
Dum pelago deſævit hiems, & aquoſus Orion,
Quaſſatæque rates, dum non tractabile cælum.
His dictis incenſum animum inflammavit amore,
Spemque dedit dubiæ menti, ſolvitque pudorem.
Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt: mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboque, Patrique Lyæo:
Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.
Ipſe tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit:
Aut ante ora Deum pingues ſpatiatur ad aras,
Inſtauratque diem donis; pecudumque recluſis
Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.
Heu vatum ignaræ mentes! quid vota furentem,
Quid delubra juvant? eſt mollis flamma medullas
Interea, & tacitum vivit ſub pectore vulnus.
Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens: qualis conjecta cerva ſagitta,
Quam procul incautam nemora inter Creſſia fixit
Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum
Neſcius. illa fuga ſilvas ſaltuſque peragrat
Dictæos: hæret lateri letalis arundo.
Nunc media Ænean ſecum per mœnia ducit,
Sidoniaſque oſtentat opes, urbemque paratam.
Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit.
Nunc eadem, labente die, convivia quærit,
Iliacoſque iterum demens audire labores
Expoſcit, pendetque iterum narrantis ab ore.
Poſt, ubi digreſſi, lumenque obſcura viciſſim
Luna premit, ſuadentque cadentia ſidera ſomnos:
Sola domo mæret vacua, ſtratiſque relictis
Incubat: illum abſens abſentem auditque, videtque:
Aut gremio Aſcanium genitoris imagine capta
Detinet, infandum ſi fallere poſſit amorem.
Non cœptæ aſſurgunt turres, non arma juventus
Exercet, portuſve aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cælo.
Quam ſimul ac tali perſenſit peſte teneri
Chara Jovis conjux, nec famam obſtare furori;
Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis:
Egregiam vero laudem & ſpolia ampla refertis
Tuque puerque tuus: magnum & memorabile nomen;
Una dolo divum ſi femina victa duorum eſt.
Nec me adeo fallit, veritam te mœnia noſtra
Suſpectas habuiſſe domos Carthaginis altæ.
Sed quis erit modus? aut quo nunc certamine tanto?
Quin potius pacem æternam pactoſque Hymenæos
Exercemus? habes, tota quod mente petiſti.
Ardet amans Dido, traxitque per oſſa furorem.
Communem hunc ergo populum, paribuſque regamus
Auſpiciis: liceat Phrygio ſervire marito,
Dotaleſque tuæ Tyrios permittere dextræ.
Olli (ſenſit enim ſimulata mente locutam,
Quo regnum Italiæ Libycas averteret oras)
Sic contra eſt ingreſſa Venus: Quis talia demens
Abnuat? aut tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras, factum fortuna ſequatur.
Sed fatis incerta feror, ſi Jupiter unam
Eſſe velit Tyriis urbem Trojaque profectis,
Miſcerive probet populos, aut fœdera jungi.
Tu conjux: tibi fas animum tentare precando.
Perge: ſequar. tum ſic excepit regia Juno:
Mecum erit iſte labor; nunc qua ratione quod inſtat
Confieri poſſit, paucis, adverte, docebo.
Venatum Æneas unaque miſerrima Dido
In nemus ire parant, ubi primos craſtinus ortus
Extulerit Titan, radiiſque retexerit orbem.
His ego nigrantem commiſta grandine nimbum,
Dum trepidant alæ, ſaltuſque indagine cingunt,
Deſuper infundam, & tonitru cælum omne ciebo.
Diffugient comites, & nocte tegentur opaca:
Speluncam Dido dux & Trojanus eamdem
Devenient: adero: & tua ſi mihi certa voluntas,
Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo.
Hic Hymenæus erit. non adverſata petenti
Annuit, atque dolis riſit Cytherea repertis.

Ocea-

Oceanum interea ſurgens Aurora relinquit.
It portis jubare exorto delecta juventus,
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
Maſſylique ruunt equites, & odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant: oſtroque inſignis & auro
Stat ſonipes, ac fræna ferox ſpumantia mandit.
Tandem progreditur, magna ſtipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.
Nec non & Phrygii comites, & lætus Iulus
Incedunt. ipſe ante alios pulcherrimus omnes
Infert ſe ſocium Æneas, atque agmina jungit.
Qualis, ubi hibernam Lyciam, Xanthique fluenta
Deſerit; ac Delum maternam inviſit Apollo,
Inſtauratque choros, miſtique altaria circum
Cretesque Dryopesque fremunt, pictique Agathyrſi:
Ipſe jugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro:
Tela ſonant humeris. haud illo ſegnior ibat
Æneas: tantum egregio decus enitet ore.
Poſtquam altos ventum in montes, atque invia luſtra:
Ecce feræ ſaxi dejectæ vertice capræ
Decurrere jugis: alia de parte patentes
Tranſmittunt curſu campos, atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant, monteſque relinquunt.
At puer Aſcanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo: jamque hos curſu, jam præterit illos,
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum deſcendere monte leonem.
Interea magno miſceri murmure cælum
Incipit. inſequitur commixta grandine nimbus.
Et Tyrii comites paſſim, & Trojana juventus,
Dardaniuſque nepos Veneris, diverſa per agros
Tecta metu petiere. ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido dux & Trojanus eamdem
Deveniunt. prima & Tellus & pronuba Juno
Dant ſignum: fulſere ignes, & conſcius æther
Connubiis: ſummoque ulularunt vertice Nymphæ.
Ille dies primus leti primuſque malorum
Cauſſa fuit. neque enim ſpecie famave movetur,
Nec jam furtivum Dido meditatur amorem:
Conjugium vocat. hoc prætexit nomine culpam.
Extemplo Libyæ magnas it Fama per urbes;
Fama, malum qua non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, vireſque adquirit eundo;
Parva metu primo; mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, ira irritata deorum,
Extremam, ut perhibent, Cœo Enceladoque ſororem
Progenuit; pedibus celerem, & pernicibus alis.
Monſtrum horrendum, ingens: cui quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu,
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.
Nocte volat cæli medio terræque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno.
Luce ſedet cuſtos aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes;
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.
Hæc tum multiplici populos ſermone replebat
Gaudens, & pariter facta atque infecta canebat:
Veniſſe Ænean Trojano a ſanguine cretum,
Cui ſe pulchra viro dignetur jungere Dido:
Nunc hiemem inter ſe luxu, quam longa, fovere
Regnorum immemores, turpique cupidine captos.
Hæc paſſim dea fœda virum diffundit in ora.
Protinus ad regem curſus detorquet Iarban,
Incenditque animum dictis, atque aggerat iras.
Hic Hammone ſatus rapta Garamantide Nympha,
Templa Jovi centum, latis immania regnis,
Centum aras poſuit, vigilemque ſacraverat ignem,
Excubias divum æternas, pecudumque cruore
Pingue ſolum, & variis florentia limina ſertis.
Iſque amens animi, & rumore accenſus amaro,
Dicitur ante aras, media inter numina divum,
Multa Jovem manibus ſupplex oraſſe ſupinis:
Jupiter omnipotens, cui nunc Mauruſia pictis
Gens epulata toris Lenæum libat honorem,
Aſpicis hæc? an te, genitor, cum fulmina torques,
Nequidquam horremus? cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miſcent?
Femina, quæ noſtris errans in finibus urbem
Exiguam pretio poſuit, cui litus arandum,
Cuique loci leges dedimus, connubia noſtra
Reppulit, ac dominum Ænean in regna recepit.
Et nunc ille Paris cum ſemiviro comitatu,
Mæonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus, rapto potitur. nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.
Talibus orantem dictis, araſque tenentem
Audiit omnipotens, oculoſque ad mœnia torſit
Regia, & oblitos famæ melioris amantes.
Tum ſic Mercurium alloquitur, ac talia mandat:
Vade age, nate, voca Zephyros, & labere pennis:
Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc
Expectat, fatiſque datas non reſpicit urbes,
Alloquere, & celeres defer mea dicta per auras.
Non illum nobis genetrix pulcherrima talem
Promiſit, Grajumque ideo bis vindicat armis:
Sed fore, qui gravidam imperiis, belloque frementem
Italiam regeret, genus alto a ſanguine Teucri
Proderet, ac totum ſub leges mitteret orbem.
Si nulla accendit tantarum gloria rerum,
Nec ſuper ipſe ſua molitur laude laborem;
Aſcanione pater Romanas invidet arces?
Quid ſtruit; aut qua ſpe inimica in gente moratur?
Nec prolem Auſoniam, & Lavinia reſpicit arva?
Naviget. hæc ſumma eſt: hic noſtri nuntius eſto.
Dixerat. ille patris magni parere parabat
Imperio: & primum pedibus talaria nectit
Aurea: quæ ſublimem alis, ſive æquora ſupra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit. hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit;
Dat ſomnos adimitque, & lumina morte reſignat.
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila: jamque volans apicem & latera ardua cernit
Atlantis duri, cælum qui vertice fulcit;
Atlantis, cinctum aſſidue cui nubibus atris
Piniferum caput & vento pulſatur & imbri:
Nix humeros infuſa tegit: tum flumina mento
Præcipitant ſenis, & glacie riget horrida barba.
Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Conſtitit: hinc toto præceps ſe corpore ad undas
Miſit; avi ſimilis, quæ circum litora, circum
Piſcoſos ſcopulos humilis volat æquora juxta.
Haud aliter terras inter cælumque volabat;
Litus arenoſum Libyæ ventoſque ſecabat
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.
Ut primum alatis tetigit magalia plantis,

Ænean fundantem arces ac tecta novantem
Conſpicit: atque illi ſtellatus jaſpide fulva
Enſis erat, Tyrioque ardebat murice læna,
Demiſſa ex humeris: dives quæ munera Dido
Fecerat, & tenui telas diſcreverat auro.
Continuo invadit: Tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Extruis? heu regni rerumque oblite tuarum!
Ipſe deum tibi me claro demittit Olympo
Regnator, cælum & terras qui numine torquet:
Ipſe hæc ferre jubet celeres mandata per auras.
Quid ſtruis? aut qua ſpe Libycis teris otia terris?
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Nec ſuper ipſe tua moliris laude laborem;
Aſcanium ſurgentem, & ſpes hæredis Iuli
Reſpice; cui regnum Italiæ Romanaque tellus
Debentur. tali Cyllenius ore locutus
Mortales viſus medio ſermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
At vero Æneas aſpectu obmutuit amens,
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæſit.
Ardet abire fuga, dulceſque relinquere terras.
Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat adfatu? quæ prima exordia ſumat?
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In parteſque rapit varias, perque omnia verſat.
Hæc alternanti potior ſententia viſa eſt:
Mneſthea Sergeſtumque vocat, fortemque Cloanthum:
Claſſem aptent taciti, ſocios ad litora cogant;
Arma parent, &, quæ ſit rebus cauſſa novandis,
Diſſimulent. ſeſe interea, quando optima Dido
Neſciat, & tantos rumpi non ſperet amores,
Tentaturum aditus, & quæ molliſſima fandi
Tempora, qui rebus dexter modus. ocyus omnes
Imperio læti parent, ac juſſa faceſſunt.
At regina dolos (quis fallere poſſit amantem?)
Præſenſit, motuſque excepit prima futuros;
Omnia tuta timens. eadem impia fama furenti
Detulit armari claſſem, curſumque parari.
Sævit inops animi, totamque incenſa per urbem
Bacchatur. qualis commotis excita ſacris
Thyas, ubi audito ſtimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cithæron.
Tandem his Ænean compellat vocibus ultro:
Diſſimulare etiam ſperaſti, perfide, tantum
Poſſe nefas? taciruſque mea decedere terra?
Nec te noſter amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hiberno moliris ſidere claſſem,
Et mediis properas aquilonibus ire per altum,
Crudelis? quid ſi non arva aliena domoſque
Ignotas peteres, & Troja antiqua maneret;
Troja per undoſum peteretur claſſibus æquor?
Mene fugis? per ego has lacrimas, dextramque tuam te,
(Quando aliud mihi jam miſeræ nihil ipſa reliqui)
Per connubia noſtra, per inceptos Hymenæos;
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum: miſerere domus labentis, & iſtam,
Oro, ſi quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter Libycæ gentes Nomadumque tyranni
Odere, infenſi Tyrii: te propter eumdem
Extinctus pudor, &, qua ſola ſidera adibam,
Fama prior. cui me moribundam deſeris, hoſpes?
Hoc ſolum nomen quoniam de conjuge reſtat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater
Deſtruat, aut captam ducat Gætulus Iarbas?
Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet
Ante fugam ſoboles, ſi quis mihi parvulus aula
Luderet Æneas, qui te tamen ore referret;
Non equidem omnino capta ac deſerta viderer.
Dixerat. ille Jovis monitis immota tenebat
Lumina, & obnixus curam ſub corde premebat.
Tandem pauca refert: Ego te, quæ plurima fando
Enumerare vales, numquam, regina, negabo
Promeritam: nec me meminiſſe pigebit Eliſæ;
Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos regit artus.
Pro re pauca loquar. neque ego hanc abſcondere furto
Speravi, ne finge, fugam; nec conjugis umquam
Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni.
Me ſi fata meis paterentur ducere vitam
Auſpiciis, & ſponte mea componere curas;
Urbem Trojanam primum dulceſque meorum
Relliquias colerem: Priami tecta alta manerent;
Et recidiva manu poſuiſſem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,
Italiam Lyciæ juſſere capeſſere ſortes.
Hic amor, hæc patria eſt. ſi te Carthaginis arces
Phœniſſam, Libycæque aſpectus detinet urbis;
Quæ tandem, Auſonia Teucros conſidere terra,
Invidia eſt? & nos fas extera quærere regna.
Me patris Anchiſæ, quotiens humentibus umbris
Nox operit terras, quotiens aſtra ignea ſurgunt,
Admonet in ſomnis, & turbida terret imago.
Me puer Aſcanius, capitiſque injuria cari,
Quem regno Heſperiæ fraudo, & fatalibus arvis.
Nunc etiam interpres divum Jove miſſus ab ipſo
(Teſtor utrumque caput) celeres mandata per auras
Detulit. ipſe deum manifeſto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hauſi.
Deſine meque tuis incendere teque querelis:
Italiam non ſponte ſequor.
Talia dicentem jamdudum averſa tuetur
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, & ſic accenſa profatur:
Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide: ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.
Nam quid diſſimulo, aut quæ me ad majora reſervo?
Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit, aut miſeratus amantem eſt?
Quæ quibus anteferam? jam jam nec maxima Juno,
Nec Saturnius hæc oculis Pater aſpicit æquis.
Nuſquam tuta fides. ejectum litore, egentem
Excepi, & regni demens in parte locavi.
Amiſſam claſſem, ſocios a morte reduxi.
Heu furiis incenſa feror! nunc Augur Apollo,
Nunc Lyciæ ſortes, nunc & Jove miſſus ab ipſo
Interpres Divum fert horrida juſſa per auras.
Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos
Sollicitat. neque te teneo, neque dicta refello.
I, ſequere Italiam ventis, pete regna per undas.
Spero equidem mediis, ſi quid pia numina poſſunt,
Supplicia hauſurum ſcopulis, & nomine Dido
Sæpe vocaturum. ſequar atris ignibus abſens:
Et cum frigida mors anima ſeduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero. dabis, improbe, pœnas.
Audiam, & hæc manes veniet mihi fama ſub imos.
His medium dictis ſermonem abrumpit, & auras
Ægra fugit, ſeque ex oculis avertit & aufert,
Linquens multa metu cunctantem, & multa parantem
Dicere. ſuſcipiunt famulæ, collapſaque membra
Marmoreo referunt thalamo, ſtratiſque reponunt.

At pius Æneas, quamquam lenire dolentem
Solando cupit, & dictis avertere curas;
Multa gemens, magnoque animum labefactus amore;
Juſſa tamen Divum exequitur, claſſemque reviſit.
Tum vero Teucri incumbunt, & litore celſas
Deducunt toto naves. natat uncta carina:
Frondenteſque ferunt remos, & robora ſilvis
Infabricata, fugæ ſtudio.
Migrantes cernas, totaque ex urbe ruentes:
Ac veluti ingentem formicæ farris acervum
Cum populant, hiemis memores, tectoque reponunt:
It nigrum campis agmen, prædamque per herbas
Convectant calle anguſto: pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris: pars agmina cogunt,
Caſtigantque moras: opere omnis ſemita fervet.
Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia ſenſus?
Quoſve dabas gemitus, cum litora fervere late
Proſpiceres arce ex ſumma, totumqne videres
Miſceri ante oculos tantis clamoribus æquor?
Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Ire iterum in lacrimas, iterum tentare precando
Cogitur, & ſupplex animos ſubmittere amori:
Ne quid inexpertum fruſtra moritura relinquat.
Anna, vides toto properari litore circum.
Undique convenere: vocat jam carbaſus auras:
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.
Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem,
Et perferre, ſoror, potero. miſeræ hoc tamen unum
Exequere, Anna, mihi. ſolam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere ſenſus:
Sola viri molles aditus, & tempora noras.
I, ſoror, atque hoſtem ſupplex affare ſuperbum:
Non ego cum Danais Trojanam exſcindere gentem
Aulide juravi, claſſemve ad Pergama miſi:
Nec patris Anchiſæ cinerem maneſve revelli.
Cur mea dicta negat duras demittere in aures?
Quo ruit? extremum hoc miſeræ det munus amanti:
Expectet facilemque fugam, ventoſque ferentes.
Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro;
Nec pulchro ut Latio careat, regnumque relinquat.
Tempus inane peto, requiem ſpatiumque furori;
Dum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam: miſerere ſororis:
Quam mihi cum dederis, cumulata morte remittam.
Talibus orabat, taleſque miſerrima fletus
Fertque refertque ſoror: ſed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.
Fata obſtant, placidaſque viri deus obſtruit aures.
Ac velut, annoſo validam cnm robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant, it ſtridor; & alte
Conſternunt terram concuſſo ſtipite frondes:
Ipſa hæret ſcopulis: &, quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in Tartara tendit.
Haud ſecus aſſiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, & magno perſentit pectore curas.
Mens immota manet: lacrimæ volvuntur inanes.
Tum vero infelix fatis exterrita Dido
Mortem orat: tædet cæli convexa tueri.
Quo magis inceptum peragat, lucemque relinquat;
Vidit, thuricremis cum dona imponeret aris,
(Horrendum dictu) latices nigreſcere ſacros,
Fuſaque in obſcœnum ſe vertere vina cruorem.
Hoc viſum nulli, non ipſi effata ſorori.
Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis & feſta fronde revinctum.
Hinc exaudiri voces & verba vocantis
Viſa viri; nox cum terras obſcura teneret:
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri, & longas in fletum ducere voces.
Multaque præterea vatum prædicta piorum
Terribili monitu horrificant. agit ipſe furentem
In ſomnis ferus Aeneas: ſemperque relinqui
Sola ſibi, ſemper longam incomitata videtur
Ire viam, & Tyrios deſerta quærere terra.
Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et ſolem geminum, & duplices ſe oſtendere Thebas:
Aut Agamemnonius ſcenis agitatus Oreſtes,
Armatam facibus matrem & ſerpentibus atris
Dum fugit, ultriceſque ſedent in limine Diræ.
Ergo ubi concepit Furias evicta dolore,
Decrevitque mori; tempus ſecum ipſa modumque
Exigit, &, mæſtam dictis aggreſſa ſororem,
Conſilium vultu tegit, ac ſpem fronte ſerenat:
Inveni, germana, viam, (gratare ſorori)
Quæ mihi reddat eum, vel eo me ſolvat amantem.
Oceani finem juxta, ſolemque cadentem,
Ultimus Æthiopum locus eſt, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.
Hinc mihi Maſſylæ gentis monſtrata ſacerdos,
Heſperidum templi cuſtos, epulaſque draconi
Quæ dabat, & ſacros ſervabat in arbore ramos;
Spargens humida mella ſoporiferumque papaver.
Hæc ſe carminibus promittit ſolvere mentes,
Quas velit; aſt aliis duras immittere curas:
Siſtere aquam fluviis, & vertere ſidera retro:
Nocturnoſque ciet manes. mugire videbis
Sub pedibus terram, & deſcendere montibus ornos.
Teſtor, cara, deos, & te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artes.
Tu ſecreta pyram tecto interiore ſub auras
Erige, & arma viri, thalamo quæ fixa reliquit
Impius, exuviaſque omnes, lectumque jugalem,
Quo perii, ſuperimponas. abolere nefandi
Cuncta viri monumenta jubet monſtratque Sacerdos.
Hæc effata ſilet. pallor ſimul occupat ora.
Non tamen Anna novis prætexere funera ſacris
Germanam credit, nec tantos mente furores
Concipit, aut graviora timet, quam morte Sichæi.
Ergo juſſa parat.
At regina pyra penetrali in ſede ſub auras
Erecta ingenti, tædis atque ilice ſecta,
Intenditque locum ſertis, & fronde coronat
Funerea: ſuper exuvias, enſemque relictum,
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.
Stant aræ circum & crines effuſa ſacerdos
Tercentum tonat ore deos, Erebumque Chaoſque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.
Sparſerat & latices ſimulatos fontis Averni:
Falcibus & meſſæ ad lunam quæruntur aenis
Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni:
Quæritur & naſcentis equi de fronte revulſus,
Et matri præreptus amor.
Ipſa mola, manibuſque piis, altaria juxta,
Unum exuta pedem vinclis, in veſte recincta,
Teſtatur moritura deos, & conſcia fati
Sidera: tum, ſi quod non æquo fœdere amantes
Curæ numen habet, juſtumque memorque precatur.
Nox erat; & placidum carpebant feſſa ſoporem
Corpora per terras, ſilvæque & ſæva quierant
Æquora: cum medio volvuntur ſidera lapſu,

Cum

Cum tacet omnis ager: pecudes, pictæque volucres,
Quæque lacus late liquidos, quæque aſpera dumis
Rura tenent, ſomno poſitæ ſub nocte ſilenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.
At non infelix animi Phœniſſa, neque umquam
Solvitur in ſomnos, oculiſve aut pectore noctem
Accipit. ingeminant curæ: rurſuſque reſurgens
Sævit amor, magnoque irarum fluctuat æſtu.
Sic adeo inſiſtit, ſecumque ita corde volutat:
En quid ago? rurſuſne procos irriſa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia ſupplex,
Quos ego ſim toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur claſſes atque ultima Teucrum
Juſſa ſequar? quiane auxilio juvat ante levatos,
Et bene apud memores veteris ſtat gratia facti?
Quis me autem (fac velle) ſinet; ratibuſve ſuperbis
Inviſam accipiet? neſcis heu, perdita, necdum
Laomedonteæ ſentis perjuria gentis?
Quid tum? ſola fuga nautas comitabor ovantes?
An Tyriis, omnique manu ſtipata meorum
Inferar? & quos Sidonia vix urbe revelli,
Rurſus agam pelago, & ventis dare vela jubebo?
Quin morere, ut merita es; ferroque averte dolorem.
Tu lacrimis evicta meis, tu prima furentem
His, germana, malis oneras, atque objicis hoſti.
Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam
Degere more feræ, tales nec tangere curas?
Non ſervata fides, cineri promiſſa Sichæo.
Tantos illa ſuo rumpebat pectore queſtus.
Æneas celſa in puppi, jam certus eundi,
Carpebat ſomnos, rebus jam rite paratis.
Huic ſe forma dei vultu redeuntis eodem
Obtulit in ſomnis, rurſuſque ita viſa monere eſt;
Omnia Mercurio ſimilis, vocemque coloremque,
Et crines flavos, & membra decora juventæ:
Nate dea, potes hoc ſub caſu ducere ſomnos?
Nec, quæ circumſtent te deinde pericula, cernis?
Demens! nec zephyros audis ſpirare ſecundos?
Illa dolos, dirumque nefas in pectore verſat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat æſtu.
Non fugis hinc præceps, dum præcipitare poteſtas?
Jam mare turbari trabibus, ſævaſque videbis
Collucere faces, jam fervere litora flammis;
Si te his attigerit terris Aurora morantem.
Eja age, rumpe moras. varium & mutabile ſemper
Femina. ſic fatus nocti ſe immiſcuit atræ.
Tum vero Æneas, ſubitis exterritus umbris,
Corripit e ſomno corpus, ſocioſque fatigat:
Præcipites vigilate, viri, & conſidite tranſtris:
Solvite vela citi. deus æthere miſſus ab alto,
Feſtinare fugam, tortoſque incidere funes,
Ecce iterum ſtimulat. ſequimur te, ſancte deorum,
Quiſquis es, imperioque iterum paremus ovantes.
Adſis o, placiduſque juves, & ſidera cælo
Dextra feras. dixit: vaginaque eripit enſem
Fulmineum, ſtrictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnes ſimul ardor habet; rapiuntque, ruuntque,
Litora deſeruere: latet ſub claſſibus æquor.
Adnixi torquent ſpumas, & cærula verrunt.
Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Regina e ſpeculis ut primum albeſcere lucem
Vidit, & æquatis claſſem procedere velis,
Litoraque, & vacuos ſenſit ſine remige portus;
Terque quaterque manu pectus percuſſa decorum,
Flaventeſque abſciſſa comas, proh Jupiter! ibit
Hic, ait; & noſtris illuſerit advena regnis?
Non arma expedient, totaque ex urbe ſequentur,
Diripientque rates alii navalibus? ite,
Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.
Quid loquor? aut ubi ſum? quæ mentem inſania mutat?
Infelix Dido, nunc te fata impia tangunt.
Tum decuit, cum ſceptra dabas. en dextra fideſque!
Quem ſecum patrios ajunt portare Penates:
Quem ſubiiſſe humeris confectum ætate parentem!
Non potui abreptum divellere corpus, & undis
Spargere? non ſocios, non ipſum abſumere ferro
Aſcanium, patriiſque epulandum apponere menſis?
Verum anceps pugnæ fuerat fortuna: fuiſſet.
Quem metui moritura? faces in caſtra tuliſſem,
Impleſſemque foros flammis, natumque, patremque
Cum genere exſtinxem; memet ſuper ipſa dediſſem.
Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtras,
Tuque harum interpres curarum, & conſcia Juno,
Nocturniſque Hecate triviis ululata per urbes,
Et diræ ultrices, & di morientis Eliſæ,
Accipite hæc; meritumque malis advertite numen,
Et noſtras audite preces. ſi tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare neceſſe eſt;
Et ſi fata Jovis poſcunt; hic terminus hæret:
At bello audacis populi vexatus & armis,
Finibus extorris, complexu avulſus Iuli
Auxilium imploret, videatque indigna ſuorum
Funera: nec cum ſe ſub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno, aut optata luce fruatur.
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.
Hæc precor: hanc vocem extremam cum ſangine fundo.
Tum vos, o Tyrii, ſtirpem, & genus omne futurum
Exercete odiis, cinerique hæc mittite noſtro
Munera. nullus amor populis, nec fœdera ſunto.
Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque ſequare colonos,
Nunc, olim, quocumque dabunt ſe tempore vires:
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis: pugnent ipſique nepotes.
Hæc ait, & partes animum verſabat in omnes;
Inviſam quærens quam primum abrumpere lucem.
Tum breviter Barcen nutricem affata Sichæi;
Namque ſuam patria antiqua cinis ater habebat:
Annam, cara, mihi, nutrix, huc ſiſte ſororem:
Dic corpus properet fluviali ſpargere lympha,
Et pecudes ſecum & monſtrata piacula ducat:
Sic veniat. tuque ipſa pia tege tempora vitta.
Sacra Jovi Stygio, quæ rite incepta paravi,
Perficere eſt animus, finemque imponere curis;
Dardaniique rogum capitis permittere flammæ.
Sic ait. illa gradum ſtudio celerabat anili.
At trepida, & cœptis immanibus effera Dido,
Sanguineam volvens aciem, maculiſque trementes
Interfuſa genas, & pallida morte futura,
Interiora domus irrumpit limina, & altos
Conſcendit furibunda rogos, enſemque recludit
Dardanium, non hos quæſitum munus in uſus.
Hic, poſtquam Iliacas veſtes notumque cubile
Conſpexit, paulum lacrimis & mente morata,
Incubuitque toro, dixitque noviſſima verba:
Dulces exuviæ, dum fata deuſque ſinebant,
Accipite hanc animam, meque his exſolvite curis.
Vixi, &, quem dederat curſum fortuna, peregi;
Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.
Urbem præclaram ſtatui: mea mœnia vidi:
Ulta virum, pœnas inimico a fratre recepi:

Felix, heu nimium felix, ſi litora tantum
Numquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ!
Dixit, &, os impreſſa toro, Moriemur inultæ?
Sed moriamur, ait. ſic, ſic juvat ire ſub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, & noſtræ ſecum ferat omina mortis.
Dixerat. atque illam media inter talia ferro
Collapſam aſpiciunt comites, enſemque cruore
Spumantem, ſparſaſque manus. it clamor ad alta
Atria: concuſſam bacchatur fama per urbem.
Lamentis, gemituque, & femineo ululatu
Tecta fremunt: reſonat magnis plangoribus æther.
Non aliter, quam ſi immiſſis ruat hoſtibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros; flammæque furentes
Culmina perque hominum volvantur perque deorum.
Audiit exanimis, trepidoque exterrita curſu,
Unguibus ora ſoror fœdans, & pectora pugnis,
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iſte mihi, hoc ignes aræque parabant?
Quid primum deſerta querar? comitemne ſororem
Spreviſti moriens? eadem me ad fata vocaſſes:
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tuliſſet.
His etiam ſtruxi manibus, patrioſque vocavi
Voce deos, ſic te ut poſita crudelis abeſſem?
Exſtinxti me teque, ſoror, populumque, patreſque
Sidonios, urbemque tuam. date vulnera lymphis
Abluam, &, extremus ſi quis ſuper halitus errat,
Ore legam. ſic fata gradus evaſerat altos,
Semianimemque ſinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu, atque atros ſiccabat veſte cruores.
Illa graves oculos conata attollere, rurſus
Deficit. infixum ſtridit ſub pectore vulnus.
Ter ſeſe attollens cubitoque adnixa levavit:
Ter revoluta toro eſt, oculiſque errantibus alto
Quæſivit cælo lucem, ingemuitque reperta.
Tum Juno omnipotens, longum miſerata dolorem,
Difficileſque obitus, Irim demiſit Olympo,
Quæ luctantem animam nexoſque reſolveret artus.
Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed miſera ante diem, ſubitoque accenſa furore,
Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.
Ergo Iris croceis per cælum roſcida pennis,
Mille trahens varios adverſo ſole colores,
Devolat, & ſupra caput adſtitit: Hunc ego Diti
Sacrum juſſa fero, teque iſto corpore ſolvo.
Sic ait, & dextra crinem ſecat. omnis & una
Dilapſus calor, atque in ventos vita receſſit.

Æ N E I D O S
L I B E R V.

Interea medium Æneas jam claſſe tenebat
Certus iter, fluctuſque atros aquilone ſecabat,
Mœnia reſpiciens, quæ jam infelicis Eliſæ
Collucent flammis. quæ tantum accenderit ignem
Cauſa latet: duri magno ſed amore dolores
Polluto, notumque furens quid femina poſſit,
Triſte per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Ut pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla
Occurrit tellus; maria undique, & undique cælum:
Olli cæruleus ſupra caput adſtitit imber,
Noctem hiememque ferens, & inhorruit unda tenebris.
Ipſe gubernator puppi Palinurus ab alta:
Heu! quianam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quidve, pater Neptune, paras? ſic deinde locutus
Colligere arma jubet, validiſque incumbere remis;
Obliquatque ſinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime Ænea, non, ſi mihi Jupiter auctor
Spondeat, hoc ſperem Italiam contingere cælo.
Mutati tranſverſa fremunt, & veſpere ab atro
Conſurgunt venti, atque in nubem cogitur aer.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus, ſuperat quoniam Fortuna, ſequamur:
Quoque vocat, vertamus iter. nec litora longe
Fida reor fraterna Erycis, portuſque Sicanos:
Si modo rite memor ſervata remetior aſtra.
Tum pius Æneas: Equidem ſic poſcere ventos
Jamdudum; & fruſtra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. an ſit mihi gratior ulla,
Quove magis feſſas optem dimittere naves,
Quam quæ Dardanium tellus mihi ſervat Aceſten,
Et patris Anchiſæ gremio complectitur oſſa?
Hæc ubi dicta, petunt portus: & vela ſecundi
Intendunt zephyri. fertur cita gurgite claſſis:
Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.
At procul excelſo miratus vertice montis
Adventum ſociaſque rates, occurrit Aceſtes,
Horridus in jaculis & pelle Libyſtidis urſæ:
Troia Criniſo conceptum flumine mater
Quem genuit. verum non immemor ille parentum
Gratatur reduces, & gaza lætus agreſti
Excipit, ac feſſos opibus ſolatur amicis.
Poſtera cum primo ſtellas Oriente fugarat
Clara dies; ſocios in cœtum litore ab omni
Advocat Æneas, tumulique ex aggere fatur:
Dardanidæ magni, genus alto a ſanguine divum,
Annuus exactis completur menſibus orbis,
Ex quo relliquias divinique oſſa parentis
Condidimus terra, mæſtaſque ſacravimus aras.
Jamque dies (ni fallor) adeſt, quem ſemper acerbum,
Semper honoratum (ſic di voluiſtis) habebo.
Hunc ego, Gætulis agerem ſi Syrtibus exul,
Argolicove mari deprenſus, & urbe Mycenæ;
Annua vota tamen ſolemneſque ordine pompas
Exequerer; ſtrueremque ſuis altaria donis.
Nunc ultro ad cineres ipſius & oſſa parentis,
Haud equidem ſine mente, reor, ſine numine divum
Adſumus, & portus delati intramus amicos.
Ergo agite, & lætum cuncti celebremus honorem:
Poſcamus ventos, atque hæc me ſacra quotannis
Urbe velit poſita templis ſibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Troja generatus Aceſtes
Dat numero capita in naves. adhibete Penates
Et patrios epulis, & quos colit hoſpes Aceſtes.
Præterea, ſi nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiiſque retexerit orbem,
Prima citæ Teucris ponam certamina claſſis.
Quique pedum curſu valet, & qui viribus audax,
Aut jaculo incedit melior, levibuſque ſagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere cæſtu:
Cuncti adſint, meritæque exſpectent præmia palmæ.
Ore favete omnes, & cingite tempora ramis.
Sic fatus, velat materna tempora myrto.
Hoc Helymus facit, hoc ævi maturus Aceſtes,
Hoc puer Aſcanius: ſequitur quos cetera pubes.
Ille e concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
Hic duo rite mero libans carcheſia Baccho,
Fundit humi, duo lacte novo, duo ſanguine ſacro,
Purpu-

Purpureoſque jacit flores, ac talia fatur:
Salve, ſancte parens: iterum ſalvete recepti
Nequidquam cineres, animæque umbræque paternæ.
Non licuit fines Italos fataliaque arva,
Non tecum Auſonium, quicumque eſt, quærere Tybrim.
Dixerat hæc: adytis cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit,
Amplexus placide tumulum, lapſuſque per aras:
Cæruleæ cui terga notæ, maculoſus & auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille trahit varios adverſo ſole colores.
Obſtupuit viſu Æneas. ille agmine longo
Tandem inter pateras, & levia pocula ſerpens,
Libavitque dapes, rurſuſque innoxius imo
Succeſſit tumulo, & depaſta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori inſtaurat honores
Incertus geniumne loci, famulumne parentis
Eſſe putet: cædit quinas de more bidentes,
Totque ſues, totidem nigrantes terga juvencos:
Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchiſæ magni, maneſque Acheronte remiſſos.
Nec non & ſocii, quæ cuique eſt copia, læti
Dona ferunt: onerantque aras, mactantquê juvencos.
Ordine ahena locant alii, fuſique per herbam
Subjiciunt veribus prunas; & viſcera torrent.
Expectata dies aderat, nonamque ſerena
Auroram Phaethontis equi jam luce vehebant:
Famaque finitimos & clari nomen Aceſtæ
Excierat. læto complerant litora cœtu
Viſuri Æneadas, pars & certare parati.
Munera principio ante oculos circoque locantur
In medio ſacri tripodes, virideſque coronæ,
Et palmæ, pretium victoribus, armaque, & oſtro
Perfuſæ veſtes, argenti aurique talentum:
Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt gravibus certamina remis
Quatuor, ex omni delectæ claſſe, carinæ.
Velocem Mneſtheus agit acri remige Priſtin,
Mox Italus Mneſtheus, genus a quo nomine Memmi,
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram,
Urbis opus: triplici pubes quam Dardana verſu
Impellunt; terno conſurgunt ordine remi.
Sergeſtuſque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magna; Scyllaque Cloanthus
Cærulea: genus unde tibi, Romane Cluenti.
Eſt procul in pelago ſaxum ſpumantia contra
Litora, quod tumidis ſubmerſum tunditur olim
Fluctibus, hiberni condunt ubi ſidera Cori:
Tranquillo ſilet, immotaque attollitur unda
Campus & apricis ſtatio gratiſſima mergis.
Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Conſtituit ſignum nautis pater: unde reverti
Scirent, & longos ubi circumflectere curſus.
Tum loca ſorte legunt, ipſique in puppibus auro
Ductores longe effulgent oſtroque decori.
Cetera populea velatur fronde juventus,
Nudatoſque humeros oleo perfuſa niteſcit.
Conſidunt tranſtris, intentaque brachia remis:
Intenti expectant ſignum, exultantiaque haurit
Corda pavor pulſans, laudumque arrecta cupido.
Inde, ubi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes
(Haud mora) proſiluere ſuis: ferit æthera clamor
Nauticus: adductis ſpumant freta verſa lacertis.
Infindunt pariter ſulcos, totumque dehiſcit
Convulſum remis roſtriſque tridentibus æquor.
Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripuere, ruuntque effuſi carcere currus:
Nec ſic immiſſis aurigæ undantia lora
Concuſſere jugis, proniquę in verbera pendent.
Tum plauſu, fremituque virum, ſtudiiſque faventum
Conſonat omne nemus: voceſque incluſa volutant
Litora: pulſati colles clamore reſultant.
Effugit ante alios, primiſque elabitur undis
Turbam inter fremitumque Gyas: quem deinde Cloanthus
Conſequitur, melior remis: ſed pondere pinus
Tarda tenet. poſt hos æquo diſcrimine Priſtis
Centauruſque locum tendunt ſuperare priorem.
Et nunc Priſtis habet, nunc victam præterit ingens
Centaurus: nunc una ambæ junctiſque feruntur
Frontibus, & longa ſulcant vada ſalſa carina.
Jamque propinquabant ſcopulo, metamque tenebant:
Cum princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis compellat voce Menæten:
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige greſſum,
Litus ama, & lævas ſtringat ſine palmula cautes;
Altum alii teneant. dixit. ſed cæca Menœtes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas.
Quo diverſus abis? iterum pete ſaxa, Menœte,
Cum clamore Gyas revocabat: & ecce Cloanthum
Reſpicit inſtantem tergo, & propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyæ, ſcopuloſque ſonantes
Radit iter lævum interior, ſubituſque priorem
Præterit, & metis tenet æquora tuta relictis.
Tum vero exarſit juveni dolor oſſibus ingens:
Nec lacrimis caruere genæ. ſegnemque Menæten,
Oblitus decoriſque ſui, ſociumque ſalutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.
Ipſe gubernaclo rector ſubit, ipſe magiſter:
Hortaturque viros, clavumque ad litora torquet.
At gravis ut fundo vix tandem redditus imo eſt
Jam ſenior, madidaque fluens in veſte, Menætes;
Summa petit ſcopuli, ſiccaque in rupe reſedit.
Illum & labentem Teucri, & riſere natantem.
Et ſalſos rident revomentem pectore fluctus.
Hic læta extremis ſpes eſt accenſa duobus
Sergeſto Mneſtheique, Gyan ſuperare morantem.
Sergeſtus capit ante locum, ſcopuloque propinquat:
Nec tota tamen ille prior præeunte carina:
Parte prior: partem roſtro premit æmula Priſtis.
At media ſocios incedens nave per ipſos
Hortatur Mneſtheus: Nunc, nunc inſurgite remis,
Hectorei ſocii; Trojæ quos ſorte ſuprema
Delegi comites: nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Gætulis Syrtibus uſi,
Jonioque mari, Maleæque ſequacibus undis.
Non jam prima peto Mneſtheus, neque vincere certo.
Quamquam o! ſed ſuperent, quibus hoc, Neptune, dediſti.
Extremos pudeat rediiſſe. hoc vincite, cives,
Et prohibete nefas. olli certamine ſummo
Procumbunt: vaſtis tremit ictibus ærea puppis,
Subtrahiturque ſolum. tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit. ſudor fluit undique rivis.
Attulit ipſe viris optatum caſus honorem.
Namque furens animi, dum proram ad ſaxa ſuburget
Interior, ſpatioque ſubit Sergeſtus iniquo;
Infelix ſaxis in procurrentibus hæſit.
Concuſſæ cautes, & acuto in murice remi
Obnixi crepuere, illiſaque prora pependit.
Conſurgunt nautæ, & magno clamore morantur:
Ferrataſque trudes, & acuta cuſpide contos

Expe-

Expediunt; fractoſque legunt in gurgite remos.
At lætus Mneſtheus, ſucceſſuque acrior ipſo,
Agmine remorum celeri, ventiſque vocatis,
Prona petit maria, & pelago decurrit aperto.
Qualis ſpelunca ſubito commota columba,
Cui domus & dulces latebroſo in pumice nidi,
Fertur in arva volans, plauſumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aëre lapſa quieto
Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.
Sic Mneſtheus, ſic ipſa fuga ſecat ultima Priſtis
Æquora: ſic illam fert impetus ipſe volantem.
Et primum in ſcopulo luctantem deſerit alto
Sergeſtum, brevibuſque vadis, fruſtraque vocantem
Auxilia, & fractis diſcentem currere remis.
Inde Gyan, ipſamque ingenti mole Chimæram
Conſequitur. cedit: quoniam ſpoliata magiſtro eſt.
Solus jamque ipſo ſupereſt in fine Cloanthus:
Quem petit, & ſummis adnixus viribus urget.
Tum vero ingeminat clamor, cunctique ſequentem
Inſtigant ſtudiis: reſonatque fragoribus æther.
Hi proprium decus, & partum indignantur honorem,
Ni teneant: vitamque volunt pro laude paciſci.
Hos ſucceſſus alit: poſſunt, quia poſſe videntur.
Et fors æquatis cepiſſent præmia roſtris:
Ni, palmas ponto tendens utraſque, Cloanthus
Fudiſſetque preces, divoſque in vota vocaſſet:
Di, quibus imperium eſt pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in litore taurum
Conſtituam ante aras voti reus, extaque ſalſos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.
Dixit, eumque imis ſub fluctibus audiit omnis
Nereidum Phorcique chorus, Panopeaque virgo;
Et pater ipſe manu magna Portunus euntem
Impulit. illa noto citius volucrique ſagitta
Ad terram fugit, & portu ſe condidit alto.
Tum ſatus Anchiſa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna præconis voce Cloanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro:
Muneraque in naves ternos optare juvencos,
Vinaque, & argenti magnum dat ferre talentum.
Ipſis præcipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura mæandro duplici Melibœa cucurrit:
Intextuſque puer frondoſa regius Ida
Veloces jaculo cervos curſuque fatigat
Acer, anhelanti ſimilis: quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.
Longævi palmas nequidquam ad ſidera tendunt
Cuſtodes; ſævitque canum latratus in auras.
At qui deinde locum tenuit virtute ſecundum,
Levibus huic hamis conſertam auroque trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipſe
Victor apud rapidum Simoenta ſub Ilio alto,
Donat habere viro, decus & tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagariſque ferebant
Multiplicem, connixi humeris. indutus at olim
Demoleus curſu palantes Troas agebat.
Tertia dona facit geminos ex ære lebetas;
Cymbiaque argento perfecta, atque aſpera ſignis.
Jamque adeo donati omnes, opibuſque ſuperbi,
Puniceis ibant evincti tempora tæniis:
Cum ſævo e ſcopulo multa vix arte revulſus,
Amiſſis remis, atque ordine debilis uno,
Irriſam ſine honore ratem Sergeſtus agebat.
Qualis ſæpe viæ deprenſus in aggere ſerpens,
Ærea quem obliquum rota tranſiit, aut gravis ictu
Seminecem liquit ſaxo lacerumque viator,
Nequidquam longos fugiens dat corpore tortus;
Parte ferox, ardenſque oculis, & ſibila colla
Arduus attollens; pars vulnere clauda retentat
Nexantem nodis, ſeque in ſua membra plicantem.
Tali remigio navis ſe tarda movebat:
Vela facit tamen, & velis ſubit oſtia plenis.
Sergeſtum Æneas promiſſo munere donat,
Servatam ob navem lætus, ſociosque reductos.
Olli ſerva datur, operum haud ignara Minervæ,
Creſſa genus Pholoe, geminique ſub ubere nati.
Hoc pius Æneas miſſo certamine tendit
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant ſilvæ: mediaque in valle theatri
Circus erat, quo ſe multis cum millibus heros
Conſeſſu medium tulit, extructoque reſedit.
Hic, qui forte velint rapido contendere curſu,
Invitat pretiis animos, & præmia ponit.
Undique conveniunt Teucri, mixtique Sicani,
Niſus & Euryalus primi.
Euryalus forma inſignis, viridique juventa;
Niſus amore pio pueri. quos deinde ſecutus
Regius egregia Priami de ſtirpe Diores.
Hunc Salius, ſimul & Patron: quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadio Tegeææ ſanguine gentis.
Tum duo Trinacrii juvenes Helymus Panopeſque,
Aſſueti ſilvis, comites ſenioris Aceſtæ.
Multi præterea, quos fama obſcura recondit.
Æneas quibus in mediis ſic deinde locutus:
Accipite hæc animis, lætaſque advertite mentes:
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnoſſia bina dabo levato lucida ferro
Spicula, cælatamque argento ferre bipennem.
Omnibus hic erit unus honos. tres præmia primi
Accipient, flavaque caput nectentur oliva.
Primus equum phaleris inſignem victor habeto:
Alter Amazoniam pharetram, plenamque ſagittis
Threiciis: lato quam circumplectitur auro
Balteus, & tereti ſubnectit fibula gemma.
Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Hæc ubi dicta, locum capiunt, ſignoque repente
Corripiunt ſpatia audito, limenque relinquunt,
Effuſi nimbo ſimiles: ſimul ultima ſignant.
Primus abit, longeque ante omnia corpora Niſus
Emicat, & ventis & fulminis ocyor alis.
Proximus huic, longo ſed proximus intervallo,
Inſequitur Salius: ſpatio poſt deinde relicto
Tertius Euryalus.
Euryalumque Helymus ſequitur: quo deinde ſub ipſo
Ecce volat, calcemque terit jam calce Diores,
Incumbens humero: ſpatia & ſi plura ſuperſint,
Tranſeat elapſus prior, ambiguumque relinquat.
Jamque fere ſpatio extremo, feſſique ſub ipſam
Finem adventabant; levi cum ſanguine Niſus
Labitur infelix: cæſis ut forte juvencis
Fuſus humum virideſque ſuper madefecerat herbas.
Hic juvenis jam victor ovans veſtigia preſſo
Haud tenuit titubata ſolo: ſed pronus in ipſo
Concidit immundoque fimo ſacroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum:
Nam ſeſe oppoſuit Salio per lubrica ſurgens.
Ille autem ſpiſſa jacuit revolutus arena.
Emicat Euryalus, & munere victor amici
Prima tenet, plauſuque volat fremituque ſecundo.
Poſt Helymus ſubit, & nunc tertia palma Diores.
Hic totum caveæ conſeſſum ingentis, & ora

Prima patrum magnis Salius clamoribus implet;
Ereptumque dolo reddi ſibi poſcit honorem.
Tutatur favor Euryalum, lacrimæque decoræ,
Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.
Adjuvat, & magna proclamat voce Diores:
Qui ſubiit palmæ, fruſtraque ad præmia venit
Ultima, ſi primi Salio redduntur honores.
Tum pater Æneas, Veſtra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri; & palmam movet ordine nemo:
Me liceat caſus miſerari inſontis amici.
Sic fatus, tergum Gætuli immane leonis
Dat Salio, villis oneroſum atque unguibus aureis.
Hic Niſus, Si tanta, inquit, ſunt præmia victis,
Et te lapſorum miſeret; quæ munera Niſo
Digna dabis? primam merui qui laude coronam;
Ni me, quæ Salium, fortuna inimica tuliſſet.
Et ſimul his dictis faciem oſtentabat, & udo
Turpia membra fimo. riſit pater optimus olli,
Et clypeum efferri juſſit, Didymaonis artes,
Neptuni ſacro Danais de poſte refixum.
Hoc juvenem egregium præſtanti munere donat.
Poſt ubi confecti curſus, & dona peregit:
Nunc ſi cui virtus animuſque in pectore præſens,
Adſit, & evinctis attollat brachia palmis.
Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem:
Victori velatum auro vittiſque juvencum;
Enſem, atque inſignem galeam, ſolatia victo.
Nec mora; continuo vaſtis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virum ſe murmure tollit:
Solus qui Paridem ſolitus contendere contra:
Idemque ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui ſe
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, & fulva moribundum extendit arena.
Talis prima Dares caput altum in prælia tollit,
Oſtenditque humeros latos, alternaque jactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.
Quæritur huic alius: nec quiſquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibuſque inducere cæſtus.
Ergo alacris, cunctoſque putans excedere palma,
Æneæ ſtetit ante pedes: nec plura moratus,
Tum læva taurum cornu tenet, atque ita fatur:
Nate Dea, ſi nemo audet ſe credere pugnæ,
Quæ finis ſtandi? quo me decet uſque teneri?
Ducere dona jube. cuncti ſimul ore fremebant
Dardanidæ, reddique viro promiſſa jubebant.
Hic gravis Entellum dictis caſtigat Aceſtes,
Proxumus ut viridante toro conſederat herbæ:
Entelle, heroum quondam fortiſſime fruſtra,
Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona ſines? ubi nunc nobis Deus ille, magiſter
Nequidquam memoratus Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam, & ſpolia illa tuis pendentia tectis?
Ille ſub hæc: Non laudis amor, nec gloria ceſſit
Pulſa metu: ſed enim gelidus tardante ſenecta
Sanguis hebet, frigentque effœtæ in corpore vires.
Si mihi, quæ quondam fuerat, quaque improbus iſte
Exultat fidens, ſi nunc foret illa juventas:
Haud equidem pretio inductus pulchroque juvenco
Veniſſem: nec dona moror. ſic deinde locutus,
In medium geminos immani pondere cæſtus
Projecit; quibus acer Eryx in prælia ſuetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.
Obſtupuere animi. tantorum ingentia ſeptem
Terga boum plumbo inſuto ferroque rigebant.
Ante omnes ſtupet ipſe Dares, longeque recuſat:
Magnanimuſque Anchiſiades & pondus & ipſa
Huc illuc vinclorum immenſa volumina verſat.
Tum ſenior tales referebat pectore voces:
Quid, ſi quis cæſtus ipſius & Herculis arma
Vidiſſet, triſtemque hoc ipſo in litore pugnam?
Hæc germanus Eryx quondam tuus arma gerebat.
Sanguine cernis adhuc ſparſoque infecta cerebro.
His magnum Alciden contra ſtetit: his ego ſuetus;
Dum melior vires ſanguis dabat, æmula necdum
Temporibus geminis canebat ſparſa ſenectus.
Sed, ſi noſtra Dares hæc Troius arma recuſat,
Idque pio ſedet Æneæ, probat auctor Aceſtes;
Æquemus pugnas. Erycis tibi terga remitto:
Solve metus, & tu Trojanos exue cæſtus.
Hæc fatus, duplicem ex humeris rejecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna oſſa lacertoſque
Exuit, atque ingens media conſiſtit arena.
Tum ſatus Anchiſa cæſtus pater extulit æquos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.
Conſtitit in digitos extemplo arrectus uterque,
Brachiaque ad ſuperas interritus extulit auras.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu:
Immiſcentque manus manibus, pugnamque laceſſunt.
Ille pedum melior motu, fretuſque juventa:
Hic membris & mole valens: ſed tarda trementi
Genua labant: vaſtos quatit æger anhelitus artus.
Multa viri nequidquam inter ſe vulnera jactant,
Multa cavo lateri ingeminant, & pectore vaſtos
Dant ſonitus, erratque aures & tempora circum
Crebra manus: duro crepitant ſub vulnere malæ.
Stat gravis Entellus, niſuque immotus eodem,
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.
Ille, velut celſam oppugnat qui molibus urbem,
Aut montana ſedet circum caſtella ſub armis,
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum; & variis aſſultibus irritus urget.
Oſtendit dextram inſurgens Entellus, & alte
Extulit: ille ictum venientem a vertice velox
Prævidit, celerique elapſus corpore ceſſit.
Entellus vires in ventum effudit; & ultro
Ipſe gravis, graviterque ad terram pondere vaſto
Concidit: ut quondam cava concidit aut Erymantho,
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.
Conſurgunt ſtudiis Teucri & Trinacria pubes:
It clamor cælo, primuſque accurrit Aceſtes,
Æquævumque ab humo miſerans attollit amicum.
At non tardatus caſu neque territus heros,
Acrior ad pugnam redit, ac vim ſuſcitat ira.
Tum pudor incendit vires, & conſcia virtus:
Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille ſiniſtra.
Nec mora, nec requies. quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant; ſic denſis ictibus heros
Creber utraque manu pulſat verſatque Dareta.
Tum pater Æneas procedere longius iras,
Et ſævire animis Entellum haud paſſus acerbis;
Sed finem impoſuit pugnæ, feſſumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis: ac talia fatur:
Infelix, quæ tanta animum dementia cepit?
Non vires alias, converſaque Numina ſentis?
Cede deo. dixitque, & prælia voce diremit.
Aſt illum fidi æquales, genua ægra trahentem,
Jactantemque utroque caput, craſſumque cruorem
Ore ejectantem, mixtoſque in ſanguine dentes,
Ducunt ad naves; galeamque enſemque vocati
Accipiunt: palmam Entello taurumque relinquunt.

Hic

Hic victor, ſuperans animis, tauroque ſuperbus,
Nate dea, voſque hæc, inquit, cognoſcite, Teucri;
Et mihi quæ fuerint juvenili in corpore vires,
Et qua ſervetis revocatum a morte Dareta.
Dixit, & adverſi contra ſtetit ora juvenci,
Qui donum aſtabat pugnæ, duroſque reducta
Libravit dextra media inter cornua cæſtus
Arduus, effractoque illiſit in oſſa cerebro.
Sternitur, exanimiſque tremens procumbit humi bos.
Ille ſuper tales effundit pectore voces:
Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Perſolvo: hic victor cæſtus artemque repono.
Protinus Æneas celeri certare ſagitta
Invitat, qui forte velint; & præmia ponit:
Ingentique manu malum de nave Sereſti
Erigit, & volucrem trajecto in fune columbam,
Quo tendant ferrum, malo ſuſpendit ab alto.
Convenere viri: dejectamque ærea ſortem
Accepit galea: & primus clamore ſecundo
Hyrtacidæ ante omnes exit locus Hippocoontis:
Quem modo navali Mneſtheus certamine victor
Conſequitur, viridi Mneſtheus evinctus oliva.
Tertius Eurytion, tuus, o clariſſime, frater,
Pandare: qui quondam, juſſus confundere fœdus,
In medios telum torſiſti primus Achivos.
Extremus, galeaque ima ſubſedit Aceſtes;
Auſus & ipſe manu juvenum tentare laborem.
Tum validis flexos incurvant viribus arcus
Pro ſe quiſque viri, & depromunt tela pharetris.
Primaque per cælum nervo ſtridente ſagitta
Hyrtacidæ juvenis volucres diverberat auras:
Et venit, adverſique infigitur arbore mali.
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales, & ingenti ſonuerunt omnia plauſu.
Poſt acer Mneſtheus adducto conſtitit arcu,
Alta petens: pariterque oculos telumque tetendit.
Aſt ipſam miſerandus avem contingere ferro
Non valuit: nodos & vincula linea rupit,
Queis innexa pedem malo pendebat ab alto.
Illa notos atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus jam dudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit,
Jam vacuo lætam cælo ſpeculatus; & alis
Plaudentem nigra figit ſub nube columbam.
Decidit exanimis, vitamque reliquit in aſtris
Ætheriis, fixamque refert delapſa ſagittam.
Amiſſa ſolus palma ſuperabat Aceſtes:
Qui tamen aerias telum contendit in auras,
Oſtentans artem pariter, arcumque ſonantem.
Hic oculis ſubitum objicitur magnoque futurum
Augurio monſtrum. docuit poſt exitus ingens:
Seraque terrifici cecinerunt omina vates.
Namque volans liquidis in nubibus arſit arundo,
Signavitque viam flammis, tenueſque receſſit
Conſumta in ventos: cælo ceu ſæpe refixa
Tranſcurrunt crinemque volantia ſidera ducunt.
Attonitis hæſere animis, Superoſque precati
Trinacrii Teucrique viri: nec maximus omen
Abnuit Æneas, ſed lætum amplexus Aceſten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
Sume, pater: nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auſpiciis exſortem ducere honores.
Ipſius Anchiſæ longævi hoc munus habebis,
Cratera impreſſum ſignis: quem Thracius olim
Anchiſæ genitori in magno munere Ciſſeus
Ferre ſui dederat monumentum & pignus amoris.
Sic fatus cingit viridanti tempora lauro:
Et primum ante omnes victorem appellat Aceſten.
Nec bonus Eurytion prælato invidit honori;
Quamvis ſolus avem cælo dejecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit:
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Æneas nondum certamine miſſo,
Cuſtodem ad ſeſe comitemque impubis Iuli
Epytiden vocat, & fidam ſic fatur ad aurem:
Vade age, &, Aſcanio, ſi jam puerile paratum
Agmen habet ſecum, curſuſque inſtruxit equorum,
Ducat avo turmas, & ſeſe oſtendat in armis,
Dic, ait. ipſe omnem longo decedere circo
Infuſum populum, & campos jubet eſſe patentes.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis: quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit Trojæque juventus.
Omnibus in morem tonſa coma preſſa corona.
Cornea bina ferunt præfixo haſtilia ferro:
Pars leves humero pharetras. it pectore ſummo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores: pueri bis ſeni quemque ſecuti
Agmine partito fulgent, paribuſque magiſtris.
Una acies juvenum, ducit quam parvus ovantem
Nomen avi referens Priamus; tua clara, Polite,
Progenies, auctura Italos: quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis; veſtigia primi
Alba pedis, frontemque oſtentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini:
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.
Extremus, formaque ante omnes pulcher Iulus
Sidonio eſt invectus equo: quem candida Dido
Eſſe ſui dederat monumentum & pignus amoris.
Cetera Trinacriis pubes ſenioris Aceſtæ
Fertur equis.
Excipiunt plauſu pavidos, gaudentque tuentes
Dardanidæ; veterumque agnoſcunt ora parentum.
Poſtquam omnem læti conſeſſum oculoſque ſuorum
Luſtravere in equis; ſignum clamore paratis
Epytides longe dedit, inſonuitque flagello.
Olli diſcurrere pares, atque agmina terni
Diductis ſolvere choris, rurſuſque vocati
Convertere vias, infeſtaque tela tulere.
Inde alios ineunt curſus alioſque recurſus
Adverſis ſpatiis, alternoſque orbibus orbes
Impediunt, pugnæque cient ſimulacra ſub armis:
Et nunc terga fuga nudant; nunc ſpicula vertunt
Infenſi: facta pariter nunc pace feruntur.
Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter ancipitemque
Mille viis habuiſſe dolum, qua ſigna ſequendi
Falleret indeprenſus & irremeabilis error.
Haud alio Teucrum nati veſtigia curſu
Impediunt, texuntque fugas & prælia ludo,
Delphinum ſimiles: qui per maria humida nando
Carpathium Libycumque ſecant, luduntque per undas.
Hunc morem curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius, Longam muris cum cingeret Albam,
Rettulit, & priſcos docuit celebrare Latinos.
Quo puer ipſe modo, ſecum quo Troia pubes,
Albani docuere ſuos. hinc maxima porro
Accepit Roma, & patrium ſervavit honorem:
Trojaque nunc, pueri Trojanum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus ſancto certamina patri.
Hic primum fortuna fidem mutata novavit.

Dum

Dum variis tumulo referunt ſolemnia ludis,
Irim de cælo miſit Saturnia Juno
Iliacam ad claſſem, ventoſque aſpirat eunti
Multa movens, necdum antiquum ſaturata dolorem.
Illa viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli viſa, cito decurrit tramite virgo.
Conſpicit ingentem concurſum, & litora luſtrat,
Deſertoſque videt portus, claſſemque relictam.
At procul in ſola ſecretæ Troades acta
Amiſſum Anchiſen flebant, cunctæque profundum
Pontum aſpectabant flentes. Heu tot vada feſſis,
Et tantum ſupereſſe maris! vox omnibus una.
Urbem orant: tædet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias ſeſe haud ignara nocendi
Conjicit, & faciemque deæ veſtemque reponit.
Fit Beroe, Iſmarii conjux longeva Dorycli;
Cui genus, & quondam nomen, natique fuiſſent:
Ac ſic Dardanidum mediam ſe matribus infert:
O miſeræ, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad letum patriæ ſub mœnibus! o gens
Infelix, cui te exitio Fortuna reſervat?
Septima poſt Trojæ excidium jam vertitur æſtas,
Cum freta, cum terras omnes, tot inhoſpita ſaxa
Sideraque emenſæ ferimur: dum per mare magnum
Italiam ſequimur fugientem, & volvimur undis.
Hic Erycis fines fraterni, atque hoſpes Aceſtes.
Quid prohibet muros jacere, & dare civibus urbem?
O patria, & rapti nequidquam ex hoſte Penates;
Nullane jam Trojæ dicentur mœnia? nuſquam
Hectoreos amnes Xanthum & Simoenta videbo?
Quin agite, & mecum infauſtas exurite puppes.
Nam mihi Caſſandræ per ſomnum vatis imago
Ardentes dare viſa faces: hic quærite Trojam,
Hic domus eſt, inquit, vobis: jam tempus agi res:
Nec tantis mora prodigiis. en quatuor aræ
Neptuno. Deus ipſe faces animumque miniſtrat.
Hæc memorans, prima infenſum vi corripit ignem,
Sublataque procul dextra connixa coruſcat,
Et jacit. arrectæ mentes, ſtupefactaque corda
Iliadum. hic una e multis, quæ maxima natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroe vobis, non hæc Rhœteia, matres,
Eſt Dorycli conjux. divini ſigna decoris,
Ardenteſque notate oculos, qui ſpiritus illi,
Qui vultus, vociſve ſonus, vel greſſus eunti.
Ipſa egomet dudum Beroen digreſſa reliqui
Ægram, indignantem, tali quod ſola careret
Munere, nec meritos Anchiſæ inferret honores.
Hæc effata.
At matres, primo ancipites, oculiſque malignis
Ambiguæ ſpectare rates, miſerum inter amorem
Præſentis terræ, fatiſque vocantia regna:
Cum Dea ſe paribus per cælum ſuſtulit alis,
Ingentemque fuga ſecuit ſub nubibus arcum.
Tum vero attonitæ monſtris, actæque furore
Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem:
Pars ſpoliant aras, frondem ac virgulta faceſque
Conjiciunt. furit immiſſis Vulcanus habenis
Tranſtra per & remos, & pictas abiete puppes.
Nuntius Anchiſæ ad tumulum cuneoſque theatri
Incenſas perfert naves Eumelus: & ipſi
Reſpiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus & Aſcanius, curſus ut lætus equeſtres
Ducebat; ſic acer equo turbata petivit
Caſtra: nec exanimes poſſunt retinere magiſtri.
Quis furor iſte novus? quo nunc, quo tenditis, inquit,
Heu miſeræ cives? non hoſtem, inimicaque caſtra
Argivum, veſtras ſpes uritis. en ego veſter
Aſcanius: galeam ante pedes projecit inanem;
Qua ludo indutus belli ſimulacra ciebat.
Accelerat ſimul Æneas, ſimul agmina Teucrum.
Aſt illæ diverſa metu per litora paſſim
Diffugiunt; ſilvaſque, & ſicubi concava furtim
Saxa, petunt. piget incepti, lucisque, ſuoſque
Mutatæ agnoſcunt, excuſſaque pectore Juno eſt.
Sed non idcirco flammæ atque incendia vires
Indomitas poſuere: udo ſub robore vivit
Stupa vomens tardum fumum, lentuſque carinas
Eſt vapor, & toto deſcendit corpore peſtis:
Nec vires Heroum infuſaque flumina proſunt.
Tum pius Æneas humeris abſcindere veſtem,
Auxilioque vocare Deos, & tendere palmas:
Jupiter omnipotens, ſi nondum exoſus ad unum
Trojanos, ſi quid pietas antiqua labores
Reſpicit humanos; da flammam evadere claſſi
Nunc, pater, & tenues Teucrum res eripe leto.
Vel tu, quod supereſt, infeſto fulmine morti,
Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra.
Vix hæc ediderat, cum effuſis imbribus atra
Tempeſtas ſine more furit, tonitruque tremiſcunt
Ardua terrarum, & campi: ruit æthere toto
Turbidus imber aqua, denſiſque nigerrimus auſtris:
Implenturque ſuper puppes; ſemuſta madeſcunt
Robora. reſtinctus donec vapor omnis, & omnes,
Quatuor amiſſis, ſervatæ a peſte carinæ.
At pater Æneas, caſu concuſſus acerbo,
Nunc huc ingentes nunc illuc pectore curas
Mutabat verſans, Siculiſne reſideret arvis
Oblitus fatorum, Italaſne capeſſeret oras.
Tum ſenior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque inſignem reddidit arte,
Hæc reſponſa dabat, vel quæ portenderet ira
Magna deum, vel quæ fatorum poſceret ordo.
Iſque his Ænean ſolatus vocibus infit:
Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, ſequamur:
Quidquid erit: ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.
Eſt tibi Dardanius divinæ ſtirpis Aceſtes:
Hunc cape conſiliis ſocium, & conjunge volentem:
Huic trade, amiſſis ſuperant qui navibus, & quos
Pertæſum magni incepti rerumque tuarum eſt:
Longævoſque ſenes, ac feſſas æquore matres,
Et quidquid tecum invalidum metuenſque pericli eſt,
Delige, & his habeant terris, ſine, mœnia feſſi:
Urbem appellabunt permiſſo nomine Aceſtam.
Talibus incenſus dictis ſenioris amici,
Tum vero in curas animum diducitur omnes:
Et nox atra polum bigis ſubvecta tenebat.
Viſa dehinc cælo facies delapſa parentis
Anchiſæ, ſubito tales effundere voces:
Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Care magis; nate Iliacis exercite fatis;
Imperio Jovis huc venio: qui claſſibus ignem
Depulit, & cælo tandem miſeratus ab alto eſt.
Conſiliis pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat ſenior: lectos juvenes fortiſſima corda
Defer in Italiam. gens dura atque aſpera cultu
Debellanda tibi Latio eſt. Ditis tamen ante
Infernas accede domos, & Averna per alta
Congreſſus pete, nate, meos. non me impia namque
Tartara habent, triſteſque umbræ: ſed amœna piorum
Concilia Elyſiumque colo. huc caſta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te ſanguine ducet.

Tum genus omne tuum, & , quæ dentur mœnia, diſces.
Jamque vale. torquet medios nox humida curſus:
Et me ſævus equis Oriens afflavit anhelis.
Dixerat, & tenues fugit, ceu fumus, in auras.
Æneas, Quo deinde ruis? quo proripis? inquit.
Quem fugis? aut quis te noſtris complexibus arcet?
Hæc memorans cinerem & ſopitos ſuſcitat ignes;
Pergameumque Larem & canæ penetralia Veſtæ
Farre pio & plena ſupplex veneratur acerra.
Extemplo ſocios primumque arceſſit Aceſten,
Et Jovis imperium & cari præcepta parentis
Edocet, & quæ nunc animo ſententia conſtet.
Haud mora conſiliis, nec juſſa recuſat Aceſtes.
Tranſcribunt urbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnæ laudis egentes.
Ipſi tranſtra novant, flammiſque ambeſa reponunt
Robora: navigiis aptant remoſque rudenteſque
Exigui numero, ſed bello vivida virtus.
Interea Æneas urbem deſignat aratro,
Sortiturque domos: hoc Ilium, & hæc loca Trojæ
Eſſe jubet. gaudet regno Trojanus Aceſtes,
Indicitque forum, & patribus dat jura vocatis.
Tum vicina aſtris Erycino in vertice ſedes
Fundatur Veneri Idaliæ, tumuloque ſacerdos
Ac lucus late ſacer additur Anchiſæo.
Jamque dies epulata novem gens omnis, & aris
Factus honos; placidi ſtraverunt æquora venti:
Creber & aſpirans rurſus vocat auſter in altum.
Exoritur procurva ingens per litora fletus:
Complexi inter ſe noctemque diemque morantur.
Ipſæ jam matres, ipſi, quibus aſpera quondam
Viſa maris facies & non tolerabile nomen,
Ire volunt, omnemque fugæ perferre laborem.
Quos bonus Æneas dictis ſolatur amicis,
Et conſanguineo lacrimans commendat Aceſtæ.
Tres Eryci vitulos & Tempeſtatibus agnam
Cædere deinde jubet, ſolvique ex ordine funem.
Ipſe, caput tonſæ foliis evinctus olivæ,
Stans procul in prora pateram tenet, extaque ſalſos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Proſequitur ſurgens a puppi ventus euntes.
Certatim ſocii feriunt mare, & æquora verrunt.
At Venus interea Neptunum exercita curis
Alloquitur, taleſque effundit pectore queſtus:
Junonis gravis ira nec exſaturabile pectus
Cogunt me, Neptune, preces deſcendere in omnes:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla;
Nec Jovis imperio, fatiſve infracta quieſcit.
Non media de gente Phrygum exediſſe nefandis
Urbem odiis ſatis eſt, nec pœnam traxe per omnem
Relliquias: Trojæ cineres atque oſſa peremtæ
Inſequitur. cauſſas tanti ſciat illa furoris.
Ipſe mihi nuper Libycis tu teſtis in undis,
Quam molem ſubito excierit. maria omnia cælo
Miſcuit, Æoliis nequidquam freta procellis;
In regnis hoc auſa tuis.
Per ſcelus ecce etiam Trojanis matribus actis
Exuſſit fœde puppes; & claſſe ſubegit
Amiſſa ſocios ignotæ linquere terræ.
Quod ſupereſt; oro, liceat dare tuta per undas
Vela tibi: liceat Laurentem attingere Tybrim:
Si conceſſa peto, ſi dant ea mœnia Parcæ.
Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti:
Fas omne eſt, Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde genus ducis: merui quoque. ſæpe furores
Compreſſi & rabiem tantam cælique mariſque.
Nec minor in terris (Xanthum Simoentaque teſtor)
Æneæ mihi cura tui, cum Troia Achilles
Exanimata ſequens impingeret agmina muris,
Millia multa daret leto, gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam atque evolvere poſſet
In mare ſe Xanthus: Pelidæ tunc ego forti
Congreſſum Ænean, nec Dis nec viribus æquis,
Nube cava rapui: cuperem cum vertere ab imo
Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ.
Nunc quoque mens eadem perſtat mihi: pelle timorem.
Tutus, quos optas, portus accedet Averni.
Unus erit tantum, amiſſum quem gurgite quæret:
Unum pro multis dabitur caput.
His ubi læta Deæ permulſit pectora dictis;
Jungit equos auro genitor, ſpumantiaque addit
Frena feris, manibuſque omnes effundit habenas.
Cæruleo per ſumma levis volat æquora curru.
Subſidunt undæ, tumidumque ſub axe tonanti
Sternitur æquor aquis: fugiunt vaſto æthere nimbi.
Tum variæ comitum facies; immania cete,
Et ſenior Glauci chorus Inouſque Palæmon,
Tritoneſque citi, Phorcique exercitus omnis.
Læva tenent Thetis & Melite, Panopeaque virgo,
Neſæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque.
Hic patris Æneæ ſuſpenſam blanda viciſſim
Gaudia pertentant mentem: jubet ocyus omnes
Attolli malos, intendi brachia velis.
Una omnes fecere pedem; pariterque ſiniſtros,
Nunc dextros ſolvere ſinus: una ardua torquent
Cornua, detorquentque. ferunt ſua flamina claſſem.
Princeps ante omnes denſum Palinurus agebat
Agmen: ad hunc alii curſum contendere juſſi.
Jamque fere mediam cæli nox humida metam
Contigerat: placida laxabant membra quiete
Sub remis fuſi per dura ſedilia nautæ.
Cum levis ætheriis delapſus Somnus ab aſtris
Aera dimovit tenebroſum, & diſpulit umbras,
Te, Palinure, petens, tibi ſomnia triſtia portans
Inſonti; puppique deus conſedit in alta,
Phorbanti ſimilis; funditque has ore loquelas:
Iaſide Palinure, ferunt ipſa æquora claſſem;
Æquatæ ſpirant auræ: datur hora quieti.
Pone caput, feſſoſque oculos furare labori.
Ipſe ego pauliſper pro te tua munera inibo.
Cui vix attollens Palinurus lumina fatur:
Mene ſalis placidi vultum fluctuſque quietos
Ignorare jubes? mene huic confidere monſtro?
Ænean credam quid enim fallacibus auſtris,
Et cæli toties deceptus fraude ſereni?
Talia dicta dabat, clavumque affixus & hærens
Nuſquam amittebat, oculoſque ſub aſtra tenebat.
Ecce deus ramum Lethæo rore madentem,
Vique ſoporatum Stygia ſuper utraque quaſſat
Tempora; cunctantique natantia lumina ſolvit.
Vix primos inopina quies laxaverat artus:
Et ſuper incumbens, cum puppis parte revulſa,
Cumque gubernaclo liquidas projecit in undas
Præcipitem, ac ſocios nequidquam ſæpe vocantem.
Ipſe volans tenues ſe ſuſtulit ales ad auras.
Currit iter tutum non ſecius æquore claſſis,
Promiſſiſque patris Neptuni interrita fertur.
Jamque adeo ſcopulos Sirenum advecta ſubibat;
Difficiles quondam, multorumque oſſibus albos.
Tum rauca aſſiduo longe ſale ſaxa ſonabant:
Cum pater amiſſo fluitantem errare magiſtro
Senſit, & ipſe ratem nocturnis rexit in undis

Multa

Multa gemens, caſuque animum concuſſus amici.
O nimium cælo & pelago confiſe ſereno,
Nudus in ignota, Palinure, jacebis arena.

ÆNEIDOS
LIBER VI.

SIc fatur lacrimans, claſſique immittit habenas,
Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.
Obvertunt pelago proras: tum dente tenaci
Anchora fundabat naves, & litora curvæ
Prætexunt puppes. juvenum manus emicat ardens
Litus in Heſperium: quærit pars ſemina flammæ
Abſtruſa in venis ſilicis: pars denſa ferarum
Tecta rapit ſilvas, inventaque flumina monſtrat.
At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præſidet, horrendæque procul ſecreta Sibyllæ,
Antrum immane, petit: magnam cui mentem animumque
Delius inſpirat vates, aperitque futura.
Jam ſubeunt Triviæ lucos, atque aurea tecta.
Dædalus (ut fama eſt) fugiens Minoia regna,
Præpetibus pennis auſus ſe credere cælo,
Inſuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,
Chalcidicamque levis tandem ſuperadſtitit arcem.
Redditus his primum terris, tibi, Phœbe, ſacravit
Remigium alarum, poſuitque immania templa.
In foribus letum Androgeo: tum pendere pœnas
Cecropidæ juſſi (miſerum) ſeptena quotannis
Corpora natorum; ſtat ductis ſortibus urna:
Contra elata mari reſpondet Cnoſſia tellus:
Hic crudelis amor tauri, ſuppoſtaque furto
Paſiphae, mixtumque genus, proleſque biformis
Minotaurus ineſt, Veneris monumenta nefandæ.
Hic labor ille domus, & inextricabilis error.
Magnum reginæ ſed enim miſeratus amorem
Dædalus, ipſe dolos tecti ambageſque reſolvit,
Cæca regens filo veſtigia. tu quoque magnam
Partem opere in tanto, ſineret dolor, Icare, haberes.
Bis conatus erat caſus effingere in auro:
Bis patriæ cecidere manus. quin protinus omnia
Perlegerent oculis, ni jam præmiſſus Achates
Afforet, atque una Phœbi Triviæque ſacerdos
Deiphobe Glauci, fatur quæ talia regi:
Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit.
Nunc grege de intacto ſeptem mactare juvencos
Præſtiterit, totidem lectas de more bidentes.
Talibus affata Ænean (nec ſacra morantur
Juſſa viri) Teucros vocat alta in templa ſacerdos.
Exciſum Euboicæ latus ingens rupis in antrum:
Quo lati ducunt aditus centum, oſtia centum.
Unde ruunt totidem voces, reſponſa Sibyllæ.
Ventum erat ad limen, cum virgo, Poſcere fata
Tempus, ait. deus ecce, deus. cui talia fanti
Ante fores ſubito non vultus, non color unus,
Non comtæ manſere comæ; ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: majorque videri,
Nec mortale ſonans, afflata eſt numine quando
Jam propiore dei. Ceſſas in vota preceſque,
Tros, ait, Ænea? ceſſas? neque enim ante dehiſcent
Attonitæ magna ora domus: & talia fata
Conticuit. gelidus Teucris per dura cucurrit
Oſſa tremor, funditque preces rex pectore ab imo:
Phœbe, graves Trojæ ſemper miſerate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manuſque
Corpus in Æacidæ; magnas obeuntia terras
Tot maria intravi duce te, penituſque repoſtas
Maſſylum gentes, prætentaque Syrtibus arva.
Jam tandem Italiæ fugientes prendimus oras.
Hac Trojana tenus fuerit fortuna ſecuta.
Vos quoque Pergameæ jam fas eſt parcere genti,
Dique Deæque omnes, quibus obſtitit Ilium, & ingens
Gloria Dardaniæ. tuque o ſanctiſſima vates
Præſcia venturi, da (non indebita poſco)
Regna meis fatis; Latio conſidere Teucros,
Erranteſque deos, agitataque numina Trojæ.
Tum Phœbo & Triviæ ſolido de marmore templum
Inſtituam, feſtoſque dies de nomine Phœbi.
Te quoque magna manent regnis penetralia noſtris.
Hic ego namque tuas ſortes, arcanaque fata
Dicta meæ genti ponam, lectoſque ſacrabo
Alma viros. foliis tantum ne carmina manda;
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.
Ipſa canas oro. finem dedit ore loquendi.
At, Phœbi nondum patiens, immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe deum. tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
Oſtia jamque domus patuere ingentia centum
Sponte ſua, vatiſque ferunt reſponſa per auras:
O tandem magnis pelagi defuncte periclis:
Sed terra graviora manent. in regna Lavini
Dardanidæ venient; mitte hanc de pectore curam:
Sed non & veniſſe volent. bella, horrida bella,
Et Tybrim multo ſpumantem ſanguine cerno.
Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica caſtra
Defuerint, alius Latio jam partus Achilles,
Natus & ipſe Dea. nec Teucris addita Juno
Uſquam aberit: cum tu ſupplex in rebus egenis
Quas gentes Italum, aut quas non oraveris urbes!
Cauſſa mali tanti conjux iterum hoſpita Teucris;
Externique iterum thalami.
Tu ne cede malis: ſed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna ſinet. via prima ſalutis,
Quod minime reris, Graja pandetur ab urbe.
Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obſcuris vera involvens. ea frena furenti
Concutit, & ſtimulos ſub pectore vertit Apollo.
Ut primum ceſſit furor, & rabida ora quierunt,
Incipit Æneas heros: Non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies inopinave ſurgit.
Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.
Unum oro: quando hic inferni janua regis
Dicitur, & tenebroſa palus Acheronte refuſo:
Ire ad conſpectum cari genitori & ora
Contingat: doceas iter, & ſacra oſtia pandas.
Illum ego per flammas & mille ſequentia tela
Eripui his humeris, medioque ex hoſte recepi:
Ille meum comitatus iter, maria omnia mecum,
Atque omnes pelagique minas cælique ferebat
Invalidus, vires ultra ſortemque ſenectæ.
Quin, ut te ſupplex peterem, & tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat. natique patriſque,
Alma, precor, miſerere. potes namque omnia: nec te
Nequidquam lucis Hecate præfecit Avernis.
Si potuit manes arceſſere conjugis Orpheus,
Threicia fretus cithara fidibuſque canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties: quid Theſea, magnum
Quid memorem Alciden? & mi genus ab Jove ſummo.

Talibus orabat dictis, araſque tenebat.
Cum ſic orſa loqui vates: Sate ſanguine divum,
Tros Anchiſiada, facilis deſcenſus Averni.
Noctes atque dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt. pauci, quos æquus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Dis geniti potuere. tenent media omnia ſilvæ,
Cocytuſque ſinu labens circumvenit atro.
Quod ſi tantus amor menti, ſi tanta cupido eſt,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara; & inſano juvat indulgere labori;
Accipe, quæ peragenda prius. latet arbore opaca
Aureus & foliis & lento vimine ramus,
Junoni infernæ dictus ſacer. hunc tegit omnis
Lucus, & obſcuris claudunt convallibus umbræ.
Sed non ante datur telluris operta ſubire,
Auricomos quam quis decerpſerit arbore fœtus.
Hoc ſibi pulchra ſuum ferri Proſerpina munus
Inſtituit: primo avulſo non deficit alter
Aureus; & ſimili frondeſcit virga metallo.
Ergo alte veſtiga oculis, & rite repertum
Carpe manu, namque ipſe volens, faciliſque ſequetur,
Si te fata vocant: aliter, non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.
Præterea jacet exanimum tibi corpus amici,
(Heu neſcis) totamque inceſtat funere claſſem:
Dum conſulta petis, noſtroque in limine pendes.
Sedibus hunc refer ante ſuis, & conde ſepulcro.
Duc nigras pecudes: ea prima piacula ſunto:
Sic demum lucos Stygios regna invia vivis
Aſpicies. dixit, preſſoque obmutuit ore.
Aeneas mœſto defixus lumina vultu
Ingreditur, linquens antrum; cæcoſque volutat
Eventus animo ſecum. cui fidus Achates
It comes, & paribus curis veſtigia figit.
Multa inter ſeſe vario ſermone ſerebant:
Quem ſocium exanimem vates, quod corpus humandum
Diceret. atque illi Miſenum in litore ſicco,
Ut venere, vident indigna morte peremtum:
Miſenum Aeoliden, quo non præſtantior alter
Aere ciere viros, Martemque accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum
Et lituo pugnas inſignis obibat & haſta.
Poſtquam illum vita victor ſpoliavit Achilles,
Dardanio Æneæ ſeſe fortiſſimus heros
Addiderat ſocium, non inferiora ſecutus.
Sed tum, forte cava dum perſonat æquora concha,
Demens & cantu vocat in certamina Divos,
Æmulus exceptum Triton (ſi credere dignum eſt)
Inter ſaxa virum ſpumoſa immerſerat unda.
Ergo omnes magno circum clamore fremebant;
Præcipue pius Aeneas: tum juſſa Sibyllæ
(Haud mora) feſtinant flentes, aramque ſepulcri
Congerere arboribus, cæloque educere certant.
Itur in antiquam ſilvam, ſtabula alta ferarum:
Procumbunt piceæ: ſonat icta ſecuribus ilex:
Fraxineæque trabes, cuneis & fiſſile robur
Scinditur: advolvunt ingentes montibus ornos.
Necnon Aeneas opera inter talia primus
Hortatur ſocios, paribuſque accingitur armis.
Atque hæc ipſe ſuo triſti cum corde volutat,
Aſpectans ſilvam immenſam, & ſic voce precatur:
Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus
Oſtendat nemore in tanto: quando omnia vere
Heu nimium de te vates, Miſene, locuta eſt.
Vix ea fatus erat, geminæ cum forte columbæ
Ipſa ſub ora viri cælo venere volantes,
Et viridi ſedere ſolo: tum maximus heros
Maternas agnoſcit aves, lætuſque precatur:
Eſte duces o, ſiqua via eſt, curſumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat
Ramus humum. tuque o dubiis ne defice rebus,
Diva parens. ſic effatus veſtigia preſſit;
Obſervans quæ ſigna ferant, quo tendere pergant.
Paſcentes illæ tantum prodire volando,
Quantum acie poſſent oculi ſervare ſequentum.
Inde, ubi venere ad fauces grave olentis Averni,
Tollunt ſe celeres; liquidumque per aera lapſæ
Sedibus optatis gemina ſuper arbore ſidunt:
Diſcolor unde auri per ramos aura refulſit.
Quale ſolet ſilvis brumali frigore viſcum
Fronde virere nova, quod non ſua ſeminat arbos,
Et croceo fœtu teretes circumdare truncos.
Talis erat ſpecies auri frondentis opaca
Ilice: ſic leni crepitabat bractea vento.
Corripit Aeneas extemplo, aviduſque refringit
Cunctantem, & vatis portat ſub tecta Sibyllæ.
Nec minus interea Miſenum in litore Teucri
Flebant, & cineri ingrato ſuprema ferebant.
Principio pinguem tædis & robore ſecto
Ingentem ſtruxere pyram: cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupreſſos
Conſtituunt, decorantque ſuper fulgentibus armis.
Pars calidos latices & aena undantia flammis
Expediunt, corpuſque lavant frigentis & ungunt.
Fit gemitus. tum membra toro defleta reponunt.
Purpureaſque ſuper veſtes velamina nota
Conjiciunt. pars ingenti ſubiere feretro,
Triſte miniſterium, & ſubjectam more parentum
Averſi tenuere facem. congeſta cremantur
Turea dona, dapes, fuſo crateres olivo.
Poſtquam collapſi cineres, & flamma quievit;
Relliquias vino & bibulam lavere favillam.
Oſſaque lecta cado texit Corynæus aeno,
Idem ter ſocios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi & ramo felicis olivæ:
Luſtravitque viros, dixitque noviſſima verba.
At pius Aeneas ingenti mole ſepulcrum
Imponit, ſuaque arma viro, remumque, tubamque;
Monte ſub aerio: qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur, æternumque tenet per ſecula nomen.
His actis propere exequitur præcepta Sibyllæ.
Spelunca alta fuit, vaſtoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris:
Quam ſuper haud ullæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis: talis ſeſe halitus atris
Faucibus effundens ſupera ad convexa ferebat:
(Unde locum Graji dixerunt nomine Aornum.)
Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Conſtituit, frontique invergit vina ſacerdos;
Et, ſummas carpens media inter cornua ſetas,
Ignibus imponit ſacris libamina prima,
Voce vocans Hecaten, cæloque Ereboque potentem;
Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suſcipiunt pateris. ipſe atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum magnæque ſorori
Enſe ferit, ſterilemque tibi, Proſerpina, vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis,
Pingue ſuperque oleum infundens ardentibus extis.
Ecce autem, primi ſub limina ſolis & ortus,

Sub

Sub pedibus mugire ſolum, & juga cœpta moveri
Silvarum, viſæque canes ululare per umbram,
Adventante dea. Procul o, procul eſte, profani,
Conclamat vates, totoque abſiſtite luco:
Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum:
Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.
Tantum effata, furens antro ſe immiſit aperto.
Ille ducem haud timidis vadentem paſſibus æquat.
Di, quibus imperium eſt animarum, umbræque ſilentes,
Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte tacentia late;
Sit mihi fas audita loqui: ſit numine veſtro
Pandere res alta terra & caligine merſas.
Ibant obſcuri ſola ſub nocte per umbram,
Perque domos Ditis vacuas, & inania regna.
Quale per incertam lunam ſub luce maligna
Eſt iter in ſilvis: ubi cælum condidit umbra
Jupiter, & rebus nox abſtulit atra colorem.
Veſtibulum ante ipſum primiſque in faucibus Orci
Luctus & ultrices poſuere cubilia Curæ:
Pallenteſque habitant Morbi, triſtiſque Senectus,
Et Metus, & male ſuada Fames, ac turpis Egeſtas;
Terribiles viſu formæ; Letumque, Laboſque:
Tum conſanguineus Leti Sopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferumque adverſo in limine Bellum,
Ferreique Eumenidum thalami, & Diſcordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In medio ramos annoſaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens: quam ſedem Somnia vulgo
Vana tenere ferunt, foliiſque ſub omnibus hærent.
Multaque præterea variarum monſtra ferarum
Centauri in foribus ſtabulant Scyllæque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendum ſtridens, flammiſque armata Chimæra:
Gorgones, Harpyiæque & forma tricorporis umbræ.
Corripit hic ſubita trepidus formidine ferrum
Aeneas, ſtrictamque aciem venientibus offert,
Et, ni docta comes tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare cava ſub imagine formæ,
Irruat, & fruſtra ferro diverberet umbras.
Hinc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad undas:
Turbidus hic cœno vaſtaque voragine gurges
Æſtuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas & flumina ſervat
Terribili ſqualore Charon: cui plurima mento
Canities inculta jacet: ſtant lumina flammæ:
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipſe ratem conto ſubigit, veliſque miniſtrat,
Et ferruginea ſubvectat corpora cymba,
Jam ſenior: ſed cruda deo viridiſque ſenectus.
Huc omnis turba ad ripas effuſa ruebat,
Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri innuptæque puellæ,
Impoſitique rogis juvenes ante ora parentum.
Quam multa in ſilvis autumni frigore primo
Lapſa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto
Quam multæ glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.
Stabant orantes primi tranſmittere curſum,
Tendebantque manus ripæ ulterioris amore.
Navita ſed triſtis nunc hos nunc accipit illos:
Aſt alios longe ſubmotos arcet arena.
Æneas (miratus enim motuſque tumultu)
Dic, ait, o virgo, quid vult concurſus ad amnem?
Quidve petunt animæ? vel quo diſcrimine ripas
Hæ linquunt, illæ remis vada livida verrunt?
Olli ſic breviter fata eſt longæva ſacerdos:
Anchiſa generate, deum certiſſima proles,
Cocyti ſtagna alta vides, Stygiamque paludem,
Di cujus jurare timent & fallere numen.
Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba eſt:
Portitor ille, Charon: hi, quos vehit unda, ſepulti.
Nec ripas datur horrendas & rauca fluenta
Tranſportare prius, quam ſedibus oſſa quierunt.
Centum errant annos, volitantque hæc litora circum.
Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reviſunt.
Conſtitit Anchiſa ſatus, & veſtigia preſſit;
Multa putans, ſortemque animo miſeratus iniquam.
Cernit ibi mæſtos & mortis honore carentes
Leucaſpim & Lyciæ ductorem claſſis Orontem:
Quos, ſimul a Troja ventoſa per æquora vectos,
Obruit auſter, aqua involvens navemque viroſque.
Ecce gubernator ſeſe Palinurus agebat:
Qui Libyco nuper curſu, dum ſidera ſervat,
Deciderat puppi, mediis effuſus in undis.
Hunc ubi vix multa mæſtum cognovit in umbra;
Sic prior alloquitur: Quis te, Palinure, deorum
Eripuit nobis, medioque ſub æquore merſit?
Dic age. namque mihi, fallax haud ante repertus,
Hoc uno reſponſo animum deluſit Apollo:
Qui fore te ponto incolumem, fineſque canebat
Venturum Auſonios. en hæc promiſſa fides eſt?
Ille autem: Neque te Phœbi cortina fefellit,
Dux Anchiſiade, nec me deus æquore merſit.
Namque gubernaclum multa vi forte revulſum,
Cui datus hærebam cuſtos curſuſque regebam,
Præcipitans traxi mecum. maria aſpera juro,
Non ullum pro me tantum cepiſſe timorem,
Quam tua ne, ſpoliata armis, excuſſa magiſtro,
Deficeret tantis navis ſurgentibus undis.
Tres notus hibernas immenſa per æquora noctes
Vexit me violentus aqua: vix lumine quarto
Proſpexi Italiam ſumma ſublimis ab unda.
Paulatim adnabam terræ: jam tuta tenebam;
Ni gens crudelis madida cum veſte gravatum,
Prenſantemque uncis manibus capita aſpera montis
Ferro invaſiſſet, prædamque ignara putaſſet.
Nunc me fluctus habet, verſantque in litore venti.
Quod te per cæli jucundum lumen, & auras,
Per genitorem oro, per ſpem ſurgentis Iuli;
Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram
Injice, namque potes; portuſque require Velinos.
Aut tu, ſi qua via eſt, ſi quam tibi diva creatrix
Oſtendit (neque enim, credo, ſine numine divum
Flumina tanta paras, Stygiamque innare paludem)
Da dextram miſero, & tecum me tolle per undas;
Sedibus ut ſaltem placidis in morte quieſcam.
Talia fatus erat, cœpit cum talia vates:
Unde hæc, o Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas, amnemque ſeverum
Eumenidum aſpicies, ripave injuſſus abibis?
Deſine fata deum flecti ſperare precando.
Sed cape dicta memor, duri ſolatia caſus.
Nam tua finitimi, longe lateque per urbes
Prodigiis acti cæleſtibus, oſſa piabunt;
Et ſtatuent tumulum, & tumulo ſolemnia mittent,
Æternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curæ emotæ, pulſuſque parumper
Corde dolor triſti; gaudet cognomine terra.
Ergo iter inceptum peragunt, fluvioque propinquant.
Navita quos jam inde ut Stygia proſpexit ab unda
Per tacitum nemus ire, pedemque advertere ripæ,
Sic prior aggreditur dictis, atque increpat ultro;

Quiſquis

Quiſquis es, armatus qui noſtra ad flumina tendis,
Fare age, quid venias: jam iſtinc & comprime greſſum.
Umbrarum hic locus eſt, Somni Noctiſque ſoporæ:
Corpora viva nefas Stygia vectare carina.
Nec vero Alciden me ſum lætatus euntem
Accepiſſe lacu, nec Theſea Pirithoumque:
Dis quamquam geniti, atque invicti viribus eſſent.
Tartareum ille manu cuſtodem in vincla petivit;
Ipſius a ſolio regis traxitque trementem:
Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.
Quæ contra breviter fata eſt Amphryſia vates:
Nullæ hic inſidiæ tales; abſiſte moveri:
Nec vim tela ferunt: licet ingens janitor antro
Aeternum latrans exangues terreat umbras:
Caſta licet patrui ſervet Proſerpina limen.
Troius Aeneas, pietate inſignis & armis,
Ad genitorem imas Erebi deſcendit ad umbras.
Si te nulla movet tantæ pietatis imago,
At ramum hunc (aperit ramum, qui veſte latebat)
Agnoſcas. tumida ex ira tum corda reſidunt.
Nec plura his. ille admirans venerabile donum
Fatalis virgæ, longo poſt tempore viſum,
Cæruleam advertit puppim, ripæque propinquat.
Inde alias animas, quæ per juga longa ſedebant,
Deturbat, laxatque foros: ſimul accipit alveo
Ingentem Aenean. gemuit ſub pondere cymba
Sutilis, & multam accepit rimoſa paludem.
Tandem trans fluvium incolumes vatemque virumque
Informi limo glaucaque exponit in ulva.
Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Perſonat, adverſo recubans immanis in antro.
Cui vates, horrere videns jam colla colubris,
Melle ſoporatam & medicatis frugibus offam
Objicit. ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit objectam, atque immania terga reſolvit
Fuſus humi, totoque ingens extenditur antro.
Occupat Aeneas aditum cuſtode ſepulto,
Evaditque celer ripam irremeabilis undæ.
Continuo auditæ voces, vagitus & ingens,
Infantumque animæ flentes in limine primo:
Quos dulcis vitæ exſortes, & ab ubere raptos,
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.
Hos juxta falſo damnati crimine mortis.
Nec vero hæ ſine ſorte datæ, ſine judice, ſedes.
Quæſitor Minos urnam movet: ille ſilentum
Conciliumque vocat, vitaſque & crimina diſcit.
Proxima deinde tenent mæſti loca, qui ſibi letum
Inſontes peperere manu, lucemque peroſi
Projecere animas. quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem & duros perferre labores!
Fas obſtat, triſtique palus inamabilis unda
Alligat, & novies Styx interfuſa coercet.
Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem
Lugentes campi. ſic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circum
Silva tegit. curæ non ipſa in morte relinquunt.
His Phædram Procrimque locis, mæſtamque Eryphilem
Crudelis nati monſtrantem vulnera cernit,
Euadnenque, & Paſiphaen: his Laodamia
It comes, & juvenis quondam, nunc fœmina, Cæneus,
Rurſus & in veterem fato revoluta figuram.
Inter quas Phœniſſa recens a vulnere Dido
Errabat ſilva in magna: quam Troius heros,
Ut primum juxta ſtetit, agnovitque per umbram
Obſcuram, qualem primo qui ſurgere menſe
Aut videt aut vidiſſe putat per nubila lunam,
Demiſit lacrimas, dulcique affatus amore eſt:
Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
Venerat extinctam, ferroque extrema ſecutam?
Funeris heu tibi cauſſa fui? per ſidera juro,
Per ſuperos, & ſi qua fides tellure ſub ima eſt;
Invitus, regina, tuo de litore ceſſi.
Sed me juſſa deum, quæ nunc has ire per umbras,
Per loca ſenta ſitu cogunt noctemque profundam,
Imperiis egere ſuis: nec credere quivi
Hunc tantum tibi me diſceſſu ferre dolorem.
Siſte gradum, teque aſpectu ne ſubtrahe noſtro.
Quem fugis? extremum fato quod te alloquor, hoc eſt.
Talibus Aeneas ardentem & torva tuentem
Lenibat dictis animum, lacrimaſque ciebat.
Illa ſolo fixos oculos averſa tenebat:
Nec magis incepto vultum ſermone movetur,
Quam ſi dura ſilex aut ſtet Marpeſia cautes.
Tandem corripuit ſeſe, atque inimica refugit
In nemus umbriferum: conjux ubi priſtinus illi
Reſpondet curis, æquatque Sichæus amorem.
Nec minus Aeneas, caſu percuſſus iniquo,
Proſequitur lacrimans longe, & miſeratur euntem.
Inde datum molitur iter. jamque arva tenebant
Ultima, quæ bello clari ſecreta frequentant.
Hic illi occurrit Tydeus, hic inclytus armis
Parthenopæus, & Adraſti pallentis imago.
Hic multum fleti ad ſuperos, belloque caduci
Dardanidæ: quos ille omnes longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucumque, Medontaque, Therſilochumque,
Tres Antenoridas, Cererique ſacrum Polybœtem,
Idæumque, etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumſtant animæ dextra lævaque frequentes.
Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt: juvat uſque morari,
Et conferre gradum, & veniendi diſcere cauſſas.
At Danaum proceres, Agamemnoniæque phalanges,
Ut videre virum, fulgentiaque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu. pars vertere terga,
Ceu quondam petiere rates: pars tollere vocem
Exiguam. inceptus clamor fruſtratur hiantes.
Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum videt, & lacerum crudeliter ora,
Ora manuſque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.
Vix adeo agnovit pavitantem, & dira tegentem
Supplicia; & notis compellat vocibus ultro:
Deiphobe armipotens, genus alto a ſanguine Teucri
Quis tam crudeles optavit ſumere pœnas?
Cui tantum de te licuit? mihi fama ſuprema
Nocte tulit, feſſum vaſta te cæde Pelaſgum
Procubuiſſe ſuper confuſæ ſtragis acervum.
Tunc egomet tumulum Rhœteo in litore inanem
Conſtitui, & magna manes ter voce vocavi.
Nomen & arma locum ſervant. te, amice, nequivi
Conſpicere, & patria decedens ponere terra.
Atque hic Priamides: Nihil o tibi, amice, relictum:
Omnia Deiphobo ſolviſti, & funeris umbris.
Sed me fata mea & ſcelus exitiale Lacænæ
His merſere malis: illa hæc monumenta reliquit.
Namque, ut ſupremam falſa inter gaudia noctem
Egerimus, noſti; & nimium meminiſſe neceſſe eſt:
Cum fatalis equus ſaltu ſuper ardua venit
Pergama, & armatum peditem gravis attulit alvo:
Illa chorum ſimulans, euantes Orgia circum
Ducebat Phrygias: flammam media ipſa tenebat
Ingentem, & ſumma Danaos ex arce vocabat.

Ter-

Tum me confectum curis ſomnoque gravatum
Infelix habuit thalamus, preſſitque jacentem
Dulcis & alta quies, placidæque ſimillima morti.
Egregia interea conjux arma omnia tectis
Emovet, & fidum capiti ſubduxerat enſem:
Intra tecta vocat Menelaum, & limina pandit.
Scilicet id magnum ſperans fore munus amanti,
Et famam extingui veterum ſic poſſe malorum.
Quid moror? irrumpunt thalamo. comes additur una
Hortator ſcelerum Aeolides. Di, talia Grajis
Inſtaurate; pio ſi pœnas ore repoſco.
Sed te qui vivum caſus, age fare viciſſim,
Attulerint. pelagine venis erroribus actus,
An monitu divum? an quæ te fortuna fatigat,
Ut triſtes ſine ſole domos loca turbida adires?
Hac vice ſermonum roſeis aurora quadrigis
Jam medium ætherio curſu trajecerat axem:
Et fors omne datum traherent per talia tempus:
Sed comes admonuit, breviterque affata Sibylla eſt:
Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas.
Hic locus eſt, partes ubi ſe via findit in ambas:
Dextera, quæ Ditis magni ſub mœnia tendit:
Hac iter Elyſium nobis: at læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.
Deiphobus contra: Ne ſævi, magna ſacerdos:
Diſcedam, explebo numerum, reddarque tenebris.
I decus, i, noſtrum; melioribus utere fatis.
Tantum effatus, & in verbo veſtigia torſit.
Reſpicit Aeneas ſubito, & ſub rupe ſiniſtra
Mœnia lata videt, triplici circumdata muro:
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque ſonantia ſaxa.
Porta adverſa ingens, ſolidoque adamante columnæ:
Vis ut nulla virum, non ipſi exſcindere ferro
Cælicolæ valeant. ſtat ferrea turris ad auras:
Tiſiphoneque ſedens, palla ſuccincta cruenta,
Veſtibulum exſomnis ſervat nocteſque dieſque.
Hinc exaudiri gemitus, & ſæva ſonare
Verbera: tum ſtridor ferri, tractæque catenæ.
Conſtitit Aeneas, ſtrepitumque exterritus hauſit:
Quæ ſcelerum facies? o virgo, effare: quibuſve
Urgentur pœnis? qui tantus plangor ad auras?
Tum vates ſic orſa loqui: Dux inclyte Teucrum,
Nulli fas caſto ſceleratum inſiſtere limen:
Sed me, cum lucis Hecate præfecit Avernis,
Ipſa Deum pœnas docuit, perque omnia duxit.
Gnoſſius hæc Rhadamanthus habet duriſſima regna,
Caſtigatque auditque dolos; ſubigitque fateri,
Quæ quis apud ſuperos, furto lætatus inani,
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.
Continuo ſontes ultrix accincta flagello
Tiſiphone quatit inſultans, torvoſque ſiniſtra
Intentans angues, vocat agmina ſæva ſororum.
Tum demum horriſono ſtridentes cardine ſacræ
Panduntur portæ. cernis, cuſtodia qualis
Veſtibulo ſedeat? facies quæ limina ſervet?
Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
Sævior intus habet ſedem. tum Tartarus ipſe
Bis patet in præceps tantum, tenditque ſub umbras,
Quantus ad ætherium cæli ſuſpectus Olympum.
Hic genus antiquum terræ, Titania pubes,
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.
Hic & Aloidas geminos immania vidi
Corpora: qui manibus magnum reſcindere cælum
Aggreſſi, ſuperiſque Jovem detrudere regnis.
Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Jovis & ſonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic invectus equis, & lampada quaſſans,
Per Grajum populos, mediæque per Elidis urbem
Ibat ovans, divumque ſibi poſcebat honorem,
Demens! qui nimbos, & non imitabile fulmen
Ære & cornipedum pulſu ſimulabat equorum.
At pater omnipotens denſa inter nubila telum
Contorſit, (non ille faces, nec fumea tædis
Lumina) præcipitemque immani turbine adegit.
Nec non & Tityon, Terræ omniparentis alumnum,
Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur, roſtroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tondens, fœcundaque pœnis
Viſcera, rimaturque epulis, habitatque ſub alto
Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.
Quid memorem Lapithas Ixiona Pirithoumque:
Quos ſuper atra ſilex jamjam lapſura, cadentique
Imminet aſſimilis: lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu. Furiarum maxima juxta
Accubat, & manibus prohibet contingere menſas:
Exſurgitque facem attollens, atque intonat ore.
Hic, quibus inviſi fratres, dum vita manebat,
Pulſatuſve parens, & fraus innexa clienti;
Aut qui divitiis ſoli incubuere repertis,
Nec partem poſuere ſuis, quæ maxima turba eſt;
Quique ob adulterium cæſi, quique arma ſecuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Incluſi pœnam exſpectant. ne quære doceri,
Quam pœnam, aut quæ forma viros, fortunave merſit.
Saxum ingens volvunt alii, radiiſque rotarum
Deſtricti pendent: ſedet, æternumque ſedebit
Infelix Theſeus: Phlegyaſque miſerrimus omnes
Admonet, & magna teſtatur voce per umbras:
Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere divos.
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Impoſuit: fixit leges pretio atque refixit.
Hic thalamum invaſit natæ vetitoſque hymenæos.
Auſi omnes immane nefas, auſoque potiti.
Non, mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſim.
Hæc ubi dicta dedit Phœbi longæva ſacerdos:
Sed jam age carpe viam, & ſuſceptum perfice munus:
Acceleremus, ait. Cyclopum educta caminis
Mœnia conſpicio, atque adverſo fornice portas,
Hæc ubi nos præcepta jubent deponere dona.
Dixerat, & pariter, greſſi per opaca viarum,
Corripiunt ſpatium medium, foribuſque propinquant.
Occupat Aeneas aditum, corpuſque recenti
Spargit aqua, ramumque adverſo in limine figit.
His demum exactis, perfecto munere divæ,
Devenere locos lætos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas.
Largior hic campos æther & lumine veſtit
Purpureo; ſolemque ſuum, ſua ſidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæſtris;
Contendunt ludo, & fulva luctantur arena:
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.
Nec non Threicius longa cum veſte ſacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum:
Jamque eadem digitis, jam pectine pulſat eburno.
Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
Magnanimi heroes, nati melioribus annis,
Iluſque, Aſſaracuſque, & Trojæ Dardanus auctor.
Arma procul, curruſque virum miratur inanes.
Stant

Stant terra defixæ haſtæ, paſſimque ſoluti
Per campum paſcuntur equi. quæ gratia curruum
Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes
Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.
Conſpicit, ecce, alios dextra lævaque per herbam
Veſcentes, lætumque choro Pæana canentes,
Inter odoratum lauri nemus: unde ſuperne
Plurimus Eridani per ſilvam volvitur amnis.
Hic manus, ob patriam pugnando vulnera paſſi,
Quique ſacerdotes caſti, dum vita manebat,
Quique pii vates, & Phœbo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artes,
Quique ſui memores alios fecere merendo:
Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.
Quos circumfuſos ſic eſt affata Sibylla;
Muſæum ante omnes: medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris exſtantem ſuſpicit altis:
Dicite, felices animæ, tuque, optime vates;
Quæ regio Anchiſen, quis habet locus? illius ergo
Venimus, & magnos Erebi tranavimus amnes.
Atque huic reſponſum paucis ita reddidit heros:
Nulli certa domus. lucis habitamus opacis,
Riparumque toros & prata recentia rivis
Incolimus. ſed vos, ſi fert ita corde voluntas,
Hoc ſuperate jugum; & facili jam tramite ſiſtam.
Dixit, & ante tulit greſſum, campoſque nitentes
Deſuper oſtentat: dehinc ſumma cacumina linquunt.
At pater Anchiſes penitus convalle virenti
Incluſas animas, ſuperumque ad lumen ituras,
Luſtrabat ſtudio recolens, omnemque ſuorum
Forte recenſebat numerum, caroſque nepotes,
Fataque, Fortunaſque virum, moreſque, manuſque.
Iſque ubi tendentem adverſum per gramina vidit
Aenean, alacris palmas utraſque tetendit:
Effuſæque genis lacrimæ; & vox excidit ore:
Veniſti tandem, tuaque ſpectata parenti
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,
Nate, tua; & notas audire & reddere voces?
Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum,
Tempora dinumerans: nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum
Accipio! quantis jactatum, nate, periclis!
Quam metui, ne quid Libyæ tibi regna nocerent!
Ille autem: Tua me, genitor, tua triſtis imago,
Sæpius occurrens, hæc limina tendere adegit.
Stant ſale Tyrrheno claſſes: da jungere dextram,
Da, genitor; teque amplexu ne ſubtrahe noſtro.
Sic memorans largo fletu ſimul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum:
Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.
Interea videt Aeneas in valle reducta
Secluſum nemus, & virgulta ſonantia ſilvis,
Lethæumque, domos placidas qui prænatat, amnem.
Hunc circum innumeræ gentes, populique volabant.
Ac veluti in pratis, ubi apes æſtate ſerena
Floribus inſidunt variis, & candida circum
Lilia funduntur: ſtrepit omnis murmure campus.
Horreſcit viſu ſubito, cauſſaſque requirit
Inſcius Aeneas, quæ ſint ea flumina porro,
Quive viri tanto complerint agmine ripas.
Tum pater Anchiſes: Animæ, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethæi ad fluminis undam
Securos latices & longa oblivia potant.
Has equidem memorare tibi atque oſtendere coram,
Jampridem hanc prolem cupio enumerare meorum:
Quo magis Italia mecum lætere reperta.
O pater, anne aliquas ad cælum hinc ire putandum eſt
Sublimes animas, iterumque ad tarda reverti
Corpora? quæ lucis miſeris tam dira cupido?
Dicam equidem; nec te ſuſpenſum, nate, tenebo:
Suſcipit Anchiſes, atque ordine ſingula pandit.
Principio cælum, ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque: dolent, gaudentque: neque auras
Deſpiciunt clauſæ tenebris & carcere cæco.
Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes: penituſque neceſſe eſt
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. aliæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos: aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.
Quiſque ſuos patimur Manes: exinde per amplum
Mittimur Elyſium, & pauci læta arva tenemus:
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Ætherium ſenſum, atque aurai ſimplicis ignem.
Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad fluvium deus evocat agmine magno:
Scilicet immemores ſupera ut convexa reviſant,
Rurſus & incipiant in corpora velle reverti.
Dixerat Anchiſes: natumque unaque Sibyllam
Conventus trahit in medios, turbamque ſonantem:
Et tumulum capit, unde omnes longo ordine poſſit
Adverſos legere, & venientum diſcere vultus.
Nunc age, Dardaniam prolem, quæ deinde ſequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Illuſtres animas, noſtrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, & te tua fata docebo.
Ille, [vides] pura juvenis qui nititur haſta,
Proxima ſorte tenet lucis loca; primus ad auras
Ætherias Italo commixtus ſanguine ſurget.
Silvius Albanum nomen, tua poſthuma proles:
Quem tibi longævo ſerum Lavinia conjux
Educet ſilvis regem, regumque parentem:
Unde genus Longa noſtrum dominabitur Alba.
Proximus ille Procas, Trojanæ gloria gentis,
Et Capys, & Numitor, & qui te nomine reddet
Silvius Aeneas, pariter pietate vel armis
Egregius, ſi umquam regnandam acceperit Albam.
Qui juvenes quantas oſtentant, aſpice, vires!
Atque umbrata gerunt civili tempora quercu.
Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces,
(Laude pudicitiæ celebres, addentque ſuperbos)
Pometios, Caſtrumque Inui, Bolamque, Coramque.
Hæc tum nomina erunt, nunc ſunt ſine nomine terræ.
Quin & avo comitem ſeſe Mavortius addet
Romulus; Aſſaraci quem ſanguinis Ilia mater
Educet. viden' ut geminæ ſtant vertice criſtæ,
Et pater ipſe ſuo ſuperum jam ſignat honore?
En hujus, nate, auſpiciis illa inclyta Roma
Imperium

Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septemque una ſibi muro circumdabit arces,
Felix prole virum, qualis Berecynthia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Læta deum partu centum complexa nepotes,
Omnes cælicolas, omnes ſupera alta tenentes.
Huc geminas nunc flecte acies; hanc aſpice gentem,
Romanoſque tuos. hic Cæſar, & omnis Iuli
Progenies, magnum cæli ventura ſub axem.
Hic vir, hic eſt, tibi quem promitti ſæpius audis,
Auguſtus Cæſar, Divi genus: aurea condet
Sæcula qui rurſus Latio, regnata per arva
Saturno quondam; ſuper & Garamantas & Indos
Proferet imperium. jacet extra ſidera tellus,
Extra anni ſoliſque vias, ubi cælifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.
Hujus in adventum jam nunc & Caſpia regna
Reſponſis horrent divum, & Mœotia tellus,
Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit;
Fixerit æripedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora, & Lernam tremefecerit arcu.
Nec, qui pampineis victor juga flectit habenis,
Liber, agens celſo Nyſæ de vertice tigres.
Et dubitamus adhuc virtute extendere vires?
Aut metus Auſonia prohibet conſiſtere terra?
Quis procul ille autem ramis inſignis olivæ
Sacra ferens? noſco crines incanaque menta
Regis Romani; primam qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis & paupere terra
Miſſus in imperium magnum. cui deinde ſubibit,
Otia qui rumpet patriæ, reſideſque movebit
Tullus in arma viros, & jam deſueta triumphis
Agmina. quem juxta ſequitur jactantior Ancus,
Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.
Vis & Tarquinios reges, animamque ſuperbam
Ultoris Bruti, faſceſque videre receptos?
Conſulis imperium hic primus ſævaſque ſecures
Accipiet: natoſque pater nova bella moventes,
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit
Infelix. utcumque ferent ea facta minores;
Vincet amor patriæ, laudumque immenſa cupido.
Quin Decios, Druſoſque procul, ſævumque ſecuri
Aſpice Torquatum, & referentem ſigna Camillum.
Illæ autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animæ nunc & dum nocte prementur,
Heu quantum inter ſe bellum, ſi lumina vitæ
Attigerint, quantas acies ſtragemque ciebunt!
Aggeribus ſocer Alpinis atque arce Monœci,
Deſcendens gener adverſis inſtructus Eois.
Ne, pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella:
Neu patriæ validas in viſcera vertite vires.
Tuque prior, tu parce; genus qui ducis Olympo:
Projice tela manu, ſanguis meus.
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæſis inſignis Achivis.
Eruet ille Argos, Agamemnoniaſque Mycenas,
Ipſumque Æaciden, genus armipotentis Achilli;
Ultus avos Trojæ, templa & temerata Minervæ.
Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Coſſe, relinquat?
Quis Gracci genus, aut geminos duo fulmina belli
Scipiadas cladem Libyæ, parvoque potentem
Fabricium; vel te ſulco, Serrane, ſerentem?
Quo feſſum rapitis, Fabii? tu maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando reſtituis rem.
Excudent alii ſpirantia mollius æra:
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt cauſſas melius, cælique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.
Sic pater Anchiſes, atque hæc mirantibus addit:
Aſpice ut inſignis ſpoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros ſupereminet omnes!
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Siſtet eques: ſternet Pœnos, Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri ſuſpendet capta Quirino.
Atque hic Æneas; una namque ire videbat
Egregium forma juvenem & fulgentibus armis,
Sed frons læta parum, & dejecto lumina vultu:
Quis, pater, ille, virum qui ſic comitatur euntem?
Filius, anne aliquis magna de ſtirpe nepotum?
Qui ſtrepitus circa comitum! quantum inſtar in ipſo!
Sed nox atra caput triſti circumvolat umbra.
Tum pater Anchiſes, lacrimis ingreſſus obortis:
O nate, ingentem luctum ne quære tuorum:
Oſtendent terris hunc tantum fata, nec ultra
Eſſe ſinent. nimium vobis Romana propago
Viſa potens, ſuperi, propria hæc ſi dona fuiſſent.
Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quæ, Tiberine, videbis
Funera, cum tumulum præterlabere recentem!
Nec puer Iliaca quiſquam de gente Latinos
In tantum ſpe tollet avos: nec Romula quondam
Ullo ſe tantum tellus jactabit alumno.
Heu pietas, heu priſca fides, invictaque bello
Dextera! non illi ſe quiſquam impune tuliſſet
Obvius armato, ſeu cum pedes iret in hoſtem,
Seu ſpumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu, miſerande puer! ſi qua fata aſpera rumpas,
Tu Marcellus eris. manibus date lilia plenis:
Purpureos ſpargam flores, animamque nepotis
His ſaltem accumulem donis, & fungar inani
Munere. ſic tota paſſim regione vagantur
Aeris in campis latis, atque omnia luſtrant.
Quæ poſtquam Anchiſes natum per ſingula duxit,
Incenditque animum famæ venientis amore:
Exin bella viro memorat, quæ deinde gerenda,
Laurenteſque docet populos, urbemque Latini,
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
Sunt geminæ Somni portæ: quarum altera fertur
Cornea; qua veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto:
Sed falſa ad cælum mittunt inſomnia Manes.
His ubi tum natum Anchiſes unaque Sibyllam
Proſequitur dictis, portaque emittit eburna.
Ille viam ſecat ad naves, ſocioſque reviſit.
Tum ſe ad Caietæ recto fert litore portum.
Anchora de prora jacitur: ſtant litore puppes.

Æ N E I D O S

L I B E R VII.

TU quoque litoribus noſtris, Æneia nutrix,
Æternam moriens famam, Caieta, dediſti.
Et nunc ſervat honos ſedem tuus, oſſaque nomen
Heſperia in magna (ſi qua eſt ea gloria) ſignant.
At pius exequiis Æneas rite ſolutis,
Aggere compoſito tumuli, poſtquam alta quierunt
Æquora, tendit iter velis, portumque relinquit.

Aſpirant auræ in noctem, nec candida curſus
Luna negat: ſplendet tremulo ſub lumine pontus.
Proxima Circææ raduntur litora terræ:
Dives inacceſſos ubi Solis filia lucos
Aſſiduo reſonat cantu, tectiſque ſuperbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenues percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus iræque leonum
Vincla recuſantum & ſera ſub nocte rudentum:
Setigerique ſues, atque in præſepibus urſi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum:
Quos hominum ex facie dea ſæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.
Quæ ne monſtra pii paterentur talia Troes
Delati in portus, neu litora dira ſubirent;
Neptunus ventis implevit vela ſecundis,
Atque fugam dedit, & præter vada fervida vexit.
Jamque rubeſcebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis;
Cum venti poſuere, omniſque repente reſedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tonſæ.
Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum
Proſpicit. hunc inter fluvio Tiberinus amœno,
Vorticibus rapidis & multa flavus arena,
In mare prorumpit. variæ circumque ſupraque
Aſſuetæ ripis volucres & fluminis alveo
Æthera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Flectere iter ſociis, terræque advertere proras
Imperat, & lætus fluvio ſuccedit opaco.
Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit ſtatus, advena claſſem
Cum primum Auſoniis exercitus appulit oris,
Expediam, & primæ revocabo exordia pugnæ.
Tu vatem, tu, diva, mone. dicam horrida bella:
Dicam acies, actoſque animis in funera reges,
Tyrrhenamque manum, totamque ſub arma coactam
Heſperiam. major rerum mihi naſcitur ordo:
Majus opus moveo. Rex arva Latinus & urbes
Jam ſenior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica
Accipimus: Fauno Picus pater: iſque parentem
Te, Saturne, refert: tu ſanguinis ultimus auctor.
Filius huic fato divum, proleſque virilis
Nulla fuit, primaque oriens erepta juventa eſt.
Sola domum & tantas ſervabat filia ſedes;
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.
Multi illam magno e Latio totaque petebant
Auſonia: petit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus, avis ataviſque potens: quem regia conjux
Adjungi generum miro properabat amore:
Sed variis portenta deum terroribus obſtant.
Laurus erat tecti medio in penetralibus altis
Sacra comam, multoſque metu ſervata per annos:
Quam pater inventam, primas cum conderet arces,
Ipſe ferebatur Phœbo ſacraſſe Latinus,
Laurentiſque ab ea nomen poſuiſſe colonis.
Hujus apes ſummum denſæ, (mirabile dictu)
Stridore ingenti, liquidum trans æthera vectæ,
Obſedere apicem; & pedibus per mutua nexis
Examen ſubitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,
Adventare virum, & partes petere agmen eaſdem
Partibus ex iiſdem, & ſumma dominarier arce.
Præterea, caſtis adolet dum altaria tædis,
Et juxta genitorem adſtat Lavinia virgo,
Viſa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari;
Regaleſque accenſa comas, accenſa coronam
Inſignem gemmis: tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Vulcanum ſpargere tectis.
Id vero horrendum ac viſu mirabile ferri.
Namque fore illuſtrem fama fatiſque canebant
Ipſam, ſed populo magnum portendere bellum.
At rex ſollicitus monſtris, oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, lucoſque ſub alta
Conſulit Albunea: nemorum quæ maxima ſacro
Fonte ſonat, ſævamque exhalat opaca mephitim.
Hinc Italæ gentes, omniſque Oenotria tellus
In dubiis reſponſa petunt. huc dona ſacerdos
Cum tulit, & cæſarum ovium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit;
Multa modis ſimulacra videt volitantia miris:
Et varias audit voces, fruiturque deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis.
Hic & tum pater ipſe petens reſponſa Latinus,
Centum lanigeras mactabat rite bidentes,
Atque harum effultus tergo ſtratiſque jacebat
Velleribus. ſubita ex alto vox reddita luco eſt:
Ne pete connubiis natam ſociare Latinis,
O mea progenies, thalamis neu crede paratis.
Externi veniunt generi, qui ſanguine noſtrum
Nomen in aſtra ferent, quorumque ab ſtirpe nepotes
Omnia ſub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Aſpicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Hæc reſponſa patris Fauni, monituſque ſilenti
Nocte datos, non ipſe ſuo premit ore Latinus:
Sed circum late volitans jam Fama per urbes
Auſonias tulerat; cum Laomedontia pubes
Gramineo ripæ religavit ab aggere claſſem.
Æneas, primique duces, & pulcher Iulus,
Corpora ſub ramis deponunt arboris altæ:
Inſtituuntque dapes, & adorea liba per herbam
Subjiciunt epulis, (ſic Jupiter ille monebat)
Et Cereale ſolum pomis agreſtibus augent.
Conſumtis hic forte aliis, ut vertere morſus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,
Et violare manu maliſque audacibus orbem
Fatalis cruſti, patulis nec parcere quadris;
Heus! etiam menſas conſumimus? inquit Iulus.
Nec plura alludens. ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac ſtupefactus numine preſſit.
Continuo, Salve fatis mihi debita Tellus,
Voſque, ait, o fidi Trojæ ſalvete Penates.
Hic domus, hæc patria eſt. genitor mihi talia, (namque
Nunc repeto) Anchiſes fatorum arcana reliquit:
Cum te, nate, fames ignota ad litora vectum
Acciſis coget dapibus conſumere menſas;
Tum ſperare domos defeſſus, ibique memento
Prima locare manu molirique aggere tecta.
Hæc erat illa fames; hæc nos ſuprema manebat
Exitiis poſitura modum.
Quare agite, & primo læti cum lumine ſolis,
Quæ loca, quive habeant homines, ubi mœnia gentis,
Veſtigemus, & a portu diverſa petamus.
Nunc pateras libate Jovi, precibuſque vocate
Anchiſen genitorem, & vina reponite menſis.
Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Implicat, & Geniumque loci primamque deorum
Tellurem, Nymphaſque, & adhuc ignota precatur
Flumina: tum Noctem, noctiſque orientia ſigna,
Idæumque Jovem, Phrygiamque ex ordine matrem,

Invo-

Invocat, & duplices Cæloque Ereboque parentes.
Hic pater omnipotens ter cælo clarus ab alto
Intonuit; radiiſque ardentem lucis, & auro,
Ipſe manu quatiens oſtendit ab æthere nubem.
Diditur hic ſubito Trojana per agmina rumor,
Adveniſſe diem, quo debita mœnia condant.
Certatim inſtaurant epulas, atque omine magno
Crateras læti ſtatuunt, & vina coronant.
Poſtera com prima luſtrabat lampade terras
Orta dies, urbem, & fines, & litora gentis
Diverſi explorant: hæc fontis ſtagna Numici,
Hunc Tibrim fluvium: hic fortes habitare Latinos.
Tum ſatus Anchiſa delectos ordine ab omni
Centum oratores auguſta ad mœnia regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes;
Donaque ferre viro, pacemque expoſcere Teucris.
Haud mora; feſtinant juſſi, rapidiſque feruntur
Paſſibus: ipſe humili deſignat mœnia foſſa,
Moliturque locum, primaſque in litore ſedes
Caſtrorum in morem pinnis atque aggere cingit.
Jamque iter emenſi turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muroque ſubibant:
Ante urbem pueri, & primævo flore juventus
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus:
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, curſuque, ictuque laceſſunt;
Cum provectus equo longævi regis ad aures
Nuntius, ingentes ignota in veſte reportat
Adveniſſe viros. ille intra tecta vocari
Imperat, & ſolio medius conſedit avito.
Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis,
Urbe fuit ſumma, Laurentis regia Pici;
Horrendum ſilvis, & religione parentum.
Hinc ſceptra accipere, & primos attollere faſces
Regibus omen erat: hoc illis curia templum,
Hæ ſacris ſedes epulis, hic ariete cæſo
Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua ex cedro, Italuſque, paterque Sabinus
Vitiſator, curvam ſervans ſub imagine falcem,
Saturnuſque ſenex, Janique bifrontis imago
Veſtibulo adſtabant, aliique ab origine reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera paſſi.
Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque ſecures,
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra;
Spiculaque, clypeique, ereptaque roſtra carinis.
Ipſe Quirinali lituo, parvaque ſedebat
Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat
Picus equum domitor: quem capta cupidine conjux
Aurea percuſſum virga, verſumque venenis
Fecit avem Circe, ſparſitque coloribus alas.
Tali intus templo divum, patriaque Latinus
Sede ſedens Teucros ad ſeſe in tecta vocavit.
Atque hæc ingreſſis placido prior edidit ore:
Dicite, Dardanidæ, (neque enim neſcimus & urbem,
Et genus, auditique advertitis æquore curſum)
Quid petitis? quæ cauſſa rates, aut cujus egentes
Litus ad Auſonium tot per vada cærula vexit?
Sive errore viæ, ſeu tempeſtatibus acti,
(Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto)
Fluminis intraſtis ripas, portuque ſedetis:
Ne fugite hoſpitium, neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo, nec legibus æquam;
Sponte ſua veteriſque dei ſe more tenentem.
Atque equidem memini (fama eſt obſcurior annis)

Auruncos ita ferre ſenes, his cretus ut agris
Dardanus Idæas Phrygiæ penetravit ad urbes,
Threiciamque Samum, quæ nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhena ab ſede profectum
Aurea nunc ſolio ſtellantis regia cæli
Accipit, & numerum divorum altaribus auget.
Dixerat, & dicta Ilioneus ſic voce ſecutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra ſubegit hiems veſtris ſuccedere terris,
Nec ſidus regione viæ, lituſque fefellit.
Conſilio hanc omnes, animiſque volentibus urbem
Afferimur pulſi regnis, quæ maxima quondam
Extremo veniens ſol aſpiciebat Olympo.
Ab Jove principium generis: Jove Dardana pubes
Gaudet avo. rex ipſe Jovis de gente ſuprema
Troius Æneas tua nos ad limina miſit.
Quanta per Idæos ſævis effuſa Mycenis
Tempeſtas ierit campos: quibus actus uterque
Europæ, atque Aſiæ fatis concurrerit orbis;
Audiit, & ſi quem tellus extrema refuſo
Submovet Oceano, & ſi quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga ſolis iniqui.
Diluvio ex illo tot vaſta per æquora vecti
Dis ſedem exiguam patriis, lituſque rogamus
Innocuum, & cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores, nec veſtra feretur
Fama levis, tantique aboleſcet gratia facti:
Nec Trojam Auſonios gremio excepiſſe pigebit.
Fata per Æneæ juro, dextramque potentem,
Sive fide, ſeu quis bello eſt expertus, & armis:
Multi nos populi, multæ (ne temne, quod ultro
Præferimus manibus vittas, ac verba precantum)
Et petiere ſibi, & voluere adjungere gentes.
Sed nos fata deum veſtras exquirere terras
Imperiis egere ſuis. hinc Dardanus ortus
Huc repetit, juſſiſque ingentibus urget Apollo
Tyrrhenum ad Tibrim, & fontis vada ſacra Numici.
Dat tibi præterea fortunæ parva prioris
Munera, relliquias Troja ex ardente receptas.
Hoc pater Anchiſes auro libabat ad aras:
Hoc Priami geſtamen erat, cum jura vocatis
More daret populis, ſceptrumque, ſacerque tiaras,
Iliadumque labor, veſtes.
Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
Obtutu tenet ora, ſoloque immobilis hæret,
Intentos volvens oculos. nec purpura regem
Picta movet, nec ſceptra movent Priameia tantum,
Quantum in connubio natæ thalamoque moratur:
Et veteris Fauni volvit ſub pectore ſortem.
Hunc illum fatis externa ab ſede profectum
Portendi generum, paribuſque in regna vocari
Auſpiciis: huic progeniem virtute futuram
Egregiam, & totum quæ viribus occupet orbem.
Tandem lætus ait: Di noſtra incepta ſecundent,
Auguriumque ſuum. dabitur, Trojane, quod optas.
Munera nec ſperno. non vobis rege Latino
Divitis uber agri Trojæve opulentia deerit.
Ipſe modo Æneas (noſtri ſi tanta cupido eſt,
Si jungi hoſpitio properat, ſociuſve vocari)
Adveniat; vultus neve exhorreſcat amicos:
Pars mihi pacis erit, dextram tetigiſſe tyranni.
Vos contra regi mea nunc mandata referte.
Eſt mihi nata, viro gentis quam jungere noſtræ,
Non patrio ex adyto ſortes, non plurima cælo
Monſtra ſinunt: generos externis affore ab oris,
Hoc Latio reſtare canunt, qui ſanguine noſtrum

Nomen in aſtra ferant. hunc illum poſcere fata
Et reor, & (ſi quid veri mens augurat) opto.
Hæc effatus, equos numero pater eligit omni.
Stabant ter centum nitidi in præſepibus altis.
Omnibus extemplo Teucris jubet ordine duci
Inſtratos oſtro alipedes pictiſque tapetis.
Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent;
Tecti auro, fulvum mandunt ſub dentibus aurum.
Abſenti Æneæ currum geminoſque jugales,
Semine ab ætherio, ſpirantes naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos dædala Circe
Suppoſita de matre nothos furata creavit.
Talibus Æneadæ donis dictiſque Latini
Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.
Ecce autem Inachiis ſeſe referebat ab Argis
Sæva Jovis conjux, auraſque invecta tenebat:
Et lætum Ænean, claſſemque ex æthere longo
Dardaniam Siculo proſpexit ab uſque Pachyno.
Moliri jam tecta videt, jam fidere terræ:
Deſeruiſſe rates. ſtetit acri fixa dolore.
Tum quaſſans caput, hæc effundit pectore dicta:
Heu ſtirpem inviſam, & fatis contraria noſtris
Fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis,
Num capti potuere capi? num incenſa cremavit
Troja viros? medias acies, medioſque per ignes
Invenere viam? at (credo) mea numina tandem
Feſſa jacent, odiis aut exſaturata quievi.
Quin etiam patria excuſſos infeſta per undas
Auſa ſequi, & profugis toto me opponere ponto.
Abſumtæ in Teucros vires cælique mariſque.
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vaſta Charybdis
Profuit? optato conduntur Tybridis alveo,
Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
Immanem Lapithum valuit: conceſſit in iras
Ipſe deum antiquam genitor Calydona Dianæ:
Quod ſcelus aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem?
Aſt ego magna Jovis conjux nil linquere inauſum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,
Vincor ab Ænea. quod ſi mea numina non ſunt
Magna ſatis; dubitem haud equidem implorare quod uſ-
Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo. (quam eſt.
Non dabitur regnis (eſto) prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lavinia conjux.
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus:
At licet amborum populos exſcindere regum.
Hac gener atque ſocer coëant mercede ſuorum.
Sanguine Trojano & Rutulo dotabere, virgo:
Et Bellona manet te pronuba. nec face tantum
Ciſſæis prægnans ignes enixa jugales:
Quin idem Veneri partus ſuus, & Paris alter,
Funeſtæque iterum recidiva in Pergama tædæ.
Hæc ubi dicta dedit, terras horrenda petivit:
Luctificam Alecto Dirarum ab ſede ſororum
Inferniſque ciet tenebris: cui triſtia bella,
Iræque, inſidiæque, & crimina noxia cordi.
Odit & ipſa pater Pluton, odere ſorores
Tartareæ monſtrum: tot ſeſe vertit in ora,
Tam ſævæ facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Juno his acuit verbis, ac talia fatur:
Hunc mihi da proprium, virgo ſata Nocte, laborem,
Hanc operam, ne noſter honos infractave cedat
Fama loco: neu connubiis ambire Latinum
Aeneadæ poſſint, Italoſve obſidere fines.
Tu potes unanimos armare in prælia fratres,
Atque odiis verſare domos: tu verbera tectis
Funereaſque inferre faces: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes. fœcundum concute pectus,
Disjice compoſitam pacem, ſere crimina belli:
Arma velit, poſcatque ſimul, rapiatque juventus.
Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis
Principio Latium, & Laurentis tecta tyranni
Celſa petit, tacitumque obſedit limen Amatæ:
Quam ſuper adventu Teucrum Turnique hymenæis
Femineæ ardentem curæque iræque coquebant.
Huic dea cæruleis unum de crinibus anguem
Conjicit, inque ſinum præcordia ad intima ſubdit:
Quo furibunda domum monſtro permiſceat omnem.
Ille inter veſtes & levia pectora lapſus
Volvitur attactu nullo, fallitque furentem,
Vipeream inſpirans animam. fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longæ tænia vittæ,
Innectitque comas, & membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo ſublapſa veneno
Pertentat ſenſus, atque oſſibus implicat ignem;
Necdum animus toto percepit pectore flammam;
Mollius, & ſolito matrum de more, locuta eſt;
Multa ſuper nata lacrimans Phrygiiſque hymenæis:
Exulibuſne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miſeret natæque tuique?
Nec matris miſeret, quam primo aquilone relinquet
Perfidus alta petens abducta virgine prædo?
At non ſic Phrygius penetrat Lacedæmona paſtor,
Ledæamque Helenam Trojanas vexit ad urbes.
Quid tua ſancta fides, quid cura antiqua tuorum,
Et conſanguineo totiens data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idque ſedet, Faunique premunt te juſſa parentis;
Omnem equidem ſceptris terram, quæ libera noſtris
Diſſidet, externam reor, & ſic dicere divos.
Et Turno, ſi prima domus repetatur origo,
Inachus Acriſiuſque patres mediæque Mycenæ.
His ubi nequidquam dictis experta, Latinum
Contra ſtare videt, penituſque in viſcera lapſum
Serpentis furiale malum, totamque pererrat;
Tum vero infelix, ingentibus excita monſtris,
Immenſam ſine more furit lymphata per urbem:
Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curvatis fertur ſpatiis: ſtupet inſcia ſupra
Impubeſque manus, mirata volubile buxum:
Dant animos plagæ. non curſu ſegnior illo
Per medias urbes agitur populoſque feroces.
Quin etiam in ſilvas, ſimulato numine Bacchi,
Majus adorta nefas, majoremque orſa furorem,
Evolat, & natam frondoſis montibus abdit;
Quo thalamum eripiat Teucris, tædaſque moretur:
Euoe Bacche, fremens, ſolum te virgine dignum
Vociferans. etenim molles tibi ſumere thyrſos,
Te luſtrare choros, ſacrum tibi paſcere crinem.
Fama volat: Furiiſque accenſas pectore matres
Idem omnes ſimul ardor agit, nova quærere tecta.
Deſeruere domos: ventis dant colla comaſque.
Aſt aliæ tremulis ululatibus æthera complent,
Pampineaſque gerunt incinctæ pellibus haſtas.
Ipſa inter medias flagrantem fervida pinum
Suſtinet, ac natæ Turnique canit hymenæos,
Sanguineam torquens aciem; torvumque repente
Clamat: Io matres, audite ubi quæque, Latinæ.
Si qua piis animis manet infelicis Amatæ
Gratia, ſi juris materni cura remordet;
Solvite crinales vittas, capite orgia mecum.

Talem

Talem inter ſilvas, inter deſerta ferarum,
Reginam Alecto ſtimulis agit undique Bacchi.
Poſtquam viſa ſatis primos acuiſſe furores,
Conſiliumque omnemque domum vertiſſe Latini;
Protinus hinc fuſcis triſtis dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros: quam dicitur urbem
Acriſioneis Danae fundaſſe colonis,
Præcipiti delata noto. locus Ardea quondam
Dictus avis: & nunc magnum manet Ardea nomen.
Sed Fortuna fuit. tectis hic Turnus in altis
Jam mediam nigra carpebat nocte quietem.
Alecto torvam faciem & furialia membra
Exuit: in vultus ſeſe transformat aniles,
Et frontem obſcœnam rugis arat. induit albos
Cum vitta crines: tum ramum innectit olivæ.
Fit Chalybe Junonis anus templique ſacerdos;
Et juveni ante oculos his ſe cum vocibus offert:
Turne, tot incaſſum fuſos patiere labores,
Et tua Dardaniis tranſcribi ſceptra colonis?
Rex tibi conjugium, & quæſitas ſanguine dotes
Abnegat; externuſque in regnum quæritur hæres.
I nunc, ingratis offer te, irriſe, periclis:
Tyrrhenas, i, ſterne acies: tege pace Latinos.
Hæc adeo tibi me, placida cum nocte jaceres,
Ipſa palam fari omnipotens Saturnia juſſit.
Quare age, & armari pubem portiſque moveri
Lætus in arma para, & Phrygios, qui flumine pulchro
Conſedere, duces, pictaſque exure carinas.
Cæleſtum vis magna jubet. rex ipſe Latinus,
Ni dare conjugium & dicto parere fatetur,
Sentiat, & tandem Turnum experiatur in armis.
Hic juvenis vatem irridens, ſic orſa viciſſim
Ore refert: Claſſes invectas Tybridis alveo
Non (ut rere) meas effugit nuntius aures.
Ne tantos mihi finge metus: nec regia Juno
Immemor eſt noſtri.
Sed te victa ſitu verique effœta ſenectus,
O mater, curis nequidquam exercet, & arma
Regum inter falſa vatem formidine ludit.
Cura tibi, divum effigies & templa tueri:
Bella viri pacemque gerant, queis bella gerenda.
Talibus Alecto dictis exarſit in iras.
At juveni oranti ſubitus tremor occupat artus:
Diriguere oculi: tot Erinnys ſibilat hydris,
Tantaque ſe facies aperit: tum flammea torquens
Lumina cunctantem & quærentem dicere plura
Reppulit, & geminos erexit crinibus angues,
Verberaque inſonuit, rabidoque hæc addidit ore:
En ego victa ſitu, quam veri effœta ſenectus
Arma inter regum falsa formidine ludit,
(Reſpice ad hæc) adſum dirarum ab ſede ſororum:
Bella manu letumque gero.
Sic effata facem juveni conjecit, & atro
Lumine fumantes fixit ſub pectore tædas.
Olli ſomnum ingens rumpit pavor: oſſaque & artus
Perfudit toto proruptus corpore ſudor.
Arma amens fremit; arma toro tectiſque requirit.
Sævit amor ferri, & ſcelerata inſania belli:
Ira ſuper, magno veluti cum flamma ſonore
Virgea ſuggeritur coſtis undantis aeni,
Exultantque æſtu latices; furit intus aquai
Fumidus, atque alte ſpumis exuberat amnis:
Nec jam ſe capit unda; volat vapor ater ad auras.
Ergo iter ad regem polluta pace Latinum
Indicit primis juvenum, & jubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hoſtem:
Se ſatis ambobus Teucriſque venire Latiniſque.
Hæc ubi dicta dedit, divoſque in vota vocavit;
Certatim ſeſe Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formæ movet atque juventæ;
Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.
Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet,
Alecto in Teucros Stygiis ſe concitat alis;
Arte nova ſpeculata locum, quo litore pulcher
Inſidiis curſuque feras agitabat Iulus.
Hic ſubitam canibus rabiem Cocytia virgo
Objicit, & noto nares contingit odore,
Ut cervum ardentes agerent: quæ prima laborum
Cauſſa fuit, belloque animos accendit agreſtes.
Cervus erat forma præſtanti & cornibus ingens,
Tyrrhidæ pueri quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrhuſque pater, cui regia parent
Armenta, & lati cuſtodia credita campi.
Aſſuetum imperiis ſoror omni Sylvia cura
Mollibus intexens ornabat cornua ſertis,
Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.
Ille, manum patiens, menſæque aſſuetus herili,
Errabat ſilvis; rurſuſque ad limina nota
Ipſe domum ſera quamvis ſe nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidæ venantis Iuli
Commovere canes: fluvio cum forte ſecundo
Deflueret, ripaque æſtus viridante levaret.
Ipſe etiam, eximiæ laudis ſuccenſus amore,
Aſcanius curvo direxit ſpicula cornu:
Nec dextræ erranti deus abfuit; actaque multo
Perque uterum ſonitu perque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Succeſſitque gemens ſtabulis, queſtuque cruentus
Atque imploranti ſimilis tectum omne replebat.
Sylvia prima ſoror, palmis percuſſa lacertos,
Auxilium vocat, & duros conclamat agreſtes.
Olli (peſtis enim tacitis latet aſpera ſilvis)
Improviſi adſunt: hic torre armatus obuſto,
Stipitis hic gravidi nodis. quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. vocat agmina Tyrrhus,
Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis
Scindebat, rapta ſpirans immane ſecuri.
At ſæva e ſpeculis tempus dea nacta nocendi
Ardua tecta petit ſtabuli; & de culmine ſummo
Paſtorale canit ſignum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem: qua protinus omne
Contremuit nemus, & ſilvæ intonuere profundæ.
Audiit & Triviæ longe lacus, audiit amnis
Sulfurea Nar albus aqua, fonteſque Velini:
Et trepidæ matres preſſere ad pectora natos.
Tum vero ad vocem celeres, qua buccina ſignum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis
Indomiti agricolæ: necnon & Troia pubes
Aſcanio auxilium caſtris effundit apertis.
Direxere acies. non jam certamine agreſti
Stipitibus duris agitur ſudibuſve præuſtis;
Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late
Horreſcit ſtrictis ſeges enſibus, æraque fulgent
Sole laceſſita, & lucem ſub nubila jactant:
Fluctus uti primo cœpit cum albeſcere vento,
Paulatim ſeſe tollit mare, & altius undas
Erigit, inde imo conſurgit ad æthera fundo.
Hic juvenis primam ante aciem ſtridente ſagitta,
Natorum Tyrrhi fuerat qui maximus, Almo
Sternitur. hæſit enim ſub gutture vulnus, & udæ
Vocis iter tenuemque incluſit ſanguine vitam.
Corpora multa virum circa, ſeniorque Galæſus,

Dum

Dum paci medium ſe offert: juſtiſſimus unus
Qui fuit, Auſoniiſque olim ditiſſimus arvis:
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, & terram centum vertebat aratris.
Atque ea per campos æquo dum Marte geruntur,
Promiſſi dea facta potens, ubi ſanguine bellum
Imbuit, & primæ commiſit funera pugnæ,
Deſerit Heſperiam, & cæli convexa per auras
Junonem victrix affatur voce ſuperba:
En perfecta tibi bello diſcordia triſti.
Dic; in amicitiam coeant, & fœdera jungant:
Quandoquidem Auſonio reſperſi ſanguine Teucros.
Hoc etiam his addam, tua ſi mihi certa voluntas,
Finitimas in bella feram rumoribus urbes,
Accendamque animos inſani Martis amore:
Undique ut auxilio veniant. ſpargam arma per agros.
Tum contra Juno: Terrorum & fraudis abunde eſt.
Stant belli cauſſæ: pugnatur cominus armis.
Quæ fors prima dedit, ſanguis novus imbuit arma.
Talia connubia & tales celebrent hymenæos
Egregium Veneris genus & rex ipſe Latinus:
Te ſuper ætherias errare licentius auras,
Haud pater ille velit ſummi regnator Olympi.
Cede locis. ego, ſi qua ſuper Fortuna laborum eſt,
Ipſa regam. tales dederat Saturnia voces.
Illa autem attollit ſtridentes anguibus alas,
Cocytique petit ſedem, ſupera ardua linquens.
Eſt locus Italiæ medio ſub montibus altis
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,
Amſancti valles. denſis hunc frondibus atrum
Urget utrimque latus nemoris, medioque fragoſus
Dat ſonitum ſaxis & torto vertice torrens.
Hic ſpecus horrendum ſævi ſpiracula Ditis
Monſtratur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Peſtiferas aperit fauces: queis condita Erinnys
Inviſum numen terras cælumque levabat.
Nec minus interea extremam Saturnia bello
Imponit regina manum. ruit omnis in urbem
Paſtorum ex acie numerus, cæſoſque reportant
Almonem puerum fœdatique ora Galæſi:
Implorantque deos, obteſtanturque Latinum.
Turnus adeſt, medioque in crimine cædis & igni
Terrorem ingeminat: Teucros in regna vocari,
Stirpem admiſceri Phrygiam; ſe limine pelli.
Tum quorum attonitæ Baccho nemora avia matres
Inſultant thiaſis, (neque enim leve nomen Amatæ)
Undique collecti coeunt, Martemque fatigant.
Ilicet infandum cuncti contra omnia bellum,
Contra fata deum perverſo numine poſcunt.
Certatim regis circumſtant tecta Latini.
Ille, velut pelagi rupes immota, reſiſtit:
Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quæ ſeſe, multis circum latrantibus undis,
Mole tenet: ſcopuli nequidquam & ſpumea circum
Saxa fremunt, laterique illiſa refunditur alga.
Verum ubi nulla datur cæcum exſuperare poteſtas
Conſilium, & ſævæ nutu Junonis eunt res;
Multa deos auraſque pater teſtatus inanes,
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procella.
Ipſi has ſacrilego pendetis ſanguine pœnas,
O miſeri. te, Turne, nefas, te triſte manebit
Supplicium; votiſque deos venerabere ſeris.
Nam mihi parta quies, omniſque in limine portus:
Funere felici ſpolior. nec plura locutus
Sepſit ſe tectis, rerumque reliquit habenas.
Mos erat Heſperio in Latio, quem protinus urbes
Albanæ coluere ſacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cum prima movent in prœlia Martem;
Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum,
Hyrcaniſve Arabiſve parant, ſeu tendere ad Indos,
Auroramque ſequi, Parthoſque repoſcere ſigna.
Sunt geminæ belli portæ (ſic nomine dicunt)
Relligione ſacræ, & ſævi formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes æternaque ferri
Robora: nec cuſtos abſiſtit limine Janus.
Has, ubi certa ſedet patribus ſententia pugnæ,
Ipſe Quirinali trabea cinctuque Gabino
Inſignis reſerat ſtridentia limina Conſul;
Ipſe vocat pugnas: ſequitur tum cetera pubes:
Æreaque aſſenſu conſpirant cornua rauco.
Hoc & tum Æneadis indicere bella Latinus
More jubebatur, triſteſque recludere portas.
Abſtinuit tactu pater, averſuſque refugit
Fœda miniſteria, & cæcis ſe condidit umbris.
Tum regina deum cælo delapſa morantes
Impulit ipſa manu portas, & cardine verſo
Belli ferratos rupit Saturnia poſtes.
Ardet inexcita Auſonia, atque immobilis ante.
Pars pedes ire parat campis; pars arduus altis
Pulverulentus equis furit: omnes arma requirunt.
Pars leves clypeos, & ſpicula lucida tergunt
Arvina pingui, ſubiguntque in cote ſecures:
Signaque ferre juvat, ſonituſque audire tubarum.
Quinque adeo magnæ poſitis incudibus urbes
Tela novant, Atina potens, Tiburque ſuperbum,
Ardea, Cruſtumerique, & turrigeræ Antemnæ.
Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque ſalignas
Umbonum crates: alii thoracas aenos,
Aut leves ocreas lento ducunt argento.
Vomeris huc & falcis honos, huc omnis aratri
Ceſſit amor: recoquunt patrios fornacibus enſes.
Claſſica jamque ſonant: it bello teſſera ſignum.
Hic galeam tectis trepidus rapit: ille frementes
Ad juga cogit equos; clypeumque auroque trilicem
Loricam induitur; fidoque accingitur enſe.
Pandite nunc Helicona, deæ, cantuſque movete,
Qui bello exciti reges, quæ quemque ſecutæ
Complerint campos acies; quibus Itala jam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arſerit armis.
Et meminiſtis enim, divæ, & memorare poteſtis:
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.
Primus init bellum Tyrrhenis aſper ab oris
Contemtor divum Mezentius, agminaque armat.
Filius huic juxta Lauſus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.
Lauſus equum domitor, debellatorque ferarum,
Ducit Agyllina nequidquam ex urbe ſecutos
Mille viros; dignus, patriis qui lætior eſſet
Imperiis, & cui pater haud Mezentius eſſet.
Poſt hos inſignem palma per gramina currum
Victoreſque oſtentat equos ſatus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus: clypeoque inſigne paternum
Centum angues, cinctamque gerit ſerpentibus Hydram:
Collis Aventini ſilva quem Rhea ſacerdos
Furtivum partu ſub luminis edidit oras,
Mixta deo mulier, poſtquam Laurentia victor,
Geryone exſtincto, Tirynthius attigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Hiberas.
Pila manu, ſævoſque gerunt in bella dolones:
Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello.
Ipſe pedes tegumen torquens immane leonis,
Terribili impexum ſeta cum dentibus albis

Indu-

Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.
Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catilluſque, acerque Coras, Argiva juventus;
Et primam ante aciem denſa inter tela feruntur.
Ceu duo nubigenæ cum vertice montis ab alto
Deſcendunt Centauri; Homolen Othrynque nivalem
Linquentes curſu rapido: dat euntibus ingens
Silva locum, & magno cedunt virgulta fragore.
Nec Præneſtinæ fundator defuit urbis,
Vulcano genitum pecora inter agreſtia regem,
Inventumque focis omnis quem credidit ætas,
Cæculus. hunc legio late comitatur agreſtis;
Quique altum Præneſte viri, quique arva Gabinæ
Junonis, gelidumque Anienem, & roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt; quos, dives Anagnia, paſcis,
Quos, Amaſene pater. non illis omnibus arma,
Nec clypei, curruſve ſonant; pars maxima glandes
Liventis plumbi ſpargit; pars ſpicula geſtat
Bina manu, fulvoſque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti: veſtigia nuda ſiniſtri
Inſtituere pedis; crudus tegit altera pero.
At Meſſapus equum domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam, nec ſternere ferro,
Jampridem reſides populos, deſuetaque bello
Agmina in arma vocat ſubito, ferrumque retractat.
Hi Feſcenninas acies, æquoſque Faliſcos;
Hi Soractis habent arces, Flaviniaque arva,
Et Cimini cum monte lacum, lucoſque Capenos.
Ibant æquati numero, regemque canebant.
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni,
Cum ſeſe e paſtu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos, ſonat amnis, & Aſia longe
Pulſa palus.
Nec quiſquam æratas acies ex agmine tanto
Miſceri putet, aeriam ſed gurgite ab alto
Urgeri volucrum raucarum ad litora nubem.
Ecce Sabinorum priſco de ſanguine magnum
Agmen agens Clauſus, magnique ipſe agminis inſtar,
Claudia nunc a quo diffunditur & tribus, & gens
Per Latium, poſtquam in partem data Roma Sabinis.
Una ingens Amiterna cohors, priſcique Quirites,
Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuſcæ:
Qui Nomentum urbem, qui Roſea rura Velini,
Qui Tetricæ horrentes rupes montemque Severum,
Caſperiamque colunt, Foruloſque & flumen Himellæ;
Qui Tiberim, Fabarimque bibunt: quos frigida miſit
Nurſia, & Hortinæ claſſes, populique Latini:
Quoſque ſecans infauſtum interluit Allia nomen:
Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Sævus ubi Orion hibernis conditur undis:
Vel cum Sole novo denſæ torrentur ariſtæ,
Aut Hermi campo, aut Lyciæ flaventibus arvis.
Scuta ſonant, pulſuque pedum tremit excita tellus.
Hinc Agamemnonius Trojani nominis hoſtis,
Curru jungit Haleſus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos, vertunt felicia Baccho
Maſſica qui raſtris, & quos de collibus altis
Aurunci miſere patres, Sidicinaque juxta
Æquora, quique Cales linquunt, amniſque vadoſi
Accola Vulturni, pariterque Saticulus aſper,
Oſcorumque manus. teretes ſunt aclides illis
Tela; ſed hæc lento mos eſt aptare flagello.
Lævas cetra tegit, falcati cominus enſes.
Nec tu carminibus noſtris indictus abibis,
Oebale: quem generaſſe Telon Sebethide nympha
Fertur, Teleboum Capreas cum regna teneret
Jam ſenior, patris ſed non & filius arvis
Contentus, late jam tum ditione premebat
Sarraſtes populos, & quæ rigat æquora Sarnus,
Quique Rufas, Batulumque tenent, atque arva Celennæ
Et quos maliferæ deſpectant mœnia Abellæ,
Teutonico ritu ſoliti torquere cateias:
Tegmina queis capitum raptus de ſubere cortex:
Æratæque micant peltæ, micat æreus enſis.
Et te montoſæ miſere in prœlia Nurſæ,
Uſens, inſignem fama, & felicibus armis:
Horrida præcipue cui gens, aſſuetaque multo
Venatu nemorum, duris Æquicola glebis.
Armati terram exercent, ſemperque recentes
Convectare juvat prædas, & vivere rapto.
Quin & Marrubia venit de gente ſacerdos,
Fronde ſuper galeam, & felici comtus oliva,
Archippi regis miſſu, fortiſſimus Umbro:
Vipereo generi, & graviter ſpirantibus hydris
Spargere qui ſomnos cantuque manuque ſolebat:
Mulcebatque iras, & morſus arte levabat.
Sed non Dardaniæ medicari cuſpidis ictum
Evaluit, neque eum juvere in vulnera cantus
Somniferi, & Marſis quæſitæ in montibus herbæ.
Te nemus Anguitiæ, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus.
Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello,
Virbius, inſignem quem mater Aricia miſit,
Eductum Ægeriæ lucis, Hymettia circum
Litora, pinguis ubi & placabilis ara Dianæ.
Namque ferunt fama, Hippolytum, poſtquam arte novercæ
Occiderit, patriaſque explerit ſanguine pœnas,
Turbatis diſtractus equis, ad ſidera rurſus
Ætheria, & ſuperas cæli veniſſe ſub auras,
Pæoniis revocatum herbis, & amore Dianæ.
Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina ſurgere vitæ,
Ipſe repertorem medicinæ talis, & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detruſit ad undas.
At Trivia Hippolytum ſecretis alma recondit
Sedibus, & nymphæ Ægeriæ, nemorique relegat:
Solus ubi in ſilvis Italis ignobilis ævum
Exigeret, verſoque ubi nomine Virbius eſſet.
Unde etiam templo Triviæ luciſque ſacratis
Cornipedes arcentur equi; quod litore currum
Et juvenem monſtris pavidi effudere marinis.
Filius ardentes haud ſecius æquore campi
Exercebat equos, curruque in bella ruebat.
Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.
Cui triplici crinita juba galea alta Chimæram
Suſtinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes.
Tam magis illa fremens, & triſtibus effera flammis,
Quam magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnæ.
At levem clypeum ſublatis cornibus Io
Auro inſignibat, jam ſetis obſita, jam bos,
Argumentum ingens, & cuſtos virginis Argus,
Cælataque amnem fundens pater Inachus urna.
Inſequitur nimbus peditum, clypeataque totis
Agmina denſantur campis, Argivaque pubes,
Auruncæque manus, Rutuli, vetereſque Sicani,
Et Sacranæ acies, & picti ſcuta Labici:
Qui ſaltus, Tiberine, tuos, ſacrumque Numici
Litus arant, Rutuloſque exercent vomere colles,
Cir-

Circæumque jugum; queis Jupiter Anxurus arvis
Præſidet, & viridi gaudens Feronia luco:
Qua Saturæ jacet atra palus, gelidusque per imas
Quærit iter valles, atque in mare conditur Uſens.
Hos ſuper advenit Volſca de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florentes ære catervas,
Bellatrix. non illa colo calathiſve Minervæ
Femineas aſſueta manus, ſed prœlia virgo
Dura pati, curſuque pedum prævertere ventos:
Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas;
Vel mare per medium, fluctu ſuſpenſa tumenti,
Ferret iter, celeres neque tingeret æquore plantas
Illam omnis tectis agriſque effuſa juventus,
Turbaque miratur matrum, & proſpectat euntem
Attonitis inhians animis: ut regius oſtro
Velet honos leves humeros, ut fibula crinem
Auro internectat; Lyciam ut gerat ipſa pharetram,
Et paſtoralem præfixa cuſpide myrtum.

ÆNEIDOS

LIBER VIII.

UT belli ſignum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco ſtrepuerunt cornua cantu,
Utque acres concuſſit equos, utque impulit arma;
Extemplo turbati animi: ſimul omne tumultu
Conjurat trepido Latium, ſævitque juventus
Effera. ductores primi Meſſapus & Uſens,
Contemtorque deum Mezentius, undique cogunt
Auxilia, & latos vaſtant cultoribus agros.
Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, & Latio conſiſtere Teucros,
Advectum Ænean claſſi, victoſque Penates
Inferre, & fatis regem ſe dicere poſci,
Edoceat, multaſque viro ſe adjungere gentes
Dardanio, & late Latio increbeſcere nomen.
Quid ſtruat his cœptis, quem, ſi Fortuna ſequatur,
Eventum pugnæ cupiat, manifeſtius ipſi,
Quam Turno regi, aut regi apparere Latino.
Talia per Latium: quæ Laomedontius heros
Cuncta videns magno curarum fluctuat æſtu:
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In parteſque rapit varias, perque omnia verſat.
Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen aenis
Sole repercuſſum, aut radiantis imagine lunæ,
Omnia pervolitat late loca, jamque ſub auras
Erigitur, ſummique ferit laquearia tecti.
Nox erat; & terras animalia feſſa per omnes
Alituum pecudumque genus ſopor altus habebat:
Cum pater in ripa gelidique ſub ætheris axe
Æneas triſti turbatus pectora bello
Procubuit, ſeramque dedit per membra quietem.
Huic deus ipſe loci fluvio Tiberinus amœno
Populeas inter ſenior ſe attollere frondes
Viſus. eum tenuis glauco velabat amictu
Carbaſus, & crines umbroſa tegebat arundo.
Tum ſic affari, & curas his demere dictis:
O ſate gente deum, Trojanam ex hoſtibus urbem
Qui revehis nobis, æternaque Pergama ſervas,
Exſpectate ſolo Laurenti, arviſque Latinis:
Hic tibi certa domus, certi (ne abſiſte) Penates;
Neu belli terrere minis. timor omnis, & iræ
Conceſſere Deum.
Jamque tibi (ne vana putes hæc fingere ſomnum)
Litoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum fœtus enixa jacebit
Alba ſolo recubans, albi circum ubera nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum:
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Aſcanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. nunc qua ratione, quod inſtat,
Expedias victor, paucis, adverte, docebo.
Arcades his oris, genus a Pallante profectum,
Qui regem Evandrum comites, qui ſigna ſecuti,
Delegere locum, & poſuere in montibus urbem,
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.
Hi bellum aſſidue ducunt cum gente Latina:
Hos caſtris adhibe ſocios, & fœdera junge.
Ipſe ego te ripis, & recto flumine ducam,
Adverſum remis ſuperes ſubvectus ut amnem.
Surge age, nate dea: primiſque cadentibus aſtris
Junoni fer rite preces, iramque minaſque
Supplicibus ſupera votis. mihi victor honorem
Perſolves. ego ſum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, & pinguia culta ſecantem,
Cæruleus Tybris, cælo gratiſſimus amnis.
Hic mihi magna domus. celſis caput urbibus exit.
Dixit, deinde lacu fluvius ſe condidit alto,
Ima petens. nox Ænean ſomnuſque reliquit.
Surgit, &, ætherii ſpectans orientia ſolis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Suſtulit, ac tales effundit ad æthera voces:
Nymphæ, Laurentes nymphæ, genus amnibus unde eſt,
Tuque, o Tybri, tuo genitor cum flumine ſancto,
Accipite Ænean, & tandem arcete periclis.
Quo te cumque lacus miſerantem incommoda noſtra
Fonte tenet, quocumque ſolo pulcherrimus exis,
Semper honore meo, ſemper celebrabere donis.
Corniger Heſperidum fluvius regnator aquarum,
Adſis o tantum, & propius tua numina firmes.
Sic memorat, geminaſque legit de claſſe biremes,
Remigioque aptat; ſocios ſimul inſtruit armis.
Ecce autem ſubitum atque oculis mirabile monſtrum,
Candida per ſilvam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridique in litore conſpicitur ſus:
Quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxima Juno,
Mactat ſacra ferens, & cum grege ſiſtit ad aram.
Tybris, ea fluvium, quam longa eſt, nocte tumentem
Leniit, & tacita refluens ita ſubſtitit unda,
Mitis ut in morem ſtagni placidæque paludis
Sterneret æquor aquis, remo ut luctamen abeſſet.
Ergo iter inceptum celerant rumore ſecundo:
Labitur uncta vadis abies: mirantur & undæ,
Miratur nemus inſuetum fulgentia longe
Scuta virum fluvio pictaſque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos ſuperant flexus, variiſque teguntur
Arboribus, virideſque ſecant placido æquore ſilvas.
Sol medium cæli conſcenderat igneus orbem,
Cum muros arcemque procul, ac rara domorum
Tecta vident; quæ nunc Romana potentia cælo
Aequavit: tum res inopes Euandrus habebat.
Ocyus advertunt proras, urbique propinquant.
Forte die ſolemnem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadæ magno diviſque ferebat
Ante urbem in luco. Pallas huic filius una,
Una omnes juvenum primi, pauperque ſenatus
Tura dabant; tepiduſque cruor fumabat ad aras.
Ut celſas videre rates, atque inter opacum
Allabi nemus, & tacitis incumbere remis;

Terren-

Terrentur viſu ſubito, cunctique relictis
Conſurgunt menſis: audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipſe.
Et procul e tumulo, Juvenes, quæ cauſſa ſubegit
Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit.
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?
Tum pater Æneas puppi ſic fatur ab alta,
Paciferæque manu ramum prætendit olivæ:
Trojugenas ac tela vides inimica Latinis,
Quos illi bello profugos egere ſuperbo.
Evandrum petimus: ferte hæc, & dicite lectos
Dardaniæ veniſſe duces, ſocia arma rogantes.
Obſtupuit tanto perculſus nomine Pallas:
Egredere, o quicumque es, ait, coramque parentem
Alloquere, ac noſtris ſuccede Penatibus hoſpes.
Excepitque manu, dextramque amplexus inhæſit.
Progreſſi ſubeunt luco, fluviumque relinquunt.
Tum Regem Æneas dictis affatur amicis:
Optime Grajugenum, cui me fortuna precari,
Et vitta comtos voluit prætendere ramos:
Non equidem extimui, Danaum quod ductor, & Arcas,
Quodque a ſtirpe fores geminis conjunctus Atridis;
Sed mea me virtus, & ſancta oracula Divum,
Cognatique patres, tua terris didita fama,
Conjunxere tibi, & fatis egere volentem.
Dardanus Iliacæ primus pater urbis, & auctor,
Electra (ut Graii perhibent) Atlantide cretus,
Advehitur Teucros: Electram maximus Atlas
Edidit, ætherios humero qui ſuſtinet orbes.
Vobis Mercurius pater eſt, quem candida Maja
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit:
At Majam (auditis ſi quidquam credimus) Atlas,
Idem Atlas generat, cæli qui ſidera tollit.
Sic genus amborum ſcindit ſe ſanguine ab uno.
His fretus non Legatos, neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi; meme ipſe, meumque
Objeci caput, & ſupplex ad limina veni.
Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello
Inſequitur; nos ſi pellant, nihil abfore credunt,
Quin omnem Heſperiam penitus ſua ſub juga mittant;
Et mare, quod ſupra, teneant, quodque alluit infra.
Accipe, daque fidem. ſunt nobis fortia bello
Pectora, ſunt animi, & rebus ſpectata juventus.
Dixerat Æneas. Ille os, oculoſque loquentis
Jamdudum, & totum luſtrabat lumine corpus.
Tunc ſic pauca refert: Ut te, fortiſſime Teucrum,
Accipio, agnoſcoque libens! ut verba parentis,
Ut vocem Anchiſæ magni, vultumque recordor!
Nam memini Heſiones viſentem regna ſororis,
Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem,
Protinus Arcadiæ gelidos inviſere fines.
Tum mihi prima genas veſtibat flore juventa:
Mirabarque duces Teucros, mirabar & ipſum
Laomedontiaden: ſed cunctis altior ibat
Anchiſes; mihi mens juvenili ardebat amore
Compellare virum, & dextræ conjungere dextram.
Acceſſi, & cupidus Phenei ſub mœnia duxi.
Ille mihi inſignem pharetram, Lyciaſque ſagittas
Diſcedens, chlamydemque auro dedit intertextam,
Frænaque bina, meus, quæ nunc habet aurea, Pallas.
Ergo &, quam petitis, juncta eſt mihi fœdere dextra:
Et lux cum primum terris ſe craſtina reddet,
Auxilio lætos dimittam, opibuſque juvabo.
Interea ſacra hæc, quando huc veniſtis amici,
Annua, quæ differre nefas, celebrate faventes
Nobiſcum, & jam nunc ſociorum aſſueſcite menſis.
Hæc ubi dicta, dapes jubet, & ſublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipſe ſedili:
Præcipuumque toro, & villoſi pelle leonis
Accipit Æneam, ſolioque invitat acerno.
Tum lecti juvenes certatim, araque ſacerdos
Viſcera toſta ferunt taurorum, onerantque caniſtris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque miniſtrant.
Veſcitur Aeneas ſimul & Trojana juventus
Perpetui tergo bovis, & luſtralibus extis.
Poſtquam exemta fames, & amor compreſſus edendi,
Rex Evandrus ait: Non hæc ſolemnia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram,
Vana ſuperſtitio veterumque ignara Deorum
Impoſuit. ſævis, hoſpes Trojane, periclis
Servati facimus, meritoſque novamus honores.
Jam primum ſaxis ſuſpenſam hanc aſpice rupem:
Disjectæ procul ut moles, deſertaque montis
Stat domus, & ſcopuli ingentem traxere ruinam.
Hic ſpelunca fuit, vaſto ſummota receſſu,
Semihominis Caci; facies quam dira tenebat
Solis inacceſſam radiis, ſemperque recenti
Cæde tepebat humus: foribuſque affixa ſuperbis
Ora virum triſti pendebant pallida tabo.
Huic monſtro Vulcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignes, magna ſe mole ferebat.
Attulit & nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium, adventumque Dei. nam maximus ultor,
Tergemini nece Geryonis ſpoliiſque ſuperbus,
Alcides aderat, tauroſque hac victor agebat.
Ingentes, vallemque boves, amnemque tenebant.
At furiis Caci mens effera, ne quid inauſum,
Aut intractatum ſceleriſve dolive fuiſſet,
Quatuor e ſtabulis præſtanti corpore tauros
Avertit, totidem forma ſuperante juvencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus veſtigia rectis,
Cauda in ſpeluncam tractos, verſiſque viarum
Inditiis raptos, ſaxo occultabat opaco.
Quærentem nulla ad ſpeluncam ſigna ferebant.
Interea cum jam ſtabulis ſaturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet,
Diſceſſu mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus & colles clamore relinqui.
Reddidit una bovum vocem, vaſtoque ſub antro
Mugiit, & Caci ſpem cuſtodita fefellit.
Hic vero Alcidæ furiis exarſerat atro
Felle dolor: rapit arma manu, nodiſque gravatum
Robur, & aerii curſu petit ardua montis.
Tum primum noſtri Cacum videre timentem,
Turbatumque oculis: fugit ilicet ocyor Euro,
Speluncamque petit: pedibus timor addidit alas.
Ut ſeſe incluſit, ruptiſque immane catenis
Dejecit ſaxum, ferro quod & arte paterna
Pendebat, fultoſque emuniit objice poſtes;
Ecce, furens animis aderat Tyrinthius, omnemque
Acceſſum luſtrans, huc ora ferebat & illuc,
Dentibus infrendens: ter totum fervidus ira
Luſtrat Aventini montem; ter ſaxea tentat
Limina nequidquam; ter feſſus valle reſedit.
Stabat acuta ſilex, præciſis undique ſaxis,
Speluncæ dorſo inſurgens, altiſſima viſu,
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, ut prona jugo lævum incumbebat ad amnem,
Dexter in adverſum nitens concuſſit, & imis
Avulſam ſolvit radicibus; inde repente
Impulit: impulſu quo maximus inſonat æther,
Diſſultant ripæ, refluitque exterritus amnis.

At ſpecus, & Caci detecta apparuit ingens
Regia, & umbroſæ penitus patuere cavernæ:
Non ſecus, ac ſi qua penitus vi terra dehiſcens
Infernas reſeret ſedes, & regna recludat
Pallida, dis inviſa; ſuperque immane barathrum
Cernatur, trepidentque immiſſo lumine Manes.
Ergo inſperata deprenſum in luce repente,
Incluſumque cavo ſaxo, atque inſueta rudentem
Deſuper Alcides telis premit, omniaque arma
Advocat, & ramis vaſtiſque molaribus inſtat.
Ille autem (neque enim fuga jam ſuper ulla pericli)
Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Evomit, involvitque domum caligine cæca,
Proſpectum eripiens oculis; glomeratque ſub antro
Fumiferam noctem commixtis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis, ſeque ipſe per ignem
Præcipiti injecit ſaltu, qua plurimus undam
Fumus agit, nebulaque ingens ſpecus æſtuat atra.
Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus, & angit inhærens
Eliſos oculos & ſiccum ſanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revulſis:
Abſtractæque boves abjuratæque rapinæ
Cælo oſtenduntur, pedibuſque informe cadaver
Protrahitur. nequeunt expleri corda tuendo
Terribiles oculos, vultum, viloſaque ſetis
Pectora ſemiferi, atque exſtinctos faucibus ignes.
Ex illo celebratus honos, lætique minores
Servavere diem, primuſque Potitius auctor,
Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri
Hanc aram luco ſtatuit, quæ Maxima ſemper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima ſemper.
Quare agite, o juvenes, tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris,
Communemque vocate deum, & date vina volentes.
Dixerat: Herculea bicolor cum populus umbra
Velavitque comas foliiſque innexa pependit:
Et ſacer implevit dextram ſcyphus. ocyus omnes
In menſam læti libant, divoſque precantur.
Devexo interea propior fit veſper Olympo:
Jamque ſacerdotes primuſque Potitius ibant
Pellibus in morem cincti, flammaſque ferebant.
Inſtaurant epulas, & menſæ grata ſecundæ
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
Tum Salii ad cantus, incenſa altaria circum,
Populeis adſunt evincti tempora ramis;
Hic juvenum chorus, ille ſenum; qui carmine laudes
Herculeas & facta ferant: ut prima novercæ
Monſtra manu, geminoſque premens eliſerit angues;
Ut bello egregias idem disjecerit urbes
Trojamque Œchaliamque: ut duros mille labores
Rege ſub Euryſtheo, fatis Junonis iniquæ,
Pertulerit. tu nubigenas, invicte, bimembres
Hylæumque Pholumque manu, tu Creſſia mactas
Prodigia, & vaſtum Nemeæ ſub rupe leonem.
Te Stygii tremuere lacus, te janitor Orci
Oſſa ſuper recubans antro ſemeſa cruento:
Nec te ullæ facies, non terruit ipſe Typhoeus
Arduus, arma tenens: non te rationis egentem
Lernæus turba capitum circumſtetit anguis.
Salve, vera Jovis proles, decus addite divis:
Et nos & tua dexter adi pede ſacra ſecundo.
Talia carminibus celebrant: ſuper omnia Caci
Speluncam adjiciunt, ſpirantemque ignibus ipſum.
Conſonat omne nemus ſtrepitu, colleſque reſultant.
Exin ſe cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt. ibat rex obſitus ævo,
Et comitem Ænean juxta, natumque tenebat
Ingrediens, varioque viam ſermone levabat.
Miratur, facileſque oculos fert omnia circum
Æneas, capiturque locis, & ſingula lætus
Exquiritque, auditque virum monumenta priorum.
Tum rex Evandrus, Romanæ conditor arcis:
Hæc nemora indigenæ Fauni, nymphæque tenebant,
Genſque virum truncis, & duro robore nata:
Queis neque mos, neque cultus erat: nec jungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto.
Sed rami, atque aſper victu venatus alebat.
Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exſul ademtis.
Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.
Aureaque, ut perhibent, illo ſub rege fuere
Secula. ſic placida populos in pace regebat.
Deterior donec paulatim, ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor ſucceſſit habendi.
Tum manus Auſoniæ, & gentes venere Sicanæ:
Sæpius & nomen poſuit Saturnia tellus.
Tum reges, aſperque immani corpore Tibris,
A quo poſt Itali fluvium cognomine Tibrim
Diximus: amiſit verum vetus Albula nomen.
Me pulſum patria, pelagique extrema ſequentem
Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum
His poſuere locis, matriſque egere tremenda
Carmentis nymphæ monita, & deus auctor Apollo.
Vix ea dicta: dehinc progreſſus monſtrat & aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam:
Quam memorant nymphæ priſcum Carmentis honorem
Vatis fatidicæ: cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos, & nobile Pallanteum.
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Aſylum
Rettulit, & gelida monſtrat ſub rupe Lupercal,
Parrhaſio dictum Panos de more Lycæi.
Necnon & ſacri monſtrat nemus Argileti,
Teſtaturque locum, & letum docet hoſpitis Argi.
Hinc ad Tarpejam ſedem, & Capitolia ducit
Aurea nunc, olim ſilveſtribus horrida dumis.
Jam tum relligio pavidos terrebat agreſtes
Dira loci: jam tum ſilvam, ſaxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoſo vertice collem
(Quis deus, incertum eſt) habitat deus: Arcades ipſum
Credunt ſe vidiſſe Jovem, cum ſæpe nigrantem
Ægida concuteret dextra, nimboſque cieret.
Hæc duo præterea disjectis oppida muris,
Relliquias, veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem:
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter ſe dictis ad tecta ſubibant
Pauperis Evandri, paſſimque armenta videbant
Romanoque foro, & lautis mugire Carinis.
Ut ventum ad ſedes, Hæc, inquit, limina victor
Alcides ſubiit; hæc illum regia cepit:
Aude hoſpes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge deo; rebuſque veni non aſper egenis.
Dixit, & anguſti ſubter faſtigia tecti
Ingentem Ænean duxit, ſtratiſque locavit
Effultum foliis, & pelle Libyſtidis urſæ.
Nox ruit, & fuſcis tellurem amplectitur alis.
At Venus haud animo nequidquam exterrita mater,
Laurentumque minis, & duro mota tumultu,
Vulcanum alloquitur, thalamoque hæc conjugis aureo
Inci-

Incipit, & dictis divinum adſpirat amorem.
Dum bello Argolici vaſtabant Pergama reges
Debita, caſuraſque inimicis ignibus arces:
Non ullum auxilium miſeris, non arma rogavi
Artis, opiſque tuæ: nec te, cariſſime conjux,
Incaſſumve tuos volui exercere labores.
Quamvis & Priami deberem plurima natis,
Et durum Æneæ fleviſſem ſæpe laborem.
Nunc Jovis imperio Rutulorum conſtitit oris.
Ergo eadem ſupplex venio, & ſanctum mihi numen
Arma rogo genitrix nato. te filia Nerei,
Te potuit lacrimis Tithonia flectere conjux.
Aſpice qui coeant populi, quæ mœnia clauſis
Ferrum acuant portis in me excidiumque meorum.
Dixerat, & niveis hinc atque hinc diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet. ille repente
Accepit ſolitam flammam, notuſque medullas
Intravit calor, & labefacta per oſſa cucurrit:
Non ſecus atque olim tonitru cum rupta coruſco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Senſit læta dolis, & formæ conſcia conjux.
Tum pater æterno fatur devinctus amore:
Quid cauſſas petis ex alto? fiducia ceſſit
Quo tibi, diva, mei? ſimilis ſi cura fuiſſet,
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuiſſet.
Nec pater omnipotens Trojam, nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum ſupereſſe per annos.
Et nunc ſi bellare paras, atque hæc tibi mens eſt,
Quidquid in arte mea poſſum promittere curæ,
Quod fieri ferro, liquidove poteſt electro,
Quantum ignes, animæque valent; abſiſte, precando,
Viribus indubitare tuis. Ea verba loquutus
Optatos dedit amplexus: placidumque petivit
Conjugis infuſus gremio per membra ſoporem.
Inde, ubi prima quies medio jam noctis abactæ
Curriculo expulerat ſomnum, cum femina primum,
Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva,
Impoſitum cinerem, & ſopitos ſuſcitat ignes,
Noctem addens operi, famulaſque ad lumina longo
Exercet penſo, caſtum ut ſervare cubile
Conjugis, & poſſit parvos educere natos:
Haud ſecus ignipotens, nec tempore ſegnior illo,
Mollibus e ſtratis opera ad fabrilia ſurgit.
Inſula Sicanium juxta latus Æoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua ſaxis:
Quam ſubter ſpecus, & Cyclopum exeſa caminis
Antra Ætnæa tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, ſtriduntque cavernis
Stricturæ Chalybum, & fornacibus ignis anhelat:
Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.
Huc tunc ignipotens cælo deſcendit ab alto.
Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro,
Bronteſque Steropeſque & nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus jam parte polita
Fulmen erat (toto genitor quæ plurima cælo
Dejicit in terras) pars imperfecta manebat.
Tres imbris torti radios, tres nubis aquoſæ
Addiderant: rutuli tres ignis, & alitis Auſtri:
Fulgores nunc terrificos, ſonitumque metumque
Miſcebant operi, flammiſque ſequacibus iras.
Parte alia Marti currumque rotaſque volucres
Inſtabant: quibus ille viros, quibus excitat urbes:
Ægidaque horrificam, turbatæ Palladis arma,
Certatim ſquamis ſerpentum, auroque polibant:
Connexoſque angues, ipſamque in pectore Divæ
Gorgona deſecto vertentem lumina collo.
Tollite cuncta, inquit, cœptoſque auferte labores,
Ætnæi Cyclopes; & huc advertite mentem.
Arma acri facienda viro. nunc viribus uſus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magiſtra.
Præcipitate moras. Nec plura effatus: at illi
Ocyus incubuere omnes, pariterque laborem
Sortiti. fluit æs rivis, aurique metallum;
Vulnificuſque chalybs vaſta fornace liqueſcit.
Ingentem clypeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum: ſeptenoſque orbibus orbes
Impediunt. alii ventoſis follibus auras
Accipiunt redduntque: alii ſtridentia tingunt
Æra lacu. gemit impoſitis incudibus antrum.
Illi inter ſeſe multa vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe maſſam.
Hæc pater Æoliis properat dum Lemnius oris,
Evandrum ex humili tecto lux ſuſcitat alma,
Et matutini volucrum ſub culmina cantus.
Conſurgit ſenior, tunicaque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis:
Tum lateri atque humeris Tegeæum ſubligat enſem,
Demiſſa ab læva pantheræ terga retorquens.
Nec non & gemini cuſtodes limine ab alto
Procedunt, greſſumque canes comitantur herilem.
Hoſpitis Æneæ ſedem & ſecreta petebat
Sermonum memor & promiſſi muneris heros.
Nec minus Æneas ſe matutinus agebat.
Filius huic Pallas, illi comes ibat Achates.
Congreſſi jungunt dextras, mediiſque reſidunt
Ædibus, & licito tandem ſermone fruuntur.
Rex prior hæc:
Maxime Teucrorum ductor, quo ſoſpite numquam
Res equidem Trojæ victas aut regna fatebor;
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguæ vires. hinc Tuſco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit, & murum circumſonat armis.
Sed tibi ego ingentes populos opulentaque regnis
Jungere caſtra paro: quam fors inopina ſalutem
Oſtentat, fatis huc te poſcentibus affers.
Haud procul hinc ſaxo incolitur fundata vetuſto
Urbis Agyllinæ ſedes: ubi Lydia quondam
Gens, bello præclara, jugis inſedit Etruſcis.
Hanc multos florentem annos rex deinde ſuperbo
Imperio & ſævis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas cædes; quid facta tyranni
Effera? dii capiti ipſius, generique reſervent.
Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibuſque manus, atque oribus ora,
Tormenti genus! & ſanie, taboque fluentes
Complexu in miſero longa ſic morte necabat.
At feſſi tandem cives infanda furentem
Armati circumſiſtunt ipſumque domumque:
Obtruncant ſocios, ignem ad faſtigia jactant.
Ille inter cædes Rutulorum elapſus in agros
Confugere, & Turni defendier hoſpitis armis.
Ergo omnis furiis ſurrexit Etruria juſtis:
Regem ad ſupplicium præſenti Marte repoſcunt.
His ego te, Ænea, ductorem millibus addam.
Toto namque fremunt condenſæ litore puppes,
Signaque ferre jubent: retinet longævus aruſpex,
Fata canens; O Mæoniæ delecta juventus,
Flos veterum virtuſque virum, quos juſtus in hoſtem
Fert dolor, & merita accendit Mezentius ira:
Nulli fas Italo tantam ſubjungere gentem:
Externos optate duces. Tum Etruſca reſedit
Hoc acies campo, monitis exterrita Divum.

Ipſe oratores ad me, regnique coronam
Cum ſceptro miſit, manditque inſignia Tarchon;
Succedam caſtris, Tyrrhenaque regna capeſſam.
Sed mihi tarda gelu, ſeclisque effœta ſenectus
Invidet imperium, ſeræque ad fortia vires.
Gnatum exhortarer, ni miſtus matre Sabella
Hinc partem patriæ traheret. tu, cujus & annis,
Et generi fatum indulget, quem numina poſcunt,
Ingredere, o Teucrum atque Italum fortiſſime ductor.
Hunc tibi præterea, ſpes & ſolatia noſtri,
Pallanta adjungam: ſub te tolerare magiſtro
Militiam, & grave Martis opus, tua cernere facta
Adſueſcat, primis & te miretur ab annis.
Arcades huic equites bis centum, robora pubis
Lecta, dabo: totidemque ſuo tibi nomine Pallas.
Vix ea fatus erat, defixique ora tenebant
Aeneas Anchiſiades, & fidus Achates,
Multaque dura ſuo triſti cum corde putabant;
Ni ſignum cælo Cytherea dediſſet aperto.
Namque improviſo vibratus ab æthere fulgor
Cum ſonitu venit, & ruere omnia viſa repente,
Tyrrhenuſque tubæ mugire per æthera clangor.
Suſpiciunt: iterum atque iterum fragor intonat ingens.
Arma inter nubem, cæli in regione ſerena,
Per ſudum rutilare vident, & pulſa tonare.
Obſtupuere animis alii; ſed Troius heros
Agnovit ſonitum, & divæ promiſſa parentis.
Tum memorat: Ne vero, hoſpes, ne quære profecto,
Quem caſum portenta ferant: ego poſcor Olympo:
Hoc ſignum cecinit miſſuram diva creatrix,
Si bellum ingrueret, Vulcaniaque arma per auras
Laturam auxilio.
Heu, quantæ miſeris cædes Laurentibus inſtant!
Quas pœnas mihi, Turne, dabis! quam multa ſub undas
Scuta virum, galeaſque, & fortia corpora volves,
Tibri pater! poſcant acies, & fœdera rumpant.
Hæc ubi dicta dedit, ſolio ſe tollit ab alto;
Et primum Herculeis ſopitas ignibus aras
Excitat: heſternumque Larem, parvoſque Penates
Lætus adit: mactant lectas de more bidentes
Evandrus pariter, pariter Trojana juventus.
Poſt hinc ad naves graditur ſocioſque reviſit:
Quorum de numero, qui ſeſe in bella ſequantur,
Præſtantes virtute legit: pars cetera prona
Fertur aqua, ſegniſque ſecundo defluit amni,
Nuntia ventura Aſcanio rerumque patriſque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva:
Ducunt exſortem Aeneæ, quem fulva leonis
Pellis obit totum, præfulgens unguibus aureis.
Fama volat parvam ſubito vulgata per urbem,
Ocyus ire equites Tyrrheni ad litora regis.
Vota metu duplicant matres, propiuſque periclo
It timor, & major Martis jam apparet imago.
Tum pater Evandrus dextram complexus euntis
Hæret inexpletum lacrimans, ac talia fatur:
O mihi præteritos referat ſi Jupiter annos!
Qualis eram, cum primam aciem Præneſte ſub ipſa
Stravi, ſcutorumque incendi victor acervos;
Et regem hac Herilum dextra ſub Tartara miſi:
Naſcenti cui tres animas Feronia mater
(Horrendum dictu) dederat: terna arma movenda;
Ter leto ſternendus erat: cui tunc tamen omnes
Abſtulit hæc animas dextra, & totidem exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu divellerer uſquam,
Gnate, tuo; neque finitimus Mezentius umquam,
Huic capiti inſultans, tot ferro ſæva dediſſet
Funera, tam multis viduaſſet civibus urbem.
At vos, o Superi, & Divum tu maxime rector
Jupiter, Arcadii quæſo miſereſcite regis,
Et patrias audite preces. ſi numina veſtra
Incolumem Pallanta mihi, ſi fata reſervant,
Si viſurus eum vivum, & venturus in unum;
Vitam oro: patiar quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum caſum, Fortuna, minaris;
Nunc o, nunc liceat crudelem abrumpere vitam,
Dum curæ ambiguæ, dum ſpes incerta futuri,
Dum te, care puer, mea ſera & ſola voluptas,
Complexu teneo: gravior ne nuntius aures
Vulneret. Hæc genitor digreſſu dicta ſupremo
Fundebat: famuli collapſum in tecta ferebant.
Jamque adeo exierat portis equitatus apertis:
Æneas inter primos & fidus Achates:
Inde alii Trojæ proceres. ipſe agmine Pallas
In medio, chlamyde & pictis conſpectus in armis:
Qualis, ubi Oceani perfuſus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios aſtrorum diligit ignes,
Extulit os ſacrum cælo, tenebraſque reſolvit.
Stant pavidæ in muris matres, oculiſque ſequuntur
Pulveream nubem, & fulgentes ære catervas.
Olli per dumos, qua proxima meta viarum,
Armati tendunt. it clamor, & agmine facto
Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.
Eſt ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem,
Relligione patrum late ſacer: undique colles
Incluſere cavi, & nigra nemus abiete cingunt.
Silvano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos
Arvorum pecoriſque deo lucumque diemque,
Qui primi fines aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho & Tyrrheni tuta tenebant
Caſtra locis, celſoque omnis de colle videri
Jam poterat legio, & latis tendebat in arvis.
Huc pater Æneas, & bello lecta juventus
Succedunt, feſſique & equos & corpora curant.
At Venus ætherios inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat: natumque in valle reducta
Ut procul e gelido ſecretum flumine vidit,
Talibus affata eſt dictis, ſeque obtulit ultro:
En perfecta mei promiſſa conjugis arte
Munera: ne mox aut Laurentes, nate, ſuperbos,
Aut acrem dubites in prælia poſcere Turnum.
Dixit, & amplexus nati Cytherea petivit:
Arma ſub adverſa poſuit radiantia quercu.
Ille deæ donis & tanto lætus honore
Expleri nequit, atque oculos per ſingula volvit,
Miraturque, interque manus & brachia verſat
Terribilem criſtis galeam, flammaſque vomentem,
Fatiferumque enſem, loricam ex ære rigentem,
Sanguineam, ingentem: qualis, cum cærula nubes
Solis inardeſcit radiis, longeque refulget.
Tum leves ocreas electro auroque recocto,
Haſtamque, & clypei non enarrabile textum.
Illic res Italas, Romanorumque triumphos,
Haud vatum ignarus venturique inſcius ævi
Fecerat ignipotens: illic genus omne futuræ
Stirpis ab Aſcanio, pugnataque in ordine bella.
Fecerat & viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuiſſe lupam. geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impavidos: illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.
Nec procul hinc Romam, & raptas ſine more Sabinas
Conſeſſu caveæ, magnis Circenſibus actis,

Addiderat: ſubitoque novum conſurgere bellum
Romulidis, Tatioque ſeni, Curibuſque ſeveris.
Poſt iidem inter ſe poſito certamine reges
Armati Jovis ante aram, pateraſque tenentes
Stabant, & cæſa jungebant fœdera porca.
Haud procul inde citæ Metium in diverſa quadrigæ
Diſtulerant: (at tu dictis, Albane, maneres)
Raptabatque viri mendacis viſcera Tullus
Per ſilvam, & ſparſi rorabant ſanguine vepres.
Nec non Tarquinium ejectum Porſenna jubebat
Accipere, ingentique urbem obſidione premebat:
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti ſimilem, ſimilemque minanti
Adſpiceres, pontem auderet quod vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Clœlia ruptis.
In ſummo cuſtos Tarpejæ Manlius arcis
Stabat pro templo, & Capitolia celſa tenebat;
Romuleoque recens horrebat regia culmo.
Atque hic auratis volitans argenteus anſer
Porticibus, Gallos in limine adeſſe, canebat.
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant
Defenſi tenebris, & dono noctis opacæ.
Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis:
Virgatis lucent ſagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur: duo quiſque alpina coruſcant
Gæſa manu, ſcutis protecti corpora longis.
Hinc exul antes Salios, nudoſque Lupercos,
Lanigeroſque apices, & lapſa ancilia cælo
Extuderat: caſtæ ducebant ſacra per urbem
Pilentis matres in mollibus. hinc procul addit
Tartareas etiam ſedes, alta oſtia Ditis:
Et ſcelerum pœnas, & te, Catilina, minaci
Pendentem ſcopulo, furiarumque ora trementem:
Secretoſque pios: his dantem jura Catonem.
Hæc inter tumidi late maris ibat imago
Aurea: ſed fluctu ſpumabant cærula cano,
Et circum argento clari Delphines in orbem
Æquora verrebant caudis, æſtumque ſecabant.
In medio claſſes æratas, Actia bella
Cernere erat: totumque inſtructo Marte videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.
Hinc Auguſtus agens Italos in prælia Cæſar
Cum patribus populoque, penatibus, & magnis diis,
Stans celſa in puppi, geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriumque aperitur vertice ſidus.
Parte alia ventis, & diis Agrippa ſecundis,
Arduus, agmen agens; cui belli inſigne ſuperbum
Tempora navali fulgent roſtrata corona.
Hinc ope barbarica, variiſque Antonius armis
Victor ab auroræ populis, & litore rubro,
Ægyptum, vireſque Orientis, & ultima ſecum
Bactra vehit; ſequiturque (nefas) Ægyptia conjux.
Una omnes ruere, ac totum ſpumare reductis
Convulſum remis roſtriſque tridentibus æquor.
Alta petunt: pelago credas innare revulſas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.
Tanta mole viri turritis puppibus inſtant.
Stupea flamma manu, telique volatile ferrum
Spargitur: arva nova Neptunia cæde rubeſcunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina ſiſtro:
Nec dum etiam geminos a tergo reſpicit angues.
Omnigenumque deum monſtra, & latrator Anubis
Contra Neptunum, & Venerem, contraque Minervam
Tela tenent: ſævit medio in certamine Mavors
Cælatus ferro, triſteſque ex æthere Diræ,
Et ſciſſa gaudens vadit Diſcordia palla;
Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.
Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Deſuper: omnis eo terrore Ægyptus & Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.
Ipſa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, & laxos jam jamque immittere funes.
Illam inter cædes pallentem morte futura
Fecerat ignipotens undis & Iapyge ferri:
Contra autem magno mœrentem corpore Nilum,
Pandentemque ſinus, & tota veſte vocantem
Cæruleum in gremium latebroſaque flumina victos.
At Cæſar, triplici invectus Romana triumpho
Mœnia, dis Italis votum immortale ſacrabat
Maxima tercentum totam delubra per urbem.
Lætitia ludiſque viæ plauſuque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ:
Ante aras terram cæſi ſtravere juvenci.
Ipſe, ſedens niveo candentis limine Phœbi,
Dona recognoſcit populorum, aptatque ſuperbis
Poſtibus: incedunt victæ longo ordine gentes,
Quam variæ linguis, habitu tam veſtis, & armis.
Hinc Nomadum genus, & diſcinctos Mulciber Afros,
Hic Lelegas, Caraſque, ſagittiferoſque Gelonos
Finxerat. Euphrates ibat jam mollior undis,
Extremique hominum Morini, Rhenuſque bicornis;
Indomitique Dahæ, & pontem indignatus Araxes.
Talia, per clypeum Vulcani, dona parentis
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet,
Attollens humero famamque & fata nepotum.

ÆNEIDOS
LIBER IX.

Atque ea diverſa penitus dum parte geruntur,
Irim de cælo miſit Saturnia Juno
Audacem ad Turnum. luco tum forte parentis
Pilumni Turnus ſacrata valle ſedebat.
Ad quem ſic roſeo Thaumantias ore locuta eſt:
Turne, quod optanti divum promittere nemo
Auderet, volvenda dies en attulit ultro.
Æneas, urbe & ſociis & claſſe relicta,
Sceptra Palatini ſedemque petit Evandri.
Nec ſatis: extremas Corythi penetravit ad urbes,
Lydorumque manum, collectos armat agreſtes.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poſcere currus.
Rumpe moras omnes, & turbata arripe caſtra.
Dixit, & in cælum paribus ſe ſuſtulit alis,
Ingentemque fuga ſecuit ſub nubibus arcum.
Agnovit juvenis, dupliceſque ad ſidera palmas
Suſtulit, ac tali fugientem eſt voce ſecutus:
Iri, decus cæli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? unde hæc tam clara repente
Tempeſtas? video medium diſcedere cælum,
Palanteſque polo ſtellas. ſequar omina tanta,
Quiſquis in arma vocas. Et ſic effatus ad undam
Proceſſit, ſummoque hauſit de gurgite lymphas,
Multa deos orans, oneravitque æthera votis.
Jamque omnis campis exercitus ibat apertis,
Dives equum, dives pictai veſtis, & auri.
Meſſapus primas acies, poſtrema coercent
Tyrrhidæ juvenes: medio dux agmine Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice ſupra eſt:
Ceu ſeptem ſurgens ſedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus
Cum refluit campis, & jam ſe condidit alveo.

Hic

Hic ſubitam nigro glomerari pulvere nubem
Proſpiciunt Teucri, ac tenebras inſurgere campis.
Primus ab adverſa conclamat mole Caycus:
Quis globus, o cives, caligine volvitur atra?
Ferte citi ferrum, date tela, & ſcandite muros.
Hoſtis adeſt, eia. Ingenti clamore per omnes
Condunt ſe Teucri portas, & mœnia complent.
Namque ita diſcedens præceperat optimus armis
Æneas: ſi qua interea Fortuna fuiſſet,
Neu ſtruere auderent aciem, neu credere campo:
Caſtra modo, & tutos ſervarent aggere muros.
Ergo, etſi conferre manum pudor iraque monſtrat,
Objiciunt portas tamen, & præcepta faceſſunt,
Armatique cavis exſpectant turribus hoſtem.
Turnus, ut ante volans tardum præceſſerat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus, & urbi
Improviſus adeſt; maculis quem Thracius albis
Portat equus, criſtaque tegit galea aurea rubra.
Ecquis erit mecum, juvenes, qui primus in hoſtem?
En, ait. & jaculum attorquens emittit in auras
Principium pugnæ, & campo ſeſe arduus infert.
Clamorem excipiunt ſocii, fremituque ſequuntur
Horriſono: Teucrum mirantur inertia corda;
Non æquo dare ſe campo, non obvia ferre
Arma viros, ſed caſtra fovere. huc turbidus atque huc
Luſtrat equo muros, aditumque per avia quærit.
Ac veluti pleno lupus inſidiatus ovili,
Cum fremit ad caulas, ventos perpeſſus & imbres,
Nocte ſuper media; tuti ſub matribus agni
Balatum exercent: ille aſper & improbus ira
Sævit in abſentes: collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & ſiccæ ſanguine fauces.
Haud aliter Rutulo, muros & caſtra tuenti,
Igneſcunt iræ: duris dolor oſſibus ardet;
Qua tentet ratione aditus, & qua via clauſos
Excutiat Teucros vallo, atque effundat in æquor.
Claſſem, quæ lateri caſtrorum adjuncta latebat,
Aggeribus ſeptam circum & fluvialibus undis,
Invadit: ſocioſque incendia poſcit ovantes:
Atque manum pinu flagranti fervidus implet.
Tum vero incumbunt; urget præſentia Turni:
Atque omnis facibus pubes accingitur atris.
Diripuere focos: piceum fert fumida lumen
Tæda, & commixtam Vulcanus ad aſtra favillam.
Quis deus, o Muſæ, tam ſæva incendia Teucris
Avertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite. priſca fides facto, ſed fama perennis.
Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
Æneas claſſem, & pelagi petere alta parabat;
Ipſa deum fertur genetrix Berecynthia magnum
Vocibus his affata Jovem: Da, nate, petenti;
Quod tua cara parens domito te poſcit Olympo.
Pinea ſilva mihi, multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit ſumma, quo ſacra ferebant,
Nigranti picea trabibuſque obſcurus acernis:
Has ego Dardanio juveni, cum claſſis egeret,
Læta dedi: nunc ſollicitam timor anxius angit.
Solve metus, atque hoc precibus ſine poſſe parentem;
Neu curſu quaſſatæ ullo, neu turbine venti
Vincantur. proſit noſtris in montibus ortas.
Filius huic contra, torquet qui ſidera mundi:
O genetrix, quo fata vocas? aut quid petis iſtis?
Mortaline manu factæ immortale carinæ
Fas habeant? certuſque incerta pericula luſtret
Æneas? cui tanta deo permiſſa poteſtas?
Immo, ubi defunctæ finem portuſque tenebunt
Auſonios, olim quæcumque evaſerit undis,
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva,
Mortalem eripiam formam, magnique jubebo
Æquoris eſſe deas: qualis Nereia Doto,
Et Galatea ſecant ſpumantem pectore pontum.
Dixerat: idque ratum Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes, atraque voragine ripas
Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.
Ergo aderat promiſſa dies, & tempora Parcæ
Debita complerant, cum Turni injuria matrem
Admonuit ſacris ratibus depellere tædas.
Hic primum nova lux oculis effulſit, & ingens
Viſus ab Aurora cælum tranſcurrere nimbus,
Idæique chori: tum vox horrenda per auras
Excidit, & Troum Rutulorumque agmina complet.
Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves,
Neve armate manus: maria ante exurere Turno,
Quam ſacras dabitur pinus. vos ite ſolutæ,
Ite deæ pelagi; genitrix jubet. & ſua quæque
Continuo puppes abrumpunt vincula ripis;
Delphinumque modo demerſis æquora roſtris
Ima petunt. hinc virgineæ (mirabile monſtrum)
Reddunt ſe totidem facies, pontoque feruntur,
Quot prius æratæ ſteterant ad litora proræ.
Obſtupuere animis Rutuli; conterritus ipſe
Turbatis Meſſapus equis: cunctatur & amnis
Rauca ſonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto.
At non audaci ceſſit fiducia Turno;
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro.
Trojanos hæc monſtra petunt; his Jupiter ipſe
Auxilium ſolitum eripuit; non tela nec ignes
Exſpectant Rutulos. ergo maria invia Teucris,
Nec ſpes ulla fugæ: rerum pars altera ademta eſt;
Terra autem in manibus noſtris: tot millia gentes
Arma ferunt Italæ: nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges præ ſe jactant reſponſa deorum.
Sat fatis, Venerique datum eſt, tetigere quod arva
Fertilis Auſoniæ Troes: ſunt & mea contra
Fata mihi, ferro ſceleratam exſcindere gentem,
Conjuge prærepta. nec ſolos tangit Atridas
Iſte dolor, ſoliſque licet capere arma Mycenis.
Sed periiſſe ſemel ſatis eſt: peccare fuiſſet
Ante ſatis, penitus modo non genus omne peroſos
Femineum; quibus hæc medii fiducia valli,
Foſſarumque moræ, leti diſcrimina parva,
Dant animos. an non viderunt mœnia Trojæ
Neptuni fabricata manu conſidere in ignes?
Sed vos, o lecti, ferro quis ſcindere vallum
Apparat, & mecum invadit trepidantia caſtra?
Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Eſt opus in Teucros: addant ſe protinus omnes
Etruſci ſocios: tenebras, & inertia furta
Palladii, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis,
Ne timeant; nec equi cæca condemur in alvo.
Luce palam certum eſt igni circumdare muros.
Haud ſibi cum Danais rem, faxo, & pube Pelaſga
Eſſe putent, decimum quos diſtulit Hector in annum.
Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,
Quod ſupereſt, læti bene geſtis corpora rebus
Procurate viri, & pugnam ſperate parati.
Interea vigilum excubiis obſidere portas,
Cura datur Meſſapo, & mœnia cingere flammis.
Bis ſeptem, Rutulo muros qui milite ſervent,
Delecti; aſt illos centeni quemque ſequuntur
Purpurei criſtis juvenes, auroque coruſci?
Diſcurrunt, variantque vices, fuſique per herbam
Indul-

Indulgent vino, & vertunt crateras ahenos:
Collucent ignes: noctem cuſtodia ducit
Inſomnem ludo.
Hæc ſuper e vallo proſpectant Troes, & armis
Alta tenent: nec non trepidi formidine portas
Explorant, ponteſque & propugnacula jungunt,
Tela gerunt. inſtant Mneſtheus, acerque Sereſtus:
Quos pater Æneas, ſi quando adverſa vocarent,
Rectores juvenum, & rerum dedit eſſe magiſtros.
Omnis per muros legio ſortita periclum
Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum eſt.
Niſus erat portæ cuſtos, acerrimus armis,
Hyrtacides (comitem Æneæ quem miſerat Ida
Venatrix, jaculo celerem levibuſque ſagittis)
Et juxta comes Euryalus; quo pulchrior alter
Non fuit Æneadum, Trojana neque induit arma;
Ora puer prima ſignans intonſa juventa.
His amor unus erat, pariterque in bella ruebant:
Tunc quoque communi portam ſtatione tenebant.
Niſus ait: Dii ne hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale? an ſua cuique Deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid jamdudum invadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete eſt.
Cernis, quæ Rutulos habeat fiducia rerum:
Lumina rara micant: ſomno, vinoque ſepulti
Procubuere: ſilent late loca. percipe porro
Quid dubitem, & quæ nunc animo ſententia ſurgat.
Ænean acciri omnes populuſque patreſque
Expoſcunt: mittique viros, qui certa reportent.
Si tibi quæ poſco promittunt (nam mihi facti
Fama ſat eſt) tumulo videor reperire ſub illo
Poſſe viam ad muros & mœnia Pallantea.
Obſtupuit magno laudum percuſſus amore
Euryalus: ſimul his ardentem affatur amicum.
Me ne igitur ſocium ſummis adjungere rebus
Niſe fugis? ſolum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor bellis aſſuetus Opheltes
Argolicum terrorem inter Trojæque labores
Sublatum erudiit: nec tecum talia geſſi,
Magnanimum Ænean, & fata extrema ſequutus.
Eſt hic, eſt animus lucis contemtor, & iſtum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Niſus ad hæc: Equidem de te nil tale verebar,
Nec fas: non. ita me referat tibi magnus ovantem
Jupiter, aut quicumque oculis hæc aſpicit æquis.
Sed ſi quis (quæ multa vides diſcrimine tali)
Si quis in adverſum rapiat caſuſve, Deuſve,
Te ſupereſſe velim: tua vita dignior ætas.
Sit, qui me raptum pugna, pretiove redemtum,
Mandet humo ſolita: aut, ſi qua id fortuna vetabit,
Abſenti ferat inferias, decoretque ſepulchro:
Neu matri miſeræ tanti ſim cauſſa doloris;
Quæ te ſola, puer, multis e matribus auſa
Proſequitur, magni nec mœnia curat Aceſtæ.
Ille autem: Cauſſas nequidquam nectis inanes,
Nec mea jam mutata loco ſententia cedit.
Acceleremus, ait. vigiles ſimul excitat: illi
Succedunt, ſervantque vices: ſtatione relicta
Ipſe comes Niſo graditur, regemque requirunt.
Cetera per terras omnes animalia ſomno
Laxabant curas, & corda oblita laborum:
Ductores Teucrum primi, & delecta juventus,
Conſilium ſummis regni de rebus habebant,
Quid facerent, quiſve Æneæ jam nuncius eſſet.
Stant longis adnixi haſtis, & ſcuta tenentes,
Caſtrorum & campi medio. tum Niſus & una
Euryalus confeſtim alacres admittier orant:
Rem magnam, pretiumque moræ fore. primus Iulus
Accepit trepidos, ac Niſum dicere juſſit.
Tunc ſic Hyrtacides. Audite o mentibus æquis
Æneadæ: neve hæc noſtris ſpectentur ab annis
Quæ ferimus. Rutuli ſomno, vinoque ſepulti
Conticuere. locum inſidiis conſpeximus ipſi,
Qui patet in bivio portæ, quæ proxima ponto:
Interrupti ignes, aterque ad ſidera fumus
Erigitur. ſi fortunæ permittitis uti,
Quæſitum Ænean ad mœnia Pallantea,
Mox hic cum ſpoliis, ingenti cæde peracta,
Affore cernetis: nec nos via fallit euntes.
Vidimus obſcuris primam ſub vallibus urbem
Venatu aſſiduo, & totum cognovimus amnem.
Hic annis gravis, atque animi maturus Aletes:
Dii patrii, quorum ſemper ſub numine Troia eſt,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Cum tales animos juvenum, & tam certa tuliſtis
Pectora. Sic memorans humeros dextraſque tenebat
Amborum, & vultum lacrimis atque ora rigabat:
Quæ vobis, quæ digna, viri, pro laudibus iſtis
Præmia poſſe rear ſolvi? pulcherrima primum
Di moreſque dabunt veſtri: tum cetera reddet
Actutum pius Æneas, atque integer ævi
Aſcanius, meriti tanti non immemor umquam.
Immo ego vos, cui ſola ſalus genitore reducto,
Excipit Aſcanius, per magnos, Niſe, Penates,
Aſſaracique Larem, & canæ penetralia Veſtæ,
Obteſtor: quæcumque mihi fortuna fideſque eſt,
In veſtris pono gremiis. revocate parentem:
Reddite conſpectum. nihil illo triſte recepto.
Bina dabo argento perfecta atque aſpera ſignis
Pocula; devicta genitor quæ cepit Ariſba:
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta,
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si vero capere Italiam, ſceptriſque potiri
Contigerit victori, & prædæ ducere ſortem:
Vidiſti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus: ipſum illum clypeum criſtaſque rubentes
Excipiam ſorti, jam nunc tua præmia, Niſe.
Præterea bis ſex genitor lectiſſima matrum
Corpora captivoſque dabit, ſuaque omnibus arma:
Inſuper his, campi quod rex habet ipſe Latinus.
Te vero, mea quem ſpatiis propioribus ætas
Inſequitur, venerande puer, jam pectore toto
Accipio, & comitem caſus complector in omnes.
Nulla meis ſine te quæretur gloria rebus,
Seu pacem, ſeu bella geram: tibi maxima rerum
Verborumque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus auſis
Diſſimilem arguerit: tantum Fortuna ſecunda,
Haud adverſa cadat. ſed te ſuper omnia dona
Unum oro: genetrix Priami de gente vetuſta
Eſt mihi, quam miſeram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non mœnia regis Aceſtæ.
Hanc ego nunc ignaram hujus quodcumque pericli eſt,
Inque ſalutatam linquo; nox & tua teſtis
Dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis.
At tu, oro, ſolare inopem, & ſuccurre relictæ.
Hanc ſine me ſpem ferre tui: audentior ibo
In caſus omnes. percuſſa mente dederunt
Dardanidæ lacrimas: ante omnes pulcher Iulus:
Atque animum patriæ ſtrinxit pietatis imago.
Tunc ſic effatur:
Sponde digna tuis ingentibus omnia cœptis.
Namque

Namque erit iſta mihi genetrix, nomenque Creuſæ
Solum defuerit; nec partum gratia talem
Parva manet; caſus factum quicumque ſequuntur.
Per caput hoc juro, per quod pater ante ſolebat:
Quæ tibi polliceor reduci rebuſque ſecundis,
Hæc eadem matrique tuæ generique manebunt.
Sic ait illacrimans: humero ſimul exuit enſem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Cnoſſius, atque habilem vagina aptarat eburna.
Dat Niſo Mneſtheus pellem horrentiſque leonis
Exuvias: galeam fidus permutat Aletes.
Protinus armati incedunt: quos omnis euntes
Primorum manus ad portas juvenumque ſenumque
Proſequitur votis. nec non & pulcher Iulus,
Ante annos animumque gerens curamque virilem,
Multa patri portanda dabat mandata: ſed auræ
Omnia diſcerpunt, & nubibus irrita donant.
Egreſſi ſuperant foſſas, noctiſque per umbram
Caſtra inimica petunt, multis tamen ante futuri
Exitio. paſſim ſomno vinoque per herbam
Corpora fuſa vident, arrectos litore currus,
Inter lora rotaſque viros; ſimul arma jacere,
Vina ſimul. prior Hyrtacides ſic ore locutus:
Euryale, audendum dextra. nunc ipſa vocat res.
Hac iter eſt. tu, ne qua manus ſe attollere nobis
A tergo poſſit, cuſtodi, & conſule longe.
Hæc ego vaſta dabo, & lato te limite ducam.
Sic memorat, vocemque premit; ſimul enſe ſuperbum
Rhamnetem aggreditur: qui forte tapetibus altis
Exſtructus toto proflabat pectore ſomnum;
Rex idem, & regi Turno gratiſſimus augur:
Sed non augurio potuit depellere peſtem.
Tres juxta famulos temere inter tela jacentes,
Armigerumque Remi premit, aurigamque ſub ipſis
Nactus equis; ferroque ſecat pendentia colla.
Tum caput ipſi aufert domino, truncumque relinquit
Sanguine ſingultantem: atro tepefacta cruore
Terra, torique madent. nec non Lamyrumque Lamumque,
Et juvenem Sarranum, illa qui plurima nocte
Luſerat inſignis facie, multoque jacebat
Membra deo victus: felix, ſi protinus illum
Æquaſſet nocti ludum, in lucemque tuliſſet.
Impaſtus ceu plena leo per ovilia turbans
(Suadet enim veſana fames) manditque trahitque
Molle pecus, mutumque metu: fremit ore cruento.
Nec minor Euryali cædes. incenſus & ipſe
Perfurit, ac multam in medio ſine nomine plebem
Fadumque Herbeſumque ſubit Rhœtumque Abarimque
Ignaros; Rhœtum vigilantem, & cuncta videntem:
Sed magnum metuens ſe poſt cratera tegebat:
Pectore in adverſo totum cui cominus enſem
Condidit aſſurgenti, & multa morte recepit.
Purpuream vomit ille animam; & cum ſanguine mixta
Vina refert moriens. hic furto fervidus inſtat,
Jamque ad Meſſapi ſocios tendebat, ubi ignem
Deficere extremum, & religatos rite videbat
Carpere gramen equos: breviter cum talia Niſus,
(Senſit enim nimia cæde atque cupidine ferri)
Abſiſtamus, ait: nam lux inimica propinquat.
Pœnarum exhauſtum ſatis eſt: via facta per hoſtes.
Multa virum ſolido argento perfecta relinquunt
Armaque crateraſque ſimul, pulchroſque tapetas.
Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
Cingula, Tiburti Remulo ditiſſimus olim
Quæ mittit dona, hoſpitio cum jungeret abſens,
Cædicus: ille ſuo moriens dat habere nepoti.
Poſt mortem bello Rutuli prædaque potiti.
Hæc rapit, atque humeris nequidquam fortibus aptat.
Tum galeam Meſſapi habilem criſtiſque decoram
Induit. excednnt caſtris, & tuta capeſſunt.
Interea præmiſſi equites ex urbe Latina,
Cetera dum legio campis inſtructa moratur,
Ibant, & Turno regi reſponſa ferebant:
Tercentum; ſcutati omnes, Volſcente magiſtro.
Jamque propinquabant caſtris, muroſque ſubibant.
Cum procul hos lævo flectentes limite cernunt:
Et galea Euryalum ſubluſtri noctis in umbra
Prodidit immemorem, radiiſque adverſa refulſit.
Haud temere eſt viſum: conclamat ab agmine Volicens:
State, viri. quæ cauſſa viæ? quive eſtis in armis?
Quove tenetis iter? Nihil illi tendere contra:
Sed celerare fugam in ſilvas, & fidere nocti.
Objiciunt equites ſeſe ad divortia nota
Hinc atque hinc, omnemque abitum cuſtode coronant.
Silva fuit, late dumis atque ilice nigra
Horrida, quam denſi complerant undique ſentes:
Rara per occultos ducebat ſemita calles.
Euryalum tenebræ ramorum oneroſaque præda
Impediunt, fallitque timor regione viarum.
Niſus abit: jamque imprudens evaſerat hoſtes,
Atque lacus, qui poſt Albæ de nomine dicti
Albani: tum rex ſtabula alta Latinus habebat.
Ut ſtetit, & fruſtra abſentem reſpexit amicum:
Euryale infelix, qua te regione reliqui?
Quave ſequar? rurſus perplexum iter omne revolvens
Fallacis ſilvæ, ſimul & veſtigia retro
Obſervata legit, dumiſque ſilentibus errat:
Audit equos, audit ſtrepitus & ſigna ſequentum.
Nec longum in medio tempus; cum clamor ad aures
Pervenit, ac videt Euryalum: quem jam manus omnis
Fraude loci & noctis, ſubito turbante tumultu,
Oppreſſum rapit, & conantem plurima fruſtra.
Quid faciat? qua vi juvenem, quibus audeat armis
Eripere? an ſeſe medios moriturus in enſes
Inferat, & pulchram properet per vulnera mortem?
Ocyus adducto torquens haſtile lacerto,
Suſpiciens altam Lunam ſic voce precatur:
Tu, dea, tu præſens noſtro ſuccurre labori,
Aſtrorum decus, & nemorum Latonia cuſtos:
Si qua tuis umquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, ſi qua ipſe meis venatibus auxi,
Suſpendive tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi;
Hunc ſine me turbare globum, & rege tela per auras.
Dixerat: & toto connixus corpore ferrum
Conjicit. haſta volans noctis diverberat umbras,
Et venit adverſi in tergum Sulmonis, ibique
Frangitur, ac fixo tranſit præcordia ligno.
Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, & longis ſingultibus ilia pulſat.
Diverſi circumſpiciunt. hoc acrior idem
Ecce aliud ſumma telum librabat ab aure;
Dum trepidant, iit haſta Tago per tempus utrumque
Stridens, trajectoque hæſit tepefacta cerebro.
Sævit atrox Volſcens, nec teli conſpicit uſquam
Auctorem, nec quo ſe ardens immittere poſſit.
Tu tamen interea calido mihi ſanguine pœnas
Perſolves amborum, inquit: ſimul enſe recluſo
Ibat in Euryalum. tum vero exterritus amens
Conclamat Niſus, nec ſe celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:
Me, me: (adſum qui feci) in me convertite ferrum,
O Ru-

O Rutuli. mea fraus omnis: nihil iſte nec auſus,
Nec potuit: cælum hoc & conſcia ſidera teſtor.
Tantum infelicem nimium dilexit amicum.
Talia dicta dabat: ſed viribus enſis adactus
Tranſabiit coſtas, & candida pectora rupit.
Volvitur Euryalus leto, pulchroſque per artus
It cruor, inque humeros cervix collapſa recumbit.
Purpureus veluti cum flos ſuccifus aratro
Langueſcit moriens; laſſove papavera collo
Demiſere caput, pluvia cum forte gravantur.
At Niſus ruit in medios, ſolumque per omnes
Volſcentem petit: in ſolo Volſcente moratur.
Quem circum glomerati hoſtes hinc cominus atque hinc
Proturbant. inſtat non ſecius, ac rotat enſem
Fulmineum; donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverſo, & moriens animam abſtulit hoſti.
Tum ſuper exanimem ſeſe projecit amicum
Confoſſus, placidaque ibi demum morte quievit.
Fortunati ambo: ſi quid mea carmina poſſunt,
Nulla dies umquam memori vos eximet ævo;
Dum domus Aeneæ Capitoli immobile ſaxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.
Victores præda Rutuli ſpoliiſque potiti
Volſcentem exanimum flentes in caſtra ferebant.
Nec minor in caſtris luctus, Rhamnete reperto
Exſangui, & primis una tot cæde peremtis,
Sarranoque Numaque. ingens concurſus ad ipſa
Corpora, ſeminecesque viros, tepidaque recentem
Cæde locum, & plenos ſpumanti ſanguine rivos.
Agnoſcunt ſpolia inter ſe galeamque nitentem
Meſſapi, & multo phaleras ſudore receptas.
Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile,
Jam ſole infuſo, jam rebus luce retectis;
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipſe,
Suſcitat, æratasque acies in prælia cogit
Quiſque ſuos, variiſque acuunt rumoribus iras.
Quin ipſa arrectis (viſu miſerabile) in haſtis
Præfigunt capita, & multo clamore ſequuntur,
Euryali & Niſi.
Aeneadæ duri murorum in parte ſiniſtra
Oppoſuere aciem, (nam dextera cingitur amni)
Ingenteſque tenent foſſas, & turribus altis
Stant mœſti: ſimul ora virum præfixa movebant,
Nota nimis miſeris, atroque fluentia tabo.
Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia Fama ruit, matriſque adlabitur aures
Euryali. at ſubitus miſeræ calor oſſa reliquit.
Excuſſi manibus radii, revolutaque penſa.
Evolat infelix, & femineo ululatu,
Sciſſa comam, muros amens atque agmina curſu
Prima petit. non illa virum, non illa pericli
Telorumque memor: cælum dehinc queſtibus implet:
Hunc ego te, Euryale, aſpicio? tune illa ſenectæ
Sera meæ requies potuiſti linquere ſolam,
Crudelis? nec te, ſub tanta pericula miſſum,
Adfari extremum miſeræ data copia matri?
Heu, terra ignota canibus date præda Latinis
Alitibuſque jaces! nec te tua funera mater
Produxi, preſſive oculos, aut vulnera lavi,
Veſte tegens, tibi quam noctes feſtina dieſque
Urgebam, & tela curas ſolabar aniles.
Quo ſequar? aut quæ nunc artus avulſaque membra
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te,
Nate, refers? hoc ſum terraque marique ſecuta?
Figite me, ſi qua eſt pietas; in me omnia tela
Conjicite, o Rutuli. me primam abſumite ferro,
Aut tu, magne pater divum, miſerere, tuoque
Inviſum hoc detrude caput ſub Tartara telo:
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.
Hoc fletu concuſſi animi, mœſtuſque per omnes
It gemitus: torpent infractæ ad prælia vires.
Illam incendentem luctus Idæus & Actor,
Ilionei monitu & multum lacrimantis Iuli,
Corripiunt, interque manus ſub tecta reponunt.
At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro
Increpuit. ſequitur clamor, cælumque remugit.
Accelerant acta pariter teſtudine Volſci,
Et foſſas implere parant, ac vellere vallum.
Quærunt pars aditum, & ſcalis aſcendere muros,
Qua rara eſt acies, interlucetque corona
Non tam ſpiſſa viris. telorum effundere contra
Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis,
Aſſueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infeſto volvebant pondere, ſi qua
Poſſent tectam aciem perrumpere: cum tamen omnes
Ferre libet ſubter denſa teſtudine caſus.
Nec jam ſufficiunt. nam, qua globus imminet ingens,
Immanem Teucri molem volvuntque ruuntque:
Quæ ſtravit Rutulos late, armorumque reſolvit
Tegmina. nec curant cæco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli, ſed pellere vallo
Miſſilibus certant.
Parte alia horrendus viſu quaſſabat Etruſcam
Pinum, & fumiferos infert Mezentius ignes.
At Meſſapus equum domitor Neptunia proles
Reſcindit vallum, & ſcalas in mœnia poſcit.
Vos, o Calliope, precor aſpirate canenti;
Quas ibi tunc ferro ſtrages, quæ funera Turnus
Ediderit; quem quiſque virum demiſerit Orco:
Et mecum ingentes oras evolvite belli.
Et meminiſtis enim, divæ, & memorare poteſtis.
Turris erat vaſto ſuſpectu, & pontibus altis,
Opportuna loco: ſummis quam viribus omnes
Expugnare Itali, ſummaque evertere opum vi
Certabant. Troes contra defendere ſaxis,
Perque cavas denſi tela intorquere feneſtras.
Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,
Et flammam adfixit lateri; quæ plurima vento
Corripuit tabulas, & poſtibus hæſit adeſis.
Turbati trepidare intus, fruſtraque malorum
Velle fugam. dum ſe glomerant, retroque reſidunt
In partem, quæ peſte caret, tum pondere turris
Procubuit ſubito, & cælum tonat omne fragore.
Semineces ad terram, immani mole ſecuta,
Confixique ſuis telis, & pectora duro
Transfoſſi ligno veniunt. vix unus Helenor,
Et Lycus elapſi; quorum primævus Helenor,
Mœonio regi, quem ſerva Licymnia furtim
Suſtulerat, vetitiſque ad Trojam miſerat armis;
Enſe levis nudo, parmaque inglorius alba.
Iſque, ubi ſe Turni media inter millia vidit,
Hinc acies, atque hinc acies aſtare Latinas:
Ut fera, quæ denſa venantum ſepta corona
Contra tela furit, ſeſeque haud neſcia morti
Injicit, & ſaltu ſupra venabula fertur:
Haud aliter juvenis medios moriturus in hoſtes
Irruit: &, qua tela videt denſiſſima, tendit.
At pedibus longe melior Lycus inter & hoſtes,
Inter & arma fuga muros tenet, altaque certat
Prendere tecta manu, ſociumque attingere dextras.
Quem Turnus pariter curſu, teloque ſecutus

Increpat his victor: Noſtraſne evadere, demens,
Speraſti te poſſe manus? ſimul arripit ipſum
Pendentem, & magna muri cum parte revellit:
Qualis ubi aut leporem, aut candenti corpore cycnum,
Suſtulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis:
Quæſitum aut matri multis balatibus agnum
Martius a ſtabulis rapuit lupus. undique clamor
Tollitur: invadunt, & foſſas aggere complent,
Ardentes tædas alii ad faſtigia jactant.
Ilioneus ſaxo atque ingenti fragmine montis
Lucetium, portæ ſubeuntem, igneſque ferentem:
Emathiona Liger, Corynæum ſternit Aſylas:
Hic jaculo bonus, hic longe fallente ſagitta.
Ortygium Cæneus, victorem Cænea Turnus:
Turnus Itym, Cloniumque, Dioxippum, Promolumque,
Et Sagarim, & ſummis ſtantem pro turribus Idam:
Privernum Capys. hunc primo levis haſta Temillæ
Strinxerat: ille manum projecto tegmine demens
Ad vulnus tulit. ergo alis allapſa ſagitta,
Et lævo infixa eſt lateri manus, abditaque intus
Spiramenta animæ letali vulnere rupit.
Stabat in egregiis Arcentis filius armis;
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Hibera,
Inſignis facie: genitor quem miſerat Arcens,
Eductum Martis luco, Simæthia circum
Flumina: pinguis ubi & placabilis ara Palici.
Stridentem fundam, poſitis Mezentius haſtis,
Ipſe ter adducta circum caput egit habena;
Et media adverſi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.
Tum primum bello celerem intendiſſe ſagittam
Dicitur ante feras ſolitus terrere fugaces
Aſcanius, fortemque manu fudiſſe Numanum,
Cui Remulo cognomen erat, Turnique minorem
Germanam nuper thalamo ſociatus habebat.
Is primam ante aciem digna atque indigna relatu
Vociferans, tumiduſque novo præcordia regno
Ibat, & ingenti ſeſe clamore ferebat:
Non pudet obſidione iterum, valloque teneri,
Bis capti Phryges, & morti prætendere muros?
En qui noſtra ſibi bello connubia poſcunt.
Quis deus Italiam, quæ vos dementia adegit?
Non hic Atridæ, nec fandi fictor Ulyſſes:
Durum a ſtirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, ſævoque gelu duramus, & undis;
Venatu invigilant pueri, ſilvaſque fatigant;
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.
At patiens operum, parvoque adſueta juventus,
Aut raſtris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne ævum ferro teritur, verſaque juvencum
Terga fatigamus haſta; nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem;
Caniciem galea premimus; ſemperque recentes
Convectare juvat prædas, & vivere rapto.
Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis;
Deſidiæ cordi; juvat indulgere choreis;
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.
O vere Phrygiæ, (neque enim Phryges) ite per alta
Dindyma, ubi adſuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos, buxuſque vocat Berecynthia matris
Idææ; ſinite arma viris, & cedite ferro.
Talia jactantem dictis, ac dira canentem
Non tulit Aſcanius; nervoque obverſus equino
Contendit telum; diverſaque brachia ducens
Conſtitit ante Jovem ſupplex per vota precatus:
Jupiter omnipotens, audacibus annue cœptis;
Ipſe tibi ad tua templa feram ſolemnia dona;
Et ſtatuam ante aras aurata fronte juvencum
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem;
Jam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.
Audiit, & cæli genitor de parte ſerena
Intonuit lævum. ſonat una letifer arcus:
Effugit horrendum ſtridens elapſa ſagitta,
Perque caput Remuli venit, & cava tempora ferro
Trajicit: I, verbis virtutem illude ſuperbis.
Bis capti Phryges hæc Rutulis reſponſa remittunt.
Hæc tantum Aſcanius. Teucri clamore ſequuntur,
Lætitiaque fremunt, animoſque ad ſidera tollunt.
Ætheria tum forte plaga crinitus Apollo
Deſuper Auſonias acies, urbemque videbat
Nube ſedens, atque his victorem affatur Iulum:
Macte nova virtute, puer; ſic itur ad aſtra,
Diis genite, & geniture deos. jure omnia bella
Gente ſub Aſſaraci fato ventura reſident:
Nec te Troja capit. Simul hæc effatus ab alto
Æthere ſe mittit, ſpirantes dimovet auras,
Aſcaniumque petit. forma tum vertitur oris
Antiquum in Buten. hic Dardanio Anchiſæ
Armiger ante fuit, fiduſque ad limina cuſtos.
Tum comitem Aſcanio pater addidit. ibat Apollo
Omnia longævo ſimilis, vocemque, coloremque,
Et crines albos, & ſæva ſonoribus arma:
Atque his ardentem dictis affatur Iulum:
Sit ſatis, Aeneide, telis impune Numanum
Oppetiiſſe tuis. primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, & paribus non invidet armis.
Cetera parce puer bello. Sic orſus Apollo
Mortales medio aſpectus ſermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
Agnovere deum proceres, divinaque tela
Dardanidæ, pharetramque fuga ſenſere ſonantem.
Ergo avidum pugnæ dictis, ac numine Phœbi
Aſcanium prohibent: ipſi in certamina rurſus
Succedunt, animaſque in aperta pericula mittunt.
It clamor totis per propugnacula muris:
Intendunt acres arcus, amentaque torquent:
Sternitur omne ſolum telis. tum ſcuta cavæque
Dant ſonitum flictu galeæ: pugna aſpera ſurgit.
Quantus ab occaſu veniens pluvialibus Hœdis
Verberat imber humum: quam multa grandine nimbi
In vada præcipitant, cum Jupiter horridus auſtris
Torquet aquoſam hiemem, & cælo cava nubila rumpit.
Pandarus, & Bitias, Idæo Alcanore creti,
Quos Jovis eduxit luco ſilveſtris Hiera
Abietibus juvenes patriis, & montibus æquos,
Portam, quæ ducis imperio commiſſa, recludunt
Freti armis, ultroque invitant mœnibus hoſtem.
Ipſi intus dextra ac læva pro turribus adſtant
Armati ferro, & criſtis capita alta coruſci.
Quales aeriæ liquentia flumina circum,
Sive Padi ripis, Atheſim ſeu propter amœnum
Conſurgunt geminæ quercus, intonſaque cælo
Attollunt capita, & ſublimi vertice nutant.
Irrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentes.
Continuo Quercens, & pulcher Equicolus armis,
Et præceps animi Tmarus, & Mavortius Hæmon
Agminibus totis aut verſi terga dedere,
Aut ipſo portæ poſuere in limine vitam.
Tum magis increſcunt animis diſcordibus iræ:
Et jam collecti Troes glomerantur eodem,
Et conferre manum, & procurrere longius audent.
Ductori Turno diverſa in parte furenti,

Turban-

Turbantique viros, perfertur nuntius, hoſtem
Fervere cæde nova, & portas præbere patentes.
Deſerit inceptum, atque immani concitus ira
Dardaniam ruit ad portam, fratreſque ſuperbos:
Et primum Antiphaten, is enim ſe primus agebat,
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
Conjecto ſternit jaculo. volat Itala cornus
Aera per tenuem, ſtomachoque infixa ſub altum
Pectus abit: reddit ſpecus atri vulneris undam
Spumantem, & fixo ferrum in pulmone tepeſcit. (num:
Tunc Meropem atque Erymantha manu, tum ſternit Aphid-
Tum Bitiam ardentem oculis, animiſque frementem,
Non jaculo: (neque enim jaculo vitam ille dediſſet)
Sed magnum ſtridens contorta phalarica venit,
Fulminis acta modo, quam nec duo taurea terga,
Nec duplici ſquama lorica fidelis & auro
Suſtinuit. collapſa ruunt immania membra.
Dat tellus gemitum, & clypeum ſuperintonat ingens.
Qualis in Euboico Baiarum litore quondam
Saxea pila cadit; magnis quam molibus ante
Conſtructam ponto jaciunt: ſic illa ruinam
Prona trahit, penituſque vadis illiſa recumbit.
Miſcent ſe maria, & nigræ attolluntur arenæ.
Tum ſonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime, Jovis imperiis impoſta Typhoeo.
Hic Mars armipotens animum vireſque Latinis
Addidit, & ſtimulos acres ſub pectora vertit:
Immiſitque fugam Teucris, atrumque timorem.
Undique conveniunt, quoniam data copia pugnæ,
Bellatorque animo deus incidit.
Pandarus, ut fuſo germanum corpore cernit,
Et quo ſit Fortuna loco, qui caſus agat res;
Portam vi multa converſo cardine torquet,
Obnixus latis humeris, multoſque ſuorum
Mœnibus excluſos duro in certamine linquit:
Aſt alios ſecum includit recipitque ruentes,
Demens: qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit irrumpentem; ultroque incluſerit urbi,
Immanem veluti pecora inter inertia Tigrim.
Continuo nova lux oculis effulſit, & arma
Horrendum ſonuere: tremunt in vertice criſtæ
Sanguineæ, clypeoque micantia fulgura mittit.
Agnoſcunt faciem inviſam, atque immania membra
Turbati ſubito Aeneadæ: tum Pandarus ingens
Emicat, & mortis fraternæ fervidus ira
Effatur: Non hæc dotalis regia Amatæ,
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Caſtra inimica vides: nulla hinc exire poteſtas.
Olli ſubridens ſedato pectore Turnus:
Incipe, ſi qua animo virtus, & conſere dextram:
Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem.
Dixerat. ille rudem nodis, & cortice crudo
Intorquet ſummis adnixus viribus haſtam.
Excepere auræ vulnus; (Saturnia Juno
Detorſit veniens) portæque infigitur haſta.
At non hoc telum, mea quod vi dextera verſat,
Effugies: neque enim is teli nec vulneris auctor.
Sic ait, & ſublatum alte conſurgit in enſem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit, impubeſque immani vulnere malas.
Fit ſonus, ingenti concuſſa eſt pondere tellus.
Collapſos artus, atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens: atque illi partibus æquis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.
Diffugiunt verſi trepida formidine Troes.
Et ſi continuo victorem ea cura ſubiſſet,
Rumpere clauſtra manu, ſocioſque immittere portis;
Ultimus ille dies bello, gentique fuiſſet.
Sed furor ardentem cædiſque inſana cupido
Egit in adverſos.
Principio Phalarim, & ſucciſo poplite Gygen
Excipit: hinc raptas fugientibus ingerit haſtas
In tergum. Juno vires animumque miniſtrat.
Addit Halyn comitem, & confixa Phegea parma;
Ignaros deinde in muris, Martemque cientes
Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque,
Lyncea tendentem contra, ſocioſque vocantem,
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat: huic uno dejectum cominus ictu
Cum galea longe jacuit caput. inde ferarum
Vaſtatorem Amycum, quo non felicior alter
Ungere tela manu, ferrumque armare veneno:
Et Clytium Aeoliden, & amicum Cretea Muſis,
Cretea Muſarum comitem, cui carmina ſemper,
Et citharæ cordi, numeroſque intendere nervis:
Semper equos, atque arma virum, pugnaſque canebat.
Tandem ductores, audita cæde ſuorum,
Conveniunt Teucri, Mneſtheus, acerque Sereſtus,
Palanteſque vident ſocios, hoſtemque receptum.
Et Mneſtheus: Quo deinde fugam? quo tenditis? inquit.
Quos alios muros, quæ jam ultra mœnia habetis?
Unus homo, & veſtris, o cives, undique ſeptus
Aggeribus, tantas ſtrages impune per urbem
Ediderit? juvenum primos tot miſerit Orco?
Non infelicis patriæ, veterumque deorum,
Et magni Æneæ ſegnes miſeretque pudetque?
Talibus accenſi firmantur, & agmine denſo
Conſiſtunt. Turnus paulatim excedere pugna,
Et fluvium petere, ac partem, quæ cingitur amni.
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum. ceu ſævum turba leonem
Cum telis premit infenſis: at territus ille,
Aſper, acerba tuens retro redit, & neque terga
Ira dare, aut virtus patitur: nec tendere contra,
Ille quidem hoc cupiens, potis eſt, per tela, viroſque.
Haud aliter retro dubius veſtigia Turnus
Improperata refert, & mens exæſtuat ira.
Quin etiam bis tum medios invaſerat hoſtes,
Bis confuſa fuga per muros agmina vertit.
Sed manus e caſtris propere coit omnis in unum:
Nec contra vires audet Saturnia Juno
Sufficere, aeriam cælo nam Jupiter Irim
Demiſit, germanæ haud mollia juſſa ferentem,
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.
Ergo nec clypeo juvenis ſubſiſtere tantum,
Nec dextra valet: injectis ſic undique telis
Obruitur: ſtrepit aſſiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, & ſaxis ſolida æra fatiſcunt,
Diſcuſſæque jubæ capiti: nec ſufficit umbo
Ictibus: ingeminant haſtis & Troes, & ipſe
Fulmineus Mneſtheus. tum toto corpore ſudor
Liquitur, & piceum (nec reſpirare poteſtas)
Flumen agit: feſſos quatit æger anhelitus artus.
Tum demum præceps ſaltu ſeſe omnibus armis
In fluvium dedit. ille ſuo cum gurgite flavo
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis,
Et lætum ad ſocios, abluta cæde, remiſit.

ÆNEIDOS
LIBER X.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi;
Conciliumque vocat divum pater atque hominum rex
Sideream in ſedem: terras unde arduus omnes,
Caſtraque Dardanidum aſpectat, populoſque Latinos.
Conſidunt tectis bipatentibus: incipit ipſe:
Cælicolæ magni, quia nam ſententia vobis
Verſa retro, tantumque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris:
Quæ contra vetitum diſcordia? quis metus aut hos
Aut hos arma ſequi, ferrumque laceſſere ſuaſit?
Adveniet juſtum pugnæ (ne arceſſite) tempus,
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes immittet apertas:
Tum certare odiis, tum res rapuiſſe licebit.
Nunc ſinite; & placidum læti componite fœdus.
Jupiter hæc paucis: at non Venus aurea contra
Pauca refert.
O pater, o hominum divumque æterna poteſtas;
(Namque aliud quid ſit, quod jam implorare queamus?)
Cernis ut inſultent Rutuli; Turnuſque feratur
Per medios inſignis equis, tumiduſque ſecundo
Marte ruat? non clauſa tegunt jam mœnia Teucros:
Quin intra portas atque ipſis prælia miſcent
Aggeribus murorum, & inundant ſanguine foſſæ.
Æneas ignarus abeſt. nunquamne levari
Obſidione ſines? muris iterum imminet hoſtis
Naſcentis Trojæ: nec non exercitus alter:
Atque iterum in Teucros Ætolis ſurgit ab Arpis
Tydides. equidem (credo) mea vulnera reſtant:
Et tua progenies mortalia demoror arma.
Si ſine pace tua, atque invito numine Troes
Italiam petiere, luant peccata, neque illos
Juveris auxilio. ſin tot reſponſa ſecuti,
Quæ Superi Maneſque dabant; cur nunc tua quiſquam
Vertere juſſa poteſt? aut cur nova condere fata?
Quid repetam exuſtas Erycino in litore claſſes?
Quid tempeſtatum regem, ventoſque furentes
Æolia excitos? aut actam nubibus Irim?
Nunc etiam Manes (hæc intentata manebat
Sors rerum) movet, & ſuperis immiſſa repente
Alecto, medias Italum bacchata per urbes.
Nil ſuper imperio moveor: ſperavimus iſta,
Dum Fortuna fuit: vincant, quos vincere mavis.
Si nulla eſt regio, Teucris quam det tua conjux
Dura, per everſæ, genitor, fumantia Trojæ
Excidia obteſtor, liceat dimittere ab armis
Incolumem Aſcanium, liceat ſupereſſe nepotem.
Æneas ſane ignotis jactetur in undis,
Et, quamcumque viam dederit Fortuna, ſequatur:
Hunc tegere, & diræ valeam ſubducere pugnæ.
Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphos atque Cythera;
Idaliæque domus: poſitis inglorius armis
Exigat hic ævum: magna ditione jubeto
Carthago premat Auſoniam: nihil urbibus inde
Obſtabit Tyriis. quid peſtem evadere belli
Juvit, & Argolicos medium fugiſſe per ignes,
Totque maris vaſtæque exhauſta pericula terræ,
Dum Latium Teucri, recidivaque Pergama quærunt?
Non ſatius cineres patriæ inſediſſe ſupremos,
Atque ſolum, quo Troja fuit? Xanthum, & Simoenta
Redde, oro, miſeris: iterumque revolvere caſus
Da, pater, Iliacos Teucris. Tum regia Juno
Acta furore gravi: Quid me alta ſilentia cogis
Rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem?
Ænean hominum quiſquam, divumque ſubegit
Bella ſequi, aut hoſtem regi ſe inferre Latino?
Italiam petiit fatis auctoribus: eſto,
Caſſandræ impulſus furiis. num linquere caſtra
Hortati ſumus, aut vitam committere ventis?
Num puero ſummam belli, num credere muros?
Tyrrhenamve fidem, aut gentes agitare quietas?
Quis deus in fraudem, quæ dura potentia noſtri
Egit? ubi hic Juno, demiſſave nubibus Iris?
Indignum eſt, Italos Trojam circumdare flammis
Naſcentem, & patria Turnum conſiſtere terra,
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.
Quid face Trojanos atra vim ferre Latinis?
Arva aliena jugo premere atque avertere prædas?
Quid ſoceros legere, & gremiis abducere pactas?
Pacem orare manu, præfigere puppibus arma?
Tu potes Ænean manibus ſubducere Grajum,
Proque viro nebulam, & ventos obtendere inanes,
Et potes in totidem claſſem convertere nymphas.
Nos aliquid Rutulos contra juviſſe nefandum eſt.
Æneas ignarus abeſt: ignarus & abſit.
Eſt Paphos, Idaliumque tibi, ſunt alta Cythera.
Quid gravidam bellis urbem, & corda aſpera tentas?
Noſne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur? nos? an miſeros qui Troas Achivis
Objecit? quæ cauſſa fuit conſurgere in arma
Europamque, Aſiamque, & fœdera ſolvere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Aut ego tela dedi? fovive cupidine bella?
Tunc decuit metuiſſe tuis: nunc ſera querelis
Haud juſtis aſſurgis, & irrita jurgia jactas.
Talibus orabat Juno; cunctique fremebant
Cælicolæ aſſenſu vario: ceu flamina prima,
Cum deprenſa fremunt ſilvis, & cæca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum pater omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas,
Infit: eo dicente deum domus alta ſileſcit,
Et tremefacta ſolo tellus, ſilet arduus æther:
Tum zephyri poſuere, premit placida æquora pontus.
Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta.
Quandoquidem Auſonios conjungi fœdere Teucris
Haud licitum eſt; nec veſtra capit diſcordia finem;
Quæ cuique eſt fortuna hodie, quam quiſque ſecat ſpem
Tros, Rutuluſve fuat, nullo diſcrimine habebo.
Seu fatis Italum caſtra obſidione tenentur,
Sive errore malo Trojæ, monitiſque ſiniſtris;
Nec Rutulos ſolvo: ſua cuique exorſa laborem,
Fortunamque ferent. rex Jupiter omnibus idem.
Fata viam invenient. Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atraque voragine ripas,
Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.
Hic finis fandi. ſolio tum Jupiter aureo
Surgit, cælicolæ medium quem ad limina ducunt.
Interea Rutuli portis circum omnibus inſtant
Sternere cæde viros, & mœnia cingere flammis.
At legio Aeneadum vallis obſeſſa tenetur:
Nec ſpes ulla fugæ. miſeri ſtant turribus altis
Nequidquam, & rara muros cinxere corona.
Aſius Imbraſides, Hicetaoniuſque Thymœtes,
Aſſaracique duo, & ſenior cum Caſtore Tibris,
Prima acies. hos germani Sarpedonis ambo,
Et Clarus, & Themon Lycia comitantur ab alta.
Fert ingens toto connixus corpore ſaxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrneſſius Acmon,

Nec Clytio genitore minor, nec fratre Meneſtheo.
Hi jaculis, illi certant defendere ſaxis,
Molirique ignem, nervoque aptare ſagittas.
Ipſe inter medios, Veneris juſtiſſima cura,
Dardanius caput ecce puer detectus honeſtum,
Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum,
Aut collo decus, aut capiti, vel quale per artem
Incluſum buxo, aut Oricia terebintho
Lucet ebur: fuſos cervix cui lactea crines
Accipit, & molli ſubnectit circulus auro.
Te quoque magnanimæ viderunt, Iſmare, gentes
Vulnera dirigere, & calamos armare veneno,
Mæonia generoſe domo: ubi pinguia culta
Exercentque viri, Pactoluſque irrigat auro.
Affuit & Mneſtheus, quem pulſi priſtina Turni
Aggere murorum ſublimem gloria tollit:
Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur urbi.
Illi inter ſeſe duri certamina belli
Contulerant. media Aeneas freta nocte ſecabat:
Namque ut ab Evandro caſtris ingreſſus Etruſcis
Regem adit, & regi memorat nomenque, genuſque:
Quidve petat, quidve ipſe ferat; Mezentius arma
Quæ ſibi conciliet, violentaque pectora Turni
Edocet: humaniſque quæ ſit fiducia rebus,
Admonet, immiſcetque preces. haud fit mora, Tarchon
Jungit opes, fœduſque ferit, tum libera fatis
Claſſem conſcendit juſſis gens Lydia divum
Externo commiſſa duci. Aeneia puppis
Prima tenet, roſtro Phrygios ſubjuncta leones:
Imminet Ida ſuper, profugis gratiſſima Teucris.
Hic magnus ſedet Aeneas, ſecumque volutat
Eventus belli varios: Pallaſque ſiniſtro
Affixus lateri, jam quærit ſidera, opacæ
Noctis iter, jam quæ paſſus terraque, marique.
Pandite nunc Helicona, deæ, cantuſque movete.
Quæ manus interea Tuſcis comitetur ab oris
Aenean, armetque rates, pelagoque vehatur.
Maſſicus ærata Princeps ſecat æquora Tigri:
Sub quo mille manus juvenum, qui mœnia Cluſi,
Quique urbem liquere Coſas: queis tela, ſagittæ,
Corytique leves humeris, & letifer arcus.
Una torvus Abas: huic totum inſignibus armis
Agmen, & aurato fulgebat Apolline puppis.
Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli juvenes: aſt Ilva trecentos
Inſula inexhauſtis chalybum generoſa metallis.
Tertius ille hominum divumque interpres Aſylas,
Cui pecudum fibræ, cæli cui ſidera parent,
Et linguæ volucrum, & præſagi fulminis ignes,
Mille rapit denſos acie, atque horrentibus haſtis.
Hos parere jubent Alpheæ ab origine Piſæ,
Urbs Etruſca ſolo. ſequitur pulcherrimus Aſtur,
Aſtur equo fidens, & verſicoloribus armis.
Tercentum adjiciunt, (mens omnibus una ſequendi)
Qui Cærete domo, qui ſunt Minionis in arvis:
Et Pyrgi veteres, intempeſtæque Graviſcæ.
Non ego te, Ligurum ductor, fortiſſime bello,
Tranſierim, Cycne, & paucis comitate Cupavo:
Cujus olorinæ ſurgunt de vertice pennæ.
Crimen amor veſtrum, formæque inſigne paternæ.
Namque ferunt, luctu Cycnum Phaethontis amati,
Populeas inter frondes umbramque ſororum
Dum canit, & mœſtum muſa ſolatur amorem,
Canentem molli pluma duxiſſe ſenectam,
Linquentem terras, & ſidera voce ſequentem.
Filius æquales comitatus claſſe catervas,
Ingentem remis Centaurum promovet: ille
Inſtat aquæ, ſaxumque undis immane minatur
Arduus, & longa ſulcat maria alta carina.
Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris
Fatidicæ Mantus, & Tuſci filius amnis.
Qui muros, matriſque dedit tibi, Mantua, nomen,
Mantua dives avis: ſed non genus omnibus unum:
Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni,
Ipſa caput populis, Tuſco de ſanguine vires.
Hinc quoque quingentos in ſe Mezentius armat,
Quos patre Benaco velatus arundine glauca
Mincius infeſta ducebat in æquora pinu.
It gravis Auleſtes, centenaque arbore fluctum
Verberat aſſurgens: ſpumant vada marmore verſo.
Hunc vehit immanis Triton, & cærula concha
Exterrens freta: cui laterum tenus hiſpida nanti
Frons hominem præfert, in Priſtin deſinit alvus:
Spumea ſemifero ſub pectore murmurat unda.
Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subſidio Trojæ, & campos ſalis ære ſecabant.
Jamque dies cælo conceſſerat: almaque curru
Noctivago Phœbe medium pulſabat Olympum:
Aeneas (neque enim membris dat cura quietem)
Ipſe ſedens clavumque regit veliſque miniſtrat.
Atque illi medio in ſpatio chorus ecce ſuarum
Occurrit comitum: nymphæ (quas alma Cybele
Numen habere maris, nymphaſque e navibus eſſe
Juſſerat) innabant pariter, fluctuſque ſecabant,
Quot prius æratæ ſteterant ad litora proræ.
Agnoſcunt longe regem, luſtrantque choreis.
Quarum quæ fandi doctiſſima, Cymodocea
Pone ſequens dextra puppim tenet, ipſaque dorſo
Eminet, ac læva tacitis ſubremigat undis.
Tum ſic ignarum alloquitur: Vigilaſne, deum gens,
Aenea? vigila, & velis immitte rudentes.
Nos ſumus Idææ ſacro de vertice pinus,
Nunc pelagi nymphæ, claſſis tua. perfidus ut nos
Præcipites ferro Rutulus flammaque premebat;
Rupimus invitæ tua vincula, teque per æquor
Quærimus. hanc genetrix faciem miſerata refecit,
Et dedit eſſe deas, ævumque agitare ſub undis.
At puer Aſcanius muro foſſiſque tenetur
Tela inter media atque horrentes Marte Latinos.
Jam loca juſſa tenent forti permixtus Etruſco
Arcas eques. medias illis opponere turmas,
Ne caſtris jungant, certa eſt ſententia Turno.
Surge age, & Aurora ſocios veniente vocari
Primus in arma jube, & clypeum cape: quem dedit ipſe
Invictum ignipotens, atque oras ambiit auro.
Craſtina lux, mea ſi non irrita dicta putaris,
Ingentes Rutulæ ſpectabit cædis acervos.
Dixerat: & dextra diſcedens impulit altam,
Haud ignara modi, puppim. fugit illa per undas
Ocyor & jaculo & ventos æquante ſagitta.
Inde aliæ celerant curſus. ſtupet inſcius ipſe
Tros Anchiſiades: animos tamen omine tollit.
Tum breviter ſupera aſpectans convexa precatur:
Alma parens Idæa deum, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque urbes, bijugique ad fræna leones;
Tu mihi nunc pugnæ princeps, tu rite propinques
Augurium, Phrygibuſque adſis pede, diva, ſecundo.
Tantum effatus: & interea revoluta ruebat
Matura jam luce dies, noctemque fugarat.
Principio ſociis edicit, ſigna ſequantur,
Atque animos aptent armis, pugnæque parent ſe.
Jamque in conſpectu Teucros habet, & ſua caſtra,

Stans celſa in puppi: clypeum cum deinde ſiniſtra
Extulit ardentem. clamorem ad ſidera tollunt
Dardanidæ e muris. ſpes addita ſuſcitat iras.
Tela manu jaciunt: quales ſub nubibus atris
Strymoniæ dant ſigna grues, atque æthera tranant
Cum ſonitu, fugiuntque notos clamore ſecundo.
At Rutulo regi ducibuſque ea mira videri
Auſoniis; donec verſas ad litora puppes
Reſpiciunt, totumque allabi claſſibus æquor.
Ardet apex capiti, criſtiſque a vertice flamma
Funditur, & vaſtos umbo vomit aureus ignes:
Non ſecus ac liquida ſi quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor:
Ille ſitim morboſque ferens mortalibus ægris
Naſcitur, & lævo contriſtat lumine cælum.
Haud tamen audaci Turno fiducia ceſſit
Litora præcipere, & venientes pellere terra:
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:
Quod votis optaſtis, adeſt, perfringere dextra
In manibus Mars ipſe, viri. nunc conjugis eſto
Quiſque ſuæ tectique memor: nunc magna referto
Facta patrum, laudeſque: ultro occurramus ad undam,
Dum trepidi, egreſſiſque labant veſtigia prima.
Audentes Fortuna juvat.
Hæc ait, & ſecum verſat, quos ducere contra,
Vel quibus obſeſſos poſſit concredere muros.
Interea Æneas ſocios de puppibus altis
Pontibus exponit: multi ſervare recurſus
Languentis pelagi, & brevibus ſe credere ſaltu:
Per remos alii. ſpeculatus litora Tarchon,
Qua vada non ſperat, nec fracta remurmurat unda,
Sed mare inoffenſum creſcenti allabitur æſtu,
Advertit ſubito proras; ſocioſque precatur:
Nunc, o lecta manus, validis incumbite remis:
Tollite, ferte rates, inimicam findite roſtris
Hanc terram, ſulcumque ſibi premat ipſa carina:
Frangere nec tali puppes ſtatione recuſo
Arrepta tellure ſemel. Quæ talia poſtquam
Effatus Tarchon; ſocii conſurgere tonſis,
Spumanteſque rates arvis inferre Latinis,
Donec roſtra tenent ſiccum: & ſedere carinæ
Omnes innocuæ; ſed non puppis tua, Tarchon.
Namque inflicta vadis, dorſo dum pendet iniquo
Anceps, ſuſtentata diu, fluctuſque fatigat,
Solvitur, atque viros mediis exponit in undis:
Fragmina remorum quos, & fluitantia tranſtra
Impediunt, retrahitque pedem ſimul unda relabens.
Nec Turnum ſegnis retinet mora: ſed rapit acer
Totam aciem in Teucros, & contra in litore ſiſtit.
Signa canunt. primus turmas invaſit agreſtes
Æneas, omen pugnæ; ſtravitque Latinos,
Occiſo Therone, virum qui maximus ultro
Ænean petit. huic gladio perque ærea ſcuta,
Per tunicam ſqualentem auro, latus haurit apertum.
Inde Lychan ferit, exſectum jam matre peremta,
Et tibi, Phœbe, ſacrum; caſus evadere ferri
Cui licuit parvo. nec longe Ciſſea durum,
Immanemque Gyan, ſternentes agmina clava,
Dejecit leto: nihil illos Herculis arma,
Nec validæ juvere manus, genitorque Melampus,
Alcidæ comes, uſque graves cum terra labores
Præbuit. ecce Pharo, voces dum jactat inertes,
Intorquens jaculum clamanti ſiſtit in ore.
Tu quoque, flaventem prima lanugine malas
Dum ſequeris Clytium infelix, nova gaudia, Cydon,
Dardania ſtratus dextra, ſecurus amorum,
Qui juvenum tibi ſemper erant, miſerande, jaceres:
Ni fratrum ſtipata cohors foret obvia, Phorci
Progenies: ſeptem numero, ſeptenaque tela
Conjiciunt: partim galea clypeoque reſultant
Irrita; deflexit partim ſtringentia corpus
Alma Venus. fidum Æneas affatur Achaten:
Suggere tela mihi, (non ullum dextera fruſtra
Torſerit in Rutulos) ſteterunt quæ in corpore Graium
Iliacis campis. tum magnam corripit haſtam,
Et jacit. illa volans clypei tranſverberat æra
Mæonis, & thoraca ſimul cum pectore rumpit.
Huic frater ſubit Alcanor, fratremque ruentem
Suſtentat dextra: trajecto miſſa lacerto
Protinus haſta fugit, ſervatque cruenta tenorem:
Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.
Tum Numitor, jaculo fratris de corpore rapto,
Aenean petiit: ſed non & figere contra
Eſt licitum, magnique femur perſtrinxit Achatæ.
Hic Curibus, fidens primævo corpore, Clauſus
Advenit, & rigida Dryopen ferit eminus haſta,
Sub mentum graviter preſſa, pariterque loquentis
Vocem animamque rapit trajecto gutture. at ille
Fronte ferit terram, & craſſum vomit ore cruorem.
Tres quoque Threicios Boreæ de gente ſuprema,
Et tres, quos Idas pater & patria Iſmara mittit,
Per varios ſternit caſus. accurrit Haleſus
Auruncæque manus: ſubit & Neptunia proles,
Inſignis Meſſapus equis: expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi: certatur limine in ipſo
Auſoniæ, magno diſcordes æthere venti
Prælia ceu tollunt, animis & viribus æquis:
Non ipſi inter ſe, non nubila, non mare cedit:
Anceps pugna diu: ſtant obnixi omnia contra.
Haud aliter Trojanæ acies acieſque Latinæ
Concurrunt: hæret pede pes, denſuſque viro vir.
At parte ex alia, qua ſaxa rorantia late
Impulerat torrens, arbuſtaque diruta ripis,
Arcadas, inſuetos acies inferre pedeſtres,
Ut vidit Pallas Latio dare terga ſequaci,
(Aſpera queis natura loci dimittere quando
Suaſit equos) unum quod rebus reſtat egenis,
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris:
Quo fugitis, ſocii? per vos & fortia facta,
Per ducis Evandri nomen, devictaque bella,
Spemque meam, patriæ quæ nunc ſubit æmula laudis,
Fidite ne pedibus. ferro rumpenda per hoſtes
Eſt via, qua globus ille virum denſiſſimus urget:
Hac vos & Pallanta ducem patria alta repoſcit.
Numina nulla premunt, mortali urgemur ab hoſte
Mortales: totidem nobis animæque manuſque.
Ecce maris magno claudit nos obice pontus,
Deeſt jam terra fugæ. pelago Trojamne petemus?
Hæc ait, & medius denſos prorumpit in hoſtes.
Obvius huic primum, fatis adductus iniquis,
Fit Lagus: hunc, magno vellit dum pondere ſaxum,
Intorto figit telo, diſcrimina coſtis
Per medium qua ſpina dedit: haſtamque receptat
Oſſibus hærentem: quem non ſuper occupat Hisbon,
Ille quidem hoc ſperans: nam Pallas ante ruentem,
Dum furit, incautum crudeli morte ſodalis
Excipit, atque enſem tumido in pulmone recondit.
Hinc Helenum petit, & Rhœti de gente vetuſta
Anchemolum, thalamos auſum inceſtare novercæ.
Vos etiam gemini Rutulis cecidiſtis in arvis,
Daucia, Laride, Thymberque, ſimillima proles,
Indiſcreta ſuis, gratuſque parentibus error.

At nunc dura dedit vobis diſcrimina Pallas.
Nam tibi, Thymbre, caput Evandrius abſtulit enſis:
Te deciſa ſuum, Laride, dextera quærit,
Semianimeſque micant digiti, ferrumque retractant.
Arcadas accenſos monitu, & præclara tuentes
Facta viri, mixtus dolor, & pudor armat in hoſtes.
Tum Pallas bijugis fugientem Rhœtea præter
Trajicit: hoc ſpatium, tantumque moræ fuit Ilo:
Ilo namque procul validam direxerat haſtam:
Quam medius Rhœteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens, fratremque Tyren: curruque volutus
Cædit ſemianimis Rutulorum calcibus arva.
Ac velut optato ventis æſtate coortis,
Diſperſa immittit ſilvis incendia paſtor:
Correptis ſubito mediis, extenditur una
Horrida per latos acies Vulcania campos:
Ille ſedens victor flammas deſpectat ovantes:
Non aliter ſocium virtus coit omnis in unum,
Teque juvat, Palla. ſed bellis acer Haleſus
Tendit in adverſos, ſeque in ſua colligit arma.
Hic mactat Ladona, Pheretaque, Demodocumque:
Strymonio dextram fulgenti deripit enſe,
Elatam in jugulum: ſaxo ferit ora Thoantis,
Oſſaque diſperſit cerebro permiſta cruento.
Fata canens ſilvis genitor celarat Haleſum;
Ut ſenior leto canentia lumina ſolvit,
Injecere manum Parcæ, teliſque ſacrarunt
Evandri, quem ſic Pallas petit ante precatus:
Da nunc, Tibri pater, ferro, quod miſſile libro,
Fortunam, atque viam duri per pectus Haleſi.
Hæc arma, exuviaſque viri tua quercus habebit.
Audiit illa deus; dum texit Imaona Haleſus,
Arcadio infelix telo dat pectus inermum.
At non cæde viri tanta perterrita Lauſus,
Pars ingens belli, ſinit agmina: primus Abantem
Oppoſitum interimit, pugnæ nodumque moramque.
Sternitur Arcadiæ proles; ſternuntur Etruſci,
Et vos, o Grajis imperdita corpora, Teucri.
Agmina concurrunt ducibuſque, & viribus æquis.
Extremi addenſant acies: nec turba moveri
Tela manuſque ſinit. hinc Pallas inſtat, & urget,
Hinc contra Lauſus (nec multum diſcrepat ætas)
Egregii formæ; ſed queis fortuna negarat
In patriam reditus. ipſos concurrere paſſus
Haud tamen inter ſe magni regnator Olympi:
Mox illos ſua fata manent majore ſub hoſte.
Interea ſoror alma monet ſuccurrere Lauſo
Turnum; qui volucri curru medium ſecat agmen.
Ut vidit ſocios; Tempus deſiſtere pugna,
Solus ego in Pallanta feror; ſoli mihi Pallas
Debetur: cuperem ipſe parens ſpectator adeſſet.
Hæc ait; & ſocii ceſſerunt æquore juſſi.
At Rutulum abſceſſu juvenis, tum juſſa ſuperba
Miratus ſtupet in Turno, corpuſque per ingens
Lumina volvit, obitque truci procul omnia viſu.
Talibus & dictis it contra dicta tyranni:
Aut ſpoliis ego jam raptis laudabor opimis,
Aut leto inſigni. ſorti pater æquus utrique eſt.
Tolle minas. Fatus medium procedit in æquor.
Frigidus Arcadibus coit in præcordia ſanguis.
Deſiluit Turnus bijugis: pedes apparat ire
Cominus: utque leo, ſpecula cum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem in prælia taurum,
Advolat: haud alia eſt Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum miſſæ fore credidit haſtæ,
Ire prior Pallas, ſi qua fors adjuvet auſum
Viribus imparibus: magnumque ita ad æthera fatur:
Per patris hoſpitium, & menſas, quas advena adiſti,
Te precor, Alcide, cœptis ingentibus adſis:
Cernat ſemineci ſibi me rapere arma cruenta,
Victoremque ferant morientia lumina Turni.
Audiit Alcides juvenem, magnumque ſub imo
Corde premit gemitum, lacrimaſque effudit inanes.
Tum genitor natum dictis affatur amicis:
Stat ſua cuique dies: breve & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ: ſed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Trojæ ſub mœnibus altis
Tot nati cecidere Deum: quin occidit una
Sarpedon, mea progenies; etiam ſua Turnum
Fata vocant, metaſque dati pervenit ad ævi.
Sic ait, atque oculos Rutulorum rejicit arvis.
At Pallas magnis emittit viribus haſtam,
Vaginaque cava fulgentem diripit enſem.
Illa volans humeris, ſurgunt qua tegmina ſumma,
Incidit, atque viam clypei molita per oras,
Tandem etiam magno ſtrinxit de corpore Turni.
Hic Turnus ferro præfixum robur acuto
In Pallanta, diu librans, jacit: atque ita fatur:
Aſpice, num mage ſit noſtrum penetrabile telum.
Dixerat: at clypeum, tot ferri terga, tot æris,
Cum pellis toties obeat circumdata tauri,
Vibranti cuſpis medium tranſverberat ictu,
Loricæque moras, & pectus perforat ingens.
Ille rapit calidum fruſtra de vulnere telum:
Una eademque via, ſanguiſque animuſque ſequuntur.
Corruit in vulnus: ſonitum ſuper arma dedere.
Et terram hoſtilem moriens petit ore cruento.
Quem Turnus ſuper aſſiſtens;
Arcades hæc, inquit, memores mea dicta referte
Evandro: qualem meruit Pallanta remitto.
Quiſquis honos tumuli, quidquid ſolamen humandi eſt,
Largior: haud illi ſtabunt Aeneia parvo
Hoſpitia: Et lævo preſſit pede, talia fatus,
Exanimem, rapiens immania pondera baltei,
Impreſſumque nefas: una ſub nocte jugali
Cæſa manus juvenum fœde, thalamique cruenti:
Quæ bonus Eurytion multo cælaverat auro.
Quo nunc Turnus ovat ſpolio, gaudetque potitus.
Neſcia mens hominum fatis, ſortiſque futuræ,
Et ſervare modum rebus ſublata ſecundis.
Turno tempus erit, magno cum optaverit emtum
Intactum Pallanta, & cum ſpolia iſta, diemque
Oderit. at ſocii multo gemitu, lacrimiſque
Impoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes,
O dolor, atque decus magnum rediture parenti!
Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert,
Cum tamen ingentes Rutulorum linquis acervos.
Nec jam fama mali tanti, ſed certior auctor
Advolat Aeneæ, tenui diſcrimine leti
Eſſe ſuos, tempus verſis ſuccurrere Teucris.
Proxima quæque metit gladio, latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro, te, Turne, ſuperbum
Cæde nova quærens. Pallas, Evander, in ipſis
Omnia ſunt oculis; menſæ, quas advena primus
Tunc adiit, dextræque datæ. Sulmone creatos
Quatuor hic juvenes, totidem quos educat Vfens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat ſanguine flammas.
Inde Mago procul infenſam cum tenderet haſtam,
Ille aſtu ſubit, ac tremebunda ſupervolat haſta,
Et genua amplectens effatur talia ſupplex:
Per patrios manes, & ſpes ſurgentis Iuli,

Te

Te precor, hanc animam ſerves natoque, patrique.
Eſt domus alta: jacent penitus deſoſſa talenta
Cælati argenti: ſunt auri pondera facti
Infectique mihi. non hic victoria Teucrum
Vertitur; aut anima una dabit diſcrimina tanta.
Dixerat: Aeneas contra cui talia reddit:
Argenti atque auri memoras quæ multa talenta,
Gnatis parce tuis: belli commercia Turnus
Suſtulit iſta prior, jam tum Pallante peremto.
Hoc patris Anchiſæ manes, hoc ſentit Iulus.
Sic fatus galeam læva tenet, atque reflexa
Cervice orantis capulo tenus applicat enſem.
Nec procul Aemonides Phœbi Triviæque ſacerdos,
Infula cui ſacra redimibat tempora vitta,
Totus collucens veſte, atque inſignibus armis.
Quem congreſſus agit campo, lapſumque ſuperſtans
Immolat, ingentique umbra tegit. arma Sereſtus
Lecta refert humeris, tibi, rex Gradive, tropæum.
Inſtaurant acies, Vulcani ſtirpe creatus
Cæculus, & veniens Marſorum montibus Umbro.
Dardanides contra furit: Anxuris enſe ſiniſtram,
Et totum clypei ferro dejecerat orbem.
Dixerat ille aliquid magnum, vimque affore verbo
Crediderat, cæloque animum fortaſſe ferebat,
Canitiemque ſibi & longos promiſerat annos.
Tarquitus exultans contra fulgentibus armis,
Silvicolæ Fauno, Dryope quem nympha crearat,
Obvius ardenti ſeſe obtulit: ille reducta
Loricam, clypeique ingens onus impedit haſta.
Tum caput orantis nequidquam & multa parantis
Dicere deturbat terræ; truncumque repente
Provolvens, ſuper hæc inimico pectore fatur:
Iſtic nunc, metuende, jace. non te optima mater
Condet humi, patriove onerabit membra ſepulcro:
Alitibus linquere feris: aut gurgite merſum
Unda feret, piſceſque impaſti vulnera lambent.
Protinus Antæum & Lycan, prima agmina Turni,
Perſequitur, fortemque Numam, fulvumque Camertem,
Magnanimo Volſcente ſatum: ditiſſimus agri
Qui fuit Auſonidum, & tacitis regnavit Amyclis.
Aegæon qualis, centum cui brachia dicunt
Centenaſque manus, quinquaginta oribus ignem,
Pectoribuſque arſiſſe, Jovis cum fulmina contra
Tot paribus ſtreperet clypeis, tot ſtringeret enſes:
Sic toto Aeneas deſævit in æquore victor,
Ut ſemel intepuit mucro. quin ecce Niphæi
Quadrijuges in equos, adverſaque pectora tendit:
Atque illi longe gradientem & dira frementem
Ut videre, metu verſi retroque ruentes
Effunduntque ducem, rapiuntque ad litora currus.
Interea bijugis infert ſe Lucagus albis
In medios, fraterque Liger: ſed frater habenis
Flectit equos: ſtrictum rotat acer Lucagus enſem.
Haud tulit Aeneas tanto fervore furentes:
Irruit, adverſaque ingens apparuit haſta.
Cui Liger:
Non Diomedis equos, non currum cernis Achilli,
Aut Phrygiæ campos: nunc belli finis & ævi
His dabitur terris. Veſano talia late
Dicta volant Ligeri: ſed non & Troius heros
Dicta parat contra: jaculum nam torquet in hoſtem.
Lucagus, ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit bijugos: projecto dum pede lævo
Aptat ſe pugnæ, ſubit oras haſta per imas
Fulgentis clypei: tum lævum perforat inguen.
Excuſſus curru moribundus volvitur arvis.
Quem pius Aeneas dictis affatur amaris:
Lucage, nulla tuos currus fuga ſegnis equorum
Prodidit, aut vanæ vertere ex hoſtibus umbræ.
Ipſe rotis ſaliens juga deſeris. Hæc ita fatus
Arripuit bijugos. frater tendebat inermes
Infelix palmas, curru delapſus eodem.
Per te, per qui te talem genuere parentes,
Vir Trojane, ſine hanc animam, & miſerere precantis.
Pluribus oranti Aeneas; Haud talia dudum
Dicta dabas: morere, & fratrem ne deſere frater.
Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.
Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquæ vel turbinis atri
More furens. tandem erumpunt, & caſtra relinquunt
Aſcanius puer, & nequidquam obſeſſa juventus.
Junonem interea compellat Jupiter ultro:
O germana mihi, atque eadem gratiſſima conjux,
Ut rebare, Venus (nec te ſententia fallit)
Trojanas ſuſtentat opes: non vivida bello
Dextra viris, animuſque ferox, patienſque pericli.
Cui Juno ſubmiſſa: Quid, o pulcherrime conjux,
Sollicitas ægram, & tua triſtia dicta timentem?
Si mihi, quæ quondam fuerat, quamque eſſe decebat,
Vis in amore foret; non hoc mihi namque negares,
Omnipotens; quin & pugnæ ſubducere Turnum,
Et Dauno poſſem incolumem ſervare parenti.
Nunc pereat, Teucriſque pio det ſanguine pœnas.
Ille tamen noſtra deducit origine nomen,
Pilumnuſque illi quartus pater: & tua larga
Sæpe manu multiſque oneravit limina donis.
Cui rex ætherii breviter ſic fatur Olympi:
Si mora præſentis leti, tempuſque caduco
Oratur juveni, meque hoc ita ponere ſentis;
Tolle fuga Turnum, atque inſtantibus eripe fatis.
Hactenus indulſiſſe vacat: ſin altior iſtis
Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri
Mutarive putas bellum, ſpes paſcis inanes.
Et Juno illacrimans: Quid ſi, quod voce gravaris,
Mente dares? atque hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet inſontem gravis exitus: aut ego veri
Vana feror. quod ut o potius formidine falſa
Ludar, & in melius tua, qui potes, orſa reflectas!
Hæc ubi dicta dedit, cælo ſe protinus alto
Miſit, agens hiemem nimbo ſuccincta per auras:
Iliacamque aciem, & Laurentia caſtra petivit.
Tum dea nube cava tenuem ſine viribus umbram
In faciem Aeneæ (viſu mirabile monſtrum)
Dardaniis ornat telis, clypeumque, jubaſque
Divini aſſimulat capitis: dat inania verba;
Dat ſine mente ſonum, greſſuſque effingit euntis.
Morte obita, quales fama eſt volitare figuras,
Aut quæ ſopitos deludunt ſomnia ſenſus.
At primas læta ante acies exultat imago,
Irritatque virum telis, & voce laceſſit.
Inſtat cui Turnus, ſtridentemque eminus haſtam
Conjicit: illa dato vertit veſtigia tergo.
Tum vero Aenean averſum ut cedere Turnus
Credidit, atque animo ſpem turbidus hauſit inanem:
Quo fugis, Aenea? thalamos ne deſere pactos:
Hac dabitur dextra tellus quæſita per undas.
Talia vociferans ſequitur, ſtrictumque coruſcat
Mucronem: nec ferre videt ſua gaudia ventos.
Forte ratis celſi conjuncta crepidine ſaxi
Expoſitis ſtabat ſcalis, & ponte parato;
Qua rex Cluſinis advectus Oſinius oris.
Huc ſeſe trepida Aeneæ fugientis imago

Conjicit

Conjicit in latebras; nec Turnus ſegnior inſtat,
Exſuperatque moras, & pontes tranſilit altos.
Vix proram attigerat; rumpit Saturnia funem,
Avulſamque rapit revoluta per æquora navem.
Illum autem Æneas abſentem in prælia poſcit;
Obvia multa virum demittit corpora morti.
Tunc levis haud ultra latebras jam quærit imago,
Sed ſublime volans nubi ſe immiſcuit atræ.
Tum Turnum medio interea fert æquore turbo:
Reſpicit ignarus rerum, ingratuſque ſalutis,
Et duplices cum voce manus ad ſidera tendit.
Omnipotens genitor, tanton' me crimine dignum
Duxiſti? & tales voluiſti expendere pœnas?
Quo feror? unde abii? quæ me fuga, quemve reducet?
Laurentes ne iterum muros, aut caſtra videbo?
Quid manus illa virum, qui me, meaque arma ſecuti?
Quoſne (nefas) omnes infanda in morte reliqui?
Et nunc palantes video, gemitumque cadentum
Accipio. quid agam? aut quæ jam ſatis ima dehiſcat
Terra mihi? vos o potius miſereſcite venti:
In rupes, in ſaxa (volens vos Turnus adoro)
Ferte ratem, ſævique vadis immittite Syrtes,
Quo neque me Rutuli, neque conſcia fama ſequatur.
Hæc memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc,
An ſeſe mucrone ob tantum dedecus amens
Induat, & crudum per coſtas exigat enſem,
Fluctibus an jaciat mediis, & litora nando
Curva petat, Teucrumque iterum ſe reddat in arma.
Ter conatus utramque viam: ter maxima Juno
Continuit, juvenemque animo miſerata repreſſit.
Labitur alta ſecans fluctuque æſtuque ſecundo,
Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.
At Jovis interea monitis Mezentius ardens
Succedit pugnæ, Teucroſque invadit ovantes.
Concurrunt Tyrrhenæ acies, atque omnibus uni,
Uni odiiſque viro, teliſque frequentibus inſtant.
Ille, velut rupes, vaſtum quæ prodit in æquor
Obvia ventorum furiis, expoſtaque ponto,
Vim cunctam, atque minas perfert cælique, mariſque,
Ipſa immota manet: prolem Dolichaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Latagum, Palmumque fugacem;
Sed Latagum ſaxo, atque ingenti fragmine montis
Occupat os, faciemque adverſam; poplite Palmum
Succiſo volvi ſegnem ſinit; armaque Lauſo
Donat habere humeris, & vertice figere criſtas.
Nec non Evathen Phrygium, Paridiſque Mimanta
Æqualem, comitemque, una quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit; & face prægnans
Ciſſeis regina Parin creat; urbe paterna
Occubat, ignarum Laurens habet ora Mimanta.
Ac velut ille canum morſu de montibus altis
Actus aper, multos Veſulus quem pinifer annos
Defendit, multoſque palus Laurentia, ſilva
Paſtus arundinea, poſtquam inter retia ventum eſt,
Subſtitit, infremuitque ferox, & inhorruit armos;
Nec cuiquam iraſci propiuſve accedere virtus,
Sed jaculis tutiſque procul clamoribus inſtant.
Haud aliter, juſtæ quibus eſt Mezentius iræ,
Non ulli eſt animus ſtricto concurrere ferro:
Miſſilibus longe, & vaſto clamore laceſſunt.
Ille autem impavidus partes cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, & tergo decutit haſtas.
Venerat antiquis Corythi de finibus Acron,
Grajus homo, infectos linquens profugus hymenæos.
Hunc ubi miſcentem longe media agmina vidit,
Purpureum pennis, & pactæ conjugis oſtro:
Impaſtus ſtabula alta leo ceu ſæpe peragrans,
(Suadet enim veſana fames) ſi forte fugacem
Conſpexit capream, aut ſurgentem in cornua cervum;
Gaudet hians immane, comaſque arrexit, & hæret
Viſceribus ſuper incumbens: lavit improba teter
Ora cruor:
Sic ruit in denſos alacer Mezentius hoſtes.
Sternitur infelix Acron, & calcibus atram
Tundit humum exſpirans, infractaque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud eſt dignatus Orodem
Sternere, nec jacta cæcum dare cuſpide vulnus:
Obvius adverſoque occurrit, ſeque viro vir
Contulit, haud furto melior, ſed fortibus armis.
Tum ſuper abjectum poſito pede nixus & haſta:
Pars belli haud temnenda, viri, jacet altus Orodes.
Conclamant ſocii lætum Pæana ſecuti.
Ille autem exſpirans: Non me, quicumque es, inulto
Victor, nec longum lætabere: te quoque fata
Proſpectant paria, atque eadem mox arva tenebis.
Ad quem ſubridens mixta Mezentius ira:
Nunc morere: aſt de me divum pater atque hominum rex
Viderit. Hoc dicens eduxit corpore telum.
Olli dura quies oculos & ferreus urget
Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.
Cædicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaſpen,
Partheniumque Rapo, & prædurum viribus Orſen:
Meſſapus Cloniumque Lycaoniumque Ericaten;
Illum infrenis equi lapſu tellure jacentem,
Hunc peditem pedes: & Lycius proceſſerat Agis;
Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitæ
Dejicit: Authronium Salius, Saliumque Nealces
Inſignis jaculo & longe fallente ſagitta.
Jam gravis æquabat luctus & mutua Mavors
Funera: cædebant pariter pariterque ruebant
Victores, victique: neque his fuga nota, neque illis.
Di Jovis in tectis iram miſerantur inanem
Amborum, & tantos mortalibus eſſe labores.
Hinc Venus, hinc contra ſpectat Saturnia Juno:
Pallida Tiſiphone media inter millia ſævit.
At vero ingentem quatiens Mezentius haſtam
Turbidus ingreditur campo: quam magnus Orion,
Cum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna viam ſcindens, humero ſupereminet undas;
Aut ſummis referens annoſam montibus ornum,
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit:
Talis ſe vaſtis infert Mezentius armis.
Huic contra Æneas, ſpeculatus in agmine longo,
Obvius ire parat. manet imperterritus ille,
Hoſtem magnanimum opperiens, & mole ſua ſtat.
Atque oculis ſpatium emenſus, quantum ſatis haſtæ:
Dextra mihi deus, & telum quod miſſile libro,
Nunc adſint: voveo prædonis corpore raptis
Indutum ſpoliis ipſum te, Lauſe, tropæum
Æneæ. Dixit, ſtridentemque eminus haſtam
Injicit: illa volans clypeo eſt excuſſa, proculque
Egregium Antorem latus inter & ilia figit:
Herculis Antorem comitem, qui miſſus ab Argis
Hæſerat Euandro, atque Itala conſederat urbe.
Sternitur infelix alieno vulnere: cælumque
Aſpicit, & dulces moriens reminiſcitur Argos.
Tum pius Æneas haſtam jacit: illa per orbem
Aere cavum triplici, per linea terga, tribuſque
Tranſiit intextum tauris opus, imaque ſedit
Inguine, ſed vires haud pertulit. ocyus enſem
Aeneas, viſo Tyrrheni ſanguine, lætus
Eripit a femore, & trepidanti fervidus inſtat.

Ingemuit cari graviter genitoris amore,
Ut vidit, Lauſus; lacrimæque per ora volutæ.
Hic mortis duræ caſum, tuaque optima facta,
Si qua fidem tanto eſt operi latura vetuſtas,
Non equidem, nec te, juvenis memorande, ſilebo.
Ille pedem referens, & inutilis, inque ligatus
Cedebat, clypeoque inimicum haſtile trahebat:
Prorumpit juvenis, ſeſeque immiſcuit armis:
Jamque aſſurgentis dextræ, plagamque ferentis
Æneæ ſubiit mucronem, ipſumque morando
Suſtinuit. ſocii magno clamore ſequuntur,
Dum genitor nati parma protectus abiret;
Telaque conjiciunt, proturbantque eminus hoſtem
Miſſilibus: furit Æneas, tectuſque tenet ſe.
Ac velut effuſa ſi quando grandine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis & agricola, & tuta latet arce viator
Aut amnis ripis, aut alti fornice ſaxi,
Dum pluit in terris; ut poſſint, ſole reducto,
Exercere diem: ſic obrutus undique telis
Æneas, nubem belli, dum detonet, omnem
Suſtinet, & Lauſum increpitat, Lauſoque minatur.
Quo moriture ruis? majoraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua. Nec minus ille
Exultat demens. ſævæ jamque altius iræ
Dardanio ſurgunt ductori: extremaque Lauſo
Parcæ fila legunt: validum namque exigit enſem
Per medium Æneas juvenem, totumque recondit.
Tranſiit & parmam mucro, levia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neverat auro,
Implevitque ſinum ſanguis: tum vita per auras
Conceſſit mœſta ad manes, corpuſque reliquit.
At vero, ut vultum vidit morientis, & ora,
Ora modis Anchiſiades pallentia miris,
Ingemuit miſerans graviter, dextramque tetendit,
Et mentem patriæ ſtrinxit pietatis imago.
Quid tibi nunc, miſerande puer, pro laudibus iſtis,
Quid pius Æneas tanta dabit indole dignum?
Arma, quibus lætatus, habe tua: teque parentum
Manibus, & cineri (ſi qua eſt ea cura) remitto.
Hoc tamen infelix miſeram ſolabere mortem,
Æneæ magni dextra cadis. increpat ultro
Cunctantes ſocios, & terra ſublevat ipſum,
Sanguine turpantem comtos de more capillos.
Interea genitor Tiberini ad fluminis undam
Vulnera ſiccabat lymphis, corpuſque levabat
Arboris acclivis trunco. procul ærea ramis
Dependet galea, & prato gravia arma quieſcunt.
Stant lecti circum juvenes: ipſe æger, anhelans
Colla fovet, fuſus propexam in pectore barbam.
Multa ſuper Lauſo rogitat, multoſque remittit,
Qui revocent, mœſtique ferant mandata parentis.
At Lauſum ſocii exanimum ſuper arma ferebant
Flentes, ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Agnovit longe gemitum præſaga mali mens.
Canitiem immundo deformat pulvere, & ambas
Ad cælum tendit palmas, & corpore inhæret.
Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas,
Ut pro me hoſtili paterer ſuccedere dextræ,
Quem genui? tua ne hæc genitor per vulnera ſervor,
Morte tua vivens? heu nunc miſero mihi demum
Exilium infelix, nunc alte vulnus adactum!
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulſus ob invidiam ſolio, ſceptriſque paternis:
Debueram patriæ pœnas, odiiſque meorum,
Omnes per mortes animam ſontem ipſe dediſſem.
Nunc vivo: neque adhuc homines lucemque relinquo:
Sed linquam. Simul hoc dicens attollit in ægrum
Se femur; &, quamquam vis alto vulnere tardat,
Haud dejectus, equum duci jubet. hic decus illi,
Hoc ſolamen erat: bellis hoc victor abibat
Omnibus. alloquitur mærentem, & talibus infit:
Rhœbe, diu (res ſi qua diu mortalibus ulla eſt)
Viximus. aut hodie victor ſpolia illa cruenta
Et caput Æneæ referes, Lauſique dolorum
Ultor eris mecum: aut, aperit ſi nulla viam vis,
Occumbes pariter. neque enim, fortiſſime, credo
Juſſa aliena pati, & dominos dignabere Teucros.
Dixit, & exceptus tergo conſueta locavit
Membra, manuſque ambas jaculis oneravit acutis;
Ære caput fulgens, criſtaque hirſutus equina.
Sic curſum in medios rapidus dedit. æſtuat ingens
Uno in corde pudor, mixtoque inſania luctu,
Et Furiis agitatus amor, & conſcia virtus:
Atque hic Ænean magna ter voce vocavit.
Æneas agnovit enim, lætuſque precatur:
Sic pater ille deum faciat, ſic altus Apollo,
Incipias conferre manum.
Tantum effatus, & infeſta ſubit obvius haſta.
Ille autem: Quid me erepto, ſæviſſime, nato
Terres? hæc via ſola fuit, qua perdere poſſes.
Nec mortem horremus, nec divum parcimus ulli.
Deſine. jam venio moriturus, & hæc tibi porto
Dona prius. Dixit, telumque intorſit in hoſtem:
Inde aliud ſuper atque aliud figitque volutatque
Ingenti gyro: ſed ſuſtinet aureus umbo.
Ter circum aſtantem lævos equitavit in orbes,
Tela manu jaciens: ter ſecum Troius heros
Immanem ærato circumfert tegmine ſilvam.
Inde ubi tot traxiſſe moras, tot ſpicula tædet
Vellere, & urgetur pugna congreſſus iniqua:
Multa movens animo jam tandem erumpit, & inter
Bellatoris equi cava tempora conjicit haſtam.
Tollit ſe arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effuſumque equitem ſuper ipſe ſecutus
Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo.
Clamore incendunt cælum Troeſque Latinique.
Advolat Æneas, vaginaque eripit enſem,
Et ſuper hæc: Ubi nunc Mezentius acer, & illa
Effera vis animi? Contra Tyrrhenus, ut auras
Suſpiciens hauſit cælum, mentemque recepit:
Hoſtis amare, quid increpitas, mortemque minaris?
Nullum in cæde nefas. nec ſic ad prælia veni,
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lauſus.
Unum hoc, per, ſi qua eſt victis venia hoſtibus, oro;
Corpus humo patiare tegi. ſcio acerba meorum
Circumſtare odia: hunc (oro) defende furorem:
Et me conſortem nati concede ſepulcro.
Hæc loquitur, juguloque haud inſcius accipit enſem,
Undantique animam diffundit in arma cruore.

ÆNEIDOS

LIBER XI.

OCeanum interea ſurgens Aurora reliquit.
Æneas, quamquam & ſociis dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbataque funere mens eſt,
Vota deum primo victor ſolvebat Eoo.
Ingentem quercum deciſis undique ramis
Conſtituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias; tibi, magne, tropæum,
Belli-

Bellipotens: aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaque trunca viri, & bis ſex thoraca petitum
Perfoſſumque locis; clypeumque ex ære ſiniſtræ
Subligat, atque enſem collo ſuſpendit eburnum.
Tum ſocios (namque omnis eum ſtipata tegebat
Turba ducum) ſic incipiens hortatur ovantes:
Maxima res effecta, viri: timor omnis abeſto.
Quod ſupereſt: hæc ſunt ſpolia, & de rege ſuperbo
Primitiæ, manibuſque meis Mezentius hic eſt.
Nunc iter ad regem nobis, muroſque Latinos.
Arma parate animis, & ſpe præſumite bellum:
Ne quâ mora ignaros, ubi primum vellere ſigna
Annuerint Superi, pubemque educere caſtris,
Impediat, ſegneſque metu ſententia tardet.
Interea ſocios, inhumataque corpora terræ
Mandemus: qui ſolus honos Acheronte ſub imo eſt.
Ite, ait, egregias animas, quæ ſanguine nobis
Hanc patriam peperere ſuo, decorate ſupremis
Muneribus: mœſtamque Evandri primus ad urbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.
Sic ait illacrimans, recipitque ad limina greſſum:
Corpus ubi exanimi poſitum Pallantis Acetes
Servabat ſenior, qui Parrhaſio Evandro
Armiger ante fuit, ſed non felicibus æque
Tum comes auſpiciis caro datus ibat alumno.
Circum omnis famulumque manus, Trojanaque turba,
Et mœſtum Iliades crinem de more ſolutæ.
Ut vero Æneas foribus ſeſe intulit altis,
Ingentem gemitum tunſis ad ſidera tollunt
Pectoribus, mœſtoque immugit regia luctu.
Ipſe caput nivei fultum Pallantis & ora
Ut vidit, levique patens in pectore vulnus
Cuſpidis Auſoniæ, lacrimis ita fatur obortis:
Tene, inquit, miſerande puer, cum læta veniret,
Invidit fortuna mihi, ne regna videres
Noſtra, neque ad ſedes victor veherere paternas?
Non hæc Evandro de te promiſſa parenti
Diſcedens dederam, cum me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium, metuenſque moneret,
Acres eſſe viros, cum dura prælia gente.
Et nunc ille quidem ſpe multum captus inani
Fors & vota facit, cumulatque altaria donis.
Nos juvenem exanimum, & nil jam cæleſtibus ullis
Debentem, vano mœſti comitamur honore.
Infelix nati funus crudele videbis.
Hi noſtri reditus, exſpectatique triumphi:
Hæc mea magna fides. at non, Evandre, pudendis
Vulneribus pulſum aſpicies: nec ſoſpite dirum
Optabis nato funus pater. hei mihi, quantum
Præſidium, Auſonia, & quantum tu perdis, Iule!
Hæc ubi deflevit, tolli miſerabile corpus
Imperat, & toto lectos ex agmine mittit
Mille viros, qui ſupremum comitentur honorem,
Interſintque patris lacrimis: ſolatia luctus
Exigua ingentis, miſero ſed debita patri.
Haud ſegnes alii crates, & molle feretrum
Arbuteis texunt virgis, & vimine querno;
Exſtructoſque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic juvenem agreſti ſublimem in ſtramine ponunt:
Qualem virgineo demeſſum pollice florem
Seu mollis violæ, ſeu languentis hyacinthi,
Cui neque fulgor adhuc, nec dum ſua forma receſſit:
Non jam mater alit tellus, vireſque miniſtrat.
Tum geminas veſtes oſtroque auroque rigentes
Extulit Æneas: quas illi læta laborum
Ipſa ſuis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, & tenui telas diſcreverat auro.
Harum unam juveni ſupremum mœſtus honorem
Induit, arſuraſque comas obnubit amictu:
Multaque prætérea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, & longo prædam jubet ordine duci.
Addit equos & tela, quibus ſpoliaverat hoſtem.
Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæſo ſparſuros ſanguine flammam:
Indutoſque jubet truncos hoſtilibus armis
Ipſos ferre duces, inimicaque nomina figi.
Ducitur infelix ævo confectus Acetes,
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc unguibus ora:
Sternitur & toto projectus corpore terræ.
Ducunt & Rutulo perfuſos ſanguine currus.
Poſt bellator equus poſitis inſignibus Æthon
It lacrimans, guttiſque humectat grandibus ora.
Haſtam alii galeamque ferunt: nam cetera Turnus
Victor habet. tum mœſta phalanx Teucrique ſequuntur
Tyrrhenique duces, & verſis Arcades armis.
Poſtquam omnis longe comitum proceſſerat ordo;
Subſtitit Æneas, gemituque hæc addidit alto:
Nos alias hinc ad lacrimas eadem horrida belli
Fata vocant. ſalve æternum mihi, maxime Palla,
Æternumque vale. Nec plura effatus ad altos
Tendebat muros, greſſumque in caſtra ferebat.
Jamque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleæ, veniamque rogantes:
Corpora, per campos ferro quæ fuſa jacebant,
Redderet, ac tumulo ſineret ſuccedere terræ:
Nullum cum victis certamen & æthere caſſis:
Parceret hoſpitibus quondam ſoceriſque vocatis.
Quos bonus Æneas, haud aſpernanda precantes,
Proſequitur venia, & verbis hæc inſuper addit:
Quænam vos tanto Fortuna indigna, Latini,
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacem me exanimis & Martis ſorte peremtis
Oratis? equidem & vivis concedere vellem.
Nec veni, niſi fata locum ſedemque dediſſent;
Nec bellum cum gente gero: rex noſtra reliquit
Hoſpitia, & Turni potius ſe credidit armis.
Aequius huic Turnum fuerat ſe opponere morti.
Si bellum finire manu, ſi pellere Teucros
Apparat; his mecum decuit concurrere telis:
Vixet, cui vitam deus aut ſua dextra dediſſet.
Nunc ite, & miſeris ſupponite civibus ignem.
Dixerat Aeneas. olli obſtupuere ſilentes;
Converſique oculos inter ſe atque ora tenebant.
Tum ſenior ſemperque odiis & crimine Drances
Infenſus juveni Turno ſic ore viciſſim
Orſa refert: O fama ingens, ingentior armis,
Vir Trojane, quibus cælo te laudibus æquem?
Juſtitiæne prius mirer, belline laborum?
Nos vero hæc patriam grati referemus ad urbem;
Et te, ſi qua viam dederit fortuna, Latino
Jungemus regi: quærat ſibi fœdera Turnus.
Quin & fatales murorum attollere moles,
Saxaque ſubvectare humeris Trojana juvabit.
Dixerat hæc, unoque omnes eadem ore fremebant.
Bis ſenos pepigere dies, & pace ſequeſtra
Per ſilvas Teucri, miſtique impune Latini
Erravere jugis: ferro ſonat icta bipenni
Fraxinus; evertunt actas ad ſidera pinus;
Robora nec cuneis, & olentem ſcindere cedrum,
Nec plauſtris ceſſant vectare gementibus ornos.
Et jam fama volans, tanti prænuncia luctus,

Evandrum, Evandrique domos, & mœnia complet,
Quæ modo victorem Latio Pallanta ferebat:
Arcades ad portas ruere, & de more vetuſto
Funereas rapuere faces: lucet via longo
Ordine flammarum, & late diſcriminat agros.
Contra turba Phrygum veniens plangentia jungit
Agmina, quæ poſtquam matres ſuccedere tectis
Viderunt, mœſtam incendunt clamoribus urbem.
At non Evandrum potis eſt vis ulla tenere:
Sed venit in medios. feretro Pallanta repoſto
Procubuit ſuper, atque hæret lacrimanſque gemenſque,
Et via vix tandem voci laxata dolore eſt:
Non hæc, o Palla, dederas promiſſa parenti,
Cautius ut ſævo velles te credere Marti.
Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis,
Et prædulce decus primo certamine poſſit.
Primitiæ juvenis miſeræ, bellique propinqui
Dura rudimenta! & nulli exaudita Deorum
Vota, preceſque meæ! tuque o ſanctiſſima conjux,
Felix morte tua, neque in hunc ſervata dolorem!
Contra ego vivendo vici mea fata, ſuperſtes
Reſtarem ut genitor. Troum ſocia arma ſequutum
Obruerent Rutuli telis: animam ipſe dediſſem;
Atque hæc pompa domum me, non Pallanta, referret.
Nec vos arguerim, Teucri, nec fœdera, nec quas
Junximus hoſpitio dextras: ſors iſta ſenectæ
Debita erat noſtræ. quod ſi immatura manebat
Mors natum, cæſis Volſcorum millibus ante,
Ducentem in Latium Teucros cecidiſſe juvabit.
Quin ego non alio digner te funere, Palla,
Quam pius Aeneas, & quam magni Phryges, & quam
Tyrrhenique duces, Tyrrhenum exercitus omnis.
Magna tropæa ferunt, quos dat tua dextera leto.
Tu quoque nunc ſtares immanis truncus in armis,
Eſſet par ætas, & idem ſi robur ab annis,
Turne. ſed infelix Teucros quid demoror armis?
Vadite; & hæc memores regi mandata referte:
Quod vitam moror inviſam, Pallante peremto,
Dextera cauſſa tua eſt, Turnum gnatoque patrique
Quam debere vides: meritis vacat hic tibi ſolus,
Fortunæque locus. non vitæ gaudia quæro,
Nec fas: ſed nato manes perferre ſub imos.
Aurora interea miſeris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera, atque labores.
Jam pater Aeneas, jam curvo in litore Tarchon
Conſtituere pyras: huc corpora quiſque ſuorum
More tulere patrum, ſubjectiſque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine cælum.
Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos, ter mœſtum funeris ignem
Luſtravere in equis, ululatuſque ore dedere.
Spargitur & tellus lacrimis, ſparguntur & arma:
It cælo clamorque virum, clangorque tubarum.
Hinc alii ſpolia occiſis direpta Latinis
Conjiciunt igni, galeas, enſeſque decoros,
Frenaque ferventeſque rotas: pars munera nota,
Ipſorum clypeos, & non felicia tela.
Multa boum circa mactantur corpora morti:
Setigeroſque ſues, raptaſque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes: tum litore toto
Ardentes ſpectant ſocios, ſemiuſtaque ſervant
Buſta, neque avelli poſſunt, nox humida donec
Invertit cælum ſtellis fulgentibus aptum.
Nec minus & miſeri diverſa in parte Latini
Innumeras ſtruxere pyras, & corpora partim
Multa virum terræ infodiunt: avectaque partim
Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt.
Cetera, confuſæque ingentem cædis acervum,
Nec numero, nec honore cremant, tunc undique vaſti
Certatim crebris collucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam cælo dimoverat umbram:
Mœrentes altum cinerem, & confuſa ruebant
Oſſa focis, tepidoque onerabant aggere terræ:
Jam vero in tectis prædivitis urbe Latini
Præcipuus fragor, & longe pars maxima luctus.
Hic matres, miſeræque nurus, hic cara ſororum
Pectora mœrentum, puerique parentibus orbi,
Dirum execrantur bellum, Turnique hymenæos:
Ipſum armis, ipſumque jubent decernere ferro,
Qui regnum Italiæ, & primos ſibi poſcat honores.
Ingravat hæc ſævus Drances, ſolumque vocari
Teſtatur, ſolum poſci in certamina Turnum.
Multa ſimul contra variis ſententia dictis
Pro Turno, & magnum reginæ nomen obumbrat:
Multa virum meritis ſuſtentat fama tropæis.
Hos inter motus medio in flagrante tumultu,
Ecce ſuper mœſti magna Diomedis ab urbe
Legati reſponſa ferunt: nihil omnibus actum
Tantorum impenſis operum: nil dona, neque aurum,
Nec magnas valuiſſe preces: alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Trojano ab rege petendum.
Deficit ingenti luctu rex ipſe Latinus.
Fatalem Aeneam manifeſto numine ferri
Admonet ira Deum, tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum, primoſque ſuorum
Imperio accitos alta intra limina cogit.
Olli convenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis. ſedet in mediis, & maximus ævo
Et primus ſceptris, haud læta fronte, Latinus.
Atque hic legatos Aetola ex urbe remiſſos,
Quæ referant, fari jubet: & reſponſa repoſcit
Ordine cuncta ſuo. tunc facta ſilentia linguis,
Et Venulus dicto parens ita farier infit:
Vidimus, o cives, Diomedem, Argivaque caſtra,
Atque iter emenſi caſus ſuperavimus omnes,
Contigimuſque manum, qua concidit Ilia tellus.
Ille Urbem Argyripam patriæ cognomine gentis
Victor Gargani condebat Iapygis arvis.
Poſtquam introgreſſi, & coram data copia fandi,
Munera præferimus, nomen, patriamque docemus:
Qui bellum intulerint, quæ cauſſa attraxerit Arpos.
Auditis ille hæc placido ſic reddidit ore:
O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Auſonii, quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, ſuadetque ignota laceſſere bella?
Quicumque Iliacos ferro violavimus agros,
(Mitto ea, quæ muris bellando exhauſta ſub altis,
Quos Simois premat ille viros) infanda per orbem
Supplicia & ſcelerum pœnas expendimus omnes,
Vel Priamo miſeranda manus. ſcit triſte Minervæ
Sidus, & Euboicæ cautes, ultorque Caphareus.
Militia ex illa diverſum ad litus adacti,
Atrides Protei Menelaus ad uſque columnas
Exulat; Aetnæos vidit Cyclopas Ulyſſes.
Regna Neoptolemi referam, verſoſque penates
Idomenei? Lybicone habitantes litore Locros?
Ipſe Mycenæus magnorum ductor Achivum
Conjugis infandæ prima intra limina dextra
Oppetiit: devicta Aſia ſubſedit adulter.
Invidiſſe Deos, patriis ut redditus oris
Conjugium optatum, & pulchram Calydona viderem!
Nunc etiam horribili viſu portenta ſequuntur:

Et ſocii admiſſis petierunt æthera pennis,
Fluminibuſque vagantur aves, (heu dira meorum
Supplicia!) & ſcopulos lacrimoſis vocibus implent.
Hæc adeo ex illo mihi jam ſperanda fuerunt
Tempore, cum ferro cæleſtia corpora demens
Appetii, & Veneris violavi vulnere dextram.
Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum poſt eruta bellum
Pergama: nec veterum memini lætorve malorum.
Munera, quæ patriis ad me portatis ab oris,
Vertite ad Ænean. ſtetimus tela aſpera contra,
Contulimuſque manus: experto credite, quantus
In clypeum aſſurgat, quo turbine torqueat haſtam.
Si duo præterea tales Idæa tuliſſet
Terra viros, ultro Inachias veniſſet ad urbes
Dardanus, & verſis lugeret Græcia fatis.
Quidquid apud diræ ceſſatum eſt mœnia Trojæ,
Hectoris, Aeneæque manu victoria Grajum
Hæſit, & in decimum veſtigia rettulit annum.
Ambo animis, ambo inſignes præſtantibus armis,
Hic pietate prior. coeant in fœdera dextræ,
Qua datur: aſt, armis concurrant arma, cavete.
Et reſponſa ſimul quæ ſint, rex optime regum,
Audiſti, & quæ ſit magno ſententia bello.
Vix ea legati: variuſque per ora cucurrit
Auſonidum turbata fremor: ceu, ſaxa morantur
Cum rapidos amnes, clauſo fit gurgite murmur,
Vicinæque fremunt ripæ crepitantibus undis.
Ut primum placati animi, & trepida ora quierunt;
Præfatus divos, ſolio rex infit ab alto:
Ante equidem ſumma de re ſtatuiſſe, Latini,
Et vellem, & fuerat melius; non tempore tali
Cogere concilium, cum muros obſidet hoſtis.
Bellum importunum, cives, cum gente deorum,
Invictiſque viris gerimus, quos nulla fatigant
Prælia, nec victi poſſunt abſiſtere ferro.
Spem ſi quam adſcitis Ætolum habuiſtis in armis,
Ponite: ſpes ſibi quiſque. ſed hæc quam anguſta videtis.
Cetera qua rerum jaceant perculſa ruina,
Ante oculos interque manus ſunt omnia veſtras.
Nec quemquam incuſo. potuit quæ plurima virtus
Eſſe, fuit. toto certatum eſt corpore regni.
Nunc adeo quæ ſit dubiæ ſententia menti,
Expediam, & paucis (animos adhibete) docebo.
Eſt antiquus ager, Tuſco mihi proximus amni,
Longus in occaſum, fines ſuper uſque Sicanos.
Aurunci, Rutulique ſerunt, & vomere duros
Exercent colles, atque horum aſperrima paſcunt.
Hæc omnis regio & celſi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum, & fœderis æquas
Dicamus leges, ſocioſque in regna vocemus.
Conſidant, ſi tantus amor, & mœnia condant.
Sin alios fines, aliamque capeſſere gentem
Eſt animus, poſſuntque ſolo decedere noſtro;
Bis denas Italo texamus robore naves,
Seu plures complere valent: jacet omnis ad undam
Materies; ipſi numerumque, modumque carinis
Præcipiant: nos æra, manus, navalia demus.
Præterea, qui dicta ferant, & fœdera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, paciſque manu prætendere ramos,
Munera portantes, eboriſque aurique talenta.
Et ſellam regni, trabeamque, inſignia noſtri.
Conſulite in medium, & rebus ſuccurrite feſſis.
Tum Drances idem infenſus, quem gloria Turni
Obliqua invidia, ſtimuliſque agitabat amaris,
Largus opum, & lingua melior, ſed frigida bello
Dextera, conſiliis habitus non futilis auctor,
Seditione potens (genus huic materna ſuperbum
Nobilitas dabat, incertum de parte ferebat)
Surgit, & his onerat dictis, atque aggerat iras:
Rem nulli obſcuram, noſtræ nec vocis egentem
Conſulis, o bone rex. cuncti ſe ſcire fatentur,
Quid fortuna ferat populi, ſed dicere muſſant.
Det libertatem fandi, flatuſque remittat,
Cujus ob auſpicium infauſtum, moreſque ſiniſtros,
(Dicam equidem, licet arma mihi, mortemque minetur)
Lumina tot cecidiſſe ducum, totamque videmus
Conſediſſe urbem luctu, dum Troia tentat
Caſtra fugæ fidens, & cælum territat armis.
Unum etiam donis iſtis, quæ plurima mitti
Dardanidis, ducique jubes, unum, optime regum,
Adjicias, nec te ullius violentia vincat;
Quin natam egregio genero, digniſque hymenæis
Des pater, & pacem hanc æterno fœdere jungas.
Quod ſi tantus habet mentes & pectora terror,
Ipſum obteſtemur, veniamque oremus ab ipſo:
Cedat jus proprium regi, patriæque remittat.
Quid miſeros toties in aperta pericula cives
Projicis, o Latio caput horum & cauſſa malorum?
Nulla ſalus bello: pacem te poſcimus omnes,
Turne, ſimul pacis ſolum inviolabile pignus.
Primus ego (inviſum quem tu tibi fingis, & eſſe
Nil moror) en ſupplex venio, miſerere tuorum:
Pone animos, & pulſus abi. ſat funera fuſi
Vidimus, ingentes & deſolavimus agros.
Aut ſi fama movet, ſi tantum pectore robur
Concipis, & ſi adeo dotalis regia cordi eſt;
Aude, atque adverſum fidens fer pectus in hoſtem.
Scilicet, ut Turno contingat regia conjux,
Nos animæ viles, inhumata infletaque turba,
Sternamur campis: & jam tu, ſi qua tibi vis,
Si patrii quid Martis habes, illum aſpice contra,
Qui vocat.
Talibus exarſit dictis violentia Turni,
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:
Larga quidem ſemper, Drance, tibi copia fandi,
Tum cum bella manus poſcunt, patribuſque vocatis
Primus ades; ſed non replenda eſt curia verbis,
Quæ tuto tibi magna volant, dum diſtinet hoſtem
Agger murorum, nec inundant ſanguine foſſæ.
Proinde tona eloquio, ſolitum tibi; meque timoris
Argue tu, Drance; quando tot ſtragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit, paſſimque tropæis
Inſignes agros. poſſit quid vivida virtus,
Experiare licet: nec longe ſcilicet hoſtes
Quærendi nobis, circumſtant undique muros.
Imus in adverſos? quid ceſſas? an tibi Mavors
Ventoſa in lingua, pedibuſque fugacibus iſtis
Semper erit?
Pulſus ego? aut quiſquam merito, fœdiſſime, pulſum
Arguet, Iliaco tumidum qui creſcere Tibrim
Sanguine, & Evandri totam cum ſtirpe videbit
Procubuiſſe domum, atque exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias, & Pandarus ingens;
Et quos mille die victor ſub tartara miſi
Incluſus muris, hoſtilique aggere ſeptus.
Nulla ſalus bello? capiti cane talia demens
Dardanio, rebuſque tuis. proinde omnia magno
Ne ceſſa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victæ, contra premere arma Latini.
Nunc & Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiſcunt,

Nunc

Nunc & Tydides, & Lariſſæus Achilles:
Amnis & Hadriacas retro fugit Aufidus undas.
Vel cum ſe pavidum contra mea jurgia fingit,
Artificis ſcelus, & formidine crimen acerbat.
Numquam animam talem dextra hac (abſiſte moveri)
Amittes: habitet tecum, & ſit pectore in iſto.
Nunc ad te, & tua magna, pater, conſulta revertor.
Si nullam noſtris ultra ſpem ponis in armis;
Si tam deſerti ſumus, & ſemel agmine verſo
Funditus occidimus, neque habet Fortuna regreſſum:
Oremus pacem, & dextras tendamus inertes.
Quamquam o, ſi ſolitæ quidquam virtutis adeſſet,
Ille mihi ante alios fortunatuſque laborum
Egregiuſque animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, & humum ſemel ore momordit.
Sin & opes nobis, & adhuc intacta juventus,
Auxilioque urbes Italæ populique ſuperſunt;
Sin & Trojanis cum multo gloria venit
Sanguine; ſunt illis ſua funera, parque per omnes
Tempeſtas; cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies variique labor mutabilis ævi
Rettulit in melius: multos alterna reviſens
Luſit, & in ſolido rurſus Fortuna locavit.
Non erit auxilio nobis Ætolus & Arpi.
At Meſſapus erit, felixque Tolumnius, & quos
Tot populi miſere duces. nec tarda ſequetur
Gloria delectos Latio & Laurentibus agris.
Eſt & Volſcorum egregia de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florentes ære catervas.
Quod ſi me ſolum Teucri in certamina poſcunt,
Idque placet, tantumque bonis communibus obſto:
Non adeo has exoſa manus Victoria fugit,
Ut tanta quidquam pro ſpe tentare recuſem.
Ibo animis contra: vel magnum præſtet Achillem,
Factaque Vulcani manibus paria induat arma
Ille licet. vobis animam hanc ſoceroque Latino
Turnus ego, haud ulli veterum virtute ſecundus,
Devovi. ſolum Æneas vocat. & vocet oro.
Nec Drances potius, ſive eſt hæc ira deorum,
Morte luat: ſive eſt virtus & gloria, tollat.
Illi hæc inter ſe dubiis de rebus agebant
Certantes: caſtra Æneas aciemque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magniſque urbem terroribus implet:
Inſtructos acie Tiberino a flumine Teucros
Tyrrhenamque manum totis deſcendere campis.
Extemplo turbati animi, concuſſaque vulgi
Pectora, & arrectæ ſtimulis haud mollibus iræ.
Arma manu trepidi poſcunt: fremit arma juventus.
Flent mœſti muſſantque patres. hic undique clamor
Diſſenſu vario magnus ſe tollit in auras.
Haud ſecus, atque alto in luco cum forte catervæ
Conſedere avium, piſcoſove amne Paduſæ
Dant ſonitum rauci per ſtagna loquacia cycni.
Immo, ait, o cives, arrepto tempore, Turnus,
Cogite concilium, & pacem laudate ſedentes:
Illi armis in regna ruant. Nec plura locutus
Corripuit ſeſe, & tectis citus extulit altis.
Tu, Voluſe, armari Volſcorum edice maniplis:
Duc, ait, & Rutulos. equitem Meſſapus in armis,
Et cum fratre Coras latis diffundite campis.
Pars aditus urbis firment, turreſque capeſſant:
Cetera, qua juſſo, mecum manus inferat arma.
Ilicet in muros tota diſcurritur urbe.
Concilium ipſe pater & magna incepta Latinus
Deſerit, ac triſti turbatus tempore differt:
Multaque ſe incuſat, qui non acceperit ultro
Dardanium Æneam, generumque adſciverit urbi.
Præfodiunt alii portas, aut ſaxa, ſudeſque
Subvectant: bello dat ſignum rauca cruentum
Buccina. tunc muros varia cinxere corona
Matronæ, puerique. vocat labor ultimus omnes.
Nec non ad templum, ſummaſque ad Palladis arces
Subvehitur magna matrum regina caterva,
Dona ferens, juxtaque comes Lavinia virgo,
Cauſſa mali tanti, atque oculos dejecta decoros.
Succedunt matres, & templum thure vaporant,
Et mœſtas alto fundunt de limine voces:
Armipotens belli præſes Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii prædonis, & ipſum
Pronum ſterne ſolo, portiſque effunde ſub altis.
Cingitur ipſe furens certatim in prælia Turnus:
Jamque adeo Rutulum thoraca indutus, ahenis
Horrebat ſquamis, ſuraſque incluſerat auro:
Tempora nudus adhuc, laterique accinxerat enſem,
Fulgebatque alta decurrens aureus arce;
Exultatque animis, & ſpe jam præcipit hoſtem.
Qualis ubi abruptis fugit præſepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto,
Aut ille in paſtus, armentaque tendit equarum,
Aut aſſuetus aquæ perfundi flumine noto
Emicat, arrectiſque fremit cervicibus alte
Luxurians, luduntque jubæ per colla, per armos.
Obvia cui, Volſcorum acie comitante, Camilla
Occurrit, portiſque ab equo regina ſub ipſis
Deſiluit, quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis: tum talia fatur:
Turne, ſui merito ſi qua eſt fiducia forti,
Audeo, & Æneadum promitto occurrere turmæ,
Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.
Me ſine prima manu tentare pericula belli:
Tu pedes ad muros ſubſiſte, & mœnia ſerva.
Turnus ad hæc oculos horrenda in virgine fixus:
O decus Italiæ virgo, quas dicere grates,
Qualve referre parem? ſed nunc (eſt omnia quando
Iſte animus ſupra) mecum partire laborem.
Æneas, ut fama fidem miſſique reportant
Exploratores, equitum levia improbus arma
Præmiſit, quaterent campos, ipſe ardua montis
Per deſerta jugo properans adventat ad urbem.
Furta paro belli convexo in tramite ſilvæ,
Ut bivias armato obſidam milite fauces.
Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe ſignis:
Tecum acer Meſſapus erit, turmæque Latinæ,
Tiburnique manus: ducis & tu concipe curam.
Sic ait, & paribus Meſſapum in prælia dictis
Hortatur, ſocioſque duces, & pergit in hoſtem.
Eſt curvo anfractu vallis, accommoda fraudi,
Armorumque dolis, quam denſis frondibus atrum
Urget utrimque latus; tenuis, qua ſemita ducit,
Anguſtæque ferunt fauces, adituſque maligni.
Hanc ſuper in ſpeculis ſummoque in vertice montis
Planities ignota jacet, tutique receptus:
Seu dextra lævaque velis occurrere pugnæ,
Sive inſtare jugis, & grandia volvere ſaxa.
Huc juvenis nota fertur regione viarum;
Arripuitque locum, & ſilvis inſedit iniquis.
Velocem interea ſuperis in ſedibus Opim,
Unam ex virginibus ſociis ſacraque caterva,
Compellabat, & has triſti Latonia voces
Ore dabat: Graditur bellum ad crudele Camilla,
O vir-

O virgo, & noſtris nequidquam cingitur armis,
Cara mihi ante alias. neque enim novus iſte Dianæ
Venit amor, ſubitaque animum dulcedine movit.
Pulſus ob invidiam regno, vireſque ſuperbas,
Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe,
Infantem, fugiens media inter prælia belli,
Suſtulit exilio comitem, matriſque vocavit
Nomine Caſmillæ, mutata parte, Camillam.
Ipſe ſinu præ ſe portans juga longa petebat
Solorum nemorum: tela undique ſæva premebant,
Et circumfuſo volitabant milite Volſci.
Ecce fugæ medio ſummis Amaſenus abundans
Spumabat ripis: tantus ſe nubibus imber
Ruperat. ille, innare parans, infantis amore
Tardatur, caroque oneri timet. omnia ſecum
Verſanti ſubito vix hæc ſententia ſedit.
Telum immane, manu valida quod forte gerebat
Bellator, ſolidum nodis, & robore cocto;
Huic natam, libro & ſilveſtri ſubere clauſam,
Implicat, atque habilem mediæ circumligat haſtæ:
Quam dextra ingenti librans ita ad æthera fatur:
Alma, tibi hanc, nemorum cultrix Latonia virgo,
Ipſe pater famulam voveo: tua prima per auras
Tela tenens ſupplex hoſtem fugit: accipe, teſtor,
Diva tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.
Dixit, & adducto contortum haſtile lacerto
Immittit. ſonuere undæ. rapidum ſuper amnem
Infelix fugit in jaculo ſtridente Camilla.
At Metabus, magna propius jam urgente caterva,
Dat ſeſe fluvio, atque haſtam cum virgine victor
Gramineo donum Triviæ de ceſpite vellit.
Non illum tectis ullæ, non mœnibus urbes
Accepere: neque ipſe manus feritate dediſſet:
Paſtorum & ſolis exegit montibus ævum.
Hic natam, in dumis interque horrentia luſtra,
Armentalis equæ mammis, & lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.
Utque pedum primis infans veſtigia plantis
Inſtiterat, jaculo palmas oneravit acuto,
Spiculaque ex humero parvæ ſuſpendit, & arcum.
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuviæ per dorſum a vertice pendent.
Tela manu jam tum tenera puerilia torſit:
Et fundam tereti circum caput egit habena:
Strymoniamque gruem, aut album dejecit olorem.
Multæ illam fruſtra Tyrrhena per oppida matres
Optavere nurum. ſola contenta Diana
Æternum telorum, & virginitatis amorem
Intemerata colit. vellem haud correpta fuiſſet
Militia tali, conata laceſſere Teucros:
Cara mihi, comitumque foret nunc una mearum.
Verum age, quandoquidem fatis urgetur acerbis,
Labere, Nympha, polo, fineſque inviſe Latinos,
Triſtis ubi infauſto committitur omine pugna.
Hæc cape, & ultricem pharetra deprome ſagittam.
Hac, quicumque ſacrum violarit vulnere corpus,
Tros, Italuſve, mihi pariter det ſanguine pœnas.
Poſt ego nube cava miſerandæ corpus, & arma
Inſpoliata feram tumulo, patriæque reponam.
Dixit; at illa leves cæli demiſſa per auras
Inſonuit, nigro circumdata turbine corpus.
At manus interea muris Trojana propinquat,
Etruſcique duces, equitumque exercitus omnis,
Compoſiti numero in turmas. fremit æquore toto
Inſultans ſonipes, & preſſis pugnat habenis
Huc obverſus, & huc. tum late ferreus haſtis
Horret ager, campique armis ſublimibus ardent.
Nec non Meſſapus contra, celereſque Latini,
Et cum fratre Coras, & virginis ala Camillæ
Adverſi campo apparent, haſtaſque reductis
Protendunt longe dextris, & ſpicula vibrant;
Adventuſque virum, fremituſque ardeſcit equorum.
Jamque intra jactum teli progreſſus uterque
Subſtiterat: ſubito erumpunt clamore, frementeſque
Exhortantur equos; fundunt ſimul undique tela
Crebra nivis ritu, cælumque obtexitur umbra.
Continuo adverſis Tyrrhenus, & acer Aconteus
Connixi incurrunt haſtis: primique ruinam
Dant ſonitu ingenti, præfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt: excuſſus Aconteus,
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti,
Præcipitat longe, & vitam diſpergit in auras.
Extemplo turbatæ acies, verſique Latini
Rejiciunt parmas, & equos ad mœnia vertunt.
Troes agunt; princeps turmas inducit Aſylas.
Jamque propinquabant portis, rurſuſque Latini
Clamorem tollunt, & mollia colla reflectunt:
Hi fugiunt, penituſque datis referuntur habenis;
Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit, ac terras ſcopuloſque ſuperjacit undam
Spumeus, extremamque ſinu perfundit arenam:
Nunc rapidus retro, atque æſtu revoluta reſorbens
Saxa, fugit, lituſque vado labente relinquit.
Bis Tuſci Rutulos egere ad mœnia verſos;
Bis rejecti armis reſpectant terga tegentes.
Tertia ſed poſtquam congreſſi in prælia, totas
Implicuere inter ſe acies, legitque virum vir;
Tum vero & gemitus morientum & ſanguine in alto
Armaque, corporaque: & permixti cæde virorum
Semianimes volvuntur equi: pugna aſpera ſurgit.
Orſilochus Remuli (quando ipſum horrebat adire)
Haſtam intorſit equo, ferrumque ſub aure reliquit:
Quo ſonipes ictu furit arduus, altaque jactat,
Vulneris impatiens arrecto pectore, crura:
Volvitur ille excuſſus humi. Catillus Iolam,
Ingentemque animis, ingentem corpore, & armis
Dejicit Herminium; nudo cui vertice fulva
Cæſaries, nudique humeri: nec vulnera terrent:
Tantus in arma patet. latos huic haſta per armos
Acta tremit: duplicatque virum transfixa dolorem.
Funditur ater ubique cruor: dant funera ferro
Certantes, pulchramque petunt per vulnera mortem.
At medias inter cædes exultat Amazon,
Unum exſerta latus pugnæ, pharetrata Camilla:
Et nunc lenta manu ſpargens haſtilia denſet;
Nunc validam dextra rapit indefeſſa bipennem,
Aureus ex humero ſonat arcus, & arma Dianæ.
Illa etiam, ſi quando in tergum pulſa receſſit,
Spicula converſo fugientia dirigit arcu.
At circum lectæ comites, Larinaque virgo,
Tullaque, & æratam quatiens Tarpeia ſecurem,
Italides: quas ipſa decus ſibi dia Camilla
Delegit, paciſque bonas, bellique miniſtras.
Quales Threiciæ cum flumina Thermodontis
Pulſant; & pictis bellantur Amazones armis,
Seu circum Hippolyten: ſeu cum ſe Martia curru
Pentheſilea refert; magnoque ululante tumultu
Feminea exultant lunatis agmina peltis.
Quem telo primum, quem poſtremum, aſpera virgo,
Dejicis; aut quot humi morientia corpora fundis?
Eumenium Clytio primum patre: cujus apertum
Adverſi longa tranſverberat abiete pectus:

San-

Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam
Mandit humum, morienſque ſuo ſe in vulnere verſat.
Tum Lyrim Pegaſumque ſuper: quorum alter habenas
Suffoſſo revolutus equo dum colligit, alter
Dum ſubit, ac dextram labenti tendit inermem,
Præcipites pariterque ruunt. his addit Amaſtrum
Hippotaden: ſequiturque incumbens eminus haſta
Tereaque Harpalycumque & Demophoonta, Chromimque,
Quotque emiſſa manu contorſit ſpicula virgo,
Tot Phrygii cecidere viri. procul Ornitus armis
Ignotis, & equo venator Iapyge fertur:
Cui pellis latos humeros erepta juvenco
Pugnatori operit: caput ingens oris hiatus,
Et malæ texere lupi cum dentibus albis:
Agreſtiſque manus armat ſparus. ipſe catervis
Vertitur in mediis, & toto vertice ſupra eſt.
Hunc illa exceptum (neque enim labor agmine verſo)
Trajicit, & ſuper hæc inimico pectore fatur:
Silvis te, Tyrrhene, feras agitare putaſti?
Advenit qui veſtra dies mulieribus armis
Verba redargueret. nomen tamen haud leve patrum
Manibus hoc referes, telo cecidiſſe Camillæ.
Protinus Orſilochum & Buten, duo maxima Teucrum
Corpora: ſed Buten adverſum cuſpide fixit
Loricam galeamque inter, qua colla ſedentis
Lucent, & lævo dependet parma lacerto:
Orſilochum fugiens, magnumque agitata per orbem
Eludit gyro interior, ſequiturque ſequentem.
Tum validam perque arma viro perque oſſa ſecurim,
Altior inſurgens, oranti & multa precanti
Congeminat: vulnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic, ſubitoque aſpectu territus hæſit
Apenninicolæ bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata ſinebant.
Iſque ubi ſe nullo jam curſu evadere pugnæ
Poſſe, neque inſtantem reginam avertere cernit;
Conſilio verſare dolos ingreſſus & aſtu,
Incipit hæc: Quid tam egregium, ſi femina forti
Fidis equo? dimitte fugam, & te cominus æquo
Mecum crede ſolo, pugnæque accinge pedeſtri.
Jam noſces, ventoſa ferat cui gloria laudem.
Dixit: at illa furens, acrique incenſa dolore,
Tradit equum comiti, paribuſque reſiſtit in armis,
Enſe pedes nudo, puraque interrita parma.
At juvenis, viciſſe dolo ratus, avolat ipſe,
(Haud mora) converſiſque fugax aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.
Vane Ligur, fruſtraque animis elate ſuperbis,
Nequidquam patrias tentaſti lubricus artes:
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Hæc fatur virgo, & pernicibus ignea plantis
Tranſit equum curſu, frænisque adverſa prehenſis
Congreditur, pœnaſque inimico e ſanguine ſumit.
Quam facile accipiter ſaxo ſacer ales ab alto
Conſequitur pennis ſublimem in nube columbam,
Comprenſamque tenet, pedibuſque eviſcerat uncis:
Tum cruor, & vulſæ labuntur ab æthere plumæ.
At non hæc nullis hominum ſator atque deorum
Obſervans oculis ſummo ſedet altus Olympo.
Tyrrhenum genitor Tarchontem in prælia ſæva
Suſcitat, & ſtimulis haud mollibus injicit iras.
Ergo inter cædes cedentiaque agmina Tarchon
Fertur equo, variiſque inſtigat vocibus alas,
Nomine quemque vocans: reficitque in prælia pulſos.
Quis metus, o numquam dolituri, o ſemper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignavia venit?
Femina palantes agit, atque hæc agmina vertit?
Quo ferrum, quidve hæc gerimus tela irrita dextris?
At non in Venerem ſegnes, nocturnaque bella,
Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Expectare dapes, & plenæ pocula menſæ.
Hic amor, hoc ſtudium, dum ſacra ſecundus haruſpex
Nuntiet, ac lucos vocet hoſtia pinguis in altos.
Hæc effatus, equum in medios moriturus & ipſe
Concitat, & Venulo adverſum ſe turbidus infert;
Direptumque ab equo dextra complectitur hoſtem,
Et gremium ante ſuum multa vi concitus aufert.
Tollitur in cælum clamor; cunctique Latini
Convertere oculos. volat igneus æquore Tarchon
Arma virumque ferens: tum ſumma ipſius ab haſta
Defringit ferrum, & partes rimatur apertas,
Qua vulnus letale ferat: contra ille repugnans
Suſtinet a jugulo dextram, & vim viribus exit.
Utque volans alte raptum cum fulva draconem
Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus hæſit;
Saucius at ſerpens ſinuoſa volumina verſat,
Arrectiſque horret ſquamis, & ſibilat ore,
Arduus inſurgens; illa haud minus urget obunco
Luctantem roſtro, ſimul æthera verberat alis.
Haud aliter prædam Tiburtum ex agmine Tarchon
Portat ovans. ducis exemplum eventumque ſecuti
Mæonidæ incurrunt. tum fatis debitus Aruns
Velocem jaculo, & multa prior arte Camillam
Circuit, &, quæ ſit fortuna facillima, tentat.
Qua ſe cumque furens medio tulit agmine virgo,
Hac Aruns ſubit, & tacitus veſtigia luſtrat:
Qua victrix redit illa, pedemque ex hoſte reportat,
Hac juvenis furtim celeres detorquet habenas.
Hos aditus, jamque hos aditus, omnemque pererrat
Undique circuitum; & certam quatit improbus haſtam.
Forte ſacer Cybelæ Chloreus, olimque ſacerdos,
Inſignis longe Phrygiis fulgebat in armis,
Spumantemque agitabat equum: quem pellis ahenis
In plumam ſquamis, auroque inſerta tegebat.
Ipſe peregrina ferrugine clarus & oſtro
Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu.
Aureus ex humeris ſonat arcus, & aurea vati
Caſſida; tum croceam chlamydemque ſinuſque crepantes
Carbaſeos fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, ſive ut templis præfigeret arma
Troia, captivo ſive ut ſe ferret in auro,
Venatrix unum ex omni certamine pugnæ
Cæca ſequebatur, totumque incenſa per agmen
Femineo prædæ & ſpoliorum ardebat amore.
Telum ex inſidiis cum tandem tempore capto
Concitat, & ſuperos Aruns ſic voce precatur:
Summe deum, ſancti cuſtos Soractis Apollo,
Quem primi colimus; cui pineus ardor acervo
Paſcitur, & medium, freti pietate, per ignem
Cultores multa premimus veſtigia pruna;
Da, pater, hoc noſtris aboleri dedecus armis,
Omnipotens. non exuvias pulſæve tropæum
Virginis, aut ſpolia ulla peto. mihi cetera laudem
Facta ferent. hæc dira meo dum vulnere peſtis
Pulſa cadat, patrias remeabo inglorius urbes.
Audiit, & voti Phœbus ſuccedere partem
Mente dedit: partem volucres diſperſit in auras.
Sterneret ut ſubita turbatam morte Camillam,
Annuit oranti: reducem ut patria alta videret,
Non dedit; inque notos vocem vertere procellæ.
Ergo ut miſſa manu ſonitum dedit haſta per auras,

Conver-

Convertere animos acies, oculoſque tulere
Cuncti ad reginam Volſci. nihil ipſa neque auræ,
Nec ſonitus memor, aut venientis ab æthere teli;
Haſta ſub exertam donec perlata papillam
Hæſit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem
Suſcipiunt: fugit ante omnes exterritus Aruns
Lætitia mixtoque metu: nec jam amplius haſtæ
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille, prius quam tela inimica ſequantur,
Continuo in montes ſeſe avius abdidit altos,
Occiſo paſtore lupus magnove juvenco,
Conſcius audacis facti, caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero, ſilvaſque petivit:
Haud ſecus ex oculis ſe turbidus abſtulit Aruns,
Contentuſque fuga mediis ſe immiſcuit armis.
Illa manu moriens telum trahit: oſſa ſed inter
Ferreus ad coſtas alto ſtat vulnere mucro.
Labitur exſanguis: labuntur frigida leto
Lumina: purpureus quondam color ora reliquit.
Tum ſic exſpirans, Accam ex æqualibus unam
Alloquitur; fida ante alias quæ ſola Camillæ,
Quicum partiri curas; atque hæc ita fatur:
Hactenus, Acca ſoror, potui: nunc vulnus acerbum
Conficit, & tenebris nigreſcunt omnia circum.
Effuge, & hæc Turno mandata noviſſima perfer:
Succedat pugnæ, Trojanoſque arceat urbe:
Jamque vale. Simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non ſponte fluens. tum frigida toto
Paulatim exſolvit ſe corpore, lentaque colla
Et captum leto poſuit caput, arma relinquens:
Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.
Tum vero immenſus ſurgens ferit aurea clamor
Sidera: dejecta crudeſcit pugna Camilla.
Incurrunt denſi ſimul omnis copia Teucrum,
Tyrrhenique duces, Evandrique Arcades alæ.
At Triviæ cuſtos jam dudum in montibus Opis
Alta ſedet ſummis, ſpectatque interrita pugnas:
Utque procul medio juvenum in clamore furentum
Proſpexit triſti mulctatam morte Camillam,
Ingemuitque, deditque has imo pectore voces:
Heu nimium, virgo, nimium crudele luiſti
Supplicium, Teucros conata laceſſere bello!
Nec tibi deſertæ in dumis coluiſſe Dianam
Profuit, aut noſtras humero geſſiſſe pharetras:
Non tamen indecorem tua te regina relinquet
Extrema jam in morte: neque hoc ſine nomine letum
Per gentes erit; aut famam patieris inultæ.
Nam quicumque tuum violavit vulnere corpus,
Morte luet merita. Fuit ingens monte ſub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere buſtum
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum:
Hic Dea ſe primum rapido pulcherrima niſu
Siſtit, & Aruntem tumulo ſpeculatur ab alto.
Ut vidit fulgentem armis, ac vana tumentem;
Cur, inquit, diverſus abis? huc dirige greſſum,
Huc periture veni: capias ut digna Camillæ
Præmia. tune etiam telis moriere Dianæ?
Dixit, & aurata volucrem Threiſſa ſagittam
Depromſit pharetra, cornuque infenſa tetendit,
Et duxit longe; donec curvata coirent
Inter ſe capita, & manibus jam tangeret æquis,
Læva aciem ferri, dextra nervoque papillam.
Extemplo teli ſtridorem auraſque ſonantes
Audiit una Aruns, hæſitque in corpore ferrum.
Illum exſpirantem ſocii atque extrema gementem,
Obliti ignoto camporum in pulvere linquunt.
Opis ad ætherium pennis aufertur Olympum.
Prima fugit, domina amiſſa, levis ala Camillæ:
Turbati fugiunt Rutuli: fugit acer Atinas:
Disjectique duces, deſolatique manipli
Tuta petunt, & equis averſi ad mœnia tendunt.
Nec quiſquam inſtantes Teucros letumque ferentes
Suſtentare valet telis, aut ſiſtere contra:
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus:
Quadrupedumque putrem curſu quatit ungula campum.
Volvitur ad muros caligine turbidus atra
Pulvis, & e ſpeculis percuſſæ pectora matres
Femineum clamorem ad cæli ſidera tollunt.
Qui curſu portas primi irrupere patentes,
Hos inimica ſuper mixto premit agmine turba:
Nec miſeram effugiunt mortem, ſed limine in ipſo,
Mœnibus in patriis, atque inter tuta domorum,
Confixi exſpirant animas. pars claudere portas,
Nec ſociis aperire viam, nec mœnibus audent
Accipere orantes: oriturque miſerrima cædes
Defendentum armis aditus, inque arma ruentum:
Excluſi ante oculos, lacrimantumque ora parentum,
Pars in præcipites foſſas, urgente ruina,
Volvitur: immiſſis pars cæca & concita frænis
Arietat in portas, & duros obice poſtes.
Ipſæ de muris ſummo certamine matres,
(Monſtrat amor verus patriæ) ut videre Camillam,
Tela manu trepidæ jaciunt; ac robore duro
Stipitibus ferrum ſudibuſque imitantur obuſtis
Præcipites, primæque mori pro mœnibus ardent.
Interea Turnum in ſilvis ſæviſſimus implet
Nuntius, & juveni ingentem fert Acca tumultum:
Deletas Volſcorum acies, cecidiſſe Camillam:
Ingruere infenſos hoſtes, & Marte ſecundo
Omnia corripuiſſe: metum jam ad mœnia ferri.
Ille furens, (& ſæva Jovis ſic numina poſcunt)
Deſerit obſeſſos colles, nemora aſpera linquit.
Vix e conſpectu exierat, campumque tenebat,
Cum pater Aeneas, ſaltus ingreſſus apertos,
Exſuperatque jugum, ſilvaque evadit opaca.
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur
Agmine, nec longis inter ſe paſſibus abſunt:
Ac ſimul Aeneas fumantes pulvere campos
Proſpexit longe, Laurentiaque agmina vidit;
Et ſævum Aenean agnovit Turnus in armis,
Adventumque pedum flatuſque audivit equorum:
Continuo pugnas ineant, & prælia tentent;
Ni roſeus feſſos jam gurgite Phœbus Ibero
Tingat equos, noctemque die labente reducat.
Conſidunt caſtris ante urbem, & mœnia vallant.

Æ N E I D O S
L I B E R XII.

TUrnus ut infractos adverſo Marte Latinos
Defeciſſe videt, ſua nunc promiſſa repoſci,
Se ſignari oculis, ultro implacabilis ardet,
Attollitque animos. Pœnornm qualis in arvis,
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes
Excutiens cervice toros, fixumque latronis
Impavidus frangit telum, & fremit ore cruento:
Haud ſecus accenſo gliſcit violentia Turno.
Tum ſic affatur regem, atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno: nihil eſt quod dicta retractent

Ignavi Æneadæ; nec, quæ pepigere, recuſent.
Congredior. fer ſacra, pater, & concipe fœdus.
Aut hac Dardanium dextra ſub Tartara mittam
Deſertorem Aſiæ, (ſedeant ſpectentque Latini)
Et ſolus ferro crimen commune refellam:
Aut habeat victos; cedat Lavinia conjux.
Olli ſedato reſpondit corde Latinus:
O præſtans animi juvenis, quantum ipſe feroci
Virtute exſuperas; tanto me impenſius æquum eſt
Conſulere, atque omnes metuentem expendere caſus.
Sunt tibi regna patris Dauni, ſunt oppida capta
Multa manu; nec non aurumque animuſque Latino eſt.
Sunt aliæ innuptæ Latio & Laurentibus agris;
Nec genus indecores. ſine me hæc haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis: ſimul hoc animo hauri.
Me natam nulli veterum ſociare procorum
Fas erat, idque omnes divique homineſque canebant.
Victus amore tui, cognato ſanguine victus,
Conjugis & mœſtæ lacrimis, vincla omnia rupi:
Promiſſam eripui genero: arma impia ſumſi.
Ex illo qui me caſus, quæ, Turne, ſequantur
Bella, vides; quantos primus patiare labores.
Bis magna victi pugna vix urbe tuemur
Spes Italas: recalent noſtro Tiberina fluenta
Sanguine adhuc, campique ingentes oſſibus albent.
Quo referor toties? quæ mentem inſania mutat?
Si Turno extincto ſocios ſum adſcire paratus;
Cur non incolumi potius certamina tollo?
Quid conſanguinei Rutuli, quid cetera dicet
Italia; ad mortem ſi te (Fors dicta refutet)
Prodiderim, natam & connubia noſtra petentem?
Reſpice res bello varias: miſerere parentis
Longævi, quem nunc mœſtum patria Ardea longe
Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni
Flectitur: exſuperat magis ægreſcitque medendo.
Ut primum fari potuit, ſic inſtitit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
Deponas, letumque ſinas pro laude paciſci.
Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & noſtro ſequitur de vulnere ſanguis.
Longe illi dea mater erit, quæ nube fugacem
Feminea tegat, & vanis ſeſe occulat umbris.
At regina, nova pugnæ conterrita ſorte,
Flebat; & ardentem generum moritura tenebat:
Turne, per has ego te lacrimas, per ſi quis Amatæ
Tangit honos animum: (ſpes tu nunc una, ſenectæ
Tu requies miſeræ: decus imperiumque Latini
Te penes: in te omnis domus inclinata recumbit)
Unum oro: deſiſte manum committere Teucris.
Qui te cumque manent iſto certamine caſus,
Et me, Turne, manent. ſimul hæc inviſa relinquam
Lumina, nec generum Ænean captiva videbo.
Accepit vocem lacrimis Lavinia matris,
Flagrantes perfuſa genas: cui plurimus ignem
Subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Indum ſanguineo veluti violaverit oſtro
Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba roſa: tales virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor, figitque in virgine vultus:
Ardet in arma magis, pauciſque affatur Amatam:
Ne, quæſo, ne me lacrimis, neve omine tanto
Proſequere in duri certamina Martis euntem,
O mater: neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius hæc, Idmon, Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer. cum primum craſtina cælo
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit,
Non Teucros agat in Rutulos; Teucrum arma quieſcant,
Et Rutulum. noſtro dirimamus ſaguine bellum:
Illo quæratur conjux Lavinia campo.
Hæc ubi dicta dedit, rapiduſque in tecta receſſit,
Poſcit equos, gaudetque tuens ante ora frementes,
Pilumno quos ipſa decus dedit Orithyia,
Qui candore nives anteirent, curſibus auras.
Circumſtant properi aurigæ, manibuſque laceſſunt
Pectora plauſa cavis, & colla comantia pectunt.
Ipſe dehinc auro ſqualentem alboque orichalco
Circumdat loricam humeris: ſimul aptat habendo
Enſemque, clypeumque, & rubræ cornua criſtæ:
Enſem, quem Dauno ignipotens deus ipſe parenti
Fecerat, & Stygia candentem tinxerat unda.
Exin, quæ in mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus aſtabat, validam vi corripit haſtam,
Actoris Aurunci ſpolium, quaſſatque trementem
Vociferans: Nunc o numquam fruſtata vocatus
Haſta meos, nunc tempus adeſt: te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit. da ſternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revulſam
Semiviri Phrygis, & fœdare in pulvere crines
Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes.
His agitur furiis, totoque ardentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti cum prima in prælia taurus
Terrificos ciet, atque iraſci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco, ventoſque laceſſit
Ictibus, & ſparſa ad pugnam proludit arena.
Nec minus interea maternis ſævus in armis
Aeneas acuit Martem, & ſe ſuſcitat ira,
Oblato gaudens componi fœdere bellum.
Tum ſocios, mœſtique metum ſolatur Iuli,
Fata docens, regique jubet reſponſa Latino
Certa referre viros, & pacis dicere leges.
Poſtera vix ſummos ſpargebat lumine montes
Orta dies, cum primum alto ſe gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant;
Campum ad certamen magnæ ſub mœnibus urbis
Dimenſi Rutulique viri Teucrique parabant:
In medioque focos, & Diis communibus aras
Gramineas: alii fontemque ignemque ferebant
Velati lino, & verbena tempora vincti.
Procedit legio Auſonidum, pilataque plenis
Agmina ſe fundunt portis: hinc Troius omnis,
Tyrrhenuſque ruit variis exercitus armis,
Haud ſecus inſtructi ferro, quam ſi aſpera Martis
Pugna vocet: nec non mediis in millibus ipſi
Ductores auro volitant, oſtroque decori,
Et genus Aſſaraci Mneſtheus, & fortis Aſylas,
Et Meſſapus equum domitor, Neptunia proles.
Utque dato ſigno ſpatia in ſua quiſque receſſit,
Defigunt tellure haſtas, & ſcuta reclinant.
Tum ſtudio effuſæ matres, & vulgus inermum,
Invalidique ſenes turres & tecta domorum
Obſedere: alii portis ſublimibus aſtant.
At Juno ex ſummo, qui nunc Albanus habetur,
(Tum neque nomen erat, neque honos, aut gloria monti)
Proſpiciens tumulo campum aſpectabat, & ambas
Laurentum Troumque acies, urbemque Latini.
Extemplo Turni ſic eſt affata ſororem
Diva deam, ſtagnis quæ fluminibuſque ſonoris
Præſidet: hunc illi rex ætheris altus honorem
Jupiter erepta pro virginitate ſacravit:
Nympha decus fluviorum, animo gratiſſima noſtro,
Scis, ut te cunctis unam, quæcumque Latinæ

Magnanimi Jovis ingratum aſcendere cubile,
Prætulerim, cælique lubens in parte locarim:
Diſce tuum, ne me incuſes, Juturna, dolorem.
Qua viſa eſt fortuna pati, Parcæque ſinebant
Cedere res Latio, Turnum & tua mœnia texi:
Nunc juvenem imparibus video concurrere fatis,
Parcarumque dies & vis inimica propinquat.
Non pugnam aſpicere hanc oculis, non fœdera poſſum.
Tu pro germano, ſi quid præſentius audes,
Perge: decet: forſan miſeros meliora ſequentur.
Vix ea, cum lacrimas oculis Juturna profudit,
Terque quaterque manu pectus percuſſit honeſtum.
Non lacrimis hoc tempus, ait Saturnia Juno:
Accelera, & fratrem (ſi quis modus) eripe morti:
Aut tu bella cie, conceptumque excute fœdus.
Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit
Incertam, & triſti turbatam vulnere mentis.
Interea reges (ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt,
Solis avi ſpecimen: bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.
Hinc pater Æneas Romanæ ſtirpis origo,
Sidereo flagrans clypeo, & cæleſtibus armis,
Et juxta Aſcanius magnæ ſpes altera Romæ)
Procedunt caſtris: puraque in veſte ſacerdos
Setigeræ fœtum ſuis, intonſamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad ſurgentem converſi lumina ſolem
Dant fruges manibus ſalſas, & tempora ferro
Summa notant pecudum; pateriſque altaria libant.
Tum pius Æneas ſtricto ſic enſe precatur:
Eſto nunc Sol teſtis & hæc mihi terra precanti,
Quam propter tantos potui perferre labores:
Et pater omnipotens, & tu Saturnia Juno,
Jam melior, jam, diva, precor: tuque inclyte Mavors,
Cuncta tuo qui bella, pater, ſub numine torques:
Fonteſque, fluvioſque voco, quæque ætheris alti
Religio, & quæ cæruleo ſunt numina ponto:
Ceſſerit Auſonio ſi fors victoria Turno,
Convenit Evandri victos diſcedere ad urbem:
Cedet Iulus agris: nec poſt arma ulla rebelles
Æneadæ referent, ferrove hæc regna laceſſent.
Sin noſtrum annuerit nobis victoria Martem,
(Ut potius reor, & potius Di numine firment)
Non ego nec Teucris Italos parere jubebo,
Nec mihi regna peto: paribus ſe legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.
Sacra deoſque dabo: ſocer arma Latinus habeto;
Imperium ſolemne ſocer: mihi mœnia Teucri
Conſtituent, urbique dabit Lavinia nomen.
Sic prior Æneas: ſequitur ſic deinde Latinus
Suſpiciens cælum, tenditque ad ſidera dextram:
Hæc eadem, Aenea, terram, mare, ſidera, juro,
Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem,
Vimque deum infernam, & duri ſacraria Ditis:
Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine ſancit:
Tango aras, medioſque ignes & numina teſtor:
Nulla dies pacem hanc Italis nec fœdera rumpet,
Quo res cumque cadent: nec me vis ulla volentem
Avertet; non ſi tellurem effundat in undas
Diluvio miſcens, cælumve in Tartara ſolvat:
Ut ſceptrum hoc (dextra ſceptrum nam forte gerebat)
Nunquam fronde levi fundet virgulta, neque umbras,
Cum ſemel in ſilvis imo de ſtirpe reciſum
Matre caret, poſuitque comas & brachia ferro,
Olim arbos; nunc artificis manus ære decoro
Incluſit, patribuſque dedit geſtare Latinis.
Talibus inter ſe firmabant fœdera dictis
Conſpectu in medio procerum: tum rite ſacratas
In flammam jugulant pecudes, & viſcera vivis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
At vero Rutulis impar ea pugna videri
Jamdudum, & vario miſceri pectora motu.
Tum magis ut propius cernunt non viribus æquis,
Adjuvat inceſſu tacito progreſſus, & aram
Suppliciter venerans, demiſſo lumine Turnus,
Pubenteſque genæ, & juvenili in corpore pallor.
Quem ſimul ac Juturna ſoror crebreſcere vidit
Sermonem, & vulgi variare labantia corda,
In medias acies formam aſſimulata Camerti:
Cui genus a proavis ingens, clarumque paternæ
Nomen erat virtutis, & ipſe acerrimus armis:
In medias dat ſeſe acies haud neſcia rerum,
Rumoreſque ſerit varios, ac talia fatur:
Non pudet o Rutuli, cunctis pro talibus unam
Objectare animam? numerone, an viribus æqui
Non ſumus? en omnes & Troes, & Arcades hic ſunt,
Fataliſque manus, infenſa Etruria Turno:
Vix hoſtem, alterni ſi congrediamur, habemus.
Ille quidem ad ſuperos, quorum ſe devovet aris,
Succedet fama, vivuſque per ora feretur;
Nos patria amiſſa, dominis parere ſuperbis
Cogemur, qui nunc lenti conſedimus arvis.
Talibus incenſa eſt juvenum ſententia dictis
Jam magis atque magis, ſerpitque per agmina murmur:
Ipſi Laurentes mutati, ipſique Latini,
Qui ſibi jam requiem pugnæ, rebuſque ſalutem
Sperabant, nunc arma volunt, fœduſque precantur
Infectum, & Turni ſortem miſerantur iniquam.
His aliud majus Juturna adjungit, & alto
Dat ſignum cælo, quo non præſentius ullum
Turbavit mentes Italas, monſtroque fefellit.
Namque volans rubra fulvus Jovis ales in æthra
Littoreas agitabat aves, turbamque ſonantem
Agminis aligeri; ſubito cum lapſus ad undas
Cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.
Arrexere animos Itali, cunctæque volucres
Convertunt clamore fugam; (miſerabile viſu)
Ætheraque obſcurant pennis, hoſtemque per auras
Facta nube premunt: donec vi victus, & ipſo
Pondere defecit, prædamque ex unguibus ales
Projecit fluvio, penituſque in nubila fugit.
Tum vero augurium Rutuli clamore ſalutant,
Expediuntque manus; primuſque Tolumnius augur;
Hoc erat, hoc votis, inquit, quod ſæpe petivi,
Accipio, agnoſcoque deos: me, me duce, ferrum
Corripite, o Rutuli, quos improbus advena bello
Territat, invalidas ut aves; & litora noſtra
Vi populat: petet ille fugam, penituſque profundo
Vela dabit: vos unanimi denſate catervas,
Et regem vobis pugna defendite raptum.
Dixit, & adverſos telum contorſit in hoſtes
Procurrens: ſonitum dat ſtridula cornus, & auras
Certa ſecat: ſimul hoc, ſimul ingens clamor, & omnes
Turbati cunei, calefactaque corda tumultu.
Haſta volans, ut forte novem pulcherrima fratrum
Corpora conſtiterant contra, quos fida crearat
Una tot Arcadio conjux Tyrrhena Gylippo:
Horum unum ad medium, teritur qua ſutilis alvo
Balteus, & laterum juncturas fibula mordet;
Egregium forma juvenem, & fulgentibus armis,

Tranſadigit coſtas, fulvaque extendit arena.
At fratres animoſa phalanx, accenſaque luctu,
Pars gladios ſtringunt manibus, pars miſſile ferrum
Corripiunt, cæcique ruunt, quos agmina contra
Procurrunt Laurentum: hinc denſi rurſus inundant
Troes, Agyllinique, & pictis Arcades armis.
Sic omnes amor unus habet decernere ferro.
Diripuere aras: it toto turbida cælo
Tempeſtas telorum, ac ferreus ingruit imber:
Craterasque, focoſque ferunt. fugit ipſe Latinus
Pulſatos referens infecto fœdere divos.
Infrænant alii currus, aut corpora ſaltu
Subjiciunt in equos, & ſtrictis enſibus adſunt.
Meſſapus regem, regiſque inſigne gerentem
Tyrrhenum Auleſten, avidus confundere fœdus
Adverſo proterret equo: ruit ille recedens,
Et miſer oppoſitis a tergo involvitur aris
In caput, inque humeros: at fervidus advolat haſta
Meſſapus, teloque orantem multa trabali
Deſuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet: hæc melior magnis data victima Divis.
Concurrunt Itali, ſpoliantque calentia membra.
Obvius ambuſtum torrem Chorinæus ab ara
Corripit, & venienti Ebuſo plagamque ferenti
Occupat os flammis: illi ingens barba reluxit,
Nidoremque ambuſta dedit: ſuper ipſe ſecutus
Cæſariem læva turbati corripit hoſtis,
Impreſſoque genu nitens terræ applicat ipſum:
Sic rigido latus enſe ferit, Podalirius Alſum
Paſtorem, primaque acie per tela ruentem
Enſe ſequens nudo ſuper imminet: ille ſecuri
Adverſi frontem mediam mentumque reducta
Disjicit, & ſparſo late rigat arma cruore.
Olli dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.
At pius Aeneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atque ſuos clamore vocabat:
Quo ruitis? quæve iſta repens diſcordia ſurgit?
O cohibete iras: ictum jam fœdus, & omnes
Compoſitæ leges: mihi jus concurrere ſoli.
Me ſinite, atque auferte metus: ego fœdera faxo
Firma manu; Turnum jam debent hæc mihi ſacra.
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce viro ſtridens alis allapſa ſagitta eſt,
Incertum, qua pulſa manu, quo turbine adacta;
Quis tantam Rutulis laudem caſuſne, Deuſne
Attulerit, preſſa eſt inſignis gloria facti.
Nec ſeſe Aeneæ jactavit vulnere quiſquam.
Turnus ut Aenean cedentem ex agmine vidit,
Turbatoſque duces, ſubita ſpe fervidus ardet;
Poſcit equos, atque arma ſimul, ſaltuque ſuperbus
Emicat in currum, & manibus molitur habenas,
Multa virum volitans dat fortia corpora leto:
Semineces volvit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit haſtas.
Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clypeo increpat, atque furentes,
Bella movens, immittit equos: illi æquore aperto
Ante notos, zephyrumque volant: gemit ultima pulſu
Thraca pedum, circumque atræ formidinis ora,
Iræque, inſidiæque dei comitatus, aguntur:
Talis equos alacer media inter prælia Turnus
Fumantes ſudore quatit (miſerabile) cæſis
Hoſtibus inſultans: ſpargit rapida ungula rores
Sanguineos, mixtaque cruor calcatur arena.
Jamque neci Sthenelumque dedit, Tamyrimque, Polumque,
Hunc congreſſus & hunc; illum eminus: eminus ambos
Imbraſidas, Glaucum, atque Laden, quos Imbraſus ipſe
Nutrierat Lycia, paribuſque ornaverat armis,
Vel conferre manum, vel equo prævertere ventos.
Parte alia media Eumedes in prælia fertur,
Antiqui proles bello præclara Dolonis;
Nomine avum referens, animo manibuſque parentem:
Qui quondam, caſtra ut Danaum ſpeculator adiret,
Auſus Pelidæ pretium ſibi poſcere currus:
Illum Tydides alio pro talibus auſis
Affecit pretio: nec equis aſpirat Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus conſpexit aperto,
Ante levi jaculo longum per inane ſecutus,
Siſtit equos bijugos, & curru deſilit, atque
Semianimi lapſoque ſupervenit, & pede collo
Impreſſo, dextræ mucronem extorquet, & alto
Fulgentem tingit jugulo, atque hæc inſuper addit:
En agros, & quam bello, Trojane, petiſti,
Heſperiam metire jacens: hæc præmia, qui me
Ferro auſi tentare, ferunt: ſic mœnia condunt.
Huic comitem Buten conjecta cuſpide mittit:
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Therſilochumque,
Et ſternacis equi lapſum cervice Thymæten.
Ac velut Edoni Boreæ cum ſpiritus alto
Inſonat Aegeo, ſequiturque ad litora fluctus,
Qua venti incubuere, fugam dant nubila cælo:
Sic Turno, quacumque viam ſecat, agmina cedunt,
Converſæque ruunt acies: fert impetus ipſum,
Et criſtam adverſo curru quatit aura volantem.
Non tulit inſtantem Phegeus, animiſque frementem:
Objecit ſeſe ad currum, & ſpumantia frænis
Ora citatorum dextra contorſit equorum.
Dum trahitur, pendetque jugis, hunc lata retectum
Lancea conſequitur, rumpitque infixa bilicem
Loricam, & ſummum deguſtat vulnere corpus.
Ille tamen clypeo objecto converſus in hoſtem
Ibat, & auxilium ducto mucrone petebat;
Cum rota præcipitem, & procurſu concitus axis
Impulit, effuditque ſolo: Turnuſque ſecutus,
Imam inter galeam ſummi thoracis & oras,
Abſtulit enſe caput, truncumque reliquit arena.
Atque ea dum campis victor dat funera Turnus,
Interea Aenean Mneſtheus, & fidus Achates,
Aſcaniuſque comes caſtris ſtatuere cruentum,
Alternos longa nitentem cuſpide greſſus.
Sævit, & infracta luctatur arundine telum
Eripere, auxilioque viam, quæ proxima, poſcit:
Enſe ſecent lato vulnus, telique latebram
Reſcindant penitus, ſeſeque in bella remittant.
Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapyx
Iaſides; acri quondam cui captus amore
Ipſe ſuas artes, ſua munera lætus Apollo
Augurium, citharamque dabat, celereſque ſagittas,
Ille, ut depoſiti proferret fata parentis,
Scire poteſtates herbarum uſumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.
Stabat acerba fremens, ingentem nixus in haſtam
Aeneas, magno juvenum & mærentis Iuli
Concurſu, lacrimis immobilis: ille retorto
Pæonium in morem ſenior ſuccinctus amictu,
Multa manu medica Phœbique potentibus herbis
Nequidquam trepidat, nequidquam ſpicula dextra
Sollicitat, prenſatque tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam Fortuna regit. nihil auctor Apollo
Subvenit: & ſævus campis magis ac magis horror
Crebeſcit, propiuſque malum eſt, jam pulvere cælum
Stare

Stare vident: ſubeunt equites, & ſpicula caſtris
Denſa cadunt mediis. it triſtis ad æthera clamor
Bellantum juvenum, & duro ſub Marte cadentum.
Hic Venus, indigno nati concuſſa dolore,
Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo; non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres hæſere ſagittæ.
Hoc Venus, obſcuro faciem circumdata nimbo,
Detulit; hoc fuſum labris ſplendentibus amnem
Inficit, occulte medicans, ſpargitque ſalubris
Ambroſiæ ſuccos, & odoriferam Panaceam.
Fovit ea vulnus lympha longævus Iapix
Ignorans, ſubitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor, omnis ſtetit imo vulnere ſanguis.
Jamque ſecuta manum nullo cogente ſagitta
Excidit, atque novæ rediere in priſtina vires.
Arma citi properate viro, quid ſtatis? Iapix
Conclamat, primuſque animos accendit in hoſtes.
Non hæc humanis opibus, non arte magiſtra
Proveniunt, neque te, Aenea, mea dextra ſervat:
Major agit deus, atque opera ad majora remittit.
Ille avidus pugnæ ſuras incluſerat auro
Hinc atque hinc, oditque moras, haſtamque coruſcat.
Poſtquam habilis lateri clypeus, loricaque tergo eſt,
Aſcanium fuſis circum complectitur armis,
Summaque per galeam delibans oſcula, fatur:
Diſce puer virtutem ex me, verumque laborem,
Fortunam ex aliis: nunc te mea dextera bello
Defenſum dabit, & magna inter præmia ducet.
Tu facito, mox cum matura adoleverit ætas,
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum
Et pater Æneas, & avunculus excitet Hector.
Hæc ubi dicta dedit, portis ſeſe extulit, ingens
Telum immane manu quatiens: ſimul agmine denſo
Antheuſque, Mneſtheuſque ruunt, omniſque relictis
Turba fluit caſtris; tum cæco pulvere campus
Miſcetur, pulſuque pedum tremit excita tellus.
Vidit ab adverſo venientes aggere Turnus,
Videre Auſonii, gelidusque per ima cucurrit
Oſſa tremor. prima ante omnes Juturna Latinos
Audiit, agnovitque ſonum, & tremefacta refugit.
Ille volat, campoque atrum rapit agmen aperto.
Qualis ubi ad terras abrupto ſidere nimbus
It mare per medium; miſeris, heu, præſcia longe
Horreſcunt corda agricolis; dabit ille ruinas
Arboribus, ſtragemque ſatis; ruet omnia late;
Ante volant, ſonitumque ferunt ad litora venti.
Talis in adverſos ductor Rhœteius hoſtes
Agmen agit; denſi cuneis ſe quiſque coactis
Agglomerant. ferit enſe gravem Thymbræus Oſirim,
Archetium Mneſtheus, Epulonem obtruncat Achates,
Ufentemque Gyas: cadit ipſe Tolumnius augur,
Primus in adverſos telum qui torſerat hoſtes.
Tollitur in cælum clamor, verſique viciſſim
Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros,
Ipſe neque adverſos dignatur ſternere morti,
Nec pede congreſſos, nec equo, nec tela ferentes
Inſequitur: ſolum denſa in caligine Turnum
Veſtigat luſtrans, ſolum in certamina poſcit.
Hoc concuſſa metu mentem Juturna virago
Aurigam Turni media inter lora Metiſcum
Excutit, & longe lapſum temone relinquit.
Ipſa ſubit, manibuſque undantes flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemque, & corpus, & arma Metiſci.
Nigra velut magnas domini cum divitis ædes
Pervolat, & pennis alta atria luſtrat hirundo,
Pabula parva legens, nidiſque loquacibus eſcas:
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna ſonat. ſimilis medios Juturna per hoſtes
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru.
Jamque hic germanum, jamque hic oſtendit ovantem,
Nec conferre manum patitur: volat avia longe.
Haud minus Aeneas tortos legit obvius orbes,
Veſtigatque virum, & disjecta per agmina longa
Voce vocat. quoties oculos conjecit in hoſtem,
Alipedumque fugam curſu tentavit equorum;
Averſos toties currus Juturna retorſit.
Heu, quid agat? vario nequidquam fluctuat æſtu,
Diverſæque vocant animum in contraria curæ.
Huic Meſſapus, uti læva duo forte gerebat
Lenta levis curſu præfixa haſtilia ferro,
Horum unum certo contorquens dirigit ictu.
Subſtitit Aeneas, & ſe collegit in arma,
Poplite ſubſidens: apicem tamen incita ſummum
Haſta tulit, ſummaſque excuſſit vertice criſtas.
Tum vero aſſurgunt iræ, inſidiiſque ſubactus,
Diverſos ubi ſenſit equos currumque referri,
Multa Jovem & læſi teſtatus fœderis aras:
Jam tandem invadit medios, & Marte ſecundo
Terribilis ſævam nullo diſcrimine cædem
Suſcitat; irarumque omnes effundit habenas.
Quis mihi nunc tot acerba deus, quis carmine cædes
Diverſas, obitumque ducum, quos æquore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troius heros,
Expediat? tanton' placuit concurrere motu,
Jupiter, æterna gentes in pace futuras?
Aeneas Rutulum Sucronem, (ea prima ruentes
Pugna loco ſtatuit Teucros) haud multa moratus
Excipit in latus, &, qua fata celerrima, crudo
Tranſadigit coſtas, & crates pectoris enſe.
Turnus equo dejectum Amycum, fratremque Diorem
Congreſſus pedes: hunc venientem cuſpide longa,
Hunc mucrone ferit: curruque abſciſſa duorum
Suſpendit capita, & rorantia ſanguine portat.
Ille Talon, Tanaimque neci, fortemque Cethegum,
Tres uno congreſſu, & mœſtum mittit Onyten,
Nomen Echionium, matriſque genus Peridiæ.
Hic fratres Lycia miſſos & Apollinis agris,
Et juvenem exoſum nequidquam bella Menœten
Arcada, piſcoſæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat, pauperque domus; nec nota potentum
Munera: conductaque pater tellure ſerebat.
Ac velut immiſſi diverſis partibus ignes
Arentem in ſilvam, & virgulta ſonantia lauro;
Aut ubi decurſu rapido de montibus altis
Dant ſonitum ſpumoſi amnes, & in æquora currunt,
Quiſque ſuum populatus iter: non ſegnius ambo
Aeneas Turnuſque ruunt per prælia: nunc, nunc
Fluctuat ira intus: rumpuntur neſcia vinci
Pectora: nunc totis in vulnera viribus itur.
Murranum hic, atavos & avorum antiqua ſonantem
Nomina, per regeſque actum genus omne Latinos,
Præcipitem ſcopulo, atque ingentis turbine ſaxi
Excutit, effunditque ſolo. hunc lora & juga ſubter
Provolvere rotæ: crebro ſuper ungula pulſu
Incita nec domini memorum proculcat equorum.
Ille ruenti Hyllo animiſque immane frementi
Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo ſtetit haſta cerebro.
Dextera nec tua te, Graium fortiſſime Creteu,
Eripuit Turno: nec di texere Cupencum,

Aenea

Ænea veniente, ſui. dedit obvia ferro
Pectora: nec miſero clypei mora profuit ærei.
Te quoque Laurentes viderunt, Æole, campi
Oppetere, & late terram conſternere tergo.
Occidis, Argivæ quem non potuere phalanges
Sternere, nec Priami regnorum everſor Achilles.
Hic tibi mortis erant metæ: domus alta ſub Ida;
Lyrneſſi domus alta; ſolo Laurente ſepulcrum.
Totæ adeo converſæ acies, omneſque Latini,
Omnes Dardanidæ: Mneſtheus, acerque Sereſtus,
Et Meſſapus equum domitor, & fortis Aſylas,
Tuſcorumque phalanx, Evandrique Arcadis alæ,
Pro ſe quiſque viri ſumma nituntur opum vi.
Nec mora, nec requies: vaſto certamine tendunt.
Hic mentem Æneæ genetrix pulcherrima miſit,
Iret ut ad muros, urbique adverteret agmen
Ocyus, & ſubita turbaret clade Latinos.
Ille, ut veſtigans diverſa per agmina Turnum,
Huc atque huc acies circumtulit; aſpicit urbem
Immunem tanti belli atque impune quietam.
Continuo pugnæ accendit majoris imago:
Mneſthea Sergeſtumque vocat fortemque Sereſtum
Ductores, tumulumque capit: quo cetera Teucrum
Concurrit legio: nec ſcuta aut ſpicula denſi
Deponunt. celſo medius ſtans aggere fatur:
Ne qua meis eſto dictis mora. Jupiter hac ſtat.
Neu quis ob inceptum ſubitum mihi ſegnior ito.
Urbem hodie cauſſam belli, regna ipſa Latini,
Ni frænum accipere, & victi parere fatentur,
Eruam, & æqua ſolo fumantia culmina ponam.
Scilicet exſpectem, libeat dum prælia Turno
Noſtra pati; rurſuſque velit concurrere victus?
Hoc caput, o cives, hæc belli ſumma nefandi.
Ferte faces propere, fœduſque repoſcite flammis.
Dixerat: atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum; denſaque ad muros mole feruntur.
Scalæ improviſo, ſubituſque apparuit ignis.
Diſcurrunt alii ad portas, primoſque trucidant:
Ferrum alii torquent, & obumbrant æthera telis.
Ipſe inter primos dextram ſub mœnia tendit
Æneas, magnaque incuſat voce Latinum;
Teſtaturque deos iterum ſe ad prælia cogi:
Bis jam Italos hoſtes, hæc altera fœdera rumpi.
Exoritur trepidos inter diſcordia cives:
Urbem alii reſerare jubent, & pandere portas
Dardanidis, ipſumque trahunt in mœnia regem.
Arma ferunt alii, & pergunt defendere muros.
Incluſas ut cum latebroſo in pumice paſtor
Veſtigavit apes, fumoque implevit amaro;
Illæ intus trepidæ rerum per cerea caſtra
Diſcurrunt, magniſque acuunt ſtridoribus iras:
Volvitur ater odor tectis: tum murmure cæco
Intus ſaxa ſonant: vacuas it fumus ad auras.
Accidit hæc feſſis etiam fortuna Latinis,
Quæ totam luctu concuſſit funditus urbem.
Regina ut tectis venientem proſpicit hoſtem,
Inceſſi muros, ignes ad tecta volare;
Nuſquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni:
Infelix pugnæ juvenem in certamine credit
Exſtinctum; &, ſubito mentem turbata dolore,
Se cauſſam clamat crimenque caputque malorum:
Multaque per mœſtum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu diſcindit amictus,
Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.
Quam cladem miſeræ poſtquam accepere Latinæ,
Filia prima manu flavos Lavinia crines,
Et roſeas laniata genas; tum cetera circum
Turba furit, reſonant latæ plangoribus ædes.
Hinc totam infelix vulgatur fama per urbem:
Demittunt mentes: it ſciſſa veſte Latinus,
Conjugis attonitus fatis, urbiſque ruina,
Canitiem immundo perfuſam pulvere turpans,
Multaque ſe incuſat, qui non acceperit ante
Dardanium Ænean, generumque adſciverit ultro.
Interea extremo bellator in æquore Turnus
Palantes ſequitur paucos, jam ſegnior, atque
Jam minus atque minus ſucceſſu lætus equorum.
Attulit hunc illi cæcis terroribus aura
Commiſtum clamorem, arrectaſque impulit aures
Confuſæ ſonus urbis, & illætabile murmur.
Hei mihi! quid tanto turbantur mœnia luctu?
Quiſve ruit tantus diverſa clamor ab urbe?
Sic ait, adductiſque amens ſubſiſtit habenis.
Atque huic in faciem ſoror ut converſa Metiſci
Aurigæ, currumque, & equos, & lora regebat,
Talibus occurrit dictis: Hac, Turne, ſequamur
Trojugenas, qua prima viam victoria pandit:
Sunt alii, qui tecta manu defendere poſſint.
Ingruit Æneas Italis, & prælia miſcet?
Et nos ſæva manu mittamus funera Teucris.
Nec numero inferior pugnæ, nec honore recedes.
Turnus ad hæc:
O ſoror, & dudum agnovi, cum prima per artem
Fœdera turbaſti, teque hæc in bella dediſti:
Et nunc nequidquam fallis Dea. ſed quis Olympo
Demiſſam tantos voluit te ferre labores?
An fratris miſeri letum ut crudele videres?
Nam quid ago? aut quæ jam ſpondet fortuna ſalutem?
Vidi oculos ante ipſe meos me voce vocantem
Murranum, quo non ſuperat mihi carior alter,
Oppetere ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Occidit infelix, ne noſtrum dedecus Ufens
Adſpiceret. Teucri potiuntur corpore, & armis.
Excindine domos (id rebus defuit unum)
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo? & Turnum fugientem hæc terra videbit?
Uſque adeone mori miſerum eſt? vos o mihi Manes
Eſte boni, quoniam Superis averſa voluntas.
Sancta ad vos anima, atque iſtius inſcia culpæ
Deſcendam, magnorum haud umquam indignus avorum.
Vix ea fatus erat; medios volat ecce per hoſtes
Vectus equo ſpumante Sages, adverſa ſagitta
Saucius ora, ruitque implorans nomine Turnum:
Turne, in te ſuprema ſalus, miſerere tuorum:
Fulminat Æneas armis, ſummaſque minatur
Dejecturum arces Italum, excidioque daturum:
Jamque faces ad tecta volant: in te ora Latini,
In te oculos referunt, muſſat Rex ipſe Latinus,
Quos generos vocet, aut quæ ſeſe ad fœdera flectat.
Præterea Regina, tui fidiſſima, dextra
Occidit ipſa ſua, lucemque exterrita fugit.
Soli pro portis Meſſapus, & acer Atinas
Suſtentant aciem. circum hos utrimque phalanges
Stant denſæ; ſtrictiſque ſeges mucronibus horret
Ferrea; tu currum deſerto in gramine verſas.
Obſtupuit varia confuſus imagine rerum
Turnus, & obtutu tacito ſtetit: æſtuat ingens
Uno in corde pudor, miſtoque inſania luctu,
Et furiis agitatus amor, & conſcia virtus.
Ut primum diſcuſſæ umbræ, & lux reddita menti eſt,
Ardentes oculorum orbes ad mœnia torſit
Turbidus, eque rotis magnam reſpexit ad urbem.

Ecce

Ecce autem flammis inter tabulata volutus
Ad cælum undabat vortex, turrimque tenebat,
Turrim, compactis trabibus quam eduxerat ipſe,
Subdideratque rotas, ponteſque inſtraverat altos.
Jam jam fata, ſoror, ſuperant: abſiſte morari:
Quo Deus, & quo dura vocat fortuna, ſequamur.
Stat conferre manum Æneæ: ſtat, quidquid acerbi eſt,
Morte pati; neque me indecorem germana videbis
Amplius: hunc, oro, ſine me furere ante furorem.
Dixit, & e curru ſaltum dedit ocyus arvis,
Perque hoſtes, per tela ruit, mœſtamque ſororem
Deſerit, ac rapido curſu media agmina rumpit.
Ac veluti montis ſaxum de vertice præceps
Cum ruit avulſum vento, ſeu turbidus imber
Proluit, aut annis ſolvit ſublapſa vetuſtas:
Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exſultatque ſolo ſilvas, armenta, viroſque
Involvens ſecum: disjecta per agmina Turnus
Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuſo
Sanguine terra madet, ſtridentque haſtilibus auræ:
Significatque manu, & magno ſimul incipit ore:
Parcite jam, Rutuli, & vos tela inhibete, Latini:
Quæcumque eſt fortuna, mea eſt: me verius unum
Pro vobis fœdus luere, & decernere ferro.
Diſceſſere omnes medii, ſpatiumque dedere.
At pater Æneas, audito nomine Turni,
Deſerit & muros, & ſummas deſerit arces,
Præcipitatque moras omnes, opera omnia rumpit
Lætitia exultans, horrendumque intonat armis,
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipſe coruſcis
Dum fremit ilicibus quantus, gaudetque nivali
Vertice ſe attollens pater Apenninus ad auras.
Jam vero & Rutuli certatim, & Troes, & omnes
Convertere oculos Itali; quique alta tenebant
Mœnia, quique imos pulſabant ariete muros:
Armaque depoſuere humeris: ſtupet ipſe Latinus,
Ingentes, genitos diverſis partibus orbis,
Inter ſe coiiſſe viros, & cernere ferro.
Atque illi, ut vacuo patuerunt æquore campi,
Procurſu rapido, conjectis eminus haſtis,
Invadunt Martem clypeis atque ære ſonoro.
Dat gemitum tellus: tum crebros enſibus ictus
Congeminant: fors & virtus miſcentur in unum.
Ac velut, ingenti Sila ſummove Taburno
Cum duo converſis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt; pavidi ceſſere magiſtri,
Stat pecus omne metu mutum, muſſantque juvencæ,
Quis pecori imperitet, quem tota armenta ſequantur:
Illi inter ſeſe multa vi vulnera miſcent,
Cornuaque obnixi infigunt, & ſanguine largo
Colla armoſque lavant: gemitu nemus omne remugit.
Haud aliter Tros Æneas & Daunius heros
Concurrunt clypeis, ingens fragor æthera complet.
Jupiter ipſe duas æquato examine lances
Suſtinet, & fata imponit diverſa duorum;
Quem damnet labor, & quo vergat pondere letum.
Emicat hic impune putans, & corpore toto
Alte ſublatum conſurgit Turnus in enſem,
Et ferit: exclamant Troes trepidique Latini,
Arrectæque amborum acies: at perfidus enſis
Frangitur, in medioque ardentem deſerit ictu:
Ni fuga ſubſidio ſubeat, fugit ocyor Euro,
Ut capulum ignotum, dextramque aſpexit inermem.
Fama eſt, præcipitem, cum prima in prælia junctos
Conſcendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigæ rapuiſſe Metiſci:
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit: poſtquam arma dei ad Vulcania ventum eſt,
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Diſſiluit: fulva reſplendent fragmina arena.
Ergo amens diverſa fuga petit æquora Turnus,
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes.
Undique enim denſa Teucri incluſere corona:
Atque hinc vaſta palus, hinc ardua mœnia cingunt,
Nec minus Aeneas, quamquam tardante ſagitta
Interdum genua impediunt, curſumque recuſant,
Inſequitur, trepidique pedem pede fervidus urget:
Incluſum veluti ſi quando flumine nactus
Cervum, aut puniceæ ſeptum formidine pennæ,
Venator curſu canis & latratibus inſtat:
Ille autem inſidiis, & ripa territus alta
Mille fugit refugitque vias: at vividus Umber
Hæret hians; jam jamque tenet, ſimiliſque tenenti
Increpuit malis, morſuque eluſus inani eſt.
Tum vero exoritur clamor, ripæque lacuſque
Reſponſant circa, & cælum tonat omne tumultu.
Ille ſimul fugiens, Rutulos ſimul increpat omnes,
Nomine quemque vocans, notumque efflagitat enſem.
Aeneas mortem contra, præſenſque minatur
Exitium, ſi quiſquam adeat: terretque trementes,
Exciſurum urbem minitans, & ſaucius inſtat.
Quinque orbes explent curſu, totidemque retexunt
Huc illuc. neque enim levia aut ludicra petuntur
Præmia, ſed Turni de vita & ſanguine certant.
Forte ſacer Fauno foliis oleaſter amaris
Hic ſteterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona ſolebant
Laurenti divo, & votas ſuſpendere veſtes.
Sed ſtirpem Teucri, nullo diſcrimine, ſacrum
Suſtulerant, puro ut poſſent concurrere campo.
Hic haſta Aeneæ ſtabat: huc impetus illam
Detulerat fixam, & lenta in radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu convellere ferrum
Dardanides, teloque ſequi, quem prendere curſu
Non poterat. tum vero amens formidine Turnus,
Faune, precor, miſerere, inquit, tuque optima ferrum
Terra tene, colui veſtros ſi ſemper honores,
Quos contra Aeneadæ bello fecere profanos.
Dixit, opemque Dei non caſſa in vota vocavit.
Namque diu luctans, lentoque in ſtirpe moratus,
Viribus haud ullis valuit diſcludere morſus
Roboris Aeneas. dum nititur acer, & inſtat,
Rurſus in aurigæ faciem mutata Metiſci
Procurrit, fratrique enſem Dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci Nymphæ indignata licere,
Acceſſit, telumque alta ab radice revellit.
Olli ſublimes armis, animiſque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer & arduus haſta,
Adſiſtunt contra certamine Martis anheli.
Junonem interea Rex omnipotentis Olympi
Alloquitur, fulva pugnas de nube tuentem:
Quæ jam finis erit, conjux? quid denique reſtat?
Indigetem Aeneam ſcis ipſa, & ſcire fateris,
Deberi cælo, fatiſque ad ſidera tolli.
Quid ſtruis? aut qua ſpe gelidis in nubibus hæres?
Mortalin' decuit violari vulnere Divum?
Aut enſem (quid enim ſine te Juturna valeret?)
Ereptum reddi Turno, & vim creſcere victis?
Deſine jam tandem, precibuſque inflectere noſtris,
Nec te tantus edat tacitam dolor, & mihi curæ
Sæpe tuo dulci triſtes ex ore recurſent.
Ventum ad ſupremum eſt: terris agitare, vel undis
Troja-

Trojanos potuiſti, infandum accendere bellum,
Deformare domum, & luctu miſcere hymenæos.
Ulterius tentare veto. Sic Jupiter orſus:
Sic dea ſubmiſſo contra Saturnia vultu:
Iſta quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Jupiter; & Turnum & terras invita reliqui.
Nec tu me aeria ſolam nunc ſede videres
Digna, indigna pati; ſed flammis cincta ſub ipſam
Starem aciem, traheremque inimica in prælia Teucros.
Juturnam miſero, fateor, ſuccurrere fratri
Suaſi, & pro vita majora audere probavi;
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum,
Adjuro Stygii caput implacabile fontis:
Una ſuperſtitio ſuperis quæ reddita divis.
Et nunc cedo equidem, pugnaſque exoſa relinquo.
Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obteſtor, pro majeſtate tuorum:
Cum jam connubiis pacem felicibus (eſto)
Component, cum jam leges & fœdera jungent;
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucroſque vocari;
Aut vocem mutare viros, aut vertere veſtes.
Sit Latium, ſint Albani per ſecula reges:
Sit Romana potens Itala virtute propago:
Occidit, occideritque ſinas cum nomine Troja.
Olli ſubridens hominum rerumque repertor:
Et germana Jovis, Saturnique altera proles,
Irarum tantos volvis ſub pectore fluctus?
Verum age, & inceptum fruſtra ſubmitte furorem.
Do quod vis; & me victuſque volenſque remitto.
Sermonem Auſonii patrium moreſque tenebunt.
Utque eſt, nomen erit: commixti corpore tantum
Subſident Teucri: morem rituſque ſacrorum
Adjiciam, faciamque omnes uno ore Latinos.
Hinc genus, Auſonio mixtum quod ſanguine ſurget,
Supra homines, ſupra ire deos pietate videbis:
Nec gens ulla tuos æque celebrabit honores.
Annuit his Juno, & mentem lætata retorſit.
Interea excedit cælo, nubemque reliquit.
His actis aliud genitor ſecum ipſe volutat:
Juturnamque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminæ peſtes, cognomine Diræ;
Quas & Tartaream Nox intempeſta Megæram
Uno eodemque tulit partu, paribuſque revinxit
Serpentum ſpiris, ventoſaſque addidit alas.
Hæ Jovis ad ſolium ſævique in limine regis
Apparent, acuuntque metum mortalibus ægris,
Si quando letum horrificum morboſque deum rex
Molitur, meritas aut bello territat urbes.
Harum unam celerem demittit ab æthere ſummo
Jupiter, inque omen Juturnæ occurrere juſſit.
Illa volat, celerique ad terram turbine fertur:
Non ſecus, ac nervo per nubem impulſa ſagitta,
Armatam ſævi Parthus quam felle veneni,
Parthus, ſive Cydon, telum immedicabile torſit;
Stridens & celeres incognita tranſilit umbras:
Talis ſe ſata nocte tulit, terraſque petivit.
Poſtquam acies videt Iliacas atque agmina Turni,
Alitis in parvæ ſubitam collecta figuram,
Quæ quondam in buſtis aut culminibus deſertis
Nocte ſedens, ſerum canit importuna per umbras:
Hanc verſa in faciem, Turni ſe peſtis ad ora
Fertque refertque ſonans, clypeumque everberat alis.
Illi membra novus ſolvit formidine torpor,
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæſit:
At, procul ut Diræ ſtridorem agnovit & alas,
Infelix crines ſcindit Juturna ſolutos,
Unguibus ora ſoror fœdans, & pectora pugnis.
Quid nunc te tua, Turne, poteſt germana juvare?
Aut quid jam miſeræ ſuperat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin' poſſim me opponere monſtro?
Jamjam linquo acies, ne me terrete timentem
Obſcœnæ volucres: alarum verbera noſco,
Letalemque ſonum: nec fallunt juſſa ſuperba
Magnanimi Jovis, hæc pro virginitate reponit?
Quo vitam dedit æternam? cur mortis ademta eſt
Conditio? poſſem tantos finire dolores
Nunc certe, & miſero fratri comes ire per umbras.
Immortalis ego? aut quidquam mihi dulce meorum
Te ſine, frater, erit? o quæ ſatis ima dehiſcat
Terra mihi? maneſque deam demittat ad imos?
Tantum effata, caput glauco contexit amictu
Multa gemens, & ſe fluvio dea condidit alto.
Æneas inſtat contra, telumque coruſcat
Ingens arboreum, & ſævo ſic pectore fatur:
Quæ nunc deinde mora eſt? aut quod jam, Turne, retractas?
Non curſu, ſævis certandum eſt cominus armis.
Verte omnes te te in facies, & contrahe quidquid
Sive animis, ſive arte vales: opta ardua pennis
Aſtra ſequi, clauſumque cava te condere terra.
Ille caput quaſſans: Non me tua fervida terrent
Dicta, ferox; Di me terrent, & Jupiter hoſtis.
Nec plura effatus, ſaxum circumſpicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo qui forte jacebat
Limes agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis.
Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepida torquebat in hoſtem
Altior inſurgens, & curſu concitus Heros.
Sed neque currentem ſe, nec cognoſcit euntem,
Tollentemve manu, ſaxumque immane moventem:
Genua labant. gelidus concrevit frigore ſanguis.
Tum lapis ipſe viri, vacuum per inane volutus,
Nec ſpatium evaſit totum, nec pertulit ictum.
Ac velut in ſomnis oculos ubi languida preſſit
Nocte quies, nequidquam avidos extendere curſus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox, nec verba ſequuntur.
Sic Turno (quacumque viam virtute petivit)
Succeſſum Dea dira negat. tum pectore ſenſus
Vertuntur varii; Rutulos aſpectat, & urbem;
Cunctaturque metu, telumque inſtare tremiſcit.
Nec quo ſe eripiat, nec qua vi tendat in hoſtem;
Nec currus uſquam videt, aurigamque ſororem.
Cunctanti telum Æneas fatale coruſcat,
Sortitus fortunam oculis, & corpore toto
Eminus intorquet. murali concita numquam
Tormento ſic ſaxa fremunt, nec fulmine tanti
Diſſultant crepitus. volat atri turbinis inſtar,
Exitium dirum haſta ferens, oraſque recludit
Loricæ, & clypei extremos ſeptemplicis orbes:
Per medium ſtridens tranſit femur; incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Conſurgunt gemitu Rutuli, totuſque remugit
Mons circum, & vocem late nemora alta remittunt.
Ille humilis, ſupplexque oculos dextramque precantem
Protendens; Equidem merui, nec deprecor, (inquit)
Utere ſorte tua: miſeri te ſi qua parentis
Tangere cura poteſt, oro (fuit & tibi talis
Anchiſes genitor) Dauni miſerere ſenectæ:
Et me, ſeu corpus ſpoliatum lumine mavis,
Red-

Redde meis. viciſti. & victum tendere palmas
Auſonii videre: tua eſt Lavinia conjux.
Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
Æneas, volvens oculos, dextramque repreſſit.
Et jam jamque magis cunctantem flectere ſermo
Cœperat, infelix humero cum apparuit ingens
Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis
Pallantis pueri: victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum inſigne gerebat.
Ille oculis poſtquam ſævi monimenta doloris
Exuviaſque hauſit: furiis accenſus, & ira
Terribilis, Tune hinc ſpoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, & pœnam ſcelerato ex ſanguine ſumit.
Hoc dicens, ferrum adverſo ſub pectore condit
Fervidus. aſt illi ſolvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.

E J U S D E M.

P. VIRGILII MARONIS.

C U L E X.

Luſimus, Octavi, gracili modulante Thalia:
Atque ut araneoli tenuem formavimus orſum.
Luſimus: hæc propter Culicis ſint carmina dicta,
Omnis & hiſtoriæ per ludum conſonet ordo,
Notitiæque ducum voces. licet invidus adſit,
Quiſquis erit culpare jocos Muſamque paratus,
Pondere vel culicis levior famaque feretur.
Poſterius graviore ſono tibi Muſa loquetur
Noſtra: dabunt cum ſecuros mihi tempora fructus:
Ut tibi digna tuo poliantur carmina ſenſu,
Latonæ, magnique decus Jovis, aurea proles
Phœbus erit noſtri princeps & carminis auctor,
Et recinente lyra fautor: ſive educat illum
Alma Chimæræo Xanthus perfuſa liquore,
Seu nemus Aſteriæ, ſeu qua Parnaſſia rupes
Hinc atque hinc patula præpandit cornua fronte,
Caſtaliæque ſonans liquido pede labitur unda.
Quare, Pierii laticis decus, ite, ſorores
Najades, & celebrate deum plaudente chorea.
Et tibi, ſancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agreſtum bona cura, ſequi ſit cura tenentes
Aerios nemorum tractus, ſylvaſque virentes.
Te cultrice vagus ſaltus feror inter & aſtra.
At tu cui meritis oritur fiducia chartis,
Octavi venerande, meis adlabere cœptis,
Sancte puer: tibi namque canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo ſparſa eſt quo ſanguine tellus:
Nec Centaureos Lapithas compellit in enſes:
Urit Erichthonias Oriens non ignibus arces:
Non perfoſſus Athos, nec magno vincula ponto
Jacta, meo quærent jam ſera volumine famam:
Non Helleſpontus pedibus pulſatus equorum,
Græcia cum timuit venientes undique Perſas:
Mollia ſed tenui pede currere carmina verſu
Viribus apta ſuis Phœbo duce ludere gaudet.
Et tu, ſancte puer, venerabilis, & tibi certet
Gloria perpetuum lucis manſura per ævum:
Et tibi ſede pia maneat locus, & tibi ſoſpes
Debita felices memoretur vita per annos,
Grata bonis lucens. ſed nos ad cœpta feramur.

Igneus ætherias jam Sol penetrarat in arces,
Candidaque aurato quatiebat lumina curru,
Crinibus & roſeis tenebras Aurora fugarat:
Propulit e ſtabulis ad pabula læta capellas
Paſtor, & excelſi montis juga ſumma petivit:
Lurida qua patulos velabant gramina colles.
Jam ſilvis dumiſque vagæ, jam vallibus abdunt
Corpora: jamque omni celeres e parte vagantes
Scrupea deſertæ perrepunt ad cava rupis.
Tondentur tenero viridantia gramina morſu:
Pendula projectis carpuntur & arbuta ramis:
Denſaque virgultis avide labruſca petuntur.
Hæc ſuſpenſa rapit carpente cacumina morſu
Vel ſalicis lentæ, vel quæ nova naſcitur alnus:
Hæc teneras fruticum ſentes rimatur: at illa
Imminet in rivi præſtantis imaginis undam.
O bona paſtoris, ſi quis non pauperis uſum
Mente prius docta faſtidiat, & probet illis
Omnia luxuriæ pretiis incognita curis,
Quæ lacerant avidas inimico pectore mentes.
Si non Aſſyrio fuerint bis lauta colore
Attalicis opibus data vellera: ſi nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum,
Picturæque decus, lapidum nec fulgor in ulla
Cognitus utilitate manet: nec pocula gratum
Alconis referent Bœtique toreuma: nec Indi
Conchea bacca maris pretio eſt: at pectore puro
Sæpe ſuper tenero proſternit gramine corpus:
Florida cum tellus gemmantes picta per herbas
Vere notat dulci diſtincta coloribus arva:
Atque illum calamo lætum recinente paluſtri;
Otiaque invidia degentem ac fraude remota,
Pollentemque ſibi viridi cum palmite lucens
Vitea pampineo ſubter coma velat amictu.
Illi ſunt gratæ rorantes lacte capellæ,
Et nemus, & fœcunda Pales, & vallibus imis
Semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat eſſe beatior ævo,
Quam qui mente procul pura ſenſuque probando
Non avidas agnovit opes: non triſtia bella,
Nec funeſta timet validæ certamina claſſis?
Non, ſpoliis dum ſancta deum fulgentibus ornet
Templa, vel evectus finem tranſcendat habendi,
Adverſum ſævis ultro caput hoſtibus offert.
Illi falce Deus colitur, non arte politus:
Ille colit lucos: illi Panchaica tura,
Floribus agreſtes herbæ variantibus adſunt.
Illi dulcis adeſt requies, & pura voluptas,
Libera ſimplicibus curis: huc imminet, omnis
Dirigit huc ſenſus hæc cura eſt ſubdita cordi.
Quolibet ut requie victu contentus abundet,
Jucundoque levet languentia corpora ſomno.
O pecudes, o Panes, & o gratiſſima Tempe
Fontis Hamadryadum! quarum non divite cultu
Æmulus Aſcræo paſtor ſibi quiſque poetæ
Securam placido traducit pectore vitam.
Talibus in ſtudiis baculo dum nixus apricas
Paſtor agit curas, & dum non arte canora
Compacta ſolitum modulatur arundine carmen:
Tendit inevectus radios Hyperionis ardor,
Lucidaque ætherio ponit diſcrimina mundo,
Qua jacit Oceanum flammas in utrumque rapaces.
Et jam compellente vagæ paſtore capellæ
Ima ſuſurrantes repetebant ad vada lymphæ,
Quæ ſubter viridem reſidebant cœrula muſcum.
Jam medias operum partes evectus erat Sol:

Cum denſas paſtor pecudes cogebat in umbras:
Ut procul aſpexit luco reſidere virenti,
Delia Diva, tuo: quo quondam victa furore
Venit Nyctileum fugiens Cadmæis Agave
Infandas ſcelerata manus e cæde cruenta:
Quæ gelidis bacchata jugis requievit in antro,
Poſterius pœnam nati de morte futuram.
Hic etiam viridi ludentes Panes in herba,
Et Satyri Dryadeſque choros egere puellæ
Naiadum cœtu. tantum non Orpheus Hebrum
Reſtantem tenuit ripis, ſilvaſque canendo:
Quantum te, Peneu, remorantem dia chorea,
Multa tibi læto fundentes gaudia vultu:
Ipſa loci natura domum reſonante ſuſurro
Queis dabat, & dulci feſſas refovebat in umbra.
Nam primum prona ſurgebant valle patentes
Aeriæ platanus: inter quas impia lotos,
Impia, quæ ſocios Ithaci mœrentis abegit,
Hoſpita dum nimia tenuit dulcedine captos.
At quibus inſigni curru projectus equorum
Ambuſtos Phaethon luctu mutaverat artus,
Heliades teneris amplexæ brachia truncis
Candida fundebant tentis velamina ramis.
Poſterius, cui Demophoon æterna reliquit
Perfidiam lamentandi mala perfida multis.
Quam comitabantur fatalia carmina quercus:
Quercus ante datæ, Cereris quam ſemina, vitæ:
Illas Triptolemi mutavit ſulcus ariſtis.
Hic magnum Argoæ navi decus edita pinus
Proceras decorat ſilvas hirſuta per artus:
Appetit aeriis contingere montibus aſtra.
Ilicis & nigræ ſpecies, & læta cupreſſus:
Umbroſæque manent fagus, hederæque ligantis
Brachia, fraternos plangat ne populus ictus.
Ipſæque excedunt ad ſumma cacumina lentæ,
Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos:
Queis aderat veteris myrtus non neſcia fati.
At volucres patulis reſidentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt reſonantia cantus.
His ſuberat gelidis manans e fontibus unda,
Quæ levibus placidum rivis ſonat orta liquorem.
Et quamquam geminas avium vox obſtrepit aures,
Hanc querulæ referunt voces, queis nantia limo
Corpora lympha fovet: ſonitus alit aeris Echo:
Argutis & cuncta fremunt ardore cicadis.
At circa paſſim feſſæ cubuere capellæ,
Excelſiſque ſuper dumis: quos leniter adflans
Aura ſuſurrantis poſſit confundere venti.
Paſtor ut ad fontem denſa requievit in umbra,
Mitem concepit projectus membra ſoporem,
Anxius inſidiis nullis: ſed lentus in herbis
Securo preſſos ſomno mandaverat artus.
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem:
Ni ſors incertos juſſiſſet ducere caſus.
Nam ſolitum volvens ad tempus tractibus iiſdem
Immanis vario maculatus corpore ſerpens,
Merſus ut in limo magno ſubſideret æſtu,
Obvia vibranti carpens gravis aera lingua,
Squamoſos late torquebat motibus orbes.
* Tollebant auræ venientis ad omnia viſus.
Jam magis atque magis corpus revolubile volvens
Attollit nitidis pectus fulgoribus, & ſe
Sublimi cervice rapit: cui criſta ſuperne
Edita purpureo lucens maculatur amictu:
Aſpectuque micant flammantia lumina torvo.
Metabat ſeſe circum loca, cum videt ingens
Adverſum recubare ducem gregis. acrior inſtat
Lumina diffundens intendere, & obvia torvo
Sæpius arripiens infringere, quod ſua quiſquam
Ad vada veniſſet: naturæ comparat arma:
Ardet mente, furit ſtridoribus, intonat ore:
Flexibus everſis torquetur corporis orbis:
Manant ſanguineæ per tractus undique guttæ:
Spiritibus rumpit fauces: cui cuncta paranti
Parvulus hunc prior humoris conterret alumnus,
Et mortem vitare monet per acumina. namque
Qua deducta genas pandebant lumina gemmis,
Hac ſenioris erat naturæ pupula telo
Icta levi. tum proſiluit furibundus, & illum
Obtritum morti miſit: cui diſſitus omnis
Spiritus exceſſit ſenſus. tum torva tenentem
Lumina reſpexit ſerpentem comminus: inde
Impiger, exanimis, vix compos mente refugit:
Et validum dextra truncum detraxit ab orno:
Qui caſus ſociaret opem, numenve deorum.
Namque illi dederitne viam caſuſve, deuſve,
Prodere ſit dubium: voluit ſed vincere tales.
Horrida ſquamoſi volventia membra draconis,
Atque reluctantis crebris, fœdeque petentis
Ictibus oſſa ferit, cingunt qua tempora criſtam:
Et quod erat tardus, omni languore remoto,
Neſcius, aſpiciens, timor obcæcaverat artus:
Hoc minus implicuit dira formidine mentem.
Quem poſtquam vidit cæſum langueſcere, ſedit.
Jam quatit, & bijuges oriens Erebo cit equos nox,
Et piger aurato procedit Veſper ab Œta:
Cum grege compulſo paſtor duplicantibus umbris
Vadit, & in feſſos requiem dare comparat artus.
Cujus ut intravit levior per corpora ſomnus,
Languidaque effuſo requierunt membra ſopore;
Effigies ad eum Culicis devenit: & illi
Triſtis ab eventu cecinit convitia mortis.
Inquit: Quid meritus, ad quæ delatus acerbas
Cogor adire vices? tua dum mihi carior ipſa
Vita fuit vita, rapior per inania ventis:
Tu lentus refoves jucunda membra quiete
Ereptus terris e cladibus: at mea manes
Viſcera Lethæas cogunt tranare per undas:
Præda Charontis agor. viden' ut flagrantia tædis
Lumina collucent infeſtis omnia templis?
Obvia Tiſiphone ſerpentibus undique comta,
Et flammas & ſæva quatit mihi verbera pœnæ.
Cerberus & diris flagrans latratibus ora:
Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis,
Sanguineique micant ardorem luminis orbes.
Heu quid ab officio digreſſa eſt gratia, cum te
Reſtitui ſuperis leti jam limine ab ipſo?
Præmia ſunt pietatis ubi? pietatis honores
In vanas abiere vices, & rure receſſit
Juſtitiæ prior illa fides: inſtantia vidi
Alterius ſine reſpectu, mea fata relinquens.
Ad pariles agor eventus: ſit pœna merenti,
Pœna ſit exitium: modo ſit dum grata voluntas,
Exiſtat par officium. feror avia carpens,
Avia Cimmerios inter diſtantia lucos:
Quem circa triſtes denſentur in omnia pœnæ.
Nam vinctus ſedet immanis ſerpentibus Otos,
Devictum mœſtus procul aſpiciens Ephialten:
Conati quondam cum ſint incendere mundum:
Et Tityos, Latona, tuæ memor anxius iræ
(Implacabilis ira nimis) jacet alitis eſca.
Terreor a tantis inſiſtere, terreor umbris

Ad

Ad Stygias revocatus aquas. vix ultimus amni
Reſtat, nectareas divum qui prodidit eſcas,
Gutturis arenti revolutus in omnia ſenſu.
Quid, ſaxum procul adverſo qui monte revolvit:
Contemſiſſe dolor quem numina vincit acerbus,
Otia quærentem fruſtra? vos ite puellæ,
Ite, quibus tædas accendit triſtis Erinnys.
Sicut Hymen præfata dedit connubia mortis,
Atque alias alio denſat ſuper agmine turmas:
Impietate fera vecordem Colchida matrem
Anxia ſollicitis meditantem vulnera natis:
Jam Pandionias miſeranda prole puellas,
Quarum vox Ityn, & Ityn, quod Biſtonius Rex
Orbus Epops mœret volucres evectus in auras.
At diſcordantes Cadmæo ſanguine fratres
Jam truculenta ferunt infeſtaque vulnera corpus
Alter in alterius: jamque adverſatus uterque
Impia germani manat quod ſanguine dextra.
Eheu mutandus numquam labor! auferor ultra
In diverſa magis: diſtantia numina cerno:
Elyſiam tranandus agor delatus ad undam.
Obvia Perſephone comites Heroidas urget
Adverſas perferre faces. Alceſtis ab omni
Inviolata vacat cura, quod ſæva mariti
Ipſa ſuis fatis Admeti fata morata eſt.
Ecce Ithaci conjunx ſemper decus Icariotis
Femineum incorrupta decus manet, & procul illam
Turba ferox juvenum telis confixa procorum.
Quin miſera Eurydice tanto mærore receſſit,
Pœnaque reſpectus, & nunc manet Orpheus in te.
Audax ille quidem, qui mitem Cerberon umquam
Credidit, aut illi Ditis placabile numen:
Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis,
Nec mœſta obtentu diro & ferrugine regna,
Defoſſaſque domos, ac Tartara nocte cruenta
Oblita, nec faciles Ditis ſine judice ſedes,
Judice, qui vitæ poſt mortem vindicat acta.
Sed fortuna valens audacem fecerat Orphea.
Jam rapidi ſteterant amnes, & turba ferarum
Blanda voce ſequax regionem inſederat Orphei:
Jamque imam viridi radicem moverat alte
Quercus humo, ſteterantque amnes: ſilvæque ſonoræ
Sponte ſua cantus rapiebant cortice amara.
Labentes bijuges etiam per ſidera Luna
Preſſit equos: & tu currentes menſtrua virgo
Auditura lyram tenuiſti nocte relicta.
Hæc eadem potuit Ditis te vincere conjunx,
Eurydicemque ultro ducendam reddere: non fas,
Non erat in vitam divæ exorabile numen.
Illa quidem nimium Manes experta ſeveros
Præceptum ſignabat iter: nec rettulit intus
Lumina, nec divæ corrupit munera lingua.
Sed tu crudelis, crudelis tu magis, Orpheu,
Oſcula cara petens rupiſti juſſa deorum.
Dignus amor venia, parvum ſi Tartara noſſent
Peccatum ignoviſſe: ſed & vos ſede piorum,
Vos manet heroum contra manus: hic & uterque
Æacides. Peleus namque & Telamonia virtus
Per ſecura patris lætantur numina: quorum
Connubiis Venus, & virtus injunxit honorem.
Hunc rapuit ſerva: aſt illum Nereis amavit.
Aſſidet hac juvenis, ſociat quem gloria, fortis,
Acer, inexcuſſus, referens a navibus ignes
Argolicis Phrygios torva feritate repulſos.
O quis non referat talis divortia belli,
Quæ Trojæ videre viri, videreque Graii!
Teucria cum magno manaret ſanguine tellus,
Et Simois, Xanthique liquor, Sigeaque præter
Litora, cum Troes ſævi vos Hectoris ira
Videre in claſſes inimica mente Pelaſgas
Vulnera, tela, neces, ignes inferre paratos.
Ipſa jugis namque Ida potens feritatis, & ipſa
Æqua faces altrix cupidis præbebat alumnis,
Omnis ut in cineres Rhœtei litoris ora
Claſſibus ambuſtis flamma ſuperante daretur.
Hinc erat oppoſitus contra Telamonius heros,
Objectoque dabat clypeo certamina: & illinc
Hector erat Trojæ ſummum decus: acer uterque,
Fulminibus cælo veluti fragor editus alto:
Ignibus hic, teliſque ſuper, ſi claſſibus Argos
Eripiat reditus: ille ut Vulcania ferro
Vulnera protectus depellere navibus inſtet.
Hoc erat Æacides alter lætatus honore,
Dardaniæque alter fuſo quod ſanguine campis
Hectoreo victor luſtravit corpore Trojam.
Rurſus acerba fremunt, Paris hunc quod litat, & hujus
Alma dolis Ithaci virtus quod concidit icta.
Huic gerit averſos proles Laertia vultus,
Et jam Strymonii Rhœſi, victorque Dolonis,
Pallade jam lætatur ovans, rurſuſque tremiſcit
Jam Ciconas, jam jamque horret Læſtrygonas atros.
Illum Scylla rapax canibus ſuccincta Moloſſis,
Ætnæuſque Cyclops, illum metuenda Charybdis,
Pallenteſque lacus, & ſqualida Tartara terrent.
Hic & Tantalei generis decus amplus Atrides
Aſſidet, Argivum lumen: quo flamma regente
Doris Erichthonias proſtravit funditus arces.
Reddidit heu gravius pœnas tibi, Troja, ruenti,
Helleſpontiacis obiturus reddidit undis.
Illa vices hominum teſtata eſt copia quondam:
Ne quiſquam propriæ fortunæ munere dives
Iret inevectus, cælum ſuper omne: propinquo
Frangitur invidiæ telo decus. Ibat in altum
Vis Argoa petens patriam, ditataque præda
Arcis Erichthoniæ: comes huic erat aura ſecunda
Per placidum curſu pelagus. Nereis ad undas
Signa dabat: pars inflexis ſuper acta carinis:
Cum ſeu cæleſti fato, ſeu ſideris ortu
Undique mutatur cæli nitor: omnia ventis,
Omnia turbinibus ſunt anxia. jam maris unda
Sideribus certat conſurgere: jamque ſuperne
Corruere & Sol iis & ſidera cuncta minantur.
At venit in terras cæli fragor: hic modo lætum
Copia nunc miſeris circumdatur anxia fatis:
Immoriturque ſuper fluctus, & ſaxa Capharei,
Euboicas & per cautes, Heræaque late
Litora: cum Phrygiæ paſſim vaga præda peremtæ
Fluctuat omnis in æquoreo jam naufraga tractu.
Hic alii ſidunt pariles virtutis honore
Heroes, mediiſque ſiti ſunt ſedibus omnes,
Omnis Roma decus magni quos ſuſcipit orbis.
Hic Fabii, Deciique, hic eſt & Horatia virtus:
Hic & fama vetus numquam moritura Camilli:
Curtius & mediis quem quondam ſedibus urbis
Devotum bellis conſumſit gurgitis hauſtus:
Mutius & prudens ardorem corpore paſſus,
Legitime ceſſit cui fracta potentia regis.
Hic Curius claræ ſocius virtutis: & ille
Flaminius, devota dedit qui corpora flammæ.
Jure igitur talis ſedes pietatis honorat.
Illic Scipiadæque duces, devota triumphis
Mœnia quos rapidos Libyce Carthaginis horrent.

Illi laude ſua vigeant: ego Ditis opacos
Cogor adire lacus, viduos a lumine Phœbi:
Et vaſtum Phlegethonta pati: quo maxima Minos
Conſcelerata pia diſcernit vincula ſede.
Ergo jam cauſam mortis me dicere vinctæ
Verberibus ſævo cogunt ab judice pœnæ:
Cum mihi tu ſis cauſa mali; nec conſcius adſis:
Nec tolerabilibus curis hæc immemor audis;
O te tamen ut vanis dimittens omnia ventis,
Digredior numquam rediturus. tu cole fontes,
Et virides nemorum ſylvas, & paſcua lætus.
Et mea diffuſas rapiantur dicta per auras.
Dixit: & extrema triſtis cum voce receſſit.
  Hunc ubi ſollicitum dimiſit inertia vitæ,
Interius graviter mentem æger: nec tulit ultra
Senſibus infuſum Culicis de morte dolorem,
Quantumcumque ſibi vires tribuere ſeniles,
Queis tamen infeſtum pugnans devicerat hoſtem.
Rivum propter aquæ viridi ſub fronde latentem
Conformare locum capit impiger. hunc & in orbem
Deſtinat, ac ferri capulum repetivit in uſum,
Gramineam ut viridi foderet de ceſpite terram.
Jam memor inceptum peragens ſibi cura laborem
Congeſtum cumulavit opus: atque aggere multo
Telluris tumulus formatum crevit in orbem:
Quem circum lapidem lævi de marmore formans
Conſerit aſſiduæ curæ memor. hic & acanthus,
Et roſa purpureo creſcit rubicunda colore,
Et violæ omne genus: hic eſt & Spartica myrtus,
Atque Hyacinthus: & hic Cilici crocus editus arvo:
Laurus item Phœbi ſurgens decus. hic Rhododaphne,
Liliaque, & roris non avia cura marini,
Herbaque turis opes priſcis imitata Sabinis,
Chryſanthuſque, hederæque nitor, pallente corymbo,
Et Bocchus, Libyæ Regis memor: hic amaranthus,
Buphthalmuſque virens, & ſemper florida pinus.
Non illinc Narciſſus abeſt: cui gloria formæ
Igne Cupidineo proprios exarſit in artus,
Et quoſcumque novant vernantia tempora flores.
His tumulus ſuper inſeritur: tum fronte locatur
Elogium, tacita format quod litera voce:
Parve Culex, pecudum cuſtos tibi tale merenti
Funeris officium vitæ pro munere reddit.

CIRIS.

AD MESSALLAM.

Etſi me vario jactatum laudis amore,
Irritaque expertum fallacis præmia vulgi,
Cecropius ſuaves expirans hortulus auras
Florentis viridi ſophiæ complectitur umbra:
Num mea quæret eo dignum ſibi quærere carmen?
Longe aliud ſtudium, atque alios accincta labores,
Altius ad magni ſuſpendit ſidera mundi,
Et placitum paucis auſa eſt aſcendere collem.
Non tamen abſiſtam cœptum detexere munus:
In quo jure meas utinam requieſcere Muſas,
Et leviter blandum liceat deponere morem.
Quod ſi mirificum proferre valent genus omnes.
Mirificum ſecli, modo ſit tibi velle libido,
Si me jam ſumma ſapientia pangeret arce,
Quatuor antiquis quæ hæredibus eſt data conſors,
Unde hominum errores longe lateque per orbem
Deſpicere, atque humiles poſſem contemnere curas:
Non ego te talem venerarer munere tali.
Non equidem: quamvis interdum ludere nobis,
Et gracilem molli liceat pede claudere verſum:
Sed magno intexens (ſi fas eſt dicere) peplo:
Qualis Erichtheis olim portatur Athenis,
Debita cum caſtæ ſolvuntur vota Minervæ,
Tardave confecto redeunt quinquennia luſtro,
Cum levis alterno Zephyrus concrebuit Euro,
Et prono gravidum provexit pondere curſum.
Felix ille dies, felix & dicitur annus:
Felices, qui talem annum videre diemque.
Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnæ:
Magna Giganteis ornantur pepla tropæis:
Horrida ſanguineo pinguntur prælia cocco.
Additur aurata dejectus cuſpide Typho,
Qui prius Oſſæis conſternens æthera ſaxis
Æmathio celſum duplicabat vertice Olympum.
Tale Deæ velum ſollemni in tempore portant:
Tali te vellem, juvenum doctiſſime, ritu
Purpureos inter Soles & candida Lunæ
Sidera, cæruleis orbem pulſantia bigis,
Naturæ rerum magnis intexere chartis:
Æternum ſophiæ conjunctum carmine nomen
Noſtra tuum ſenibus loqueretur pagina ſeclis.
Sed quoniam ad tantas nunc primum naſcimur artes;
Nunc primum teneros firmamus robore nervos:
Hæc tamen interea quæ poſſumus, in quibus ævi
Prima rudimenta, & primos exegimus annos,
Accipe dona meo multum vigilata labore,
Et præmiſſa tuis non magna exordia rebus.
Impia prodigiis ut quondam exterruit amplis
Scylla, novoſque avium ſublimis in aere cœtus
Viderit: & tenui conſcendens ſidera penna
Cæruleis ſua tecta ſupervolitaverit alis:
Hanc pro purpureo pœnam ſcelerata capillo,
Proque patris ſolvens exciſa funditus urbe.
Complures illam & magni, Meſſalla, poetæ
(Nam verum fateamur, amat Polyhymnia verum)
Longe alia perhibent mutatam membra figura,
Scyllæum monſtra in ſaxum converſa vocari:
Illam eſſe, ærumnis quam ſæpe legamus Ulyxi
Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris
Dulichias vexaſſe rates, & gurgite in alto
Deprenſos nautas canibus laceraſſe marinis.
Sed neque Mæoniæ hæc patiuntur credere chartæ,
Nec malus iſtorum dubiis erroribus auctor.
Namque alias alii vulgo finxere puellas,
Quæ Colophoniaco Scyllæ dicuntur Homero.
Ipſi ſeu Laſe mater ſit, ſive Crateis,
Sive illam monſtro genuit Peræa biformi,
Sive eſt neutra parens: atque hoc in carmine toto
Inguinis eſt vitium, & Veneris deſcripta libido:
Sive etiam exactis ſpeciem mutata venenis
Infelix virgo. (quid enim commiſerat illa?)
Ipſe pater timidam ſæva complexus arena
Conjugium caræ violaverat Amphitrites.
Attamen exegit longo poſt tempore pœnas,
Ut cum cura ſui veheretur conjugis alto,
Ipſa trucem multo miſceret ſanguine pontum.
Seu vero, ut perhibent, forma cum vinceret omnes,
Et cupidos quæſtu paſſim ſpoliaret amantes;
Piſcibus & canibus rabidis vallata repente eſt,
Horribiles circum vidit ſibi ſiſtere formas.
Heu quoties mirata novos expalluit artus!
Ipſa ſuos quoties heu pertimuit latratus!

Auſa

Auſa quod eſt mulier numen fraudare Deorum,
Et dictam Veneri votorum vertere pœnam.
Quam mala multiplici juvenum quod ſepta caterva
Dixerat, atque animo meretrix agitata ferarum,
Infamem tali merito rumore fuiſſe,
Docta Palæphatia teſtatur voce papyrus.
Quidquid, & ut quiſquis tali de clade locutus,
Omnia ſint; potius liceat noteſcere Cirin:
Atque unam ex multis Scyllam non eſſe puellis.
Quare & quæ cantus meditanti mittere certos,
Magna mihi cupido tribuiſtis præmia, Divæ
Pierides, quarum caſtos altaria poſtes
Munere ſæpe meo inficiunt, foribuſque hyacinthi
Deponunt flores, aut ſuave rubens narciſſus,
Aut crocus alterna conjungens lilia caltha,
Sparſaque liminibus floret roſa; nunc age, divæ,
Præcipue noſtro nunc adſpirate labori,
Atque novum æterno prætexite honore volumen.
Sunt Pandioniis vicinæ ſedibus urbes,
Actæos inter colles, & candida Theſei
Purpureis late ridentia litora conchis:
Quarum non ulli fama concedere digna
Stat Megara, Actæi quondam munita labore
Alcathoi, Phœbique deus namque adfuit illi:
Unde etiam citharæ voces imitantur acutas:
Sæpe lapis recrepat Cyllenia munera pulſus:
Et veterem ſonitu Phœbi teſtatur honorem.
Hanc urbem, ante alios qui tum florebat in armis,
Fecerat infeſtam populator remige Minos:
Hoſpitio qua ſe niſus Pelopeus avito,
Carpathium fugiens, & flumina Ceratæa,
Texerat. hunc bello repetens Gortynius heros
Attica Cretæa ſternebat rura ſagitta.
Sed neque tunc cives, neque tunc rex ipſe veretur
Infeſto ad muros volitantes agmine turmas
Ducere, & indomita virtute retundere mentes:
Reſponſum quoniam ſatis eſt meminiſſe deorum.
Nam capite a ſummo regis, mirabile dictu,
Candida cæſaries, florebant tempora lauro,
Et roſeus medio fulgebat vertice crinis:
Cujus quam ſervata diu natura fuiſſet,
Tam patriam incolumem Niſi regnumque futurum,
Concordes ſtabili firmarunt numine Parcæ.
Ergo omnis caro reſidebat cura capillo:
Aurea ſollemni comtum quoque fibula ritu
Mopſopio tereti nectebat dente cicadæ.
Nec vero hæc vobis cuſtodia vana fuiſſet,
Nec fuerat: niſi Scylla novo concepta furore
Scylla patris miſeri patriæque inventa ſepulcrum:
O nimium cupidis ſi non inhiaſſet ocellis!
Sed malus ille puer, quem nec ſua flectere mater
Iratum potuit, quem nec pater, atque avus idem
Jupiter. ille etiam Pœnos domitare leones,
Et validas docuit vires manſueſcere tigris.
Ille etiam divos, homines ſed dicere magnum eſt.
Idem tum ſuperis acuebat parvulus iras
Junonis magnæ, cujus perjuria divæ
Olim ſe meminiſſe diu perjura puellæ
Non ulli liceat. violaverat inſcia ſedem,
Dum ſacris operata deæ laſcivit, & extra
Procedit longe matrum comitumque catervam,
Suſpenſam gaudens in corpore ludere veſtem,
Et tumidos agitante ſinus Aquilone relaxans.
Necdum etiam caſtos agitaverat ignis honores,
Necdum ſollemni lympha perfuſa ſacerdos
Pallentis foliis caput exornarat olivæ,
Cum lapſa e manibus fugit pila, cumque relapſa
Procurrit virgo: quo utinam ne prodita ludo
Aurea tam gracili ſolviſſet corpora palla
Omnia, quæ retinere gradum, curſumque morari
Poſſent: o tecum vellem tua ſemper haberes
Non unquam violata manu ſacraria divæ:
Jurando infelix nequidquam jura piaſſes.
Et ſi quis nocuiſſe tibi perjuria credat,
Cauſa pia eſt: timuit fratri te oſtendere Juno,
At levis ille deus, cui ſemper ad ulciſcendum
Quæritur ex omni verborum injuria dicto:
Aurea fulgenti depromens tela pharetra,
Heu nimium tereti, nimium Tirynthia viſu,
Virginis in tenera defixerat omnia mente.
Quæ ſimul ac venis hauſit ſitientibus ignem,
Et validum penitus concepit in oſſa furorem:
Sæva velut gelidis Ciconum Biſtonis in oris,
Ictave barbarico Cybeles antiſtita buxo,
Infelix virgo tota bacchatur in urbe:
Non ſtorace Idæo flagrantes picta capillos,
Cognita non teneris pedibus Sicyonia ſervans,
Non niveo retinens bacchata monilia collo.
Multum illi incerto trepidant veſtigia curſu.
Sæpe redit patrios adſcendere prodita muros:
Aeriaſque facit cauſam ſe viſere turres.
Sæpe etiam triſtes volvens in nocte querelas,
Sedibus ex altis cæli ſpeculatur amorem:
Caſtraque proſpectat crebris lucentia flammis.
Nulla colum movit: carum nec reſpicit aurum.
Non arguta ſonant tenui pſalteria chorda:
Non Libyco molles plauduntur pectine telæ.
Nullus in ore rubor: ubi enim rubor obſtat amori?
Atque ubi nulla malis reperit ſolatia tantis,
Tabidulamque videt labi per viſcera mortem,
Quo vocat ire dolor, ſubigunt quo tendere fata,
Fertur: & horribili præceps impellitur œſtro:
Ut patris ah demens crinem de vertice ferret
Furtim, atque arguto detonſum mitteret hoſti.
Namque hæc conditio miſeræ proponitur una.
Sive illa ignorans: quis non bonus omnia malit
Credere, quam tanto ſcelere damnare puellam?
Heu tamen infelix (quid enim imprudentia prodeſt?)
Niſe pater: cui direpta crudeliter urbe,
Vix erit una ſuper ſedes in turribus altis,
Feſſus ubi extructo poſſis conſidere nido.
Tu quoque avis moriere: dabit tibi filia pœnas.
Gaudete o celeres ſubnixæ nubibus altis,
Quæ mare, quæ virides ſylvas lucoſque ſonantes
Incolitis: gaudete vagæ blandæque volucres.
Voſque adeo humani mutatæ corporis artus,
Vos o crudeli fatorum lege puellæ
Dauliades, (crudele) venit cariſſima vobis
Cognatos augens reges numerumque ſuorum
Ciris, & ipſe pater: vos o pulcherrima quondam
Corpora, cæruleas prævertite in æthera nubes:
Qua novus ad ſuperum ſedes Calcheius, & qua
Candida conceſſos adſcendat Ciris honores.
Jamque adeo dulci devinctus lumina ſomno
Niſus erat: vigilumque procul cuſtodia primis
Excubias foribus ſtudio jactabat inani:
Cum furtim tacito deſcendens Scylla cubili
Auribus arrectis nocturna ſilentia tentat,
Et preſſis tenuem ſingultibus aera captat.
Tum ſuſpenſa levans digitis veſtigia primis
Egreditur; ferroque manus armata bidenti
Evolat; ac demtæ ſubita formidine vires,

Cæru

Cæruleas ſua furta prius teſtantur ad umbras.
Nam qua ſe ad patrium tendebat ſemita limen,
Veſtibulo in thalami paulum remoratur, & altum
Suſpicit ad culti nutantia ſidera mundi,
Non accepta piis promittens munera divis.
Quam ſimul Ogygii Phœnicis filia Carme
Surgere ſenſit anus: ſonitum nam fecerat illi
Marmoreo æratus ſtridens in limine cardo:
Corripit extemplo feſſam languore puellam,
Et ſimul, O nobis ſacrum caput, inquit, alumna:
Non tibi nequidquam viridis per viſcera pallor
Ægrotas tenui ſuffudit ſanguine venas.
Nec levis hoc facere (neque enim pote) cura ſubegit:
Haud fallor, quod te potius Rhamnuſia fallit.
Nam qua te cauſa nec dulcis pocula Bacchi,
Nec gravidos Cereris dicam contingere fœtus?
Qua cauſa ad patrium ſolam vigilare cubile,
Tempore quo feſſas mortalia pectora curas,
Quo rapidos etiam requieſcunt flumina curſus?
Dic age nunc miſeræ ſaltem, quod ſæpe petenti
Jurabas nihil eſſe mihi, cum mæſta parentis
Formoſos circum virgo morerere capillos?
Hei mihi, ne furor ille tuos invaſerit artus,
Ille, Arabis Myrrhæ quondam qui cepit ocellos:
Ut ſcelere infando, quod nec ſinit Adraſteia,
Lædere utrumque uno ſtudeas errore parentem.
Quod ſi alio quovis animo jactaris amore:
Nam te jactari, non eſt Amathuſia noſtri
Tam rudis, ut nullo poſſim cognoſcere ſigno:
Sin conceſſus amor noto te macerat igne,
Per tibi Dictynnæ præſentia numina juro,
Prima deum quæ te mihi dulcem donat alumnam,
Omnia me potius digna atque indigna laborum
Millia viſuram, quam te tam triſtibus iſtis
Sordibus, & ſcoria patiar tabeſcere tali.
Hæc loquitur, mollique ut ſe velavit amictu,
Frigidulam injecta circumdat veſte puellam,
Quæ prius in tenui ſteterat ſuccincta corona.
Dulcia deinde genis rorantibus oſcula figens,
Perſequitur miſeræ cauſas exquirere tales.
Nec tamen ante ullas patitur ſibi reddere voces,
Marmoreum tremebunda pedem quam rettulit intra.
Illa autem, Quid nunc me, inquit, nutricula, torques?
Quid tantum properas noſtros noviſſe furores?
Non ego conſueto mortalibus uror amore;
Nec mihi notorum deflectunt lumina vultus,
Nec genitor cordi eſt: ultro namque odimus omnes.
Nil amat hic animus, nutrix, quod oportet amari,
In quo falſa tamen lateat pietatis imago;
Sed media ex acie, mediis ex hoſtibus, heu heu,
Quid dicam? quove ipſa malum hoc exordiar ore?
Dicam equidem; quoniam quid tu tibi dicere, nutrix,
Non ſinis? extremum hoc munus morientis habeto.
Ille, vides, noſtris qui mœnibus adſidet hoſtis,
Quem pater ipſe Deum ſceptri donavit honore,
Cui Parcæ tribuere nec ullo vulnere lædi;
Dicendum eſt, fruſtra circumvehor omnia verbis:
Ille mea, ille idem oppugnat præcordia Minos.
Quod te per divum crebros obteſtor amores,
Perque tuum memoris hauſtum mihi pectus alumnæ,
Ut me, ſi ſervare potes, ne perdere malis.
Sin autem optatæ ſpes eſt inciſa ſalutis;
Ne mihi, quam merui, invideas, nutricula, mortem.
Nam niſi te nobis malus, o malus, optima Carme,
Ante hunc conſpectum caſuſve deuſve tuliſſet:
Aut ferro hoc (aperit ferrum, quod veſte latebat)
Purpureum patris demſiſſem vertice crinem,
Aut mihi præſenti peperiſſem vulnere letum.
Vix hæc ediderat, cum clade exterrita triſti
Intonſos multo deturpat pulvere crines,
Et graviter queſtu Carme complorat anili:
O mihi nunc iterum crudelis reddite Minos,
O iterum noſtræ Minos inimice ſenectæ,
Semper, & aut olim, nata o, te propter eundem,
Aut amor inſanæ luctum portavit alumnæ.
Tene ego tam longe capta atque avecta nequivi,
Tam grave ſervitium, tam duros paſſa labores,
Effugere, ut ſiſtam exitium crudele meorum?
Jam jam nec nobis ea, quæ ſenioribus, ullum
Copia vivendi vitæ genus. ut quid ego amens
Te erepta, o Britomarti, meæ ſpes una ſalutis,
Te, Britomarti, diem potui producere vitæ?
Atque utinam Cereri, nec tantum grata Dianæ
Venatus eſſes virgo ſectata virorum;
Gnoſſia neu Partho contendens ſpicula cornu
Dictæas ageres ad gramina nota capellas:
Numquam tam obnixe fugiens Minois amores,
Præceps aeriis ſpecula de montibus iſſes,
Unde alii fugiſſe ferunt, & numina Phocæ
Virginis adſignant: alii, quo notior eſſes,
Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam.
Sint hæc vera velim: mihi certe nata periſti:
Numquam ego te ſummo volitantem in vertice montis,
Hyrcanos inter comites agmenque ferarum
Conſpiciam; nec te redeuntem amplexa tenebo.
Verum hæc tum nobis gravia atque indigna fuere,
Tum, mea alumna, tui cum ſpes integra maneret:
Et vox iſta meas nondum violaverat aures.
Tene etiam Fortuna mihi crudelis ademit?
Tene, o ſola meæ vivendi cauſa ſenectæ?
Sæpe tuo dulci nequidquam capta ſopore,
Cum premeret natura, mori me velle negavi,
Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.
Quo nunc me infelix, aut quæ me numina ſervant?
An neſcis, qua lege patris de vertice ſummo
Edita candentes prætexat purpura canos?
Quæ tenui patriæ ſpes ſit ſuſpenſa capillo?
Si neſcis, aliquam poſſum ſperare ſalutem:
Inſcia quandoquidem ſcelus es conata nefandum.
Sin eſt, quod metuo: per me, mea alumna, tuumque
Expertum multis miſeræ mihi rebus amorem:
Per me, & ſacra precor per flumina Ilithyiæ,
Ne tantum in facinus tam nulla mente ſequaris:
Non ego te incepto (fieri quod non pote) conor
Flectere, Amor: neque ſit cum diis contendere noſtrum:
Sed patris incolumi potius te nubere regno,
Atque aliquos tamen eſſe velis tibi, alumna, penates:
Hoc unum exitio docta atque experta monebo.
Quod ſi non alia poteris ratione parentem
Flectere: ſed poteris: quid enim non unica poſſis?
Tunc potius tamen ipſa, pio cum jure licebit,
Cum facti cauſam tempuſque doloris habebis:
Tunc potius conata tua atque incepta referto:
Meque deoſque tibi comites, mea alumna, futuros
Polliceor: nihil eſt quod texas ordine longum.
His ubi ſollicitos animi relevaverat æſtus
Vocibus, & blanda pectus ſpe vicerat ægrum;
Paullatim tremebunda genis obducere veſtem
Virginis, & placidam tenebris captare quietem,
Inverſo bibulum reſtinguens lumen olivo,
Incipit ad crebros inſani pectoris ictus
Ferre manum, aſſiduis mulcens præcordia palmis.

Noctem

Noctem illam ſic mæſta ſuper morientis alumnæ
Frigidulos cubito ſubnixa pependit ocellos.
Poſtera lux ubi læta diem mortalibus almum
Et gelido veniens mani quatiebat ab OEta,
Quem pavidæ alternis fugitant optantque puellæ;
Heſperium vitant, optant ardeſcere Solem;
Præceptis paret virgo nutricis, & omnes
Undique conquirit nubendi ſedula cauſas.
Tentantur patrii ſubmiſſis vocibus aures,
Laudanturque bonæ pacis bona: multus ineptæ
Virginis inſolito ſermo novus errat in ore.
Nunc tremere inſtantis belli certamina dicit,
Communemque timere deum: nunc regis amicos,
(Namque ipſo verita eſt orbari mæſta parente)
Cum Jove communes qui quondam habuere nepotes:
Nunc etiam conficta dolo mendacia turpi
Invenit, & divum terret formidine cives:
Nunc alia ex aliis (nec deſunt omina) quærit.
Quin etiam caſtos auſa eſt corrumpere vates:
Ut, cum cæſa pio cecidiſſet victima ferro,
Eſſent, qui generum Minoa auctoribus extis
Jungere, & ancipites ſuaderent tollere pugnas.
At nutrix patula componens ſulfura teſta,
Narciſſum caſiamque herbas incendit olentes:
Terque novena ligat triplici diverſa colore
Fila: ter in gremium mecum, inquit, deſpue, virgo.
Deſpue ter, virgo: numero deus impare gaudet.
Inde Jovi geminat magno Stygialia ſacra,
Sacra nec Idæis ſenibus, nec cognita Graiis.
Pergit Amyclæo ſpargens altaria thallo,
Regis Iolchiacis animum defigere votis.
Verum ubi nulla movet ſtabilem fallacia Niſum,
Nec poſſunt homines, nec poſſunt flectere divi:
(Tanta eſt in parvo fiducia crine cavendi:)
Rurſus ad inceptum ſociam ſe adjungit alumnæ,
Purpureumque parat rurſus tondere capillum,
Cum longo quod jam captat ſuccurrere amori.
Non minus illa tamen revehi, quod mœnia creſcant;
Gaudeat: & cineri patriæ eſt jucunda ſepulto.
Ergo metu capiti Scylla eſt inimica paterno.
Tum coma Sidonio florens ſucciditur oſtro:
Tum capitur Megara, & divum reſponſa probantur:
Tum ſuſpenſa novo ritu de navibus altis,
Per mare cæruleum trahitur Niſeia virgo.
Complures illam Nymphæ mirantur in undis:
Miratur pater Oceanus, & candida Tethys,
Et cupidas ſecum rapiens Galatea Sorores:
Illa etiam, junctis magnum quæ piſcibus æquor
Et glauco bipedum curru metitur equorum,
Leucothoe, parvuſque dea cum matre Palæmon.
Illi etiam alternas ſortiti vivere luces,
Cara Jovis ſoboles, magnum Jovis incrementum,
Tyndaridæ niveos mirantur virginis artus.
Has adeo voces, atque hæc lamenta per auras
Fluctibus in mediis queſtu volvebat inani,
Ad cælum infelix ardentia lumina tollens:
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas:
Supprimite o paulum turbati flamina venti,
Dum queror: & divos, quamquam nil teſtibus illis
Profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.
Vos ego, vos adeo, venti, teſtabor, & auræ:
Vos matutina ſi qui de gente venitis,
Cernitis. illa ego ſum cognato ſanguine vobis
Scylla, quod, ah, ſalva liceat te dicere, Procne,
Illa ego ſum Niſi pollentis filia quondam,
Certatim ex omni petiit quam Græcia regno,
Qua curvus terras amplectitur Helleſpontus:
Illa ego ſum, Minos, ſacrato fœdere conjunx
Dicta tibi; tamen hæc, & ſi non accipis, audis.
Vinctane tam magni tranabo gurgitis undas?
Vincta tot aſſiduas pendebo ex ordine luces?
Non equidem me alio poſſum contendere dignam
Supplicio: quod ſic patriam caroſque penates
Hoſtibus, immitique addixi ignara tyranno.
Verum eſto hæc, Minos. illos ſcelerata putavi,
Si noſtra ante aliquis nudaſſet fœdera caſus,
Facturos: quorum direptis mœnibus urbis,
O ego crudelis! flamma delubra petivi:
Te vero victore prius vel ſidera curſus
Mutatura ſuos, quam te mihi talia captæ
Facturum metui. jam jam ſcelus omnia vincit.
Ten' ego plus patrio dilexi perdita regno?
Ten' ego? (nec mirum) vultu decepta puella
Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error!
Non equidem ex iſto ſperavi corpore poſſe
Tale malum naſci: forma, vel ſidere fallor.
Non me deliciis commovit regia dives
Coralio fragili ac electro lacrimoſo,
Me non florentes æquali corpore Nymphæ,
Non metus incenſam potuit retinere deorum.
Omnia vincit amor. quid enim non vinceret ille?
Nec mihi jam pingui ſudabunt tempora myrrha,
Pronuba nec caſtos accendet pinus odores,
Nec Libys Aſſyrio ſternetur lectulus oſtro.
Magna queror, nec & illa quidem communis alumna
Omnibus injecta tellus tumulabit arena.
Mene inter comites, ancillarumque catervas,
Mene alias inter famularum munere fungi,
Conjugis atque tuæ, quæcumque erit illa, beatæ
Non licuit gravidos penſo devolvere fuſos?
At belli ſaltem captivam lege necaſſes.
Jam feſſæ tandem fugiunt de corpore vires,
Et caput inflexa lentum cervice recumbit:
Marmorea adductis labaſcunt brachia nodis.
Æquoreæ peſtes, immania corpora ponti,
Undique conveniunt, & glauco in gurgite circum
Verbere caudarum atque oris minitantur hiatu.
Jam tandem caſus hominum, jam reſpice, Minos.
Sit ſatis hoc, tantum ſolam vidiſſe malorum:
Vel fato fuerit nobis hæc debita peſtis,
Vel caſu incepto, merita vel denique culpa.
Omnia nam potius, quam te læſiſſe, putabo.
Labitur interea revoluta ab litore claſſis,
Magna repentino ſinuantur lintea Coro,
Flectitur in viridi remus ſale, languida feſſæ
Virginis in curſu moritur querimonia longo.
Deſerit anguſtis incluſum faucibus Iſthmon,
Cypſelidæ magni florentia regna Corinthi:
Præterit abruptas Scironis protinus arces,
Infeſtumque ſuis diræ teſtudinis exit
Spelæum, multoque cruentas hoſpite cautes.
Jamque adeo tutum longe Piræea cernit,
Et notas ſecum, heu fruſtra, reſpectat Athenas.
Jam procul e fluctu Minoia reſpicit arva,
Florenteſque videt jam Cycladas, hinc Strophadaſque:
Hinc ſinus, hinc ſtatio contra patet Hermiona.
Linquitur ante alias longe gratiſſima Delos
Nereidum matri & Neptuno Ægæo.
Proſpicit incinctam ſpumanti litore Cythnon,
Marmoreamque Paron, viridemque adlapſa Donyſam:
Æginamque ſimul ſementiferamque Seriphum
Fertur, & incertis jactatur ad omnia ventis.

Cymba velut magnas ſequitur cum parvula claſſes,
Afer & hyberno bacchatur in æquore turbo,
Donec tale decus formæ vexavit, & ægros
Non tulit, & miſeros mutavit virginis artus,
Cæruleo pollens conjunx Neptunia regno.
Sed tamen externam ſquamis veſtire puellam,
Infidoſque inter teneram committere piſces
Non ſtatuit. nimium eſt avidum pecus Amphitrites.
Aeriis potius ſublimem ſuſtulit alis,
Eſſet ut in terris facti de nomine Ciris,
Ciris Amyclæo formoſior anſere Ledæ.
Ac velut in niveo teneræ cum primitus ovo
Effigies animantis, & internodia membris
Imperfecta novo fluitant concreta calore;
Sic liquido Scyllæ circumfuſum æquore corpus
Semiferi incertis etiam nunc partibus artus
Undique mutabant, atque undique mutabantur.
Oris honos primum & multis optata labella,
Et patulæ frontis ſpecies concreſcere in unum
Cœpere, & gracili mentum producere roſtro.
Tum, qua ſe medium capitis diſcrimen agebat,
Ecce repente velut patrios imitatus honores,
Purpuream concuſſit apex in vertice criſtam.
At mollis varios intexens pluma colores,
Marmoreum volucri veſtivit tegmine corpus,
Lentaque perpetuas fuderunt brachia pennas,
Inde alias partes minioque infecta rubenti
Crura nova macies obduxit ſqualida pelli:
Et pedibus teneris ungues confixit acutos,
Et tamen hoc demum miſeræ ſuccurrere pacto
Vix fuerat placida Neptuni conjuge dignum.
Numquam illum poſthac oculi videre ſuorum
Purpureas flavo retinentem vertice vittas;
Non thalamus Tyrio fragrans accepit amomo.
Nullæ illam ſedes (quid jam cum ſedibus illi?)
Quæ ſimul ut ſeſe cano de gurgite velox
Cum ſonitu ad cælum ſtridentibus extulit alis,
Et multum late diſperſit in æquore rorem;
Infelix virgo nequidquam morte recepta
Incultum ſolis in rupibus exigit ævum,
Rupibus, & ſcopulis, & litoribus deſertis.
Nec tamen hoc iterum pœna ſine. namque deum rex,
Omnia qui imperio terrarum millia verſat,
Commotus talem ad ſuperos volitare puellam,
Cum pater extinctus cæca ſub nocte lateret,
Illi pro pietate ſua (nam ſæpe tepenti
Sanguine taurorum ſupplex reſperſerat aras,
Sæpe deum largo decorarat munere ſedes)
Reddidit optatam mutato corpore vitam,
Fecit & in terris Haliæetus ales ut eſſet.
Quippe aquilis ſemper gaudet deus ille coruſcus.
Huic vero miſeræ, quoniam damnata deorum
Judicio natique & conjugis ante fuiſſet,
Infeſti adpoſuitque odium crudele parentis.
Namque ut in æthereo ſignorum munere præſtans,
Unum quem duplici ſtellarum ſidere vidi,
Scorpius alternis clarum fugit Oriona:
Sic inter ſeſe triſtes Haliæetus iras,
Et Ciris memori ſervant ad ſecula fato.
Quacumque illa levem fugiens ſecat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magno ſtridore per auras
Inſequitur Niſus, qua ſe fert Niſus ad auras,
Illa levem fugiens raptim ſecat æthera pennis.

EJUSDEM.
P. VIRGILII MARONIS.
CATALECTA.

DE qua, Tucca, tibi venit: ſed ſæpe videre
Non licet: occulitur limine clauſa viri.
De qua ſæpe tibi, non venit adhuc mihi: namque
Si occulitur; longe eſt, tangere quod nequeas.
Venerit aut tibi, ſed jam jam mihi nuntius iſte
Quid prodeſt? illi dicite, quæ rediit.

Corinthiorum amator iſte verborum,
Iſte iſte rhetor. namque quatenus totus
Thucydides tyrannus Atticæ febris,
Tau Gallicum ſpinæ ipſemet male illiſit,
Iſta omnia, iſta verba miſcuit fratri.

Socer beate nec tibi, nec alteri,
Generque Noctuine putidum caput,
Tuque nunc puella talis, & tuo
Stupore preſſa rus abibit, & mihi
Ut ille verſus uſquequaque pertinet.
Gener, ſocerque perdidiſtis omnia.

Superbe Noctuine putidum caput,
Datur tibi puella, quam petis, datur,
Datur ſuperbe Noctuine, quam petis.
Sed, o ſuperbe Noctuine, non vides
Duas habere filias Atilium,
Duas, & hanc, & alteram tibi dari.
Adeſte nunc, adeſte, ducit, ut decet,
Superbus ecce Noctuinus hirneam.

Jacere me, quod altra non poſſim, putas,
Ut ante vectari freta:
Nec ferre durum frigus, aut æſtum pati,
Neque arma victoris ſequi.
Valent, valent mihi ira & antiquus furor.
Et lingua, qua adſim tibi,
Et proſtitutæ turpe contubernium
Sororis. o quid me incitas?
Quid, impudice, & improbande Cæſari!
Sed furta dicantur tua,
Et helluato fera patrimonio
In fratre parſimonia:
Vel acta puero cum viris convivia,
Udæque per ſomnum nates.
Et inſcio repente clamatum ſuper,
Thalaſſio, Thalaſſio.
Quid palluiſti femina? an joci dolent?
An facta cognoſcis tua?
Non me vocabis pulchra per Cotyttia
Ad feriatos faſcinos.
Nec dein movere lumbos in crocotulam
Prenſis videbo altaribus,
Flavum probe Thybrim & olentis nauticum
Vocare: ubi appulſæ rates
Stant in vadis cœno retentæ ſordido,
Macraque luctantes aqua.
Neque in culinam, & uncta compitalia,
Dapeſque ducis ſordidas:
Quibus repletus, ut ſalivoſis aquis,
Obeſam ad uxorem redis:

Et

Et æſtuantes docte ſolvis pantices,
Os uſque lambis ſaviis.
Nunc læde, nunc laceſſe, ſi quidquam vales:
Et nomen adſcribo tuum.
Cinæde Luci, an te reliquerunt opes?
Fameque genuini crepant?
Videbo habentem præter ignavos nihil
Fratres, & iratum Jovem,
Sciſſumque ventrem, & hernioſi patrui
Pedes inedia turgidos.

Ad Venerem dedicatio Æneidos.

SI mihi ſuſceptum fuerit decurrere munus,
O Paphon, o ſedes quæ colis Idalias:
Troius Æneas Romana per oppida digno
Jam tandem ut tecum carmine vectus eat:
Non ego ture modo, aut picta tua templa tabella
Ornabo, & puris ſerta feram manibus.
Corniger hos aries humilis, & maxima taurus
Victima ſacratos tinget honore focos.
Marmoreuſque tibi, Dea, verſicoloribus alis
In morem picta ſtabit amor pharetra.
Adſis, o Cytherea: tuus te Cæſar Olympo,
Et Surrentini litoris ora vocat.

Ite hinc inanes rhetorum manipli, *
Inflata rore non Achaico verba,
Et vos, Sile, Albuti, Arquitique, Varroque,
Scholaſticorum natio madens pingui:
Ite hinc inanes, cymbalon juventutis.
Tuque o mearum cura Sexte curarum
Vale Sabine: jam valete formoſi.
Nos ad beatos vela mittimus portus,
Magni petentes docta dicta Scironis,
Vitamque ab omni vindicabimus cura.
Ite hinc Camœnæ: vos quoque limite ſævæ, *
Dulces Camœnæ: nam fatebimur verum,
Dulces fuiſtis: & tamen meas chartas
Reviſitote: ſed pudenter & raro.

De Sabino parodia Catulliana.

SAbinus ille, quem videtis hoſpites,
Ait fuiſſe mulio celerrimus:
Neque ullius volantis impetum ciſii
Nequiſſe præterire: ſive Mantuam
Opus foret volare. ſive Brixiam.
Neque hoc negat Triphonis æmuli domus
Negare nobilem, inſulamve cæruli:
Ubi iſte poſt Sabinus, ante Quinctio
Bidente dicit attondiſſe forcipe
Comata colla, ne qua ſordidum jugo
Premente dura vulnus ederet juba.
Cremona frigida, & lutoſa Gallia,
Tibi hæc fuiſſe & eſſe cognitiſſima
Ait Sabinus. ultima ex origine
Tua ſtetiſſe dicit in voragine,
Tua in palude depoſuiſſe ſarcinas,
Et inde tot per orbitoſa millia
Jugum tuliſſe: læva, ſive dextera
* Stringere mulas, ſive utrumque cœperat.
Neque ulla vota ſemitalibus Deis
Sibi eſſe facta, propter hoc noviſſimum
Paterna lora, proximumque pectinem.
Sed hæc prius fuere, nunc eburnea
Sedetque ſede, ſeque dedicat tibi,
Gemelle Caſtor, & Gemelle Caſtoris.

Ad Varium.

SCilicet hoc ſine fraude, Vari dulciſſime, dicam:
Diſpeream, niſi me perdidit iſte putus.
Sin autem præcepta vetant me dicere: ſane,
Non dicam. ſed me perdidit iſte puer.

Ad villam Scironis.

VIllula, quæ Scironis eras. & pauper agelle,
Verum illi domino tu quoque divitiæ:
Me tibi, & hos una mecum, quos ſemper amavi,
Si quid de patria triſtius audiero,
Commendo, in primiſque patrem. tu nunc eris illi,
Mantua quod fuerat, quodque Cremona prius.

Ad Meſſalam.

PAuca mihi, niveo ſed non incognita Phœbo,
Pauca mihi doctæ, dicite, Pegaſides.
Victor adeſt magni magnum decus ecce triumphi,
Victor, qua terræ, quaque patent maria:
Horrida barbaricæ portans inſignia pugnæ,
Magnus ut Oenides, utque ſuperbus Eryx.
Nec minus idcirco noſtros expromere cantus
Maximus, & ſanctos dignus inire choros.
Hoc itaque inſuetis jactor magis, optime, curis:
Quid de te poſſim ſcribere, quidve tibi.
Namque, fatebor enim, quæ maxima deterrendi
Debuit, hortandi maxima cauſa fuit.
Pauca tua in noſtras venerunt carmina chartas,
Carmina cum lingua, tum ſale Cecropio.
Carmina quæ Pylium ſeclis accepta futuris,
Carmina, quæ Pylium vincere digna ſenem.
Molliter hic viridi patulæ ſub tegmine quercus
Mœris paſtores & Melibœus erant;
Dulcia jactantes alterno carmina verſu,
Qualia Trinacriæ doctus amat juvenis.
Certatim ornabant omnes Heroida Divæ,
Certatim Divæ munere quæque ſuo.
Felicem ante alias tanto ſcriptore puellam:
Alter non famam dixerit ipſe prior.
Non illa, Heſperidum ni munere capta fuiſſet,
Quæ volucrem curſu vicerat Hippomenen:
Candida cycneo non edita Tyndaris ovo,
Non ſupero fulgens Caſſiopea polo.
Non defenſa diu volucrum certamine equorum,
Optabant Graiæ quam ſibi quæque manus.
Sæpe animam generi pro qua pater impius hauſit:
Sæpe rubro Eleis ſanguine fluxit humus.
Regia non Semele, non Inachis Acriſione,
Immitti exſpectant fulmine & imbre Jovem.
Cujus & ob raptum pulſi liquere penates
Tarquinii patrios, filius, atque pater.
Illo, quo primum dominatus Roma ſuperbos
Mutavit placidis tempore Conſulibus.
Multa neque immeritis donavit præmia alumnis,
Præmia Meſſalis maxima Poplicolis.
Nam quid ego immenſi memorem ſtudia iſta laboris?
Horrida quid duræ tempora militiæ?
Caſtra foro ſolitos, urbi præponere caſtra,
Tam procul hoc nato, tam procul hac patria?

Immoderata pati nunc frigora, nuncque calores?
Stettere vel dura poſſe ſuper ſilice?
Sæpe trucem adverſo perlabi ſidere pontum?
Sæpe audendo mare vincere, ſæpe hiemem?
Sæpe etiam denſos immittere corpus in hoſtes:
Communem belli nec timuiſſe Deum?
Nunc celeres Afros, perituraque millia gentis,
Aurea nunc rapidi flumina adire Tagi?
Nunc aliam ex alia bellando quærere gentem?
Vincere & Oceani finibus ulterius?
Non noſtrum eſt, inquam, tantas adtingere laudes:
Quin auſim hoc etiam dicere, vix hominum eſt.
Ipſa hæc ipſa ferent rerum monumenta per orbem:
Ipſa ſibi egregium facta decus parient.
Nos ea, quæ tecum finxerunt carmina Divi
Cynthius, & Muſæ, Bacchus, & Aglaie.
Si laudes adſpirem, humili ſed adire Camœna,
Si patrio Graios carmine adire ſales
Poſſumus; optatis plus jam procedimus ipſis.
Hoc ſatis eſt. pingui nil mihi cum populo.

Adſpice quem valido ſubnixum gloria regno
Altius & cæli ſedibus extulerat.
Terrarum hic bello magnum concuſſerat orbem:
Hic Reges Aſiæ fregerat, & populos.
Hic grave ſervitium tibi, jam tibi, Roma, ferebat:
Cetera namque viri cuſpide conciderant:
Cum ſubito in medio rerum certamine præceps
Corruit, e patria pulſus in exilium.
Tale Deæ numen, tali mortalia nutu
Fallax momento temporis hora dedit.

Quocumque ire ferunt variæ nos tempora vitæ,
Tangere quas terras, quoſque videre homines:
Diſpeream, ſi te fuerit mihi carior alter.
Alter enim quis te dulcior eſſe poteſt?
Cui Venus ante alios, Divi, Divumque ſorores,
Cuncta neque indigno. Muſa, dedere bona,
Cuncta quibus gaudet Phœbus, chorus ipſeque Phœbi:
Doctior o quis te, Muſa, fuiſſe poteſt?

O Quis te in terris loquitur jucundior uno?
Clio nam certe candida non loquitur.
Quare illud ſatis eſt, ſi te permittis amari:
Non contra ut ſit amor mutuus inde mihi.

Quis Deus, Octavi, te nobis abſtulit? an quæ
Dicunt, ah nimio pocula dura mero?
Vobis ſi culpa eſt bilis: ſua quemque ſequuntur
Fata: quod immeriti crimen habent cyathi.
Scripta quidem tua nos multum mirabimur, & te
Raptum, & Romanam flebimus hiſtoriam.
Sed tu nullus eris. perverſi dicite Manes,
Hunc ſupereſſe patri quæ fuit invidia?

In Spectacula. Donatus in vita Virgilii.

Nocte pluit tota, redeunt at mane ſerena.
Diviſum imperium cum Jove Cæſar habet.

Ita id Diſtichon vindicat. Idem.

Hos ego verſiculos feci: tulit alter honores.
Sic vos non vobis nidificatis aves.
Sic vos non vobis vellera fertis oves.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis fertis aratra boves.

In Balliſtam. Idem.

Monte ſub hoc lapidum * tegitur Balliſta ſepultus.
Nocte die tutum carpe viator iter.

Burmannus.

Arretine calix, menſis decorate paternis,
Ante manum medici quam bene ſanus eras.

Burmannus.

Humor alit ſegetem: ſegeti contrarius humor.
Quod juvat, hoc dulce eſt: quod cogitur, altera mors eſt.

Epitaphium a ſe compoſitum. Idem.

Mantua me genuit, Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope. cecini paſcua, rura, duces.

F I N I S.

BINDING SECT. FEB 24 1972

PA 6121 A7A56 t.1
Amati, Pasquale
Collectio pisaurensis omnium poematum

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY